ANNALES TRACTATVS Iuris DE ÆTATE AD OMNES HVMANOS actus requiſita

OPVS TAM IN SCHOLIS QVAM IN FORO Verſantibus æque neceſsarium

AVTORE

DON DIDACO de Narbona I.C.^{us} Toletano. Cæsarei olim, nunc vero Pontificij iuris publico Antecessore.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISIMVM D.D. DIDACVM DE CASTEION ET FONSECA quondam episcopum Lucensem nunc maximum Supremi Castellae ſenat. Preſidem

UNIVERSIDAD FRANCISCO MARROQUIN BIBLIOTECA ...

MANTVA CARPENTANA. EXCVDEBAT DIDACVS DIAZ.

EXPENSIS PETRI COELLO. ANNO. MDCXLII.

fr. Joanes Baptista Mainus. delinavit. Juan de Noort. ſculp.

D. Don Pedro de Ocariz

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. DIDACO DE CASTEJON ET FONSECA

Epiſcopo Lucenſi

Maximo Supremi Senatus Caſtellæ

PRAESIDI.

ARCHIEPISCOPATVS TOLETANI PRO Sereniſsimo Ferdinando Cardinali Infante Hiſpaniarum Primate Gubernatori.

IN publica hac vniuerſi ordinis lætitia pro ea dignitate, quæ inter magnas maxima, te, Illuſtriſsime Præſes, vt tuis meritis iam pridem debita, incredibili rerum Hiſpanicarum profectu nuper exornat, quis non exultet, & communibus omniũ populorũ acclamãtiũ ſuffragijs ſuas nõ adiungat voces, nõ extollat plauſus, non cœlo grates referat, à quo talem Patrem venerari, & tãto Præſide foueri, beneficij ingẽtis loco accipiat gratus neceſſe eſt? Si hæc in vniuerſum gaudia Hiſpanorum animos cõplent, quibus ſingillatim afficiemur ij, qui tibi tot nominibus obnoxij, tot beneficiorum experimentis à te quaſi empti, in tuo ære æternùm permanebimus? Præſertim cùm non noſtra ſolũ, ſed Reipublicæ cauſa in ſummũ hoc ampliſsimæ auctoritatis faſtigiũ tuam Illuſtriſsimã Dominationem euectam cõgratulemur. Nam ſi antiquã tui Generis nobilitatem reſpiciamus, cuius in obeundis huic equis muneribus præcipuus habendus eſt reſpectus; quis te vel Originis vetuſtate, vel Gẽtis claritate in Hiſpania colendum nõ reuereatur? Nam tot ex illuſtriſsima Familia tua viri magni ſemper eminuerunt, vt ſi ab illius cognomine non ſatis enituiſſent, à ſe ſe, poſſent & meritò inclareſcere? Optima igitur naturæ melioris ope effectũ eſt, vt qui nobilibus debet Præſidere, nobiliſsimus omni-

no ſit. Si verò tuum in literis nomen requiramus, quantũ, qualemque in illis tuũ fuiſſe profectũ, iure fatebimur, cũ indefeſſum ſtudiorũ omnium ſectatorem ab ineũte ætate præclaris ſemper editis ingenij clariſsimi experimentis non ignoremus: Teſtes proculdubiò erũt omnes ij, qui à te ſupremo integerrimoque cauſarũ iudice per tot annos in Placentina Epiſcopali Audientia, in Complutẽſi Academia, in Toletana Aula, in Regia Madridenſi Curia, tãquã ab oraculo pependerunt. Hæc cùm ita ſint, cui potiùs Hos meos *Annales iuris tractatus de ætate ad omnes humanos actus requiſita* dandos dicandoſque cẽſerem, quã illi Heroi, qui in omnibus humanarũ diuinarumque rerum actibus per omnem ætatem eos in iure progreſſus fecit, vt vix poſsit alius inueniri, in quo vel maior rerũ proſperè geſtarũ experientia, vel ſingularior Iuris vtriuſque ſcientia reperiatur? Addo humanitatem penè incredibilem, quæ in tanto Dignitatum culmine ita in Te ſplẽdet, vt omnes ad Te vinculis pluſquàm adamantinis penitùs attrahat. Hac præſtãtiſsimæ beneuolẽtiæ ope fretus ad Te, Illuſtriſsime Præſes, tanquam ad præſidij præſentiſsimi aram accedo; ſed Perſarum, Parthorumque morẽ ſecutus, quibus non licebat ſuæ gẽtis Principes adire ſine munere: Hoc qualicumque in verum, etſi exiguum magnæ meæ in Te obſeruantiæ monimentum. T. Illuſtriſsimam Domin. gratiſsimus veneror, Deumque rogo, vt Te in magnã Hiſpaniarum vtilitatem, incolumem, ac florentem Regi, Patriæ, tuis conſeruet.

Tuæ Illuſtriſs. Dom.

PP. Deuotiſ.

D. Didacus de Narbona I.C.

ERVDITISSIMO VIRO D. LICENTIATO don Didaco de Narbona.

Auguſtinus Barboſa V.I.D.

ÆTERNITATIS prærogatiuam exiſtimaui hactenus vnicè ſingularem, vt interemptos reſtitueret annos, ac nõdum natos manſuram in omne æuum vocaret ad vitam, quatenus tota ſimul exiſtens in ſuo illo NVNC, ita præterita, præſentia, ac futura tempora arcano ſatis nodo connectit, ac mirificè comprehendit, vt vocet ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. Iam verò (fateor enim id, quod res eſt) eripuiſti, mi DIDACE, Annalibus tuis quæſtionibus palmam æternitati. Quandoquidem nedum feciſti tuum, quod cum illa tibi commune eſt, vt plures ſimul præſentes conſtituas annos; verùm ſpeciali tuo priuilegio ita connectis, vt noſcas ſimul tempora, & momenta, & vt iunctos non tibi reſerues, ſed nobis liberaliſsimè communices, quin ad publicam omnium vtilitatem Magiſtros inſtituas, & Præceptores. Itaque, vt video, vt peregrinum opus hoc tuum, ſummo ſtudio elaboratum, & concinnè conſcriptum, atque copioſiſsimis Doctorum allegationibus, necnon ad cauſarum deciſionem ſatis opportuna particularium caſuum elucubratione apprimè refertum æternitate donetur, iam non indiges. Non quia opus ſæculi ſcribitur æternitati: nec enim vacat myſterio numerus, ſed quoniam de tuo habes, vt fugaciſsimos omnium perpetues annos. De tuo inquam, quia eos in doctrinæ ſoliditate firmas & munis: & quia affirmare non auſim familiæ de NARBONA veriùs an iuris clariſsima ſint lumina radiantia in omnes æternitates, IOANNES, & ALPHONSVS germani fratres tui. Age igitur, qui in adoleſcentia ſenilem oſtentas maturitatem, & in vnius voluminis margarita immẽſam ferè mirabili artificio complecteris plurium annorum doctrinam: vrge te ad maiora, feſtina vt parias, quæ promittis ingenij portenta, ſpes enim, quæ differtur, cruciat animã, & non exiguũ eſt noſtri ſæculi detrimentum, vt quotquot deſunt, quibus ad eruditionem proficiat, à te deſignata opera, à tuo doctiſsimo calamo diu expectet, tot nempe, quorum nunc iacturam facit vitæ annos, ſiue veriùs ſaluberrimos ſibi fœtus æternitatis. *Vale.*

D. PAVLVS CARONDELET, BARO DE Noyelles & de Vilers, Dominus de Premeques, Heſtre, Haiſnæ & Ploijc, Conſiliarius Eccleſiaſticus D. Regis N. Philippi IIII. in Supremo Conſilio Prouinciæ Hannoniæ,

C. V. D. DON DIDACO DE NARBONA.

QVæſtiones tuas annales (doctiſsime Narbona) auidiſsimè legi. Et pro tam felici ingeni, tui partu amicitię noſtrę gratulor, & litteris applaudo. ſingula gemmæ ſunt: & omnia inſtar theſauri materiarũ ſelectio, lectorem excitat: doctrina erudit: acumen percellit: iudicium perſuadet: plura, quàm profeſſus es, præſtitiſti: Theologiam enim ethicam cum Iuriſprudentia, hiſtoriam, etiam naturalem, cùm politia, philoſophiamque cum legibus ſumma arte cumplexus es: ſed intra Iuriſconſulti ſepta & metas. Itaque & ſcholis, & vtrique foro, præclaram operam exhibuiſti: quæ nec antiquis Interpretibus, neque neothericis noſtris bilem moueat, aut faſtidium. Nihil hic horreant Cuiaciani, Donelliani, Fabriani, aut alij delicatioris ſtomachi, aut rigidioris cenſuræ profeſſores. Stylus facilis eſt & elegans, & Iuriſprudentia noſtra dignus. Fratri, quicquid tibi decoris per litteras tribuit, abundè rependiſti. Pergite igitur felicia ingenia, ſæculum noſtrum, Hiſpaniam veſtram, voſque ipſos illuſtrare: & qui priuatim tantùm mellis & ſalis habetis, voſmet publicè vtiles exhibete. Indigni profectò Principum noſtrorum ſunt pietate, qui iuſti & æqui ſcientiam profitentes, ea tam proteruè & paſsim in generis humani perniciem abutuntur. Sed eo magis gaudeo in vobis tam bene Iuriſprudentiam habitare, qui veterum Iuriſconſultorum exemplo, quos ferè omnes Stoicos fuiſſe cõſtat, Chriſtianam adeoque perfectiſsimam ſapientiam, omnium virtutum ſplendore adornatis. Modeſtiæ tuæ fuit, dubito an iudicij, tractatus hos meæ trutinæ ſubmittere, meũ eſt, neque adulari, neque merita defraudare. Vale. Ex Muſæo prid. Kalend. Auguſt. anno CIↃ IↃC XLI.

Don Paulus Carondelet
Baro de Vilers.

L. D. Petri de la Eſcalera Gueuara I. C. H.

Curiæ Metatorum in Regio Conventu Fiſci Patroni, & in pervetuſto Nobili Collegio Montariorum de Eſpinoſa Conſodalis in Regia Potentiſsimi H.R.Philippi IV. ab Obſequijs.

AD

Annales Tractatus Iuris de ætate ad omnes humanos actus requiſita, ex præſcripto *S.S.C.* iuſſu ſolito Canonica Cenſio.

SVpremo Supremi Noſtri Senatus Imperio *Annales Tractatus Iuris de ætate ad omnes actus humanos requiſita, Auctore L. D. Didaco de Narbona I.C. Toletano, publicoque Sacrorũ Canonum Cathedræ Veſpertinæ Toleti meritiſsimo Primate,* Cenſoris ego munere; licèt immeritò, fungens, exertis oculis intentè legi, ſingulaque ſingulariter *Hoc Opere Solenni* cõgeſta ſedulò rimatus, æſtimatione cũcti digniſsima cõperi. Leges ætatibus, ætateſque legibus (amico Iuris arcto fœdere) ita mirè conſonant, ita prudenter exæquata conſpiciuntur; ut almæ leges ætates hominis, quibus certò imperent, ætateſque caducæ propria cuiuſque iura, queis actus humani ritè dirigantur, heic velut in Speculo faciliter agnoſcant. & quid quemque deceat ultra nemo, vel Andabata galeatus, ignorare queat. Ætati fortunatæ noſtræ; qua legitimam hanc, ad actus humanos rectè peragẽdos; ætatum amuſsim è cœlo Toletano probè delapſam, unicuique non ſolùm intueri, verùm & cuiuſque bono conſequi cœlitùs auſpicio ſecundo munificentiſsimè donatur; omnibus æquè gratulari haud iniquè cõvenit: Ætati tantùm? & illi, qui ſupra ætatem *Opus Hoc Illuſtre* publicè nobis utendum *Hodie* communicare ſatagit. Ætates enim Omnes, & Tempora Iuridica ingenio luſtrat, & vigilijs illuſtrat, ut omni ætate, temporeque diuturna laude; virenti gloria Nomen ipſius (à lethe ſic altè vindicatum) æternùm extollatur. *Quid homini poteſt dari maius, quàm gloria, laus, & æternitas?* Is ergo Narbonæ noſtro debitus honor; imò gentile præclaræ Narbonarum Familiæ decus excelſum. Ipſorum egregia litterarum antè monumenta poſteritati teſtes, & Hoccine præſenteneum itidem; quòd ideò typis ipſe cudi deberi publicè teſtor. Nec in eò quidpiam Orthodoxæ Fidei, probiſve moribus averſum. *Amuſsis Hæc ætatum Omnibus undequaque recta:* ſic & Cenſio. Mant. Carpentan. Pridie Kalend. Martij, anno à Salute Orbis 1641.

Plin. epiſt. lib. 3. epiſtol. 21.

Licent. don Petrus de la Eſcalera Gueuara.

NOS el Doctor don Iuan de Narbona Canonigo de la Santa Igleſia Magiſtral de ſan Iuſto y Paſtor deſta villa de Alcala, y Vicario general en la Audiencia y Corte Arçobiſpal della, y Arçobiſpado de Toledo, por ſu Alteza el Sereniſsimo Infante Cardenal Adminiſtrador perpetuo del dicho Arçobiſpado, &c. Por la preſente damos licencia y permiſsion en quanto à Nos toca, para que ſe pueda imprimir, y imprima el libro que ha compueſto el Licenciado don Diego de Narbona Catedratico de Viſperas de Canones en la Vniuerſidad de Toledo, intitulado (*Annales Tractatus Iuris de ætate ad omnes humanos actus requiſita*) atento que por nueſtra comiſsion ha ſido viſto y examinado, y no ay en el coſa que repugne à nueſtra Santa Fe Catolica y buenas coſtumbres. Dada en Alcala en veinte dias del mes de Setiembre de mil y ſeiſcientos y quarẽta años.

Doctor don Iuan de Narbona.

Por ſu mandado
Ambroſio de Santiago.

Suma del Priuilegio.

TIene priuilegio por diez años el Licenciado don Diego de Narbona Catedratico de Viſperas de Canones de la Vniuerſidad de Toledo, para imprimir el libro intitulado *Annales tractatus iuris de ætate ad omnes humanos actus requiſita*, con las prohibiciones y penas en el contenidas contra los que en el dicho tiempo lo imprimieren, y vendieren ſin ſu licencia, firmado del Rey nueſtro Señor, y de Antonio Aloſa Rodarte Secretario de ſu Mageſtad, deſpachado en el oficio de Miguel Fernandez Secretario de Camara. Su fecha a veinte de Março de mil ſeiſcientos y quarenta y vn años.

Suma de la Taſſa.

TAſſaron los ſeñores del Real Conſejo a ſeis marauedis cada pliego deſte libro intitulado *De ætate ad omnes actus humanos requiſita*, compueſto por el Licenciado don Diego de Narbona Catedratico de Viſperas de Canones en la Vniuerſidad de Toledo, como conſta de ſu original, deſpachado en el oficio de Miguel Fernandez Eſcriuano de Camara, en Madrid a cinco de Diziembre de mil y ſeiſcientos y quarenta y vno.

Errata.

PAg.3.col.2.lin.28.trahi,leg.retrahi, pag.4.col.2.lin.37.aliquid,leg.quid, pag.9.col. 2.lin.13.Damauderius,leg.Danauderius, pag.9.col.2.lin.25. qui, leg.quia, pag.10. col.2.lin.28.Damauder.leg.Danauderius, pag.12.col.1.lin.41.reprehendi,leg.reprehendendi,pag.10.col.2.lin.58.naturæ,leg.natura,pag.16.col.2.lin.11.qui,leg.quæ, pag.21. col.2.lin.25.vitaſes,leg.vitales,pag.29.col.1.lin.41.idoneos,leg.idoneas, pag.30.col.2. lin.26.ſuperſtitiæ,leg.ſuperſtiti,pag.38.col.1.lin.26.maiores,leg.maioris,pag.31.col.2. lin.13.ſimno,leg.ſomno, pag.38.col.1.lin.34.conſultus,leg.conſultis, pag.39.col.2.lin. 40.extitiſſet,leg.extitiſſe,pag.47.col.1.lin.19.im,leg.in, pag.47.col.1.lin.54.conſeſiſſe, leg.conſenſiſſe,pag.56.col.1.lin.30.armorum,leg.annorum, pag.77.col.2.lin.10.infantis, leg.infantiæ,pag.101.col.1.lin.8.aditam,leg.additam,p.102.col.1.lin.49.tutoris,leg.tutorum, pag.104.col.2.lin.33.legibus,leg.lex, pag.105.col.1.lin.48.ea,leg.eo,pag.106. col.1.lin.1.ſit,leg.eſſe,pag.111.col.2.lin.35.ſeptimo,leg.ſeptennio,p.121.col.1.lin.41. cuiratis,leg.curiatis, pag.129.col.1.lin.30.feminus,leg.feminas, pag.136.col.1.lin.57. theſaurij,leg.theſaurarij,pag 138.col.2.lin.13.fecerint,leg.fecerit,pag.141.col.1.lin.22. predicta,leg.predicta lex,pag.202.col.1.lin.39.numen,leg.nomen,pag.207 col.2.lin.12. Teologorũ,leg.Theologorum, pag.208.col.2.lin.24.ſomo,leg.ſomno,pag.212.col.2.lin. 21.ſactã,leg.ſacta, pag.221.col.2.lin.21.puberes,leg.impuberes, pag.226.col.2.lin.37. adijrere,leg.adijcere, pag.261.col.2.lin.10.minoris,leg.minores, pag.265.col.1.lin.3. prohibeantur,leg.prohibebantur,pag.272.col.2.lin.33.nemo,leg.neminem,pag.290.col. 1.lin.40.ſine,leg.ſiue, pag.293.col.2.lin.3.moliaris,leg.moriaris, pag.293.col.2.lin.27. ſucceſsioni,leg.ſuſceptioni, pag.295.col.2.lin.46.parentes,leg. parentis, pag.415.col.2. lin.46.facti pauperiores,leg.pauperior factus,p.415.col.2.lin.47.obligãtur,leg.obligatur, p.421.col.2.lin.42.ſiue,leg.ſine,p.429.col.2.lin.14.quã,leg.quẽ, p.430.col.1.lin.33.ductas,leg.ductus,p.439.col.1.lin.43.qona,leg.bona,p.447.col.2.lin.58.tutor,leg.tutorẽ, p.460.col.2.lin.53.magiſtram,leg.magiſtras,p.641.col.2.lin.32.ſit,leg.ſint,p.462.col.2. lin.21.veriſimilibus,leg.veriſimilius,p.472.col.1.lin.43.profiteatur,leg.profitetur,p.472. col.1.lin.54.ſubdoraſſe,leg.ſubodoraſſe, p.475.col.2.lin.7.illa,leg.vlla, p.476.col.2.lin. 22.Iulia,leg.Iuliæ,p.477.col.1.lin.11.verã,leg.verũ,p.477.col.2.lin.51.arridit,leg.arridet,p.491.col.2.lin.27.inguit,leg.inquit,p.493.col.2.lin.10.ſolutionis,leg.ſolutioris,p. 495.col.1.lin.2.priuare,leg.priuari,p.498.col.2.lin.8.procuratorũ,leg.procuratorem, p. 508.col.2.lin.36.cantorel,leg.cantores, p.513.col.2.lin.29.eris,leg erit, p.516.col.2. lin.23.habentem,leg.habens,p.518.col.1.lin.37.acta,leg.actu,p.522.col.1.lin.19.clerico,leg.clericos, p.522.col.2.lin.23.abrogato,leg.abrogata, p.527.col.1.lin.52.qui, leg. quia,p.527.col.1.lin.54.mereri,leg.merere,p.529.col.1.lin.42.manifeſte,leg.manifeſti, p.529.col.2.lin.9.Tacito,leg.Taciti,p.543.col.2.lin.48.impuberẽ,impuberſi, p.551.col. 2.lin.32.monetarij,leg.monetariæ,p.562.col.1.lin.8.qua,leg.quã, p.585.col.1.lin.2.viris,leg,viduis, p.594.col.1.lin.5.cira,leg.circa, p.598.col.2.lin.37.nouierent, leg.nouerint,p.613.col.2.lin.23.allectit,leg.allecti,p.625.col.1.lin.42.incurrit,leg.incuria, pag. 625.col.2.lin.47.com,leg.cum, p.625.col.2.lin.50.libidines,leg.libidinis,p.626.col.1. lin.12.demo,leg.domo,p.642.col.1.lin.16.hac,leg.hæc,p.642.col.1.lin.25.recedto,leg. recepo, p.642.col.1.lin.33.concaſſare,leg.concaſſarer, p.643.col.2.lin.39.excriptũ,leg. ſcriptum, p.642.col.2.lin.32.earũ,leg.eius, p.695.col.2.lin.53.quæ,leg.qua, p.661.col. 1.lin.28.ſenẽ,leg.ſenũ, p.665.col.2.lin.23.excelientiũ,leg.excellentiã, p.671.col.1.lin. 14.gradus,leg.gradu, p.672.col.2.lin.22 ſolim,leg.ſolũ, p.674.col.2.lin.43. milibi, leg. nullibi, p.679.col.2.lin.31.ductis,leg.dictis, p.679.col.2.lin.33.varia,leg.varijs,p.683. col.1.lin.46.ſeptuagenariũ,leg.ſeptuagenaria,p.685.col.2.lin.45.videre,leg.videri,p.691. col.1.lin.43.deſipiuntur,leg.decipiuntur, p.694.col.1.lin.11.Mendoça,leg. Mendocæ, p. 694.col.1.lin.56.ton.leg.non.

Sunt & alia errata, in primiſque confuſa, alicubi interpunctiones, & literæ maiuſculæ pro minuſculis poſitæ, quæ omnia pro tua humanitate per te, lector beneuole, corriges. Datũ Matriti die 4. menſis Decẽbris anno 1646

Doctor don Franciſco Murcia de la Llana.

LECTORI.

ANNALES noſtros trutinæ & iudicio tuo exponimus, quaſi in pignus, vt ſi probaueris, HORAS, DIES, & IVRIS MENSES quos paramus, alacriter propediem ſpectes; ſin minus, & auerſaueris: vt nec momentum quidem literarium ex penu, ceu penna in ſubtili noſtra in poſterum pertimeſcas. VALE.

SYLLA-

ÆTATIS XXXVI.
Totius ætatis Didaco est obnoxia Fama;
Omnes ætatem qui docet ire supra.
D.D. Thomas Tamaio de Vargas pangebat.
fr. Joanes Baptista Maino delineauit



SYLLABVS ANNORVM, ET Quæſtionum, quæ in his Annalibus continentur.

ANNVS PRIMVS.

QVÆSTIO I.

Conceptio qua ætate, vel quibus diebus immiſſo iam in vterum ſemine, facta credatur?

Quæſt. 2.

Fœtui, quibus diebus & efformatio, & animatio contingat?

Quæſt. 3.

Quo tempore poſt conceptionem ſuperfœtatio impediatur?

Quæſt. 4.

Quando proles in vtero originalis peccati labe polluantur?

Quæſt. 5.

Ex quo momento cuſtodiæ Angelus homini præficiatur?

Quæſt. 6.

Cuius ætatis fœtus, ſi in lucem producatur, viuere poſsit?

Quæſt. 7.

Quanto tempore filius apud noſtros viuere debeat, vt ipſi parentibus, & parentes ipſi ſuccedant?

Quæſt. 8.

Cuius ætatis filij à parentibus ob nimiam paupertatem diſtrahi potuiſſent?

Quæſt. 9.

De paruulorum ætate ad Baptiſmum, & nominis impoſitionem?

Quæſt. 10.

Quo ætatis die infantes antiquitus immolarentur?

Quæſt. 11.

Cuius ætatis infantes antiquitus parentes apud acta profiterentur?

Quæſt. 12.

Ridere quo tempore homo incipiat?

Quæſt. 13.

Vt paruulis dentes naſcantur?

Quæſt. 14.

Pro libertate conſequenda, an fuerit aliqua ætas præſtituta?

Quæſt. 15.

Vt quis præſentari ad capellaniam prophanam, quæ vulgò non collatiua nuncupatur, & nominari ad anniuerſarium poſsit?

Quæſt. 16.

Qua ætate quis poſsit iniuriam pati?

Quæſt. 17.

Adoptari quis valeat?

Quæſt. 18.

Acquirere feudum, vel de eo inueſtiri vt quis poſsit?

ANNVS TERTIVS.

Quæſt. 1.

Cuius ætatis infans matrem nutriendi obligatione exuat?

Quæſt. 2.

Parentes cuius ætatis filios interficere poſſent?

ANNVS QVINTVS.

Quæſt. 1.

Quando ſomniare homines incipiant?

Quæſt. 2.

Liberti filius, cuius ſit futurus ætatis, vt patrem ab operarum præſtatione liberet?

Quæſt. 3.

Præfinitio temporis, poſt cuius lapſum ſeruus, libertus, aut quiuis alius homo miniſterium exhibere, vel operas præſtare poterit?

ANNVS

ANNVS SEPTIMVS.

Quæſt.1.
EX quo tempore infans hoc nomen aſſuat, & qua ætate amittat, loquique incipiat?
Quæſt.2.
Vſus rationis ex quo tempore incipiat?
Quæſt.3.
Pupillaris ætas quando incipiat, & finiatur?
Quæſt.4.
Ad Sacramentum Confirmationis ſuſcipiendum?
Quæſt.5.
Ex præcepto Eccleſiaſtico, qui feſtis diebus Miſſam audire debeant?
Quæſt.6.
Cuius ætatis pueri teneantur diebus prohibitis à carnibus abſtinere?
Quæſt.7.
Cuius ætatis confeſſionis præcepto adſtringantur fideles?
Quæſt.8.
Cuius ætatis pueris Extrema Vnctio ſit miniſtranda?
Quæſt.9.
Vtrùm nondum ſepteni prima tonſura, & tres priores minores ordines conferri poſſint?
Quæſt.10.
Filij hæreticorum, aliorumque infidelium, cuius ætatis poſſint inuitis parentibus baptizari?
Quæſt.11.
Vtrùm præceptum charitatis, vel dilectionis Dei, obliget poſt ſeptennium in primo inſtanti vſus rationis?
Quæſt.12.
Præceptum ſpei qua ætate obligare incipiat?
Quæſt.13.
Qua ætate quis aſtringatur præcepto fidei, & credulitatis eorum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria neceſſitate medij?
Quæſt.14.
Stuprum vt in virginem commiſſum per vindicatur, cuius ætatis virgo eſſe debeat?
Quæſt.15.
De patrini ætate ad Baptiſmum, Confirmationem, & Matrimonium?
Quæſt.16.
Vt clauſuram Monialium, & Monachorum, tam viri, quàm fœminæ, abſque peccati, & excommunicationis metu ingrediantur?
Quæſt.17.
Vt emiſsione cuiuſcumque voti ſimplicis, etiã Religionis, quis maneat obſtrictus?
Quæſt.18.
Ad diſciplinas perdiſcendas, quæ ætas ſit aptior?
Quæſt.19.
Sponſalia de futuro, vt validè contrahantur?
Quæſt.20.
Impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus vt oriatur, cuius ætatis contrahentes eſſe debeant?
Quæſt.21.
Vt educationis cauſa in monaſteria monialiũ puellæ recipi poſsint?
Quæſt.22.
Quibus patronatus, præſentandi, & nominandi ad emphyteuſim ius competat?
Quæſt.23.
Vt nondum adita hæreditas à filio defuncto, in patrem tranſmittatur?
Quæſt.24.
Vt cum tutoris, vel curatoris autoritate poſſit quis iudicio adeſſe?
Quæſt.25.
Veſtes prohibitas, margaritas, & alia huiuſcemodi, an quis impunè minori aliqua ætate poſsit deferre?
Quæſt.26.
Pupilli ætas quanta ſit oporteat, vt tutoris autoritate poſsit manumittere?
Quæſt.27.
De ſufficienti ætate ad poſſeſsionem acquirendam, necnon & ad dominium rerum, quæ in nullius bonis ſunt, occupatione, vel quæ alicuius in poteſtate exiſtunt, vſucapione conſequendum?
Quæſt.28.
Vt pupillo curator ad litem dari poſsit?
Quæſt.29.
Vt incapax fiſco ſe deferre poſſet.
Quæſt.30.
Qua ætate incipiat recitãdi obligatio in puero, cui ex Pontificis diſpenſatione fuit beneficium collatum ante decimumquartum annum?
Quæſt.31.
De ætate teſtium ad matrimonium.
Quæſt.32.
In puero quæ ætas deſideretur, vt illam exponens

ponens non incidat in pœnas, l.2.C. de infantib. expoſitis?

Quæſt.33.

Cuius ætatis ſeruus, vel filius peculium habere poſſit?

Quæſt.34.

Vt emancipari quis poſſit, & velut emancipatus poſſeſſionem nobilitatis acquirere?

Quæſt.35.

Qui adrogandus venire debeat?

Quæſt. 36.

An minor annis ſeptem poſſit nobilitari?

ANNVS OCTAVVS.

Quæſt.1.

Pueritia quo tempore incipiat & finiatur?

Quæſt.2.

Suſceptioni habitus regularis, an ſit aliqua ætas præſtituta?

Quæſt.3.

Lege, ſtatuto, vel conſuetudine, vt quis teneatur?

Quæſt.4.

An quauis ætate poſſit nothus, vel ſpurius legitimari?

Quæſt.5.

Officio Sacriſtæ, Theſaurarij, vel Cimiliarchæ, & Magiſtri puerorum, quæ ætas ſufficiat?

Quæſt.6.

Ad noui operis nuntiationem alicui faciendam?

Quæſt.7.

A qua ætate beneficijs eſſe magis obnoxij incipiamus?

ANNVS DECIMVS cum dimidio.

Quæſt.1.

Infantiæ proximus quis dicatur?

Quæſt.2.

Cuius ætatis proximus pubertati credatur?

Quæſt.3.

Qui doli capaces, culpæ & peccati compotes?

Quæſt.4.

Ingratitudinis culpa vt contrahi poſſit?

Quæſt.5.

Irrogandi iniuriam quæ ſit ætas?

Quæſt.6.

Accuſari vt quis poſſit?

Quæſt.7.

Vt ex quocumque delicto poſſit alicui, ſaltim leuis, & extraordinaria pœna infligi?

Quæſt.8.

Excommunicationis, interdicti, & irregularitatis pœnam, ac cenſuram, cuius ætatis homines ſufferant?

Quæſt.9.

Vt pœna deportationis olim infligeretur, & exilij nunc infligatur?

Quæſt.10.

Ad punitionem in atrocioribus?

Quæſt.11.

Adiurandum, & vt quis emiſſo iuramento aſtringatur?

Quæſt.12.

De ætate illius, contra quem in litem iurandum eſt?

Quæſt.13.

Vt quis velut depoſitarius actione depoſiti teneatur?

Quæſt.14.

Ad virginitatem amittendam?

Quæſt.15.

Cuius ætatis donatarius eſſe debeat, vt in illum collata liberalitas ſubſiſtat?

Quæſt.16.

Vt facto & voluntate propria ciuis, incola domiciliarius, & vicinus alicuius ciuitatis, vel oppidi quis effici poſſit?

ANNVS VNDECIMVS.

Quæſtio vnica.

Ad ſuſcipiendum Eucharistiæ Sacramentum, quo ætatis anno fideles teneantur?

ANNVS DVODECIMVS.

Quæſt.1.

Acolytus fieri, qua ætate quis poſſit?

Quæſt. 2.

Cuius ætatis fœmina virgo, & quando mulier dicatur?

Quæſt. 3.
Legatum relictum pro dote puellæ nondum viripotentis qua ætate ei debeatur?
Quæſt. 4.
Legatum pro maritandis puellis, vt viduis dari nequeat, cuius ætatis puellæ eſſe debeant?

ANNVS DECIMVS-tertius.

Quæſtio vnica.
Quæ ætas in pupillo deſideretur, vt mater, vel quiuis alius, qui ipſi tutorem petere tenetur, integro ad id anni ſpatio potiri non debeat?

ANNVS DECIMVS quartus.

Quæſt. 1.
Pubertas quando incipiat, & finiatur?
Quæſt. 2.
Paruuli nomen cui ætati conueniat?
Quæſt. 3.
De ætate Prætextatorum?
Quæſt. 4.
De tempore, ad quod ſacrum Baptiſma, abſque irregularitatis nota, differri iuſtè poteſt?
Quæſt. 5.
Quo tempore generandi potentia in maſculis, & concipiendi in fœminis incipiat?
Quæſt. 6.
Quo ætatis tempore minores ex proprio conſenſu naturali ſubdantur obligationi?
Quæſt. 7.
Quæ ætas ciuilem obligationem admittat?
Quæſt. 8.
Ad contractus peragendos, quot anni deſiderentur?
Quæſt. 9.
De requiſita ætate ad matrimonium contrahendum?
Quæſt. 10.
Procurator ad matrimonium, & profeſſionem, cuius ætatis eſſe debeat?
Quæſt. 11.
Vt quis pœnis ſubiaceat contrahentium matrimonia clandeſtina?
Quæſt. 12.
Vxores à qua ætate dominæ ab ipſis maritis nuncuparentur?
Quæſt. 13.
Vt quis poſſit pro reſtitutione dotis receptæ obligari?
Quæſt. 14.
Pactum addictionis in diem, à quo fieri poſſit?
Quæſt. 15.
Adeundi hæreditatem, quæ ſit ætas legitima?
Quæſt. 16.
Repudiare, vel omittere hæreditatem, quibus liceat?
Quæſt. 17.
Quando liberum ſit patri, aut tutori filium, vel pupillum religioni offerre, aut ſpontaneum eorum ingreſſum reuocare?
Quæſt. 18.
Vota ſubditorum impuberum, an vltra eorum puburtatem valeant ſuperiores reuocare?
Quæſt. 19.
Princeps quando à ſubditis iurari poſſit, aut ipſi fidelitas, qua ætate omagij ſolemnitate apud noſtros ſpondeatur? Cuius quæſtionis reſolutio, & ad perſonas dominorum pertinebit, quibus vaſſalli ob inueſtituram feudorum ad fidelitatis promiſſionem tenentur, necnon, & ad perſonas vaſſallorũ, vt qua ætate fidelitatem præſtare teneantur, appareat
Quæſt. 20.
Qua ætate religionem ingreſſi debeant ad nouitiatum admitti?
Quæſt. 21.
Quoties ab Epiſcopo nonnulli caſus reſeruantur, an pueri ante annos pubertatis in tali reſeruatione includantur?
Quæſt. 22.
Famulis qua ætate ſalarium debeatur?
Quæſt. 23.
De ætate appellantis, & eius, cui appellationis intimatio fieri debet?
Quæſt. 24.
Pueri nobiles, quos vulgus Pajes *vocat, ad quam ætatem in comitatum, & familiam Procerum, & Regum adoptentur, & de tempore cingendi enſem?*
Quæſt. 25.
Vt quis pœnam euadat non comitãtis ſacrum Chriſti corpus, cùm ad infirmos defertur?

Quæſt.

Quæſt.26.

Vt datus in adoptionem audiatur ex iuſta cauſa emancipari deſiderans?

Quæſt.27.

Cauſa ſtatus impuberi mota, ad quam ipſius ætatem ſuſpendi debeat?

Quæſt.28.

Qui poſsint ad triremes, vel in metallū damnari?

Quæſt.29.

Vt feudo quis priuari poſsit ob non petitam inueſtituram intra annum & diem?

Quæſt.30.

Emphyteuta vt iure ſuo priuetur ob non ſolutum canonem?

Quæſt. 31.

An filius vltra decimumquartum ſuæ ætatis annum debeat à patre alimentari?

Quæſt.32.

Vt finiatur tutela, & curatores minoribus dentur?

Quæſt.33.

Curatorem petere, vel ad illum petendum procuratorem conſtituere, quis poſsit?

Quæſt.34.

Quo tempore Principum, Regum, & Imperatorum perſonæ à curatorum poteſtate, vel adminiſtratione eximantur?

Quæſt.35.

Quibus competat, vel non, tutores, ſeu curatores ſuſpectos accuſare & de ætate cōſanguineorum, quorum conſenſus in id requiritur?

Quæſt.36.

Qualis ætatis quis eſſe debeat, vt illa clauſula, Cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, & gradus, *comprehenſus videatur?*

Quæſt.37.

Vt teneatur quis ſoluere tributum perſonale, quod vocatur capitis?

Quæſt. 38.

Ad ſanguinis miſsionem?

Quæſt.39.

Balnea quibus ingredi liceret?

Quæſt.40.

Vt filius vnà cum patre moriens, patri ſuperuixiſſe credatur?

Quæſt.41.

Ad punitionem pro delicto carnis?

Quæſt. 42.

Vt torqueri quis poſsit?

Quæſt.43.

Amicos qua ætate, quis habere credatur?

Quæſt.44.

Ad teſtificandum in ciuilibus?

Quæſt.45.

Vt teſtis in criminalibus receptus ſaltim faciat indicium?

Quæſt.46.

Cuius ætatis quis eſſe debeat, vt teſtamenti factionem habeat?

Quæſt.47.

Ad ſepulchri electionem?

Quæſt.48.

Cōmiſſarius ad teſtandum pro aliquo, cuius ætatis nominari debeat?

Quæſt.49.

Quandiu, & ad quod vſque tempus ſubſtitui pupillariter poſsit?

Quæſt.50.

Ad donandum cauſa mortis?

Quæſt.51.

Subſtitutio, aut qualibet alia diſpoſitio ſub illa conditione, ſi ſine liberis decedat, *à qua ætate facta cenſeatur?*

Quæſt.52.

Quis poſsit tutorem filijs ſuis teſtamento relinquere?

Quæſt.53.

Cuius ætatis filius eſſe debeat, vt ſecundis nuptijs parentis conſentiens, ſibi præiudicet?

Quæſt.54.

Pro beneficijs ſimplicibus, & inferioribus conſequendis, quænam ætas ſit præſtituta?

Quæſt.55.

Quota ætate eſſe de iure debeant, qui Canonicatus, integras, vel dimidias portiones in Collegiata Eccleſia ſunt adepturi?

Quæſt.56.

Dimidij portionarij Cathedralis Eccleſiæ, an eiuſdem ætatis eſſe debeant cum portionarijs ipſius, an verò diuerſæ?

Quæſt.57.

Quis reſignare beneficium, & triennali præſcriptione ex regula Cancellariæ amittere, ad reſignandumque procuratorem conſtituere poſsit?

Quæſt.58.

Vt quis comprehendatur ſub pœnis impoſitis contra confidentiarios?

Quæſt. 59.

Ad penſionem obtinendam?

¶¶ 2 AN-

ANNVS DECIMVS-quintus.

Quæſt. 1.
Vt creditor contra debitorem executionem intendat?

Quæſt. 2.
Vtrùm aliqua ætas ſit à lege præſtituta, intra quam conditio illa ſi nupſerit, aut religionem ingrediatur, *teſtamento ſcripta, debeat adimpleri?*

ANNVS DECIMVS-ſextus.

Quæſtio vnica.
Ad profeſsionem emittendam?

ANNVS DECIMVS-ſeptimus.

Quæſt. 1.
Vtrùm ætas ſeptendecim annorum, aut quælibet alia requiratur pro Doctoratus gradu aſſequendo?

Quæſt. 2.
De neceſſaria ætate aduocatorum?

Quæſt. 3.
An ſolemnitas Concilij Tridentini requiratur in renuntiationibus factis. à maioribus 17. annorum?

Quæſt. 4.
De numero annorum procuratoris ad negotia?

ANNVS DECIMVS-octauus.

Quæſt. 1.
Plena pubertas quando contingat?

Quæſt. 2.
Qua ætate milites legi, & ad bellum admitti debeant

Quæſt. 3.
Venationi & taurorum agitationi, quæ ſit aptior ætas?

Quæſt. 4.
Quis poſsit adminiſtrationis rationem à curatore ſuo exigere?

Quæſt. 5.
Cuius ætatis coniux eſſe debeat, vt triennium experientiæ præſcriptum in cap. laudabilem, de frigid. & maleficiat. computari incipiat, & qua ætate peti poſsit matrimonium ob impotentiam diſſolui?

Quæſt. 6.
Calculatoris, ſeu partitoris officium exercere quis poſsit?

Quæſt. 7.
Cuius ætatis filius ſi negligat patrem ab hoſtibus redimere, poſsit exhæredari?

ANNVS VIGESIMVS.

Quæſt. 1.
Ad ætatis veniam conſequendam?

Quæſt. 2.
Ad delegatum Principis, ſeu alterius?

Quæſt. 3.
Ad Senatoris, vel Regij Conſiliarij dignitatem?

Quæſt. 4.
Rector Vniuerſitatis Scholaſticorum, cuius ætatis eligi debeat?

Quæſt. 5.
Vt debitor, qui non habet vnde ſoluat, poſsit creditori ſuo addici?

Quæſt. 6.
Ad teſtificandum in criminalibus?

Quæſt. 7.
Manumittentis ætas quæ eſſe debeat?

Quæſt. 8.
Vt venundari paſſus ad pretium participandum ſeruus efficeretur?

Quæſt. 9.
Quo tempore ingenua, quæ ſeruo ſe ſubſternebat, & in contubernium dabatur, libertatem amitteret?

Quæſt. 10.
Protonotariatus officium, vt quis exercere poſsit?

ANNVS VIGESIMVS primus.

Quæſt. 1.
Barbam quo tempore homines emittant?
Quæſt. 2.
Vt vtriuſque ſexus fideles Eccleſiaſtico ieiunio adſtringantur?
Quæſt. 3.
A cuius ætatis hominibus debeat conſuetudo introduci?
Quæſt. 4.
Ad portionem in Cathedrali Eccleſia obtinendam?

ANNVS VIGESIMVS ſecundus.

Quæſt. 1.
De neceſſaria ætate Subdiaconatus?
Quæſt. 2.
De requiſito annorum numero ad Canonicatum in Eccleſia Cathedrali?
Quæſt. 3.
Dignitates & perſonatus Eccleſiarum ſæcularium, quibus animarum cura nulla ſubeſt, cuius ætatis Clericis conferri debeant?
Quæſt. 4.
Vt Eccleſiaſticæ perſonæ ad electionem admittātur, & ad id vocem habeant in capitulo?

ANNVS VIGESIMVS tertius.

Quæſtio vnica.
Quæ ſit ætas requiſita ad Diaconatum?

ANNVS VIGESIMVS quintus.

Quæſt. 1.
Ætas plena, integra, perfecta, robuſta, firma, impleta, iuſta, virilis; conſtans, matura; legitima maior, iuuentus, viridis iuuenta, ſeu quæ vocatur in libris noſtris ætas ſtatus, quot annorum dicatur?
Quæſt. 2.
Minor à qua ætate, & in quam ætatem quis dicatur?
Quæſt. 3.
Ad liberam bonorum adminiſtrationem conſequendam, & vt curatoris officium finiatur, ſuæque ætatis homines dicantur?
Quæſt. 4.
Quæ ætas ad bonorum obligationem ſufficiat tam pro cenſu, quàm pro alijs contractibus?
Quæſt. 5.
Cuius ætatis hominibus ſit rerum ſuarum alienatio permiſſa?
Quæſt. 6.
Venditio à quibus celebrari poſsit?
Quæſt. 7.
Quæ ſit ætas ad permutationem conſtituta?
Quæſt. 8.
Ad ſocietatem contrahendam?
Quæſt. 9.
Locatio & conductio, quam ætatem in contrahentibus requirant?
Quæſt. 10.
Ad conductionem gabellarum, & vt quis pro conductore fideiubeat, vel teſtis idoneitatis exiſtat?
Quæſt. 11.
Inter viuos qua ætate donetur?
Quæſt. 12.
Ad tranſigendum quæ ſit ætas neceſſaria?
Quæſt. 13.
Ad renuntiandū ſimpliciter, & vt quis legato ſibi relicto, aut donationi factæ renūtiet?
Quæſt. 14.
Ad dotis conſtitutionem?
Quæſt. 15.
Vt quis idoneè fideiubere, aut cōſtituere poſsit?
Quæſt. 16.
Ad intercedendum in contractibus?
Quæſt. 17.
Qua ætate quis poſsit in ludo etiam permiſſo, aliquid amittere, amiſſum repetere, & lucratum item in eo iuſtè retinere?
Quæſt. 18.
De neceſſaria ætate ſoluentis, & ſolutionem accipientis, ad iuſtam liberationem?
Quæſt. 19.
Remittere iniuriam, & cum aduerſario pacem inire, vt quis poſsit?
Quæſt. 20.
Maioratum inſtituere qua ætate quis poſsit?

Quæſt.21.
Num ſit aliqua ætas requiſita pro vſufructu, vel ſeruitute conſtituenda?

Quæſt.22.
Ad feudum concedendum?

Quæſt.23.
Cuius ætatis quis eſſe debeat, vt aduerſus illum præſcriptio, vel vſucapio procedat?

Quæſt.24.
Peculium conſtituere vt quis poſſit?

Quæſt.25.
Cedens, vel ceſſionarius, cuius eſſe ætatis debeat?

Quæſt.26.
Quantum temporis abſque profectu, aliquem ſtudijs impendiſſe ſufficiat, vt addiſcendi in poſterum ſpe deſtitutus credatur?

Quæſt.27.
Ad quod vitæ tempus puellæ educationis cauſa intra monaſteria eſſe poſſint?

Quæſt.28.
Ad officium tutoris, curatoris, hoſpitalarij, vel alterius adminiſtratoris obeundum?

Quæſt.29.
Furioſus, prodigus, vel demens, cuius ætatis eſſe debeant, vt quaſi tales curatores accipiant?

Quæſt.30.
Vt iure ſucceſſionis priuetur, qui pupillo tutorem petere neglexit?

Quæſt. 31.
Ad iudicandum quæ ætas ſufficiat?

Quæſt.32.
Cuius ætatis prætor eligi debeat?

Quæſt.33.
Ad arbitrum, & arbitratorem quæ ſit ætas neceſſaria?

Quæſt. 34.
Qua ætate quis legitimam perſonam habeat ſtandi in iudicio?

Quæſt. 35.
Vocari in ius, citari, denuntiari, & ex interpellatione moram incurrere quis poſſit?

Quæſt.36.
Vt quis poſſit in carcerem ob debitum ciuile detrudi?

Quæſt.37.
Vt quis poſſit validè in iudicio negare, confiteri, aut poſitionibus reſpondere?

Quæſt. 38.
De ætate, qua poteſt inops debitor bonis cedere?

Quæſt.39.
Iusiurandum vt quis in iudicio, & extra iudicium deferat?

Quæſt. 40.
Quot anni ad compromittendum deſiderentur?

Quæſt.41.
Ad accuſandum?

Quæſt.42.
Ad opus nouum nuntiandum?

Quæſt.43.
Vt delinquens pœna ordinaria plectatur?

Quæſt.44.
Ob inultam mortem defuncti, vt quis quaſi indignus repellatur ab hæreditate?

Quæſt.45.
A delicto in omittendo vt quis excuſetur?

Quæſt.46.
De ætate Apparitoris, Celeris, ſeu Lictoris, quem noſtri Alguacellum vocant?

Quæſt.47.
De ætate procuratoris ad iudicia?

Quæſt.48.
De ætate ad Syndici officium?

Quæſt.49.
Vt procuratorem quis conſtituere poſſit?

Quæſt.50.
Ad ratum habendum?

Quæſt.51.
Prouocare ad diuiſionem quis poſſit?

Quæſt.52.
Pupillus, ſiue orphanus quis dicatur, maxime apud noſtros, quoad effectũ vt in prima inſtantia poſſit agitare litem coram Auditoribus Regijs, quod Hiſpane diſcitur ſer caſo de Corte.

Quæſt.53.
Vt in bona alicuius ex primo vel ſecundo debito miſsio poſſit fieri.

Quæſt.54.
Vtrùm pro debito fieri poſſit executio minore exiſtente debitore?

Quæſt.55.
Ætas pro presbyteratu neceſſaria qualis ſit?

Quæſt.56.
Quota ætas requiratur in beneficiarijs parochianis, vel curam animarum habentibus?

Quæſt.57.
Pro Abbatibus conſtituendis, quæ ætas requiratur?

Quæſt.58.
Quænam ætas deſideretur in Decanatus, aut Præpoſituræ poſſeſſore?

Quæſt. 59.
Quæ ætas deſideretur in Prioribus, Guardianis, Miniſtris, & alijs Prælatis inferioribus Regularium?

Quæſt.60.
Archipresbyter cuius ætatis eſſe debeat?

Quæſt.61.
Ad Archidiaconatus honorem?

Quæſt.62.
Vicarius Epiſcopi cuius ætatis creari debeat?

Quæſt.63.
Vt quis valeat ab Epiſcopo in officium Viſitatoris aſſumi?

Quæſt.64.
Sæculares dignitates, vel honores, an certam aliquam ætatem requirant?

Quæſt.65.
Ad conſilium, ſiue proprio, ſiue alieno negotio, vtiliter præſtandum?

Quæſt.66.
Imperatores, Regeſque cuius ætatis eſſe debeant?

Quæſt.67.
Ad functionem publicorum munerum?

Quæſt.68.
Ad Decurionatus officium, & vt quis in Concilio ciuitatis vocem habeat?

Quæſt.69.
Notario, & Tabellioni, quæ ſit ætas præſcripta?

Quæſt.70.
Ob non ſolutum vectigal, quod pro euectione rerum, aut inuectione penditur, vel ob non redditam gabellam, vt quis in commiſſum, vel alias pœnas incidat, cuius ætatis eſſe debeat?

Quæſt.71.
Eleemoſyna qua ætate tute fieri debeat?

Quæſt.72.
Vtrum conditio non nubendi intra certum tempus habeat à iure determinatam ætatem, vltra quam ſi apponatur, debeat quaſi in fraudem matrimonij adiecta reijci?

Quæſt.73.
Parentibus orbati, in quam ætatem orphani dicantur?

Quæſt.74.
Refrendarij quæ ſit ætas?

Quæſt.75.
Vt is cogatur ſeruum ſuum manumittere, qui legatum cum onere manumittendi agnouit?

Quæſt.76.
Vtrum legitima ætas viginti & quinque annorum filios à paterna poteſtate eximat?

Quæſt.77.
An ætas viginti & quinque annorum ſit præſcripta, ne vlterius vota emiſſa à filiofamilias, quæ realia ſunt, irritari valeant à patre?

Quæſt.78.
An filius iure Hiſpanico perueniendo ad legitimam ætatem, poſſit vſumfructum bonorum aduentitiorum à patre conſequi?

Quæſt.79.
Quis poſſit executor in teſtamento deputari?

Quæſt.80.
Moniali, vt conſecrari poſſit, quæ ſit ætas præſcripta?

Quæſt.81.
Monetarij, alijque iſtius generis officiales, qua ætate allegi poſſint?

Quæſt.82.
An minor viginti & quinque annis, qui aliena negotia adminiſtrauit, rationes præſtare teneatur?

Quæſt.83.
Ad recognitionem cenſus, emphyteuſis ſcripturæ priuatæ, vel alterius rei, cuius ætatis quis eſſe debeat?

Quæſt.84.
Vt ex ſolo tempore tardæ ſolutionis, abſque interpellatione, nec mora fiat, nec vſuræ debeantur, quæ ſit ætas neceſſaria?

ANNVS VIGESIMVS ſeptimus.

Quæſt.1.
Ad Queſtoris officium?

Quæſt.2.

Ad Relatoris officium quæ ſit ætas legitima?

Quæſt.3.

Vt poſtulare quis poſsit?

ANNVS VIGESIMVS nonus.

Quæſt.1.

Reſtitutio in integrum, vſque ad quam ætatem à minore læſo peti poſsit?

Quæſt.2.

Pupilla, ſiue adulta, qua ætate poſsit à tutore, curatore, vel filijs eorum in vxorē duci?

ANNVS TRIGESIMVS.

Quæſt.1.

Naturalis ætatis quis eſſe dicatur?

Quæſt.2.

Prudentia quando in hominibus incipiat?

Quæſt.3.

Pontificatui ſupremo qualis ætas ſit ſtatuta?

Quæſt.4.

An iura certam aliquam ætatem in Cardinalibus poſtulent?

Quæſt.5.

Quotum ætatis annum in Epiſcopo Canones poſtulent?

Quæſt.6.

Coadiutor Epiſcopo, Canonico, Rectori Parochialis, aut alteri beneficiario deputatus, cuius ſit ætatis oporteat?

Quæſt.7.

De ætate Inquiſitoris, & Comiſſarij Sanctæ Inquiſitionis?

Quæſt.8.

Prædicatoris officio, & munere quis dignè fungi valet?

Quæſt.9.

De ætate Tribuni plebis, & Iudicis appellationum?

Quæſt.10.

Vt filia poſsit matrimonio copulari non aſſentiente, vel reluctante patre?

ANNVS TRIGESIMVS-quintus.

Quæſtio vnica.

Athletæ qua ætate artem desererent, & qua nam corporis vires firmentur?

ANNVS QVADRAGESIMUS.

Quæſt.1.

Ad Canonicatum pœnitentiariæ quæ ætas ſit neceſſaria?

Quæſt.2.

Abbatiſa, Prioriſa, vel alia quoquomodo appelletur monialium Præfecta, quot annorum ſit eligenda?

Quæſt.3.

Diaconiſa qua ætate antiquitus ordinaretur?

Quæſt.4.

Vt ancillari mulier meretrici poſsit?

Quæſt.5.

Vinum cui ætati conueniens?

ANNVS QVADRAGESI-mustertius.

Quæſtio vnica.

Conſulatui quæ fuerit ætas præſcripta, & quæ ſit hodie ad Iurati munus.

ANNVS QVADRAGESI-musquintus.

Quæſtio vnica.

Concipiendi facultas in fœminis ad quod vitæ tempus producatur?

ANNVS

ANNVS QVADRAGESI-muſſextus.

Quæſtio vnica.

Ad euocatorum militiam?

ANNVS QVADRAGESI-muſſeptimus.

Quæſtio vnica.

Vt quis Ædilis fieret, & an apud noſtros ſit Fiel executor?

ANNVS QVINQVA-geſimus.

Quæſt. 1.

Adoleſcentia quod vitæ tempus habeat?

Quæſt. 2.

Initium ſenectutis quale?

Quæſt. 3.

Grandis natu quis ſit, & quæ ætas grauis, & ingraueſcens?

Quæſt. 4.

Cuius ætatis Generales & Prouinciales eligi debeant?

Quæſt. 5.

Ad legationis munus ſubeundum?

Quæſt. 6.

Senum qualis ætas eſſe debeat, vt in illis non ſit ſpectandum triennium experientiæ, de quo in capite laudabilem, de frigidis & maleficiatis?

Quæſt. 7.

Cuius ætatis mulier eſſe debeat, vt nubens nulla dotis priuilegia habeat?

Quæſt. 8.

Ad ſtipendia militaria implenda, & vt quis veteranus fiat, & à militia excuſetur?

ANNVS QVINQVAGE-ſimusſecundus.

Quæſtio vnica.

Ingenium quando in homine finiatur?

ANNVS QVINQVAGE-ſimusquartus.

Quæſtio vnica.

Teſtes ſuper immemoriali præſcriptione deponentes, cuius ætatis eſſe debeant, vt probent?

ANNVS QVINQVAGE-ſimusquintus.

Quæſtio vnica.

Quo ſenectutis tempore Decurionatus immunitas contingat?

ANNVS SEXAGESIMVS.

Quæſt. 1.

Inter ſeniores quæ ætate homines connumerentur?

Quæſt. 2.

Quæ ſenectus à ieiunio excuſet?

Quæſt. 3.

Vt poſſint Sacerdotes, diplomatis Cruciarij obtentu, quæcumque ſementinam trahunt originem carnis diebus Quadrageſimalibus edere?

Quæſt. 4.

Cuius ætatis ſenectus antiquitus impediret matrimonium contrahendum, vel dirimeret contractum, & quæ hodie idem operetur?

Quæſt. 5.

Prælato ſeni vt coadiutor detur?

Quæſt. 6.

Quæ ætas ſuſpicione careat, vt ſine periculo poſſint clerici cum fœminis habitare?

Quæſt. 7.

Vt teneatur nouerca, cui à marito vſusfructus, vel quid aliud tali conditione relictum eſt, cum priuignis iuuenibus habitare?

Quæſt. 8.

De ſenectute, quæ ab infligenda triremium, vel metalli pœna excuſat?

Quæſt.

Quæſt.9.
Vtrùm probabile ſit, imagines certa ætate miracula efficere?

Quæſt.10.
Vt Religioſi Minores poſsint in vno Conuentu vltra biennium manere?

Quæſt.11.
De ætate, qua libertus ab operarum promiſſione & ſeruitio liberatur?

Quæſt.12.
Vt quis non teneatur pro abſolutione obtinenda Apoſtolico ſe conſpectui repræſentare?

Quæſt.13.
Vt poſsit quis filios adoptionis, vel adrogationis beneficio quærere?

ANNVS SEXAGESIMVS-primus.

Quæſtio vnica.
Vt teſtis ſenex, nondum lite conteſtata, ad perpetuam rei memoriam poſsit recipi?

ANNVS SEXAGESIMVS-quintus.

Quæſt.1.
Vſquequo generandi virtus in maſculis perduret?

Quæſt.2.
Senator an poſt aliquod tempus inuitus cogi poſsit venire ad Senatum?

Quæſt.3.
Quæ ſenectus in contrahente eſſe debeat, vt ex cauſa diſparis ætatis poſsit Ordinarius in denuntiationibus matrimonialibus diſpenſare?

Quæſt.4.
Quæ ſenectus in ſponſo validam reddat donationem, aut dotis confeſsionem, etiam conſtante matrimonio in fauorem iuuenis ſponſæ factam?

ANNVS SEPTVAGE-ſimus.

Quæſt.1.
Vt infirmo ſenex æquiparetur?

Quæſt. 2.
Ad donandum ſenectutis cauſa?

Quæſt.3.
Inops debitor qua ætate vt ſenex non debet ſuo creditori addici?

Quæſt.4.
Inuitus vt quis cogi non poſsit teſtimonium dicere?

Quæſt. 5.
Cuius ætatis ſenex quæſtioni, aut torturæ nequeat ſubijci?

Quæſt.6.
An aliqua ſenectus vouentem, aut iurantem eximat ab obligatione ingrediendi religionem?

Quæſt.7.
Senex cuius ætatis eſſe debeat, vt ipſi potiùs quàm iuueni eleemoſyna largiatur?

Quæſt.8.
Senex quis eſſe debeat quoad fori electionem?

Quæſt.9.
Cuius ætatis coniux eſſe debeat, vt continens præſumatur, & vt alter ingredi religionem, vel ad ſacros ordines aſſumi poſsit, eo in ſæculo manente?

Quæſtio 10.
Quo anno ſenectus reos à carceratione eximat?

Quæſt.11.
Quæ ſenectus excuſet delictum, & pœnam minuat?

Quæſt.12.
Vt propter tutoris ſenium poſsit actor rerum pupillarium conſtitui?

Quæſt.13.
Ab honoribus vtrùm ſeptuaginta annorum, vel alia quæuis ſenectus excuſationem pariat?

Quæſt.14.
Quot annorum homines ſenectutis obtentu à muneribus ciuilibus, & perſonalibus excuſationem mereantur?

ANNVS

Syllabus Quæſtionum.

ANNVS OCTVAGESIMVS

Quæſt. 1.

Senex in qua ætate decrepitus dicatur?

Quæſt. 2.

Homines cuius ætatis obliuioſi, & immemores credantur?

Quæſt. 3.

Vt poſsint ſenes in integrum reſtitutionis auxilium promereri?

Quæſt. 4.

An decrepiti ſenes Eccleſiaſticis legibus teneantur?

Quæſt. 5.

Ne ſenex ob non petitum tutorem pupilli ſucceſsione priuetur?

Quæſt. 6.

Vt ſenex poſsit à quocumque ſimplici ſacerdote abolui à cenſuris, & caſibus reſeruatis, tanquam conſtitutus in articulo mortis.

Quæſt. 7.

Seni teſtificanti ſe aliquid vidiſſe nocturno tempore, qua ætate fides non adhibeatur?

Quæſt. 8.

Vt propter ſenium Canonico, ſeu alij Beneficiario non reſidenti quotidianæ diſtributiones debeantur?

Quæſt. 9.

Vtrùm qui graui ſenio laborant, ab ordinum ſuſceptione arceantur?

ANNVS NONAGESIMVS.

Quæſtio vnica.

Vtrùm nonagenarij, aut centenarij ſenes, qui naturaliter, & ſine infirmitate moriuntur, debeant Sacra Vnctione liniri?

ANNVS CENTESIMVS.

Quæſtio vnica.

Vita humana quæ ſit meta longiſsima?

ANNALIVM TRACTATVVM IVRIS
De ætate ad omnes humanos actus requiſita
ANNVS PRIMVS.

SVMMARIVM.

Conceptio maximè in iure conſideratur, 1. & 25.
Seruitus, libertas, & ſucceſſio, à conceptione dependent, 1.
Tempus conceptionis parum accurate à noſtris diſquiritur. 2.
Seminis infuſionem, & ipſam conceptionem noſtri confundunt, 3.
Paulo I.C. nihil ad legalis ſcientiæ perfectionem defuit, 4.
Medicorum iudicio circa conceptionis tempus ſtandum eſt, ibi.
Quamplurimi ex medicis conceptionem ſtatim poſt congreſſum perfici putant, 5. & ſeq.
Hippocrates adeo fuit medicinæ peritus, vt in ea nec falli, nec fallere poſſe crederetur, 6.
Conceptionis nomen à comprehenſione dicitur, 7.
Fœminam in balneo ex connatantis viri ſemine in aquam deciſo concepiſſe, quidā referunt, 8. Sed id fieri poſſe negant plerique, ibi.
Effluxus, & non aborſus dicitur, quando intra ſeptem dies à copula ſemen èvulua decidit, 9. 11. & 17.
Conceptio intra ſeptem dies perficitur, 10.
Effluxus ſolùm de ſemine prædicatur, 11.
Macrobij locus emendatur, 12.
Diſtinctio eſt adhibenda inter conceptionis exordium, & implementum, 13.
Conceptio ſumit initium ab ipſa ſeminum commixtione, 14.
Conceptio intra ſeptem dies poſt congreſſum perficitur, ibi.
Semen ſtatim ac in vulua recipitur ad modum pultis, vel coaguli fit, 15.
Semen in matrice ſpatio ſex dierum lactis naturam retinet, deinde in ſanguinē mutatur, 16.
Prohibitio accedendi ad vxores, quæ recenter conceperunt, intelligitur de perfectè concipientibus, 18.
Matrix, quæ poſt conceptionem clauditur, coitus ſequenti delectatione irritata aperitur, 19.
Coniuges tenebantur à concubitu abſtinere ex die quo filius in vtero motum fecerat, 20.
Vt coniuges à copula abſtineant, non quælibet conceptionis ſigna ſufficiunt, ſed manifeſta requiruntur, 21.
Signa conceptionis, etiā certiora, à fallaciſſimis mulieribus ſolent impoſturis æmulari, 22.
Cōceptio in his, quæ partus fauorem reſpiciunt, incboata ſufficit, 23.
Vſucapio partus ancillæ furtiuæ procedit, ſi illius poſſeſſor tempore copulæ bonam fidem habebat, etiamſi ante lapſum ſeptem dierum, quibus conceptio perficitur, incidat in malam fidem, 24.

QVÆSTIO I.

Conceptio qua ætate, vel quibus diebus immiſſo iam in vterum ſemine facta credatur?

CVM frequenter in iure noſtro adeò conceptioni plurimum tribuatur, vt ab ipſa, vel ſeruitus, vel libertas, aut denique ſtatus, vel ſucceſſio proueniat, *l. & ſeruorum 5. l. Imperator 18. ff. de ſtatu hominum, l. emancipatum, §. 1. de Senatoribus, l. 2. §. in auo quoque de decurionibus, l. ex facto, §. ex facto ad Trebel. l. Decitij, C. de decurionibus lib. 10. auth. de reſtitutio. & ea quæ parit, §. vnum collatio. 4. §. ſed etſi inſtitut. de ingenuis, l. 1. de bonis damnator. l. fin. de ſentent. paſſis.* Nec parum habiturā 1

mo-

momẽti noſtram inueſtigationem in ſpem eri-
gimur,ſi ad conceptionis actũ ex placitis Phi-
loſophorũ,necnon & verę noſtræ iuridicæ Phi-
loſophiæ profeſſorum tempus & ſcruramur,&
præfinimus. Ex noſtris enim, nec laborioſum
erit præſcribere nõ eo ſolũ,quod ab illis mini-
2 mè acuratè diſquiritur,verũ,quia vt Alciatus
profert *in l.quod dicimus* 23.*ff.de verb.ſignif.*
3 omnes cõceptionem ſine diſcrimine ab infuſo
ſemine appellãt. Ita Ludouic.Sardis *tractatu
de naturalibus liberis,§.de vẽtre q.3.n.2.*Quin
tilian.Mandoſ.*de ætate minori c.2.n.*1.Petr.
Rebuf.*in l.aliud eſt* 71.*ff.de verb.ſignif.*& cõ-
ciuis noſter Alphonſ.Perez de Lara *in compen
dio vitæ hominis c.*1.*n.*11.Quod Regio Hiſpa
niarum iure probari contendit *in l.4.tit.23.
part.*4.Ex quo tẽpus decẽ menſiũ à die conce-
ptionis ad puerperiũ eſſlagitat,quaſi ab imiſſo
ſemine pro cõceptione calculationẽ ordiatur.
4 Verũ cũ iuris noſtri Conſultiſſimus Paulus,
cui nihil ad legitimæ ſciẽtiæ perfectionem de-
fuit,ita hac in re Medicorũ iudicio detulerit,
vt ſeptimo mẽſe naſci perfectũ partũ propter
authoritatẽ doctiſſimi viri Hippocratis tãtùm
edixerit,*l.ſeptimo menſe* 12.*ff. de ſtat.homin.*
Rectè nos facturos ęſtimam⁹,ſi ex illius,& alio-
rũ medicæ diſciplinę prolatis,huic hæſitatio-
ni lucẽ,vel dubietati nitorẽ conciliauerimus.
5 Scio enim illorum quamplurimos à ſuperiore
pronũtiato haud nihil differre videri. Hippo-
6 crates quoque ipſe,qui tam fallere,quàm falli
neſcit,vt in ſomno Scipionis *lib.*1.*c.*6.prædi-
catur à Macrobio *lib.de genitura fol.mihi* 50.
his verbis ſuffragari demõſtrat: *Meretrices pu-
blicæ quæ ſæpiùs de ſeipſis periculũ fecerũt,vbi
cũ viris rẽ habuerint,ſciunt quando in vẽtre cõ-
cipiant,& poſteà cõceptum intra ſe perdũt,poſt-
quã autẽ iã perditũ eſt,elabitur velut caruncula,
&c.* Nihil aliud verba illa *vbi cũ viris rem ha-
buerint,ſciunt quãdo in ventre concipiant,* cuin
cere mihi perſuaſum,quàm ſtatim in ipſo con-
greſſu ſpurciſſimas fœminas conceptionẽ præ-
ſentire.Ergo à ſeminis receptione Hippocra-
tes conceptionem definit.A quo nec diſſentit
Philoſophorũ Princeps Ariſtotel.*lib.*1.*de ge-
nerat.animal.c.*20.*Conceptionem,*dũ inquit,*ap-
pello primã ex mare ac fœmina mixturã.Et de
hiſt.animal.lib.*7.*c.*3.quaſi in idẽ recidit,*Indi-
ciũ,*ait,*mulierẽ iam concepiſſe,cũ ſtatim à coitu
locus ſicceſſit,fit certè.*Cui & adſtipulari vide-
tur Solinus *in Polyhiſtoria c.*4.*fol.mihi* 27: &
Ludouic.Mercat.*de ſterilitũ & prægnant. affe-
ctib.lib.*3.*c.*6.vbi poſtquã expreſſis verbis ſupe
riori diffinitioni ſubſcripſit, illud adnectitur.
7 *Conceptionis porrò nomen à comprehẽſione dictũ
eſſe cõſtat.*Cuius nec diſſimile tradit Rebuffus
in d.l.aliud eſt 71.*de verb.ſignif.Concipere eſt,*
inquit,*ſimul capere, apprehẽdere,à cũ & capio,
vnde mulieres cõcipere dicũtur quãdo vtriuſque
genitale ſemen in vtero earum coit ad fœtũ pro-
ducendum.* Quòd tempus conceptionis obiter
innuit Martin.Delrius *diſquiſitionũ Magicarũ
lib.2.q.15.verſ.Quid igitur*,poſt quartũ argu-
mentũ illis verbis: *In cõceptione par fortè vtriuſ
que conatus*,viri nempe,& fœminæ.*poſt omnia
ſolius ſunt matris.*Et roborari illorum atteſta- 8
tione poteſt,qui fœminã in balneo ex ſemine
in aqua deciſo cõcepiſſe ſcribunt,vt Auerroes
*collecta.*2.*c.*10.Albert.Mag.*lib.de format.ho-
minis c.*2.Quãuis ab illis diſſentiant Hieron.
Mercur.*lib.*1.*de morbis mulierũ c.*2.Andreas
Laurent.*hiſtor. anatom.lib.*8.*q.*11.Martinus
Delrius *vbi ſuprà*, Franc.Torreblanca *lib.*2.
*de Magia c.*30.*n.*37.Nã ſi in balneo cõcepit,
vbi attractiua vi matricis(ſi illã tã lõgè exere-
re poteſt)ſemẽ arripuit,eodẽ tẽpore certũ eſt
cõcipi,quo & ſemen prolificũ vtero inſeritur.
Sed hæc vix tutò ſtare poſſe arbitrabitur
quiſquis eiuſdẽ Hippocratis verba *lib.de ſepti
meſtri partu in principio*,ſeduló inſpexerit.Nã
cũ de diebus decretorijs cõceptus ageret,hæc
ſubijcit: *Dies quidem igitur maximè inſignes in
plurimis ſunt primi,& ſeptimi,multũ potẽtes in
morbis,& multũ in fœtibus.Nã plurimi abor-* 9
*tus in his diebus fiunt,nominãtur tales effluxus
non abortus.*Quod & Ariſtoteli placuit *d.lib.7.
de hiſt.animal.c.*3: Ergo ſi ante ſeptimũ diẽ ſe-
men ab vulua emiſſum,aut expulſum, abortus
nomẽ minimè,ſed effluxionis meretur,ſignum
eſt ante illud tẽpus conceptũ nõ perfici,imò ſe
mẽ intra propriã naturã conſiſtens vtero inclu
ſum ſeruari, donec ſeptimo adueniente diẽ in
modũ carunculæ conceptio fiat,vt idẽ teſtatur
Hippocrates *lib.de genitura vbi ſuprà*,& Ariſt.
*d.loco.*Nã alioquin ſtatim à cõmixtione ſi fœ- 10
tus euanuiſſet,abortus, nõ effluxus nominare-
tur.Siquidẽ vt 21.*Exodi* egregiè notauit Ni- 11
col.de Lyra ſecũdum Hebræos abortiuus pro-
priè dicitur fœtus conceptus ante animationẽ
deſtructus.Tradit etiã Paul.Borgaſius *de irre-
gular.par.6.c.6.de benefic.n.*11.*fol.mihi* 268.
Effluxus verò tantumdem de ſemine prædica-
tur,vti veriſſimæ huius opinionis aſſecla Fran
ciſc.Valleſ.*d.c.*18.*Sacra Philoſophia,* teſtatur
in hũc modũ: *Hanc ob cauſam dicit Ariſtoteles,
qui intra ſeptẽ dies fiũt,nõ vocãtur abortus,ſed
effluxiones.Nã ante ſeptimũ,nec fœtus quidem,
nec embrio putatur eſſe,ſed ſemẽ.Itaque conce-
ptio certa ſeptẽ dierum eſt,& quòd immiſſum in
vterũ in certã firmãque cõceptionẽ nõ peruenit,
intra ſeptẽ dies effluit,& perit.*Ex quo vereor, 12
ne mendosè eadẽ pene ſententia in Macrobio
legatur *d.lib.*1.*de ſomno Scipionis cap.*6. ibi:
*Hoc tamen prætereundum non eſt,quia ſemen,
quod poſt iactum ſui intra horas ſeptem nõ fue-
rit in effuſionem relapſum,hæſiſſe in vitam pro-
nuntiatur.*Quaſi loco illorum verborum, *intra
horas ſeptem*,intra dies ſeptem reponi debuiſ-
ſet,vt ſic meliùs Hippocrati,& Ariſtoteli co-
hæreat, qui *lib.7.de hiſt.animal. c.*3.ferè iiſdẽ
verbis

verbis eandem ſententiam proferens, ita ſcribit: *Si in ſeptimum diem intus, hoc eſt intra vterũ permanſerit genitura, conceptum iam eſſe certum eſt.* Sed vt vt ſit, ex omnibus planũ & apertum ſuperius deductum manet, quod nouiſſimè amplectitur Torreblanca *lib.5.iuris ſpiritualis c.4.ſect.1.n.24.* ita interpretans illud *Reg. 1.c.1.verſic.20. Cognouit autem Elcana Annam vxorem ſuam, & recordatus eſt eius Dominus, & factum eſt poſt circulum dierum concepit Anna, & peperit filium.*

13 Verùm in hac opinionum conflictatione & repugnantia, vt tamen hęc ipſa diſcordia certa ratione dirimi, aut cõponi poſſit, exiſtimo, ita rem moderandam eſſe, vt diſtinguamus inter conceptionis exordium, adimplementum, vel perfectionem, ita vt verũ fateamur cõceptionem à ſeminum commixtione dumtaxat initiũ
14 ſumere, perfici verò, niſi intra ſeptimũ diẽ mi-
15 nimè poſſe. Quoniã optimè aſſeuerante *Galeno lib.4.de vſu partium c.7.* Petro Mato *lib.de ſemine fol.59.§.intercedente,* & Thom. Sanchez *lib.9.de matrim.diſp.17.n.7.* ex cõcurſu ſeminum maris & fœminæ vnum principiũ actiuum tãtùm generationis conſurgit. Nam ex quo ſemen vulua recipitur ad modum pultis, vel coaguli redigi Ariſtotel. inquit, *de gener.animal. c.4.* quò reſpexiſſe videtur *Iob c.10.verſic.10.* cùm dixit: *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti?* Etenim vt ex Plinio *lib. 7.c.15.* notat Ioan. Mariana *in notis ad dictum caput,* ſemen virile eſt inſtar coaguli, quo ſan-
16 guis muliebris in vtero concreſcit. Sicque ſpatio ſex dierum conſiſtere D. Auguſtin. fatetur *lib.83.quæſt.* in hæc verba: *Cõceptio humana ſic dicitur procedere, & perfici, vt in primis ſex diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinem, ſequentibus nouem diebus conuertitur in ſanguinem.* Quibus carmina concinunt Ray. in ſumma relata à Borgatio *tractat.de irregular.titulo de beneficijs num.14.*

Suſceptum ſemen ſex primis crede diebus
17 *Fit quaſi lac, reliquiſque nouem fit ſanguis.*

Qua ſanguinis noua forma poſteà à ſemine ſuſcepta, vt diximus conceptus à ſimultanea iam vtriuſque coniugis effuſione initium trahens abſoluitur. Quod cùm ſeptima die cõtingat, rectè Hippocrates vbi ſuprà inquit abortũ intra ſeptem dies non fieri, ſed effluxum, ac per conſequens & Valleſius probabiliter infert ſeptimum diem certam firmamque iam perfectæ conceptionis notam præſtare. Nam poſt id tẽpus in aquam immiſſum, oculorũ, oris, & pudẽdorum quandam non ineuidentem delineationem oſtendit. Et poſt hæc ſcripta ita ſentiẽtem inueni Petrum Gregor. *Syntagmatum lib.9.c.9.n.26.* & nouiſſimè Alphonſum Carrança *diſputat.de vera humani partus deſignatione cap.1.ſect.1.à num.16.cum ſequentibus.*

Ex quibus quaſi neceſſariò deducitur, prohi- 18
bitionem retrò à iure viris iniunctam accedẽdi ad vxores, quæ recentèr conceperunt, nõ ad cõceptionis initium, ſed ad perfectionẽ ſeptimo die aduenientem referẽdam eſſe, cũ ab illo tantùm tempore indubitata ſigna cõceptionis deprehendi, aut obſeruari valeãt. Quia licèt aſſerentibus Angelo, Sylueſtro, & Tabiena, quos refert Sanchez *de matrim.d.lib.9.diſp.22.n.1.* maius ſit diſcrimen abortus circa cõceptionis initium, vtendo actu coniugali, quia etſi, teſte Auicẽna, matrix poſt cõceptionem claudatur, 19
at vehementi coitus delectatione irritata aliquando aperitur, & materia nõdum coagulata effunditur, diſpergiturque. Tamẽ cũm hoc initium cõceptionis vix percipi ex indicijs poſſit; ex quo frequenter poſt ſeptimam diem cõtingere, inquit Ariſtot. *de hiſt.animal. lib.7.c.3. & 4.* & expreſſiùs Solinus *in Poly-hiſtor. d.c. 4.* de quo latè Paul. Zachias *Medico legali lib. 1.tit.3.q.1.à n.17.cum ſeqq. vbi & n.10. ex* Cagnaro *libello de mor.cauſ.part.* refert intra vigeſimũ à conceptione diem deprehendi poſſe, an mulier grauida ſit, proculdubiò, niſi poſt huiuſmodi tempus, nec pęnæ reatus, nec culpæ labes incurretur. Alioquin ſemper vir poſt cõgreſſum à debiti exactione, aut redditione, ob conceptionis metum trahi debuiſſet, cùm ex quacumque commixtione cõceptum ſuſpicari probabiliter poſſet. Quod nullus dixerit argum. eorum, quæ in ſimili cõgerit Sanchez *vbi ſuprà n.6.* Maximè cũ ſanctorum Patrum de- 20
creta, & ſanctiones contrarium indixerint. Nã Eliberitano Concilio cautum eſt, vt coniuges concubitu abſtineant à quo die filius in vtero motum fecerit vſque ad partum. Et habetur in decretis Buchardi *lib.19.c.155.* & anteã *lib. 1.c.5. Concubuiſti*, ait, *cum vxore tua, poſtquã infans motum in vtero fecerit? Si feciſti, viginti dies in pane & aqua pœniteas.* Et inferiùs *Cõcubuiſti cum vxore poſt manifeſtariam cõceptionem? decem dies in pane & aqua pœniteas.* Nihil enim adeò expreſſius à nobis excogitari potuit, vt eliceretur pœnam concumbentis poſt conceptionem illi tantùm inflictam, qui ſeptimo elapſo die, ideſt, qui poſt perfectã, & ſignis deprehenſam conceptionem, quam manifeſtariam Canones appellant, actu cõiugali vtitur.

Nec ad id quælibet ſigna ſufficere ijſdẽ authoritatibus ſuademur, ſed illa tantũ, quæ nul- 21
la tergiuerſatione cælari, aut ignorari poſſint: Vt puta infantis motus, aut ventris tumor, ex Ariſtotel. *d.lib.7.de hiſt.animal.c.3.* de quo D. Hieron. *in c.origo 32.q.4.* ibi: *Et poſtquã venter vxoris intumuerit, nõ perdãt filios.* Quo modo intelligendum D. Ambroſ. cenſeo ſuper *1.ad Corinth.7.in c.ſi cauſa 33.q.4.* & D. Iſidorum *lib.2.de ſummo bono c.39.relatum in capit.non ſolum 32.quæſt.7.* Necnon & aliorum Patrum loca;

loca, quorum Tiraquellus meminit *in l. 15. connubiali gloſ. 1. part. 15. à n. 141.* & Thom. Sanchez *de matrim. d. lib. 9. diſput. 22. num. 1.*

22 Quamuis non me lateat, hæc ſigna non ſemper infallibilia eſſe, aliquotieſque â fallaciſſimis mulieribus, deluſionibus, & impoſturis ſimulari, vt probat Maſcard. *de probat. concluſ.* 1147. Zachias *vbi ſuprà*, & nouiſſimè Alphonſus Carrança *d. c. 1. ſect. 1. n. 29.* Sed tamen expreſſiora ſunt, & quibus quaſi neceſſariò in vteri geſtatione euenturis D. Hieronymus, & cæteri patres vtuntur, cùm vix prægnans eſſe poſſit, quin iſta perpetiatur.

Sed an idem ſeruandum ſit quoties de conceptus vtilitate agitur, maior dubitatio eſt. Nã ſi quis conceptus ſit, vt ſcribit I.C. *in l. emãcipatum 7 ff. de Senator.* antequam pater eius ſenatu moueatur, natus autem poſt patris amiſſam dignitatẽ, magis eſt, vt quaſi Senatoris filius intelligatur. Tempus enim conceptionis ſpectãdum pleriſque placuit: Sed quale tẽpus? An initij, vel perfectionis ſeptima die euenientis, non procliuis & paratæ operę eſt diffinire.

23 Verùm cùm cõceptus fauor ita producatur, vt in vtero exiſtentem, in quibus ad commodum eius pertinent, pro nato habẽdum decernat, *l. qui in vtero 7. l. qui in vtero 26. ff. de ſtat. homin. l. vel ſi viuo 7. de ſuis & legitim. hæred. l. 3, tit. 23. part. 4.* Quod latè nimis & eleganti oratione nouiſſimè affirmat Alphonſ. Carranç. *d. diſput. c. 2. §. 4. per tot.* vbi nec ita graui fictione opus eſt. Quid ni conceptus fauor efficiet, vt dum formari ſeminum cõmixtione cœpit, tãquam perfectè conceptus, quoad vtilitatẽ ſtatus, dignitatis, vel alterius rei ſpectat, à iure credatur? Sic enim noſtrorum abſolutam diffinitionem ſuperius traditam coercendam, aut interpretandam reor, vt cùm ab illis cõceptus â ſemine infuſo decernitur, eo caſu tantundem locum habeat, quo de ipſius commodo iurium reſeruatione, aut vtilitate diſcutitur, ex ratione â nobis nuper aſſignata.

24 Quod & ſimiliter locũ ſortietur vbicumque de vſucapiendo partu ancillæ furtiuæ, vel alterius animalis furto ſubtracti contenditur, *l. ſi aliena, §. Scæuola, ff. de vſucap. l. qui vas, § ſi ancilla, ff. de furtis,* de quarum intellectu diffuſe ſcripſerũt Ioan. Robert. *ſentent. receptar. c. 6.* *Donellus lib. 5. Commẽtarior. c. 26.* Cuiac. *lib. 15. obſeruatio. c. 20.* & latiſſimè Benedict. Pinel. *ſelect. lib. 2. c. 1.* Nicol. de Paſeribus *in cõciliatione ll. fol.* 475. ſufficit enim apud bonę fidei poſſeſſorem cõceptum inchoatũ, etſi nondũ ſeptimo adueniente die perfectionem aſciuiſſe cõſtiterit. Siquidẽ vt in vſucapionibus de iure ciuili ſat eſt bonam fidẽ, intemeratamque conſcientiã primo tẽporis momẽto adfuiſſe: quãuis ex poſtfacto, vel morſus, vel indubitata rei alienæ ſcientia ſuperuenerit, *l. vnic. C. de tranſformat. vſucapio. l. iuſto 44. §. 1. de vſucapio. l. 2. ff. pro empt. l. bonæ fidei 48. §. per contra. ff. de acquirẽd. rer. domin. princip. inſtit. de vſucap.* Et hîc quoque dicendũ eſſe videtur, vt is intelligatur bonæ fidei ad partus furtiuæ ancillæ vſucapionẽ, qui iuſtum initiũ habuit, ideſt, qui ſaltim primo cõceptionis inſtanti, ſyncero animo, & recta fide ventrem poſſidebat. Et tandẽ quamplures ſunt in iure cauſæ, quibus præciſo tempus conceptionis attendi debet, quas perluſtret obſecro, quiſquis parum proficuam in iure noſtro verſantibus huiuſce diſputationem futuram perperam fuerit arbitratus: illas enim diligenter congeſſit Alphonſ. Carrança *d. diſputatione de part. cap. 1. ſect. 2.*

SVMMARIVM.

Efformatio & animatio quo tempore eueniat, non ſatis apud noſtros, nec apud Medicos conſtat 1.

Auctor libri de carnibus nõ fuit Hippocrates 2.

Septem primis diebus fœtum organizari nonnulli putant, 3.

Quatuor temporibus hominis formationem Lud. Mercatus diſtinguit, 4.

Efformationis alia quatuor tempora præſcribit Bonauentura 5.

Petri Gregorij ſententia refertur, 6.

Ante ſeptimum, vel octauum mẽſem partum minimè formari, putant aliqui, 7.

Duplicẽ eſſe formationem ſentit Alphonſ. Carranc. 8.

Sentẽtia Carrancæ verior aliquibus oſtẽditur, 9.

Animatio duplex in fœtu reperitur, 10.

Fœtus initio viuit vitam ſtirpis, 11.

L. 1. §. ſi quis proximior, ff. vnde cognati, explicatur, 12.

Animal aliquid ſit, 13.

Conceptus ante animationem ſpe animal intelligitur, 14.

Fœtus iam perfectè articulatus viuit, vt homo anima rationali inſtructus, 15.

Anima & corpus homo vocatur, 16.

Conceptus anima præditus homo, ſed impropriè appellatur, 17.

Homicida eſt, qui fœtum animatum occidit, 18.

Infans vtero matris interfectus in odium Fidei, martyr dicitur, 19.

Homo propriè intelligitur, qui perfectè eſt in lucem productus, 20.

D. Alphonſ. Narbona, Auctoris frater defenditur ab iniuſta impugnatione Carrancæ, 21.

Partus in lucem editus verus homo, & quià diſtinctum eſt à matre, 22.

Partus, qui materno lacte indiget, pars matris cenſetur, 23.

Partus dũ eſt in vtero, acceſſio, & portio matris reputatur, 24.

Lac nihil aliud eſt, quàm ſanguis dealbatus, 25.

Fir

Vir tenetur à concubitu abſtinere à tempore cōceptionis, vſque ad finitam ablactationem, & quare 26.

L. cùm pater 77. §. pater filiæ, ff. de legat. 2. explicatur 27.

Filius dum puer eſt, & à patre non ſeparatur, pars ipſius patris cenſetur 28.

L. legatis 65. §. fin. & l. ſeruis 81. in fine, ff. de legat. 3. exponitur 29.

Agni vocantur ouium fœtus, etiam non lactentes 30.

L. 3. ff. de peculio legato nouiter explicatur 32.

Agni ferè ad quatuor menſes à mamma diſiunguntur 31.

L. ſi quis aliquid 38. §. qui abortionis, ff. de pœnis intelligitur 33.

Abortum faciens homicidij pœna tenetur 34.

Contrarium verius 35.

Animationis tempus quale ſit, certò affirmari nequit 36.

Animam infundi maſculo quadrageſimo die, & nonageſimo fœminæ, communis eſt opinio 37.

Pariens maſculum, quadraginta diebus immunda cenſebatur, fœminam verò pariens octuaginta 38. & 39.

Formatio, vel animatio celerior, viri à calore prouenit, tardior verò mulieris à frigiditate 40.

Animationem tam maſculi, quàm fœminæ, quidam indiſtinctè quadrageſimo die cōſtituunt, ſed malè 41.

Menſis primus vteri, ſiue conceptus, Saturno tribuitur 41. ſecundus Ioui 42.

Puerum in templo quare Dominus quadrageſimo die offerri præciperet 43.

Chriſti corpus non quadrageſimo die, vt cæteri homines, ſed momento ipſo conceptionis efformatum, & animatum extitit 44.

Beata Virgo ſuo primo conceptionis inſtanti, vt Chriſtus, fuit perfectè articulata.

QVÆSTIO II.

Fœtui quibus diebus & efformatio, & animatio contingat?

POſtquàm igitur præcedēti diſquiſitione ediximus, quo die immiſſo iam in vterum ſemine conceptio perficiatur, conſectarium eſt, & hac diſcutere, cuius temporis ſpatio fœtus perfectio & animatio, quæ ipſius conceptioni ſucceſſiuæ ſunt, eueniant. Et vt res faciliùs percipiatur, ne efformationis, viuificique ſpiraculi ſufflationis promiſcua tractatio implicitum ſermonem, & confuſaneum reddant, cōuenientiſſimum erit ita diſputationē digerere, vt priùs de formatione cōceptus, poſteriuſque de illius animę receptione inquiramus.

1 Ergo vt ordinem conſectemur, mirum eſt, quantùm in præfiniendo dierum curriculo, quo poſt cōceptionem fœtus organicè corporatur, diſſenſerint tā noſtri, quàm medicæ diſciplinæ
magiſtri. Quidam enim, vt ſunt Auctor libri de 2
carnibus (is nō fuit Hippocratis, vt falſo, licèt communiter exiſtimatur, teſtante Horatio Auge. *lib. 1. de hominis partu capit. 8.* & Alphonſo Carrança *de vera humani partus & legitimi deſignatione c. 1. §. 1. n. 1.*) & Valleſius *lib. 2. controu. c. 10.* Ferdin. Mena *lib. de ſeptimeſtri partu ſuper text. 14.* & ei adhærens Petrus Garcia
in Auicen. diſput. 38. c. 2. n. 12. protulerunt. Primis ſeptē diebus, quibus ſemen vel genitura in 3
vterū peruenit, habere quæcumque corpus habere debet: idque experientia cuiuſdā meretricis compertum eſſe primus teſtatur. A qua ſententia diſcrepat Hippocrates *lib. 1. de natura pueri*, vbi fœmellā quadraginta & duobus diebus, marem verò triginta, primam articulationem recipere ſcribit.

Aliter enim Ludouic. Mercad. *lib. 3. de mulier. affect. c. 6.* hac in re iudicium ſuum interpoſuit, & non niſi quatuor temporibus perfectam formationem accidere multis contendit. Quæ omnia cùm ab ipſo rurſus *lib. 4. eiuſdē operis c. 1.* elegantibus verbis in compendium redigantur, his vti lubet: *Dictū eſt* (inquit) *præcedenti libro, quatuor temporibus partitā eſſe vniuerſam formandi fœtum perfectionem: quorum primum ſeptem dierum ſpatio circumſcribitur, geniturā appellatam effingens: ſecundum carnis & oſſeæ ſubſtantiæ molem præparans eſſe conſtat, licèt integram delineationem ante triginta dies non adipiſcatur: tertium quidē principia viuentis effingit, ac efformat: quartū verò, & vltimū perfectionē omniū mēbrorum præmiſſa delineatione præſtat, præſtaturum deinceps infantis rationē.* 4

Cuius etiam quadruplicis efformationis diuerſa tempora conſtituit Federic. Bonau. *lib. 3. de octomeſtri partu c. 92.* Primamque, qua rudis tantum congeries repræſentatur, ſeptimo à cōceptionis die terminari ſentit. Hancque eſſe arbitratur, cuius meminerunt Hippocrates *lib. de principijs*, & Ariſtotel. *2. de generat. animal. c. 4.* vbi eam circumſcriptionem nominat. Secūdam verò articulationem eam conſtituit prædictus auctor, quam Hippocrates firmā efformationem, ſeu coagulationem vocat *lib. de natur. pueri* in fœmellis quadrageſimo ſecundo die, & in maſculis trigeſimo ſuperueniēte. Tertiam ſimiliter efformationem præfigit, quā deſignat idem Hippocrates *lib. 1. de dieta*, his verbis: *Non autem inæquali temporis ſpatio omnes fœtus exornantur, ſed alij citiùs, alij tardiùs, prout ſinguli, & ignem & alimētum fuerint nacti. Aliqui itaque in quadraginta & tribus diebus ſcaturiunt, ac formātur. Alij in quatuor mēſibus.* Et quartam tandem affirmat eſſe perfectionem ſeptimo menſe, & reliquis ad naſcen- 5

 dum

dum aptis prouenientem, ex Ariſtot. *lib.7.de hiſtor.animal.c.3.* ideſt eam, quæ omnibus mẽbris, & partibus cõſtantem fœtum demonſtrat.

6 Ex noſtris verò Petrus Gregorius *lib.36. Syntag. c.15.num.18.* Helophili auctoritate, *libro de nutricatu dietave*, quinque & triginta ſoles partum formare, ſeptuaginta mouere, decem & ducenta perficere ſcribit, vbi & aliorum opiniones recenſet. Qui quinto & quadrageſimo die, & quinquageſimo fœtum perfici obteſtantur.

7 In aliam ſentẽtiam recidens Ioſephus Maſcardus *tom.3 de probat. concl.1146. num.18.* *duce* Ariſtotele *lib 7.de natura animal. cap.4.* concludit, partum ante ſeptimum menſem nõ organizari, nec articulari. Quẽ defendere nititur Zachia *in ſuis Medico-legalib.tit.2.q.2. num.46* cui nec abſimile videtur quod tradit Anton. Theſaur. *deciſ. Pedemontan.12.num.5. in fine. & principio num.7.* videlicet partum ex Hippocratis ſententia, à qua I.C. noſtri in huiuſmodi quæſtionibus non diſcedunt, vt in *l. ſeptimo menſe de ſtatu homin.* non ante verè formatum eſſe, quàm poſt octauum menſem.

8 A quibus omnibus optimis rationibus diſſentiens Alphonſus Carrança *dict.cap.1.§.1. num. 11.* duplicem eſſe formationem exiſtimat, vna, quæ propriè formatio dicitur, quæ ſimul atque conceptio ſeptimo die perfecta agnoſcitur, vt ſuprà oſtendimus, contingit; diciturque formatio embrionis. Alia verò, quæ efformationis nomen obtinens, omnimodam articulationem, & organizationem receptioni animæ rationalis neceſſariam ſubminiſtrat, quæ cùm ſimultanea, & contemporanea animæ infuſioni habeatur, eodem tempore, quo poſteà animã conceptui infundi iudicauimus, terminatur: & hominis formatio appellatur.

9 Quam opinionem licèt nullius authoritate roboratam veram credat Carrança, tamẽ Diui Hieronymi teſtimonio *in cap.naſci 56.diſt. & in cap.ſicut 32.quæſt.2.* & veriorem, & omnimodò ſequendam puto. Priori enim loco abſque vlla tergiverſatione prædicta ſententia diſertiſſimis illis verbis exprimitur: *Sic genus humanum recipit terra (ideſt vulva) quod ſuum eſt, & receptum confouet, & confotum corporat, corporatum in membra diſtinguit.* Clariùs vtique illa duplex formatio oſtendi minimè potuit. Quid igitur aliud eſt, ſemen in vulua receptum & confotum corporare, niſi rudem illam molem, quam Philoſophi embrionem vocant, efficere? Et corporatum conceptum poſteà in membra diſtinguere, quid aliud ſignificat præter efformationem illam perfectam, & diſtinctam membrorum organizationem? cui ſucceſſiuam, & concurrentem eſſe rationalis animæ infuſionem poſt ea verba Hieronymus ita conteſtatur: *Et inter illas ſacri ventris anguſtias Dei manus ſemper operatur, idemque corporis creator, & animæ eſt.* Nec obſcuriùs hoc ex ſecundo eiuſdem Sanctiſſimi Doctoris ſuffragio *in dicto cap.ſicut* deprehenditur. Nam ex quo ſemina in vtero paulatim formari ſentit, donec elementa confecta ſuas imagines membraque ſuſcipiãt, duplicem formationem ſupponit. Primam craſſæ illius, & indigeſtę caruncułæ, quæ paululùm indies efformatur, donec ad vltimam articulationem, quæ ſecunda formatio eſt, animæ rationalis infuſioni requiſitam, peruenit. Quam tunc euenire, cùm ſic diſcretum, & exornatum corpus extat, inde probatur. Quod tunc eſſe homicidiũ ait, ſi ita articulatum quis partum excutiat. Nã vt ſuprà diximus, hæc hominis formatio nuncupatur.

Supereſt etenim, vt de tempore animationis, cuius altercationem in hanc ſecundam partem fuimus polliciti, neceſſarium ſermonẽ inſtituamus, ſiquidem eo præfixo conſequenter apparebit, quo dierum numero efformatio illa accidat, quam animę rationalis infuſioni contemporaneam fecimus. Et vt recto initio progrediamur, præſciendum eſt, in fœtu du- 10
plicem animationem reperiri, vnã quæ ad rudem illam primam, & imperfectam formationem pertinet: alterã verò, quæ ad ſecundam eã, & perfectam hominis efformationem reſpicit. Primo enim modo fœtus viuit vitam plantæ, vt comprobatur ex Ariſtot. *lib.2.de gener.ani-* 11
mal.cap.3. ibi: *Principio hæc omnia vita ſtirpis viuere videntur.* Quod repetit *lib.5. de generat.animal.cap.1.* cui ſubſcribit Galen. *lib.1. de ſemine, cap.9. & lib.de format. fœtus, cap. 3.* conſentit D. Thomas *lib.2.cõtra gent.cap. 89.* & alijs locis â Carrança *relatis dict.capit. 1.§.2.num.2.* vbi ſucceſſiuè *num.3.* obſeruat quod ſupra relati docuerunt, cõceptum initio viuere vitam ſtirpis, non ita ſubaudiendum eſſe, vt eadem homo tunc temporis viuat vita, qua planta, ſed inſtar plantæ, vt putà ad naſcẽdum alimentum ſibi deſumens, & ad vltimam tendens perfectionem, ex ſententia Ariſtotelis *lib.3.de gener.animal.cap.2.* quam confirmat Petrus Garcia *in Auicen.diſput.38. c.2.n.12.*

De qua priori animatione, qua conceptio- 12
nis tempore homines communiter cum plantis informantur, accipiendum eſſe rectè admonet Carrança *dict.loco num.9.* Vlpiani locum *in l.1.§.ſi quis proximior, ff.vnde cognati,* vbi cùm ſtatuiſſet Cõſultus, proximiorem cognatum, qui naſci ſperatur, obſtare quominus ſequenti bonorũ poſſeſſio, ex capite vnde cognati deferatur, hęc ſubijcit: *Sed hoc ita demum erit accipiendum, ſi hic qui in vtero eſſe dicitur, viuo eo, de cuius bonorum poſſeſſione agitur, fuit cõceptus. Nam ſi poſt mortem, nec obſtabit alijs, nec ipſe admittetur, quia non fuit proximus cognatus ei, quo viuo, nondum animax* (vel *animal*

mal ſecundùm vulgarem ſcripturam) *fuerit*. Animax enim cõceptus hic ab Vlpiano intelligitur, nõ quidem ille, qui rationali anima præditus, adhuc in vulna retinetur, ſed qui ea deſtitutus ſtirpis tantùm vita fruitur. Quamuis hac, vel alia ſignificatione nuſquam, aut in iu-
12 re, aut in his, qui de recto Latinitatis vſu ſcripſerunt, verbum hoc reperiſſe meminerim.

13 Verùm huic interpretationi ſummoperè obſiſtit communis Pandectarum ſcriptura: quæ, vt dixi, *animal* reponit, qua lectione recepta, vix ſupradictæ expoſitioni locus patere poteſt, cùm animal ex Philoſophorum definitione, ſit ſubſtantia animata ſenſibilis, & ſecundùm noſtrorum placitum, quod motu præditum ſe ipſum mouet, *l. mouentium 93. de verbor. ſignificat.* Quare hæc Vlpiani verba nequaquam de eo conceptu intelligi poſſe videntur, qui rationali anima deſtitutus vitam agit inſtar plãtæ, cùm iſta animatio nec ſit ſenſibilis, nec fœtum mouere poſſit, vt neceſſariò requiritur ad hoc, quòd animal appelletur.

14 Sed hoc dubium vel ex eo ſolùm diſſolui poteſt, quod excogitauit Ludouicus Chatondas *in notis ad dictum Vlpiani locum*. Nempe ſimul atque ſemen genitale aptum ad hominem generandum in vtero datum eſt, conceptum, animal ſpe intelligi: tamen ſi quadrageſimus dies non prætericrit, nec animal ipſum, ideſt, homo in vtero abſolutum ſit, ex ſententia Gelij *lib. 3. cap.* 10. quod parum ab eo diſtat, quod ſcripſit Galenus *eo libro, cui titulus, vtrùm cõceptum ſit in vtero animal*, vbi fœtum potentia tantùm eſſe animal affirmat.

15 Secundo enim modo fœtus ſimulatque organicus, & coarticulatus cognoſcitur, viuit vt homo anima rationali inſtructus. Hæc eſt verior, & ab omnibus melioris notæ ſcriptoribus receptior opinio, quæ citra Hieronymi *authoritatem in dicto cap. naſci* 56. *diſtinct.* & *in cap. ſicut* 32. *quæſt.* 2. expreſſo Auguſtini teſtimonio fulcitur in *cap. Moyſes* 32. *quæſt.* 2. probant D. Thomas *dict. lib.* 2. *contra gentes, cap.* 89. Henricus de Ganda *quotl.* 15. *quæſt.* 13. Paul. de Caſtr. *in l. cùm quidam* 30. *§. ſuam hæredem, num.* 2. *de acquirend. hæred.* Leonatd. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. & iure, cap.* 9. *dubio* 10. *num.* 65. Petrus Gregorius *dict. lib.* 3. *Syntag. cap.* 15. *num.* 18. Paul. Borgaſ. *de irregularitate part.* 6. *titulo de veneficijs num.* 14. & ex medicis quamplurimi, quos ſimul recenſet Carrança iam relato loco *num.* 13. vbi & numeris ſequentibus multis hanc ſententiam comprobat, à quibus libenter abſtineo. Ne quod ab ipſo ſnmmo labore ſcriptum eſt, ex ſcriptoris tantùm munere in proprios vſus conuertam.

Quæ vtique traditio cùm indubitata ſit, enetuari tamen ex eo non videtur, quòd ſi perfectam corporis delineationem rationalis anima ſimultaneè ſubſequeretur neceſſariò, ita animatus fœtus quamuis latens in aluo matris homo eſſet: & ita cognominaretur, ſiqui- 16
dem Magiſtro Platone *in Cratylo*, animam & corpus hominem vocamus, *cap. in quadam de celebratione miſſarum*, quod apertiſſimis verbis diffitetur Papinia. *in l. in Falcidia* 9. *ff. ad leg. Falcidiã*, hac ſerie, *quia partus nondum editus homo non rectè fuiſſe dicitur*. Nam reſpon- 17
detur, conceptum anima præditum hominem, ſed quidem impropriè appellari, ex quo anima & corpore, quamuis minùs perfecto, compaginatur. Sic enim ſentire videtur Tertullia.
Apolog. c. 9. *Nobis verò*, inquiens, *homicidio ſe-* 18
mel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in homine delibatur, diſſoluere non licet, homicidij feſtinatio eſt probibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus.
Quo ſenſu infantem occiſum in vtero matris 19
in odium Chriſti, & Fidei eſſe verè martyrem ſcripſit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 124. *artic.* 1. & ſentiunt cum eo cæteri Theologi *in* 4. *diſt.* 4. Itaque ſubaudiri debet, quod tradit Perez de Lara *in compẽdio vitæ homin. cap.* 1. *num.* 1. vbi ab exiſtentia in vtero matris hominem appellat: At verò ſi ipſiſſimam hominis ſignificatio- 20
nem ſequi velimus, homo rectè ille tantùm dicetur, qni perfecta, & iam in lucem producta corporali ſtructura pollet. Quæ Conſulti mens eſt *in dict. l. in Falcidia, & in l.* 2. *ff. de mor. inferen.* & illuſtratur Iuſtiniani authoritate *in l. cùm inter* 14. *C. de fideicommiſ. libert.* ibi: *Qui adhuc in ventre portaretur, & homo fieri ſperaretur*, naſcendo vtique: idque apertiſſimè probat Minutius: *Sunt quæ in ipſis viſceribus*, ſcribit, *medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciunt antequàm pariant.* Quibus & aſſentitur Decius *conſil.* 535. *num.* 2. Signorolus *conſ.* 1. *num.* 12. eo Sacræ Scripturæ confirmans: *Conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus eſt*, vbi non anteà Chriſtum hominem fuiſſe teſtatur, quàm ex ſacratiſſimo matris ſuæ aluo fuerit natus, cui & adſtipulatur Quintil. Mand. *de ætate minori capit.* 1. *num.* 2. necnon & Theſaurus *deciſ. Pedemontan.* 12. *num.* 4. & *ſequentibus*, Proſperus Farinac. *tom.* 4. *prax. criminal. quæſt.* 122. *num.* 135. Quo ſenſu accipiendi ſunt Bart. Bald. Ioan. Annania, Barba. Philip. Decius, & alij aſſerentes, vterum, etiam animatum, hominem non eſſe. Quorum omnium meminit doctiſſimus Tiraquel. *in l. ſi vnquam verbo ſuſceperit liberos num.* 148. *C. de reuoc. donat.*

Quo loco non poſſum non (etiam ſecluſo 21
affectu) doctiſſimum fratrem D. Ildephonſum de Narbona *in Commentarijs ad* 3. *part. Nouæ Recopilat. lib.* 6. *tit.* 10. *l.* 9. *gloſſ.* 7. *num.* 7. & *ſe-*

ſequentibus, ab iniuſta Carrancæ impugnatione tueri, qui dictæ diſputationis de vera humani partus deſignatione, *cap. 2. in principio, n. 27. & 28.* receptiſſimam illam pene omnium ſententiam, cuius meritò & frater noſter aſſecla eſt, videlicet quòd vbi quis ſimpliciter vẽdidit ancillam, vacam, equam, vel ouem, in ſequelam venditus etiam videtur infans, ſeruulus, vitulus, pullus equinus, vel agnus, qui maternis vberibus lactabatur, falſitatis nititur arguere: idque ea dumtaxat ratione, cuius ſuprà
22 meminimus. Quia vtique partus poſtquam in lucem productus, vt verus homo, & quid diſtinctum, & diuerſum à matre conſiſtit, veluti priùs à Stephano Forcatulo *in Auiario iuris cap. 6. num. 6.* & poſtmodum eo non relato, ab
23 ipſo *dicto loco* ſufficienter adſtruitur. Nam licèt huiuſmodi doctrina abſolutè prolata veriſſima ſit, deficit tamen quoties partus adeò recens eſt, vt adhuc non aliter atque cùm viſceribus concludebatur, materno ſanguine ad vitæ ſuſtentationem indigeat, ideſt, vt nullo modo refici, quàm materno lacte poſſit. Quemadmodum appoſitè nimis ſcripſit Petrus Rebuf. *in l. partum 26. verſic. Nonò videndum in fine, de verbor. ſignificat.* alijſque cum fratre noſtro relatis nouiſſimè Hermoſilla *in additio. ad gloſ. 1. l. 30. part. 5. num. 7.* & ſuadetur naturali ratione. Nam ſi partus dum in vtero matris
24 ſanguine alitur, teſte Gelio *noct. Att. lib. 12. c. 1.* velut acceſſio, & pars genitricis habetur, *l. 1. §. ex hoc reſcripto, ff. de inſpic. vent.* Cũ enim eodem ſanguine, ſiue lacte, quod nihil aliud eſt
25 quàm ſanguis mutatus, & dealbatus ex ſententia Ariſtotelis *4. de generat. animal. cap. 8. & 3. de hiſtor. cap. 20.* cui ſubſcribit Ludouicus Mercad. *de puerperarum & nutricum affectionibus cap. 16.* & ex Iuriſconſultis Marcel. Fortun. *part. 2. de verit. & error. n. 37.* ſuadeturque ex eo, quòd toto tempore conceptus, & lactationis menſtruæ purgationes mulieribus ceſſant, certiſſimo argumento inquit Alexand. Maſſar. *in pract. medic. lib. 4. cap. 5. folio mihi 540.* fœtum, & in vtero, & extra vterum illis nutriri, cui conſentit Valleſius *in Sacra Philoſophia capit. 83. circa finem*, idque non diffitetur ipſe Carrança *cap. 13. num. 15.* Quid ni, quaſi vna eademque res cum matre cenſendus
26 erit? Hac fortè de cauſa D. Auguſtinus *in capite ad eius, diſtinct. 5.* vxorum congreſſu viros vti prohibuit à conceptionis initio, vſque ad ipſius concepti finitam ablactationem, quaſi adhuc cum maternis vberibus nutritur partus, velut
27 in vtero exiſtens credatur. Hinc Papinianus *in l. cùm pater 77. §. pater filiæ, ff. de legat. 2.* donata ancilla inquit, & partum donatum intelligi, non abſimiliter, vt ibidem ratiocinatur Cuiacius, atque cùm ancilla precario rogatur, id etiam agitur, vt partus ſit precario, ſi quem ediderit, *l. quamuis 10. ff. de precario*, nam quemadmodum quandiu filius eſt paruus, nec ſeparatus à patre, pars ipſius eſt patris, vt Ariſtoteles inquit *lib. 5. Moralium Nicomachiorum cap. 6.* ibi: *Poſſeſſio autem & liberi quoad tantuli fuerint, & non ſeparati, quaſi quædam vniuſcuiuſque ſunt, &c.* & expreſſiùs *lib. 1.* 28
magnorum moralium cap. 31. illis verbis: *Nam quemadmodum membrum patris eſt filius, niſi iam virilem induerit ætatem, qua ab ipſo ſeparetur, &c.* Ex quibus ita docet Petrus Gregor. *lib. 11. Syntag. iuris cap. 8. num. 6.* ita ſimiliter dum ab vberibus depulſus filius non extat, vna eademque res cum ipſa matre cenſendus erit.

Cui reſolutioni parum officere videntur iura, quibus Forcatulo adhærens, licèt ipſius nomine ſuppreſſo, vt propriam ſingularem iſtam ſententiam fulcire contendit Alphonſus Car- 29
rança. exigui enim momenti ſunt *text. in l. legatis 65. §. final. & text. in l. ſeruis 81. etiam poſterioribus verbis, ff. de legat. 3.* priori loco adducti, vbi ouibus legatis agni nequaquam legati intelliguntur. Quemadmodum & his etiam venditis, idem accidere demonſtrat Varro *lib. 2 de re ruſtic. cap. 2.* Quia vt optimè interpretatur Antonius Gomez *tom. 2. cap. 2. num. 14. ad calcem*, Rebuf. *in dict. l. boues, verſ. Vtilitas huius legis, ff de verbor. ſignificat.* Bertachin. *de gabellis 8. part. princip. membro 1. num. 4. verſic. Et ſcias*, & nouiſſimè Oterus *de iure paſcendi 1. tom. cap. 25. num. 19.* ea Conſultorum & Varronis etiam ſententia ſubaudiri debet, non quidẽ vbi agni lactentes erant, ſed caſu quo ab vberibus iam depulſi propria induſtria victum quærebant, quibus & agnorum nomen conuenire, nec ex eo ſolùm deducitur, quod tradit Columella *lib. 7. cap. 3.* ve- 30
rum & ex Alpheni ſententia *in l. cùm quæreretur 60. in principio, ff. de legat. 3.* iuncta Varronis auctoritate *lib. 2. de re ruſtica cap. 1.* Nam cùm Alphenus profiteatur agnos eos omnes intelligi, qui minores anniculis ſunt, expreſſe fatetur, non ſolùm lactentes, verùm & qui paſcuntur, tali nomine appellari, ſiquidem, vt inquit Varro loco proximè relato, ferè ad qua- 31
tuor menſes à mamma diſiunguntur agni: ergo rectè dictis legibus hæc Gomeſij interpretatio conuenit.

Nec magis obſtrigilatur *l. 3. ff. de pecul.* 32
legat. cuius ſerie cõtinetur, quòd defuncta ancilla, quæ ſimul cum natis fuerat legata, liberi ad legatarium ea ratione ſpectant, quia duplex fuit legatum, vnum ancillę, & alterum liberorum. cuius ſimile habetur *in l. ancillæ 62. & in l. ſi ancillas 63. ff. de legatis 1.* Quia licèt ferè eodem modo, quo & ſuperiores explicari poſſe videantur, vt ſcilicet tunc dumtaxat locum habere poſſint, cùm partus, aut nati ea inueniũtur ætate, vt alio potiùs cibo, quàm materno

lacte

lacte nutriantur. Quo caſu cùm explorati ſit iuris eos omnino diuerſos à matribus reputari,ſi contingat,& ipſorum ſimul, & matrum legatum fuiſſe relictum,non vnum , ſed duplex cēſebitur legatum.Siquidem ea eſt legatorum natura, vt quoties nominatim plures res diſtinctæ,vt ſunt ancillæ,& liberi eius non lactētes,in legato exprimuntur,plura legata ſunt, *l. quoties* 2.*de legat*.2.Verumtamē cùm eiuſmodi expoſitioni aliquantulum obſiſtat Celſus *in d.l.ſi ancillas* 63.*de legat*.3. vbi cùm ancillas omnes , & quod ex his natum erit , ac conſequenter recentes,& vbera ſugentes fœtus teſtator legaſſet,reprobata Seruij ſententia exiſtimantis vna ex ancillis mortua eius partum non deberi,quia acceſſionis loco fuit relictus, contrarium verius pronūtiatur. Idcircò omiſſa Petri PeKij interpretatione *in cap.acceſſorium,n.6 in reſponſione ad* 5.*de regulis iuris lib.6*.dicendum arbitror voluntatem defuncti dictis locis in cauſa fuiſſe, vt duplex legatum intelligeretur. Nam ex quo ancillas,ſimul cum natis nominatim legauit,non vnum , ſed duo eſſe legata ea propter voluit,vt ſi forte ancillæ omnes, vel ex his aliqua deceſſiſſet,partus deberentur.Quod minimè dicendum foret, ſi non diſtinctè,ſed acceſſoriè fuiſſent legati. Cū deficiente principali legato , & acceſſorium etiam deficeret operæpretium erat, *l*.1.*&* 2. *de peculio legato*. Quod euidentiſſimè colligitur ex Celſi ratione,*qua in dict.l.ſi ancillas* Seruij opinionem reijcit,ibi: *Quod falſum puto; & nec verbis,nec voluntati defuncti accommodata hæc ſententia eſt*. Ergo rectè diximus Celſi,necnon & ſimile Pauli reſponſum *in d.l.*3. à verbis , & teſtantis voluntate fuiſſe deſumptum non vtique ab ipſa rei natura.

33 Cæterū, vt quo digreſſi ſumus, reuertamur, ſuperiori propoſitæ reſolutioni minimè refragatur Iulij Pauli reſponſum *in l.ſi quis aliquid* 38. §.*qui abortionis* , *ff.de pœnis*, ex quo probare nititur Alphonſ.Carranç. *dict.cap*.1.§.2. *num*.21.fœtum efformatum, & animatum hominem appellari.Nam prætérquàm quòd ſi id ex ea expreſſe conſtaret,dictis nequaquam aduerſaretur , cùm impropriè ibi fuiſſe Paulum locutum interpretari deberet.Tamē alia eiuſdem expoſitione neglecta *cap*.16.§.*vnic.num*. 17.verius eſt Conſultum *in d*.§.de illius punitione egiſſe, qui abortionis, aut amatorij poculi propinatione mulierem,aut amatorij preſtatione hominem illud aſſumentem interfecit , vt pene iiſdem verbis explicaſſe videtur Martianus *in l.eiuſdem* 3.*verſic. Sed ex Senatus Conſulto, ff. ad leg.Cornel. de ſicar*. & ita accepiſſe inuenio quamplures à Farinacio relatos *tom.4.prax. criminal. quæſt*. 102. *num*. 94. Alioquin inepta fuiſſet Iulij Pauli illa expreſſio,*Quòd ſi eo mulier,aut homo perierit*.Nā ſi non de perſonis accipientium, ſed de abiecto partu diſcuteret: quid enim intererat , an abortiuus homo,vel mulier fuiſſet?ſat erat,imò eleganrius & clarius,*Quòd ſi eo*,dicere, *conceptus,aut partus interierit,ſummo ſupplitio afficerentur*.

Minuſque negotij faceſſit vulgatum illud 34
iuris axioma : nempe abortum facientem , vt hominis interfectorem pœna capitis teneri, *cap.ſi aliquis* 5.*de homicidio*,ex quo ita docent *Deciſio Pedemontana* 60. *num*.1. Farinac. plures referens *dict.quæſt*.102.*num*.92.Menoch. *de arbitr.caſu* 357.Damauderius *in praxi criminali cap*.74.*num*.9.Petrus Plaça *de delictis cap*.20.*num*.5.*& cap*.26.*num*.8. Quintilian. Mandoſ.*de ætate minori dict.cap*.1.*num*.2.Petrus Cenedus *multis congeſtis collectanea* 32. *ad Decretales*,Philip.Matth. *in l.ſi quis prægnantem* 187.*à num*.10. *cum ſequentibus*. Nā 35
licèt contraria ſententia frequentiori calculo, vt verior approbetur,veluti ex his ſatis conſtare poteſt,quæ lato calamo ſcripſit Theſaurus *dict.deciſ*.20.& Farinacius vbi proximè *n*. 135. Nihilominus dici poteſt, ea ratione homicidij pœna affici , qui revera hominem interfecit,qui nondum perfectum hominem occidit.

Quo autem tempore à conceptu fœtui hæc vltima & perfecta animatio contingat , non ſatis apud Scriptores conuenit, nec vna omnium ſententia eſt.Diſſidere videntur Medici à Medicis,Philoſophi à Philoſophis, necnon & à Theologis , & Iuriſperitis , Iuriſperiti & Theologi , vt ex his quæ congeſſit Carrança *ſuperiori loco*,§.2 *num*.24.*cum ſequentibus*, & Auguſtin. Barboſa *in votis deciſiuis lib*.1.*vot*.
12.*à num*.19.affatim eluceſcit.Quocirca cum 36
Ariſtotele *lib.7.hiſtoriæ animal.cap*.3. hac in re,nihil certi affirmari poſſe exiſtimo,licèt frequenter illa,& Theologis,ita & noſtris magis arrideat opinio,qua edocemur duce Ariſtotele *d loco*,& Plinio *lib.7.naturalis hiſtoriæ cap*. 6. maſculum quadrageſimo die,& nonageſimo
fœminam animam rationalem ſuſcipere. Cui 37
ex noſtris accedit Iacob.Menoch. *de arbitr. lib*.2.*caſu* 357.*num*.3.& quodammodò aſſentiri videnrur poſt *gloſſ.in Clement*.1.*in verſic. Simul de Summ.Trinitat.& in cap.ſicut de homin*.Panormitan.*in capit.ſi aliquis de homicid*. Martin. Sancius *in arbore diuidui, & indiuidui cellula* 5.*verſ.Item quæro el* 1.*&* 2.Nauar.*in Manuali Latin. cap*.15.*num*.14. *& capit*.27. *num*.222. Anton.Gom. *tom*.3.*variar. cap*.3. *num*.32. Bartol. Sibylla *in ſpeculo peregrinæ quæſt. cap*.1.*quæſt*.5.Lelius de Zanch. *tractat. de priuileg. Eccleſiæ priuileg*.159. *num*.3. & Philip.Matth.*in dict.l*.187.*num*.19.*de regul. iuris*,Plaça *lib*.1.*de delict.capit*.9 *num*.7. Viuald.*in candelab.aur.tractatu de irregular.tit*.

ex

ex homicidio volũtario, n. 230. & 231. Roder. Acunha *ſup. Decr. in Summa diſtinctionis* 5. *n.* 6. vbi refert Molin. *de iuſtitia & iure tract.* 3. *diſputat.* 27. *num.* 1. Sairum *de cenſuris lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 3. & Barboſa *vbi ſuprà num.* 27. Franciſc. Torreblanca *lib.* 5. *iuris ſpiritualis cap.* 4. *ſect.* 1. *num.* 25. dum omnes aſſerunt, fœtum animatum dici maſculinum, videlicet quadrageſimo die, fœmininum verò octuageſimo. A qua ſententia quidquid Plin. & Ariſt. voluerint non eſſe recedendum, Franciſc. Viuius teſtatur *deciſ.* 82. *num.* 2. Quia mediante experientia, tanquam rerum magiſtra, ſemper reperta eſt veriſſima: & certè, quamuis hac ambigua diſquiſitione exploratum nihil adduci poſſit, ſi tamen alicui tot diſſidentium opinionum adhærendum eſſet, huic potiùs acquieſcendum foret, quàm alteri, vt proferunt ex Theologis Maldonadus *ad cap.* 2. *Lucæ*, vbi etiam Toletus *adnotatione* 24. Pater Franciſc. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſput.* 10. *ſect.* 2. quare illam veluti probabiliorem colligit &
38 comprobat Hiſtoria Eccleſiaſtica *ex cap.* 12. *Leuitic.* vbi mulier pariens maſculum quadraginta diebus in ſanguine purificationis ſuæ, ſeu (quod in idem recidit) in purificatione ſanguinis ſui detineri iubetur: fœminam verò pariens octuaginta diebus immunda cenſebatur.

Et verò non leuis eſt coniectura, quæ ex præfato *cap.* 12. *Leuitic.* deſumitur, in quo quadraginta dies purificationis à maſculino partu, octuaginta verò à fœminino ſtatuuntur. Nam de eo Abulenſis ibi, *quæſt.* 1. §. *iuſſit autem*, ſic ſcribit: *Habent tamen* (hæ dies) *quandam imitationem ad ea, quæ fiunt ſecundum naturam, ſcilicet, quia formatur perfectè corpus viri in vtero per quadraginta dies: de fœmina autem iuſſit, quòd maneret mater octuaginta diebus in purificatione ſanguinis. Quia fœmina perfectè organizatur in vtero per octuaginta dies*, etſi aliam huius præcepti non inelegantem rationem adducat Petrus Bungus *de myſterijs Numerorum num.* 40. *pag. mihi* 506.

Quam opinionem minimè infringere videtur quod in ipſius reprobationem ſcribit Alphonſ. Carrança *d.* §. 2. *num.* 31. nempè, neminem poſſe ſibi perſuadere, tam longè diuerſam maſculinæ materiæ diſpoſitionem eſſe à fœminea, vt iſtius efformatio duplicato tempore abſumatur. Nam vt ipſemet obſeruat
39 ibidem, *num.* 36. *ex Hippocrate lib. de natur. pueri, & ex Ariſtot. lib.* 4. *de generat. animal. capit.* 6. hoc à maiori, aut minori ſeminis, & matricis calore petẽdum eſt, ſicut enim (teſte Ariſtotele, cui cæteri ſubſcribunt) viri formatio ex congruenti calore, fœminæ verò ex remiſſo eo prouenit (atteſtante hoc, vel longiſſima experientia, qua videmus effæminatos, aut complexione frigidos, ſiue qui ob multam venerem in calore tepeſcunt, plures fœminas, quàm maſculos gignere. Quod adnotauit Rupertus Abbas *ad cap. Geneſis* 6. vbi effræni hominum libidini tribuit ſacer textus filiarum procreationem, ibi: *Cùmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent.*) Sic etiam celeritas organizationis indidem petenda eſt, vt apprimè ſcribit Abulenſ. ſuprà, & conſentit eleganter Franciſc. Viuius *dict. deciſ.* 82. *num.* 8. vbi refert maſculinum fœtum concipi reipſa ex ſemine calido in dextera parte matricis, quæ calida habetur: fœtum verò fœmineum ex ſemine frigido in ſiniſtra parte matricis. Vnde cùm frigidum ex ſui natura tardum, & pigrum ſit, calidum autẽ velox: inde eſt formationem maſculini corporis, quæ ex calido ſemine perficitur, celeriorem quàm fœminini eſſe.

Vnde colligitur perperam illos aſſerere, qui 40
efformationem, & animationem, ſiue maris, ſiue fœminæ indiſtinctè ad diem vſque protrahunt quadrageſimum, vt inter Medicos hanc ſententiam mordicus defendit Bonauentura *lib.* 7. *de octomeſtri partu cap.* 109. & apud Iuridicæ Philoſophiæ Magiſtros, illam amplecti videntur Gloſſ. *in l. Diuus,* 4. *ff. de extraord. crim.* Iodoc. Damauder. *in prax. criminali cap.* 74. *num.* 15. vbi hanc opinionem de iure ciuili veriſſimam eſſe profert Signorolus *conſil.* 1. *n.* 15. Alberic. *in dict. l. Diuus, & in l. ſi mulierem, ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & in l. ſi quis necandi, C. eodem tit. de ſicar.* Eamque compro- 41
bare videtur Aſtrologi omnes hac ducti ratione, quia primus menſis à formatione Saturnô tribuitur omnium planetarum altiori, cuius (vt aiunt) frigiditati congruit ſemen ſpiſſare, coagulare, & in vlteriorem formam traducere, donec ad ſanguinem perueniat. Secundus mẽ- 42
ſis datur Ioui Planetarum omnium benigniſſimo, cuius calore, & humiditate organa fiunt. Quoniam autem Planeta quilibet maiores in principio exerit, quàm in fine vires, ideò primis ſuæ diſpoſitionis diebus, ac per cõſequens ferè ad quadrageſimum diem materiam ita diſponit, vt perfecta organizatio fiat, quàm ſtatim neceſſariò ſequitur animatio: & facere pro hac ſententia videtur Acunha *d. loco num.* 34
5. vbi dubitans quare præciperet Dominus die quadrageſimo offerri puerum in templo, inter alias hanc aſſignat rationem. Quia ſicut die quadrageſimo in materiale templum ducitur, ſic in quadrageſimo die anima in corpore, tãquam in ſuo templo infunditur.

Coronidis tandem loco adijcere non grauabor, hanc ſucceſſiuam formationem, & animationum legem corpus Chriſti Domini in vtero Matris non ſeruaſſe. Nam quod naturæ 44
in quadraginta dierum ſpatio paulatim effin-

gendum erat, diuina virtute, & Spiritus Sancti opera momento perfectum abſolutumque fuit, vt eſt communis ſanctorum Patrum, & Theologorum doctrina. Ita Caniſ. *lib. 3. cap.* 22. Salmer. *tom. 3. tract.* & vniuerſi ferè Scholaſtici *in 4. diſt. 3.* Sophron. *in Concil. Senonenſi act.* 11. Baſil. *homil.* 25. *de hum. Chriſti generat.* Damaſcen. *lib. 3. cap. 2.* Euthym. *Matth. 1. c.* Fulgent. *lib. de Incarnat. capit. 3.* Leo Papa *in epiſt.* 11. *ad Iulium.* S. Thom. *3. part. quæſt.* 30. *art. 2.* *Doctores omnes; ibique* Gloſſa *noſtra in Clement.* 1. *verſic. Simul vnitas, & in §. ad hoc baptiſma. de Summ. Trinit.* Paulus Fuſcus *de viſitat. lib. 1. cap.* 18. *num. 9.* vbi & eo inſtanti habuiſſe docet liberum arbitrium ex ſententia D. Thomæ. Fabius Incarnatus *in ſcrutinio ſacerdotali 1. part. tract. 5. in 3. art. fidei.* Quod indicare videtur Carranç. *d. diſputat. de partu cap.* 12. *num.* 18. Idemque probabile eſſe de
45 Virgine Sanctiſſima docet Philippus Mala, *Doctor Pariſienſ.* ex eoque, & alijs pluribus Ioan. Baptiſta Poça *in Elucidario tit. 3. tract.* 2. *&* 2. *tractat. cap.* 4. Et hæc de tempore animationis ſufficiant ad effectus de quibus per Quintilianum Mandoſ. *de ætate minori d. cap.* 2. *à num.* 46.

SVMMARIVM.

MVlieres ſuperfœtantur, 1.

Contrarium aliqui voluerunt, 2.

Superfœtatio, non niſi poſt certum tempus à conceptione accidit, 3. *&* 9.

Superfœtationem minimè dari elapſis quadraginta conceptionis diebus, aliqui putant, 4.

Superfœtatio ex aliorum ſententia, quocumque in grauidationis tẽpore, exceptis ſeptem primis diebus fit, 5.

Superfœtatio ſi diu à priori concubitu eueniat, conceptu ſuccreſcente, omnino eliditur, 6. *&* 9.

Alphonſus Carranç. *reprobatur,* 7.

Inverecundè, & temerariè loquitur quiſquis I. C. erraſſe profert, ibi.

Vlpianum iuris conditorem, verticem legum, rerum omnium peritiſſimum, necnon & fœcundiſſimum aliqui appellant, 8.

L. cùm quidam 30. §. ſuum hæredem, ff. de acquir. hæredit. explicatur, 10.

Vterus poſt conceptionem magna ex parte concluditur, 11.

Conceptus maſculinus auctus cenſetur quadrageſimo die, & fœmeninus octuageſimo, 12.

Ariſtoteles *cùm inquit fœtum poſt quadrageſimum diem quantitate vnius formicæ eſſe, de ſemidigitalibus formicis accipitur,* 13.

Superfœtatio præterito iam quadrageſimo conceptionis die impoſſibilis eſt, 14.

Vterus à tempore conceptionis leui ex parte, à momento verò aucti fœtus magna ex parte contrahitur, 15.

Alphonſus Carrança *impugnatur,* 16.

Superfœtatio ſecundum veriorem opinionem, etiam primis ſeptem diebus dari poteſt, ibid.

Proximè fieri dicitur, quòd nullo præcedente ſpatio fit, 17.

Diui Auguſtini *locus explicatur,* 18.

Mulieres eſſe conſtat, quibus poſt receptum ſemen, ita vterus concluditur, vt nullo tempore ſuperfœtationem admittant. Aliæ verò inueniuntur, quibus è contrario ſemper vterus reſeratus, ſuperfœtationiſque capax manet, 19.

P. Thomas Sanchez *ſuperfœtationem minimè agnouiſſe videtur,* 20.

L. antiqui, 3. ff. ſi pars hæred. petat. dupliciter intelligitur, 21.

Fœmininus cõceptus, etiam poſt quadrageſimum diem vſque ad octuageſimum ſuperfœtari poteſt, 22.

Duobus eiuſdem rei teſtibus, vel rationibus, magis quàm vni creditur, 23.

Plures infantes in vtero matris vno impetu excedere naturæ repugnat, non verò quod vnus poſt alium naſcatur, 24.

QVÆSTIO III.

Quo tempore poſt conceptionem ſuperfœtatio impediatur?

SVperfœtationem (quam mulieribus euenire, & communis philoſophorum aſſenſus probat; & ipſa naturalium rerum magiſtra experientia, non diffitetur, vt ex relatis 1
euincitur à Paulo *in l. antiqui, 3. ff. ſi pars hæred. petatur* à Triphonino, quem de ſuperfœtatione poſſe intelligi exiſtimo *in l. Areſcuſa* 15. *de ſtatu homin.* non ineptiùs; quàm illa verba, *l. liberorum* 11. *de his qui not. infa. propter turbationem ſanguinis*, de eadem ſuperfœtatione intelligere conatur Ioannes Mercerius *opinion. lib. 2. opin.* 20. & à Iuliano *in l. ſi pater* 36. *de ſolutionibus*, quibus ſuffragantur Hippocrates, Ariſtoteles, Plinius, Solinus, & alij, quorum recordatur Alphonſ. Carranç. *diſput. de vera humani partus deſignatione cap.* 19. *num.* 2. Ludouic. Mercad. *de ſteril. & prægnan. affection. lib. 3. cap. 6. ad calcem.* Quid-
2 quid ſecus voluerint Valuerde *lib. 2. anatomiæ cap.* 19. & Sorapan. 2. *part. ſuorum adagiorum, adagio* 1. *fine*) ſuperfœtationem inquam eiuſmodi, non niſi poſt certum tempus conceptionis accidere poſſe ſcribit Vlpianus *in l. cùm quidam* 30. §. *ſuum de acquir. hæredit.* Quocirca ex operis noſtri præſcripto in dubiũ

reuo-

reuocare conſtringimur,cuius ſpatij,aut quot dierum certum illud tempus cōſiſtat; poſt cuius lapſum, quæ vnum gerit,per naturam humanæ conditionis alium partum formare non poſſit. Circa cuius quæſtionis exſolutionem inter ſe palàm diſcrepātes ſcriptores animad-
4 uerto. Nam ſi Accurſium ibidem primitùs intueamur,certum illud tempus ſecundùm placitum Ioannis antiqui cuiuſdam Gloſſographi,quadraginta dierum eſſe præfinit: in quam ſententiam incidiſſe videntur Chriſtophor.de Caſtelli *in repetitione l.ſi filius num.*1.*de lib.& poſthum.*quæ habetur *tom.*3.*repet.iuris ciuilis folio mihi* 227.Ioannes de Imola *in d.*§.*ſuum num.*6. vbi eam ad ſecundum & quadrageſimum diem protrahit,ex notatis *in auth.de reſtit.& ea quæ parit in vndecimo mēſe,*§.*vtrū,* Marnel.*in Medic.mulier.lib.*3.*cap.*4. Paulus Zachi.*in Medico-legali tit.*3.*q.*4.*à n.*15.
5 Si verò Petri Garſiæ *diſputat.*72.*in Auicennam cap.*5. & aliorum ſcripta contemplemur, quibus nonnihil adhibito ſuccinit Carrança *loco proximè relato num.*16. horum omnium ſententiam eſſe inueniemus,ſuperfœtationem prioribus ſeptem diebus,quibus ad cōceptus, ſeu embrionis perfectionem miro modo vulua obturatur,fieri non poſſe.Quam D.Auguſtini mentem exiſtere *lib.*5.*de ciuit.Dei cap.*10. cōiectatur Carrança *num.*17.Cæterùm his trāſcurſis diebus, quocumque in grauidationis
6 momēto poſſibilem eſſe,ſed eo modo,vt ſi diu à priori concubitu ſuperfœtatio adueniat; ea cōceptu ſubcreſcente omnino intercidat.Qua ſententia retenta infert Carrança *d.cap.*19. *num.*15.erraſſe Vlpianum,dum *in dict.*§.*ſuum hæredem* pronuntiat,poſt certum tempus vtero grauidæ mulieris alium fœtum perfici non poſſe.
7 Sed eius pace,indigna hęc erroris calumnia tanto viro eſt. Quis vnquam abſque temeritatis,vel irreuerentiæ nota in eam fuit reprehendi laſciuiam perductus,vt erroris & imperitiæ reos ageret ſcitiſſimos naturalis & iuridicæ Philoſophiæ Magiſtros, Paulum, Scæuolam, Papinianū? Et quòd mirari magis oporteret, Vlpianum ipſum verticem legum,vt ex Herē-
8 nio,Modeſtino, & alijs Iuriſconſultis refert Coraſius *in repetit.l.ſi quis num.*3.*C.de impuber.& alijs ſubſtitut.*Quem iuris fuiſſe conditorem meritò exclamat Eutropius *lib.*8. aſſentiente Iacobo Cuiacio *in l. Gallus,*§.1.*de lib.& poſthum.* & omnium ferè vernarum, externarum, peregrinarum, atque etiam exoticarum rerum vſu,& cognitione calentiſſimum extitiſſe,manifeſtis ea in re prolatis teſtimonijs demonſtrat Eruditiſſimus Frāciſcus Polletus *Hiſtoriæ fori Romani lib.*5.*cap.*6:*pagina mihi* 640.& ipſe Carrança fœcundiſſimum appellat *eodem tractatu capit.*9.*num.*15. Nullus hercle ita effręnis reperiri poterit,maximè in his,qui iuri noſtro ſacra faciunt, & ipſius præclara ſtudia complectuntur, cùm hi præ cæteris, velut doctrinæ parentibus, illis honorem deferre, & reuerentiam exhibere vrgentiori ratione conſtringantur: præſertim vbi nulla euidenti demonſtratione conuincitur eos perperàm aliquid affirmaſſe,vt in Vlpiani reſponſo,quem mendacij immeritò ex eo ſolùm accuſat Carrança,quod poſt certum tempus cōceptionis euenire affirmat,vt quæ vnū in vtero gerit,alium formare non poſſit, quaſi oppoſitum,vt proximè retulimus,veriùs arbitretur. Quod quidem tantum abeſt,vt falſitatis nomē
mereatur,quòd imò Ariſtotelicæ veritatis habere debeat,ille enim *lib.*7.*de hiſtoria animal. cap.*4. *paulò ante finem* ſimilem, vel eandem ſententiā his verbis ex interpretatione Theodori protulit: *At verò in muliere rarò quidem euenit, vti ſuperfœtet: ſed factum tamen aliquando eſt.qui ita longo poſt tempore ſint concepti, nihilo perfici poſſunt, ſed prematuriùs dolorem,quo ipſi,& primus fœtus intereat, mouent.* Et inferiùs: *At verò ſi proximè à primo conceptu, ſecundus ſit factus,abſolui edique poteſt, quod ſuperfœtarit, vt quaſi gemini naſci videātur.* Quorum omnium verborum ea ſumma eſt,vt proximè à primo conceptu ſuperfœtatus & viuere,& in lucem edi poſſit: ſecùs atque ſi longo deinde tempore fuerit efformatus. Ergo rectè ſcripſit Vlpianus, poſt certum tempus contingere,vt quæ ſemel conciperet, alium pleno ventre formare non poſſit, ideſt, poſt longum tempus à prioris fœtus forma-
tione,vt Philoſophus ait,loquitur enim Conſultus hîc, non de prima partus formatione, 10
quam embrionis eſſe ſuprà probauimus,ſed de ſecunda & perfecta,efformationis nomen obtinente,cui animæ rationalis infuſionem contemporaneam eſſe diximus,vt ipſius verba demonſtrant, & interpretatur Quintilian.Mandoſ.*de ætate minori cap.*2.*num.*49. Quo ſuppoſito,aptiùs Ariſtoteli cōuenire videtur,dum docet, longo iam tempore conceptos perfici non poſſe,ſiue,quod idem eſt,vltimam perfectionem,vel articulationem,ac conſequenter, & animam rationalem non recipere: aut ſi recipiunt ſtatim,vel ſolos, vel ſimul cum primo fœtu interire,vt placuit etiam Varandeo *lib.*2.*de affect.mulier.cap.*6.& Paul.Comitol. *reſponſor.moral.lib.*1.*quæſt.*133.*num.*5.*verſic. Tertium argumentum.*

Quod autem ſit hoc longum tempus,vt cum Vlpiano certum appellare poſſimus,reliquum eſt ad ipſius interpretationem diſquirere: & tamen licèt ex eius contextu id minimè deprehendi poſſit: ex Ariſtotelis nihilominus ratione,nec difficillimum erit percipere,eo vtique ſcribit *lib.*4.*de generat.animal.cap.*5.poſt

longum

longum tempus, videlicet aucto iam primo conceptu vitaliter ſupetfœtari nō poſſe: *Quoniam vterus magna ex parte, ad partum vſque ſe comprimit.* Quo euenit, vt difficulter alterius formationi aditus pateat, aut ſi tamē aliquando, licèt raró (ex quo ab omni parte vterus ex tunc concluſus non eſt, ſed magna tan-
11 tùm ex parte) accidat vt ſuperfœtetur, perfici non poteſt, ſed conceptus abigitur: Quemadmodum ibidem eidem Philoſopho placuit. Vnde cùm huiuſmodi vteri contractio magna ex parte ab ipſa primi fœtus cretione, & augmentatione proueniat, vt eiuſdem ſententia eſt, & tunc auctus conceptus maſculus regu-
12 lariter exiſtimetur, cùm ad quadrageſimum diem peruenerit, & fœmineus cùm ad octuageſimum, vt ex dictis præcedenti quæſtione conijcitur, ſuadente hoc in maſculo peritiſſimo Fernelio *lib. de hominis procreatione cap.* 10. vbi obſernat quadrageſimo die auctum
13 fœtum quantitatis ſemidigiti, habereque caput auellanæ par, & *maius* quàm pro reliqui corporis ratione. Nam licèt probare Ariſtoteles videatur *lib. 7. de hiſtor. animal. capit. 3.* quadrageſimo die quantitate vnius formicæ magnæ fœtum exiſtere, intelligi debet, illis formicis aſſimilare, quæ ſaltim ſemidigitales ſunt, alioquin quomodò credi poſſet quod ibidem teſtatur, nempe quòd ſi eo tempore mas emiſſus in aquam frigidam mittatur, cogitur, conſiſtitque veluti in membranula, qua rupta fœtus ipſe apparet, membra inde diſcreta habens, Tum cætera omnia, tum genitalia, & oculi quemadmodum in cæteris animantibus pergrandes apparent, Hæc enim omnia ita diſcreta, vt viſu percipi poſſint? Neutiquam in tam exiguo corpore, vt formicæ, licèt maſculæ reperiri poſſent, niſi formicam, cui parem conatur huius temporis fœtum efficere Ariſtoteles, ad minus ſemidigitalem ſanciamus. Quemadmodum & cōceptum eiuſdem menſuræ facit Fernelius vbi proximè, quamuis non me lateat aliter hunc locum *interpretatum fuiſſe* Abulenſem *quæſt.* 53. *in cap.* 1. *Matthæi.* Et vt ad rem reuertamur, inde eſt ab hoc dierum certo ſpatio ſuperfœtationem in ea, quæ iam conceperat, pene impoſſibilem reputari, vt cum Accurſio ſupra citati confirmant, quod omne voluiſſe videtur Vandereus *tractat. lib. & cap. proximè relatis* hac verborum ſerie: *Si tamen ſalutaris debeat eſſe iſta ſuperfœtatio, ſeu vitalis fœtus, qui per illam concipitur, oportet illam contingere à primo primi conceptus die ad quadrageſimum, aut circiter, antequam ſcilicet prior fœtus magnum in vtero ſpatium obtineat, vel omnes venarum, & arteriarum vteri propagines occuparit. Quandiu enim prior fœtus exiguæ erit molis, & motus expers, facile erit ſuperueniens ſemen ſpatium reperire idoneum, quemadmodum in gemellis contingit, & ſua ſibi vaſa adipiſci, quibus ſimiliter nutriatur.*

Quibus haudquaquàm repugnat alter 14
eiuſdem Ariſtotelis locus *lib. 7. de hiſtor. animal. cap.* 4. cuius initio: *Cùm ſemen conceperit vterus*, inquit, *ſtatim ſe contrabit, donec ad ſeptimum menſem ventum ſit.* Sententia quidem primò intuitu oppoſita ſuperiori ab eodem traditæ, cum ibi non à ſeminis receptione, ſed aucto iam fœtu vterum comprimi doceat. Siquidem ex eo fit ſatis, quod *d. cap. 5. de generat. animal.* continetur. Nempe coaleſcente iam partu, vuluam, ſiue ma- 15
tricem; quaſi iam impletam magna ex parte occludi, id eſt (vt vtriuſque loci ſenſum exprimam) magis vterum contrahi, cùm auctum fœtum ſortitur, quàm erat contractus à retentione prolifici ſeminis. Nam etſi conſter, eam conceptionis eſſe vim, vt à ſuo primo inſtanti vterum comprimat; attamen non ita conſtringit, veluti poſtea ſuccreſcente fœtu coarctatur. Cùm à tempore conceptionis leui ex parte, & à momento aucti fœtus magna ex parte vteri contractio adueniat.

Vnde neceſſariò colligitur minùs rectè exi- 16
ſtimaſſe Carrançam *d. cap.* 19. *n.* 16. aduerſus Alexandrum *in d. §. ſuum hæredem. num.* 4. ſuperfœtationem non adeo ſtatim poſt primum conceptum contingere poſſe, vt prioribus ſeptem diebus, quos ad rudem illam concepti cōpaginationem neceſſarios probauit eiuſdem operis. *cap.* 1. & nos alibi diximus, accidere queat. Siquidem cùm eandem contractionis formam vterus à ſuſcepto ſemine vſque ad fœtus efformationem & animationē retineat: quemadmodum ex Ariſtotele ſtabilitum extat, cōſectarium eſt poſſe etiam intra ſpatium horum ſeptem dierū ſuperfœtationes euenire, veluti & eo tranſacto, eas poſſe fieri prædictus Autor affirmat, cùm ſaltim vſque ad quadrageſimum diem æqualis vuluæ occluſio perſeueret, ſed talis, quæ minimè ſuperfœtationi impedimento ſit. Quinimò ſi aliquo tēpore ſalubriter perficienda eſt, eo vtique erit, vt indicat expreſſe Ariſtoteles vno, & altero loco, videlicet. *d. cap. 4. de hiſtor. animal.* his verbis: *At verò ſi proximè à primo conceptu ſecundus ſit factus, abſolui, edique poteſt, quòd ſuperfœtauit, vt quaſi gemini naſci videantur.* Non enim propriè ſuperfœtationem proximè à primo conceptu factam, nec quaſi gemellorum, concepti, & ſuperfœtati, partus dici poſſet, ſi iam ſeptem diebus elapſis dumtaxat, hæ ſecundæ conceptiones fieri oporterer. Quod non minùs euincitur alterius loci ex *dict. cap. 5. libri* 4. *de generation. animal.* ſimili ſententia: *Eodem enim coitu plus ſemi-*

nis mittitur,quod partitum multiplicare conce-
ptum poteſt,ſi alterum poſt alterum accedit: ſed
ſi iam aucto conceptu,&c. & ſubindicat Ludo-
uic.Mercad.*d.c.6.lib.3.de prægnant. affectio-*
nib.At verò,inquiens,*ſi à primo cõceptu ſecun-*
dus proximè ſequutus ſit, paululumque tem-
poris inter eos interceſſerit,quod ſuperfœtarit,
abſolui edique poteſt, vbi & aduerbium illud
Proximè, & verbum *Paululum temporis*, de-
notant ſecundo, aut tertio die à primo con-
ceptu ſuperfœtationem poſſibilem eſſe, vt vi-
ſum fuit Alexandro, argumento eorum, quæ
ex Stephano Gratian.*diſceptat.forenſ.c.*161.
num 10.tradit Auguſt.Barboſ.*tractatu de Di-*
*ction.diction.*277.*n.*2. affirmans,illud proxi-
mè fieri dici,quod nullo præcedẽte ſpatio fit.
17 Idque ſenſiſſe mihi videtur Petrus Garcia *d.*
*diſputat.*72.*cap.*5. dum initio primi conce-
ptus ſuperfœtationem poſſe contingere arbi-
tratur. Quamuis huius propoſitionis genera-
litatem circa primos ſeptem dies ſublimitet
Carrança,in quo proculdubio decipitur,vti &
in expoſitione D.Auguſtini *dict.c.6.de ciuit.*
18 *Dei*.Quem aliter interpretandum eſſe, ipſius
mihi verba ſubminiſtrant.Præcipuè ſi eius ſen
tentia,vt in editione Baſileæ anni 1542.nul-
la interpoſita interrogationis notula, vſque
ad illud verbum, *In fœminam commutata eſt*,
hoc modo legatur. *Numquid in conceptu, vbi*
& vnum concubitum eſſe manifeſtum eſt,& tan-
ta naturæ vis eſt, vt cùm conceperit fœmina,
deinde alium concipere omnino non poſſit. Vnde
neceſſe eſt eadem eſſe in geminis momenta con-
*ceptus,&c.*Quorum verborum ſenſus ille mi-
hi videtur. Numquid & in conceptu, vbi &
vnum concubitum eſſe manifeſtum eſt,& tanta
naturæ vis, ea ſcilicet in fœmina, quæ con-
cepit,vt poſtquam vnum gerit, deinde etiam
primis diebus alium concipere non poteſt.
Nempe quia eius vterum ſtatim à retento pri-
mi concepti ſemine ſupra modum obturatur,
vt aliquibus euenire ex Hippocrate ſuſpicari
19 poſſumus *lib.de ſuperfœtatione*, ita ſcribente:
Superfœtant mulieres, quarum vteri os poſt
primum conceptum non exquiſite clauditur. Eo-
dem modo, ac nonnullis illam eſſe naturam
Ariſtoteles teſtatur *dict.cap.5.de generat.ani-*
*mal.*paulò ante finem,vt toto imprægnationis
tempore reſeratum, & ſolutum vterum ha-
beant, numquamque à conceptu ad partum
contractionem patiantur.Quapropter etiam
aucto iam primo fœtu inſuperfœtare poſſe
ſcribit.Quam eſſe Auguſtini mentem defende-
re non grauabor: ne vel cùm Carrança illum
improbabiliter defendamus, vel cum Budęo
in notis ad d.l.antiqui, ipſum fateri cogamur
20 ſuperfœtationem non agnouiſſe,vt de P.Tho
ma Sancio veridiùs dici poteſt *lib.9.de matri-*
*mon.diſp.*22.*n.*2.*in fine,&n.*7.*eodem loco.*Ni-
ſi de illa muliere grauida eum fuiſſe locutum
ſubintelligamus, quæ iam auctum fœtum ge-
rebat.

Ergo vt ad certum tẽpus quadraginta die-
rum reuertamur,quorum lapſu per rerum na-
turam ſuperfœtationem dari non poſſe conſti-
tuimus.Id fortiter eneruare videtur Paulus *in*
*d.l.antiqui 3.ſi pars hæred. petat.*vbi ex Lelio
ſcribit, mulierem ab Alexandria perductam
fuiſſe,vt Adriano oſtenderetur, cum quinque
liberis, ex quibus quatuor eodem tempore
enixã fuiſſe dicebatur,*quintum poſt diem qua-*
drageſimum. Ergo vltimus fuit ſuperfœtatus
poſt quadrageſimum diem à cõceptione qua-
tuor priorum, alioqui in tam longum dierum
ſpatium eius partus differri, vel procraſtinari
non potuit.

Cui difficultati multipliciter reſpondetur. 21
Primò liberum,quem poſt tam longum tẽpus
editum refert Conſultus, non maſculini,ſed
fœminini ſexus fuiſſe. Quod rectè liberorum
nomẽ admittit,quo in *d.l.*Paulus vtitur,cuius
adeò exacta ſignificatio eſt,vt vtrumque filio-
rum ſexum comprehendat,*l.cognoſcere 56.de*
verb.ſignific.l.2.§.quod ait,ff.qui ſatiſdare co-
gant. Fœmininus enim conceptus,etiam poſt 22
quadrageſimum diei interſtitium, dummodo
octuageſimi metas non excedat,ſuperfœtari
ex ſupradictis poteſt.Secundò nec minus pro-
babiliter ſatisfieri videtur, aſſerendo Iuriſcõ-
ſultum hîc Lelij authoritatem retuliſſe,qua ſi-
bi dictum ſcribit,quintum illius Alexandrinæ
mulieris filium peracto iam quadrageſimo die
â primo partu in lucem fuiſſe productũ.Quod
quidem falſo Lelio perſuaſum ex Gaio con-
uincitur *in l.vtrum 8.in principio,ff.de reb.du-*
bijs,& ex Iuliano *in d l.ſi pater 36.ff.de ſolu-*
tio. A quibus cùm vno & altero loco eiuſdem
Alexandrinæ mulieris hiſtoria repetatur,Ga-
ius ſcribit omnes quinque liberos vno fœtu
fuiſſe enixã,& non diſſimiliter Iulianus quin-
que omnes filios ſimul peperiſſe pronuntiat.
Quorum obteſtationes Lelij traditioni præ- 23
ponderent neceſſum eſt,cùm duobus eiuſdem
rei aſſertoribus maior fides, quàm vni aliter
circa eandem rem teſtificanti adhibeatur,
quemadmodum & duobus rationibus magis,
quàm vni creditur, *authen. itaque*, vbi notat
Gloſ.C.communia de ſucceſſio. quidquid aliter
hæc iura in concordiam redigere contendat
Federic.Scot. *reſponſ.tom.*1.*lib.6.reſpon.*25.

Quæ quidem vltima interpretatio ex eo mi- 24
nimè infirmatur, quod tradit Triphoninus *in*
*dict l.Areſcuſa.*15.*ff.de ſtat.hom.* nẽpe à na-
tura permiſſum nõ eſſe ſimul vno impetu duos
infantes de vtero matris excedere, quocirca
ſuſpectum videri poterat,illos quinque libe-
ros ab vtero Alexandrinæ mulieris ſimul eru-
piſſe.Nam vt optimè explicat Federic. Sco-

tus

tus *dict.l.4.reſpon.*25. ita ſimul & vno vtero exceſſiſſe credendum eſt, vt non vno impetu, quod naturæ repugnare ſcribit Triphoninus; ſed vnum poſt alterum breui interiecto ſpatio.

SVMMARIVM.

Quæſtio de peccato originali, vna ex grauiſſimis Fidei noſtræ dicitur. 1.

Culpam originalem homines ipſa cõceptione contrahere, D. Auguſtinus ſentire videtur. 2.

Culpa originalis ipſo inſtanti animationis contrahitur ex communi ſententia. 3.

Inſtans animationis, & exiſtentiæ peccati originalis in maſculis quadrageſimus eſt dies, & in fœminis octuageſimus 4.

Puer ideò in templo quadrageſimo die offerri præcipiebatur, quia eodem tempore poſt conceptionem labem contrahit. 5.

Peccatum originale culpa dicitur. 6.

Culpa non poteſt eſſe, niſi in anima. 7.

Originale peccatum trahitur ex Adamo. 8.

Caro & non anima à primo parente deſcendit. 9.

Filius dicitur portio corporis paterni. 9.

Anima eſt pars hominis. 10.

Conceptio embrionis, & hominis differunt. 11.

Conceptio hominis eſt ipſa animatio rationalis. ibidem.

Homines tunc originali vinculo obligantur, cũ nondum exiſtunt animæ ſeparatim à parentibus viuentes. 12.

Homo per animationem diſtinguitur à patre. 13.

Filij non portant iniquitatem patris. 14.

Textus in cap. iam itaque 1 *quæſt.*4.*cap. ſi habes.*24.*quæſt.*3.*cap. quæris de conſecrat. diſtinct.*4.*cap. quid eſt, de pœnitent. diſtinct.*4. *verè explicantur, ibidem.*

In Adam fuimus cùm ipſe peccauit, vt in actiuo principio. 15.

Adæ peccato quare omnes poſteri teneamur. 16.

Res dubia magis eſt diſcenda, quàm dicenda, ne doceatur quæ neſcitur. 17.

QVÆSTIO IIII.

Quando proles in vtero originalis peccati labe polluatur?

1 EST autem hæc de peccato originis diſputatio, vt ſentit Robertus Bellarmin. *tom.* 3. *controuerſ. lib.*4. *cap.*1. *in initio*, vna ex grauiſſimis

2 Fidei noſtrę controuerſijs. Nam ſi hac de re Auguſtinum conſulimus *in cap. firmiſſime* 2. *de conſecrat. diſtinct.*4. eius poſteriora verba ſuadere videntur, huiuſmodi culpæ damnationem homines ipſa conceptione contrahere, ac per conſequens ſeptimo die ab immiſſo in vtero matris ſemine, quo ex Philoſophorum placitis perfici conceptionem ſuperiùs ediximus. Sin verò, quod cum D. Thoma 1.2. *quæſt.*81. 82. 83. pluribus articulis communiter docent Theologi, quibus adhæret Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 2. *num.*3. P. Suarez *de Angelis lib.*6. *cap.*17. *num.*18. P. Petrus de Vega *in expoſ.*4. *Pſalm. Pœnitent. verſic.*6. *diſcurſ.*1. Et vt de fide 3
ab omnibus aſſeri inſpicimus, certum eſt originis peccatum in ipſo inſtanti animationis rationalis cõtrahi quantum ad actualem exiſtentiam ipſius peccati, licèt quantum ad ſufficientiam in Adamo ſit contractum. Vnde 4
cùm quadrageſimum conceptionis diem in maſculis, & octuageſimum in fœminis certum animationis tempus exiſtere proximè indicauerimus, clarum euincitur, contractionis culpæ originalis terminum eſſe: quod placuiſſe videtur Roderico Acunha *in ſumma* 5
*diſtinct.*5.*num.*5. vbi ideò docet iuſſiſſe Dominum, quadrageſimo die puerum in templo offerri, quia eodem conceptionis tempore originalis peccati reatum contrahit.

Et roboratur hæc ſententia, quam indubitatam affirmo, quia peccatum originale nihil aliud eſt, quàm quædam culpa, vt cum D. 6
Thoma *loco ſuprà citato* ſentit Sebaſtia. Medic. *in ſum. peccatorum tit.* 1. *quæſt.* 6. Sed nulla culpa poteſt eſſe, niſi in anima, vt vterque probat, & aſſerit Bellarm. *dict. lib.*4. *cap.* 7
12. ergo neceſſariò animationis tempore, & non anteà conceptus ea infici poterit.

Cui catholicæ aſſertioni nequaquam obſiſtere poteſt, quòd peccatum originis trahi- 8
tur ex Adamo. Quapropter cùm ſola caro, & 9
non anima ab illo primo parente deſcendat; indeque, vt eius filij ſui corporis dumtaxat portiones cognominemur, argument. *l. cùm ſcimus* 21. *in fin. de agricol. & cenſit. lib.*11. & eorum, quæ latè ſcribunt Caſtrenſ. *conſilio* 161. & Carolus Ruinus *conſil.*115. *num.*15. *cum ſequentibus tom.*3. peccatum nec in anima eſſe poterit, ſed in carne, ac conſequenter, nec poſſibile erit, illo primo conceptionis inſtanti, multò ante animæ infuſionem non contrahi. Quia vt reſpondit Bellarmin. *vbi ſupra*, licèt anima ab Adamo originem non trahat, quaſi ab eius anima creata: Tamen eſt 10
pars hominis, qui verè trahitur ex Adamo: non enim, vt peccatum ex Adamo trahatur, requiritur vt anima fiat ex Adamo, ſufficit enim ſi homo ipſe, cuius pars eſt anima, fiat ab Adamo.

Quibus non repugnat Diui Auguſtini locus initio pro contraria parte adductus, vbi cùm

cùm dicitur, huiuſmodi reatum ipſa conceptione contrahi, ſubintelligitur non de con-
11 ceptione ſimplici embrionis, ſed hominis, quæ eſt in animatione rationali, vt diuerſa ſpecie, inquit Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. capit. 2. numero 21.* & in propoſito ſentit P. Petrus de Vega *in expoſ. d. Pſalmi quarti Pœnitentialis, verſic. 5. diſt. 1.* vbi illa verba: *Et in peccatis concepit me mater mea,* de ſecunda conceptione, ſiue de animatione rationali accipit. Quo tempore peccati originalis, cuius Prophetæ ſermo eſt, reatus contrahitur, antea enim partus non eſt homo, & niſi homo ſit, capax peccati non eſt, ſicut nec virtutis, aut gratiæ: quæ ratio eſt D. Thomæ, & aliorum.

Magis enim vrgere videntur *text. in cap. iam itaque 1. quæſt. 4. cap. ſi habes 24. quæſt. 3. cap. quæris, de conſecrat. diſtinct. 4. capit. quid eſt de pœnitent. diſtinct. 4.* Ex quibus omnibus, velut neceſſariò apparet inferendum,
12 originali vinculo tunc homines obligari, cùm nondum exiſtunt animæ ſeparatim viuentes, & ab his, qui eos genuerunt, alteri effecti.
13 Ergo cùm per rationalem animationem homines diuerſi â parentibus ita dicantur, vt de ipſis rectè à Domino proferri potuerit: *Et anima patris mea eſt, & anima filij,* citra contentionem elici conſtat, ante quadrageſimum diem animationi præfinitum fœtus huiuſmodi primi parentis macula detutpari.

Sed hæc obiectio non magno negotio repelletur, ſi veram Sanctorum Patrum men-
14 tem dictis in locis intueamur. Ab ipſis enim cùm illud certum iuris, & fidei axioma proponeretur, videlicet filios non portare parentum ſuorum iniquitatem, nec eorum criminibus reos effici, id ratione ſequenti confirmatur. Quia cùm homines in ſe ipſis ſunt, & animam â parentum animis diſtinctam nanciſcuntur, tantùm ex proprijs delictis, non ex paternis, niſi propria conſenſione tenentur. Ideoque inferunt, ex Adam homo & filius eius trahit, quod Sacramenti illius, id eſt baptiſmi gratia ſolueretur, quia nondum erat anima ſeparatim viuens, ideſt, altera anima, de qua diceretur: *Et anima patris mea eſt, & anima filij.* Siquidem cùm Adam peccauit, in illo fuimus, vt in actiuo principio.
15 Vnde peccato Adæ, inquit Gratian. *in ſumma 24. quæſt. 3.* ideò omnes poſteri teneri di-
16 cuntur, quia nondum aliquis ex illo materialiter fuerat proſeminatus. Quocirca opus fuit, vt quotquot deinceps ab illo ſemine corrupto producerentur, originalis culpæ debitum contraherent, ſtatim ſoluendum, cùm peccati capaces exiſterent. Nempe cùm ad vltimam perfectionem, & animæ receptionem peruenirent. Cætera autem, quæ ad huius materiæ pleniorem cognitionem ſpectant, apud ſupra citatos inuenientur. Ego ea libenter omitto, ſiquidem in re adeo ancipite
cum D. Auguſtino *lib. 5. aduerſus Iulianum* 17
cap. 3. Quid verum ſit libentiùs diſco, quàm dico, ne audeam docere quod neſcio.

SVMMARIVM.

Ethnici cognouerunt vnumquemque mortalium deputatum ſibi numen ad cuſtodiam habere. 1. *&* 4.

Numina qui viris aſſidebant, Genij: quæ verò fœminis, Iunones appellabantur. 2.

Per Genium, ſiue per bonum ſpiritum cuſtodem alicuius iurari ſolebat. 3.

L. ſi duo patroni. 13. *§. ſi quis iurauerit, fin. ff. de iureiurando, illuſtratur, ibidem.*

Ethnici vnicuique bonum & malum Genium deſignatum credebant. 4. *idem multi ex noſtris ſentiunt.* 15.

Circa tempus, quo Angelorum cuſtodia nobis deputatur, variæ ſunt opiniones. 5.

A natiuitate vnicuique eſſe vnum Angelum bonum, & alterum malum, nonnulli putant. 6.

Angelus matris, an filium cuſtodiat in vtero exiſtentem? 7.

Filius dum eſt in ventre, vnum quid cenſetur cum matre per colligationem. 8.

Fœtus licèt cùm eſt in vtero, ſit quaſi pars matris, in ordine ad ſalutem animæ eſt perſona diſtincta. 9.

Fœtus in vtero capax eſt peccati & meriti. 10.

Matre baptizata, qui vtero geſtabatur, non eſt baptizatus, ideoque baptizari indiget. 11.

Cuſtodem ante conceptionem hominibus deſignari, vt ipſorum generationem procuret, ſentit Tertullianus. 12.

Cum ipſa animatione Angelos deputari multi docent. 13.

Homo ab animatione viator, & capax peccati ſaltim originalis exiſtit. 14.

Animæ, ſtatim ac corpori infunditur, Dæmon adiungitur, qui ei nocere procuret. 15.

Angelus matris tunc ſolùm filij curam habet, cùm ipſius defenſio ad bonum matris conducit. 16.

Quadrageſimo die maſculis, & octuageſimo fœminis Angelus cuſtodiæ adſcribitur 17.

Non niſi iam natis Angelos dari, quorundam fuit opinio. 18.

A tempore baptiſmi Angelorum cuſtodiam incipere, nonnullis placuit. 19.

Pueris & adultis ſolùm deputari Angelos, dicunt alij. 20.

Iuuenes, ſiue adoleſcentes maxima cuſtodia indigere, iure præſumitur. 21.

Puſillus

Puſillus qui erat in medio, cùm protulit illa verba Chriſtus : Non contemnatis vnum ex his puſillis, *nondum ad rationis vſum peruenerat*. 22.

Cuſtodia Angelorum ab ipſa animatione, ad corporis & animæ ſeparationem tantùm perſeuerat. 23.

Angelus cuſtodiæ poſt mortem licèt non cuſtodiat, deducit tamen animam ſibi commiſſam, vel ad cœlum, vel ad expiationis locum. 24.

QVÆSTIO V.

Ex quo momento cuſtodiæ Angelus homini præficiatur?

ERgo vt tam ab ethnicis quàm à Fidei noſtræ cultoribus huiuſce
1 cõcertationis certiſsima definitio petatur, quaſi in veſtibulo præmittendum erit, ita illis, quàm noſtris manifeſtum extitiſſe, vnumquemque mortalium deputatum ſibi numen, Deum, aut cuſtodem nanciſci, vt vel ex eo ſolo Annei Senecæ teſtimonio *Epiſtola* 110. licet intelligere: *Sepone in præſentia*, ſcribit, *quæ quibuſdam placuit: vnicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ; ex eorum numero, quos Ouidius ait de plebe Deos*: Qui quidem pædagogus diuerſimodè pro ſexuum differentia cognominabatur. Nam qui viris aſsidebant, Genij, qui verò fœminis, Iu-
2 nones fuerunt appellati. Veluti etiam paulò inferiùs idem Seneca his verbis demonſtrat: *Singulis enim & Genium, & Iunonem dederunt*, & indicat Alexãd. ab Alex. *dierum genial. lib. 6. cap.* 4. Quod ita recipiendum in eo Senecæ loco, optimè admonet Iuſtus Lypſ. *num* 4. *Non vt ſinguli vtrumque habuerint, ſed vt alterum. Nam viris Genij attribuebantur, fœminis Iunones: itaque mulieres Iunonem inuocabant, aut aduocabãt, vt illa apud Petroniũ: Iunonẽ meã iratã habeã. In Tibullo amator ad ſuã. Hæc per ſancta tua Iunonis numina iuro. etiam Satyrico: & per Iunonem domini iurante miniſtro, ſcilicet, illo molli, & pathico, qui fœminam ſeſe ferret, & exhiberet*. Cui & aſſentitur Muretus, de qua iurandi formula per numen, aut alicuius ſeruatorem extat veſtigium apud Vlpianum *in l. ſi duo patroni*. 13. *§. ſi quis iurauerit, finali ff. de iu-*
3 *re iur. Si quis iurauerit*, inquit, *in re pecuniaria, per Genium Principis, &c.* Ideſt per bonum ſpiritum cuſtodem Principis, vt interpretandũ eſſe ſemper exiſtimaui, nondum viſis Stephan. Forcatulo *in Cupi. Iuriſperito c.* 18. *num* 4. *& Don Didacus de Narbona.*

Petro Gregorio, qui *lib.* 54. *Syntagm. capit.* 4. *num.* 28. ſimilem expoſitionem amplectitur, ex eaque infert quod ſuperius à nobis ſtabilitum eſt, videlicet ethnicos non ignoraſſe eſſe nobis Angelum cuſtodem, & malum inſidiatorem, quos ipſi vocarunt bonum, aut malum Genium: quod etiam arriſit Martino de Roa *de die natali ſacro & profano, &c cap. 9.*

Quo ſuppoſito, circa tempus, quo hæc Ange- 4
lorum cuſtodia incipit, diuerſæ exiſtunt ſententiæ, quas fere omnes ſubindicat Cenſorinus dum ſcribit, ſuum vniuſcuiuſque hominum Genium dictum: ſiue quòd in eius tutela, vt 5
quiſque natus eſt, viuit, ſiue, quòd, vt generemur, curet, ſiue quòd vnà gignatur nobiſcum: ſiue etiam quòd nos genitos ſuſcipiat, ac tueatur.

Primam igitur opinionem, vt Cenſorini ordinem ſubſequamur, affirmare videtur Horatius illis Carminibus.

Scit Genius, natale Deus, qui temperat aſtrũ 6
Naturæ Deus humanæ, mortalis in vnum
Quodque caput.

Cui accedit Alex. ab Alex. *d. lib. dierum genial. cap.* 4. Seruius *lib. 6. Aeneidorum in eo Virgilij loco.*

Quiſque ſuos patimur manes.

Ita ſcribens: *Nã cùm naſcimur, duos genios ſortimur, vnus eſt qui hortatur ad bona, alter qui deprauat ad mala.* Docent ex Theologis S. Antoninus *tom.* 3. *titul.* 31. *c.* 7. *§.* 5. Magiſter ſenten. *lib.* 2. *diſtin.* 11. *cap.* 1. vbi vult quemlibet à natiuitate habere vnum Angelum bonum, alterum malum. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 113. *articul.* 5. Vazquez *diſputat.* 245. *capit.* 1. Becanus *tom.* 1. *opuſculorum, opuſculo* 14. *cap.* 11. & ex noſtris Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori, cap.* 1. *numer.* 2. Quorum omnium ſententia ea ratione fulcitur, quia ante natiuitatem non videtur neceſſarius Angelus in paruuli cuſtodiam, ſiquidem ab eodem Angelo, à quo & mater ipſius, commodè cuſtoditur. Nam in vtero matris eſt quaſi vnum quid cum illa per colligationem, vt ex Conſulto probari poteſt
in l. 1. *§. ex hoc reſcripto, ff. de inſpic. ventre, &* 7
in l. curator; vbi notat Gloſſ. *de ventre in poſſeſſionem mittendo*: idque pluribus confirmat Hotom. *lib.* 7. *obſeruat. capit.* 18. & Oſuald.
lib. 5. Donelli *cap.* 15. *liter. B.* Sibill. *in ſpeculo* 8
peregrinarum quæſt. decade 2. *capit.* 4. *quæſt.* 4. Marti. de Roa *vbi ſuprà*: eo modo quo fructus dependens ex arbore, idem eſt cum arbore, & ab eodem cuſtoditur à quo & arbor, vti ex D. Hieronymo nouiſsimè teſtatur P. Petrus de Ieſus Maria *in ſufficientia concionat. tract.* 3. *aſſertio.* 11.

Quam ſententiam meritò ea ratione repellit
Pater Suarius *d. lib. de Angelis, cap.* 17. *num.* 9
18.

18. quòd licèt fœtus dum eſt in vtero phy-
ſicè ſit tanquam pars matris: tamen in ordine
ad ſalutem animæ eſt perſona diſtincta. Vnde
10 eſt capax peccati originalis, vt proximè oſten-
dimus: Et per gratiam Dei eſt capax meriti, vt
in Ioanne Baptiſta expertum eſt. Quapropter
11 matre baptizata, qui vtero geſtabatur, debet ſa-
cra ablutione tingi, cùm duæ ſint, nihil commu
ne habentes animæ, duæ voluntates, vt probat
expreſſe D. Auguſt. *in cap. ſi ad matris* 114. *de
conſecrat. diſt.* 4. his verbis: *Si ad matris corpus,
id quod in ea concipitur, pertinet, ita vt eius pars
deputetur, non baptizaretur infans, cuius mater
baptizata eſt aliquo mortis vrgente periculo, cùm
eum geſtaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipſe
baptizetur, non vtique bis baptizatus habetur:
non vtique ad maternum corpus, cùm eſſet in vte-
ro, pertinebat.* Conducit *text. in cap. qui in ma-
ternis* 115. & *text. in cap. ſi qua mulier* 118. *ea-
dem diſtinctione*: idque deffinitum extat Cōcilio
Bracharē ſi *ſect* 2. *Canon.* 54. & anteà Concil.
Neocęſar. *cap. 6.* Comprobant Bonacina *de Sa-
cram. diſp* 2. *q.* 2. *puncto* 6. *num.* 6. Comitolus
reſponſor. moral. lib. 1. *q.* 13. *num.* 2. & alij pluri
mi relati nouiſsimè ab Antonino Diana *reſolu-
tio. moral. p.* 2. *tract.* 1. *Miſcellaneo reſolut.* 43.
& 5. *p. tract.* 3. *reſolut.* 12. vbi probat, puerum
ſi in vtero matris moriatur, poſſe ibi baptizari.
Theodor. Balſamon. *tit.* 4. *Nomocan. tit.* 10. Gu
lielm. Forner. *in l. partum* 26. *de verb. ſignific.*

Secundam verò opinionem, quam Cenſori-
12 nus præſentit, ſcilicet cuſtodem ante conce-
ptionem hominibus deſignari, vt ipſorum gene-
rationem procuret, fuiſſe doctiſsimi Tertulliani
videtur *lib. de Anima cap.* 37. vbi refert aliquā
poteſtatem miniſtram Dei moduiari in vtero
hominis conceptionem, idemque ibidem no-
tat Pamelius.

A qua, tertia eiuſdem Auctoris relata ſenten-
13 tia parum differt, quæ habet vnâ nobiſcum An-
gelos generari, ideſt, ipſo animationis inſtanti
tutelæ noſtræ præfici; vt docuiſſe videtur D.
Hieronym. *ſuper illud Matth.* 18. Angeli eorū,
&c. ibi: *Magna dignitas animarū, vt vnaquæq;
habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſuā, An-
gelū delegatū.* Placuit etiā Anſelmo *in Elucida-
rio* his verbis: *Vnaquæque anima, dū in corpus
mittitur, Angelo cōmittitur.* Bonau. & Gabriel
in 2. *diſt.* 10. & ibidem D. Thom. *quæſt.* 1. *art.* 3.
ad 3. & eam ſequentibus rationibus fulcit Pa-
ter Suarez *dict. cap.* 17. *num.* 18. Quia ex tunc
incipit homo eſſe viator, & capax peccati, ſal-
14 tim originalis: ergo ex tunc indiget proprio cu
ſtode, qui corpus eius tueatur à periculis, vt
poſsit peccato originali mundari. Deinde quia
15 credibile eſt, ſtatim illi adiungi dæmonem, qui
ſpecialiter nocere, & damnum inferre procu-
ret: igitur etiam debet illi ab eo tempore An-
gelus deputari, qui peſsimi ſpiritus nociua ope-
ra auertat. Neque obſtare inquit, quòd Tute-
laris Angelus matri deſcriptus hanc curam cir- 16
ca partum, etiam anima præditum, exhibere
poteſt, quia per ſe ſolùm hæc filij ſolicitudo per
tinet ad eum, quando ad bonum matris eſt ne-
ceſſaria. Poteſt autem in ſolius filij vtilitatem
redundare; & ſpeciali affectu, & magis proprio,
proprius Angelus illam habebit. Et aliquando
mater proprio cuſtodi inobediens aliquid ope-
rari poteſt, ſuo filio nociuum: Quod proculdu-
bio, ſi à ſpeciali eius Angelo non impediretur,
ingenti afficeretur damno: ergo opus eſt, vt ab
animę receptione, ideſt à quadrageſimo die in
maſculis, & octuageſimo in fœminis, vt ſuo 17
loco ediximus, filius diuerſum à matre Ange-
lum ſortiatur. Cui opinioni, vt certiori, liben-
ter adhæreo.

Nihilominus quartam Cenſorini aſſertionem
nonnulli tenuerūt exiſtimantes, poſt genitos, 18
& iam diu in lucem emiſſos homines Angelorū
defenſioni tradi, quorum meminit Origenes
tract. 5. *in Matthæum* referens, quoſdam di-
xiſſe à tēpore baptiſmi incipere, ſed perperam,
vt indicant D. Antoninus, Becanus & Suarius 19
vbi ſuprà. Verùm quod mirari magis oportet,
non defuit, qui iam pueris & adultis ſolùm cu-
ſtodes deputari arbitraretur. Ita ſentit Proclus 20
Comment. in Alcibiadem Platonis, hac verbo-
rum ſerie: *Bonus Dæmon cuiuſque vnumquem-
que cuſtodit à pueritia, actionesque omnes explo-
rat, & verba*: exiſtimabat enim eſſe neceſſariā
ætatem adultam, quia in ea tantùm cuſtodia re- 21
quiritur, vt eius rei nobile teſtimonium ex Vl-
piano deprehendi poteſt *in l. ſi vt certo* 5. *§. cu-
ſtodiam, ff. commodati*, ibi: *Nam interdum & ho-
minis cuſtodia præſtanda eſt, ſi vinctus commoda-
tus eſt, vel eius ætatis, vt cuſtodia indigeret.* Ex
quibus verbis, cum Accurſio Albericus *ibidem
num.* 7. & Anton. Faber. iuuenes ſiue adoleſcen-
tes proferunt, maxima cuſtodia indigere, pro-
pter ſuſpicionem morum. Nihilominus tamen,
vt optimè ſcribit P. Suarius *num.* 17. certùm
eſt, etiam ante adultam ætatem, ſpiritus cuſto-
des hominibus delegari, vt ſenſit Origenes; &
manifeſtè conuincitur ex illo Matthæi 18. *Non
contemnatis vnum ex his puſillis, quia Angeli* 22
eorum, &c. Puſillus enim, ſiue paruulus, qui in
medio erat, nondum ad rationis vſum perue-
nerat, vt eodem loco probat D. Hieronymus,
Chryſoſtomus *hom.* 59. & Ambroſ. *lib.* 7. *in
Lucam cap.* 9. & tamen ſpecialiter ſibi deputa-
tum Angelum cuſtodiæ habebat.

Illud tamen hac in quæſtione adnotaſſe ſuffi-
ciat; Angelicam cuſtodiam, quæ ab iniuncta 23
corpori anima rationali exorditur, vſque ad ip-
ſius corporis & animæ diſſolutionem perſiſtere,
non verò vlteriùs progredi, vt nonnullis ratio-
ni-

nibus id egregiè ſtabilit Becanus *d. opuſcu-*
lo 14. *cap.* 11. *in fine*. Quamuis non eſſe diffiten-
dum pronuntiet, Angelum cuſtodiæ poſt actã
vitam, ſi non cuſtodire, ſaltem deducere ani-
24 mam ſibi commiſſam, vel ad cœlum, vel ad ex-
piationis ſinum, veluti ex eo Lucæ ſuadetur *c.*
16. *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & porta-*
retur ab Angelis in ſinum Abrahæ: & expreſsiùs
confirmat Proculus vbi proximè ſequentibus
verbis: *Bonus Dæmon cuiuſque, vnũquemque cu-*
ſtodit à pueritia, actioneſque omnes explorat, &
verba: ante parentes prouidet, & poſt parentes
adeſt, tanquam totius vitæ gubernator, atque poſt
obitum dux eſt nobis ad iudices.

SVMMARIVM.

Partus bimeſtres, trimeſtres, quadrimeſtres, & tandem quinquemeſtres, & ſemeſtres, omni tempore illegitimi, & abortiui ſunt habiti. 1.

Septimus grauidationis menſis, vt naturale initium pariendi, ab omnibus conſtituitur. 2.

Vterus ſtatim vt concepit, vſque ad ſeptimũ mẽſem contrahitur. 3.

Partu accedente, qui eſt in vtero, motu, & calcitrationibus pelliculam rumpit, quam niſi dilaceraret, minimè naſceretur. 4.

Pueri motus, & calcitrationes ante ſeptimum menſem non contingunt. 5.

Partus, qui ſeptuaginta diebus mouentur, ſeptimo menſe in lucem prodeunt; qui verò nonaginta, nono emittuntur. 6.

Fœtus mares circa quadrageſimum diem dextro vteri latere mouentur; fœminini verò ſiniſtro, circa nonageſimum. 7.

Duplex motus in partu inuenitur, vnus vitæ manifeſtatiuus, alter verò præſagus, & index partus. 8.

Prohibitio accedendi ad vxorem poſtquam infans in vtero motum fecit, intelligitur de ſecundo motu, indice partus. 9.

Pœna concumbentis cum vxore ieiunium erat, ſi poſt primum motum, dierum decem, ſi poſt ſecundum, viginti. 10.

Partus ante ſeptimum menſem editos, vitales eſſe, falsò contendit Carranç. 11.

Quinquemeſtres & ſemeſtres partus incolumes vidiſſe aliqui referunt. 12. *ſed falsò.* 14.

Medicina ab ipſa experiẽtia originem ducit. 13.

Conceptus initium, ſæpeſæpiùs mulieres ignorant. 14.

Septimo menſe editus partus, de iure legitimus habetur. 15.

L. quod certatum 3. *C. de poſthumis hæred. inſtit. explicatur.* 16.

Natus dicitur, qui viuus editur. 17.

Vox ſignum eſt vitalitatis. 18.

Motus brachiorum & pedum, reſpiratio, & oculorum apertio, vitæ ſignum non præbent, cũ etiam in mortuo dari poſsint. 19.

Infans in lucem editus, rectè poteſt per aliquod tempus vagitum non emittere. 20.

Infans plorare nequit, quoties ductus vmbilici, quem medici vracum vocant, collo, aut gutturi ipſius alligatur 21.

Verba d. l. quod certatum: Si viuus perfectè natus eſt, *de perfectione temporis ad naſcendum ſunt intelligenda.* 22.

L. quod dicitur 12. *ff. de lib. & poſth. exponitur.* 23.

Filius, qui execto matris vtero extrahitur, iura habet ſucceſsionis, ſi eo menſe ſit extractus, quo viueret, ſi aliter naſceretur. 24.

Partus quicumque ante ſeptimum menſem editus, immaturus, & illegitimus in iure habetur. 25. *etiam apud noſtros.* 29.

Menſis ideò curſus lunæ appellatur, quia mẽſum ſpatium conficit. 26.

Carrança, *& reliqui putantes nouiter à Iuſtiniano fuiſſe deciſum. ſeptimeſtres partus eſſe perfectos, planè decipiuntur.* 27.

Verbum Sancimus, *regulariter nouum ius inducit, niſi ſubiecta materia aliud requirat.* 28.

Lex 13. *Tauri deſumpta videtur ex l.* 3. *C. de poſthum. hæred. inſtit.* 30.

Filius, qui viuus naſcitur, in dubio legitimus, & perfecti temporis creditur, maximè vbi conceptionis initium ignoratur. 31.

Partus viginti & quatuor horis viuus poſt natiuitatem permanens, legitimus iure noſtro habetur. 32.

Alphonſus Perez de Lara *reprobatur, dum putat medicos eſſe conſulendos, vbi quinto, vel ſexto menſe partus vitalis editur, vt illum, vel naturalem, vel illegitimum ad ſuceſsionem declarent.* 33.

Iuris diſpoſitioni ſtandum eſt circa partum, licèt contrarium medici ſentiant. 34.

Nullus partus ante ſeptimum menſem ſalubriter in lucem prodire poteſt. 35.

Septenarij numeri perfectioni vitalitas ſeptimeſtris partus tribuitur. 36.

Septenarius numerus ſacer in iure vocatur. 37.

Iſaac primus fuit ſeptimeſtris, cuius cauſa Deus cæteris ſeptimo menſe naſcituris vitam eſt pollicitus. 38.

Septimeſtris partus incolumitas à D. Hieronymo *miraculo adſcribitur.* 39.

Partus quolibet die ſeptimi menſis vitaliter edi poteſt. 40. & 43.

Septimeſtres regulariter, vel in principio, vel in fine ſeptimi menſis naſcuntur. 41. & 44.

Partus, qui initio ſeptimi menſis editur, maturus; qui verò in in fine, maturior vocatur. 42.

Octomeſtris partus, illegitimus, & vltra octauum diem minimè vitalis ab aliquibus creditur. 45.

Octimeſtres partiones vitales eſſe magis probatur. 46. 47. *&* 54.

Naturalia, immutabilia ſunt. 48.

Octimeſtres partus aliquando, & in pluribus regionibus vixiſſe conſtat. 49.

Quæ ſecundùm naturam ſunt, ordinata eſſe debent. 50.

Nihil datur in natura ſuperfluum. 51.

Lac non niſi eo tempore prægnantibus natura ſuppeditatur, quo viuum, & alimento indigentem partum emittere poſſunt. 52.

Octimeſtris partus nulla in iure ſit mentio. 53.

Octimeſtres partus quamuis naturales, & legitimi ſint, non tamen ita vitales, vt ſeptimeſtres, & nonimeſtres exiſtunt. 55.

Nonimeſtres, naturales, legitimos, & vitales omnes fatentur. 56.

Nonus menſis, ordinarius terminus eſt pariendi. 57.

Nonimeſtres, ſiue initio, medio, aut fine menſis naſcantur, legitimi ſunt. 58.

Nonimeſtres, partus perfectiores, & frequentiores quàm decimeſtres, multi putant. 59. *Contrarium eſt verius.* 60.

Chriſtus ſecundùm carnem, omnium perfectiſſimus fuit. 61.

Chriſtus ſecundùm plurimos decimo menſe fuit natus, & nono ſecundùm aliquos 62.

Beata Virgo, & Sanctus Ioannes Baptiſta decimeſtres fuere. 63.

L. 4. *titul.* 23. *p.* 4. explicatur. 64.

Decimeſtres partus naturales, & ſucceſſionis capaces ſunt. 65.

Vndecimeſtres partus plerique vt naturales admittunt. 66. *& ſeq. Cōtrarium tamen alij verius putant.* 68. 69. 70. *&* 71.

Partus intra ſeptem primos dies vndecimi menſis editus, naturalis, & legitimus eſt. 72.

Opiniones, quæ circa partus vndecimeſtres contrariæ inueniuntur, verè conciliantur. 73.

Omnes partus vndecimeſtres, ſiue in fine, ſiue in principio menſis naſcantur, illegitimi, & ſucceſſionis incapaces iure noſtro habentur. 74.

Partum, etiam decimoquarto mēſe natum, aliqui legitimum vocant: ſed contrarium eſt verius. 75.

Partus, cuius natiuitas Dæmonis arte in duodecimum, decimumtertium, aut decimumquartum menſem protrahitur, legitimus habetur. 76.

Menſes, qui ad partum deſiderātur, triginta dierum eſſe debent. 77.

QVÆSTIO VI.

Cuius ætatis fœtus, ſi in lucem producatur, viuere poſſit?

ANcipitem (quæ iam diu multorum ingenia torſit) diſcuſsionem ſuſcipimus, & quam non ſolùm, vt Iuriſconſultum, ſed vt Medicum, & in philoſophia verſatiſsimum hominem decebat, nouiſsimè exagitauit compatriota hiſpanus & amicus noſter Alphonſus de Carrāça *diſput. de vera humani partus, & naturalis deſignatione* ex cap. 7. vſque 15. *caput.* Quocirca nulli non probatum iri exiſtimo, ſi vt trāſcriptionis dedecus ſubterfugiamus, & muneri noſtro debitam concertationem rependere videamur, eam perfunctoriè, & velut ſuſpenſo brachio expedimus: ſed non adeò, vt dum paucis rem conſtringere deſideramus, obſcuritatis potiùs moleſtiam legentibus attuliſſe detrahamur: facillimè enim quæſtio digerenda erit: & vt ita eueniat, à bimeſtri partu exordiēdum eſt.

Statuo itaque (licèt contrarium magis arriſerit Alphonſo de Carrança *dict. capit.* 7. & Ioanni Torreblanca *lib.* 5. *iuris ſpiritualis cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 41. *cum ſequentibus*) bimeſtres, trimeſtres, quadrimeſtres, & tandem quinquemeſtres, & ſemeſtres partiones, necdum inſpecta naturali ratione, verùm & ciuili diſpoſitione attenta, omni tempore (Vlpiani ſcilicet, aliorumque Iuriſconſultorum, necnon & Iuſtiniani Imperatoris) immaturas, & illegitimas extitiſſe, abortionumque potiùs nomina, quàm editionum aut partuum obtinuiſſe. 1

Idque in primis comprobatur communiori omnium medicorum aſſenſu, qui dū ſeptimum menſem naturale initium pariendi conſtituunt cum Hippocrate *lib. de ſeptimeſtri partu*, & Galeno *ibidem* Auicen. *lib.* 3. *fen.* 31. *tract.* 2. *cap.* 1. & alijs à Carrança adductis *c.* 9. *num.* 3. & nouiſsimè ab Auguſtin. Barboſa *in votis deciſiuis lib.* 1. *voto* 12. *num.* 3. *cum ſequentibus*, neceſſariò ſupponere videntur, anterioribus menſibus nullum partum vitaliter edi poſſe, quod obfirmat Aul. Gel. *noct. Att. lib.* 3. *cap.* 16. 2

Quod expreſsis rationibus conuincitur. Nā vt Auctor eſt Ariſtoteles *lib.* 7. *de hiſt. animal. cap.* 4. cùm ſemen conceperit vterus, ſtatim ſe contrahit, donec ad ſeptimum menſem ventum eſt, id eſt, ad partum vſque, *vt lib.* 4. *de generat. animal. cap.* 5. ipſe ſe exponit: ergo ante huiuſmodi tempus naturalis partus contingere non poteſt, cùm toto conceptionis ſpatio ſit vterus concluſus, & quidem magna ex parte à quadrageſimo die, vt proximè oſtendimus. 3

Deinde ex eo ſuadetur hos omnes partus ſecundùm naturæ præſcriptum vitaliter emitti non poſſe: Quia aſſertore Hippocrate *lib. de natura pueri*: *Quando verò mulieri partus appropinquat, tunc puero ſe mouente, & manibus & pedibus calcitrante, pelliculam quamdam rumpi contingit, quam niſi dilaceraret, lucem videre nō* 4

poſ-

poſſet. Veluti etiam agnoſcit Carrança *cap.* 1.
5 *§. 3. num.* 5. Sed hi motus, & calcitrationes ad pelliculatum diſruptionem, & fœtus emiſſionem requiſitæ, ante ſeptimum menſem non contingunt, etiam illis qui otiori ſpatio perficiuntur, vt conſentit Carrança *cap. 10. num.* 8. *&* 17. infraque patebit. Igitur ante huiuſmodi tempus nullus legitimus, & naturalis partus cognoſci debet. Minorem obfirmat idem Hippocrates, nam poſtquam *lib. de natura pueri* edixerat, maſculum tribus menſibus moueri incipere, fœminam verò quatuor elapſis, *lib. 6. popul. part. 7. textu* 29. ſubijcit: ***Dolores per circuitus fiunt: qui autem in ſeptuaginta mouetur, is triplicato numero perficitur: qui vero in nonaginta, is etiam triplicato numero abſoluitur.*** Qua ſententia, inquit Ludouic. Mercat. *lib. 4. de puerperarum affect. c.* 1. videtur complexum fuiſſe duo tantùm pariendi ſtatuta tempora, nimirum ſeptimum &
6 nonum menſem. Nam qui ſeptuaginta diebus mouentur, ſeptimo menſe in lucem prodeunt: qui verò nonaginta, nono. Ex quibus colligitur, motus & cætera ad perfectum partum neceſſaria, ſeptimum menſem nō præcedere, quia ſi potiſſima ratio pariendi, vt ratiocinatur Mercatus, & tempus, ex labore ac moleſtia motibus infantis illata perficitur, priori motui ſeptuageſimi diei neceſſariò motus ad partum triplicato ſpatio, id eſt, ſeptimo menſe reſpondebit, vt ipſe latiùs proſequitur.

7 Quod minimè infringi videtur eo Ariſtotelis *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 3.* vbi ait: *Mares fœtus circa quadrageſimum diem dextro potius latere moueri, fœmellos ſiniſtro circa nonageſimum.* Siquidem ex ſententia Eruditiſſimi Ludouic. Mercat. *dicto loco*, duplex in fœtu motus cognoſcitur, alter vitæ manifeſtatiuus (de
8 quo loquitur Carrança *cap. 1. ſectione 1. num. 29.*) qui quadraginta & duobus diebus (in maſculis videlicet) effulget, de quo Ariſtotelem eſſe intelligendum, nec ex eo ſolùm elicitur, quòd ferè eiuſdem temporis ſpatium præfinijt: ſed quia dicto loco, vbi huiuſmodi ſententia inuenitur, de ſignis conceptus diſſerit, vt vel ex capitis argumento ſatis liquet, quod eiuſmodi extat: *de indicijs conceptionis.* Alter verò motus contingit praſagus & index partus, quem ſeptuaginta, aut nonaginta diebus euenire refert Hippocrates ſic interpretandus verbis proximè ſcriptis, *& lib. de natura pueri*, vbi Ariſtoteli extitiſſe contrarium admonet, ſed minus bene Carrança *dict. §. 3. num.* 4.

9 De quo ſecundo fœtus motu accipiendum eſt Burcardi decretum *lib.* 19. ita conceptum: *Concubuiſti cum vxore tua, poſtquam infans motum in vtero fecerat, vel ſaltem quadraginta dies ante partum? Si feciſti, viginti dies in pane, & aqua pœniteas*: quod ex illis verbis, *Vel ſaltem quadraginta dies ante partum*, ſatis deſumitur, necnon & ex numero dierum, quo pro tali concubitu pœnitere debet. Nam ſi de 10
primo motu conceptionis indice in eo mentio haberetur, non viginti dierum ieiunium imponeretur, ſed decem tantumdem, quæ ſtatuta erat pœna illis, qui poſt manifeſtatam ſignis conceptionem vxoribus miſcebantur, vt ex ſequenti eiuſdem Burcardi decreto liquet in hæc verba: *Concubuiſti cum vxore tua poſt manifeſtatam conceptionem? Decem dies in pane & aqua pœniteas.*

Ex quibus omnibus rationibus, vt cœptum iter proſequamur, veluti inconcuſſum depromitur, omnes omnino partus ante ſeptimum ingrauidationis menſem exeũtes, nequaquam naturales haberi, ſed immaturos, & naturæ repugnantes. Aduerſus quod prolatum vrgere 11
non videtur ratio, qua dumtaxat ſuffultus cõtrariam opinionem, vt probabiliorem philoſophum agens defendit Carrança *dict. cap. 9. num.* 10. videlicet quòd licèt rariùs, quandoque tamen experientia compertum eſt quin- 12
quemeſtres, & ſemeſtres partus vitaſes eſſe, vt ex diuerſis partionibus, quas hoc tempore cõtigiſſe referunt nonnulli Medici Scriptores, quorum ipſe meminit *num.* 1. planum euincitur. Vnde cùm Medica ſcientia nil aliud ſit, 13
quàm notitia quædam, quę ab ipſa ducitur obſeruatione, vel experientia, vt *num.* 8. ipſe conatur adſtruere, conſectarium infert huiuſmodi partus ipſam naturam admittere, veluti varijs ſucceſſibus comprobatur. Alioqui nec rarò accidere poſſent, quod vtique inquit & Hippocrates & Ariſtoteles faterẽtur, ſi fortè quinquemeſtres, vel ſemeſtres partus videre his contingeret.

Quia etſi indubium ſit, & medicinam experimentis eſſe comparatam, & tot Scriptores ſe quinquemeſtres & ſemeſtres partus vidiſſe, aut quod certius eſt, à parturientibus, ſeu alijs perſonis accepiſſe, eos quos viderint ita exiguo tempore fuiſſe emiſſos: tamen his ſucceſſibus non tantùm tribuendum eſſe exiſtimo, vt eorum cauſa receptiſſimam, & naturalibus rationibus munitam ſententiam deſtituere cogamur: & quòd magis caueri oportet, vt contrariam veluti irrefragabile medicinæ axioma eſſe arbitremur: nam cùm ſæpe ſæpius conceptus initium mulieres ignorent, vt ex *l. 1. §. ſi mulier, ff. de lib. agnoſcend. l. 1. §. per calumniam, ff. ſi mulier ventris nomine*, ex plu- 14
rimorumque iudicio reſoluit idem Carrança *dict. cap. 1. ſect. 1. num. 24. & cap. 11. num.* 54. 55. & ante eum Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap. 10. num.* 19. vbi id ex Ariſtotele probat, & poſt eos innumeris congeſtis confirmat Ioſephus Ramonius *conſil. 63. n.* 9.

ipſis

ipſis quamuis aſſerentibus partus, quos ediderunt, quinquemeſtres, vel ſemeſtres fuiſſe: ſi tamen diu vitales perſeuerauerint, ſtandum non erit: ſed imò credendum illas, vel quas perſonas ab illis accepiſſe fuerit compertum, circa conceptionis principium eſſe deceptas, vt exiſtimandum admonet in ſimili caſu Princeps Philoſophiæ Ariſtoteles *ad lib. 7. hiſtor. animalium c. 4.* illic: *Vnde fit, vt ſi quis ſeruetur, non octauo menſe natus exiſtimetur, ſed mulierem ſui conceptus initium latuiſſe*, cui ex noſtris ſubſcribit Chriſtophorus de Paz *de tenuta cap. 68. num. 42.* & mulieres decipi inquit Hippocrates *lib. de natura pueri*, putantes plures quàm decem menſes partum geſtare. Quo circa, inquit Ioannes Riolanus *in compēd. vniuerſæ medicinæ. ſect. 7. cap. 9.* his hiſtorijs, quas Montuus, & Ioan. Mena referunt, fidem non eſſe adhibendam.

Et quòd hæc medicorum crebriori calculo approbata ſententia Iuriſconſultorum etiam tempeſtate præualuerit ex generali Vlpiani definitione, *in l. inteſtato 3. §. fin. de ſuis & legitimis hæred.* quam etiam Paulus protulit *in l. ſeptimo menſe 12. de ſtatu hominum*, euidenter deſumitur, ſiquidem cum vno & altero loco teſtimonio illius eruditiſſimi ſenis Hip-
15 pocratis faciè medicorū Principis, vt regula tradatur, ſeptimo menſe editum partum legitimū eſſe, à fortiori indicari videtur, ante huiuſmodi tempus quocumque menſe exeūtem, illegitimum, & ſucceſſionis incapacem haberi, vt hac ſola ratione præter eos, quos ita ſentiētes concenturiauit Carrança *dict. cap. 9. num. 3.* & Franciſc. Torreblanca *iuris ſpirit. lib. 5. cap. 4. ſect. 2. num. 45. & ſequent.* defendunt Caſſanæus *conſil. 19. num. 6.* Franciſcus Marcus *deciſ. 168. n. 4. p. 2.* Vincent. Hondedeus *conſil. 60. num. 43. volum. 1.* Franciſc. Curtius Iunior *conſ. 229. num. 5.* Quintilian. Mandoſ. *in reg. 19. Cancellariæ quæſt. 7. num. 6.* Boerius *deciſ. 220.* Afflictis *deciſ. 236. num. 4.* Petrus Faber *in l. non poteſt 208. ff. de regulis iuris*, Hubert. Giphan. *in l. quod certatum 3. C. de poſthum. hæred. inſtit.* vbi ita à Parlamento Toloſano, cùm quæſtio occurriſſet, fuiſſe deciſum ex Petro Fabro, vbi ſupra commemorat, idemque Parlamentum declaraſſe obteſtatur Renatus Chopinus *lib. 3. de moribus Pariſienſ. tit. 1. num. 3. in fine.* Quamuis aliud eiuſdem Supremæ Curiæ Areſtum contrarium referat *lib. 3. de priuileg. ruſticorum c. 8. num. 5.* quod etiam recenſet Caronda. *lib. 7. reſponſorum cap. 78. & c. 98.* Forcatulus *in cupidi Iuriſper. cap. 21. num. 6.* Getardus Maynardus *deciſ. Toloſſanar. lib. 5. deciſ. 77. num. 4.* noſter Alphonſ. Perez de Lara *in compēdio vitæ hominis c. 10. n. 17.* Ioſeph. Ramonius, qui huius opinionis plures enumerat *conſ. 63. n. 1.*

Nec contrarium adſtrui poteſt ex illa Cōſultorum antiquiſſima, & pene implacabili altercatione, cuius ſolus Iuſtinianus meminit in 16
dict. l. quod certatum 3. C. de poſt hæred. inſtit. ſiquidem inter eos non diſceptabatur, quo tēpore editus partus vitalis, ſeu legitimus arbitraretur, vt nos exquirimus: ſed illud, quando ſcilicet verè poſthumus natus, & in orbem deuolutus diceretur; vt quamuis iuſto tempore productus, eius natiuitate paternum teſtamētum ruptum viribus careret. Qua in controuerſia Proculianis placebat, tunc natum poſthumum exiſtimandum, cùm vocem emiſiſſet, licèt illico decederet. Nam ex quo ille tātùm 17
propriè dicitur natus, qui viuus à maternis latebris exiuit, *l. qui mortui 129. de verborum ſignificat.* & notat Sforcius Oddus *conſil. 28. n.*
47. Nullum ita concludens vitalitatis ſignum 18
deprehendi poſſe meritò diiudicabant, quam ipſam vocis emiſſionem, quæ niſi ab omnino viuo edi non poteſt, iuxta Hippocratis & Ariſtotelis doctrinam, quam refert Carrança *dict. cap. num. 26.* Cætera verò ſigna, vtputa motus 19
brachiorum & pedum, aeris emiſſio ex ore, imò etiam apertio oculorum, etſi viuētis operationes regulariter ſint, haud indubitata ſigna vitæ præbent, cùm etiam à mortuo fieri poſſibile eſſe affirment ex Medicis Doctiſſimus Auicenna *in lib. 3. de appoplex. prim. fen.* & ex noſtris Caſſaneus *dict. conſil. num. 18.* Franc. Marcus *vbi ſupra num. 15.* & Mainard. *dict. deciſ. num. 4.* Econtra verò Sabiniani exiſtimabant, tunc poſthumum natum quoad teſtamēti ruptionem intelligi, quoties viuus naſcebatur, etſi vocem non emiſiſſet antequam ab hac luce ſubtraheretur, quia ſtricta ſignificatione negari non poteſt, omnino natus qui ſpirans & viuus ſit editus: & probatur. Nam ſi fortè infans ob partus difficultatem contuſus, & debilitatus adeò fuerit, vt prout tunc quamuis viuens ſit, vagitum emittere non valeat, ſed mutus perſiſtat eo breui ſpatio, quo in viuis eſt, vt fieri poſſe teſtatur Menoch. *conſil. 284. num.*
34. Tuſchus, & Marius Giurba, quos idē Car- 20
rança adducit *num. 26. penè ad calcem*, falſum eſſet obfirmare hūc verè natum non eſſe, cùm viuens ſit editus, quod dumtaxat ex vi verbi requiritur, vt natus quis dicatur, argum. *dict. l. qui mortui*, vbi communiter notatur. Nec ſatisfacit, quod huic obiectioni Proculianorum opinioni adhærens reſpondit ibidem Carrança, videlicet, hūc caſum Proculianos non negaſſe, ſed illum velut inſolitum contempſiſſe, ne à ſua generali deuiarent ſententia. Nam 21
ita rarus, & inconſuetus eſt, vt ferè quotidie eueniat, veluti experientia multarum obſtetricum conſtare mihi relatum eſt, præcipuè quoties ductus vmbilici, quem medici vracum vocant, collo aut gutturi naſcentis

centis alligatur, quod multoties contingit.

Et quòd inter Proculiani & Sabiniani fautores diſſenſio quoad legitimũ tempus pariẽdi non fuiſſet, vel ex eo ſolo colligitur, quod Iuſtinianus ſcribit *in dict. l. quod certatum*. Nã poſtquam Sabinianorũ ſententiam laudaſſet, ſanciuit, vt ſi viuus perfectè natus eſſet poſthumus, licèt illico deceſſiſſet, nihilominus teſtamentum rumpi. Si enim inter huiuſmodi conſultos, circa quantitatem temporis ad naſcendum ipſa natura requiſitam dimicaretur, Sabinianis adhærens Iuſtinianus, qui ſecundum Carrancæ exiſtimationẽ in ea ſententia erant, vt quocumque tempore partus ederetur, dummodo viuus, legitimus eſſet, ineptè illa verba
22 ſubijceret: *Si viuus perfectè natus eſt*, quæ de perfectione temporis eſſe intelligenda admonet meritò Caſſaneus *dict. conſil. 19. num. 7.* Tiraquel. plures illius ſententiæ enumerans *in l. ſi vnquam, verſic. Suſceperit liberos num. 205. C. de reuoc. donat.* Ceruantes *in l. 13. Tauri num. 26.* Petrus Faber, & Vbertus Giphan. *vbi ſupra.* Nec non & Mauer. *in allegata deciſ. num. 5.* Quibus expreſſe ipſe Carranç. ſubſcribit *cap. 9. num. 25.* Hac enim adiectione Proculianorum ſectam magis comprobare, quàm exprobare videretur. Nam ſi ideò vocis emiſſionem illi in partu deſiderabant, vt congruo tempore editus coniectaretur, veluti proximè adducto loco cõtendit Carrãça, dum Iuſtinianus eandem temporis perfectionem in poſthumi natiuitate expoſtulat, ei magis, quàm Sabinianis ſubſcribere videretur, quòd ipſius verba non admittunt: ergo à fortiori aſſerendum eſt Iuriſconſultorum concertationem, de qua *in dict. l. 3.* non circa legitimum, & perfectum naſcendi tempus extitiſſe, ſed imò circa qualitates & requiſita, quæ filius habere debebat, vt licèt maturo tẽpore ederetur, natus quoad annullandum patris teſtamentum dici poſſet.

23 Quomodo & accipiendum eſſe apparet Vlpiani reſponſum *in l. quod dicitur 12. ff. de liber. & poſthum.* (quamuis in diuerſam eius explicationem plurima effundat Carrança *num. 14. & ſequentibus*) vbi eadem quæſtio agitabatur, ſcilicet, qui filius natus intelligeretur, vt patris rumperet teſtamentum: & tamen reſoluit, natum accipiendum eſſe eum qui ex ſecto matris vtero editus eſt, licèt non integri corporis, aut omnibus membris abſolutus ſit, vel quia claudus, luſcus, aut ſimili læſione laborat, qua non integrum animal fuiſſe editum conſtet, dummodo cum ſpiritu tamen ab vtero exierit, ideſt viuus, & pleni temporis, vt præſenſiſſe ſupponendum eſt cum Franciſco Curtio *dict. conſil. 329. num. 16.* vbi inquit, hunc textum, & reliquos, qui docent extractũ ab vtero matris habere iura ſucceſſionis, neceſſariò debere intelligi, quando talis partus ſectus eſt ex vtero matris eo menſe, quo viuere poteſt, quod ideo *dict. l.* minimè exprimitur, quia non circa tempus legitimum partus dubium vertebatur, ſed circa alias qualitates, & requiſita, quæ haberet neceſſum erat, vt verè natus diceretur.

Cæterùm ex dictis ad prædictam dictæ *l. 3.* 24
C. de poſthum. hæred. inſtit. expoſitionem affatim euincitur, etiam Iuſtiniani Imperatoris fœliciſſimo ſæculo noua conſtitutione fuiſſe repetitum, quod multis retro temporibus erat ſtatutum, videlicet immaturos, & imperfectos 25
partus inter illegitimos quoad iuris effectus reputari, ideſt eos, qui ſexto, quinto, quarto, vel tertio, aut ſecundo menſe emittũtur. Quæ ſententia inuenitur eiuſ. verſ. *Si viuus perfectè natus eſt*, quem ſuæ conſtitutioni innexuit Imperator. Siquidem ante ſeptimum nullus nec maturus, ſeu perfectus (quod idem eſt, vt ſatis comprobat Carrança *num. 4. cap. 6.*) partus reperiri poteſt, ſufficienter hoc indicãte Conſulto *in dict. l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu homin.* illis verbis: *Septimo mẽſe naſci perfectum partum iam receptum eſt.* Quod etiam ex Cicerone ſua liquet *lib. 7. de natur. Deor.* ibi: *Adhibetur autem ad partus, quòd hi matureſcunt, aut ſeptem nonnumquam, aut plerumque nouem Lunæ curſibus, qui quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur.*

Vnde clareſcit Carrançam, reliquoſque, vt 26
certiſſimum proferentes Iuſtinianum nouiter
in dict. verſ. Statuiſſe, ſeptimeſtres partus tan- 27
tumdem perfectos fore cenſendos, manifeſtè decipi. Nam ſi veritate niteretur cupiens Imperator id quod antiquis temporibus anceps, & nondum compertum crediderat (videlicet legitimum tempus naſcendi) ſua deciſione expedire, parum exactè illis verbis fuerat conſecutus: *Sancimus ſi viuus perfectè natus eſt*, niſi ad alias conſtitutiones antiquiores referret, quibus perfectum naſcendi tempus, vtputa ſeptem mẽſium, & aliorum erat præſcriptum, ſcilicet ad *d. l. ſeptimo mẽſe*, & ad *d. l. inteſtato 3. §. fin. de ſuis & legi. hæred.* alioqui eadẽ remaneret inter Iuriſcõſultos altercationis occaſio, adhuc edita Iuſtiniani cõſtitutione, cùm opus eſſet inueſtigare, quale perfectum partionis tempus intelligeretur, quo ſolummodo lucem videntes iuſtos, & legitimos filios appellauit: ergo abnegari non poterit, circa perfectum naſcendi ſpatium nihil à Iuſtiniano fuiſſe ſua deciſione nouiter ſtatutum, ſed hac in parte Vlpiani & Pauli opinioni acceſſiſſe, ad quorum reſponſa citra dubium ea *dict. l. 3.* verba reſpiciunt.

Quòd neutiquam opugnatur verbo illo *ſan-* 28
cimus, initio dicti verſiculi adſcriptum, cuius ea natura, & ſtricta ſignificatio eſt, vt nouum

ius

ius denotet. *l.hac conſultiſſima* 21. *C.de teſtament.cap.ſtatuimus de offic.delegat.lib.6.* apparetque *ex gloſſa in cap.1.de Clericis non reſiden.lib.6. & in Clement.1. verſic.Cenſemus, de conceſſione præbendæ*, quam probat Ioan. Crotus *in repetitione §.Diu. Severus num.52. l.filiusfamil.ff.de legat.1.* Decius & Felinus *in cap.decernimus de iudicijs*, Petrus Rebuf. *in repetitione l.vnic.num.123. & ſequent. C.de ſentent. quæ pro eo quod intereſt*, quia vt optimè ibidem excogitauit Rebuf.*num.129.* cui ſubſcribit Berengatius Paulhacus *in repetit. eiuſdem l.num.193.* id locum habet, quoties ſubiecta materia, vbi verbum, *Sancimus*, inuenitur, talem ſignificationem admittit. Igitur cùm materia, de qua in *dict.l.3.* diſceptabatur, prædictæ ſignificationi obſiſtat, tùm quia agebatur principaliter de confirmanda Sabinianorum opinione: tum etiam, quia licèt eorum ſententiæ illud de perfectione partus addidiſſet, vt ex tunc non ſolùm, qui viuus, vt ipſis placebat, ſed qui viuus, & congruo tempore editus eſſet, rumperet prædefuncti parentis elogium. Tamen id nouiter eorum exiſtimationi adiecit: ſed non quaſi nouo iure decreuit; quo tempore perfectus partus ſit æſtimandus, ſatis eſſe diiudicans ſtatuiſſe poſthumum perfectè natum eſſe debere, vt intelligeretur de eo naſcendi perfecto tempore ſubaudiendum, quod iam erat à Iuriſconſultis præfinitum. Quapropter credendum eſt, verbum *Sancimus in dict.l.* ius nouum non inducere, niſi quatenus Sabinianorum ſententiam comprobat, quæ ante huiuſmodi conſtitutionem pro lege non obſeruabatur.

29 Et tandem iure patrio idem quod à Philoſophis, Conſultis, & Iuſtiniano cautum eſſe indicat *l.4.tit.23.p.4.* vbi Sapiētiſſimus Rex Alphonſus, ſiue qui eius iuſſu prædictæ legis fuerunt conditores, naſcendi legitimum tempus ab initio ſeptimi menſis vſque ad finem decimi præfixerunt, quod minimè immutatum extat diſpoſitione *l.13. Tauri*, vt non iuſta ratione ductus ratus eſt Carrança *in dict.cap.9.num.30.* imò ea roboratur expreſſe non ex eo ſolùm, quòd *dict.l.13.* ferè ſyllabatim deſumpta eſt ab Imperatoria deciſione *dict.l.3. C.de poſthum.hæred.inſtit.* vt poſt Ceruantes in eius expoſitione *num.30.* eodem etiam numero ſuo loco obſeruauit Carrança, qua huiuſmodi ſententiā contineri ſuprà monuimus.

30 Verùm quia *d.l.13.* poſteriora verba manifeſtè demonſtrant, ibi: *Pero ſi por el auſencia del marido, ò por el tiempo del caſamiento claramente ſe probare, que nacio en tiempo que no podia viuir naturalmente, mandamos que aunque concurran en el dicho hijo las calidades ſuſodichas, que no ſea auido por parto natural, ni legitimo.* Quibus verbis, cùm ille tantum partus legitimus, vel naturalis oſtendatur, qui perfecto & maturo tempore fuit editus, proculdubio innuere videntur, eo tempore fieri debere à natura, & legis Regiæ diſpoſitione deſignato. Maximè cùm circa prædictum tempus nihil definierit, vt in melius ſua mutata ſententia vi horum verborum conſtrictus eſt affirmare idem Carrança *num.34.* & rurſus *cap.10.num.28. in fine*, & iterum expreſſiùs, *cap.11.num.46.* vbi ait, his verbis trimeſtres, quadrimeſtres, quinquemeſtres, & ſemeſtres excludi. Nam quod initio prædixerat, ſcilicet: *Ordenamos y mandamos, que el tal hijo ſe diga que es naturalmente nacido, y que no es abortiuo quando nacio viuo todo, y que alomenos deſpues de nacido viuio veinte y quatro horas naturales, y fue bautizado antes que murieſſe*, locum dumtaxat ſibi vendicat, vbi notitia temporis, quo fuit conceptus, haberi non poteſt, 31
vt inde calculatione facta inferri queat, an ſeptimo, vel alio menſe emittatur, quo in dubio etiam attento iure communi, eo ipſo quòd viuus naſcitur, maturus, & perfecto tempore egreſſus præſumitur: ita Socin.Iun. *conſil.35. num.23.lib.2.* Burſat.*conſil.67.num.21.lib.1.* Oddus *dict.conſil.28.num.63.* Fab.Turretus. *conſil.23.num.2.lib.1.* Menoch. *conſil.284. num.3.* Peregrin.*de fideicommiſ. art.43.num.30.* Magon.*deciſione Florentin.41.* & alij congeſti à Vincentio Fuſario *tractatu de fideicommiſſar.ſubſtitut.quæſt.418.num.13.* præcipuè ſi ſpatio viginti & quatuor horarum ſpiritum retinuerit, vt neceſſarium requirit *dict.l.13.* qua velut poſteriori abrogatæ ſunt antiquæ illi fori, hac in quæſtione diuerſimode ſtatuentes, quas immeritò de legitimo naſcendi tempore loqui arbitratur Carrança *dict.cap.num.27. & 28.*

Ergo cùm omni iure ſemeſtres, quinquemeſtres, quadrimeſtres, trimeſtres, itemque & bimeſtres partiones immaturæ, & abortiuæ habeantur, vt ex hucuſque dictis ſatis liquet, incertitudine laborat quod ſcripſit noſter Alphonſus de Lara *in compendio vitæ hominis d.cap.10.num.23.* vt ſi fortè eueniat (veluti fieri poſſe ex Petro de Peramato *lib.de hominis procreatione cap.8.* non inficiatur) quòd partus vitalis quinto, aut menſe ſexto emittatur, Medici ſunt conſulendi, à quorum teſtimonio pendere debet, an naturalis, ſeu legitimus natus haberi debeat, *argum.l.ſemel cauſaria.6. C.de re militari lib.12.* Nam præterquā quòd Medicorum aſſertionibus ſuperiùs conſtitit, hos partus nequaquam naturales eſſe poſſe: nihilominus etſi de hoc ita plenè non appareret, ſi caſus eueniret, conſilium ab illis exigendum non erat, cum manifeſtè tam iuris cōmunis, quàm Hiſpanici leges euſmodi partiones quaſi imperfectas reſpuant, quibus præciſè

ciſè ſtandum eſt, vbi de ſucceſſionibus, adimplemento conditionis ſi ſine liberis deceſſerit, aut alijs iuris effectibus agitur, de quibus latè per Alphonſum de Carrança *à num.* 35. licèt Medicorum ſententia contrariũ tene-
34 ret. *l.leges* 3.*&* 9.*C.de legib.l.minimè,ff.eodem*, & in propoſito teſtantur Minſinger. *centur.6.obſeruat.*14. Petr. Franc. Linglois *in quinquaginta deciſion. Iuſtiniani deciſ.*29. *q.* 1.*n.*2. Carranç.*d.c.*10.*n.*7.

35 Ex quibus omnibus facilè erues, primas vitales partiones ſeptimeſtres eſſe, cùm ante huiuſmodi tempus, ſiue naturam, ſiue ciuiles diſpoſitiones ſpectes, nullus poſſit ſalubriter in lucẽ prodire, ſi Hippocrati credimus *lib. de ſeptimeſtri partu*, Ariſtoteli *lib.*7.*de hiſtor. animal.c.*4.*& lib.*4.*de generat. animal. c.*6. & alijs huiuſce rei peritioribus: aut ſi noſtris Paulo & Vlpiano fides adhibenda eſt *dict.l. ſeptimo menſe ff.de ſtat.hom.* & in repetita deciſ.*l.inteſtato* 3.*§. fin.de ſuis & legit. hæred.* quibus adſtipulatur noſtra *lex Regia* 4. *tit.* 23.*p.*4. qua in ſententia ferè omnes Scriptores cõueniunt, præcipuè quos refert Alphonſ. Carranç.*d.c.*10.*n.*7. & à nobis ſuperiùs enarrati, & qui illis addẽdi ſunt Franc. Curt. Iun. *d.conſ.*329.*n.*7. Petr. Bung.*de myſterijs Numeror.n.*6 *.vltra mediũ*, Auguſt. Barboſ.*d.lib.* 1.*votorum deciſ.vot.*12.*n.*5. *& ſeqq.* Card. Tuſch. *pract.concl.iuris lit.P.concl.*106. *n.* 1. Anaſtaſius Germonius *animaduer. lib.*2.*c.* 14. D. Lauren. Ramirez de Prado *in Pentecont.c.*3. Cabreros *de metu lib.*2.*c.*32.*n.*21. quamuis id in Ægypto ſolummodò procedere ex Marſilio Ficino falſo arbitretur *lib. de vita longa cap.*15. ꝑpter illius regionis aeris ſalubritatem.

36 Cuius rei etſi rationẽ perquiras, naturalẽ & ſupernaturalẽ inuenies: naturalẽ ſcilicet illã, quã numeri ſeptenarij perfectioni communiter Pythagorici tribuunt, vt Cœl. Rhodigin. aſſertione confirmatur *lect.antiq.lib.*22.*cap.* 12.*circa fin.* & aliorũ, quorũ recordatur Al-
37 phonſ. Carranç.*d.c.*10.*n.*9. quare ſacratũ numerũ appellat Concilium Nannetenſe *in c.*
38 *Presbyter.*2.91.*diſt.* Supernaturalẽ itidẽ: nã poſtquam Phil. Iudæus Alexandrin. diſertiſſimus Iudæorũ, qui floruit ſub Caio Calligula, in libro quem de antiquitatibus ſcripſit, atteſtaretur, primũ ſeptimeſtrẽ partũ fuiſſe, quo Iſaac Abrahæ filius in lucẽ prodijt, ſiquidẽ, cũ Deus parẽtibus illũ promiſiſſet, deque illius ſucceſſoribus multa cogitaſſet, cùm iam Iſaac fuiſſet conceptus, Deus ad Abrahã locutus, ſe quaſi impatientem tantæ dilationis nouerit, ſcilicet menſiũ, dixitque ſe ſtatuiſſe, vt primus Iſaac ſeptimeſtris in lucem prodiret, cui non ſolũ diuinitus ſeptimeſtris ad lõgiorẽ vitã data natiuitas nõ noceret, verũ & alijs in poſterũ vbique gentiũ naſcituris ſeptimo menſe propter ipſum Iſaac ſuperſtitem vitam futuram (niſi alijs ex cauſis ſibi pereũdũ eſſet) dare promiſit. Quò reſpexiſſe videtur D. Ambroſ. dum *epiſt.*39.*ad Horontianũ* vitalẽ ſeptimeſtris partus editionẽ miraculo
adſcribit his verbis: *Quantum iſtud miraculi, quod ſeptimo menſe in pleriſque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula ſortitur.* Item & Stephanus Forcatul.*in Cupid.Iuriſper.c.*21.*n.*6. 39

Qui quidem ſeptimeſtres partus non ſolũ 40
vitaliter primis ſeptimi mẽſis diebus emitti poſſunt, vt ſubindicat Conſultus *in d.l. inteſtato* 3.*§.fin. de ſuis & leg.hæred.* dum 182. die editum iuſtũ, & legitimum filiũ appellat, ſed etiam alijs quibuſcumque, donec vltimæ eiuſdem menſis eluxerit, veluti *à n.*13.*ad* 18. ſatis comprobat Carrança *d.loco*. Quibus minimè repugnat Iuriſconſulti Pauli ſententia *lib* 4. *ſuarum ſentent. tit.*9. *§. ſeptimo menſe*, vbi his verbis: *Septimo menſe natus matri prodeſt, ratio enim Pythagorici numeri hoc videtur admittere, vt aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturior videatur*, apertè enunciat, dumtaxat ſeptimo menſe pleno, id eſt expleto partum perfectè, & maturè exire. Nam vt huiuſmodi loci ſenſus percipiatur, ſupponendum eſt ſeptimeſtrium partionum duplicem regulariter ter-
minum eſſe, breuiorem vnum, & alterum lõgiorem, veluti ex Hippocrate, & alijs Medicinæ profeſſoribus conſtat. Breuior eſt, qui ſpatio 182. dierum cõtinetur, de quo loquitur Conſultus *in d. l. inteſtato, § fin.* & eſſe accipiendum Paulum *in d. l. ſeptimo menſe de ſtat.homin.* meritò animaduertit Carranç. *d.loco num.*12. Lõgior verò eſt, quem integri ſeptem menſes perficiunt, de quo dubium nõ eſt Paulum eſſe intelligendum, dum ſeptimo menſe pleno partum maturiorem vocat. Qua voce neceſſariò ſupponit, alium eſſe ante ſeptimum menſem plenum partum matu- 41
rum (alioqui maturior in fine ſeptimi menſis editus, nuncupari nõ poſſet) qui quidem cùm ante ſeptimi menſis aduentum contingere non poſſit, quemadmodum ex dictis extat commoſtratum, conſectarium euadit, ſeptimi 42
menſis initio exire debere. Nam licèt omnibus ſeptimi menſis diebus vitalis partus exire queat, vt nuper notauimus: attamẽ id raro accidit, cùm frequenter, aut principio, aut fine ſeptimi menſis partiones adueniant. 43
Quemadmodum ex Galeno *in commentar. ad librum Hippocratis de ſeptimeſtri partu*, & alijs affirmat Carrança *numero* 16.*&* 18. vbi & numeris ſequentibus cætera ad huius 44

ſeptimeſtris partionis materiam attinentia diligenter perſcrutatur. Quæ hîc tranſcribere operoſum potiùs quàm vtile iudicaui.

Circa octomeſtres verò partus maior dubitatio eſt, vtrùm vitales exiſtãt, ſiquidem tam Medici, quàm noſtri hac in quæſtione acriter diſſentiunt. Quamplurimis enim negatiua
45 magis complacet ſententia, illa ſcilicet, quæ huius temporis partiones, nec naturales, nec legitimas, & nec vltra octauum diem vitales agnoſcit, vt præter alios enixe hoc vltimum defendunt Thom. Grammatic. *in additio. ad deciſio. Afflictis* 236. Sforc. Oddus *conſil.* 28. *num.* 67. Chriſtophor. de Paz *d. 2. p. de tenuta cap.* 68. *num.* 46. Marius Giurba in *Conſ. Meſſanenſ.* 1. *part. capit.* 1. *gloſ.* 4. *num.* 48. Huius ergo opinionis velut præcipui & ante ſignani ſunt Tiraquellus *in l. ſi vnquam, verbo ſuſceperit liberos num.* 205. *&* 206. *C. de reuocand. donat.* Guillerm. Benedict. *in repet. cap. Raynuntius, verbo & ſoboles à num.* 24. *de teſtamentis* Menoch. *de arbitrar. caſu* 89. *num.* 38. *& lib.* 4. *præſumptio.* 89. *num.* 111. Mantic. *de coniectur. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 6. *num.* 10. Cuiac. *tractat. de diuerſ. & temporal. præſcript. cap.* 19. *& in notis ad Iulium Paul. lib.* 4. *ſentent. tit.* 9. *d. §. ſeptimo menſe,* Franc. Marcus *deciſ.* 168. *num* 4. Honded. *conſ.* 60. *num.* 43. Quintilian. Mandoſ. *in reg.* 19. *Cancellar. quæſt.* 7. *num.* 6. Polidorus Ripa *tractat. de noctur. tempore cap.* 68. *numero* 82. Curtius *conſil.* 329. Petr. Faber *in l. non poteſt* 208. *ff. de regul. iuris,* Vbertus Giphan. *in l. quod certatum* 3. *C. de poſthum. hæred. inſtit.* Gerard. Mainard. *deciſ.* 77. *num.* 2. Peregrin. *de fideicommiſ. art.* 43. *num.* 30. Maſcard. *de probat. concl.* 1147. *num.* 2. Alphonſ. de Lara *in compend. vitæ homin cap.* 10. *num.* 34. Vincent. Fuſar. qui plurimos refert *dict. tractat. de ſubſtitut. quæſt.* 418. *num.* 9. quam & iuri noſtro patrio congruam aſſerunt Palacius Rub. Anton. Gom. Tell. Fernand. Ceruan. Velazquez, *omnes in dict. l.* 13. *Tauri,* Gutier. *pract. tom.* 1. *q.* 100. *n.* 8. Villadiego *in l.* 18. *tit.* 2. *lib.* 4. *fori iudicum n.* 6. Mieres *de maiorat.* 2. *p q.* 9. *n.* 10. alijque innumerabiles congeſti ab Alphonſ. Carranç. *d diſput. c.* 11. *num.* 3. *&* 4. vbi & *n.* 5. Philoſophos, & Medicos refert eiuſdem opinionis ſectatores: & tandem *à n.* 4. *vſque ad* 16. varias ex omnigenæ ſciẽtiæ principijs deductas rationes enumerat, quibus frequenter ipſa inſtruitur, & à quibus lubens ſuperſedeo, ſufficiat enim locum indicaſſe, ne quę ibi vtiliter ſcripta ſunt, hic inutiliter reſumantur. Roboratur demum hæc eadem ſententia nouiſſimè ab Hermoſilla *in notis ad gloſſas* 7. *partit. gloſſa* 11. *numero* 10. *l.* 8. *titulo* 4.

Alijs magis contraria pars arridet, & aduerſus communem mordicus intendũt, octomeſtres partiones non diſſimiliter naturales & legitimas, ac ſeptimeſtres, nonimeſtres, & decimeſtres eſſe: ita Bald. *conſil.* 128. *num.* 2. *lib.* 1. *& conſil.* 103. *n.* 5. *lib.* 5. Felin *in c. ſicut literaturam* 20. *n.* 5. *de homicid.* Burſat. *conſil.* 63. *n.* 19. *lib.* 1. Sfort. Oddus *d. conſ.* 28. *per totum* Amatis *deciſ.* 132. *à num.* 6. Petr. Ærod. *rerum iudicat. tit.* 4. *c.* 2. *& tit.* 5. *cap.* 2. Zachias *in medico legali. tit.* 2. *q.* 4. Chopin. *de priuil. ruſtico. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. Domin. Arume. *deciſ. lib.* 2. *deciſ. vltim. exer.* 50. Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 89. *num.* 111. plures congeſti â Cardin. Tuſch. *pract. concl. iuris liter. P. concluſ.* 106. *n.* 4. Bertazol. *in additio. ad conſ.* 452. *Patris Bertazolæ lib.* 2. Anton. Monach. *deciſ.* 42. *num.* 31. ex noſtris idem contendunt Gregor. Lopez *in l.* 4. *tit.* 23. *p.* 4. *verbo, Faſta diez dias,* Cifuentes *in l.* 13. *Tauri n.* 2. Ioan. Garcia *de nobilit. gloſ.* 48. §. 1. *n.* 3. Torreblanca *de Magia lib.* 2. *c.* 43. *n.* 29. *&* 30. & rurſus *lib.* 5. *iuris ſpiritual. cap.* 4. *ſect.* 4. *num.* 72. *& ſeqq.* cûm innumeris alijs, quos refert & ſequitur Carranç. *d. c.* 11. *n.* 17. *&* 18. 46

Hæc denique ſententia, quam veriſſimam 47 reor, his validiſſimis rationibus communitur ab ipſo, præter eas, quas in eius cõfirmationem excogitauit Federic. Bonauent. *ſuo ſpeciali tractatu de octomeſtri partu.* Primò, 48 quia ea quæ naturalia ſunt, immutabilitatem conſequuntur, vt indicat Ariſtoteles *libro* 5. *Ethic. c.* 7. & Iuſtinianus *in §. ſed naturalia de iure natur.* Sed octomeſtris partus, vel ex eo 49 ſolûm naturalis probatur, quòd aliquando vixiſſe teſtantur etiam contrariæ opinionis aſſertores, vt in Ægypto & Græcia idẽ Ariſtoteles *lib.* 7. *de hiſtor. animal. c.* 4. & in Venetia Cardanus *contrad* 8. *tract.* 3. *lib.* 1. in Sicilia Ærodius *vbi ſuprà:* & denique in noſtra Hiſpania Auicenna relatus à Valeriola *lib.* 3. *enarratio. medicinal. enarrat.* 7. Bonauent. *lib.* 10. *de partu octomeſtri cap.* 12. Alphonſus de Lara, qui alios congerit *d. c.* 10. *compẽdij vitæ homi. n.* 26. Ergo ſemper & vbique edatur, naturalis eſſe debebit. Secundò, 50 nam iuxta Philoſophum *lib.* 3. *de gener. animal. c.* 10. ea quæ ſecũdùm naturam ſunt, ordinata eſſe debent. Ergo cùm ſecundùm naturæ præſcriptum ſit ſeptimo menſe partum ſalubriter edi poſſe, veluti ſuperiùs oſtendimus, conſequens erit, vt & octauo non minùs vtiliter edatur, ne in ordinatio detur inter ſeptimum & nonum menſem. Tertiò cõuincitur, quia ſi octauo menſe partus vitalis 51 non eſſet, daretur aliquid in natura ſuperfluum, quod â recta Philoſophia abhorret. Siqui-

52 Siquidem lac non niſi eo tempore prægnantibus ſuppeditatur, quo fœtum ſoſpitē, & viuacē emittere poſſunt: quocirca ante ſeptimum menſem non dari, ſcribit Ariſtot. *lib. 4. de gener. anim. c. 8.* ibi: *Menſe ſeptimo, & non ante lac vtile mulieribus datur*, quòd repetit *lib. 7. de hiſtor. anim. c. 5.* ergo cùm lac etiam octauo menſe perſeueret, vt omnes conteſtātur, manifeſtè conuincitur hoc tempore, vel partum eſſe poſſe vitalem, vel ſuperfluitatem dari in natura, cùm minimè illo menſe naſcituris lac foret neceſſariū, ſi ſtatim, aut ſaltim
53 breui tēpore eſſent interituri. Quartò ciuiliter roboratur, quia in toto iure nec verbum quidē de octomeſtribus partionibꝰ occurrit, quo vel admiſſæ, vel repulſæ coniectetur: ergo cùm ſeptimum menſem, velut legitimum initiū pariendi leges ſupponant, vt ſuperiùs plenè conſtitit, neceſſariò inferri videtur, ab eo tempore, vſque ad illud, quo partū legitimè edi non poſſe pronuntiant, vitales, & ſucceſſibiles partiones reputari debere. Et tandem prætermiſſis varijs rationibus ab eo expēſis, vltimo loco hęc ſententia fulcitur generalitate *l. vxoris abortu, C. de poſth. hær. inſtit. l. quod certatum 3. l. fin. eodem, l. quod dicitur 12. l. Gallus 29. de liberis & poſthum.* iuncta ponderatione Carranç. *à n. 38 vſque ad n. 42.* vbi & legibus patrijs ſtabilitur.

54 Quibus vrgentiſſimis rationibus ita deferendū eſſe exiſtimo, vt ab hac poſteriori opinione, cui velut naturæ, & iuri conſentaneæ meritò etiā accedit Carrança *n. 48.* & Torreblanca *d. loco* minimè duxerim recedendū,
55 maximè ſi cū eodem Carranç. *n. 49.* fateamur hos partus, licèt naturales & legitimos, non tamē ita vitales, vt ſeptimeſtres, & nonimeſtres exiſtere, propter incommodum, laborem, & imbecilitatem certa ratione illis cōtingentem. Quidquid autem vlterius hîc deſideraueris, ibi exactè diſcuſſum inuenies, illum conſule.

56 Nonimeſtres verò ſuccedunt, quos inter omnes tā Medicos, quàm naturalis, & ciuilis Philoſophiæ Magiſtros conuenit vitales & naturales eſſe, ideoque & ſucceſſionis capaces, vt cum Bart. *in l. Gallus in princ. ff. de lib. & poſth. n. 12.* tradūt communiter Interpretes, vnde Petrus Franc. Linglois *d. deciſ. 29.*
57 *q. 1. n. 2.* nonum menſem ordinarium terminū pariēdi appellat, de quo nemo dubitat, quod firmat nouiſſimè Petrus Bungus *de myſter. Numeror. n. 6.* paulò poſt medium, Torreblāca *d. lib. 5. iuris ſpiritualis cap. 4. ſect. 5.* Ioſeph. Ramon. *d. conſil. 63. num. 14.* Alphonſ. Carranç. *c. 12. n. 1.* vbi etiam Medicorū teſtimonijs demonſtrat hos partus omniū maximè naturales, & perfectiſſimos eſſe, nō ſolùm eos, qui poſt medium, aut circa finem noni menſis luce donantur, vt communis fert 58
opinio, verū & illos, quorum natiuitatis tēpus primi eiuſdem menſis dies fuerūt, ex doctrina acutiſſimi Bonauenturæ *lib. 3. de octomeſtri partu c. 43.* quidquid aliter voluerint relati ab eodē Bonauēt. *lib. 8. c. 51.* & 52. quibus ſuccinit Gerard. Mainard. *d. deciſ. 77. n. 3*

Vtrū autē nonimeſtres, an verò decimeſtres frequentiores, & perfectiores partus ſint? hîc in dubium reuocat Alphonſ. Carranç. *n. 5.* & 59
Philoſophorū placitis *n. 6 & 7.* demonſtrat nonimeſtres partiones, vt vſitatiores, & quotidie eueniēres, ita & perfectiores, ex omnique parte abſolutiſſimas videri: vnde inquit *n. 8.* iuris noſtri expoſitores in dubio cōicctu rātur fœtus nono menſe fuiſſe in orbē productos, vt præter omnes, quos ibidē cōmemorat, admonēt Nicol. Florent. *in 6. Sermone de membris generat. tract. 3. c. 16.* Pacianus de *probat. lib. 2. c. 10. n. 4.* Peregrin. *de fideicōmiſ. art. 43. n. 30.* Intrigl. *de ſubſtitut. centur. 3. q. 56. n. 29.* Magon *deciſ. Florent. 41.* Ioſephus Ludouic. *commun. concl. 37. verſic. In dubio,* Card. Tuſch. *pract. concl. lit. P. concl. 106. n. 17.* Ruſticus *in l. cùm auus lib. 4. c. 6. in fine, & c. 10. n. 16. ff. de condit. & demonſt.* Vincētius Fuſar. *tract. de fideicom. ſubſtitut q. 418. n. 13.* Torrebl. *d. ſect. 5. n. 87.* Et corroborari poteſt iure patrio *in d. l. 4. tit. 23. p. 4.* vbi ita eius cōditor: *Eſto miſmo deue ſer juzgado de la q̃ nace faſta en nueue meſes, è eſte cuento es mas vſado q̃ los otros.* Veruntamen *à n. 9.* pro de- 60
cimeſtribus ipſe ſtare videtur, & nō ſolū frequētiores, quinimò & perfectiores illos duplici potiſſimū fundamēto arbitratur. Primū à Iulij Pauli auctoritate deſumit *d. lib. 4. ſent. tit. 9. §. ſeptimo mēſe,* ſequētibus verbis: *Septimo mēſe natus matri prodeſt. Ratio enim Pythagorici numeri hoc videtur admittere, vt aut ſeptimo pleno, aut decimo mēſe partus maturior videatur.* Secundū denique ab ipſa Saluatoris noſtri natiuitate, qui cū omniū ſecūdū carnē perfectiſſimus, & optimæ tēperaturæ fuiſſet, vt cōfitetur D. Thom. *3. p. ſummæ* 61
q. 46. artic. 6. ne aliquid naturalis perfectionis deeſſet, decreuit decimo menſe, è puriſſimo Beatiſſimæ Matris ſuæ vtero egredi, vt 62
citra cōmunem Eccleſiæ traditionē, quæ hoc amplectitur, prędicat D. Chryſoſt. *in ſerm. de natiuit. S. Ioan. Baptiſt.* D. Bonau. *in commēt. ad c. 7. Sapiētiæ,* Sanctus Damaſcen. *lib. 4. fidei c. 15.* D. Auguſt. *lib. 4. de Trinit. c. 5.* ideſt ſexto die decimi menſis, vt aduertit Petr. Būgus *de myſterijs Nume. n. 6. Nō quod pariētes fœminæ,* inquit, *ad ſextū diē poſt nonū menſem perueniāt ſemper, ſed quia ipſa perfectio corporis Dñi tot diebus ad partū perducta cōperitur.*

quamuis contrarium, ſcilicet, nono menſe fuiſſe Chriſtum editum expreſſerit Ioannes Picus Mirandulanus, *in carmine ad Virginem*, vt idem Carrança aduertit *d.c.*12.§.5. *num.*56. quo etiam loco authoritate Ioannis Baptiſtæ Pocæ *in Elucidario Deiparæ tract.* 6.*c.*1. refert, non ſolum ipſum Saluatorem, verum eius Genitricē, & Præcurſorem Ioannem decimeſtres extitiſſe, vt tradit etiam
63 Torreblanca *d.c.*5.*ſect.*6. quocirca concludit decimeſtres partus frequentiores, & perfectiores cæteris eſſe, ideoque & pro eis nobis præſumendum in caſu dubio, quicquid aliud proximè relati Scriptores intenderint, & fulcitur doctiſſimi Tertulliani cōſideratione *lib. de anima c.*37. vbi ſic legitur: *legitima natiuitas ferme decimi menſis ingreſſus eſt, Qui numeros ratiocinantur, & decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt. Ego potius ad Deum argumentabor hunc modum temporis, vt decem menſes Decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto temporis numero naſcamur, quanto diſciplinæ numero renaſcimur*: & ordinariſſimum eſſe hunc pariēdi terminum indicat Pontanus *de obedientia*, illis verbis: *Filios decimo ferūt menſe* (de matribus loquitur) & *cùm vitæ emittantur periculo, naturæ, hoc eſt propagationi conſulentis, non muliebris electionis.*

64 Quàm generalem definitionem minime deſtruere vidētur verba patriȩ legis ſupra prò contraria opinione expenſa. Nam prȩter expoſitiones Gregorij Lopez ibidē, & Alphonſi Carrança *d c.*11.*n* 45. eum ſenſum habere mihi probatur, vt ſcilicet his tēporibus apud noſtros Hiſpanos frequētiores nonimeſtres, quàm decimeſtres partiones agnoſcantur, vt ex quotidiana experientia edocemur.

65 Ex quibus velut neceſſaria conſecutio infertur, rectè ab vtriuſque ſcholæ principibus obfirmari decimeſtres partus naturales, & ſucceſſionis capaces eſſe, vt poſt Decemviros *in l.*17.*Romuli*, de qua poſtea, & Conſultum *in l.*3.§.*poſt decem, ff. de ſuis, & legitimis hæred.* & *in l. Gallus* 28.*ff. de liber. & poſth.* & *in l. fin. de fideicommiſ. libert.* & Paulum *d. lib.*4.*ſentent. tit.*9.§.*ſeptimo menſe*, & Imperatorē *in l. vlt. C. de poſthu. hæred. inſtituēd.* necnon & eruditiſſimum Regem noſtrū Alphonſum *in d. l.*4. *ſeptem partiti iuris*, reſoluunt plurimi congeſti â GuilKenio *in d. l. Gallus n.*52. Menoch. *de arbit. lib.*2.*caſu* 89. *à n* 40. Hotoman. *lib.*9.*obſeruat. c.*9. Ioan. Riolanus *in Phiſiologia ſect.*7.*cap.*9. Ioan. Corraſ. *Miſcel. lib.*2.*c.*21. Forcatul. *in Cupidi. Iuriſp. c.*21.*num.*5. & tandem alij ſexcenti, quorum nonnullos refert Alphonſus Carranç. *d. cap.*13.*ferè per totum*, ſed præcipuè, *n.*1.& 2. & Perez de Lara *d.c.*10.*n.*11.

De vndecimeſtribus partubus magna fuit ſemper & quæſtio, atque controuerſia: ex quo poſt Ariſtotelem communis Philoſophorum & Medicorum aſſenſus eos velut naturales admittit, vt ex Auicēna *lib.*9.*de animal.* Cardano ad Hippocratem *lib. de ſeptimeſtri partu*, Ludouic. Mercat. *lib. de mulierum affectionibus cap.*1. Rodulpho Magiſtro *tractat. de limitibus humani partus ſect.*2.*cap.*8. Horatio Augen. *lib.*2.*de partu homi. cap.*20. & 21. & præcipuè *cap.*23. & alijs refert Carrança *dict. diſput. de vera hominis partus naturalis & legit. deſignatione c.*14.*à n.*4. & antea Ioannes Riolanus *in Phiſiologia d. ſect.* 7.*cap.*9. quorum opinioni etiam noſtri ſua nomina dederūt, præmaxime Tiraquellus, & ab ipſo enumerati *in l. ſi vnquam verbo ſuſceperit liberos num.*210.*in fine, C. de reuocādis donationibus*, Minſinger. *centuria* 6.*obſeruat.*40. Menchaca *lib.*2.*de ſucceſſio. creat.*§. 20.*num.*113. Renatus Koppinus *ad leges Andium lib.*1.*cap.*44.*ex num.*6. Anaſt. Germon. *animaduerſion. lib.*2.*cap.*14. Petrus Gregor. *lib.*9.*ſyntagmat. iur. capit.*26.*num.* 22. Melchior Phœbus *deciſ.*51.*per totam*, & innuere videtur Alphōſ. Perez de Lara *dict. cap.*10.*num.*13. Linglois, Giurba, Petrus Gudelinus & Amaia locis â Carrança enarratis *n.*13. & à Torreblanca *d.c.*5.*ſect.*7.*n.*8. 66

A quibus omnibus hoc prolatum innumeris ſtabilitur rationibus, præcipuè à Melchiore Phœbo *d. deciſ.*51.*à n.*1.*vſque ad n.*12. quarum vrgentiores ſunt Adriani Imperatoris decretum ſtatuens, vndecimo menſe partum edi poſſe, cuius meminit Aul. Gelius *lib.* 3.*noct. Attic. c.*16. & quod aliquibus Philoſophorū authoritatibus accerſitis cōprobat Alciatus *lib.*3.*paradox. c.*7. necnon & *Nouell.*39.*de reſtitutione, & ea quæ parit in vndecimo menſe*, ibi: *Nondum enim completo anno, vndecimo menſe perfecto peperit*, ex quibus verbis â contrario ſenſu conſecutiuè deducitur, nondum perfecto, aut exacto, ſed tā tùm incepto menſe vndecimo partum naturaliter, & legitime in lucem progredi. Quibus alijſque lenioribus fundamentis ſummè conſtrictus Oliſſiponenſis Senatus, ſimul cum Adriano protulit, huius temporis partiones naturales, & quoad iuris effectus legitimas eſſe, teſtibus Antonio Gamma *deciſ.*326. & Phœbo *deciſ. vbi ſuprà.* 67

Sed quāplurimis hæc ſentētia improbatur, veridius arbitrātibus vndecimo mēſe emiſſum fœtū, nec naturalis, nec legitimi aliquid habere, vt ante Ariſtotelē Philoſophos omnes ſenſiſſe ſcribit Cenſorinus *de die natali c.* 7.*in fine*, & poſt eam fuerunt opinati penè innu- 68

innumeri, quorum nonnullos recenſent, qui è noſtris Iuriſconſultis hanc ſententiam amplectũtur. Videlicet Ioan. Oroſcius *in l. ſeptimo mẽſe de ſtat. hom.* vbi communẽ dicit ibidem Eguinarius Varo Torreblanca *lib. 2. de Magia c. 43. n. 35. & d. lib. 5. iuris ſpiritualis cap. 5. ſect. 7. num. 9.* Robles de Salzedo *de repræſentatione lib. 2. cap. 2. num. 3.* Mainardus *lib. 4. quæſt. c. 3. & 4.* Paponius *lib. 21. tit. 3. in appendice, §. vltim.* & hos omnes referens Alphonſus Carranç. *dict. capit. 14. num. 12.*

69 Mouẽtur aſſertores huius opinionis ad ità ſentiendum duobus potiſſimùm rationibus. Prima authoritate *d. l. 17.* Romuli, qua ita Decemviri ſtatuunt: *In decem mẽſibus hominẽ gigni, non in vndecimo*, vt legunt Gelius, Prateius, & Gotofredus adducti à Carrança *cap. 13. n. 2.* licèt illa poſteriora verba, *nõ in vndecimo menſe*, minimè agnoſcat Balduinus ibidẽ. Cuius legis ſententiã poſteriores I.C. fuerunt ſecuti, vt apparet *ex d. l. 3. §. poſt decẽ, de ſuis & legitimis hæred. d. l. Gallus 18. de liber. & poſthum.* iunctis his, quos ſuperiùs adduximus. Quibus apprimè cõuenit *d. l.* noſtra Hiſpanica 4. *tit. 23.* p. 4. his ſæpiùs repetitis verbis: *Lo mas que la muger preñada puede traer la criatura en el vientre ſon diez meſes*, & rurſus, *Mas ſi la nacencia de la criatura tañe vn dia del onzeno mes deſpues de la muerte del padre, no deue ſer contado por ſu hijo.*

70 Adducũt ſecundò textum *in d. authenti. de reſtitut. & ea quæ parit in vndecimo menſe, §. vnum colla.* 4. vbi partum hoc temporis ſpatio emiſſum exprobans, ita alloquitur: *Vt non eſſet poſſibile dicere, quia de defuncto eſſet partus, neque enim in tantum tempus conceptionis extenſum eſt.* Qua ratione apertè concluditur vndecimeſtres partiones ſecundum naturam dari non poſſe, ac conſequenter minimè ad ſucceſſionem eſſe idoneos.

71 Cuius reſolutionis etſi naturalem rationẽ ſciſcitemur, eam proculdubio inueniemus apud ſciẽtiſſimũ Hippocratẽ *lib. de nat. pueri*, ſub illa ſerie verborum: *Quoniam nutrimentũ, & augmentum, quod de matre deſcendit, puero iam ſatis non eſt, cùm decem menſes tranſierũt, partuſque creuit, qui de ſanguine, id quod dulciſſimum eſt trahit, lactiſque ſimul aliquantulũ haurit, quæ cùm minus ſint quàm opus eſt, partuſque iam plenus eſt, & maturus, qui plus nutrimenti, quàm adſit cupit, proptereaque ſeſe agitat, hymenaſque & membranas diſrumpit, & in lucem prodit, ideoque ſi quæ pluſquam decem menſes ſibi geſtaſſe videntur (nam & hoc ſæpè audiuimus) falſæ ſunt.*

72 Sed etſi in tãtorum virorum diſſidio, & rationum conflictu propriam exiſtimationẽ licet interponere, nec primam, nec ſecundam opinionem, ſed mediam quandam amplectẽdam eſſe arbitror, videlicet vndecimeſtres partus poſſibiles, ideoque & ſucceſſionis capaces reputari, ſi primis ſeptem diebus menſis vndecimi lucem videant, vt poſtquã negatiuę ſuperiori ſentẽtiæ quaſi certiori acquieuit Alphonſ. Carranç. *vbi proximè* admittit *n. 23.* ea vtique ratione, quia naſcẽdi tempus ab ipſa conceptione enumeratur, vt in plurimum vſque ad decimum menſem exactũ, ex dictis ſuprà, quæ conceptio cũ intra ſeptimũ diem contingere ſit probabile, vt ab ſcriptis antecedẽtibus quæſtionibus infertur, hinc eſt dies iſtos decem mẽſibus, quibus naturaliter fœtus edi poteſt, eſſe addendos, ita vt calculatione facta principio vndecimi menſis partus ſalubriter emiſſus reperiatur.

73 Et inſinuaſſe videtur hanc ſententiam Imperator, dum *in d. authent.* ideò ſcribit poſſibile non eſſe filium à defuncto genitum, quẽ vidua vndecimo menſe perfecto poſt eius mortem peperit: quaſi ſupponens contingere potuiſſe, vt qui verè à prædefuncto marito fuerat proſeminatus, nondum perfecto vndecimo menſe, ideſt eius initio ab vtero exiret: quæ fuit opinio *Gloſſæ in l. Gallus, ff. de liber. & poſthum.* vbi malè additio marginalis abſolutiſſima Accurſij verba ad duos tantum dies reſtringit. Sequitur Menoch. *lib. 2. de arbit. centur. 1. caſu 89. num. 50. & 51.* Quemadmodum intelligendi ſunt quotquot Autores ſuprà oſtendimus docere, vndecimeſtres legitimos & naturales eſſe, & ècontra qui eius fuerunt opinionis, vt huius temporis partus minimè agnoſcerent, ad Iuſtiniani definitionem reducendi ſunt, quatenus pronuntiat vndecimo menſe perfecto legitimè partum edi non poſſe.

74 Quòd tantùm ipſa natura, & communi iure attẽto procedit: nam ſi patrium ius inſpiciamus, omnes omnino vndecimeſtres, ſiue qui eius menſis poſterioribus diebus, ſiue qui prioribus fuerint nati, pro illegitimis habẽtur. Quocirca poſt mariti obitum, quamuis primo dumtaxat vndecimi menſis die vidua fuerit enixa, talis filius nõ ſui mariti, ſed alterius credendus erit, & ideò ad defuncti ſucceſſionem minimè admittetur, vt *dict. l. 4. tit. 23. p. 4.* iam relata hæc verba ſuadent: *Mas ſi la naſcencia de la criatura tañe vn dia del onzeno mes deſpues de la muerte del padre, no deue ſer contado por ſu hijo.*

75 A quibus omnibus non immeritò licet colligere manifeſtè eos erraſſe, quos refert Alphonſ. Carranç. *d. diſput. cap. 15. num. 1. 2. & 3.* & alter Alphonſus Perez de Lara *in compend. d. c. 10. n. 16.* dũ quaſi indubitatum tra-

tradiderunt, partus non ſolùm decimo, & vndecimi principio, velut definimus, ſed & duodecimo, decimotertio, & dicimoquarto menſe naturaliter lucis vſura potiri poſſe. Siquidem cum ipſa ratione naturali dictante, & non diffitente legum præſcripto, cuius ſuprà meminimus: vltimus pariendi terminus ſeptimo ad ſummum vndecimi menſis die claudatur: Inde eſt nullum deinceps partum ſecundùm naturam, aut legem admittendum,
76 quaſi ab illis repulſum, niſi eo tantùm caſu quo admittit Martin. Delrius *lib. 3. diſquiſition. Magicar. part. 1. quæſt. 4. ſectio. 3. cui* adſtipulantur Carrança, *vbi ſuprà num.* 14. videlicet, cùm Dæmonis arte in tam longum tempus partus protrahitur. Nam ex quo diuina permiſſione hoc ab eo fieri poteſt, nil eſt quare quocumque tẽpore hic partus edatur, naturalis & legitimi nomen amittat.
77 Sub hæc autem, vt quidquid ad partus materiam ſpectat, complectamur, obſeruandum eſt, menſes, quibus partum naturaliter emitti poſſe edocuimus, tricenos, ſiue ſolares eſſe, vt cum Menochio *lib. 2. de arbitrarijs dict. caſu* 89. *num.* 44. & 45. defendit meritò Carrança *dict. cap.* 12. §. 5. *num.* 41. vbi de his menſibus triginta dierum eſſe intelligendos interpretatur *textus in dict. l. ſeptimo menſe* 12. *de ſtatu homin. dict. l. inteſtato* 3. §. *fin. de ſuis & legitimis hæred. dict. l. Gallus* 29. *de lib. & poſthum.* & ſimiles alios, quos enumerat *num.* 4. in quibus menſium fit expreſſa mentio: & probatur ex *l. ſi venditor* 28. *de ædilit. edicto*, illis verbis, *intra duos menſes*, quod tempus exponit Vlpianus *in l. quod ſi nolit*, §. *ſi quid ita, & in l. ædiles aiunt* 38. *eodem* ſexaginta dierum eſſe, & ſimiliter commõſtratur Iuſtiniani deciſione *in l. fin.* §. *ſimilique modo, C. de iure deliberandi*, vbi trium menſium ſpatium, & nonaginta dies pro eodẽ vſurpat, veluti *& in Nouella* 115. *vt cum de appellatione cognoſcitur cap.* 2. cuius rei plura apud Carrançam videri poſſunt loco ſupra allegato, qui ita exactè quæſtionem iſtam diſcuſſit, vt vix aliquid ſcitu dignum ipſius ſcriptis poſſit annecti.

SVMMARIVM.

Filius non aliter de iure Gothorum prædefuncto parenti ſuccedebat, & ſuperſtiti, ſiue patri, ſiue matri hæreditatem tranſmittebat, quàm ſi poſt baptiſmum decem ſaltem dies vixiſſet. 1.

Lege & conſuetudine poſtea fuit inductum, vt filius baptizatus ſucceſſionis eſſet capax, etſi nullo tempore ſuperſtes eſſet. 2.

Nouiori iure, qui ſpatio viginti & quatuor horarum viuus permanſit, & fuit aqua ſalutari immerſus, ad ſucceſſionem admittitur, & hæreditatem tranſfert. 3.

Viuus natus non cenſetur qui ante diem, & ſine baptiſmo & nomine deceſſit. 4.

Natus non videtur qui confeſtim moritur. 5.

Septem horarum ſpatio diſcerni poteſt, an fœtus victurus ſit, necne. 6.

Septem horis tantùm, & non amplius halitum ſuſtinere poteſt, qui præmortuus naſcitur, ibidem.

Vigeſimus quartus numerus ſummam habet cognationem cum baptiſmo à lege requiſito. 7.

QVÆSTIO VII.

Quanto tempore filius apud noſtros viuere debeat, vt ipſe parentibus, & parentes ipſi ſuccedant?

HViuſce rei diuerſis temporibus diuerſæ extitere conſtitutiones. Nam primis illis, quibus Hiſpaniam Gothi tenuerunt, Cindaſuinthi, & Receſuinthi duæ fuerunt inſignes leges editę, id vnum præcipientes, ſcilicet non aliter filium defuncto parenti ſuccedere, & ſuperſtitie, ſiue patri, ſiue matri hæreditatem tranſmittere, quàm ſi poſt natiuitatem, & ſacram baptiſmi ablutionem decem diebus ſuperuixerit: hæ ſunt *leges* 17. & 18. *tit. 2. lib. 4. leg. Gothorum.* Necnon & libri antiqui, quem nos *Fuero juzgo* nuncupamus. Prima enim ſic habet: *Vt ergo proximis parentibus ad ſucceſſionem huius aditus referetur, & ipſa defuncti vita comprobetur, ſiue re clara ſit vita, atque hanc ipſam, licèt parui temporis vitam comitetur æternæ participatio vitæ, non aliter in vtroque ſexu hæreditatem capiat, qui naſcitur, niſi poſt natiuitatis ortum, & ſacri baptiſmatis gratiam conſequantur, & decem dierum ſpatijs vixiſſe probentur, vt ſucceſſoris patris, vel matris perſona, quæ per hunc paruulum terrenæ cupit hæreditatis acquirere commoda, ante morituro æternæ mãſionis præparet vitam, & ita demum adſequatur viuens, cùm rebus labentibus terram, ſicque ſalutari commercio, dum hæreditat ille cœlum, hæreditet iſte ſæculum: dum illi prouidentur cœleſtia, iſti permittatur adire terrena: dumque adſequitur ille vitalia, conquirat iſte caduca, vt etſi defunctus terrena huius non potuit poſſidere, terreno ſaltem comparato iure cœleſte lucrũ valeat obtinere:* ſequentis enim legis verba hæc ſunt: *Patre defuncto ſi filius filia-*

filiave decẽ, ſiue amplius vel infrà diebus viuens baptizatus ab hac vita deceſſerit, quicquid de facultate fratris cõpetere poterat, mater ſibi debeat vendicare. Itemque matre defuncta, non aliter defuncti filij portionem pater obtineat, niſi natum filium, filiamvè, decem diebus, ſiue amplius, vel infra vixiſſe, fuiſſequè baptizatas edoceat.

2 Sed hoc non nihil vſu & conſuetudine fuiſſe poſtea abrogatum, & abolitum, conſtat *ex l.3.tit.6.lib.3.fori*, vbi id tantùm requiritur, vt filius recens natus ad parentum bona admittatur; quòd fuerit baptizatus, non verò, quòd per aliquod tempus vixerit, vti in proximis Gothorum legibus planè exigitur.

3 Verùm nouiorí Taurinarum legum, & Recopilationum iure quodammodò inſtaurata, & iterum inducta illa viuendi neceſsitas fuit, ſed moderato, reſtrictoque antiquo decem dierum ſpatio, ad breuiſsimum quatuor & viginti horarum tempus, vt patet in *l.13.Tauri* repetita in *l.2.tit.8.lib.5. nouæ recollectionis*, cuius hæc ſeries: *Por euitar muchas dudas, q̃ ſuelẽ ocurrir cerca de los hijos que mueren recien nacidos, ſobre ſi ſon naturalmente nacidos, ò ſi ſon abortiuos: Ordenamos, y mandamos, que el tal hijo ſe diga, que naturalmente es nacido, y que no es abortiuo, quando nacio viuo todo; y que alomenos deſpues de nacido viuio veinte y quatro horas naturales, y fue bautizado antes que murieſſe: y ſi de otra manera nacido murio dentro del dicho termino, ò no fue bautizado: Mandamos, que el tal hijo ſea auido por abortiuo, y que no pueda heredar a ſus padres, ni a ſus madres, ni a ſus aſcendientes. Pero ſi por el auſencia del marido, ò por el tiempo del caſamiento claramente probaſſe, que nacio en tiempo que no podia viuir naturalmente: Mandamos, que aunque concurran en el dicho hijo las calidades ſuſodichas, que no ſea auido por parto natural, ni legitimo.*

4 Quod rectè & ſummâ cum ratione ſtatutum apparet, cûm minime natus, nec naturaliter, nec ſupernaturaliter videri poſsit filius, qui licèt fuerit legitimo tempore editus, nondum per diem viuens, ſtatim ſine baptiſmo & nomine deceſsit, textus elegans in *cap.nam & ego 3.de verb.ſignific.* vbi quærens D. Hieronymus *in parabolis Prouerbiorum cap. 4.* quare Salomon ſe vnicum dicat coram matre ſua, cùm ipſum Scriptura teſtetur, vterinum fratrem præceſsiſſe, egregiè eum loqutum reſpondit: *Quia ille mox natus, ſine nomine, quaſi nunquam eſſet, de vita*

5 *deceſsit.* Quo loco ſcriptores communiter notant, natum non videri, qui confeſtim moritur, quibus adſtipulantur Tiraquell. in *l. ſi vnquam, verbo Suſceperit, num.167. & de iure primog. quæſt.3. num.12. & de iudic. in rebus exiguis, verſ 83.* Sanchez *de matrim. lib.3. diſputat.18. num.6.* & nouiſsimè Alphonſ. Carrança *de partu, cap.9. num.27.* vbi in noſtro caſu de eo loquitur, qui ſine baptiſmo deceſsit.

Sed abdubitari hìc meritò poteſt, cur d. lege Regia tot horarum ſpatium deſideretur, vt viuus filius natus videatur, cùm ſecundum Philoſophos, præſertim Macrobium *in ſamno Scipio, cap.6.* Paulum Zachiam *medicolegalium, lib.1. tit.2. quæſt 7. num.8.* & ex noſtris Petr. Gregor. *ſyntagm. iuris, lib. 9. cap.9. num.26.* Septem nimirum horarum curſu poſsit diſcerni, an editus fœtus victurus ſit, necne, per totidem enim, inquiunt, horas, & non vltra aeris halitum ſuſtinere poterit, ſi præmortuus naſcatur. Nihil hac de re apud noſtros inuenio, ſed ne abſque ratione id factum credamus, cognationi, & affinitati tribuendum erit, quam vigeſimus quartus numerus cum baptiſmo, ſimul à lege requiſiro obtinet, vt rectè obſeruat Petr. Bungus *de myſterijs numeror. num. 24.* vbi poſtquam dixit hunc numerum ad Catechumenos & electos pertinere, ſtatim ſubijcit: *die 24. cœpit ædificari templum Domini, vt habetur Agg. cap.2. Quia octonarius numerus, qui Sanctus eſt, & in veræ circunciſionis accipitur typo, triplicatus vigeſimumquartum numerum facit, quo myſticè docemur, vt ædificemus domũ Domini in amputatione carnis, & circunciſione vitiorum, & verampuritatem eſſe credamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* 6 7

SVMMARIVM.

EX Romuli conſtitutione parentibus licebat filios vendere, aut occidere. 1.

Numa ſolùm filios cœlibes, & ſine coniugio, parentibus vendere, aut interficere permiſit. 2.

Pater minime poteſt nuptam filiam abducere. 3.

Iure patriæ poteſtatis non licet bene concordata matrimonia turbare. 4.

Patribus eſſe à Iuriſconſultis ademptam poteſtatem vendendi filios, aliqui putant, ſed malè. 5.

Venditio & pignoratio hominis liberi inutilis eſt. 6.

L. minor. 39. §. pater ſciens, ff. de euictio. noue intelligitur. 7.

Pater non poteſt filium, vt liberum hominem vendere. 8.

Pa-

Patribus quo Iuriſconſultorum tempore fuerit reſtricta poteſtas alienandi filios, non ſatis conſtat. 9.

Ab Imperatoribus Diocleciano, & Maximiano fuerit ne repetita antiqua prohibitio vendendi filios, ibidem.

Pater, qui fame cruciatur, poteſt filium vendere, vt ipſius pretio ſubueniatur. 10.

Conſuetudo vendendi filios, etiam vrgente neceſsitate, ſolùm apud Barbaros, & Mauros, nunquam verò apud Chriſtianos obtinuit. 11.

Filius, qui propter famem à patre venditur, non eſt ſeruus emptoris, ſed apud eum loco pignoris manet, donec pretium, aut alius homo reddatur. 12.

Sanguinolentus filius, ſubueniendi paternæ fami cauſa tantùm diſtrahi poteſt. 13.

Sanguinolentos, & non ſanguinolentus legendum eſt in l. 2. C. de patrib. qui filios diſtraxer. 14.

Sanguinolentus quis ſit. 15.

Sanguinolenti filij dicuntur, qui non maiores ſeptem dierum exitunt. 16.

Septem dierum filij, & nō maiores ætatis poſſunt ex fame à parentibus diſtrahi. 17. *& quæ ſit ratio.* 18 *&* 21.

Amiſsio filij paruuli æquiori animo ſuſtinetur. 19.

Anniculi, vel paulò maioris infantis nulla voluntas eſt. 20.

Infantes plerumquè ante ſeptimum diem intereunt. 21.

Septimo die infantibus nomen imponebatur, & quare, ibidem.

Sacris ordinibus initiatos, ex ſingulari indulgentia non poſſe etiam vrgente fame à parentibus alienari, falſo aliqui exiſtimarunt. 22.

QVÆSTIO VIII.

Cuius ætatis filij à parentibus ob nimiam paupertatem diſtrahi potuiſſent?

1 ETSI enim Romuli conſtitutione tanta in liberos patribus poteſtas fuiſſet, vt nec ſolùm occidere, ſed & vendere, ſi vellent, poſſent, vt Diony. Alicarn. memorat *lib. 2. antiquit. Roman.* Petr. Gregor. *Syntagm. lib. 11. cap. 8. num. 12.* Corraſi. *in l. 2. §. poſtea aucta, num. 15. ff. de origi. iuris*, & probant illa Ciceronis verba, *lib. 1. de oratore*: *Memoria enim proditum eſſe, quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, aut pater patratus dediſſet, ei nullum eſſe poſtliminium.* Ita ſcribit Rebard. *ad ll. 12. tabular. cap. 3.* & quòd Phrigibus familiare fuiſſet, etiam in eximio ætatis flore filios vendere refert Alexan. ab Alex. *dierum Geni. lib. 2. cap. 25.* hinc *l.* illa *12. tabul.* originem traxit, *Si pater filium ter venūdabit, à patre liber eſto*, apud Hebræos dubium non eſt hoc licuiſſe, vt Exod. *cap. 21.* his verbis probatur: *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt*, cuius poteſtatis plura nouiſsimè congerit Alphonſ. Carranç. *de legitim. part. deſignat. cap. 4. à numer. 18.* Numæ tamen 2 conſtitutione hoc poſteà nonnihil immutatum, & temperatum legitur, cum illum dumtaxat filium poſſe diſtractionem pati affirmauerit, qui cœlebs, & ſine coniugio inueniretur, non verò eum, cui pater vxorem dediſſet, teſte Conano *Comment. lib. 2. cap. 13.* & Baldui. *in l. 17. Romuli, numer. 24.* Necnon & Rebardo *vbi ſuprà.* Corraſ. *de iure ciuili in artem redigendo 1. p. c. 17.* Vincent. Turtur. *paralel. ethi. & ciuil. diſertat. 35.* vbi Iuriſconſultum agit, idque ob eandem rationem qua motus Vlpianus reſpondit in *l. 1. § fin ff. de liber. exhiben.* non 3 licere parenti filiam ſuam nuptam abducere, nimirum, ne benè concordata matrimonia iure patriæ poteſtatis turbarentur. Et 4 quanuis à Iuriſconſultis omnino ademptam patribus diſtrahendi filios familias poteſtatem quamplurimi ex noſtris aſſerere non 5 vereantur, eo videlicet, quia illorum reſponſis cauetur, inutilē & inanem hominis liberi venditionē eſſe, *l. liberi. 70. de contrah. empt.* necnon & pignorationē, *l. vlt. ff. quæ res pign. oblig. poſſ.* & quod magis eorū opinioni cōducit, & Iuli. tradit *in l. minor. 39. §. pater ſciēs, ff. de euictio.* patrem, qui ſciens filiū ſuum, quē in poteſtate habebat ignoranti emptori vendidit, euictionis ita nomine obligari, ac is qui liberū hominē ſciens, vel ignorans, tāquā ſeruū vendidit, vt probat doctiſsimus noſter Ioann. Solorzan. *lib. 2. de crimin. parricidij, c. 7.* Attamen vix hoc quaſi indubitatū aſſerere ipſorū fundamentis audeā. Nā licèt huius eruditiſsimi viri, & aliorum auctoritati quamplurimum deferre deberem: nihilominus rationibus, quibus eorum coniectura nititur, nec aliquantulum deferendum cenſeo. Eò enim omnes tendunt, vt liberi hominis venditionem, vel pignorationem antiquitus fuiſſe prohibitam euincatur, non verò, vt legitimi filij diſtractionē fuiſſe parentibus interdictā appareat. Quod nec indicaſſe videtur Conſultus *in d. §. pater ſciens, d. l. 39.* cum expreſsè loquatur de parente, qui ſciens pro-

proprium filium ignoranti tanquam ſeruum vendidit, vt ipſius hæc verba euidenter demonſtrant. *Pater ſciens filium ſuum, quem in poteſtate habebat, ignoranti emptori vendidit; quæſitum eſt, an euictionis nomine teneatur? Reſpondit: Qui liberum hominem ſciens, vel ignorans tanquam ſeruum vendit, euictionis nomine tenetur. Quare etiamſi filium ſuum tanquam ſeruum vendiderit, euictionis nomine obligatur.* Si enim hac ſpecie Iulianus de prohibita patribus liberorum ſuorum alienatione loqueretur, vtique non dixiſſet, patrem ſuum filium ſcienter tanquam ſeruum ignoranti vendidiſſe, ſed imò, filium ſuum tanquam filium, vt ſeruus fieret, inſcio emptori vendidiſſe. Filij enim tanquam ſerui venditionem, alia optima ratione inualidam eſſe Iuriſconſultus profert, quia illum pater non tanquam filium, cuius diſtra-
8 hendi habebat facultatem, vendere voluit, ſed tanquam liberum hominem, cuius, vt extraneo cuilibet, ipſi comercium non eſt, *dict. l. liberi 70. l. ſed celſus 6. ff. de contrahend. empt. l. 1. § ſi id quod, ff. de obligat. & actio. l. liber homo 103. de verbor. oblig. cum ſimilibus.* Quod proculdubio demonſtraſſe videtur argumentandi ea forma, qua nititur Conſultus probare, ob nullitatem contractus patrem hoc caſu euictionis nomine obligari, nimirum, quia ſi liberum hominem ſcienter vel ignoranter quaſi ſeruum vendens, euictionis nomine tenetur, quare etiam pater, ſi filium ſuum, non vt filium (quaſi diceret) ſed vt hominem liberum tanquam ſeruum vendiderit, euictionis nomine non obligabitur? An forte quia patribus in filios prout homines liberi ſunt, maior quàm extraneis poteſtas eſt? Minimè, & vel ex eo ſolo apparebit, quòd emancipati liberi venditionem nuſquam legitur patribus fuiſſe permiſſam, nam cùm diſtractionis hoc ius à patria poteſtate proueniat (quidquid ſecus voluerit Anton. Faber *in Iuriſpruden. Papinian. tit. 8. prin. 6. illat. 2.*) qui filius familias non eſt, huius priuilegij intuitu vendi non poteſt: ergò in filios quatenus hi liberi homines ſunt, nulla patribus indulta ſingularis poteſtas reperitur, ac conſequenter etiamſi pater filium ſuum diſtrahendi facultatem nanciſceretur; attamen illum vendere, non vt filium, ſed vt priuatum quemlibet liberum hominem, nequaquam illi fas eſſet. Præſenſiſſe enim hoc videtur Scæuola in *l. Diuus 5. ff. ad legem Pompei. de parricid.* vbi refertur, Diuum Adrianum cùm in venatione quidam filium ſuum necaſſet, qui nouercam adulterabat, in inſulam eum deportaſſe, ea vtique ratione, quia latronis magis quàm patris iure eum interfecit; ideſt, non tanquam filium ratione patriæ poteſtatis, ſed tanquam priuatum quemdam hominem deprædandi cauſa. Quo caſu nec occidere, nec vendere filium patri permittitur, cùm patria poteſtas ius in filios tantùm, prout filij ſunt, iuriſdictionem indulgeat, non verò vt priuati ſunt homines.

Quare, licèt certo certius exiſtimem, hu- 9
ius facultatis prohibitionem, priſcis iam ſæculis, ſed poſt Papinianum ſcilicet, ſi Giphanio credimus *in authen. non licet, C. de liber. præteritis*, deſitam fuiſſe, vt ex Conſtantino apparet in *l. fin. C. de patria poteſtat.* ibi: *Libertati tantùm a maioribus conceſſum eſt, vt patribus, quibus ius vitæ in liberos, neciſque poteſtas olim erat permiſſa, libertatem eripere non liceret*: & illa poteſt coniectura roborari, quòd nullum de ea re in Pandectarum libris exemplum reperitur, vt etiam Conano placuit *lib. 2. cap. 11.* Nihilominus, quo id tempore primum fuiſſet, certò affirmare minimè poterit, cum nec quidquam de ea re interpretibus debeatur: quamvis aliqui immerito Nummæ temporibus factitatum ſcripſerint, illa tantùm eius ſpeciali prohibitione fortè decepti, cuius ſupra meminimus. Id tantùm affirmo, Cæſarum poſtea reſcriptis immaniſsimam huiuſmodi poteſtatem iterum fuiſſe ſublatam, vt ex Imperatorum Diocletia. & Maximia. Conſtitutione in *l. 1. C. de patribus qui filios ſuos diſtrax.* his verbis colligitur: *Liberos à parentibus neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris iure, aut alio quolibet modo, nec ſub prætextu ignorantiæ accipientis in alium transferri poſſe, manifeſti iuris eſt.* Cuius reſcripti poſteriora hæc verba, *Manifeſti iuris eſt*, innuere videntur quod proximè dicebamus, videlicet, hoc idem iam retro ab alijs fuiſſe legumlatoribus ſtatutũ. Nam ſi huius Conſtitutionis tempore firmum extitiſſe Imperatores fatentur, liberos à parentibus quolibet titulo alienari non poſſe, ergo anteà editæ leges fuerunt, quibus id ſimiliter improbabatur. Sed horum nec veſtigium in iure noſtro deprehenditur. Quam filiorum impijſsimam diſtra-
ctionem, pijſsimo quodam dumtaxat caſu 10
Cæſares permiſerunt, eo ſcilicet, quo pater ſumma egeſtate premeretur, *l. 2. C. eodem, l. vnic. eiuſdem tituli in C. Theodoſiano*, & cauetur apud noſtros, *l. 8. & 9. tit. 17. p. 4.* Quod & antiquitus etiam obſeruatum *Nehemiæ 5. cap.* monſtratur, illo loco: *Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus & bibamus*: & Maximini Imperatoris

tem-

tempore probat Euſebius Cæſarienſis *lib. 9. hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 8. ſuffragatur D. Hieronymus *ſuper Amòs, lib.* 3. *Nihil enim*, inquit, *fame durius, quæ ſæpè compellit obſeſſos humanis veſci carnibus, & in ſuam ſæuire naturam, ita vt neque parentes parvulis liberis parcant, & maritalis affectus vxoris dudū amatæ membra dilaceret*, feciſſeque Eriſichthen. recordatur Ouidius 8. *Metamorphoſ.*

Et tandem demiſſo, inquit, in viſcera cenſu
Filia reſtabat, non illa digno parente,
Hanc quoque vendidit inops.

Probant Medina *in ſuis tractatibus, tom. 2. titul. de rebus recti. quæſt. 30. verſic. Secundò modo, colum.* 5. Fran. Garcia *de contract. cap.* 17. *num.* 1. Ludouic. Lopez *de contract. lib.* 1. *cap.* 4. *verſic. Ineſt ius*, Sigiſmun. Scaccia *de cōmerc.* §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 556. *verſic. Re-*
11 *ſtringe primò*; qui hanc conſuetudinem ſolùm receptam eſſe apud Barbaros & Mauros aſſerunt, nunquam verò apud Chriſtianos.
12 Qua neceſſaria hac venditione filio ingenuitas minimè eripiebatur, Paulus *lib.* 5. *ſenten. tit.* 1. §. 1. *d. l.* 2. ſed emptori ius obtinendi ſeruitij concedebatur quoad ei pretium à venditore, vel à quocumque, aut æquiualens mancipium refunderetur, tradit Rebardus *ad ll. populi Romani, cap.* 3.

Nec tamen grauiſſimo hoc eſuriei conflictu, in quo ſolam curam eſſe, vt qualicumque ſorte iubetur, inquit Valentinianus Cæſar *in Nouell. conſtitut. tit.* 11. *de patribus qui*
13 *fil. diſtrax.* quoſcumque liberos, ſed certæ dumtaxat ætatis diſtrahendi, vel pignorandi poteſtas erat, nempe ſanguinolentos. Sic enim *in dict. l.* 2. legendum arbitror, *non ſan-*
14 *guinolentus* ſingulari numero, vt iamiam à pluribus eximiæ eruditionis viris animaduerſum reperio: ita Pinellus *in* 2. *part. Rubricæ, num* 25. *C. de bonis mater.* Alciat. *lib.* 2. *de verbor. ſignific.* Cuiac. *in parat. C. de infan. expoſ. & his qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt.* Gilbert. Rheg. 1. *Enantiopha. cap.* 21. Tiraquel. *de retract. lignag. cap.* 26. *gloſ.* 1. *num.* 14. Briſon. *in lexicon.* Hotoma. *in* §. 1. *inſtit. de patr. poteſtat.* idem Cuiac. *lib.* 5. *ſent. Pauli tit.* 1. §. 1. *& ad legem* 4. *C. de contrahen. emption.* Iacob. Rebar. *lib.* 1. *coniect. cap.* 17. Didacus Couarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 14. *num.* 4. Petrus Faber *ſemeſtrium lib.* 1. *cap.* 6. Iulius Pacius *Iſagogico ad tit. C. de infant. expoſ.* Oſuald. *lib.* 2. *Donelli cap.* 25. *lit. H.* vbi & contrariæ lectionis ſectatores refert Ioann. Solorzan.
15 *vbi ſup.* Qui omnes ſimiliter fatentur, ſanguinolentos filios propriè illos dici, qui recē ter nati, & adhuc ſanguineis maculis ſunt aſperſi, vt probat Iuuenal. *Satyr.* 7. ibi:

Modò primos incipientes edere vagitus;
Et adhuc à matre rubentes.

Donatus *in Andria* à matre ſanguinolentum, non pulchrum, ſed ſcitum pronuntiat: & luculentiùs fulcitur *ex Codice Theodoſiano*, vbi cum *libro* 5. *cap.* 8. titulus ſit *de his, qui ſanguinolentos emptos, vel nutriendos acceperint*: poſteà *l. vnica*, quem ſanguinolentum appellet Conſtantinus Imperator, his verbis demonſtrat: *Si quis à ſanguine quoquomodo legitimè comparauerit*: & rurſus doctiſsimus Paraphraſtes: *Si quis infantem à ſanguine emerit*, ex quibus meritò Tiraquel. & Couarr. vbi proximè, & nouiſsimè Alphonſ. Carran. *diſputat. de partu, cap.* 4 *num.* 149. *& cap.* 5. *ſect.* 2. *num.* 83. Velaſcus *de priuileg. pauperum* 2 *part. quæſt.* 65. §. 2. *numer.* 182 coniectantur filios ſanguinolentos apud Cæſares illos intelligi, qui ita pau- 16
lulum à puerperio diſtant, vt adhuc materno ſanguine rubeſcant, quos ſeptem dierum eſſe ex Ariſtotele, & Albino, Petrus Faber *dicto loco ſemeſtrium* obſeruauit, ergo cùm dumtaxat ſanguinolenti filij, etiam fame ſæ- 17
uiente Imperiali poſsint indulgentia à parentibus diſtrahi, manifeſtè conuincitur, eos tantùm, vt inopia releuetur, venire debere, qui nondum ſeptemdiales, vt ſic, dicam, vel qui ſeptimi diei minimè extremum punctum egerint, cū eo tranſacto, vt ſanguinolentorum ipſi nomen amittunt: ita & eorum parentes illos vendendi facultatem amittant conſectarium eſt.

Sed cur huius tantùm ætatis infantes pa- 18
tribus diſtrahendi poteſtas eſſet, cùm ipſi famis ignauiſsimam mortem patiuntur, vt Amiani Marcellini verbis vtar *lib.* 15. *hiſtor. Romanæ*, nec in comperto eſt. illam exhibuit rationem Anton. Faber. *in Iuriſprud. Papinianea, titul.* 8. *princ.* 6. *illatione* 2. quia vix enim eſſet, vt alios ætate grandiores velit quis inuitos comparare, aut pignori accipere. Alteram verò nos à Valerio Maximo *lib.* 2. *cap.* 1. mutuari ſumus, vt ſcilicet patres paruulorum amiſsionem ita tenera 19
ætate æquiori animo ſuſtinerent. Sed vtraque non probatur. Non prima, quia ſi eſſet 20
vera, etiam anniculus, & eo maior vendi potuiſſet, cùm huius ætatis nulla ſit voluntas, *l. quamuis* 32. §. *fin de acquir. poſſeſſ. l.* 26. *C. de donat.* ac per conſequens nec reluctantia eſſe poſsit, quæ neceſſariò voluntatem ſupponit, cùm eius ſit nolle, qui poteſt velle, *l. eius, ff. de regul. iur.* Alia etiam ex cauſa ſecunda Valerij ratio noſtro caſui adaptari nō poteſt, nam cùm dicta *l.* 2. *C. de patrib. qui fili. diſtra.* coerceat facultatem alienandi filios, etiam cum fames graſſatur, ita vt eo caſu

ſu nondum ſeptem dierum filios tantùm patribus diſtrahere concedat, credendum eſt ob famis cruciatum, & vt illum ſubleuarent, non ſolùm huius ætatis, verùm & prouectioris liberos parentes æquo animo in ſeruitutem detruſuros, ni huius legis prohibitione detinerentur. Siquidem illis tantum parentibus hoc ſtatutum eſt, quibus proprij filij ſeruitus, illiuſque iactura potiùs quàm egeſtas & indigentia placent. Vnde aſſerere nõ detrectat Didacus Couar. *dict. lib. 3. variar. cap. 8. num. 4. verſic. Primum ad finem*; ita licere parentibus filios ablutos iam, non tantùm recens natos, vt ſanguinolentos infantes vendere: ſiquidem eadem omnino ratio eſt in his omnibus, nempè dira ipſa fames. Sed tanti viri illæſa auctoritate, verius arbitror, parentes non maiores ſeptem dierum filios victus quærendi cauſa venundare poſſe, vt *dict. l. 2.* teſtimonio probatur, ea ni fallor coniectura, quia vt Ariſtotel. *lib. 3. de hiſtor.*
21 *animal* ſcribit, plerumque infantes ante ſeptimum diem intereunt, vnde fiebat, vt nomina illis ſeptimo die imponerentur, tanquam ſaluti iam pueri magis credatur: quare minimè à paterna pietate extraneum videri debet, ſi vt propriã vitam tueantur, quam iamiã præ nimia fame periclitari conſpiciunt, illorum filiorum liberrati diſtractione inſidientur. Quia ſecundùm naturam adeò morti proximi ſunt, vt frequentiùs quaſi certo quodam fato, ante ſeptimum diem interitum patiantur. Quo periculorum concurſu, illius potior conditio eſſe debet, quod quoquomodo nos in certæ vitæ ſpem erigit: ergo paterno vitæ periculo etiam cum filij detrimento conſulendum eſt. Nam cum egeſtate prematur, certum eſt poſſe alimento iuuari. Quod vix, vel nõ adeò probabiliter de moribũdo non dũ ſeptẽ dierũ filio ſperari poteſt, cùm illius periculum non accidentale, vt paternum, ſed naturale ſit: quod difficiliùs reſarciri poteſt.

22 Ex quibus conſequenter apparet, quàm ridiculũ ſit priuilegium, quod ſacris ordinibus initiatis indulgent Franc. *in capit. indecorum, de ætate, & qualitate*, Stephan. Auphr. *in repetitione Clementin. vt Clericorum, numer. 10. de offic. ordin.* quæ habetur, *tom. 6. repetit. Canonicarum, fol.* 37. videlicet, vt à parentibus ob indigentiam ex permiſsione *dict. l. 2.* diſtrahi non poſsint. Nam cùm tantùm parentibus iure communi fuerit conceſſa facultas ſeptemdiales filios alienandi, eidem iuri etiam conſentaneum eſt, huius ætatis maiores non ſolùm ſacris ordinibus decoratos, verũ & ſæculares qualeſcũque, diſtrahi, quãtũuis in paternæ famis ſubſidiũ, nõ poſſe.

SVMMARIVM.

Tempus conferendi Baptiſmum, & imponendi nomen varium, & multiplex fuit. 1.

Apud Moſcobitas ſtatim ac naſcitur infans, illi nomen imponitur, & poſt quadrageſimũ diem baptizatur. 2.

Græci filijs ſuis quinto die nomina imponebant. 3.

Decimo Athenienſes id ipſum præſtabant. 4.

Luſtricus dies infantium apud Romanos vocabatur, puellarũ, octauus, puerorũ, nonus. Quia eis nomina imponebantur. 5.

Vlpianus in fragmentis, titul. 53. *intelligitur.* 6.

Hebræis etiam idem cum Romanis tempus impoſitionis nominis, & circumciſionis fuit. 7.

Chriſtus octauo die fuit circumciſus, & nomine inſignitus. 8.

Ex conſuetudine totius Eccleſiæ pueri elapſo octauo die baptizantur, & nomina accipiunt. 9.

Textus in cap. à paruulo 34. *de conſecrat. diſtin* 4. *explicatur.* 10.

Pueri ante ſeptimum ætatis diem maximè periclitantur. 11.

Baptiſmum ſolemne, non verò particulare, quod domi vrgente neceſsitate fit, ad octauũ diem eſt protrahendum. 12.

Infantes quando commodè fieri poteſt, ad Eccleſiam ſunt deferendi, dummodò vltra octauum, vel nonum diem non differatur. 13.

Maior octo, vel nouem dierum, in dubio baptizatus præſumitur. 14.

Expoſitus, qui prædicti temporis ætatem exceſsit, ſub conditione eſt baptizandus, niſi ſchedulam habeat baptiſmi teſtem, ibi d.

Schedula puerum baptizatum obteſtans minimè ſufficit, vt ſaltim ſub conditione ipſe non baptizetur, quando inter infideles fuit expoſitus. 15.

Prænomina apud Romanos, nec pueris ante virilem togam, nec ante matrimonium puellis imponebantur. 16.

QVÆSTIO IX.

De paruulorum ætate ad baptiſmum, & nominis impoſitionem.

1 De hac ætate, ſiue de hoc tempore diſputans Ioſephus Vicecomes *lib. 2. de antiquis baptiſmi ritibus, & ceremonijs, capit.* 14. in hęc verba proſiluit: *Quod ita varium, & multiplex fuit, vt nihil certi de*

2 *de eo ſtatui, vel affirmari poſſit.* Nam ſi Moſcobitarum leges perſpicimus, vt refert Sigiſmundus *lib. de reb. Moſcobitarum, cap. de Baptiſmo: nato infante mox accerſitus Sacerdos ante ianuam habitationis, in qua eſt puerpera certas ſtando recitat orationes, pueris nomen imponit, deinde quadrageſimo communiter die, niſi fortè puer ægrotet, defertur in templum & baptizatur.* Sin verò Græcorum ob-
3 ſeruationes perpendimus, Scaligerus *in Feſtum,* & Salmeron *Prologomenon 9. cano. 43.* quinto die poſuiſſe nomina oſtendunt, duplicato verò tempore ab Athenienſibus id
4 fiebat teſte Suida: *Mos Athenienſium ciuium fuit*, ſcribit, *decima ab ortu infantis noctè conuocari paternos, maternoſque cognatos, hiſque præſentibus, & nomina pueris indi*: conſentit Heſichius, cuius verba Græcè exarata ſic transfert Adrianus Turnebus *lib. 8. aduerſar. c. 19. Hac decima die nomina infantibus imponebant.*

5 Aliter obſeruaſſe Romanos Feſtus teſtatur: *Luſtruici dies infantiū*, refert, *appellātur puellarum octauus, puerorum nonus, quia ijs luſtrantur, atque eis nomina imponuntur.* Similiter Macrobius 1. *Saturn. cap. 16. Eſt luſtricus dies, quo luſtrantur, & nomen accipiunt: ſed is in maribus nonus, octauus in fœminis*, de
6 quibus intelligi debet Vlpianus *in fragmentis, tit. 13.* ibi: *Item communis filius, filiave poſt nominum diem amiſſus, amiſſave, vnam decimam adijcit.* Amplectuntur ſuperiorem traditionem Barna. Briſon. *ſelecta. lib. 1. cap.* 5. Ioan. Corra. *in repetit. l. precibus, num.* 24. *C. de impube. & alijs ſubſtitut.* Franciſc. Conan. *Comment. iuriscivilis, lib. 9. c. 4. pagina mihi 673. litera G.* Vigli Zuichemus *in §. præterea, num. 1. inſtitut. quibus non eſt perm. facere teſtam.* & exactè Andr. Tiraquel. *in l. ſi vnquam, verſic. Suſceperit liberos, n. 168. C. de reuocan. donat.* vbi id nonnullorum teſtimonijs probat.

7 Et hanc vtique traditionem Hebræis etiam communem fuiſſe inde patet, quòd ipſi octauo die crimen à primis parentibus lęthali contagione transfuſum circumciſione abolebant, pueris ſimul nomina imponentes, vt ex ipſo humanæ ſalutis duce colligitur apud Lucam *cap. 2. Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer, vo-*
8 *catumque eſt nomen eius Ieſus.* Quare apud noſtros communi totius Catholicæ Eccle-
9 ſiæ aſſenſu receptum eſt, vt elapſo octauo natiuitatis die pueri & baptiſmum, & nomen accipiant, tenent Quintil. Mandoſ. *de ætat. mino. cap. 1. num. 16. & 17.* Tiraquellus *vbi proximè num. 167.* Petr. Gregor. *ſyntagm. lib. 9. cap. 9. num. 26.* Caſſaneus *conſ. 19. numer. 9.* Lazarus Fenuc. alios referens *tractatu de momento temporis, cap. 11. numer. 7.* nouiſsime Alphonſ. de Lara *in compendio vitæ homin. cap. 13. num. 17.* Itaque accipien- 10
dus erit textus in *cap. à paruulo 34. de conſecrat. diſt. 4.* dum à paruulo recens nato vſque ad decrepitum ſenem, omnes ad baptiſmum eſſe admittendos, nimis indiſtinctè affirmat.

Cuius obſeruationis eam rationem ex A- 11
riſtotele *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. vltim.* tradit Franciſcus Valles *Philoſophiæ ſacræ cap. 38.* Quia antequam exactus ſit dies ſeptimus natiuitatis, pueri intereunt, & hanc ob cauſam tunc nomina imponuntur, tamquam ſaluti iam pueri magis credatur. Ab hac ratione minimè diſſentit Petr. Gregor. *loco iam relato*; & meritò, quoniam magnam vim eſſe hebdomadæ in his quæ ad fœtuum intra vterum formationem, & in lucem iam editorum vitam pertinent, docet Hippocrates *varijs in locis*, & præcipuè *libel. de carnibus.*

Et quamuis hæc ratio Chriſtianis potiùs in cauſa eſſe debuiſſet, vt in tam longum ſpatium baptiſmum, ipſamque nominis impoſitionem minimè differrent, cùm eo tempore hoc Sacramentum maximè ſit pueris neceſſarium, quo ipſorum ſalus naturaliter periclitatur, ne illis æterna deficiat, quam niſi eiuſmodi aquæ & Spiritus Sancti regeneratione conſequi, haudquaquam poterunt. Ta- 12
men quoad baptiſmum ſolemne, cuius nobis eſt ſermo (illud ſcilicet, quod apud Eccleſiam certis quibuſdam ſolemnitatibus peragitur) rectè hoc dierum ſpatium obſeruatur. Nam ſi infans, cuius vitæ intra prædictum octauum diem ita manifeſtè mors inſidiatur, vt cum Ariſtotele affirmat Valleſſius *vbi ſuprà*, nondum eo tranſacto ad Eccleſiam Baptiſmi cauſâ perduceretur, procuidubio aeris intemperie, ſiue caloris nimia vſtione ſtatim periret. Vndè appoſitè nimis inquit Anton. Diana *reſolut. moral. 3. part. tractat. 4. reſolut. 8.* Infantes quando com-
modè fieri poteſt ad Eccleſiam eſſe deferen- 13
dos, nec vltra octauum aut nonum diem hoc differendum. Supponens, poſt huius temporis lapſum ſecure, & ſine baptizandi periculo, aut incommodo, ipſum ad ſalutare lauacrum adduci poſſe.

Quem morem baptizandi, ſeu nomine 14
inſigniendi paruulos poſt octauum, aut nonum natiuitatis diem eorum, adeò fideles, noſtraque Eccleſia obſeruat, vt hanc ætatem excedentes in dubio baptizatos præſumat. Itaque ſi tenellus horum dierum infans expoſitus inueniretur, eſſet ſub cõditione bapti-

ti-

tizandus, niſi habeat ſchedulam baptiſmi te-
15 ſtem: imò etiam cum illa, ſi inter infideles expoſitus reperiatur, quia exiſtimari debet eam fuiſſe ab infidelibus in iniuriã baptiſmi, vel baptizandi ſcriptam. Sic tenent plures relati à Torreblanca *iuris ſpiritualis, lib.* 2. *c.* 4. *n.* 35. & Dianà *d. loco, reſol.* 5. & rurſus 5. *p. tractat.* 13. *reſolut.* 85.

16 Cæterùm coronidis loco, nec illud omitti debet, quod ex Scæuola *apud Valerium in epitome lib.* 10. tradit Philip. Broideus *in notis ad Franciſcum Polletum hiſtoriæ fori Romani lib.* 2. *c.* 7. *notab.* 1. ſcilicet, pueris apud Romanos, non priùs quàm togam virilem ſumerent, & puellis nõ antequàm nuberent, prænomina imponi, moris fuiſſe: quod ex Capitolino probari poſſe affirmat.

SVMMARIVM.

Homines antiquitus Dijs in ſacrificiũ immolabantur. 1.

Septimo die ætatis pueros ſacrificare fuiſſe conſuetum, quidam vir doctus exiſtimat. 2.

Pueris ſeptimo die quare nomina imponerentur? 3.

Cuiuſcumque ætatis pueri, dummodò non ſeptennes, ſacrificabantur. 4.

Blanditijs corripiebatur ſacrificandi infantis vagitus, ne flebilis hoſtia immolaretur. 5.

L. ſi quis 8. *C. ad legem Cornel. de ſicar. impium hoc ſacrificiũ prohibuiſſe, obiectatur.* 6.

Homines immolare aliquibus Senatus Conſultis fuit vetitum. 7.

Non ſolùm infantes, ſed grandiuſculos pueros, nondum tamen puberes, ad aras deferri ſolitos oſtenditur. 8.

Defodere viuentes, Perſicum ſacrificiũ erat. 9

Iuuenes etiam alij offerebant. 10.

Vnicuique genti ſua, & ab alijs diuerſa extiterat ſacrificandi hominis ætas præſcripta. 11.

Plurimũ debemus Chriſto Domino, qui ſui ipſius ſacrificio immane hoc ſuſtulit. 12.

QVÆSTIO X.

Quo ætatis die infantes antiquitus immolarentur?

1 A Deo infandis ſacrificijs Deos priſci coluerũt, vt effero animo homines victimas dare, & in holocauſtis humanis oſsibus adolere ſolerẽt. Blemmyę, Cimbri, Galli, Druidæ, & Germani, apud Alexan. ab Alex. *lib.* 6. *c.* 26. teſtentur, qui ſtatis diebus, humanis litant hoſtijs, & cruore captiuorum adolent aras, tunc propitiari Deum maximè arbitrati, cùm per cruciatum homines excarnificarẽt. Quod & de Gallis exprobat Cicero *in oratione pro Fõteio: Si quãdo*, inquit, *aliquo metu adducti, Deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtijs eorũ aras; ac templa funeſtant, vt ne religionem quidẽ colere poſsint, niſi eam ipſam priùs ſcelere violarint.* Quam immanẽ, ac barbarã conſuetudinem homines immolãdi referunt, & execrantur Cæſar *lib.* 6. *Belli Gallici*, Strab. *lib.* 4. & 14. Diodor. Siculus *lib.* 5. & 6. *c.* 9. Dionyſ. Alicar. *lib.* 1. Plinius *lib.* 30 *cap.* 1. Solinus *c.* 33. Pompon. Mel. *lib.* 3. *cap.* 2. Lactan. *lib.* 1. *cap.* 21. Marcian. Capella *lib.* 6. Thomas Bozius *lib.* 7. *de ſignis Eccleſiæ*, *capit.* 4. plures congerit Tiraquellus *in Alexan. vbi ſuprà*, & Pater Pradus *in Ezechiel. cap.* 20. *verſ.* 26. Lil. Girald. *ſyntag.* 17. *in fin.* Petr. Faber. *ſemeſtri lib.* 3. *cap.* 2. Gaſpar Grajar. *in Michæam Prophetam, fol. mihi* 179. Martin. Delrius *in Troade Seneca, verſ.* 297. P. Ludou. de la Cerda *in notis ad c.* 9. *Apolog. Tertullian. num.* 333. & alij, quos more ſuo eruditè cumulat Ioannes Solorzan. *de iure Indiarum lib.* 2. *c.* 12. *à num.* 62.

Sed cuius ætatis homines immolandi ius eſſet, nec ipſi referunt, quamuis è relatis, diuerſa, & diſsidentia prorſus coniectare valeamus. Ante ſeptimum diem necari ſolitos, ex Petro Fabro *ſemeſtrium lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 34. obſeruauit Solorzanus iam relatus, *n.* 91. 2
Ideò apud Græcos receptũ probabiliter inferens, vt ſeptimo die pueris imponerentur nomina, tãquam ſaluti, & incolumitati eorũ hoc pacto magis conſuleretur, tradit Ariſtoteles *lib.* 7. *de hiſt. animal. ad finem*, cui & ſuffragari videtur Silius Italicus *Punicorum lib.* 4. *ad finem.* 3

Mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido
Poſcere cæde Deos veniã, ac flagrantibus aris
(Infandum dictu) paruos imponere natos.

Nec deſunt argumenta, quibus vſque ad ſeptimum annum homines ſacrificare commune fuiſſe adſtruamus: cùm paſsim apud eximios antiquitatum obſeruatores deprehendatur, infantes olim, ideſt, non ſeptennes, vt alibi latiùs patebit, hoſtias Dijs immolatos. Tertullianus nec contemnendus ſcriptor *Apologetici c.* 9. locuples huius rei teſtimoniũ inſinuat: *Infantes penes Africam*, eius verba ſunt, *Saturno immolabantur palã vſque ad Proconſulatum Tiberij, qui eoſdem Sacerdotes in eiſdem arboribus templi ſui obumbratilibus ſcelerum votiuis crucibus expoſuit, teſte militia patriæ noſtræ, quæ id ipſum* 4

munus illi Proconſuli functa eſt, ſed & nunc in occulto perſeuerat hoc ſacrum facinus, cui & Prudẽtius cõſors exiſtit *lib.* 2. *aduerſus Simmachum.*

Cædibus infantum fument Saturnia ſacra,
Flebilibuſq́, truces reſonent vagitibus aræ.

Subſcribit Minutius: *Meritò*, ait, *ei* (nempè Saturno) *in nõnullis Africæ partibus, à parentibus infantes immolabantur, blãditijs, & oſculo cõprimente vagitũ, neflebilis hoſtia immolaretur.*
5 Necnõ, & de Phœnicibus, & Carthaginenſibus Alex. ab Alex. *d. lib. 6. c. 26. Fuitque apud Phenices, & Cartaginenſes*, ait ille, *nimium diu ſeruatum, vt infantes principali honore inſignes ſorte ductos in Regio ornatu Saturno immolarent hoſtias.*

6 Ad cuius cruenti ſacrificij prauã, omninoque ferinã conſuetudinẽ Imperatorũ Gratiani, & Valẽtiniani prohibitionẽ in *l. ſi quis* 8. *C. ad leg. Cornel. de ſicar.* reſpicere, nec inuius exiſtimauit Rebardus *lib. 3. coniectan. c.* 1. & illo minimè inferior Ioan. Solorzan. *d. lib.* 2. *de iure Indiar. c.* 12. *n.* 86. ſic enim illa cauetur: *Si quis necandi infantis piaculũ aggreſſus, aggreſſaue ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.* Quę idemtidẽ verba à Gratiano referuntur in *c. ſi quis* 11. *de pœnitent. diſt.* 1. licèt aliter Iacobus Cuiacius obſeruat. *lib. 6. c.* 21. prædictam interpretetur Conſtitutionẽ: quem latè & eruditè reprehendit Solorzan. *vbi ſup. n.* 87. omnino videndus.

7 Qui quidẽ Rebardi acutiſsimus intellectus ex eo probabilis videtur, quòd ab alijs quàm plurimis Imperatoribus, & Senatus Conſultus, eadem pene prohibitio indicta legitur, vt de Proconſulatu Tiberij memorat Tertullianus iam relatus, ibi: *Infantes penes Africam Saturno immolabatur palã, vſque ad Proconſulatum Tiberij, &c.* cuius ſimile Senatuſcõſultũ refert Plinius *naturalis hiſtor. lib.* 30. *c.* 1. illis verbis: *C. N. Cornelio Lentulo P. Licinio Craſſo Conſulibus Senatuſconſultũ factũ eſt, ne homo immolaretur.* Et trãſcripſit Alex. ab Alex. *d. lib. 6. dier. genial. c.* 26. quare extranea ab Imperatorum mente in *d. l.* 8. ſimilis prohibitio ſuſpicari non debet, cùm adeò hæc piacularis hoſtia immanis & ex oſa legibus ſemper viſa ſit, vt aduerſus eam Imperialia iura armari meritò credi poſsit.

8 Suppetunt etiam, nec inferioris notæ monumenta, vt pueros, ſed nõdum puberes, nec quatuordecimum attingẽtes annum Dijs immolatos tradamus. Ennius *ſeptimo annaliũ*, his verbis cecinit:

Pœni ſunt ſoliti ſuos ſacrificare puellos
Diuis.

Tradit Diodorus *lib.* 20. *Cauſabantur*, ſcribit, *& Saturnum ſibi aduerſari, quòd cũ olim huic Deo filios præſtãtiſsimos immolarẽt, poſteà clam pueros mercati cũ enutriſſent ſacris deſtinabãt:* & Quint. Curt. *lib.* 4. *Sacrum quod quidẽ Dijs minimè cordi eſſe crediderint, noſtris ſæculis intermiſſũ, repetẽdi authores quidã erãt, vt ingenuus puer Saturno immolaretur.* Necnõ & Herodot. *lib.* 7. *Audiẽtes*, inquit, *eum locũ nouem vias Hædorum appellari, totidẽ illic pueros, ac virgines puellarum indigenarum, filios viuos defoderunt.* Nã Perſicũ ſacrificium erat defodere viuentes, vt in Alex. ab Alex. notauit eruditè Tiraquel. *d. c. lit. L.* & mox expreſsè apparebit. Sed his expreſsiùs Alex. ab Alex. *d. lib. & cap. Id quod à Rhodijs & Cretenſibus*, ipſe loquitur, *factitatum comperimus, vt hominem epulis grauatum, ac pueros impuberes feſtis diebus Saturno mactarent:*
ſimileque de Carthaginenſibus ex Iuſtino *lib.* 9
18. commemorat nouiſsimè Cabreros *tract. de metu, lib. 2. c. 40. n.* 11.

Nec mirum, cùm iuuenes & ætate grandæ- 10
uos, vti maximũ Dijs holocauſtum oblatos, idẽ teſtetur Alexan. *Galli præter Heſſum & Theutatẽ Mercuriũ, quos humano cruore placabãt, grauioribus morbis, aut periculis affecti ad placãdas deorum aras, aut homines immolabant, aut ſe immolaturos vouebãt, ad cuius arã etiã grandæuos ætate pro victimis proſecabãt.* Et inferiùs: *Perſis quoque ad habẽdas dijs gratias viuentes iuuenes, eoſque ſpirantes ſub terra defodere aſſuetum fuit.* Quò etiã reſpexiſſe videtur Vetus *ille ſchol. Homer. in primo Iliad. libro*, dum hoſtias ætate integras offerri debuiſſe interpretatur, vt teſtis eſt Lelius Viſciola *Horar. ſubſeſsiuar. lib. 4. c.* 21.

In qua Interpretum, & Hiſtoriographo- 11
rum contentione neutram ſententiam, vt concepta eſt, amplectendam puto, ſed conuenienti cautione lectores admonendos, vt pro vario gentium ritu, & vſu, obſeruatum ſciant, aut paruulos infantes, iuuenes, aut ætate grandæuos immaniter ſacrificare. Nec enim aliqua generalis, aut ſtatuta ætas humano litando ſanguini in vniuerſum reperitur præſcripta, imò reperiebatur. Abſint vtique à noſtro ſæculo impij ij cultus, infanda hæc ſacra. Quantum enim debemus Chriſto Domino, Regi, & Doctori noſtro, qui ſui ipſius ſacrificio impium hoc & immane ſuſtulit, & vt cum Alex. ab Alex. exclamem *dicto in loco*, quem verum Deum veneramur, & ſcimus, quo præmonſtrante exploſa ferarum Gentium doctrina, rituquè immani; & barbaro, veram religionẽ edocti, humanitatem, & verum Deum colimus, euictiſquè erroribus, & infandis ineptijs, quas priſci coluere, quid quemque deceat, & quibus ſacris, quaque mente Deum colere oporteat, noſciramus!

SVM-

SVMMARIVM.

P*Arentes tenebantur filios apud acta profiteri.* 1.
Huius conſuetudinis quamplurima in libris noſtris veſtigia deprehenduntur. 2.
Adoptiones quare apud Præſidem intimari deberent. 3.
Adoptio eſt ciuilis filiorum natiuitas. 4.
Natiuitates filiorum ideò inſinuabãtur, vt de paterno iure ad hæreditates, & legata conſtaret. 5.
Profeſsiones filiorum non qualibet ipſorum ætate, ſed intra trigeſimum diem à nominis impoſitione fieri debebant. 6.
Octauo die fœminis, & nono maſculis nomina imponebantur. 7.

QVÆSTIO XI.

Cuius ætatis infantes antiquitus parentes apud acta profiterentur?

1 ILlud Romanorũ obſeruatũ diu fuiſſe inſtitutũ, vt quotquot liberos parẽtes ſuſciperent, apud acta, ſiue ærarij Saturni Præfectos cõteſtarentur, inter alios Apuleius demonſtrat: *Pater*, inquit, *natum tibi filium cæterorum more profeſſus eſt*, & meliùs Iulius Capitol. *in Gordian. Filiũ*, ſcribit, *Gordianum nomine Antonini, & ſigno illuſtrauit, cùm apud præfectum ærarij more Romano profeſſus filium publicis actis eius nomẽ inſereret.*
2 Cuius itidem obſeruationis argumẽta ex iure noſtro deprehenduntur in *l. cùm de ætate 13. eo verſic. Et durum, & iniquum eſt, cùm de ſtatu ætatis alicuius quæreretur, & diuerſæ profeſsiones proferuntur, ea potiſsimum ſtare quæ nocet*, & eiuſmodi *in l. 2. §. 1. de excuſat. tutor.* idemque colligitur ex Imperatorum reſcriptis *in l. non nudis, C. de probat. l. nec omiſſa, l. nec parentes, l. interrogatam, l. liberos, C. de liberali cauſa, l. neque profeſsio, C. de teſtam. l. 1. C. ſi minor ſe maior.* & ex alijs, quarum in hanc ſententiam meminit eruditiſsimus Barnab. Briſon. *ſelect. ex iure ciuil. antiquit. lib. 1. c. 5.* cui meritò acceſſerunt Ioannes Henechi. *in notis ad Accurſium in l. 4. ff. de adoption.* Ioſephus Vicecomes *de antiquis baptiſmi ritibus ac ceremon. lib. 2. cap. 15.* vbi nonnullos recenſet: & Hiſpanus noſter D. Laur. Ramir. de Prado *in Hyponemat. ad lib. 1. Martialis epigram. 25.* & nouiter id pluribus adſtruit Alphonſus Carrança *de vera humani partus deſignatione cap. 5. nu. 101. cum ſequentibus.*

Et fortè hac de cauſa filiorum adoptiones 3 neceſſariò apud Præſidem vel Prætorem intimari debere, Imperatores reſcripſerunt *in l. impuberem 2. ad finem, C. de adoption.* Nam 4 cùm adoptio ſit quędam natiuitas ciuilis, qua non aliter ac natura ipſa liberi ſuſcipiuntur *l. 1. ff. eodem*, conſectarium videbatur, vt quẽadmodum ex propria vxore quos filios generabant, apud acta profiteri compellebantur, nec abſimiliter qui fictitio, & velut imaginario adoptionis artificio ad naturæ æmulationem producebantur, eadẽ conteſtationis forma inſinuarẽtur: & ratio ſuadet. Nam ſi ideò 5 ex ſententia Ramireſij, & cæterorum, filiorum natiuitates apud acta notæ fiebant, vt de paterno iure conſtaret ad hæreditates, legata, & caduca capienda (quanuis aliam rationem tradat Carrança vbi ſuprà, *verſ. Alia fuit*) cùm hęc omnia æquè adoptiuis, ac naturalibus liberis obuenirent, *totus titulus. ff. de adop.* ipſamet ratione, qua in naturalibus filijs eiuſmodi profeſsiones neceſſarias eſſe prædiximus, & in adoptione quæſitis interponi debere conuincitur, vt præſenſiſſe mihi videtur Ioannes Henech. *proximo enarrato loco.*

Quæ igitur profeſsiones non quolibet tem- 6 pore, vel quacumque filiorum ætate, ſed certa & præfinita à legibus fieri oportebat, quod etſi nullis Iuriſcõſultorum reſponſis cautum inueniatur, id tamen ita fuiſſe *in Marco Aurelio* veritatis ſtudioſiſsimus Iulius Capitol. his verbis demonſtrat: *Inter hæc liberales cauſas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos, ſiue liberos profiteri intra diem triceſimum* (ſic legendum, non tertium, vt falsò ſcripſit 7 Ramireſius) *nomine impoſito.* Cui etiam cõſentit Briſonius *dicto loco.* Vnde cùm antiquitus receptiſsimum extitiſſet, non contemnẽdis teſtimonijs ſuperiùs affirmauerim, octauo die fœminis, & nono maſculis nomina imponere, planum deducitur, profeſsiones eorum, quæ triceſimo abhinc die, & Marci Aurelij præſcripto apud præfectos celebrari debebant, in fœminis triceſimo octauo natiuitatis die, & triceſimo nono in maſculis fuiſſe peracta.

SVMMARIVM.

H*Omo ſtatim ac naſcitur, plorat.* 1.
Riſum verò nemo ante quadrageſimum ætatis diem emittit. 2.
Infans ante quadrageſimum diem inter vigilandum, nec ridet, nec lachrymas effundit, inter dormiendum verò vtrumque aliquando feciſſe traditur. 3.
Zoroaſtes eodem natiuitatis die riſit. 4.

QVÆSTIO XII.

Ridere quo tempore homo incipiat?

NEc hoc minimũ noſtra hac tractatione prætereundũ cẽſui, ne vel in minimo, ſi forsã licet, ea deficere videatur. Docẽt naturalium rerum magiſtri, naſcentes
1 illicò ac lucem vident, vagire, & plorare, riſum verò non niſi poſt quadrageſimum diem eos emittere, ſic Ariſt. *lib. 7 de hiſtor. animal.*
2 *c.* 10. & Solinus *c.* 4. *Naſcentium vox prima,* inquiunt, *vagitus eſt, lætitiæ enim ſenſus differtur in quadrageſimum diem*: idem teſtarur Plinius *lib. 7. in proœmio*, ibi: *At hercle, riſus præcox illi & celerrimus ante quadrageſimum diẽ*
3 *nulli datur.* Petrus Bungus *de myſterijs numerorum, n* 40. vbi ſic ait: *A quadrageſimo verò incipiunt ridere quaſi firmiores iam facti, & ſapientiæ quædam exordia oſtentantes. Infantem ſiquidem ante quadrageſimum quoque diẽ inter vigilãdum, neque ridere, neq; lachrymas fundere viſum affirmant, dormientes verò feciſſe vtrumque referunt.* Quibus nouiſsimè conſentit Alphon. Carran. *de partu, c. 9. nu. 26. verſ. Nec obſtabit, in fin.* vbi etiam obſeruat, hunc naturæ ordinariũ curſum, vnum vel alterum caſum etra ordinem contingentem minimè infringere. Ideoque quod de Zoroaſte referunt Plinius *d. lib. 7. c. 16.* & Solinus *d. c.* 4. ſcilicet, eodem natiuitatis die illum riſiſſe, quaſi extraordinariũ & rarò eueniens, nequaquam propoſitam regulam tot experimentis commendatam immutare.

SVMMARIVM.

Singulis dentibus diuerſum naſcendi tempus eſt à natura conſtitutum. 1. *& quomodò hoc accipiatur.* 11.

Dentes qui ſapientiæ, vulgo cordales *dicuntur, trigeſimoquarto anno oriuntur.* 2.

Gemini, ſiue maxillares dẽtes, circa vigeſimum annum, tam viris, quàm mulieribus naſcuntur. 3.

Dentati plurimi naſcuntur. 4.

Edentati verò fere omnes in lucẽ prodeunt. 5.

Poſt ſeptimum ætatis annum maiorem dentiũ partẽ in homine produci, aliquibus placet. 6.

Septimo anno tranſacto puerum edentatũ poſſe vt morboſum redhiberi, quidam putat. 7.

Poſt ſeptimum annum dentes non primo exire, ſed imò tunc cadere verius eſt. 8.

Vt ſeptimo menſe infanti dentes naſcuntur, & decimo perficiuntur; ita & primi eorum ſeptimo anno, & vltimi decimo excidunt. 9.

Contrariæ hæ de re opiniones conciliãtur. 10.

L. cui dens 11. *ff. de ædilitio edicto, nouiſsimè intelligitur.* 12. *& ſeq.*

Dentes membra non ſunt. 14.

Dentes conſpicuæ oris partes dicuntur. 15.

Edentare eſt, dentes excutere. 16.

Teſtibus falsò deponentibus, apud noſtros edentationis pœna infligitur, ibidem.

Qui hominem edentat, non punitur pœna inc. dentis membrum. 17.

Qui ex indignatione, aut impatientia ſibi dentes euellit, irregularis non efficitur, ibid.

Factitij dentes erant olim, vt hodie vſitatiſsimi, & auro alligabantur. 18.

Dentes impropriè armorum appellatione continentur. 19.

QVÆSTIO XIII.

Vt paruulis dentes naſcantur?

NIhil certi hàc quæſtione definiri poſſe inde videtur, quòd ſingulis dentibus, diuerſum naſcendi tempus eſſe à natura conſtitutum legimus. Nam qui ſapientiæ dicuntur, vulgo *Cordales* quartò poſt trigeſimum annnm oriuntur, autore Plinio *naturalis hiſtoriæ lib.* 11. *c.* 37. & Lelio Viſciola *horarum ſubseſsiuarum, lib.* 18. *cap.* 19. *verſ. Hoc in dentibus.* Quos verò genuinos ſiue maxilares dẽtes vocãmus, circa vigeſimũ annũ naſci viris & mulieribus, tradit Ariſtot. *lib.* 2. *de hiſtor. animal. cap.* 4. Sed mulieribus quibuſdam, etiam anno octuageſimo, & ijs viris, quibus in iuuentute nati nõ fuiſſent: cui & adſtipulatur Viſciola *vbi proximè*, quanuis dubitet, an cum dolore hoc poſteriori caſu viris naſcantur, vti & fœminis accidere Philoſophus docet. 1 2 3

Cæterùm etſi præfatis teſtimonijs reiectis fateremur, nõ diuerſis ætatibus dentes erumpere, ſed omnes ſimul: at quo tempore id hominibus eueniret, difficile eſſet conſtituere, cum pro naturę diuerſitate, quidam dentibus naſcantur, & nec momento naturali hoc munimine careant, vt teſtis eſt Federic. Bonauent. *de octomeſtri partu lib. 7. cap.* 32. quos 4
hac de cauſa dentatos appellari ſcribunt Plinius *lib. 7. c.* 16. Solinus *cap.* 4. & ex illis Tiraquel. *in notis ad Alex. ab Alex. lib. 1. c. 9. lit. O.* Quidam verò edentati, vt quotidie ex- 5
perimur, in lucem prodeunt: & poſt aliquod temporis ſpatium, dentes emittunt. Sic teſtatur è noſtris Iuriſcon. Paulus in *l. cui dens* 11.

ff. de

ff.de ædil.edict. ibi: *Præſertim cũ ſine dentibus naſcimur, nec ideò minùs ſani ſumus, donec dentes habeamus*: ex quibus infertur nullã huiuſce rei generalem regulam poſſe iuſtè deſignari.

6 Tamen non defuerunt qui intrepidè eam præfigere conarẽtur, vt in plurimũ aſſerẽtes, maiorẽ dentiũ partẽ poſt ſeptimũ ętatis annũ produci; ij ſunt Eraſmus *adagiorũ Kiliad. 2.cent.2.adag.7.* illis verbis: *Metaphora mutuo ſumpta videtur ab infantibus, quibus circiter annũ ætatis ſeptimum omnes dentes ſoleant enaſci*: & ab eo parum diſſentiens Sorapan *in medicina Hiſpana p.2.refran.1.n.7.pag.mihi 22.* nouiſsimè Paul.Zach.*quæſt.medicolegal. lib.2.tit.3.q.9.n.8.* vbi inquit, terminũ dentitionis in pueris eſſe ſeptimũ annũ, vt Hippocrat. teſtatur in *lib.de carnibus*, & Ariſt. quo tẽpore tranſacto pueros edentulos quoad effectum redhibitionis, morboſos haberi, docet, vtpotè non vno, ſed pluribus dentibus carentes, quod maximum vitiũ eſſe numeris præcedẽtibus enixè defendit. Suaderique videtur iſtorũ ſentẽtia cõmuni illo Græcorum dicterio, quod Eraſmus ibidem explicat: *Sep-*
7 *tẽnis cùm ſit, nondum edidit dentes.* Necnon & alio Ariſtophanis *in ranis*, vbi ſic ait:

Taxemus Archidemum
Septennis hìc nondum tribules edidit.

Quibus conſentit Auſonij *carmen Ædil. 12*:

Indicat in pueris ſeptẽnia prima nouus dens.

Sed hoc cuiquã difficillimum videbitur, ſi ad naturæ contrariã, quotidianamque obſeruationẽ reſpexerit, quã aliter rem ſe habere deprehendet, tantũque abeſſe, vt poſt ſeptẽniũ pueris dentes naſcãtur, quòd potiùs tunc decidant, velùti exponens Iuſt. Lypſ. *illud Sene-*
8 *cæ epiſt.12. Prorſus poteſt fieri dentes illi cùm maximè cadunt*, ita exprimit, *Iocus iterũ, nam & pueris ſeptuennibus dentes cadunt, itẽque ſenibus, noſter epiſt.83. hac ipſa re ludens: Erimus, puer ait, nos eandem criſim habere, quia vtrique dentes cadunt*: ſed expreſsiùs Cenſorinus *loco vbi ſup.* & iterum *c.14.* his verbis: *Ait enim*, de elegia Solonis loquitur, *in prima hebdomada*, quæ ſeptẽ annis conficitur, *dentes homini cadere*: & ex medicis Ioã. Alphon. Arruicibus *in medicina medicorũ inſipienti, luminari 2.fol.57.* poſt annos ſeptem, inquit, dentes qui primi emerſerant, alijs aptioribus ad cibũ ſolidũ naſcẽtibus cadũt: ergo ſi ſeptẽnio decidunt, multò priùs naſcãtur, operæ pretiũ erit, cũ non ſtatim ac producuntur decidant.

9 Id verũ eſt, ſed Cenſorin.*d.c.7.* hęc omnia quæ inuicẽ aduerſantia videntur, egregiè cõciliat cũ inquit: *Dẽtes ſeptẽ menſiũ infanti naſci, & maximè decimo perfici menſe: ſeptimo anno primos eorũ excidere, decimo vltimos*: cõſentit optimè inſignis vir Petr.Greg.*ſyntagm.iur. lib.9.c.9.n.26.* ita ſcribens: *Poſt ſeptimũ menſem fiunt dẽtitiones: poſt annos ſeptẽ primi dentes cadunt*, & ab his non diſſentiunt Tiraquel. *in l.ſi vnquã, verb. Suſceperit liberos, n.203. verſ. Nã ſeptimo partũ, C.de reuoc. don.* Catran. *de partu, c.10.* vbi relato Cẽſorini loco *d. c.7.* dẽtes in ſeptimo mẽſe oriri ſcribunt, etſi Feder. Bonauen. *vbi ſup.* dicat homines dentes gignere mẽſe vt in plurimũ decimooctauo: vnde palã deducitur tã viris quã fœminis cõmune eſſe, vt poſt ſeptimũ mẽſem ab ipſa 10
egreſsione ab vtero, dentes primò emittant, quos deinceps ſeptimo anno accedẽte, in nobiliores alios & aptiores cõmutãt. Quod cũ fieri nequeat, ni prioribus deciſis, vt alij eorũ loco ſubſtituãtur, vel renaſcãtur, inde eſt, occaſionẽ nonnullos ex Scriptoribus aſſumpſiſſe proferẽdi, dẽtes primo vitæ ſeptennio pullulare, quaſi credẽtes, hãc ſolã dentiũ natiuitatẽ vti perfectiorẽ, & diu manſurã, nõ verò priorẽ imperfectã, & breui interiturã incõſideratione eſſe debere. Quod cũ alijs nõ ita placuerit, de prima illa dentitione, vt verè prima loquẽtes, eius initium in ſeptimo menſe conſtituũt, vti re vera eſt, & ipſius caſum, & deciſionem in ſeptimo demũ ætatis anno quoad aliquos dẽtes, & in decimo quoad alios, quos vltimos Cenſorin.*d.c.* vocat: & cõfirmatur teſtimonio doctiſsimi Hippocrat. *lib.de principijs*, vbi ita ait: *Conſpicuus verò fit maximè à ſeptẽnio, vſque ad decimumquartum annum, & in hoc tempore, tùm maximè ex dẽtibus, tùm alij omnes naſcuntur, poſtquam exciderint hi qui ab alimento in vtero capto nati ſunt.*

Quibus parum obſtrigilatur quod initio de 11
ſingulorum dẽtium diuerſa naſcẽdi ætate præmiſimus, quoniã id nõ de omnibus, vel maiori eorum parte accipiẽdum eſt, de qua noſter ſermo, ſed de maxillaribus, & ſapiẽtibus, quorum primi vigeſimo ætatis anno, vel octuageſimo in alijs ſaliunt, & poſteriores quarto & trigeſimo, vt Plinius, Ariſtoteles, & Viſciola *ibidem relati* docent, vel quarto vitæ ſeptenario, vt magis placet Hippocrati *lib.de principijs*, quem refert Bonauen. *de octomeſtri partu lib.6.c.48.* His enim exceptis, certum apparet reliquos dentes poſt ſeptimum mẽſem aut naſci, aut oriri incipere.

Vnde, ſi mea nõ decipitur coniectura, lucẽ 12
accipit difficile alias Pauli Iuriſconſ. aſſertũ *in d.l. cui dẽs 11.ff.de ædil.edict.* primis his verbis: *Cui dens abeſt, nõ eſt morboſus, magna enim pars hominũ aliquo dẽte caret, nec ideò morboſi ſunt*, ideò enim magnã partẽ hominũ aliquo dẽte carere dixit, nõ vtiq; quia dẽtis amiſsi, vel fracti imperfectione multos laborare putet, hoc enim eſſet abſq; ratione, & cõtra id quod frequẽter videmus, liberè dictũ, ſed potiùs quia

ex hominibus, nondum ſeptimeſtres omnino dentibus carēt, ſeptenes aliquibus exuuntur, vt iterum melioribus inſtruantur. Vicenarij, ſiue qui annum vigeſimum agunt, vſque ad illud tempus genuinis, ſiue maxillaribus dentibus deſtituuntur, quos eo anno ipſis enaſci ex Ariſtotele conſtat. Intra quartum & trigeſimnm annum exiſtentes, etiam dentibus illis priuantur, qui ſapiētiæ, & à noſtris cordales dicuntur, aſſerente Plinio *vbi ſuprà*: & tandem, qui valdè ſunt ſenes, multis iam orbantur, vt Senecæ aperta teſtimonia proximè allata cōuincunt, necnon & illud ipſius Iuriſconſulti in *dict. l.* vbi poſtremo hoc argumēto, eum cui dens abeſt, morboſum nō eſſe concludit, quia *alioquin*, inquit, *nullus ſenex ſanus eſſet*. Ergo, cùm ex his ætatibus maior pars hominum componatur, meritò Paulum ſcripſiſſe conijcimus, magnam illorum partem dente carere.

13 *Præſertim*, ſubijcit, *cùm ſine dentibus naſcimur*, quaſi diceret: Etenim hoc, quod aſſerimus, maiorē hominū partē dente carere, tūc maximè locū obtinet, cū ſecundū ordinariū naturæ curſum ſine dētibus naſcimur, ex quo vt producātur, & decidant, ſingulis ſunt à natura ſuæ præſtitutæ ætates. Nam ſi monſtruo sè non niſi dentati lucē videmus, vt aliquoties hoc accidere Plinius & Solinus docuere, quia tunc veriſimile eſt, integrū dentiū numerū vnico tēpore in maternis nos accepiſſe, dicta ſentētia, haud tantæ veritatis eſſe poterit: ſed cū hoc vel nūquam, vel raro eueniat, omnibus ſiquidē abſque dētibus exeuntibus, vix de ipſius certitudine hæſitare oportebit.

14 Ex quo velut ab ipſo fonte illud etiā certū eſſe colligitur, quòd vulgò circūfertur, nempe dentes membra non eſſe: ſic tradunt Innocent. *ſingul.* 11. Bertach. *in repertorio, verbo Dens, verſ. Dentes non veniunt appellatione membrorum*, Proſper Farin. *fragmen. criminali, lit. C. n.* 375. Caual. *reſol. crimin. cent.* 3. *caſu* 236. *num.* 12. *&* 118. Guazzin. *ad def. Reor. def.* 33. *c.* 6. *n.* 9. Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi, alleg.* 42. *n.* 36. & ex Medicis Fortun. Fidel. *lib.* 2. *relatio. c.* 8. Paul. Zachias *quæſtio medicolegali lib.* 5. *tit.* 3. *q.* 5. *nu.* 19. Si enim mēbra eſſent, nemo abſque dentibus naſceretur, aut ſaltim nō omnes ita naſcerentur imperfecti & mutili, cū ipſa genitrix natura, adeò ſit integritatis noſtræ ſtudioſa, vt primis cōceptionis quadraginta diebus in maſculis, & octuaginta in fœminis abſolutiſsimā mēbrorum delineationem, quoad illorū modū & numerū penitus effingat, ita vt nec vllum poſt natiuitatē efformandum relinquat, velùti in dētibus ſemper cōtingit, qui hac de cau-

15 ſa mēbra nequaquā dici poterunt, ſed cōſpicuæ oris partes, quæ vtilitatē, & nitorē æquiparant. Quapropter iure optimo videtur decidendum, quod qui hominem edentaret (eſt enim edentare dentes excutere, Plaut. *in Pſeud. Act.* 3. *ſect.* 2. 16

Nimis velim homini impudentiſsimo malas edentauerint.

Quæ edentatio ex *l.* 3. *tit.* 12. *lib.* 4. *fori.* teſtibus falsò deponētibus in pœnā irrogatur) nō eſt ſupplicio dignus incidētis mēbrū, nec irre- 17 gularitate, etiamſi ex indignatione, aut impatiētia ſibimetipſi dentē euellerit, vt ex Sairo, Bonacina, & Viualdo, obſeruat Aug. Barboſ. *dict. alleg.* 42. *n.* 37. vbi id latiùs proſequitur. Præterquā vt optimè ſubnectit Paul. Zach. *d. loco n.* 20. quę tam vtilitas in loquutione, quæ ab ipſis prouenit, quā decor oris ex illis proficiſcens, facillimè factitijs dentibus reparatur, dūmodo omnibus omnino orbatus homo non ſit (oportet enim eſſe aliquos dentes quibus factitij auro alligentur, vt etiam anti- 18 quitus vſitatum indicat Cicero 2. *de legibus. qui auro*, inquit, *dentes vincti eſſent*) hoc enim cunctis notiſsimum eſt, & docet Pareus *in lib. de fic. ſupplem. c.* 3.

Hiſque non inficiatur dentes tā brutis quā 19 hominibus, armorum vice ad propriā defenſionem fuiſſe à natura inditos, iuxta illud Pſalm. 56. *Filij hominum dentes eorum arma*, cuius ſit mentio *in c. periculoſe, & in c. noli, de pœn. diſt.* 1. & Lucret. *lib.* 5. *de reb. natur.*

Arma antiqua manus, vngues, denteſque fuerunt.

Quibus cōſentit doctiſsimus in omni genere literarū frater D. Alphon. de Narbona *in Cōmen. ad tertiam partem nouæ Recop. lib.* 4. *tit.* 21. *l.* 32. *gloſ. vnic. num.* 16. Vndè videbatur dentes, vt inſtrumenta ad tuitionem, membra eſſe, quoniam, vt elegantiſsimè docet Germanus noſter ibidem, dentes non propriè arma in homines ſunt, ſed ex lata vocis ſignificatione ita appellantur, quare leges de armis loquentes ad eos minimè protrahuntur, vt ex Bartol. *conſ.* 165. Sceuola *in l. armorum, num.* 10. *de verbor. ſignificat.* & Tuſch. *pract. concl. iuris, lit. A. concluſ.* 514. *num.* 8. tradit eruditè idem frater deliciumque noſtrum, *num.* 18.

SVMMARIVM.

Antiqua Iuriſprudentia primo natiuitatis inſtanti, & non anteà ſeruus poterat manumitti. 1.

Infans licèt aliquando dicatur qui eſt in vtero, propriè tamen is eſt, qui iam lucem vidit. 2.

Libertas, qualitas eſt hominis. 3.

Homo ante natiuitatem nemo dicitur. 4.

Ser-

Seruus minor annis triginta manumitti non poterat, vt cum libertate ſimul Ciuitatem Romanam conſequeretur. 5.

L.ex parte 39. §.ſeruo, familiæ erciſc. l.fin. ff. de rebus dubijs, l.ſi quis 13. §.fin. de ſtat. liber l.Ariſto.46. de manumiſſis teſtament. explicantur. 6.

Hodie ex noua Iuſtiniani conſtitutione, non ſolùm infans, ſed etiam in vtero exiſtens, & libertatem, & ciuitatem conſequi poteſt. 7.

L.cùm inter.14.C.de fideicommiſſar.libertatibus, non ſolùm de fideicommiſſaria, ſed etiam de directa libertate intelligitur. 8.

Ignorantia non obſtat quominus ſeruus poſſit manumitti. 9.

QVÆSTIO XIIII.

Pro libertate conſequenda, an fuerit aliqua ætas præſtituta?

1 PRimum natiuitatis momentum antiqua legum diſpoſitione præciſè in ſeruo deſiderari videbatur, vt libertatis inæſtimabile munus manumiſſionis beneficio cõſequeretur, ſiquidem, vt Gaius ſcribit *in l.iuris 25.de manumiſ.* ſaltim infans, ſecundum iuris rationem eſſe debebat is, cui libertas
2 erat competitura. Infans enim licèt aliquando dicatur, qui adhuc in vtero vehitur: propriè tamen & ciuiliter loquendo, ille tãtùm eſt, & ſic appellari poteſt, qui lucis vſura fruitur, vt ex adductis anno 7. vbi de infante agemus, affatim conſtabit.

3 Et ratio eſt, quia libertas qualitas eſt hominis, vt inquit Anton. Faber. *in Iuriſprud. tit.4. princip.1. illatio.3.* & poſt eum notant Oſuald. *lib.2. Donelli cap.14. liter.C. &* Alphonſ. Carranç. *diſput. de vera humani partus naturalis & ciuilis deſignatione cap.2. num.*
4 *19.* Homo verò nemo antea dicitur, quàm fuerit natus, *l.cùm inter veteres. 14.C.de fideicommiſſar. libertatibus.* Ergo cùm qualitas ſine ſubiecto eſſe non poſſit, in humanis neceſſariò eſſe oportebit, qui fuerit manumittendus.

5 A quibus non diſcrepat Vlpianus *in fragment. tit.1. & ibidem* Cuiac. necnon & Iuſtinianus *in l.2.C. commun. de manumiſſio.* vbi manifeſtè dicitur iure veteri minorem annis triginta ita manumitti nõ potuiſſe, vt libertatem ſimul, & ciuitatem Romanam conſequeretur, quò idem Iuſtinianus reſpexiſſe videtur *in §.fin. inſtit. de libertinis.* Nam vt optimè explicat Franc. Connan. *comment. iuris ciuilis lib.2. cap.6. paulò ante finem.* Loquitur enim eo loco Imperator de ciuitate tantùm; quam minor triginta annis adipiſci non poterat, libertatem latinam poterat, de qua accipiendam eſſe rectè admonet *dict. l.2.*

Vnde venit intelligendum, non ſine ratione *in l.ex parte 39. §.ſeruo. ff familiæ erciſcundæ, & in l.fin. ff. de rebus dubijs, l ſi quis 13. §.vltim. ff. de ſtatu liber. l.Ariſto.46. ff. de manumiſ. teſtament.* nonnullíſque alijs, cũ annorum triginta eſſent, libertatem ſeruis fuiſſe relictam. Ideò enim in tam lõgum tempus differebatur, vt ea ætate ſimul cum libertate ciuitatem Romanam nanciſcerentur: quæ, vt dixi, triceſimo anno maioribus tantundem concedebatur. Ita Cuiac. vbi ſuprà, & Cuellar *de manumiſſio. part.2. n.54.* qui & *num.55.* meritò reijcit Vulteium putantem *in §.libertinorum inſtitu. de libertin.* quadraginta annos olim in ſeruis manumittendis fuiſſe deſideratos. 6

Sed hæc omnia idem Iuſtinianus penitus ſuſtulit, & tam infantibus, quàm in vtero exiſtentibus, non ſolùm latinam libertatem, verùm & illam, qua manumiſſi ciuitatem Romanam obtinebant, præſtari poſſe conſtituit *in l.cùm inter 14.C.de fideicommiſ. libertat.* 7
Quæ quidem nec de fideicommiſſaria tantùm libertate ſubaudienda erit, quaſi hanc ſolummodo ſtatuerit Imperator eis dari, vel relinqui poſſe, qui in ventre portarentur: Vt ex propoſita quæſtione initio *dict. l.* voluit Anton. Faber *in Iuriſprud. tit.4. principio 1. illatione 3.* quem in hoc meritò refellit Alphonſ. Carranç. *d.cap.2. num.23.* Sed etiam de directa, veluti eiuſdẽ legs verba manifeſtè inſinuant, ibi: *Fideicommiſſariam, nec non directam libertatem ſuam firmitatem habere.* Quibus verbis quæſtionem, quæ de fideicommiſſaria tantùm libertate inſtituit, ad directam etiam produxit, quia vtriuſque vna & par ratio erat quare ventri indulgeri non poſſet, ſcilicet, quia nondum homo eſt: vnde cùm libertatis fauore, pro nato eum haberi Iuſtinianus decreuerit, proculdubio iam remoto impedimento, & directæ, & fideicommiſſariæ libertatis capax erit, qui adhuc in vtero commoratur, vt rectè definiuit Imperator ibidem, & obſeruat *Gloſ. in §.fin. inſtit. de libertinis*, per illum textum, cui ſubſcribunt omnes & præſertim Cuellar *vbi ſuprà num.58.* qui & illud ex Aldobrand. *in dict. §. fin. num.24.* ſubiungit, ſcilicet ignorantiam 8 9
non obſtare, quominus in vtero exiſtens, & infans manumitti poſſit, cùm etiam inuitus valeat manumitti, *l.fin. C.de teſtament. manumiſ. l.qui poteſt inuitis, de regulis iuris.*

SVMMARIVM.

Capellania profana, Præſtimonium, Anniuerſarium, & denique Feudum, eiuſdem ſunt naturæ. 1.

Capellania, Præſtimonium, & onus Miſſarum, ſunt eiuſdem rei nomina vniuoca. 2.

A capellanijs ad feuda, & è contra à feudis ad capellanias valet argumentum. 3.

Æquiparatorum idem eſt iudicium. 4.

Poſt ſeptimum annum quis videbatur idoneus ad capellaniam, & non antea. 5.

Septennis ſecundum aliquos poteſt penſionem obtinere. 6.

Penſio beneficium Eccleſiaſticum non eſt. 7. cõtrarium verius. 23.

Capellania ſæcularis, ſiue non collatiua, non dicitur beneficium. 8.

Capellania ſæcularis vendi poteſt abſque ſimonia, ibidem.

Minor quatuordecim annorum præſentari poteſt ad beneficium iuris patronatus. 9.

Ante pubertatem neminem poſſe profanam capellaniam, præſtimonium, aut onus miſſarum obtinere, probabile videbatur. 10.

Capellaniæ eiuſmodi, licèt Eccleſiaſtica beneficia non ſint, tamen ſunt beneficia. 11.

Nemo ante decimumquartum annum ex diſpoſitione S. Concilij Tridentini, quodcumque beneficium valet obtinere. 12. & 24.

Ab officio ad beneficium validum deſumitur argumentum. 12. Dummodò ſubiecta materia id patiatur. 26.

Qui habet facultatem nominandi ſucceſſorem in officio, pupillum nominare nequit. 13.

Nec pubes, nec infante maior eſſe debet, qui ad capellaniam, præſtimonium, vel onus miſſarum eſt nominandus, ſed cuiuſcumque fuerit minoris ætatis idoneus cenſebitur. 14.

Eadem ætas in nominato requiritur, quæ in nominante deſideratur. 15.

Eadem ætate quis erit admittendus ad capellaniã, qua poſſit ad ipſius patronatum admitti. 16.

Infans quamuis iuris patronatus ſit capax, eo tamen vti, & capellanos præſentare ante ſeptennium non poteſt. 17.

Infans ideò ante ſeptennium ad præſtimonium, & capellaniam habilis reputatur, quia ad ipſius obtentionem iudicio non eſt opus. 18.

Infans ſine tutore capellaniæ poſſeſſionem aſſequi minimè poteſt. 19.

Infans poteſt ad feudum nominari. 20.

Infans in maioratu ſuccedit. 21.

Capellania erecta in titulum beneficij, poteſt ex ordinatione fundatoris dari puero nondum ſeptenni titulo ſæculari. 22.

Concil. Tridentin. requirens decimumquartum annum ad beneficia, non de ſæcularibus, ſed de Eccleſiaſticis ſolùm eſt intelligẽdum. 25.

Pupillus ante decimumquartum annum, nec poteſt in iudicio ſe ad capellaniam opponere, nec abſque tutore, aut patre ea de re litem proſequi. 27.

Text. in cap. fin. de iudic. lib. 6. non ſolùm procedit in mere ſpiritualibus, ſed etiam in dependentibus, & ordinatis ad ſpiritualia. 28.

Capellania ſæcularis, quamuis ſpiritualis non ſit, tamen eſt ordinata ad ſpiritualia, ibidem.

Infans patronus licet præſentare ex propria perſona poſſit, litem nihilominus circa ius præſentandi ſine tutore mouere, aut defendere nequit. 29.

QVÆSTIO XV.

Vt quis præſentari ad capellaniam profanam, quæ vulgò non collatiua nũcupatur, & nominari ad anniuerſarium poſſit?

HÆc omnia interſe maximè cohærent, quocirca quidquid de ſæculari capellania dixerim, de anniuerſario, præſtimonio, ſeu feudo etiam ſubandiendum admoneo, 1 ſunt enim capellania non collatiua, præſtimonium, onuſque miſſarum, eiuſdem rei nomina vniuoca, & vt aiunt ſynonyma. Velnti ex traditis ab Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. 2. tom. c. 387. n. 73.* & à noſtro Perez de Lara *tract. de capellanijs, & anniuerſar. lib. 2. c. 1. à n. 10. cum ſeqq.* Coniectari poteſt: à quibus ad feuda, quaſi ad ſimilia optimum deducitur argumentum, non aliter ac de feudis ad eiuſmodi capellanias ſumi teſtantur Flores de Mena *q. 17. n. 12.* & Perez de Lara *dict. tractat. lib. 1. c. 4. n. 21.* Ergo cùm æquiparatorum idem ſit iudiciũ, vt poſt Gloſſam, Bartol. Alexandr. & alios *in l. ſi quis ſeruo, C. de furtis*, docent Tiberius Decianus *conſil. 15. n. 31. volum. 1. & conſil. 6. n. 27. eodem volumine*, Meneſius *in l. clari n. 10. C. de fideicommiſ.* & Lara *d. lib. 2. cap. 4. n. 10.* meritò quod de ætate ad ſæcularem capellaniam edixerimus, ad anniuerſarium & feudum eſſe protrahendum præmittimus. 2 3 4

Igitur expeditum videbatur eum ſolummodo ad prædictam ſæcularem capellaniam nominari, aut eligi à patrono poſſe, qui infantiam, annumque ſeptimũ tranſgreditur, quia penſionem obtinere nemini ante præfatum tẽpus licet, vt ex Gratian. *diſceptat. forenſ. c. 504. n. 17.* Riccio *in praxi penſionũ deciſ. 430.* 5 6

Perez

Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c. 16.num.71.* & alijs apparebit anno 14. etſi
7 beneficium Eccleſiaſticum non ſit,aſſeuerante Riccio *deciſ.*302.*num.*2.Mareſcor.*lib.*2. *cap.*18. Ceuallos *tom.*5. *quæſt.*62. Nicol.
8 Garcia *de benefic. part.*1. *cap.*15.*à num.*67. vti & prædicta Capellania ſæcularis,aut non collatiua, Guido Papæ *quæſt.*187. *num.*1. Spinus *de teſtament. gloſ.*4. *principal. num.* 42. Auenda. *in diction.verb. Beneficio, & de exeq mandat.* 2.*part.cap.*14. *num.*3.*verſic. Item alij*; Salazar *de vſu & conſuetudine cap.* 12.*num.*46.Garcia *de benefic.* 1.*part. cap.*2. *à num.*102. Emanuel Rodrig.*in ſumma cap.* 49.*part.*2.Nauar.*conſil.*5. *& conſ.*7.*de præbend.* Aluar.Velaſc.*conſultat.*6.*num.*12.quibus adſtipulatur Hieron. Gonçal. *in reg.*8. *Cancellar. gloſ.*5. *num.*20. qui & *num.*25. ideò infert eiuſmodi capellanias rectè abſque labe, aut metu ſimoniæ vendi poſſe: vt etiam alij viri docti hac de re conſulti reſpõderunt. Tenet eandem ſententiam Barboſa *vbi ſuprà*,& ſuperioribus adſtipulatur Ioan. Nouar. *in quæſt. forenſ. part.*1. *quæſt.*71. *n.* 5.*& ſeqq.* & Antonin.Diana *reſolut.moral.*
9 *tom.*2.*tractat.*6.*reſolut.*64. cùm indiſtinctè inquiunt minorem quatuordecim annorum præſentari poſſe ad beneficium iuris parronatus,vt ita iudicatum refert Nicol.Garcia *de beneficijs* 2.*tom.part.*7.*capit.*4. *num.*10. quibus nouiſſimè accedit Barboſa *lib.*3.*iuris Eccleſiaſtici cap.*5.*num.*3.

10 Probabiliùs tamen aliud tentari poterat, nempe,pubertatem legitimum tempus eſſe, quo præſentari ad onus miſſarum, præſtimonia,aut capellanias non collatiuas, quicumque debent. Primò, quia licèt Eccleſiaſtica
11 beneficia non ſint,vt voluerunt proxime relati,ſaltim ſunt beneficia:ita Stephanus Gratia. *diſceptat.forenſ.* 2. *tom. cap.*397. *n.*74. quod ſufficit,vt in his habeat locum Concilium Tridentinum *ſeſſ.*23.*de reformat. cap.* 6. abſolutè & indefinitè diſponens,vt *nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus,ante decimumquartum annum beneficium poſſit obtinere.*

12 Secundò ex eo,quòd ab officio ad beneficium validum deſumitur argumentum:ſic ex Bartolo,Luca de Penna,Petr.Rebuf.& alijs probat Marin.Freccia *de ſubfeudis lib.*2. *q.* 53.*num.*3.ſed vt idem author definit *quæſt.*
13 58. qui habet facultatem nominandi ſucceſſorem in officio,pupillum nominare prohibetur. Ergo & ſimiliter, qui ratione iuris patronatus ſæcularem capellanum præſentare tenetur,non pupillum,ſed iam puberem præſentabit.

Non facile itaque fuerit cõſtituiſſe,quam ſententiam iuri magis conſentaneam eſſe dicamus. Mihi ſanè vtraque diſplicet, & nec 14
infante maiorem,nec puberem futurum exiſtimo,qui aut à patrono nominatur, aut velut proximior agnatus,in hoc miſſarum onere,vinculo,præſtimonio, aut non collatiuo beneficio ex inſtitutoris vocatione ſuccedit: imò cuiuſcumque ætatis à ſuſcepto baptiſmo idoneum cenſeo. Nam cùm vulgare ſit 15
eandem ætatẽ in nominato ſufficere,quæ in nominante præcisè deſiderantur, vt tradit expreſſe Quintilianus Mandoſ. *de ætate minori quæſt.*39.*num.*1. exemploque procuratoris ad iudicia, & procuratoris ad matrimonium conuincitur, in quibus maior ætas non requiritur,quã in nominantibus ad eos conſtituendos neceſſaria arbitratur,vt infe- 16
riùs latiùs apparebit. Inde eſt eadem ipſa ætate quem ad eiuſmodi capellaniam præſentari, aut admitti debere, qua & ipſe ad patronatum admitteretur, ſcilicet quocumque tempore poſt ſuſceptum baptiſmum, vti alio loco dicemus.

Nec refragatur,quòd licèt infans iuris pa- 17
tronatus ſit capax,eo tamen vti, & capellanos præſentare ante ſeptimum annum non poterit, vt poſtmodum etiam,anno ſeptimo oſtendemus,quia id ex defectu vſus rationis prouenit,quo ad præſentandum patronus indiget:qui quidem cùm minimè in præſentato deſideretur,ex quo ipſe neceſſariò per ſe 18
nihil exequi debet ad obtinendam capellaniam,quod iudicio ſit exequẽdum,cùm omnia per tutorẽ poſſint expediri,cõſectarium euadit,nondum elapſo ſeptimo ætatis anno & præſentari,& admitti ad capellaniam eum debere. Quamuis ſi dubitaretur,vtrùm quis ante prædictum ſeptennium ita præſentari, aut ſuccedere poſſit in capellania, vt per ſe 19
ipſum,non adminiculante tutore,eam acceptaret,& illius poſſeſſionem apprehenderet: proculdubio non poſſe affirmarem,ſiquidem ab infante poſſeſſio acquiri prohibetur.*l.*1. *§.adipiſcimur,ff.de acquir.poſſeſſ.*iunctis alijs inferiùs dicto anno ſeptimo adducendis.

Et confirmatur cuiuſcumque ætatis infan- 20
tem licere in capellanum præſentare, aut ex fundatione vt conſanguineũ admittere: quia etiam ad ſimile feudi beneficium eligi, & venire is poteſt, *capit. ſi quis deceſſerit, ſi de feud.defuncti contentio ſit in vſibus feud.* cui accedit Tiraquel. *de nobil. cap.*6.*poſt num.* 28.Quintilian.Mandoſ.*de ætate minor. cap.* 3.*num.*15.Cald. Pereira *de nominat. emphiteut. quæſt.*4.*num.*4. & expreſſiùs Perez de Lara *dict.cap.*16.*num.*1.vbi infantem ſcribit poſſe de feudo inueſtiri ſine diſtinctione ætatis:quia magis habet naturam beneficij, 21
quàm

quàm contractus, vt deinde probabimus latiùs, non aliter ac maioratus, quem eadem fortè de cauſa huic impuberi iura deferunt, vt ex traditis ab Antonio Gom. *in l.* 45. *Tauri num.* 12. Mieres *de maiorat.* 3. *p. q.* 2. ferè per totam optimè colligitur.

22 Vnde infertur, rectè dixiſſe Nicol. Garcia *de beneficijs* 1. *part. cap.* 2. *num.* 30. capellaniam erectam in titulum beneficij Eccleſiaſtici ex bonis alicuius authoritate Epiſcopi, poſſe ex ordinatione fundatoris dari puero ante primam tonſuram titulo ſæculari, donec fiat clericus. Nam ex quo titulo ſæculari conferenda eſt, illius etiam anniculus capax exiſtit.

23 Nec dictis repugnãt quæ pro muniẽdis ſuperioribus opinionibus excogitauimus. Non quidem primum de penſione, quia, vt anno 14. dicemus, certius eſt pẽſionem beneficium reputari Eccleſiaſticum, ideoque non ſeptẽnium, vt relati authores malunt, ſed eandem pubertatis ætatem ad eam requiri, quæ ad

24 cætera beneficia Eccleſiaſtica obtinenda ex Tridentina Sinodo præſcribitur, vt Deo annuente infrà anno 14. probabimus.

25 Ex quibus conſtat non obſtare Concilium Tridẽtinum pro ſecunda opinione adductũ, cùm ſolummodo, vt indicauimus, de beneficijs Eccleſiaſticis loquatur, ad quorum adeptionem primam tonſuram, & inſuper annum 14. expoſtulat, quocirca ad beneficia ſæcularia perperam protrahitur.

26 Nec magis vrget argumentum vltimo loco de officio ad beneficium deſumptum. Nã etſi aliquando rectè procedat, maximè in capellania ſæculari, quæ propriè officium temporale dicitur, Filiucius *de benefic. cap.* 1. *n.* 15. non tamen ſemper & quoad omnia, maximè, vbi tam euidens diſcriminis ratio inter vtrumque agnoſcitur, cùm beneficium hoc ſæculare, de quo agimus, nullum habeat perſonale exercitium, vt officijs ferè ſemper ineſt. Vnde conuenientiſſimum eſt, vt is officio præponatur, qui iuſtæ ætatis ſit ad exercitium illius, veluti ratiocinatur Marinus Freccia *d. loco,* & concludit Lambert. de Rectoria loquens, *lib.* 2. *de iure patronatus part.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 26. *num.* 2. *ad* 3.

Sub hæc autem prætereundum non erit, quòd licèt quiliber fidelis, etiam ante ſeptẽnium præſentari ad capellaniam non collatiuam, & in ea ſuccedere vt agnatus valeat, itemque & poſt ſeptennium propria perſona, & ſine tutore, aut patre, illius poſſeſſionem

27 poſſit adipiſci: nihilominus ad eam ſe opponere, in iudicioque vt oppoſitor ſolus comparere, & ea de re litem proſequi, niſi deci-

28 moquarto anno non poterit, *cap. fin. de iudic. in* 6. Cuius diſpoſitio non ſolùm in merè ſpiritualibus procedit, ſed etiam in dependentibus & ordinatis ad ſpiritualia, vt ſunt capellaniæ hæ ſæculares, quæ pro celebratione Miſſarum eriguntur, vti cenſuit Rota apud Farinac. *tom.* 1. *poſthum. deciſ.* 571. *num.* 1. & conducit pro ſuperiori doctrina, quod in ſimili tradit Lambert. *de iure patronat. lib.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 2. *principali artic.* 10. *num.* 4. nempe quòd licèt pupillus maior ſeptennio 29
poſſit præſentare, tamen ſi lis oriatur in illo iure patronatus, non poterit ipſe illam proſequi, ſed eius tutor, argum. *d. cap. ſi annum.*

SVMMARIVM.

Is poteſt iniuriam pati, qui & irrogandi perſonam habet. 1. *Contrarium verius.* 2.

Iniuria cuiuſcumque ætatis puero, etiam anniculo, aut eo minori infligi valet. 3.

Iniuria ab affectu iniuriandi proficiſcitur. 4.

Ex parte iniuriati nullus affectus deſideratur, vt in ipſum cadat iniuria. 5.

Defunctus, aut eius ſtatua, vel imago iniuriari poteſt. 6. *Alij contrarium tenent,* ibidem.

QVÆSTIO XVI.

Qua ætate quis paſsit iniuriam pati?

Porrò ſi qui faciunt iniuriam, hos 1
conſtat & pati poſſe, vt ab aliquibus peræquè relatum ſcribit Vlpianus *in l.* 3. *in principio, ff. de iniurijs,* & tranſcribitur à Gratiano *in cap. illud* 2. 15. *quæſt.* 1. non ambigi poterit illos ſolummodo perferẽdi iniuriam eſſe capaces, qui vltra decimum annum, & alterius medietatem conſiſtunt, cùm hanc eſſe legitimam ætatem eam irrogandi conſtet ex eadem *l.* 3. §. 1. & ex pleriſque alijs, quas in huius rei pleniſſimam confirmationem inferiùs anno decimo præſtabimus? Sed cùm 2
eiuſmodi traditionem, vel in totum improbet Conſult. verbis ſequentibus, vt placuit doctiſſimo Turrecremat. *in dict. cap. illud,* vel ſaltim nimiam ipſius generalitatem coerceat, & temperet reſpectu furioſi, & impuberis nondum doloſi, citra cõtrouerſiam exiſtit præfatam ætatem decem annorum cum dimidio, nec in fœminis, nec in maſculis deſiderari, vt contumelijs poſſint, vel iniurijs affici, cùm nec ſit præcisè neceſſarium, vt dictam iniuriæ labem contrahant, quòd eius ætatis exiſtant, qua rectè valeant illam alijs inferre, vtpote ipſius legis ſeries demonſtrat, ibi:

ibi: *Sanè ſunt quidam, qui facere non poſſunt, vtputa furioſus, & impubes, qui doli capax non eſt: namque hi pati iniuriam ſolent, non*
5 *facere.* Igitur cuiuſcumque ætatis puer, anniculus licèt, aut eo minor iniuriari poterit, & dehoneſtari conuicijs, vt nedum præcitatæ dictæ legis verba demonſtrant, ſed & alia expreſſiora iuris noſtri *in l. 9. tit. 9. part. 7.* vbi Hiſpanus Legislator ſic loquitur: *Tuerto, ò deshonra puede ſer fecha a todo ome, ò muger de qualquier edad que ſea, maguer fueſſe loco, o deſmemoriado,* ex qua ita obſeruat Azeued. *in l. 2. n. 5. tit. 10. lib. 8. Recopilat.*

4 Quòd ſumma illa nititur ratione: nam affectus & animus, à quo iniuriæ omnes proficiſcuntur, & quaſi ſuum eſſe recipiunt, *l. qui iniuria. 53. ff. de furtis, l. verum eſt, ff. ad l.*
5 *Aquil.* cum ſimilibus alibi congerendis, non tam in patiente ad receptionē iniuriæ, quàm in agente & iniuriante, ad ipſius irrogationem exigitur, vt *in dict. l. 3. §. 1.* profert eleganter Conſult. his verbis: *cùm enim iniuria ex affectu facientis conſiſtat.* Ergo cùm ſolùm iniuriantis affectu, & animo conſiſtat iniuria, nec ex parte iniuriati aliquid cōcurrere debeat, nil mirum ſi in quemcumque, quamuis tenerrimæ ætatis infantem cadat iniuria, vt probauimus, quandoquidem vel hac ſola ra-
6 tione etiam in defunctum, aut ſaxeam ipſius imaginem, vel ſtatuam, non minùs cadere videatur, *l. 1. §. & ſi fortè, & §. quotiens autem el primero, l. ſi ſtatua 27. ff. de iniur.* proſequitur Iacob. Guther. *de iure manium lib. 3. cap. 22. ad medium:* quamuis aliud voluerit Baldus, qui nulli vnquam opinioni defuit *in l. ex hoc iure col. 3. ff. de iuſtit. & iure,* & probetur *ex l. 4. tit. 15. part. 1.* ibi: *Ca pues que non tiene daño de el finado, &c.* vbi etiam obſeruat Greg. Lopez, *verbo, Non lo digan en ſu muerte.*

SVMMARIVM.

Infans in adoptionem dari poteſt. 1.
Adrogari infans nequit. 2.
Recens natus adoptari valet. 3.
Sanguinolentus quis ſit, ibidem.
Infans propriè quis dicitur, ex quo matris vtero egreditur. 4.
Conſenſus, ſiue non contradictio infantis, in adoptione requiritur. 5.
Conſenſum explicare nequit, qui eo, iudicioque caret. 6.
Filia, quæ præſens fuit & tacens, cùm ſorori ſuæ pater ferè omnia bona in dotem dedit, promiſſioni conſenſiſſe videbitur, ſi legitimæ erat ætatis. 7. *Contrarium verius.* 13.
In perſona adoptandi non tam conſenſus, quàm taciturnitas, & non contradictio deſideratur. 8.
Non contradicere eius proprium eſt, qui contradicere poteſt. 9.
Coniunctionis, & affectionis ratio efficit, vt conſentiens infans credatur adoptioni, in quam illum pater commendat. 10.
In ſponſalibus infans filia, quæ patri non contradicit, conſenſiſſe præſumitur. 11.
Pater pro liberis conſilium capit. 12.
Non contradictio, quæ in filio adoptioni tradendo exigitur, minimè ſufficit in patre, qui illum dat in adoptionem. 14. 15.
L. in adoptionibus. 5. poſterioribus verbis, ff. de adoption. explicatur, ibidem.

QVÆSTIO XVII.

Vt adoptari quis valeat?

Etiam infantem in adoptionem nos dare poſſe Modeſtinus proclamat *in l. etiam 42. ff. de adoptio.* cuius ſententia ſeptempartito iure noſtro ſtabiliri videtur *in l. 4. tit. 16. part. 4* eius verba dabo: *Infante es llamado ſegun Latin, todo moço que es menor de ſiete años, e eſte a tal non auiendo padre non lo puede ninguno profijar.* Ergo ſi parentem habeat qui ita teneræ ætatis exiſtit, vt nedum ſeptimi, verùm nec quinti, aut quarti anni metas tranſilierit, ab ipſo patre naturali meritò in adoptionem dari poterit? verba enim illa: *Non auiendo padre*, nec eo ſolùm repoſita intelliguntur, vt infantis adrogationem excluderent, vt ſuo loco indicabimus, ſed vtique vt ceſſante ratione, ideſt patre exiſtente, eiuſdem ſimul permiſſam adoptionem conteſtaretur. Ita vno verbo ſenſiſſe videtur Gregor. Lopez *ibidem ſchol. 1.* & demum Modeſtini reſponſum cōmuniter ab interpretibus recipitur, & confirmatur. A quibus quaſi notiſſimum iuris axioma profertur, ſui iuris infantem minimè aut dari, aut recipi in adrogationem poſſe, adoptari vero, vel in adoptionem tradi, à patre naturali filium familias infantem, rectè poſſe: ſic Gloſ. *in l. 2. verbo generalis, ff. de adoptio.* Albericus Odofred. Ioan. Corraſ. Ioan. Oroſ. & Anton. Fab. *in dict. l. etiam 42.* Franc. Marcus *deciſ. Delphina. 883. num. 2.* Donellus *comment. lib. 2. cap. 22.* idem Anton. Faber *in Iuriſprudent. Papinian. tit. 10. princip. 4. illat. 4.* & innuiſſe videtur Azeued. *in l. 2. n. 77. tit. 3. lib. 5. recollect.* 1 2

Hoc ſuppoſito, dubitandum occurrit, an ali-

aliquot annorum, menſium, vel dierum hic infans eſſe debeat, vt à patre naturali poſſit in adoptionem dari? nullibi hoc ſcriptum reperio: quare in eam ſum opinionē adductus,
3 vt exiſtimem, recens natum, adhucque materno ſanguine aſperſum, & rubeſcentem, quem ſanguinolentum noſtri vocant *in l.* 2. *C. de patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt*, & alibi ſcripſiſſe recordor, poſſe in adoptionem conſtitui. Hoc enim mihi *dict. l. etiam* verba ſuadere videntur, etiam infantem in adoptionem nos dari poſſe inquiunt: ergo cùm
4 infans propriè quis dicatur ex quo matris vtero egreditur, cōmunique aura potitur, vt prolixa nimis rationum & auctoritatum cōgerie demonſtrabimus infrà *anno* 7. vbi infantilis ætatis cōtrouerſia ſeſe obtulerit, fateri oportet, puerum etiam ab ipſo matris aluo dari in adoptionem poſſe, alioquin periculoſa, & incerta *dict. l. etiam* definitio appareret.

5 Vim tamen huic exiſtimationi inferre videtur neceſſitas conſenſus, quæ ex parte illius, qui in adoptionem datur, præcisè interuenire debet, *l. in adoptionibus.* 5. *ff. de adoptio.* quaſi minimè conſenſum, vel animi ſui
6 iudicium poſſit exponere, etiam non contradicendo, qui adeò imbecillis ætatis eſt, vt conſenſu & iudicio careat. Argumento *l. quamuis* 32. *§. fin. de acquirenda poſſeſſione*, *l. infans, ff. ad legem Cornel. de ſicar.* Vnde
7 Iacob. de Rauen. teſte Alberico *in dict. l. in adoptionibus num.* 3. ſcribit, quòd ſi pater dotauit alteram ex filiabus ferè de omnibus bonis maternis, altera filia præſente, & non contradicente, quòd tunc quæ præſens erat filia, & tacens, donationi conſenſiſſe præſumitur, ſi legitimæ ætatis eſſe probetur: ergo & ſimiliter de perſona adoptati philoſophari conuenit, vt ita demùm adoptioni de ſe ipſo factæ annuiſſe credatur, ſi cùm legitimæ ætatis eſſet, & voluntatis compos, præſens adoptionis ſolemnitati non contradiceret.

8 Nihilominus hæc obiectio facillimè diluetur, ſi obſeruaueris, in perſona eius, qui adoptatur, non tàm conſenſum, quàm taciturnitatem, & non contradictionem requiri, vt indicare videtur Conſultus *in dict. l.* 5. illis verbis: *Vel conſentiendo, vel non contradicendo*, & docuit expreſſius Rex è noſtris ſapientiſſimus *in l.* 1. *tit.* 16. *part.* 4. *Porende en tal profijamiento como eſte* (de adoptione loquitur) *ha meneſter, que aquel à quien profijan, que conſienta otorgandolo por palabra, ò callandoſe non contradiziendo.* Quæ quidem taciturnitas, & nō contradictio, cùm in puerulo, etiam recenter nato inueniatur, nil inconuenit, quominus ita leuiuſculæ ætatis infans poſſit à patre naturali cuicumque in adoptionem dari, quamuis iudicio careat, & conſenſu. Nam etſi ex notiſſimis iuris regulis nòn contradixiſſe de eo tantùm dicatur, 9
qui cùm poſſet contradicere, propria voluntate à contradictione abſtinuit: ſicut non nolle, ideſt non contradicere, ſed pati ac tacitè permittere is præſumitur, qui velle, hoc eſt expreſſe conſentire poteſt, *l. eius eſt* 3. ſecundum Florentinam lectionem, *ff. de regulis iuris*: quam comprobant Anton. Auguſtin. *lib.* 1. *emendat. cap.* 2. Nicol. Bellonus *lib.* 4. *ſupputationum iuris cap.* 14. Riminald. Iunior *in l. vltim. num.* 204. *C. vnde liberi.* Philip. Matthæ. *in dict. l. eius.* 3. *num.* 10. & adſtipulatur expreſsè Conſultus *in l.* 1. *§. ſcientiam, ff. de tributoria actione.* Attamen 10
in filio, qui ob ætatis teneritudinem, nec expreſſe conſentire, nec diſſentire poteſt, coniunctionis & affectionis ratio efficit, vt adoptioni à patre naturali de ſe factæ aſſenſum præſtitiſſe, ſiue non contradixiſſe, & obtemperaſſe credatur. Non aliter atque in ſpon- 11
ſalibus infans filia, quæ patris voluntati non repugnat, conſentire intelligitur, *l. ſed quæ patris voluntati.* 12. *iuncta l. in ſponſalibus* 14. *ff. de ſponſalibus.* Nam frequenter pietas 12
paterni nominis conſilium pro liberis capit. *l. nec in ea.* 22. *ff. ad legem Iuliam de adulteriys.* Quibus non refragatur Iacobi de Rauen. doctrina à nobis nuper adducta, ſiquidem 13
adeò fallax & incerta exiſtit, vt nec ipſe ſit auſus illam defendere: vnde contrarium certius exiſtimaſſe tradit idem Albericus *in d. l. in adoptionibus num.* 3.

Sed ſcrupulus reſtat, nam quemadmodum 14
in filio adoptioni tradendo ſolummodo non contradictionem exigi probauimus, ita & in naturali parente, à quo filius debet in adoptionem conſtitui, nec aliud deſideratur, quàm vt taceat, vel non diſſentiat, quod *dict. l. in adoptionibus* poſteriora hæc verba manifeſtè conuincunt: *Sin autem à patre dantur in adoptionem*, filij inquam, *in his vtriuſque arbitrium ſpectandum eſt, vel conſentiendo, vel non contradicendo.* Ergo ſi vtriuſque arbitrium ſpectatur, vel expreſsè conſentiendo, vel non contradicendo, ſaltim taciturnitas, ſiue non contradictio æquè in patre atque in filio ſufficiens ad ſolemnitatem adoptionis cenſebitur: vti ibidem Odofredo placuit. Sed parentis hæc taciturnitas, vel non repugnantia minimè ad iſtius actus perfectionem ſufficit, quinimò verbis ſuam voluntatem exprimat neceſſum eſt, vt in muto apparet: qui tamen licèt alio modo quàm ſermone manifeſtum facere poſſit, velle ſe filium ſuum in adoptionem dare, nihilominus ado-

adoptio non ſubſiſtet, niſi adhibita cõfirmatione, *l. ſi pater. 29. ff. de adoptionibus.* Non enim poteſt videri iure facta, inquit Anton. Faber. *in iuriſprud. tit. 10. princip. 4. illat. 4.* quæ deſtituta eſt ſuis ſolemnitatibus, inter quas illa olim fuit, & nunc ſupereſt, vt verbis opus eſſet, ad declarandã voluntatẽ ex parte eius, qui in adoptionẽ daret. Igitur pari modo & de filio interpretari conuenit, vt verba in eo deſiderentur: quod obſiſtere omnino videtur, quominus recenter in lucem editus infans, vt verum credimus, poſſit adoptari.

15 Quæ difficultas etſi ex *dictæ l. in adoptionibus*, verbis nec fuco careat, eo exiguo tamen labore deficiet, ſi ſingula eiuſdem verba ſingulis perſonis referas, ea ſcilicet, *vel conſentiendo* ad patrem, illa vero, *vel non contradicendo*, ad filium, vt in *dict. l.* excogitauit Albericus, & Ioan. Corraſ. Ita vt *dict. l.* ſenſus ſit, quòd ſi à patre detur filius in adoptionem, in his vtriuſque arbitrium expectandum eſt, vel conſentiendo in patre, vel non contradicendo in filio. Dictio enim illa *vel*, quamuis de ſui natura eſt alternatiua, vt communiter circumfertur, hîc tamen declaratiuè adijcitur pro *ideſt*, nam aliquando ita accipi debere, docet Menoch. *conſ. 347. num. 19.* Portoles *de conſortibus capit. 1. num. 65.* Auguſt. Barboſa *tractatu de dictionibus dict. 360. num. 5.*

SVMMARIVM.

Tam in dante quàm in accipiente feudum certam ætatem eſſe neceſſariam, exiſtimat Forcatulus. 1.

In accipiente feudum certius eſt nullam requiri ætatem. 2.

Infans abſque diſtinctione infantilis ætatis poteſt de feudo inueſtiri. 3.

Excepto Montano, *omnes ſentiunt tutoris auctoritatem non eſſe neceſſariam, vt pupillus feudum accipiat.* 4.

Feudum magis beneficio, quàm contractui accedit. 5.

Beneficium ſæculare, vt profana capellania, infanti poteſt conferri. 6.

Infans per alium tenetur feudi perſonale ſeruitium exhibere. 7.

Feudum, ad cuius inueſtituram iuramentum requiritur, non poteſt infanti concedi. 8.

Ante decimum annum cum dimidio impubes iurare nequit. 9.

Homagium per alium fieri non poteſt. 10.

Impubes, qui feudi inueſtituram accepit, non debet ante puberes annos cogi ad fidelitatis Sacramentum præſtandum. 11.

D. Didac. de Narbona.

QVÆSTIO XVIII.

Acquirere feudum, vel de eo inueſtiri vt quis poſſit?

IN cuiuslibet perſonę feudo ętatem explorandam eſſe, ſiue dum cõcedit, ſiue dum accipit, admonet Stephan. Forcatul. *commentario de iuribus feudor. c. 4 n. 17.* 1
Ex quo inferri videbatur, vt conferentis, ita & acquirentis certam & determinatam ætatem eſſe. Sed licèt in concedente hoc verum 2
eſt, in eo qui feudi inueſtituram ſuſcepturus eſt, non æquè generaliter procedit; cùm iuxta communem ſentẽtiam, cuius ſuprà in ætate ad capellaniam profanam meminimus, infans poſſit de feudo inueſtiri abſque diſtinctione infantilis ætatis, *c. ſi quis deceſſerit tit. ſi de feudo defuncti contẽtio ſit*, tradit Decius 3
in l. 2. §. impuberes n. 5. & 6. de reg. iur. Bald. *in l. ſi quis ſeruo, C. commun. de manum.* Tiraquel. *de nobilit. c. 6. n. 28. in fine*, Quintilian. Mandoſ. *de ætat. minori c. 3. n. 15.* Montan. 4
de tutel. c. 5. à n. 26. qui præter omnes ad hoc tutoris authoritatem deſiderat, Cald. Pereira *de nominat. emphyt. q. 4. num. 4.* noſter Perez de Lara *in compend. vitæ homin. capit. 16. num. 1. & 2.* & his relatis ſuprâ docuimus, vbi de ætate, vt quis præſentari ad capellaniã profanam poſſit, diſcuſſimus.

Et eam rationem aſſignat Tiraquel. *d. loco*, quia feudũ magis accedit beneficio, quàm 5
contractui *c. 1. §. perſonam tit. per quos fiat inueſtitura.* At infanti, etiã anniculo, ſæculare 6
re beneficium, vt profana capellania conferri poteſt, vt ſuprà latè oſtendimus: ergo & feudum dari rectè poterit, dum tamen alius pro 7
eo perſonale ſeruitium, donec ad pubertatem peruenerit, exoluat, *d. cap. ſi quis deceſſerit*, vbi etiam obſeruat Gloſſa.

Nec ideò notandus erit Forcatulus vbi ſuprâ, quia certam aliquam ætatem in accipiẽte feudum eſſe neceſſariam conſtituit, ſiquidem, vt ex ipſius verbis liquidò apparet, de illis feudis loquitur, quæ plus onerant, quàm honorant, & in quibus iuramentum neceſſariò interponi debet. Vnde inquit ex his non poteſt minor feudum accipere, quo homagium interim facere compellatur, *§. ſi quis per vir. ſi minor, ſi de feud. defunct. contentio ſit inter domin.* niſi requiſitam ætatem habeat, ideſt, niſi doli capax efficiatur, decimũque annũ cũ dimidio excedat, cùm nec antea 9
iurare, neque ex iuramento teneri queat, vt infrà *anno 10. & dimidio* pleniùs oſtẽdemus, 10
nec homagium eius conditionis ſit, vt per alium fieri poſſit, *d. c. ſi quis deceſſerit.* 8

11 Hinc eſt, quòd vbi impubes feudi inueſtituram acceperit, ad fidelitatem præſtandam, ſiue homagium exhibendum antea cogi non poſſit, quàm ad maiorem ætatem peruenerit, ſiue ad proximam pubertati, ſiue ad pubertatem, vt mauult Iacob. Cuiac. *in c. vnico de minore ad fidelitatem feudi non cogendo*, in quâ doli capax ſit. *d. c. vnico*, quia vt ibidem exprimitur, nec ipſe minori ætate præſtare poteſt, nec per alium facere cogendus erit.

ANNVS TERTIVS.

SVMMARIVM.

Contra naturam eſt, matres filios alijs mulieribus nutriendos tradere. 1.

Mater tenetur filios integro primo vitæ triennio alere. 2.

Partus ante triennium non poteſt à maternis vberibus depelli. 3.

Triennio primo elapſo patri incumbit onus alendi filios, maximè vbi mater fuerit vitijs dedita. 4.

Qui ex alterius vxore liberos ſuſcepit, tenetur patri putatiuo alimenta eis præſtita à tertio ætatis anno reſtituere. 5.

Mater ſolùm tenetur lac intra triennium filio exhibere, cæteros verò ſumptus, etiam intra id tempus pater facere compellitur. 6.

Pater, vel ipſius hæredes, debent alimẽta ventri præſtare. 7.

Mater extremè indigens, non tenetur filium lactare. 8.

Mater vberum ſiccitate laborans excuſatur à lactatione. 9.

Diſſoluto, vel ſeparato matrimonio, vtrique parenti onus alendi filios incumbit. 10.

Qui ſeparationi, aut diuortio cauſam præbuit, filios etiam triennio minores alere debet. 11.

A Republica erit partus alẽdus, quoties vterque parens egeſtate premitur. 12.

Matrem nobilitatis prætextu à lactatione excuſari, quidam malè putant. 13.

Incontinentiæ inuentum eſſe videtur, vt matres alijs mulieribus filios lactandos tradant. 14.

Mater, quæ ſine iuſta cauſa filios proprio lacte non alit, ſaltim peccat venialiter. 15.

L. 1. §. *ad nutritia quoque, ff. de varijs & extraordinar. cognit. intelligitur.* 16.

Mater inſtituens maioratum, tenetur etiam poſt triennium filios alere. 17.

QVÆSTIO I.

Cuius ætatis infans matrem nutriendi obligatione exuat?

Contra naturã eſſe aiebat Fauorinus Philoſophus *apud Gellium noctiũ Attic. lib. 12. c. 1.* hoc imperfectũ, atque dimidiatũ matris genus, peperiſſe, ac ſtatim ab ſeſe abieciſſe, aluiſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid, quod nõ videret, nõ alere nũc ſuo lacte quod videt iã viuentem, iã hominẽ, iã matris officia implorantem. Hinc ſumma cũ ratione Greg. Pap. *in c. ad eius 4. 6. diſt.* prauã cõſuetudinem appellat, vt filios ſuos, quos gignũt matres, nutrire negligãt, eoſque ad nutriẽdũ alijs mulieribus tradant. Quod itẽ legũlatoribus adeò rationi, naturalique æquitati obuiare viſum fuit, vt nõ aliter matrẽ de filij alimentis aduerſus patrẽ audiendã Diocletianus, & Maximianus reſcripſerint, quã priori vitę triennio fœtũ lactauerit, lenauerit, & reliqua educationis officia debitè exhibuerit, *l. nec filiũ. 9. C. de patr. poteſt.* Admonet Gregor. IX. *in c. ex literis 2. de conuerſione infideliũ*, & apud noſtros *l. 3. tit. 19 p. 4* ibi: *Nodreſcer, è criar deuẽ las madres à ſus fijos, q̃ fueren menores de tres años, è los padres à los q̃ fueren mayores deſta edad.* Idẽ probat *l. 3. tit. 8. lib. 3. for.* Hucque reſpexiſſe arbitror legẽ Romuli, qua parẽtibus interdictum aſſerit Guilielm. Fornerius *in l. quæret. 135. de verb. ſignific.* ne infantes triennio minores alimentis fraudarẽt, vt teſtis eſt Dionyſ. Alicarn. *lib. 2.* obſeruãt poſt Gloſſã, & antiquiores ſuperiorẽ ſententiã, Couar. *de ſponſalib. 2. p. c. 8. §. 6. n. 13.* Ludouic. Molin. *de primog. lib. 2. c. 15. n. 3.* Lara plurimos referens *in l. ſi quis à liberis, §. ſi mater. n. 2. ff. de lib. agnoſc.* Ioan. Garc. *de expenſ. cap. 13. n. 29.* Rojas *de ſucceſſ. c. 22. n. 11.* Donat. à Fin. *tom. 1. commun. opin. lib. 5. tit. 14. num. 5.* Bellacomb. *tom. 2. lib. 8. tit.*

tit.29.n.22.Surd. *de alimẽtis tit.1.q.14.*P. Molin.*de iuſtit.& iur.tract.1.diſput.224.& tract.2.diſput.168.verſ.mater.*Valaſc. *cõſultat.92.à n.1.*Matth.Coller.*de alimẽt.lib.1.c.6.*P.Thom.Sanchez *de matrim.lib.10.diſputat.vlt.* Leſius *de iuſtit.lib.2.c.10.dubit.7.n.42.*Rebellus *lib.3.q.10.n.15.*Azor *inſtit.moral. 3.p.lib.5.c.6.q.2.*Cardoſ. *in praxi aduocator.verbo alimenta n.12.& verbo pater n.18.*Philip.Paſchal.*de viribus patriæ poteſt.2.p.cap.3.à n.48.*Bonacin.*de matri. q.4.punct.15.n.7.*Alphonſ.de Lara *in cõpend. vitæ homin.c.13.n.59.* & nouiſſimè Carrãç. *de vera humani partus deſignatione c.3.§.4.n.25.* Qui omnes pro regula conſtituunt matrem,ſiue legitimam,ſiue aliam teneri partũ
3 lactare & nutrire,quouſque is trimus efficiatur,& eius ætatis,qua à lacte depelli,exuberari,aut ablactari poſſit.Quod ante trienniũ minime licuiſſe ex Vlpiano *tit.16.* egregiè Cuiacius protulit *lib.19.obſeruat.cap.40.*& velut â natura inſtitutum eſſe, conſtat ex illo *Machabæorum 2.c.7.& ex* Galeno *1.de tuẽda valetud.*alijſque quorum meminit Valleſius *in Philoſophia Sacra cap.83.*

4 Poſt hanc verò ætatẽ regulariter ab alendi obligatione mater eximitur, & illa pater irretiri incipit,vt omnes ſuprà ſcripti referunt,& probat expreſſe *d.l.Regia 3.tit.19.p.4.*illis verbis iam relatis: *E los padres à los q̃ fueren mayores deſta edad.*Maximè vbi ita in omnes libidines effuſa mater fuerit, vt nihil denique ſancti, nihil religioſi, nihil honeſti, nihil non turpe,non obſcœnum infœlix natus, aut viſurus, aut auditurus eſt,veluti appoſitè nimis animaduertit Paul. Comitol. *reſponſor.moral.lib.4.c.5.per totum.*

5 Vnde meritò infert Anton.Diana *reſolutio moral. p.2.reſolut.55.in fine.*teneri eum, qui ex alterius vxore prolem ſuſcepit,alimẽta à tertio ætatis anno ipſi præſtita reſtituere patri putatiuo, aut eius filijs,vel hæredibus,quia ab illo tantùm tempore,& non anteà, adulter, vt naturalis pater, filium proprijs ſumptibus alere obſtringebatur.

6 Quod non ita generaliter accipiẽdum eſt, vt intra primum triennium patrẽ omnino liberũ à nutriendi obligatione credamus,cùm etiam nondum trimo infanti,& matris vbera ſugẽti,neceſſaria ſuppeditare cogatur,mater enim lactis nutrimentũ dumtaxat filio naturaliter,ciuiliterque miniſtrare tenetur, ſumptuum verò faciendorum ſarcina intra illud trienniũ,ad patrem,vel hæredes eius ſpectat. Quidquid in cõtrarium minùs veraciter excogitarint Odofredus *in l.ſi competenti 3.C. de alendis liber.*Corneus *conſil.1.*Bertrand. *conſil.257.incipienti,Viſo quodam publico inſtrumento n.5.p.1.vol.1.*Benedictus Capra *conſ.17.incipienti, Pro declaratione n.6.*Burſat.*conſ.84.incipienti,veritati inhærendo n.11.in fine & 12.*ſiquidem vt rectè poſt Zaſiũ *in l.1.§.huius ſtudij n.23.ff de iuſt.& iur.*obſeruauit Collerus *d.loco n.4.*noſtra ſententia ſecurior videtur,quam vt probabiliorẽ ſecuti fuerunt Angel.*in l.Neſſenius.34.n.6.ff.de neg.geſtis,& in l.alimenta.11.n.2.C.eodem,* Petr.de Ferrara *in pract.in forma libelli pro legato rei ſingularis,verbo corã vobis n.129.* Panorm.*in c.ex literis 2.n.4.de cõuerſione infidel.* Palac.Rub. *in c.per veſtras notab.3.§.23.n.8. de donatio.inter vir.& vxor.* Bald. Nouell.*tract.de dote p.6.priuileg.16.verſic. Quod tamen ſupradixi,* Cæſar Lambert.*de iure patronat.artic.6. 3.quæſt. principalis n.21.* Roland.à Valle *conſil.54.n.800. vol.2.* Aluar.Valaſc.*conſultat.92.num.6.*& nouiſſimè huius opinionis exiſtit Alphonſus Carranç. *vbi proxime num.38.*

Quæ ſententia nec ſolùm dictis authoritatibus 7
confirmatur,verùm & ſequenti vrgentiſſima ratione fulcitur. Nam pater filio nõdum in lucem edito, ſed adhuc matris aluo circumcluſo,neceſſaria exhibere,& miniſtrare tenetur, etiamſi mater diues ſit,& habeat ex quo ſeipſam,& fœtum alere poſſit, *l.curator.5.ff.de ventre in poſſeſſion.mittend.*tradit expreſsè Petr.Gregor.*lib.9.ſyntagmat.cap.20.n.10.* Surd.*de alimẽtis tit.1.q.5.*Collerus *eodem tractatu lib.1.c.2.ampliat.9. & c.11.n.10.*Igitur à fortiori iã nato, & lucis vſura fruenti,alimẽta ſuppeditare, & quicquid citra mammas ad illius educationẽ opus fuerit, expendere patri incumbet, cùm nulla ſaltim probabili differentia,obligatio quoad alimenta & ſumptus diſcernatur.

Etenim vt ad matrem redeamus,illam nõ 8
perpetuò teneri,ſed aliquibus caſibus etiã à lactationis onere liberari,ex noſtris plerique docent,præſertim, vbi ipſa adeò pauper, & inops exiſteret,vt propria induſtria,aut obſequio victum quæreret,& ſi lactationi vacaret,inedia periret *l.ſed etſi.11.§.1.verſic. Ego autẽ arbitror,ff.ad exhibendũ,*ex qua ita docet Benincaſ. *de priuil. paupertatis q.7. ſpeciali 2.n.32.*Ioan.Garcia *de expenſis d.c.3.n.31.* Surdus & Coller.*vbi proxime,* Lancellotus *in conſuetud. Alexand.verbo, Solidos, n.142.* vbi alios refert, noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c.13.n.61.* Auguſt.Barboſa *in collect.ad dictum caput ad eius 4.n.2. 6.diſtinct.*Carranç.*d.loco n.28.*& apparet de iure noſtro ex *d.l.3.*ibi: *Empero ſi la madre fueſſe tã pobre,q̃ nõ los pudieſſe criar, el padre es tenudo de darle lo q̃ huuiere meneſter para criarlos:*vbi ſcholium Gregorij notat.

9 Item & mater excuſaretur, ſi vberum ſiccitate laboraret, aut parum illis lactis ſuppeteret, vel quouis alio modo ad nutritionem inepta redderetur. Ita Valaſc. *d.conſult.92. num.4.*& omnes nuper relati.

10 Deinde etiam mater lactare non tenetur filium, quoties ex cauſa poſteà cognita inuicem coniuges ſeparantur, aut in totum matrimonium diſſoluitur. Nam tunc vterque parens communibus impenſis partum educare, etiam trimo minorem tenetur, *cap.2. qui filij ſint legitimi*, Vital. *tractat de clauſulis titulo an alimenta renuntiari poſſint, colum. 6.*
11 Surd. *vbi proximè num.*8. niſi alterius tantùm coniugis cauſa, aut delicto ſeparatio cōtingeret: hoc enim caſu ipſe ſolummodò ad expenſas nutritionis adſtringetur, *auth. ſi pater, C. diuortio facto, apud quem liberi educari debeāt.* Probat Syluester *in ſumma verbo filij n.* 24. Ioan. Gutier. *lib.1. Canon. quæſtio. c.24. n.19.*& expreſſius *d.l. Regia.3.* in hæc verba: *E ſi acaecieſſe que ſe parta el caſamiento por alguna razon derecha, aquel por cuya culpa ſe partio, es tenudo de dar del ſuyo de que crie los fijos, ſi fuere rico, quier ſean mayores de tres años, ò menores, è el otro que no fue en culpa los deue criar, y auer en guarda.*

12 Quòd ſi ambo parentes ita abiectæ fortunæ, vel tenuis ſubſtantiæ fuerint, vt nequeant filium alere, â Republica eſſe alendum, *per text. in l.1.§. generaliter de ventre in poſſeſſionem mitt.* meritò obſeruauit Alphonſus de Lara *in compendio vbi ſuprà n.66.*

13 Tamen hîc conſequenter animaduertam, non abſurdam videri cenſurā Matthiæ Coller. *vbi ſuprà n.6.* exiſtimantis grauiter Interpretes impegiſſe videri, dum putant obligationem lactandi puerulum nōdum trimum matribus nequaquam incumbere, quoties illæ propter nataliū ſplendorem, vel claritudinem ſimili ablactatione indedecus prolaberētur. Cuius opinionis authores Azonem, Bartolum, Angelum, & Baldum reperio. Nec non & ex recentioribus Cordubam *in d.l. ſi quis à liberis. §. ſi mater n.7.&* 8. Petr. Surd. *tit.7.q.9.n.26.* Roland. *conſ.14.n.52. lib.3.* plurimos recenſet Tiraquellus *de nobilitate c.20.n.78.* Alphonſ. Perez de Lara *vbi ſuprà cap.13 n 60.*& Barboſa *vbi ſuprà n.2.* Nam quicquid aduerſus Tiraquellum *d.loco* Corduba adſtruxerit, lōgè probabilius cēſeo nulli mulieri, nec heroinæ dedecori eſſe poſſe lactare filium, quem nouem mēſes in penitiſſimis vteri receſſibus aluit, & quē ex proprijs viſceribus eduxit: idque non ex eo ſolū, quòd naturę debitum, moribus conueniens, aut rectæ educationi neceſſarium videatur, vt affatim ex Tiraquello deſumitur: verùm & quia id iura clamitant, prauamque cōſuetudinem appellant, quæ in coniugatorum moribus ir- 14
repſit, vt filios ſuos, quos gignūt, nutrire matres contemnant, eoſque ad nutriendum alijs mulieribus tradant. *c.ad eius concubitum, fin. 5. diſt.* quod ex ſola carnis incontinentia videri fuiſſe inuentum, teſtantur. Quia dum ſe cōtinere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Sic D. Ambroſ. *ſuper Geneſi 27. & lib. Exameron c.28. & epiſt.82.* Plutarc. *lib. de educat. liberorū, Columella lib.7. rei ruſticæ cap.12.* Aul. Gel. *ex Fauorino Philoſopho, vbi ſuprà,*& ex noſtris optimè id defendunt Albi. de Alber. *ſing.159.* Tiraquel *vbi ſuprà* Didac. Couar. *in epitome lib.4. decretalium p. 2. c.8. §.6. n.13.* Ioan. Garcia *de expenſis &*
meliorat. c.3. n.29. & ſeqq. Alphonſ. Carrāç. 15
d.cap.3. Roderic. Acunha *in d.cap. ad eius n. 1.* vbi regulariter matrem ſaltim venialiter peccare affirmat, quæ filium proprio lacte non nutrit, niſi adſit iuſta cauſa.

Cui quidem æquiſſimè reſolutioni minimè 16
refragari videtur Vlpiani authoritas *l.1. §. ad nutritia quoque, ff. de varijs & extraordinarijs cognitionibus*, ex qua expreſſe probari videtur antiquitus, quemadmodum & noſtris temporibus vſitatum fuiſſe, filios lactandos nutricibus tradere, & cōſequenter quòd cùm omnibus in diſtinctè fœminis permiſſum eſſet, id diuitibus, & nobilitate fulgētibus maximè licuiſſe, quia præterquam, vt optimè cenſet Alphonſ. Carranç. *vbi ſuprà num.29.* quòd nihil aliud *ex d.l.* depromitur præter ſimplicem quandam conſuetudinem tradēdi filios nutricibus, vt etiàm ex Iuſtiniano coniectari poteſt *in §. eadem lege 3. inſtit. qui & ex quib. cauſ. manumit. non poſſunt*, nō aliter atque hodie fieri paſſim oſtendimus. Quam æquè vtroque ſæculo improbatam ſuperius adducta teſtimonia cōuincunt: illud verò certis his tantùm caſibus licuiſſe, & cōſuetudine fuiſſe admiſſum interpretari poſſumus. Quibus, vt proximè obſeruauimus, iuſta cauſa intercedente fœminæ à debita & naturali partus educatione excuſantur, etenim matribus impeditis ſugentibus filijs vbera exhibere, vel alicuius ſiue morbi, ſiue vitij timore interdictis, conueniens pietati & rationi videbatur, vt qui materno lacte (proh dolor!) ablactari non potuerunt, conductitio ſaltim, & extraneo ſuppoſiti alerentur.

Sub hæc autem notabilem *dict. l. nec fi-* 17
lium.9. limitationem non prætercam, quam ſingulariter obſeruat Molina *de maioratu libro 2. cap.15. num.3. &* 4.& eo relato Ioanne Gratian. *regul.308. num.2.* ſcilicet ipſius regulam non procedere, cùm mater inſtituit maioratum: nam tunc etiā poſt trien-

nium

nium tenetur alimenta filijs ſuis indiſtinctè miniſtrare.

SVMMARIVM.

Parentibus olim erat permiſſum filios impunè occidere. 1.

L. Romulea prohibebatur, ne prolem triennio minorem parentes interficerent. 2.

Ideò exiſtimauit Petrus Gregor. filium ante triennium non potuiſſe occidi, quia in tam tenera ætate nullam occiſionis cauſam præbere potuit, reprobatur. 3.

Etiam poſt primum vitæ triennium, ante decimum annum ætatis cum dimidio, nemo crimen, vel ingratitudinem poteſt admittere. 4.

Traditur huius prohibitionis vera ratio 5. *& ſequentibus.*

Filij primo vitæ triennio non patris, ſed matris poteſtati ſubijciuntur. ibidem.

Mater debet filium triennio lactare. 6.

Lactatio retinet coniunctionem matris & filij, quam prægnationis tempore naturaliter obtinebant. 7.

Filius dum lactatur à matre, vnum corpus cum ipſa cenſetur. 8.

Vita matris & lactentis filij, vnica & communis de iure creditur. 9.

Occidens lupam, vrſam, aut vulpem cum lactentibus, non niſi vnum præmium meretur. 10.

Filius intra primos ſeptem dies poterat ab eſuriente patre vendi. 11.

Seruus cuiuſque ætatis vendi poteſt. 12.

Seruus in iure non tam homo, quàm merces reputatur. 13.

QVÆSTIO II.

Parentes cuius ætatis filios interficere poßent?

1 QVamuis tanta parentum in liberos antiquitus poteſtas eſſet, vt
impunè eos occidere ipſis liceret. *l. in ſuis.* 11. *in fine, ff. de liberis & poſthumis, l. Diuus.* 5. *ff. de parricidijs, l. fin. C. de patria poteſtate,*
non vtique ita ſuprema, & abſoluta poteſtas
erat, vt in cuiuſque ætatis filios poſſet pro-
2 libito exerceri, cùm lege Romulea prohi-
beretur, ne prolem triennio minorem pa-
rentes interficerent, vt teſtimonio Dionyſij
Alicarnaſ. *lib.* 2. prodiderunt Franciſc. Bal-
duin. *in l.* 18. *Romuli num.* 1. Petr. Gregor.
lib. 11. *ſyntagm. iuris cap.* 8. *num.* 4. & Guliel.
D. Didac. de Narbona.
Fornerius *in l. quæret aliquis.* 135. *in principio, ff. de verbor. ſignificat.*

Ideò enim exiſtimauit Petr. Gregor. *dict.* 3
loco, quia in tam tenera ætate nulla iuſta
cauſa necis, vel contumeliæ filij eſſe pote-
rat, quæ ipſius morte expiari, vel vlciſci
mereretur: quod vereor, ne ab illo ſit im-
probabiliter dictum; cùm hæc ratio nedum
conuincat triennio minores filios interfici
non debere, verùm nec maiores, quibus an-
nus decimus & dimidius non obtigit. Quo- 4
niam ad hanc vſque ætatem offenſionis, in-
iuriæ, & ingratitudinis immunes ſic omnes
reputantur, vt anteà iuſtè aut puniri, vel
hac de cauſa exhæredari non valeant, vtpo-
te latiùs iſthæc differentes infrà anno deci-
mo & dimidio multis oſtendemus.

Vnde aptiùs forſan aliquando exiſtima- 5
bam, hanc prohibitionem necandi filios nõ-
dum trimos Romuli lege parentibus iniun-
ctam ab eo proueniſſe, quod toto triennij il-
lo ſpatio non tam parentum, quàm matrum
iuri & ditioni ſubduntur filij ex neceſſitate
ablactationis, quam omni eo tempore illis 6
exhibere tenentur, vt probatur ex *l. nec filium.* 9. *C. de patria poteſt.* vbi notat Dionyſ.
Gotofred. *cap. ex literis* 2. *de conuerſione infidelium*, & de iure noſtro Hiſpano ex *l.* 3.
tit. 19. *p.* 4. ibi: *Nodreſcer, è criar deuen las madres à ſus hijos, que fueren menores de tres años, è los padres à los que fueren mayores deſta edad*: iunctis quampluribus, quæ in huius
rei confirmationem præcedenti quæſtione
ſcripſimus, vbi de infantium ætate, quæ ma-
tres à nutriendi obligatione exuit, diſputa-
uimus. Quæ vtique ablactatio, cùm ita filios 7
in illa naturali coniunctione cum matribus
retineat, qua antea in ipſo vtero nectabãtur
argumẽto *l. ſed ædes.* 19. *§. ſi quis mulierem, ff. locati, & l.* 9. *tit.* 10. *lib.* 6. *Recopilat. tom.*
3. ibi: *Con que eſto no ſe entiẽda en las criaturas que lleuarẽ à ſus pechos ſus madres, ò otras qualeſquier mugeres, que por ellos no ſe ha de pagar porte alguno, fuera de lo q̃ pagarẽ por ſi las mugeres q̃ los lleuaren al reſpeto dicho.* In- 8
de eſt, vnum corpus tunc temporis matres &
filios cenſeri, vt nimis eruditè obſeruat do-
ctiſſimus frater noſter D. Alphonſ. de Narbo
na *in d. l.* 9. *gloſſ.* 7. *n.* 2. & illum ab iniuſta ca-
lũnia Alphonſi Carranzæ vindicantes, ſupra
anno primo de tempore animationis fœtus
diſcutientes *num.* 21. *cum ſequentibus*, id al-
tiùs probauimus: ac per conſequens nõ ma- 1
gis liberos lactentes, quàm ipſas vxores in-
terficiendi parentibus ius fuiſſe, quandoque
ratione vnionis filius vbera ſugens necari nõ
poſſet, quin etiã & ipſa mater necata intel- 9
ligatur. Eſt enim vnica & communis (ſaltim

quoad iuris cẽſuram) matris & lactentis filij
10 vita, adeò vt ſi præmium præſtetur, vtpotè apud noſtros *in l.5. tit.8. lib.7. Recopilat. tom.3.* pro lupo, vulpe, aut vrſo occiſo, qui lupam, vulpem, aut vrſam cum lactentibus catulis interfecerit, non plura præmia, ſed vnum conſequetur, vt ex Felino, Bartolo, Baldo, Angelo, & Guillermo de Cuneo contra Sebaſtianum Mediceum & Azeued. optimè defendit noſter Frater *vbi ſuprà num. 8. & 9.* Quoniam vna tantùm horum omnium occiſio ex præfata ratione iudicatur. Quod cùm ita ſit, meritò exiſtimari poteſt ea de cauſa filios nondum trimos, & adhuc ab vberibus matrum pendentes, iure patriæ poteſtatis à parentibus interfici minimè potuiſſe: quia ex quo partes ſunt vnum idemque corpus cum matribus efficientes, ipſarum potiùs quàm parentum iuriſdictioni ſubijciuntur.

11 Nec aliud probatur ex *l.2. C. qui fil. diſtra. l. vnica eiuſdem tituli, C. Theodoſ. & ex l.8. & 9. tit.17. part.4.* quibus iuxta interpretationem à nobis aſſignatam *ſuprà anno primo quæſt.8.* vbi de ætate filiorum ſcripſimus, qui ob nimiam paupertatem diſtrahi poſſunt, parentibus ſeptem dierum infantes vendere permittitur. Quia id non ſolùm ratione patriæ poteſtatis, ſed etiam ratione extremæ indigentiæ condonatur, vt etiam aliena furari, quibus diſtractis ea comparari poſſint, quæ ſufficiant ad extremam inediam ſubleuandam, veluti in *cap. ſi quis 3. de furtis*, communiter notant Interpretes.

Minuſque obſiſtit *l. cùm ſponſus. 12. §. 12
fin. ff. de publ. in rem act. vbi anniculus ſeruus, ſiue à parente, ſiue à domino impunè diſtrahi permittitur: quia vt ex ipſius ſerie optimè cõſtat, in ſeruo loquitur, qui cuiuſcumque ætatis vendi, ideò etiam nulla neceſſitate cogente poteſt, quia in iure non tam homo, quàm merces reputatur, *l. ſeruos*, alias 13
ſuos autem 73. §. eum qui venalitiariam, ff. de legat.3. etſi verè merces non ſit, *l. mercis appellatione 207. de verbor. ſignificat.* vbi id optimè explicat Petr. Rebuffus.

ANNVS QVINTVS.

SVMMARIVM.

Regulariter ante ſeptimum annum nemo ſomniare incipit. 1.

Celeriùs aliquibus ſomnia contingunt, ſed non ante quartum ſaltim, vel quintum ætatis annum. 2.

Somnium etiam in brutis cauſatur de rebus, quibus cogitatio vigilantis fuit intenta. 3.

Text. in cap. non eſt peccatum. 3. 6. diſtinct. explicatur. 4.

Qui interdiu turpia cogitauerat, ſi poſteà in ſomnis polluatur, mortaliter peccat, & quare, ibidem.

Infantibus quatuor, vel quinque annorum nullius rei cura ineſt. 5.

QVÆSTIO I.

Quando ſomniare homines incipiant?

1 EDitis nuper in lucem ſcribit Philoſopharũ Princeps Ariſtoteles *lib. 4. de hiſtor. animal. cap. 10. in fine, Et infantibus adhuc nullũ penitus contrahitur ſomniũ: ſed plurimis anno circiter quarto, aut quinto ætatis viſa incipiunt.* Ex quibus verbis apertè docemur, vt in plurimum infantes, & qui nondum ſeptimum annum exceſſerunt, minimè ſomniare: etſi aliquorum ea ſit natura, vt
etiam infantes ſomnient, non tamen ante 2
quartum ſaltim, vel quintum ætatis annum hoc illis contingere. Quod ex noſtris etiam obſeruauit Quintil. Mandoſ. *de ætate minori cap.3. num.2.* Campanillus *rubrica 7. cap.1. num.9.* & ex eis noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap.15. n.2.*

Cuius rei, etſi nullam rationem aſſignent, 3
ea nihilominùs eſſe mihi videtur, quia ſomnium ferè ſemper cauſatur de rebus, quibus cogitatio vigilantis fuit intenta, etiã in brutis, ex ſententia Ariſtot. *vbi ſuprà, & lib. de animal. c.2. & lib. de inſomnis c.1.* Plin. *lib. 10. natural. hiſtor. cap.75.* Petr. Garcia *in diſputat. ad Galen. de locis affect. diſput.3. c.1.* quibus relatis nouiſſimè ita obſeruat Franc. Torreblanca *iuris ſpiritualis practicabilium lib.8. c.5. n.18. & 20.* Vnde Claudianus *in præfatione de raptu Proſerpina*, ita canit.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur equis.

Et

Et comptiùs, ac breuiùs Seneca *in Oetau.*

Quæcumque mentis agitat infeſtus vigor,
Ea per quietem ſacer, & arcanus refert
Veloxque ſenſus.

Quod cùm verum agnoſceret Artemidor. *lib. 1. de ſomniorum interpretatione cap. 2. De his ſanè*, inquit, *de quibus aliquis non fuit curioſus, nemini ſomnium occurret, quandoquidem neque de proprijs, quorum quis curam non habuit, vllus aliquis ſomnium vidit.*

Ex quibus nitidiſſimè profluit vera ratio textus *in cap. non eſt peccatum. 3. 6. diſtinct.* vbi eum qui nocturna illuſione polluitur, quamuis extra memoriam cogitationum tur-
4 pium, quas vigilans habuerat, ſeſe præſentiat inquinatum, peccare dicitur. Nam, vt inquit textus, *luxuriæ quippe imagines, quas in veritate geſſimus, ſæpè dormientibus in animo apparent. Quæ cùm peccaminoſæ fuiſſent, non poteſt non pollutio ex illarum repræſentatione proueniens culpæ non adſcribi*: ſiquidem vt ex D. Thom. *in 4. diſtinct. 9. artic.* 4 Couarru. *in Clement. ſi furioſus 3. part. in initio num. 7.* Soto, Corduba, & Victoria tradit Roderic. Acunha *in cap 1. d. diſtinct. 6. num.* 4. poſt luxurioſas cogitationes, quas quis interdiu, & ſciens pertulit, remanet quoddam veſtigium, & inclinatio in anima, qua dormiens inducitur in ſua imaginatione ad aſſentiẽdum actibus, ex quibus ſequitur pollutio, ac proinde eſt peccatum mortale per relationem ad ſuam cauſam, à qua proceſſit.

Igitur vt cœptum ſermonẽ proſequamur, cùm ſomnium ab illis rebus naſcatur, de quibus cura & affectio eſt, inde prouenit infantes, maximè qui nondum quatuor, aut quinque annorum exiſtunt, quibus nullius rei cura, aut affectio ineſt, *l. donatarum. 3. C. de acquirend. poſſeſ. l. ſi quis in emancipatum. 26.*
5 *C. de donationibus* minimè ſomniare poſſe, vt Ariſtoteles & Mandoſius teſtantur.

SVMMARIVM.

LIbertus, qui duos, pluresve filios, aut ſaltim vnum quinquennem habet, liberatur ab operarum præſtatione. 1.

Huius rei vera ratio traditur. 2.

Quinquennij tempus fuit ſemper in omni liberali cauſa obſeruatum. 3.

Si poſt quinquennium inofficioſum teſtamentũ dicatur, libertates non reuocantur. 4.

Prohibitum eſt, ne de ſtatu defunctorum elapſo quinquennio quæratur. 5.

Ex libertinitate ad ingenuitatem, nemo vltra quinquennium à die manumiſſionis auditur. 6.

Colluſionem ingenuitatis detegere licet ſpatio quinque annorum poſt ſententiam. 7.

Codex Lugdunenſis in l. qui Libertinus. 37. in princip. de operis libertor. loco illius verbi quinquennẽ *reponit* quinquennium.

QVÆSTIO II.

Liberti filius cuius ſit futurus ætatis, vt patrem ab operarum præſtatione liberet?

LEge Iulia de maritandis ordinibus nonnullæ cauſæ recenſebantur, quibus libertus ab operarũ præſtatione, qua cũ manumitteretur, fuit obſtrictus, eximitur,
inter quas & illa connumeratur, cuius à Pau- 1
lo fit mentio *in l. qui Libertinus. 37. in principio, ff. de operis libert.* ſcilicet ſi libertus duos, pluresve à ſe genitos, natoſve in ſua poteſtate habeat, aut, quod idem eſt, vnũ quinquennem, cuiuſcumque ſexus ille ſit, vt interpretari conuenit. Nam tunc eodem modo ab operarum obligatione liberabitur, ac ſi duo, pluresve ſuſcepiſſet filios, veluti ibidem obſeruat Gloſ. verbo *Quinquennem*, & repetit *in l. nec patronis. 6 verbo qui autem duos, C. eodem*, quam ſequitur Iacob. Cuiac. *lib. 9. obſeruat. cap. 38. in fine.*

Quare autem quinquenni potiùs quàm ſe- 2
xenni, ſeptenni, aut alterius ætatis filio tribuatur, vt ſolus queat patrem operarum præſtationi obnoxium, abſoluere? hæſitari poteſt. Et quidem licèt huiuſce rei nullus rationem reddat, ea mihi propriſſima videtur, quòd quinquennij tempus fuit ſemper in omni li- 3
berali cauſa obſeruatum, veluti diuerſa ſpecie admonuit doctiſſimus Franciſcus Connanus *comment. lib. 9. cap. 8. quaſi ad medium.* Vnde ſi poſt quinquennium teſtamentum in- 4
officioſum dici cœptum eſt, ex magna, & iuſta cauſa libertates non reuocantur, *l. Papinianus. 8. §. fin. de inoffic. teſtam.* Prohibi- 5
tumque eſt, ne de ſtatu defunctorũ poſt quinquennium quæratur: & qui ſe ex libertinitate in ingenuitatem aſſeuerant, nõ vltra quinquennium quàm manumiſſi fuiſſent, audiun- 6
tur *l. 2. §. 1. ſi libertus ingenuus eſſe dicatur.*
Colluſionem etiam detegere ingenuitatis, 7
poſt ſententiam intra quinquennium licet *l. 2. de colluſ. detegend.* Ergo cum ex tot iuribus manifeſtè euincatur, quacumque in liberali cauſa tempus erat aſsignandum, quin-

quennij fuiſſe præſcriptum, non temerè coniectari poteſt eadem ratione, & quinquenni filio, illud fuiſſe conceſſum, vt libertum patrem à neceſsitate operarum educeret.

8 Quod apertiùs ſuadetur ex vetuſtioribus Codicibus, & præcipuè ex Lugdunenſi anni 1567. vbi non *vnum quinquennem* legitur, vt in vulgatis, ſed *vnum quinquennium*. Quam lectionem, ibidem ſequitur Odofredus.

SVMMARIVM.

INfantis nullæ ſunt operæ. 1.
Pupillus infante maior operas exhibere poteſt, ſecundùm Gloſſam. 2.
Puer à decimo anno ſeruire incipit. 3.
Verius eſt, poſt quintum annum, ſiue in puero, ſiue in puella facultatem incipere operarum. 4.
Vſumfructum ancillæ non poſſe ante quintum ipſius ætatis annum legari, putant aliqui, ſed malè. 5.
Infans debitor nequit, ſecundum Baezam, creditori addici. 6.
L. quod ſi 32. ff. de reivendicat. vera lectio traditur. 7.
Sumptus facti à Magiſtro in erudiendo puero, compenſantur cum operis ipſius pueri, ibidem.
Vt operæ ſint in æſtimatione, non maior ætas viginti & quinque annorum deſideratur, ſed minor quinque ſaltim ſufficit. 8.
Impuberis etiam aliquod miniſterium eſt. 9.
Pupillaris ætas non excuſat in totum ab operarum præſtatione. 10.
Minores ea perſonalia munera ſubire debent, quæ ſine vitæ diſcrimine obiri poſſunt, ibidem.
Infans dicitur in hac materia quinquennio minor, & eo maior dicitur infantiam excedens. 11.
Pater, vel dominus ſerui expoſiti, tenetur ſuſceptori expenſas omnes refundere vſque ad ipſius decimum ætatis annum, & non vltra. 12.
Serui, ipſorumque operæ, à decimo ætatis anno maioris pretij, & æſtimationis eſſe incipiunt. 13.
L. apud Celſum 4. §. ſi minor mihi infantem, de doli mali & metus except. explicatur. 14.

QVÆSTIO III.

Præfinitio temporis, poſt cuius lapſum ſeruus, libertus, aut quiuis alius homo miniſterium exhibere, vel operas præſtare poterit?

INfantis nullas operas eſſe, ſcribit Vlpianus in *l. arboribus 12. §. de illo, ff. de vſufructu*, ſed pupilli maioris infante ſic, vt colligit *ibidem* Gloſſa id ipſum ex Pomponio confirmans in *l. ſi infantis 55. ff. eodem*, vbi ita reſpondit: *Si infantis vſus tantummodò legatus ſit, etiamſi nullus interim ſit, cùm tamen infantis ætatem exceſſerit, eſſe incipit.* Et ſuaderi poteſt apud noſtros ex *l. 2. tit. 23. lib. 4. fori ll.* vbi puerum à decimo anno ſeruire poſſe dicitur. Sed in hoc quidem manifeſtè labitur Accurſius, etenim, vt apud Iulianum cauetur in *l. fin. ff. de oper. ſeruor.* poſt quintum annum, tam in puero, quàm in puella facultas incipit operarum. Ergo malè eam ſolummodò poſt ſeptennium pupillo ineſſe contendit, vt etiam placuit Ludouico Romano *ſingul.* 157. incipienti: *Lego tibi vſumfructum ancillæ.* Et Mandoſio *de ætate minori cap. 4. num. 23. & 24.* vbi abſolute proferunt, ſeptimum annum requiri, vt aliquis hominis actus in æſtimatione ſit, ac conſequenter, vt etiam ancillæ vſusfructus legari poſsit. Quibus conſentit Baeza *de inope debitore cap. 8. num. 5. verſicul. Deinde ſi infans eſt:* aſſerens, ideò infantem debitorem non poſſe creditori addici. 1 2 3 4 5 6

7 Et coadiuuatur hæc ſententia alio Iuriſconſulti Modeſtini reſponſo in *l. quod ſi 32. ff. de rei vendic.* iuncta emendatione Cuiacij *ibidem, & lib. 9. obſeruat. cap. 38.* quam ſequitur Gothofred. *eodem loco litera O.* cuius ſerie continetur, quòd ſi quis puerum artificem fecerit, impenſæ factæ cum operis eius, qui artificium conſecutus eſt, penſari poterunt, poſt quintum ſcilicet ætatis annum (ita enim legẽdum eſt cum Iacobo Cuiacio, non viceſimumquintum annum, vt perperam communiter legitur.)

Et conuincitur, quia in operis æſtimandis tantum abeſt quòd maior ætas quinque & viginti annorum ſpectetur, quòd nec pubertatis ratio habeatur, vt ſcribit Conſult. *in l. cæterum 31. de reivendic.* quia etiam impuberis, quinquennis ſcilicet, vt ex Iuliano interpretari conuenit, aliquæ operæ ætati con-

9 congruentes eſſe poſſunt. Ille nempe, de quibus apud Vlpianum *in l. vt iuriſiurandi 7. §. dubitur de operis libertorum*, his verbis: *Dubitur & in impuberē, cùm adoleuerit, operarum actio. Sed interdum, & quandiu impubes eſt: nam huius quoque eſt miniſterium, ſi fortè vel librarius, vel nomenculator, vel calculator ſit, vel hiſtrio, vel alterius voluptatis artifex.* Necnon & apud Venulleium in *l fin. de liber. cauſa*, ibi: *Poteſt tamen & impubes operas dare, veluti ſi nomenculator ſit vel hi-*
10 *ſtrio.* Ex quibus obſeruat Gaſpar Baeza *de inope debitore cap. 8. num.* 1. pupillarem ætatem non excuſare ab operarum præſtatione: quoniam, vt inquit Bart. *in l. fin. C. qui ætate vel profeſſione ſe excuſ.* minores ea perſonalia munera ſubire debent, quæ ſine periculo vitæ ſuſcipi poſſunt.

Nec Accurſio ſuffragatur *dict. l. arboribus* 12. *§. de illo*, & *dict. l. ſi infantis de vſufruct.* quia vt meritò interpretatur Cuiacius *dict. l. 21. Pauli ad edictum in dict. l. cæterùm*
11 31. his locis infans dicitur, qui eſt quinquennio minor, & eo maior, infantiam excedens. Nam cùm vtraque ſpecie agatur de ætate, qua ſerui nobis vſui & fructui eſſe poſſint; & certiſsimũ ſit ex iam dictis, ante quinquennium nullos ſeruorum fructus eſſe: inde etiam eſt, infantiam, ſeu inhabilem ætatem, hoc reſpectu omne tempus ante quinquennium ſolummodò appellari.

12 Minuſque ipſi fauere videtur noſtra lex patria, qua nihil de operibus artificialibus, de quibus noſter ſermo aſſeritur, ſed tantùm ſcribitur, patrem, dominumve, filij aut ſerui expoſiti, teneri ſuſceptori expenſas omnes refundere, vſque ad decimum ætatis annum pueri, non verò vlterius, quia ex illo tempore expoſiti ſeruitio ſumptus compenſari cēſentur, maioriſque pretij eſſe incipiũt, *l. 2. §. ſancimus, C. communia de legat. l. vnic. §. ne autem 5. C. de commun. ſer. manum.* vbi ideò pueri, ante decimum ætatis annum de-
cem tantùm ſolidis æſtimantur, maiores 13
tamen, ſi artis ſunt expertes, viginti. Si verò aliquo ſint artificio præditi, triginta ſolidis digni reputantur. Notat Armenopol. *in promptuario iuris ciuilis lib. 1. titul. 18. §. de pretio ſeruorum in principio, pagina mihi 65.* Hanc vtique compenſationem ſumptuum, & operarum, minimè abnegamus; imò eam veram fatebimur infra anno 14. vbi de æta-
te, qua famulis ſalarium debeatur, non nihil 14
ſcripſerimus; de eaque accipiendam eſſe nũc admonemus Conſulti ſententiam *in l. apud Celſum 4. §. ſi minor mihi infantem, ff. de doli mali, & metus except.* vbi, ſi minor mihi infantem donauerit, inquit Vlpianus, deinde eum vindicet (ante decimum videlicet annum, vt ex dictis interpretari conuenit) exceptione doli mali repellendus eſt; niſi alimenta reddat; & ſi quis alius ſumptus probabilis in eum factus ſit; quoniam hi ſumptus, operis eius, qui nondum decimum annum egit, compenſari nequeunt.

ANNVS

ANNVS SEPTIMVS.

SVMMARIVM.

INfantia dicitur prima ætas.1.& 10.
Infantiam ab ipſa partus animatione ordiri, communis tenet, 2.& 4.
Infans à non fando appellatur.3.
Infantiam ab ipſa natiuitate incipere probabilius habetur.5.
Nec pupillus, nec infans eſt, qui in vtero exiſtit.6.
Partus antequam naſcatur dicitur portio matris.7.
Infans, etſi non propriè, impropriè tamen pupillus appellatur.8.
Vterus non homo, ſed ſpes tantùm hominis eſt. 9.
Qui adhuc in vtero habetur, non eſt animal. 11.
Vterus non actu, ſed potentia dicitur infans. 12.
Infantia quando finiatur.13.& 14.
Niño apud noſtros quis dicatur. ibid.
Integritas loquendi non niſi anno ſeptimo expleto perficitur.15.
Infantem eſſe qui nondum loquitur, non verò qui ſeptennio minor exiſtit, putat Anton. Faber.16.
Fabri ſententia aliquibus iuuatur.17.& 18.
Qui fari neſcit, ſtipulari non poteſt, ibid.
Fabri ſententia reÿcitur.19.
Infans dicitur minor ſeptennio, etiamſi loqui ſciat, ibidem.
Beata Virgo, cùm eſſet trium annorum, ita ambulabat, & loquebatur, ac ſi triginta annos haberet.20.
Beata Birgitta tertio ætatis ſuæ anno perfectè loquebatur.21.
Infantes in paradiſo ſtatim poſt natiuitatem loquerentur, ibid.
Chriſtus ex vi compoſitionis corporeæ, ſi ipſo natiuitatis momẽto loqui voluiſſet, rectè potuiſſet, ſed non decuit.22.
Mutus nec dici poteſt infans, nec ipſius appellatione comprehenditur.23.& 24.
Inter loqui & fari, nulla dari poteſt vera differentiæ ratio.25.
Loqui in iure is dicitur, qui cum ratione & iudicio verba pronuntiat.26.& 28.
Forma loquutionis eſt ipſa ſententia, & conceptus.ibid.
Vox eius, qui ſine ratione loquitur, non eſt propriè vox.27.
Furioſus vocis expers creditur.ibid.
L.1.& l.mulier, ff.de verb.obligat. explicantur.29.
L.1.§ fin. de oblig. & action. exponitur.30.
L ſeruum, ff. rem pupilli, exponitur, ibidem & ſequentibus.
Qui eius ætatis eſt, vt nondum intelligat quid agat, ex benignitate poteſt ſtipulari.31.32 & 33.
Pupillus licet ſine tutore ſtipulari poſsit, non tamen abſque eo promittere poteſt.34.
Non intelligens, cuius ætatis quis dicatur, 35.
L.3.C.qui admitt.ad bon.poſſ.explicatur.36.
Loqui, & ſeptimum annum egiſſe, idem in iure ſignificat, 36.
Figuris licet orationem exornare.37.
Hipocrates, qui multò ante Tribonianum fuit, ſeptem annis infantiam præſcripſit, 38.
Infantes aliquando dicuntur, qui ſeptimo anno maiores exiſtunt.39.
Laici in primitiua Eccleſia infantes appellabantur.40.
Nouiter baptizati infantes dici conſueuerant. 41.
Romani filios cuiuſcumque ætatis, & ſexus, infantes nominabant.42.
Infantes quare apud noſtros filÿ Regum vocentur?43.& 45.
Infans pro inculpabili & innocente ſumitur. 44.
Primogenitus Regis, infans hæres vocabatur antiquitus.45.
Primogeniti Regum à quo tẽpore fuerint Principes dicti.46.
Septem illi fratres Laræ Reguli, quare Infantes ſint appellati?47.

Mi-

Milites pedites cur apud noſtros infantes dicti? 48.

Infantiones qui, & quare ita nominarentur? 49.

Pueri, qui purpura induti in Collegio ad ſeruitium Toletanæ Eccleſiæ aluntur, vnde Infantes appellentur? 50.

QVÆSTIO I.

Ex quo tempore infans hoc nomen aſſumat, & qua ætate amittat, loquique incipiat?

1 INfantilem ætatem, quam primam Iuſtinianus appellaſſe in
l. cùm non ſolum 8. §. *vbi autem* 3. C. *de bonis quæ liberis*, non
nulli cum Gloſſa *ibidem*, & in
procemio 6. libri Decretalium verbo Præfectus
arbitrantur: præſertim Aluarus Valaſcus in
praxi partitionum. cap. 7. *num.* 39. & ex medicis Celſus *in ſua medicina lib.* 2. *capit.* 9.
2 Paul. Zachias *medicolegalium, lib.* 1. *titul.* 1.
q. 3. *num.* 9. & 15. Ab ipſo animato conceptu ordiri, noſtrorum commune placitum extat: quare in penitiſsimis vteri receſsibus
fœtum deliteſcentem, infantem cognominaut vocis etymo ſuffulti. Nam ſi anniculus,
3 bymus, vel trimus, ex quo fari, vel articulatè loqui vix poſſunt, tali modo appellantur,
l. inter ſocerum 26. *in principio*, *ff. de pact. dotalib.* qui in ventrem abſtruſi, nec quidem
incompoſitè, aut inconditè voces exprimũt, quid ni quaſi non fantes pari nomine inſigniantur?

4 Adducuntur præterea in hanc exiſtimationem illo Geneſ. 34 *verſ fin. Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero, atque in ipſa effuſione infantum, vnus protulit manum*, & Lucæ *cap.* 1. *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero*: idemque confirmari videtur ex D. Auguſtino *lib* 3. *de Ciuit. Dei cap.* 3. *Omitto quippe*, ſcribit, *illa, quæ magis fuerunt mira quàm noxia: boues locutos, infantes nondum natos de vteris matrum quædam verba clamaſſe*, vbi etiam Ludouic. Viues *litera C. Marucia*, notat *infans in vtero Io triumphe clamauit*: concludit Alexand. ab Alex. *lib.* 2. *dierum geniali, cap.* 31. dum ait: *Infantem e matris vtero pene editũ, in ipſum matris aluum reuertiſſe*: & tandem comprobatur expreſſo iuris teſtimonio in *l. cùm pater* 29. illis verbis: *Et quod ante quàm naſceretur infans geſſit, ff. de negot. geſtis.* Cui etiam medici omnes conſentiunt, qui fœtum iam in vtero perfectum, & omnibus numeris abſolutum infantem vocant, vt patet apud Hippocratem, qui 3 *de morbis vulgar. ægrot.* 10. bimeſtrem aut trimeſtrem conceptum infantem appellauit, vt teſtatur ibidem Galenus *in commentarijs*, & *repetit.* 1. *de ſem. c.* 9. *claſſe* 1. quem ſequitur Paul. Zachias *medico legal. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 3. *num.* 10.

Verùm his accerſitis ſubſidijs parum re- 5
fragantibus, infantiam, propriè loquendo, ab ipſa natiuitate initium ſortiri probabilius cenſeo. Quam ſententiam, nullis pro ea rationibus & fundamentis adductis tenuerunt Alberic. *in l.* 1. *in princip. num.* 3. *de verbor. obligat.* Mandoſ. *de ætat. minor. c.* 3. *num.* 20. *ad finem*, Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *caſu* 57. *num.* 7. & noſter Alphon. de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 14. *n.* 4. illam tamen ego ſequentibus adſtruam.

Nam vt inquit Vlpianus in *l.* 161. *de ver-* 6
bor. ſignific. Non eſt pupillus qui in vtero eſt, ergo neque infans, cùm ideò pupillus non appelletur aluo incluſus, vt ex eiſdem Vlpiani verbis neceſſariò colligitur & *ibidem* adno-
tauit Rebuff. quia antequam naſcatur, ma- 7
tris portio, & velut pars viſcerum eſt, *l.* 1. §. *ex hoc reſcripto, de ventre inſpiciendo.* Quæ ratio cùm æque impedimento ſit, vt nondum in lucem productus, nec infantis, neque pupilli nomen aſſumat, quod de pupillo Iuriſconſ. reſpondit ex pariformi ratione, etiam ad infantem traducere oportebit.

Maximè ex ſententia Theophili *in* §. *pu-* 8
pillus de inutilibus ſtipul. vbi nullum inter pupillum & infantem diſcrimen agnoſcit, his verbis: *Quoniam autem de pupillo ſermo incidit, ſciendum eſt, generaliter ætatem pupilli in tria diuidi. Pupillorum enim alij ſunt infantes, veluti qui adhuc lactant, aut ijs paulò maiores, &c.* & probatur expreſſe *in l. ſeruum pupilli* 6. *ff. rem pupilli ſaluam fore, l. ſi infanti* 18. §. *ſi autem ſeptem annos, C. de iure delib.* docetque eleganter Donellus in *l.* 127. *n.* 6. *de verbor. obligat.* etſi non me lateat pupilli nomen propriùs ſeptennio maiori adaptari, *l. quamuis* 32. §. *infans, ff. de acquiren. poſſeſſ. l.* 4. *titul.* 11. *part.* 5. vnde meritò inquit Æmilius Ferretus in *l.* 1. *in princip. de verbor. obligat.* nec nouum, nec inuſitatum eſſe pupilli appellationem non includere infantem, vt inferiùs etiam ſpeciali loco apparebit.

Deinde prædicta ſententia ſuadetur, quia 9
vterus homo non dicitur, ſed tantùm homo fieri ſperatur, *l. in falcidia placuit* 9 *ff ad legem falcid. l. cùm inter, C. de fideicom. libert.*

vbi notat Bald. tradit Alberic. *part.* 1. *ſtat. q.* 103. *col.* 2. *verſic. Et hoc indicat.* Signorol. *conſ.* 1. *incip. ſtatuto ciuitatis, num.* 9. *&* 12. qui Symboli Fidei verbis probari demonſtrat, ibi: *Conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus eſt.* Quaſi ſcilicet nondum homo Chriſtus fuerit, antequàm natus eſſet. Pluribus congeſtis, idem contendit Tiraquell. *in l. ſi vnquam, verbo Suſceperit liberos, num.* 147. *& ſequentib. C. de reuocand. donat.* Menoch. *de arbitrar. lib* 2. *caſu* 357. *num.* 9. & dixiſſe videtur Eraſmus Roterod. *in declamat. de morte,* hac periodo: *Alius inter materni latebras v-*
10 *teri, vix dum homo præfocatur.* Quis enim dicet, nondum hominem infantem eſſe, cùm prima hominis ætas infantia ab omnibus decernatur, vt ex Hippocrate, & alijs naturalis philoſophiæ calentiſsimis viris iam apparuit, & iterum inferiùs apparebit? docent ex noſtris Gloſſa *in dict. §. pupillus inſtitut. de inutil. ſtipul.* Menoch. *vbi ſupr. caſu* 57. *num.* 7. Quintil. Mandoſ. *dict. cap.* 3. Tuſchus *practicar. concluſion. liter. E. concluſ.* 335. *num.*
11 2. præcipuè, vbi nec animal in maternis detentus æſtimatur, Gloſſa *in l. qui in vtero la* 1. *ff. de ſtatu homin.* quę fuit ſententia Empedoclis, Diogenis, Herophili, & aliorum Stoicorum, vt refert Plutarchus *de platitis Philoſophorum lib.* 5. quam etiam ſequitur Galenus *in libro, cui titulus, Vtrùm conceptus in vtero ſit animal.* vbi potentia tantùm eſſe animal fatetur, tuncq; animal actu fore, cùm in lucem proditum erit.

12 Quo etiam modo aduerſantia noſtræ opinioni loca ſuperiùs adducta in concordiam & amicitiam redigenda eſſe cenſeo. Nam licèt exigente naturali ratione, non aliter in ſtricta ſignificatione vterus infans appellari poſsit, quàm priùs lucis vſura fruatur; tamen quia iam, ſaltim potentia, fœtus eſt infans, & breui infantem actu fore ſperatur, vt Galenus ait: Inſpecto futuro natiuitatis tempore, tamquam infans reputatur, & ab omnibus frequenter illo nomine inſignitur, quod doctiſsimum Menochium vno verbo inſinuaſſe *d. loco* recordor *n.* 8.

13 Cæterùm his ita enucleatis, diſcutiendum ſupereſt, quo annorum numero infantia (quæ vt diximus, propriè incipit, cùm primum partus vterum egreditur) claudatur, vel ad exitum perueniat? In qua quidem diſquiſitione communis Scribentium ſchola anno ſeptimo expleto terminari definijt. Quod ſatis probari videtur ex textu in *dict. l. ſi infanti* 18. *in principio, & in §. ſi autem ſeptem annos, C. de iure deliberandi, l* 8. *titul.* 18. *lib.* 8. *C. Theodoſiani, l.* 1. *§. ſufficit, ff. de adminiſtrat. & pericul. tutor.* vbi ſeptimum annum minimè excedentem illi opponit, qui fari non poteſt, quaſi ſeptennio maior, ex quo iam ea ætate loquitur, infans non credatur. Planè conducit apud noſtros, *l.* 4. *titul.* 11. *p.* 5. *illo verſic. E el menor de ſiete años, à que llaman en Latin infans,* & noſtro idiomate, *niño* appellatur: vt & conſtitit Farinacio *tom.* 2. *deciſion. deciſ.* 194. *num.* 3. licèt pro pupillo maiore infante etiam hoc nomen vſurpari ſoleat, vt in *l. fin. titul.* 33. *par.* 7. ibi: *Mas ſi el fijo fueſſe menor de edad de catorze años, deue ome ſoſpechar, que murio primero por la flaqueza que es en el, porque es niño.* Idẽ docent Armenopolus *lib.* 6. *titul.* 6. Accurſius in *l. etiam infantem, ff. de adoptionibus, & in l.* 1. *§. initium, ff. de poſtul.* repetit etiam in *l quod infans de reivendic. in l.* 3. *§. pupillus de tutel. & in l. quod infans, ff. de re iud.* Gloſſ. in *cap. ſi verum* 1. 31. *q.* 1. *& in cap. ſi eo tempore de reſcriptis, lib.* 6. Bartol. Bald. Iaſon, & alij *in dict. l. ſi infanti,* Dueñas *regul.* 259. *num.* 2. Hoſtienſ. *in ſumma, titul. de deſponſ. impuber.* Alciat. & Brecheus *in l. pueri* 204. *ff. de verbor. ſignific.* Corraſ. *in l. precibus numer.* 26. *de impuber.* Bellon. *§. is quoque, num.* 25. *inſtitut. quibus modis recontrah. oblig.* Zaſius *quæſt.* 2. *de iudicijs in principio,* Didac. Couarr. *de ſponſalib. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. Quod & in viris & in fœminis æquè procedere teſtatur Montanus *de tutelis cap.* 5. *numer.* 25. Menoch. *de arbitr.* vbi *nuper relatus num.* 9. Quintil. Mandoſ. *dict. loco, num.* 3. Duarenus *in l.* 1. *verſicul. Infans, de verbor. obligat.* Donellus *Comment. lib.* 7. *cap.* 9. vbi notat Oſualdus *litera D.* idem Donellus *in dict. l.* 1. *in principio num.* 6. *de verbor. obligat. & ibidem* contra docuerat Cuiacius, Perr. Gregor. *ſyntagm. lib.* 15. *cap.* 28. *num.* 5. Felician. *de cenſibus, lib.* 1. *cap.* 2. Philip. Mattheus *in l. in negotijs* 5. *num.* 10. *& in l. fere* 107. *num.* 31. *de regul. iuris,* Petr. Faber *in dict. l. in negotijs, in principio.* Bertazol. *de clauſulis, clauſul.* 8. *gloſ.* 2. *num.* 1. vbi infantiam dici affirmat vſque ad ſeptenniũ, tam in mare, quàm in fœmina, vt priùs etiam docuerat Cuiac. *in l.* 5. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Ioan. Sorapan *in medicina Hiſpana aphoriſm.* 1. *part.* 2. *num.* 17. Hieronymus Bucaronius *de differen. inter iudicia ciuilia & criminalia, differ.* 78. *num* 3. Alphonſ. Carran. *de vera naturalis & legitimi partus deſignat. cap.* 10. *num.* 9. *verſ. Ab hisque,* Roder. Acunha *in cap. in ſingulis* 2. *num.* 2. 77. *diſtin.* Melchior. Valen. *tractatu illuſtr.* 2. *cap.* 7. *num.* 14. Caluinus *in Lexicon. verb. ætas, verſic. ætatum gradus,* noſter Perez de Lara *in dict. compendio, cap.* 14. *num.* 6.

Cu-

14 Cuius definitionis cauſam illam proculdubio exhibere poſſumus, quia licèt infantes alij tardiùs, alij citiùs fari incipiant, ex quo videbatur huius ſtatus, ſiue ætatis certũ terminum præfigi haud rectè poſſe; tamen cauillationum vitandarum cauſa; & litium, quæ ex tali incertitudine oriebantur, proficuum, & vtile iuris noſtri Magiſtris viſum eſt, certum aliquod tempus infantiæ, ſicut & pubertati præſcribere, & illud quidem ipſi naturæ congruum, & conueniens, nempe ſep-
15 tenium. Nam etſi, experientia monſtrante, pueri trimi, quadrimi, & præſertim quinquennes, & ſexennes, vt quilibet adultus articulatè loquantur; nihilominus ſecundùm naturam integritas loquendi regulariter non niſi ſeptimo anno ætatis plenè abſoluitur, vt naturalium peritiſsimus Macrobius reſtatur *in ſomno Scip. lib. 1. fol. 8.* cui & adſtipulatur Butigela, & Ioann. Aquilinus, vterque *in dict. l. 1. de verbor. obligat.* probat ex Medicis Ioann. à Ruicibus *in medicina Medicorum inſipientium, luminar. 2. fol. mihi 57.*

16 Verùm hæc alioquin acutiſsimus Anton. Fab. *in Iuriſpr. Papinian. titul. 12. prin. 6. illat. 8.* etſi incaſſum, neruoſè tamen exagitauit, profert enim infantem eſſe, qui fari, aut verba facere non poſſet, ſiue ſeptem annis maior, ſiue minor ſit. Hoc enim, quòd fari quis poſsit, necne, non ex numero annorum æſtimandum, ſed ex reipſa affirmat, quandoque alij citiùs, alij tardius verba prorumpunt: nec in hoc fuiſſe honeſtatis cauſa neceſſum certam ætatem, vti & in pubertate præſcribere, habitus enim ille corporis, ex quo antiquitas pubertatem æſtimabat, natura abditiſsimus eſt, nec ſine verecundia ob oculos eruendus; atqui cùm inueſtigamus, an aliquis infans ſit, necne, nihil aliud cogitationi noſtræ ineſſe videtur, præter illud, An loqui ſciat, vel neſciat. Vnde infert prædictus autor, quoties legibus cauetur, eum qui fatur, hæreditatem adire, vel quid aliud tutoris interuentu poſſe, *l. pupillum 9.* cum vulgaribus, *de acquiren. hæred.* ſub intelligendum de illo, qui concinnè, & ſubordinatè loquitur, etſi ſeptennio minor ſit, imò & ſexennio, ſi modò verba faciat. Nec mirum, inquit Anton. Faber, cùm etiam antiqua Iuriſprudentia inſpecta, infans dicatur, qui nondum loquitur, non qui ſeptennio minor eſt, vt verba textus demonſtrant *in l. 3. C. qui admitti ad bonorum poſſeſſ.* Primumque fuiſſe Tribonianum dolet, qui illam infantis definitionem, & deſcriptionem, ex numero annorum, induxit, tam *in dict. l. 1. de admin. tutor.* quàm in *dict. l. ſi infanti 18. C. de iure delib.*

Sed imprecetur fortunæ eruditiſsimus vir, quòd ſuæ opinionis quaſi inconcuſſa fundamenta latuerunt. 17
Quo enim ita apparenter infantem ſtabiliri poterat, ſolummodò intelligi loquelæ expertem, non ſeptennio minorem, quàm Vlpiani teſtimonio *in l. 1. in principio de verb. oblig. Stipulatio,* inquit, *non poteſt confici, niſi vtroque loquente: & ideò neque mutus, neque ſurdus, neque infans ſtipulationem contrahere poſſunt.* Poſtquam enim I. C. ſtipulationem, niſi vtroque loquente, perfici non poſſe conſtituit, illicò infert, eos qui loqui vitio, aut natura prohibentur, ſtipulationem contrahere minimè poſſe, qualis eſt mutus & infans: ergo infans dicitur ille, qui farí, aut loqui non valet, ac per conſequens, verbi ratione perpenſa, is non eſt infans, neque ſecũdùm ius, neque ſecundùm naturam, qui verba articulatè erumpit, etiamſi ſeptennio, vel ſexennio minor fuerit.

Idem ferè ex eodem Vlpiano colligitur 18
in l. mulier 70. eodem titulo, vbi mulier, quæ dotem dederat Glabrioni Iſidoro, fecerat eum promittere dotem infanti, ſi in matrimonio ipſe deceſsiſſet, & cùm decederet conſtante matrimonio, dubitabatur vtrùm infanti competeret ex ſtipulatu actio? Et placuit, ex ſtipulatu actionem non eſſe, quoniam qui fari non poterat, ſtipulari non poterat. Ex qua ratione meritò poſſe coniectari videtur, illi tantùm infantis nomen propriè adaptari, qui fandi inopia quacumque ætate laborat: & confirmatur *ex l. fin. §. 1. eodem tit. l. 1. §. exigere, de Magiſtratib. conuen.*

Sed quidquid hæc ſuadeant, Fabri ſen- 19
tentia omnino improbabilis videtur: nam vt egregiè contra illum ratiocinatur Oſualdus *dict. lib. 7. Donell. capit. 9. littera D.* ſi primæuum verbi vſum ſectamur, & illum præciſè infantem intelligere volumus, qui fandi eſt inops, ex Varrone *lib. 5. de lingua Latina,* & alijs, non ſolùm quinquennes, & ſexennes verba tentantes, minimè infantes erunt, ſed nec anniculi, qui teſte Plinio *lib. 11.* fari poſſunt; nec ſemeſtris ille filius, qui apud Alexandrum ab Alex. *d. lib. 2. c. 31.* in crepundijs fuit articulatè locutus, vti nec alter, cuius meminit Liuius *3. decad. lib. 1. paulò ante finem* Romę in foro olitorio triũphum clamaſſe. Quod nec loquendi vſus, nec ipſa teſtimonia patiuntur, dum iſtos præter ætatem loquentes infantes cognominant, & apparet irrefragabilibus Sacræ Scripturæ locis, vtpotè Eſdræ 4. *capit. 2. verſicul. 21. Et anniculi infantes loquentur vocibus ſuis,* & Pſalm. 8. *verſicul. 3. Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem,* Matth.

etiam 21. *verſ. 16. Vtique nunquam legiſtis,
quia ex ore infantium, & lactentium perfeci-
ſti laudem?*

20 Et denique fœlicisſimo alio Deiparæ
teſtimonio confirmatur, quæ vt refert Vin-
centius *lib. 6. ſpeculi Hiſtorialis cap. 66.* cùm
eſſet infans non ampliùs trium annorum,
ita ambulabat, & perfectisſimè loqueba-
tur, quaſi eſſet triginta annorum. Cuius ſi-
21 mile traditur de Sancta Birgitta *in Bulla Ca
nonizationis Bonifacij VIII.* & cõducit quod
in *Elucidario* ſcribit S. Anſelmus: nempe
infantes in paradiſo mox vt naſcerentur, am-
bulaturos, & abſolutè loquuturos. Ideoque
22 fortaſsis D. Antonin. 4. *p. tit. 15. c. 23.* ait,
idem Chriſtum præſtare potuiſſe ex vi com-
poſitionis corporeę; at nunquàm expediſſe, vt
id faceret extra conſuetã ætatem, quod natu
raliter preſtare valebat.

Ergo, vt rem proſequamur, ſi puerulos
iſtos, nec quodammodo, ſed ſcitisſimè lo-
quentes infantes diuina eloquia & Sancti Pa
tres pronuntiant, ſignum eſt huiuſmodi no-
men illis tantùm conuenire, qui ſeptennio
minores ſunt, etſi compoſitè verba faciant,
23 non verò illis, qui quouis vitæ ſpatio elin-
gues omni ſermone carent: alioquin mutus
perpetuò infans foret. Quod ita longè à ve-
ritate diſtat, vt cùm de muto I.C. *in d. l. 1. de
verb oblig.* ſcripſiſſet, ſtatim infantis memi-
nit, quaſi nec muti appellatione infans, nec
infantis mutus contineatur.

24 Et huius rationis vim non eludet quiſ-
quis inter mutum & infantem illud intereſſe
putauerit, ne vniuocè cognominentur, quòd
mutus ille dicitur, qui ſiue linguæ, ſiue au-
rium defectu id accidat, perpetuò in voces
prorumpere non poteſt; infans vero, qui æta
tis teneritudine, & mentis debilitate loqui
neſcit. Nam ſi infantis, ideſt, non fantis no-
men ei tribuitur, qui breui tantùm annorum
ſpatio expeditè, vel articulatè verba ex-
primere nequit, cui necdum ſoluti ſunt
linguæ ſuæ noduli, nec ſoluentur, quia o-
ris inſanabili vitio laborat: quidni verbi
natura exigente idem infantis nomen im-
partietur? Non enim quia ætatis infirmi-
tate inops verborum eſt infans, ita cog-
nominatur, ſed quia ſimpliciter fari non po-
teſt.

25 Cæterùm nec vocis origò Fabro poſſe
ſuffragari videtur. Non eo quidem, quod in-
ter fari, & loqui intereſſe Bolognino *in dict.
l. 1. num. 98. & 180. cum ſequentibus*, & alijs
placuit, *ex* §. 10. *de inutil. ſtipul.* Virgilio,
Cicerone, & Symmacho, vt refert Oſuald.
dict. loco, quoniam veluti egregiè ſentit
Aquilinus *in dict. l. 1. num. 99.* hoc diſcrimen
vix ſubſiſtere poteſt, ſtante deciſione *text. in
dict. l. 1. §. furioſum, de action. & obligat.* vbi
loqui dicitur qui fari valet, ideſt ſeptennio
maior.

Aliter enim, & quidem rectiùs difficul- 26
tas ſoluetur. Quoniam in iure is propriè lo-
qui, aut fari dicitur, non qui verba ſolùm,
voceſque emittit, ſed qui cum ratione pro-
nuntiat, eſt enim potisſima & præcipua for-
malitas locutionis, ipſe verborum concep-
tus, & ipſorum ſententia, *l. Labeo 7. ff. de ſu-
pell. legat.* Vnde vox eius, qui ſine ratione lo- 27
quitur, non dicitur propriè vox, ſed ſonus,
non differens à ventris crepitu, inquit ele-
ganter Seneca. Ideò furioſus vocis expers
creditur, *l. ſancimus 7. C. ad Trebel.* Quia li-
cèt verba, & quidem multa frequenter pro-
ferat, inordinatè tamen, & ſine ratione id fa-
cit. Ergo licèt fateamur infãtem â non fan-
do eſſe dictum; attamen cùm ex iuris diſpo-
ſitione is fari credatur, qui cum aliquo iudi-
cio verba profert, ſolùm ille quoad ius ſpe- 28
ctat, infans erit, qui vel nihil, vel ſine ratione
loquitur, argumento eorum, quæ in ſimili ſcri
bit Ariſtoteles *lib. 2. Ethicor.* ibi: *Non enim
dicimus infantem agere, quamuis quoad factum
attinet egerit: quia tunc dicimus aliquem age-
re, quando id agit ex ratiocinatione.* Probant
noſtram ſententiam Lancellotus Galiaula *in
repetit. dict. l. 1. num. 16.* Philipp. Matth. *in
l. in negotijs 5. num. 10. ff. de regul. iur.* vbi pa-
rum referre inquit, quòd puer quatuor, quin-
que, vel ſex annorum fari poſsit, quoniam
nihilominùs eius ætatis adhuc eſt, vt ne-
que ſcire, aut diſcernere poſsit, non magis
quàm furioſus, *l. pupillus 9. de acquiren. hæ-
redit.*

Ex quibus lucem accipiunt Vlpiani re- 29
ſponſa initio pro contraria opinione addu-
cta, ideò enim I.C. *in dict. l. 1. & dict. l. mu-
lier, ff. de verb. obligat.* poſtquàm ſtipulatio-
nem niſi vtroque loquente perfici abnegauit,
infantẽ deduxit ſtipulari minimè poſſe, quia
etſi verba ante ſeptennium prorrũpat, quo-
rum ſonitus percipi queat; attamen non in-
telligit quid loquatur, *l. 1. § fin. ff. de action.
& oblig.* In contractibus enim nõ verborum
tantùm, ſed & rerum intelligentia neceſſaria
videtur. Quapropter qui minor eſt ſeptennio,
etiamſi expeditè loquatur, ſtipulationẽ con-
trahere minimè poterit, quia omni prorſus
intellectu, & vſu rationis caret.

Et quod ſcribitur *in dict. l. 1. § fin. de obli-* 30
*gat. & action. & in d. l. ſeruum, ff. rem pupil-
li ſaluam fore*, benigniùs receptum eſſe, vt
qui loqui poſsit, ſtipulari & promittere re-
ctè poſsit, hoc vtique vt Donelli verbis vtar.
in d. l. 1. de verb. ad ſuperiorem definitionem
re-

reuocari debet vt intelligamus eum, non qui natura fari poteſt, ſed qui iure exiſtimatur id poſſe facere: ideſt, qui ſeptimum annum exceſſerit. Quod & anteà placuerat Duareno *ibidem*, & Mandello *num.6. cum ſequentibus*.

31 Sed hæc Donelli, & aliorum interpretatio ex verbis *dict.l.1. de oblig.& actio.* difficilis redditur, ſiquidem ſtatim atque furioſum, ſiue ſtipuletur, ſiue promittat, nihil agere conſtituit de illo tractat, qui eius ętatis eſt, vt nondum intelligat quid agatur, nempe de ſeptennio minore, vt communiter fatentur interpretes: *Sed quæad hunc*, inquit (ſcilicet nondum ſeptennem) *benignius acceptum eſt: nam qui loqui poteſt, creditur & ſtipulari & promittere rectè poſſe*. Igitur cùm Gaius reſpondit, illum qui loqui poteſt, ſtipulari rectè poſſe, non de eo interpretari valet, qui iure loqui cenſetur, nempe de ſeptennio maiore, ſed de illo, qui ante dictam ætatem, quinto ſcilicet vel ſexto anno, viribus naturæ id aſſecutus eſt. Alioquin demonſtratiua illa dictio, *quo-ad hunc* extra neceſsitatem fuiſſet adhibita, niſi ad infantem, de quo proximè refertur.

32 Et roborari videtur ex *dict.l.ſeruum 6. ff. rem pupilli ſaluam fore*, vbi qui fari poteſt, ſtipulationem contrahere non prohibetur, *etiam ſi eius ætatis erit, vt non intelligat quid agat*, vel quod idem eſt, etiamſi ætatis ſeptem annorum minimè fuerit. Idem enim ſignificat eius ætatis eſſe, vt nondum intelligat quid agatur, ac ſi ſcriptum fuiſſet, ſeptem annos non habuerit, veluti ex *d. l.1.* luculenter euincitur, & ſuperiùs notauimus.

33 Nihilominus, communi interpretatione reiecta, dicendum exiſtimo, Gaium vtrobique, ſcilicet, tam *in dict.l.ſeruum*, quàm in priori, & poſteriori parte, *verſic. Huic proximus, dict.l.1.* de ſeptennio maiore diſceptaſſe; ſed qui ita rudis & ſine ratione eſſet, vt adhuc non intelligeret, quid ageretur. De quo rectè inquit, benignius acceptum eſſe; vt ſtipulari & promittere poſſit. Quia etſi ignorantia laboret, loqui tamen valet, & in ea ætate exiſtit, qua communiter homines ſapere incipiunt, vt optimè ſentit Socinus *in dict.l.1. de verborum oblig.num.84.* Cuiac.& Ioan. Corraſius *ibid. num.19.* quibus adhæret Pichardus *in dict.§. pupillus num.13*.

34 Et conuincitur expreſsiùs. Nam loquens Conſultus de illo, qui expeditioris linguæ erat, ex benignitate receptum inquit, vt ſtipulari, & promittere poſsit: quod ex iuris diſpoſitione ita ſubintelligendum erit, vt ſolus ipſe ſtipuletur; promittere autem niſi tutoris auctoritate non poſsit, *dict.§. pupillus 19. de inutil. ſtipul.* Ergo cùm infans, etiam cum tutore promittere non poſſit, vt ex *dict.§. pupillus* apparet, vbi quod proximo pubertati ex indulgentia conceditur, vt tutoris interuentu promittere & obligari poſsit, infanti denegetur; neceſſariò erit fatendum I. C. *in dict.l.1.* de ſeptennio maiore diſputaſſe, vt illa promittendi facultas, ſaltim autoritate tutoris in eo conſiſtere, & locum habere poſsit.

Nec quòd de illo ſit ſermo qui eius æta- 35
tis eſt, vt non intelligat quid agat, quidquam mouere debet, vt de infante præfata iura ſint intelligenda, quaſi is propriè non intelligens dicatur, qui ſeptennio minor eſt: elegans text. *in l.in ſponſalibus 14.ff.de ſponſalibus*, ibi: *Si modò id fieri ab vtraque perſona intelligatur, ideſt, ſi non ſint minores quàm ſeptem annis*. Quia reſpondetur, illa verba, de proximis infantiæ eſſe intelligenda, qui licèt ſeptimum annum exceſſerint, vt infrà apparebit, ita rudes & hebetes exiſtunt, vt adhuc infantes, & furioſi credantur, *dict.§. pupillus, de inutil. ſtipulat.* ibi: *Sed quod diximus de pupillis, vtique de ijs verum eſt, qui iam habent aliquem intellectum: nam infans, & qui infantiæ proximus eſt, non multum à furioſo diſtant, quia huius ætatis pupilli nullum habent intellectum*. Idem enim fuit dicere: *Etiamſi eius ætatis ſit, vt non intelligat quid agat*, ac dicere, etiamſi non infans, ſed proximus ſit infantiæ, qui nihil ſolet intelligere.

Ex dictis infertur, quàm ſine ratione An- 36
tonius Faber ſuæ opinionis fundamentum deſumpſerit ex *dict.l.3.C. qui admitti ad bon. poſſ.* illis verbis: *Infantis nomine agnitam bonorum poſſeſsionem, & antequam loqueretur die functo, &c.* Non enim ſignificant loquentem quálibet, etiam minima ætate, infantem non eſſe, ſed imò loqui, aut ſeptimum annum agere in iure pro eodẽ vſurpari. Ex quo ante eiuſmodi ætatem nemo, etſi verba faciat, loqui præſumitur, tradit eleganter Butigela *in d.l.1.num.78.de verb.oblig.* Vnde ex hac lege in ipſius *æquilibrio* optimè probat Marcus Mantua, licere quandoque nobis, figuris orationem exornare, vt legiſlator hic facit periphraſi vtens, & pro decedere in infantia, ante locutionem deficere ſupponens.

Quare immeritò doctiſsimus Antonius Fa- 37
ber Tribonianum accuſat, in eumq; immani lingua debachatur, quaſi primus fuerit, qui verborũ ſuppoſitione, & legum ſerie aut integritate corrupta, infantiã annis definierit;

non verò vt nominis ſignificatio efflagitare videbatur, alloquendi capacitate æſtimauerit. Nam vt egregiè aduerſus illum notat
38 Oſualdus *dict. lib.7. capit.9. liter.D.* Hippocrates, qui multò ante Tribonianum ſcripſit, infantiam inter hominis ætates recenſens, illam vſque ad ſeptimum annum conſtituit, refert Menochius *dict. lib. 2. de arbitr. cap.57. num.1.* Qui ex Varrone, Stobæo, & Auſonio, ipſorum verbis relatis idem confirmat.

39 Sub hæc autem non diffitear infantes aliquando etiam dici, qui ſeptimum, & deinceps annum exceſſerunt, vt tradit Gloſſa *in extrauagan vnica, verb. Infantis, de iudicijs*, Rebuffus *in l. liberorum 220. §. etenim, de verbor. ſignificat.* Oſuald. *vbi ſuprà*, & nôſter Perez de Lara *in Compendio vitæ hominis, dict. cap. num. 7.* & conſtat, ſiquidem olim
40 laici omnes reſpectu Eccleſiaſticorum infantes nuncupabantur, *cap. in quibus* 38. iuncta ibidē Gloſſæ explicatione, *verbo Infantium, de conſecratione, diſtinct. 2.* Et adulti nouiter
41 baptizati, infantes etiam dici conſueuerant, vt ex Ioſepho Vicecomite *de antiquis Baptiſmi ritibus lib.1. cap.15.* ſatis colligitur: itemque apud Romanos, teſte D. Hie-
42 ronymo, filij cuiuſcumque ſexus vel ætatis ita vocabantur. Extant huius conſuetudinis veſtigia apud Scæuolam *in l. vxorem 41. §. fin. ff de leg. 3.* vt obſeruauit Gilbertus Reg. 2. *ennar. vlt.* illis verbis: *A te, Seia, peto, vt quidquid ad te ex hæreditate mea peruenerit, exceptis his, ſi qua tibi ſupra legaui, reliquum omne reddas, reſtituas Mæuiæ infanti dulciſsimæ*: & expreſsiùs *in l. Quæſitum 12. §. vxores 7. de fund. inſtructo*, cuius auctoritate ita animaduertit doctiſsimus Cuiac. *lib. 13. reſponſorum Pauli in l. 39. de fideicom. lib.* iuxta quem morem erit interpretandum quod refert Lelius Viſciola *horarum ſubſeſsi. lib.2. cap.17. in fin.* nempe, filios omnes, pueros antiquitus fuiſſe appellatos.

43 Inde non improbabiliter coniectari poteſt originem duxiſſe ritum, & inſtitutum, quod retrò à Pelagio Aſturum Infante anno 716. apud Catholiciſsimos Hiſpaniarum noſtros Reges, eiuſque ſucceſſores inualuit appellandi ipſorum præclariſsimos filios, filiaſque cuiuſcumque ætatis Infantium cognomento, quidquid aliter de huius nominis initio minus verè commentus fuerit D. Sebaſtianus de Couarr. *in theſauro linguæ Hiſpanicæ eadē dictione*: etſi non me lateat huiuſce conſuetudinis diuerſam rationem aſsignaſſe Diu. Thomam *lib.5. de regimine Principis, cap. fin.* cuius ſententia refertur *in l.1. titul.7. part. 2.* hac verborum ſerie: *Infantes llaman en Eſpaña à los fijos de los Reyes, ca ellos deuen en ſi ſer nobles, y de buenas maneras, è ſin ninguna mal eſtança, por razon de la nobleza que les viene de parte del padre, è de la madre, è tomaron eſte nombre de* Infans, *que es palabra de Latin, que quiere tanto dezir, como moço menor de ſiete años, que es ſin pecado, y ſin mancilla. E por ende deuen los Reyes puñar que ſean ſus fijos a tales, è amarlos mucho.* Qua ſignificatione in ſacra Scriptura puerum frequenter accipi pro innocēte, & immaculato, pluribus obſeruat ex D. Gregorio, & Carthuſiano Lelius Viſciola *vbi ſuprà*.

Sed vt vt ſit, omnes enim Regum filij 45
antiquitus hoc communi nomine appellabantur, vt etiam nouiſsimè teſtatur Ioan. Taſſonus *obſeruat. iuriſdictionalium verſ. 1. num. 20.* Sed illa tamen diſtinctione adhibita, quod primogenitus infans hæres nominabatur, veluti planè oſtendit noſter Salazar de Mendoça *in origin. dignitatum Caſtellæ lib. 3. cap. 23.* & expreſsiùs probatur *in l.1. titul. 18. lib. 8. recollect. legum Hiſpaniæ*, ibi: *Y otroſi, qualquier que fiziere eſtos yerros ſobredichos à el Infante y heredero, &c.*
Quod iamiam multis abhinc annis in deſue- 46
tudinem abijt: ſiquidem cùm ob ſedandas contentiones inter Caſtellæ Regem, & Ducem Lancaſtri ex Regnorum Caſtellæ, Toleti, & Gallecıæ ſucceſsione ortas, Regis filius Henricus Infans & hæres Catherinæ Ducis filiæ coniugio aſſociaretur, parentis vtriuſque placitum in eo conſenſit, quòd Henricus, qui tunc Catherinam ducebat, viuente patre, Aſturum Principis eximiâ dignitate, & titulo fungeretur. Res quidem adeò in æuum cuſtodita, vt ex tunc primogeniti Regum, qui Infantium hæredum nomine vocabantur, Principum appellatione cœperunt vti, non aliter atque Romanorum Principum filij, pueri etiam nominabantur, vt auctor eſt Alb. Gen. *lectio Virgil. cap. 9.* Horat. 2. *Oda 12. & 18.* & confirmat Oſualdus *lib.17. Donelli c.24. lit. M.* ſubſcriptione, *l. vlt C. de priuilegijs eorum qui in ſacr. palat. milit. lib.12.*

Vnde inquiunt Hieronymus de Zuri- 47
ta, & Salazar de Mendoça *vbi ſuprà*, quia ex Regibus, & Caſtellæ Comitibus originem ducebant ſeptem illi fratres, non minùs virtutis fama, quàm infœlici exitu nobiles, Laræ Reguli, vulgò *Laræ Infantes* nuncupabantur: vti & Comitis Gundiſalui clariſsima progenies Diegus & Ferdinandus, eadem ratione Carrionis Infantes dici conſueuerant.

Vo-

48 Vocantur etiam infantes cuiuſcumque ætatis belligeri pedites, ex eo putat Sebaſtianus Couarruuias *vbi ſuprà*, quia Romani ſecundam aciem, vel exercitus partem Principum appellabant, ideoque tertia Infantium dicebatur, vtpote militum inferiorum, ſumpta denominatione à filijs Regum, quorum maiores, vt iam obſeruauimus, Principes, & minores Infantes nominabantur. Sed hoc quam merum figmentum ſit, cuicumque patebit. Mihi tamen probabilius videtur, ab antiqua noſtrorum militia id no-
49 men deduci. Nam cùm illa tempeſtate, qui Ducum munus obibant, *Infantiones* appellarentur (vt ex multis obſeruat Salazar de Mendoça *dict. tractat. de dignitat. Caſtellæ lib. 1. cap. 7.* ex eo nimirum, vt D. Thomæ placet *lib. 3. de regimine Principis, cap. final.* Quia alijs, vt maioribus erant ſubditi, vel vti naturaliter viris infantes ſubduntur, notat Gregor. Lopez *in l. fin. titul. 1. p. 2.*) qui verò ſub eorum auſpicijs militabant, vtpote Infantionibus addicti, infantes nuncupabantur; non ſecus atque vel ex hodierno vſu perpẽſo, qui Imperatoris vexilla ſequuntur, Imperiales nominantur.

50 Et vt colophonem huic inſpectioni addamus, non deſinam noſtros recenſere clericulos, qui infantium titulo talari purpura induti, eademque balteati in Collegio ad Chori, & huius almæ Eccleſiæ Toletanæ ſeruitium deputati aluntur. Eximium quidem opus eminentiſsimi Cardinalis & Toletani Primatis D. Ioannis Martinez Silicei, ideò quippe, tali nomine ab ipſo vocati, aut quia infantili proximi ætati omnes ſunt, aut quia optimis diſciplinis imbuti, moribus infantiam referunt.

SVMMARIVM.

Homines vſu rationis à cæteris animalibus diſcernuntur. 1.

Poſt primum vitæ ſeptennium regulariter vſus rationis incipit. 2. *&* 6.

Nondum elapſis primis ſeptem annis, infans parum à brutis differt, ibidem.

L. in ſponſalibus 14. *ff. de ſponſalibus, nouiter intelligitur.* 3.

Ætas in homine incipit poſt primum ſeptennium. 4.

Hominis appellatione infans non continetur. 5.

Septennes præſumuntur vſus rationis capaces; niſi contrarium probetur. 7.

Viris & fœminis commune eſt, vt poſt ſeptimũ annum vſum rationis habeant. 8.

Vſus rationis aliquibus ante ſeptennium, & nonnullis multò poſt id temporis accidere ſolet. 9.

Signa referuntur, ex quibus poſsit deprehendi, an puer ſit vſus rationis, necne. 10.

QVÆSTIO II.

Vſus rationis ex quo tempore incipiat?

QVamuis vſu rationis, & diſcretione homines à cæteris animantibus præcipuè & eſſentialiter diſcernantur, non 1
ideò ſtatim vt lucis vſura fruuntur, & homines eſſe incipiunt, rationem, iudicium & diſcretionem ſortiuntur, ſeu vt clariùs dicam, rationalitatis, quam cum ipſa anima ſuſceperunt, debitum vſum, & exercitium,
ſed in aliquod tempus differtur, videlicet 2
in ſecundum vitę ſeptennium, ante cuius initium eorum cognitionem pene in nihilo à cognitione brutorum diſtare optimè tradit Fr. Domin. de Soto *in 4 diſt. 27. q. 2. art. 2. circa principium*: & meritò, nã donec ſeptimo exeunte anno, aut octauo adueniente, brutalitatis & ignorantiæ tenebræ ortu rationis, velut quodam lucis radio depellantur, communem vitam cum animalibus agunt, & digniſsimum hominum nomen, non niſi accedente ſecunda ætate iuſtè merentur.

Vnde forſan luce donatur, difficile aliàs 3
Modeſtini reſponſum *in l. in ſponſalibus* 14. *ff. de ſponſalibus*, vbi à primordio ætatis ſponſalia effici poſſe fatetur, cùm ſtatim ſubijciat, non niſi à ſeptennio maioribus eſſe ineunda: in quo enim manifeſta pugna eſſe videbatur. Nam quodnam enim primordium ætatis eſſe poteſt, in quo contrahi poſſent ſponſalia, ſi non poſſunt ante ſeptimum annũ completum? Et revera, vt hæc interſe nõ diſsideant, & Antonij Fabri duram textus lacerationẽ effugiamus *in iuriſprud. Papin. tit. 12. prin. 6. nõ lege à fine*, dicendũ occurrit, Iuriſcõſultũ primordiũ ætatis pro ipſo ſecũdo ſeptẽnio, anno octauo incipiẽte vſurpaſſe, eo nimirũ, quod ſupra dicebamus: quia cũ eo tẽpore rationis vſus eluceat, & tũc propriè homines eſſe incipiãt, ab eo etiã ætatem eſſe dinumerãdã ſupponit, & primordiũ ætatis rationalis, vt ſic dicam, poſt ſeptimum vitæ annum con-

conſtituit. Nam ſi Stoicorum Princeps eos tantùm viuere affirmat, *lib. de breuitate vitæ, capit. 6. 7. & 8.* quirationi, & virtuti vacant, non verò qui belluarum more libidini, & vitio deſeruiunt, quidni Modeſtinus tunc hominum ætatem exordiri ſcribat, cùm in ipſis rationis vſus refulget, ideſt poſt ſeptimum natiuitatis annum? Maximè, cùm eiuſdem ſententiæ extiterit Plinius *lib. 7. natural. hiſtor. cap. 5.* à quo fortè mutuatus fuit Conſultus, vbi elegantiſsimè vitæ hominum breuitatem deſcribens: *Nec repu-*
5 *tantur* (in vitam ſcilicet, inquit) *infantiæ anni, qui ſenſu carent.* Vnde hominis appellatione infantem non contineri, rectè notat Iacobus Cuiacius *obſeruat. lib. 6. capit. 21.* ideoque cùm lege Cornelia de ſicarijs generaliter caueretur, hominum occiſores eſſe puniendos, id meritò opus fuit etiam ad infantes ſpecialiter protrahere, *l. permitti, C. ad leg. Corn. de ſicar.* quia generali illa lege de hominibus, non ſatis comprehenſi videbantur.

6 Sed vt vt ſit, ambigi non oportet, rationis, & diſcretionis vſu elapſo ſeptimo anno, initio octaui regulariter incipere, vt ex Conſulto in *dict. l. in ſponſalibus*, licet colligere, ibi: *Si modò id fieri ab vtraque perſona intelligatur, ideſt, ſi non ſint minores quàm ſeptem annis.* Conducit textus in *l. ſi infanti 18. §. fin. iuncta l. 5. C. de iure delib.* & text. in *capit. literas 4.* illic: *Cùm ſponſalia ex tunc placere conſueuerint, de deſponſat. impub.* caueturque expreſsiùs iure noſtro patrio in *l. 6. titul. 1. part. 4.* hac periodo: *Porque eſtonce*, poſt ſeptimum ſcilicet annum, *comiençan à auer entendimiento, è ſon de edad que les place las deſpoſajas*, & rurſus in *l. finali eiuſdem tituli*, his poſterioribus verbis: *Si los deſpoſados fueſſen de edad de ſiete años complidos, ò poco menos, de manera que ayan entendimiento para placerles las deſpoſajas*, vel vt aptiùs legit Ioann. Gutierr. *de matr. cap. 2. num. 2. las deſpoſadas.*

7 Quare poſt ſeptimum annum completum præſumi pueros habere vſum rationis, niſi contrarium probetur, docent Panormitan. *in cap. omnis, de pœnitent. num. 9. & in cap. 1. de delictis puerorum num. 4.* Soto in 4. *diſtin. 18. q. 1. art. 3. in fin. & loco vbi ſuprà.* Enriquez *lib. 4. ſumm. cap. 5. num. 2.* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori, cap. 4. num. 2.* Pat. Thom. Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſp. 16. num. 2. & 10. & in ſumma lib. 6. capit. 15. num. 7.* Bonacina *de matrimon q. 1. punct. 4. propoſit. 1. n. 1.* Ioan. Gutierr. *eodem tractatu cap. 2. num. 1. verſ. Et ſeptennium*, latè Melchior Zambran. *in deciſionibus caſuum occurrentium in articulo mortis, c. 4. dubio 3. n. 4.* vbi & *num. 5.* oſtendit aliquando etiam ante ſeptennium vſum rationis accidere, nouiſsimè Antonin. Diana *reſolut. moralium tom. 2. tract. 6. reſolution. 87. in fine.*

Qui quidem vſus rationis non ſolùm maſculis prędicta ætate contingit, ſed etiam fœ- 8
minis, vt expreſſe teſtantur omnes *ſuprà relati*, præcipuè Sanchez *n. 2.* Gutierrez *n. 4.* Bonacina *num. 1.* aſſerentes eodem tempore vſum rationis viris & fœminis aduenire.

Sed cùm aliquando ſeptennio completo 9
dubitari poſsit, vtrùm puer ad vſum rationis peruenerit, necne, ex quo aliquibus multò poſt dictam ætatem rationis vſus accidit, vt obſeruant Sanchez *dict. num. 3.* & Gutierrez *eodem num.* quemadmodum, & alijs citiùs, & ante ſeptennij initium contingit, vel vti ſuprà notauimus; ſciendum eſt, nonnulla eſſe ſigna, ex quibus manifeſtè deprehendi 10
poteſt, pueros eſſe rationis participes, vtputa ſi inter bonum & malum, & magis aut minus bonum diſcernere ſciunt: vel cùm ad interrogata ordinatè reſpondent: aut ſi verecundentur, & rubore perfundantur de male factis: & denique ſi cordatè ſe gerant, & quid ſit ſecretum percipiant, & ſeruare non ignorent, vt hæc omnia in vnum congeſsit Zambranus *dicto loco num. 1.* quę & deſeruire poterunt, vt cùm de ætate non conſtat, coniectari poſsit, an impubes rationis ſit compos, necne.

SVMMARIVM.

Pupillaris ætas finitur in maſculis decimoquarto anno, & duodecimo in fœminis. 1.

Pupillarem ætatem ab ipſa natiuitate incipere, aliqui putant. 2.

Alij exiſtimant à ſeptimo anno, & non anteà pupillum dici. 3.

Pupillus dicitur à pupo. 4.

Puer à ſeptimo anno completo nuncupatur. 5.

Pupilli nomine tam pro infante, quàm pro maiore promiſcuè vtuntur Conſulti. 6.

Pupillus eſt qui deſijt in patris poteſtate eſſe. 7.

Filiusfamilias quandoque impropriè pupillus appellatur. 8.

Apud noſtros is ſolus pupillus dicitur, qui ſeptimum annum exceſsit. 9.

Quoad fori electionem, etiam infans pupillus dicitur. ibidem.

QVÆ.

QVÆSTIO III.

Pupillaris ætas quando incipiat, & finiatur?

1 PVpillarem ætatẽ decimoquarto anno completo finiri in maſculis,& duodecimo in fœminis, certius eſt quàm probatione indigeat: quamuis exactiſsimè id fuerit à nobis confirmandum infrà, vbi de tempore pubertatis ſermo inciderit, & planè teſtentur Conſulti *in l.16. de iure fiſci, &* Imperatores *in l.7.C.de impuber. l.3. C. de præſcript.30. vel* 40.*annorum*, Iuſtin.*in principio, quibus mod. tutel.fin.* ipſiuſque Gloſſographi omnes,quibus addendi ſunt, Coſta *in cap.ſi pater num.1. de teſtamen.fol.mihi* 245. Spiegel. *in Lexicon. verb.Pupillus,* Ioan. Aquil. in *l.1.in principio,num.*101. *de verbor. obligat.*& latiſsimè comprobant Pichard.in *§.maſculo 9.à num.*4. *de pupillari ſubſtitutione,* Rebuffus & Giphan. *in l.pupillus* 239. *de verb.ſign.* Valentia *tractatuum illuſtr. lib.1. tract.2.cap.6.n.*14. Acunha *in cap. defenſionis 2.num.*4.87.*diſt.*

2 Quo autem temporè illam cœptam dicamus?nondũ inter noſtros conſtat, quandoq; nonnulli exiſtimant ipſum naſcendi momentum (nam qui in vtero ſunt, pupilli non appellantur, *l. non eſt pupillus* 161.*de verbor. ſignific.*)tam in maſculis,quàm in fœminis pupillaris ætatis legitimum eſſe principium, & non ſolùm qui fari poſſunt, annumque ſeptimum exceſſerunt,ſed & hac ætate minores pupillos dici debere: quod ex Conſultis deducunt in *l.pupillus 9.de acquir. hæred. l.*1. *§. ſufficit de adminiſt.tutor. l.ſeruus* 7. *§. impubes de bonor. poſſeſſ.l.*1. *§.ſufficit de adminiſtr.tutor.* Necnon & ex Theophilo,qui pupillaris ætatis tres gradus facit in *§.pupillus de inutilib.ſtipul.* infantiam, id eſt, necdum fandi potentem ætatem;proximam infantiæ, quæ iam fandi poteſtatem conſecuta eſt; & proximam pubertati, quæ proximè pubertati accedit.

3 Alij verò,quorum nec inferior eſt numerus,vt certius arbitrantur, pupillos eos ſolummodò ſtricta vocis ſignificatione appellari,qui ſunt ab infantilibus annis egreſsi,octauumque ingrediũtur;& ſuadentur *ex l.quamuis 32.§.infans, de acquir. rerum domin.* vbi Conſultus pupillum ab infante ita diſcernit, vt infantem neget ſine tutore poſsidere poſſe,pupillum verò etiam ſine tutore poſsidere fateatur. Quæ ſententia patrio noſtro iure expreſsiùs deſcribitur in *l.4.titul.11.par.5.* his verbis: *E el menor de ſiete años, a que llaman en Latin infans, ò el pupilo, que es menor de catorze años, e mayor de ſiete.* Et meritò; 4 nam pupillus dicitur à Pupo, quæ dictio puerum ſignificat, vt explicant Spiegel & Hothomanus *de verbis iuris*, vterque *verbo pupillus,* & Acunha *vbi ſuprà*: quemadmodum & pupa, puellam: vnde Martialis *lib.* 4. *epigram.*

Dicit ſe vetulam,cùm ſit Cercalia pupa,
Pupam ſe dicit Gellia,cùm ſit anus.

Et Auſonius de Biſſula.

Delicium,blanditiæ,ludus,amor,voluptas
Barbara, ſed quæ latias vincis alumna pupas.

5 Puer verò propriè à ſeptimo anno completo ita dicitur, vt de pueritia agentes affatim demonſtrabimus: ergo & ab ipſo ſeptennio pupillus cognominabitur,veluti hac fortè de cauſa concludit Spiegel.*d.loco,* & aliquando ita eſſe docet Æmil.Ferret.in *l.1.in princip. n.4.de verb.oblig.* & ante eum Guiller. Rouill. *in deſcriptionibus iuſtitiæ, atque iniuſtit. lib.2.c.13.in princ.*

6 Sed in hac opinionum contrarietate, quę certò affirmari vel teneri poſsit, penitus ignoro,cùm vtraque ſuis validiſsimis fundamentis nitatur, à quibus citra crimen,aut culpam, nulla nec apparenti ratione diſcedi poteſt. Ideoque in eam adducor ſententiam, vt exiſtimem Conſultos hac in re parum attentè locutos, & quandoque pupilli nomine infantes etiam intellexiſſe, quandoque verò eos ſolummodò, qui infantes eſſe deſierunt. Nec enim nouum eſt eos pupilli nomen impropriè, & extra naturalem ſignificationẽ vſurpaſſe: nam cùm ex Pomponij deffinitione *in d.l.pupillus 239.de verbor.ſignific.* pupillus ſit impubes,qui deſijt in patris poteſtate eſſe, aut morte, aut emancipatione: Cui concinit illud Horatij: 7 8

Vt nox longa quibus mentitur amica,dieſque
Longa videtur opus debentibus, vt piger annus
Pupillis, quos dira premit cuſtodia matrum.

Pupillum nihilominus impropriè, & abuſiuè filiumfamilias dixerunt Vlpianus in *l. quam Tuberonis 7.§.pupillum,ff.de peculio,*& Gaius *in l.vltima,§.pupillus,ff.de verbor.obligat.* quemadmodum & impuberem ſeruum, pupillum cognominauit in *dict. l.7. §.pupillum,* idem Vlpianus. Verùm hoc iure tantùm communi eſt accipiendum, ſiquidem noſtro 9 iure ſeptempartito inſpecto ambigi non poteſt,

teſt, pupillum eum ſolummodò intelligendum, qui ſeptimum annum egit, vt manifeſtè *in dict. l.* 4. cauetur, quæ nullam tergiuerſationem patitur, licèt hanc noſtræ leg. præſcriptam pupillorum ætatem, quoad electionem fori inſpici non debere eo exiſtimarem, quia tantò magis miſerabilis perſona infans dicitur, quantò cæteris pupillis ętate eſt inferior.

SVMMARIVM.

INfantes, ſtatim poſt Baptiſmum confirmabantur. 1.

Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis ita ſunt coniuncta, vt inuicem ſeparari non poſsint. 2.

Chriſtianus dici non poterit, niſi qui fuerit confirmatus. 3.

Eadem ætate Baptiſmum & Confirmationem eſſe pueris conferendam, putant aliqui. 4.

Alij malunt baptizatos confirmari non poſſe, niſi poſt ſeptem dies à Baptiſmo. 5.

Duorum ſaltim vel trium annorum confirmandos eſſe debere, aliqui exiſtimant, 6.

Contrarium alij verius putant. 7.

Ante ſeptennium neminem confirmari poſſe, niſi certis quibuſdam caſibus, multi docent, ibidem.

Idem baptizato præſtat Confirmatio, quod tutor pupillo. 8.

Ante ſeptennium ideò pueros à Confirmatione arcendos probatur, quia niſi poſt dictam ætatem ſuſceptæ Confirmationis recordari nequeunt. 9.

Colaphis quare confirmati cædantur? ibidem.

Infantes memoria carent. 10.

Duodecimo, aut quartodecimo anno, & non anteà baptizatos confirmari debere, aliorum ſententia fuit. 11.

Confirmandi ieiuni eſſe debent. ibidem.

Omnes relatæ ſententiæ circa ætatem ad Confirmationem requiſitam, probabiles videntur. 12.

Vſum rationis non habentes, & perpetuò furioſi, poſſunt confirmari. ibid.

Conſultius tamen eſt hoc Sacramentum poſt ſextum, vel ſeptimum ætatis annum conferre. 13.

QVÆSTIO IIII.

Ad Sacramentum Confirmationis ſuſcipiendum.

TAndem ætatem ad Confirmationem, quæ ad Baptiſmum ſufficere, inde licet coniectari, quòd infantes ſtatim poſt Baptiſmum Domini ſigillo obſignabantur, vt moris fuiſſe conſtat ex *cap.* 1. *de conſecratione, diſtin.* 5. & ex D. Auguſtino *lib. de Eccleſ. dogmatib. & lib. Hypognoſt. c.* 6. Origen. B. Hieronymo, Innocentio, & alijs in huius conſuetudinis confirmationem accerſitis à Ioſepho Vicecomite *de antiquis Baptiſmi ritibus, ac ceremonijs lib.* 5. *cap.* 30. & meritò: nam, vt inquit S. P. *in cap. de his* 2. *de conſecrat. diſtinct.* 5. ita coniuncta ſunt hæc duo Sacramenta, vt ab inuicem (niſi morte præueniente) nullatenus poſsint ſegregari, & vnum ſine altero ritè perfici non poſſit: quia, vt cauetur *in cap. vt ieiunij, eadem diſtin.* nunquam erit Chriſtianus, niſi qui in Confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus. Quod etiam placuit Vrbano Papæ *in epiſtola ad omnes Chriſtianos c.* 7. & Ægidio *de Sacramentis diſput.* 20. *dub.* 6. *num.* 51. *verſic. Ad tertium*, & nouiſsime Antonino Dianæ, quem poſt hæc ſcripta vidi 5. *p reſolut. moral. tractat.* 3. *reſolut.* 30. vbi id de perfecto Chriſtiano meritò intelligit, iuxta textum *in dict. cap.* 1. Ergo vna eademque ætate Baptiſmi, & Confirmationis Sacramentum pueris erit conferendum, vt aliqui voluerunt, & præſertim P. Soto *de inſtitut. Sacerd. de Sacram. Confirmat. lect.* 2. & Sancius *in ſelectis, diſp.* 27. *num.* 4. tenens Confirmationem ex natura ſua coniunctam eſſe cum Baptiſmo.

Nihilominus baptizatos confirmari non poſſe, niſi demùm poſt ſeptem dies à Baptiſmo alijs placuit, & id quidem propter ſeptem dona Spiritus Sancti, quę recipiunt in Baptiſmo: nam pro ſingulis donis decet dies ſingulos celebrare, vt inquit Guiliel. Duran. *in Rational. diuinor. lib.* 6. *c.* 84. *in princip.* vel alijs de cauſis, de quibus per Ioſeph. Vicecom. *d. lib.* 5. *c.* 32. vbi hunc morem diu fuiſſe obſeruatum teſtatur, ſed iam certis rationibus in deſuetudinem abijſſe.

Quare ad Confirmationem hodie, ſaltim apud noſtros, duorum, vel trium annorũ pueros accedere debere admonent è Toletana Schola Alphonſus Vinaldus *in candelabro aureo tractat. de Confirmatione num.* 39. & Perez

rez de Lara *in Compendio vitæ hominis cap. 16. num. 221;* à quibus parum diſſentire videntur Guiliel. Durand. *vbi ſuprà d. cap. 84. in fine,* & Mart. Bonacina, vt teſtatur ipſius compendium, *verb. Confirmatio, num. 11.* qui affirmant his temporibus, quàm citiùs potuerint, infantes eſſe confirmandos, etiam nondum vſum rationis habentes, quod fortè non bene fieri ſcribit Lancellot. *inſtit. Canon. lib. 2. tit. de Sacram. Chriſm. §. accedent, in gloſſa litera* C. quamuis trimi, vel quatrimi ſint, qui deferuntur ad Epiſcopos Chriſmantes.

7 Quare contrarium vti verius ſentire videntur Layman. *in Theolog. lib. 5. tract. 3. c. 5 num. 2.* Villalob. *in ſumm. tom. 1. tract. 6. difficult. 6. num. 1.* Filiuc. *tom. 1. tract. 3. c. 2. num. 36.* Sylu. *in 3. p. q. 72. art. 8.* & eis relatis Antonin. Diana *reſol. moral. tom. 2. tractat. 4. reſol. 19.* quibus addendus erit Ægidius *de Sacramentis q. 72. art. 8. num. 80. & 81.* idem Diana *dict. 5. p. reſol. 31.* Genuenſis *in manual. Paſtor. cap. 54. num. 3.* dum inquiunt pueros ante ſeptennium Sacramentum hoc non accipere, niſi manifeſtum ſit antedictam ætatem vſu rationis præditos eſſe, aut diu, neglecta ea occaſione, aliam non habituros accipiendi Confirmationem: quia propter diſtantiam rariùs in eo loco confirmat Epiſcopus, aut ſi in periculo mortis exiſtentes opportunè iſtud Sacramentum conſequi poſsint, vt erudite probat Diana *vbi ſuprà reſolut. 31.* vel ſi Diœceſis conſuetudo vigeat, vt pueri ante dictam ætatem confirmentur, vel vt addit Tannerus *tom. 4. diſput. 4. dub. 2. num. 37.* & ex eo idem Diana *tract. 6. Miſcellaneo reſol. 93.* Si filij ſint Principis, quibus, & ſimilibus alijs caſibus exceptis ſuprà ſcripti omnes affirmant, nondum ſeptennes licitè confirmari minimè poſſe.

8 Cuius ſententię ea ratio exhiberi poteſt, nam idem agit Epiſcopalis Cõfirmatio baptizato, quod tutor pupillo, veluti docet Durandus *vbi proximè paulò poſt principium,* & inſinuat Ioannes Gropperus *in inſtitutione Catholica,* vbi de Sacramento Confirmationis, *verſ. in Baptiſmo.* Sed pupillo ideo decernitur tutor, ne ipſius patrimonium depereat, vt ipſa nominis ſignificatio euincit, & ſuadetur ex traditis ab Ant. Fabr. *in Iuriſprudentia Papin. tit. de tutelis principio 1.* ergo baptizato, qui iam in ea ætate eſt, vt peccando ſpirituale gratię patrimonium, quod in regeneratione accepit, perdere poſsit, confirmatio adhibenda erit: quoniam Paracletus, qui in ipſa confertur, eſt cõſolator in Chriſto, cuſtos & tutor baptizati, qui ſuadente diabolo poſſet, ſicut & pupillus ſuam perdere facultatem, ideſt Baptiſmi vtilitatem, ſi hunc non haberet tutorem.

Aliamque rationem ſubiungit ex D. Antonin. Alphonſus Viualdus *loco relato n. 39.* 9
quare ante ſeptennium pueri ad Confirmationem non accedant, videlicet vt ſuſcepiſſe recordentur: quod propter periculum reiterationis ita neceſſarium viſum fuit, vt non alia de cauſa colaphis cædantur confirmati; veluti poſt alios voluit Martinus Bonacina *vbi ſuprà num. 12.* & Antonin. Diana *dict. reſolut. 31.* Sunt enim infantes, vt ſine ratione, 10
ita & memoriæ, aut reminiſcentiæ incapaces, velut etiam dixiſſe mihi videtur Imperator *in l. 1. C. de falſa moneta,* cùm eos ipſa quæ vident, ignorare affirmat. Quaſi dicat, nullius rei cognitionem, aut memoriam habent, etiam eius quam viderint, aut proprijs manibus attrectauerint: & fortè hac de cauſa maiores facti de his quæ in infantia, aut prima ætate viderunt, teſtificari non poſſunt, ſecundùm multorum ſententiam, quam alibi referemus.

Sed nihilominus ab huius ſententiæ propugnatoribus diſſentiunt plerique, verius putantes duodecimum, vel quartumdecimum annum legitimam ætatem eſſe, qua baptizati Confirmationis Sacramentum ſuſcipere debent. Sic Gloſſa *in dict. cap. vt ieiuni, verbo Perfectæ,* Lancellot. *inſtitut. iuris Canonici lib. 2. titul. de Sacrament. Chriſmatis, §. accedent igitur, in Gloſſa liter. C.* qui neutrum ſeruari in practica ſcribit. Sentit nouiſsimè P. Petr. de Ieſu Maria *in ſufficientia concionator. tractat. 9 cap. 4. verſ. Huius Sacramenti.* Nam in hoc Sacramẽto datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectę ætati: ſic Marſilius & alij, quorum meminit Viualdus *d. num. 39.* ſed alia ratione, nempe, quia cùm præcipit *dict. cap.* vt ieiuni ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis fideles alloquitur: ſed vt optimè animaduertit Ægid. *num. 78.* hoc eo *c. 2.* non probatur, ſed tantùm monendos eſſe adultos vt ieiuni, & confeſsi ad hoc Sacramentum accedant. 11

Veruntamen quælibet harum opinionum probabilis eſt, quia vt inquit S. P. *in cap. quoniam 19. de ſentent. excommun. lib. 6.* huius Sacramenti tam pueri, quàm adulti capaces ſunt, etiamſi omni vſu rationis ſint deſtituti, *cap. presbyter præſente 11. 95. diſtinct.* ibi: *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes:* vnde amentes & perpetuò furioſi illud recipiunt, vt contra Sa & Volentia tenent Henriquez, Suarez relati à Tannero *vbi ſuprà num. 39.* Æguid. Coninch. *de Sacram. quæſt. 72. art. 8. n. 83.* Genuenſis *vbi ſup. n 4.* 12
&

& poſt eos nouiſsimè Antonin. Diana *dict. reſolution.* 93. vbi & *in dict. reſolution.* 19. ideò affirmat non eſſe peccatum per ſe, nulla vrgente iuſta cauſa, confirmare infantes ante vſum rationis, etſi conſultius ſit, neminem ante id tempus confirmare: vt probant communiter Doctores, quibus ego accedo, & habet Eccleſiæ conſuetudo, quam tamen ſub peccato nō obligare exiſtimat cum Tannero *vbi ſuprà.*

13 Ergo dicendum erit, quòd etſi crimen non ſit cuiuſcumque ætatis puerum cōfirmare, ex Suarez, quem ſequitur Genuenſis *dict. capit.* 54. *num.* 3. etiamſi ex ſola beneuolentia infantem nimis paruulum confirmaret Epiſcopus, cū vt inquit amicus noſter Gaſpar Hurtado *de Sacram. Confirm. difficult.* 10. & refert Diana *d. loco* non eſt prohibitum; etiam ſine cauſa infantes confirmare: Conueniens tamen, & rationi magis congruum videtur, ſiue maſculum, ſiue fœminam ante ſextum vel ſeptimum annum ad hoc Sacramentum non admittere. Nec ſolùm, quia hàc ætate eius memoriam habere poterunt; ſed etiam quia ita obtinet communis Eccleſiæ vſus, & conſuetudo, vt verbis cauetur Catechiſmi Romani *par.* 2. *cap.* 3. *num.* 14. & probat expreſſe Ægidius *d. loco num.* 79. *&* 80. & apud noſtros Conſtitutio Synodalis huius Archiepiſcopatus, *tit. de Confirm. conſtit.* 1. his verbis: *Sean obligados de amoneſtar ordinariamente ſus Parroquianos, que hagan que ſus hijos, y hijas, y criados de ſiete años arriba, reciban el Sacramento de la Confirmacion*: quibus adſtipulari videtur Zambranus *in deciſ. caſuum occurrent. in artic. mortis cap.* 2. *dubio* 3 *num.* 1. cùm admonet ex Soto & Suarez, vt ſi commodè fieri poteſt; omnes Confirmentur non longè ab ætate, in qua recipere debeant Euchariſtiam. Quamuis non me lateat Genuenſem loco vbi proximè *num.* 3. ſenſiſſe, hodie, quia omnes confirmati ſolent deſcribi, & ſcriptura ſupplet memoriam, poſſe pueros trium annorum confirmationem ſuſcipere.

SVMMARIVM.

S*Eptennes ex præcepto tenentur omnibus feſtis Miſſam audire.* 1.

Infantes nulla lege naturali, diuina, vel humana ligantur. 2.

Infans præſentia carere dicitur, & ideò interdicti tempore diuinis adeſſe non prohibetur. 3.

Ruſtici & ignorantes. excuſantur, ſi Miſſam non audierint. 4.

Pueros, etiam poſt ſeptennium non teneri ſub mortali Miſſam audire putat Marchātius. 5. *Reprobatur.* 6.

Puer Miſſam audire quando ſub veniali, & quando ſub mortali obligetur? 7.

QVÆSTIO V.

Ex præcepto Eccleſiaſtico, qui feſtis diebus Miſſam audire debeant?

INter omnes conuenit, cùm primùm quis factus eſt rationis compos, teneri ſacrificio Miſſæ intereſſe. Vnde cùm ferè ſemper ſeptimo ætatis anno id accidat, & vſus rationis incipiat, eapropter ab hoc tempore eiuſmodi præcepto ligatur. Sic docent Paludan. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 5. *articul.* 1. *num.* 7. Paez *in cap. Miſſas num.* 62. *de conſec. diſtinct.* 1. Syluester *verbo Miſſa* 2. *quæſt.* 1. Nauarr. *in ſumma cap.* 21. *num.* 1. Azor *inſtitut. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 1. Suarez, & alij relati à Thom. Sanch. *in ſum. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. Bonacina, vt teſtatur ipſius compendium *verb. Miſſa* 2. *q.* 1. Nauarr. *in ſumm. cap.* 21. *num.* 1. Azor *inſtitut. morali tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæſt.* 1. Suarez & alij relati à Thom. Sanch. *in ſumma lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. Bonacina, vt teſtatur ipſius compendium *verbo Miſſa, numer.* 34. Filiuc. *tom.* 1. *tractat.* 5. *cap.* 7. *num.* 117. & nouiſsimè amiciſsimus P. Hurtado *de ſacrific. Miſſæ diſputat.* 5. *difficult.* 5. vbi inquit hoc præcepto teneri pueros ante vſum perfectum rationis, ideſt poſtquàm ſaltim venialiter, & non mortaliter peccare poſſunt, ſicut & tunc præcepto non occidendi, & non mentiendi obligantur, etiamſi nullius tranſgreſsione peccent mortaliter, quia à culpa mortali excuſantur ob imperfectionem deliberationis. Et in hànc ſententiam inclinari videtur Antonin. Diana *reſolution. moral.* 5. *part. tractat.* 13. *reſolut.* 77. qui omnes de fœminis ſexto anno minoribus, idem quod de maſculis nondum ſeptennibus, videntur ſentire. 1

2 Quod nec ex eo ſolùm probatur, quod omnes ſupra ſcripti fatentur, & pluries hoc anno diximus; videlicet infantes, quaſi ratione carentes, nulla lege diuina, naturali, vel humana obligari poſſe, ſed etiam quia moraliter aſsiſtere ſacrificio nequeunt, 3
ex quo cum Auila *de cenſuris* 5. *part. diſputat.* 4. *ſection.* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 1. & alijs alio loco defendimus, interdicti tempore

pore diuinis officijs eos aſsiſtere poſſe. At vero cùm Eccleſia omnibus fidelibus neceſſitatem audiendi rem ſacram imponit, ſaltim moralem aſsiſtentiam præcipit: ergo qui ea carent, præcepto non ſubiacebunt.

Et confirmatur, nam certum eſſe inquit Azorius *dict. loco quæſt.*4. eos qui naturali vitio ruſticitatis, vel ignorantiæ laborant, hac lege non eſſe obſtrictos, quia licèt frequenter ignorantia iuris non excuſet, hæc tamen vt naturalis, neceſſariò excuſſationem affert. Sed pueri nondum ſeptennes, ita naturali ruſticitate & ignorantia detinentur, vt quod vident ignorent, *l.*1. cum ſimilibus, *C. de falſa moneta.* Igitur pariter ab obligatione audiendi Miſſam liberi eſſe debebunt.

5 Nihilominus aliud ſentit Iacob Marchantius *in Candel. Sacram. qq. Paſtoral. tract.* 4. *cap.* 6. *quæſt.*2. aſſerens, quòd licèt à ſeptennio, & anteà, oporteat pueros ad Miſſam audiendam aſſuefacere, non tamen ſub peccato mortali illam audire ſtatim poſt dictam ætatem ipſi tenebuntur. Hoc enim, inquit, eſſet nimis rigidum, tum quia Eccleſia pia mater non videtur velle obligare tam rigidè ſtatim ac poteſt: tum quòd practicè videamus maiorem partem puerorum, etiam decimum annum attingentium, in Eccleſia ſtare tempore Miſſæ huc illuc circunſpiciendo ſine attentione requiſita, aut etiam ſocijs corridere, colloqui, nugari, nec vim præcepti tales apprehendere. Quis vero eos ſtatim peccati mortalis velit condemnare? Non quòd velim dicere eos non eſſe capaces peccati mortalis ob ætatem, nam ſi hoc ſit verum, non eſt difficultas, ſed quòd licèt in rigore loquendo, ſufficientem ætatem, & diſcretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videatur tamen Eccleſia tanta ſub obligatione, ſeu vinculo tam arcto eos velle ſtatim obſtringere, donec perfectiorem rationis vſum aſſequantur, quo diuina myſteria pleniùs apprehendant, & obligationem, ac attentionem, qua illis intereſſe oportet, pleniùs intelligant. Quod ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere ad Euchariſtiæ Sacramentum putarim contingere, quod ipſum prudentis confeſſarij iudicio venit expendendum, aliàs cõtrà ſolùm venialiter exiſtimarim peccare ob apprehenſionem imperfectam, tum myſteriorum, tum præcepti ex imperfecto adhuc rationis vſu prouenientem, per quam fit, vt facilè negligant attentionem requiſitam, & magis præſentes ibi ſint corpore quàm mente. Hęc Marchant. Sed non video quomodò ipſius ſententia poſsit ſuſtineri, 6
quia ſi ea ratione ſub mortali non tenetur Miſſam audire, quià ſufficientẽ aliàs ad peccandum mortaliter malitiam non habet, quoniam adhuc præcepti compos & comprehenſor non præſumitur, nec tunc occidendo, furando, mentiendo, aut ſimiliter delinquendo contra legis præcepta, peccare poſſet, quia non eſt maior ratio vnius quàm alterius præcepti, cùm omnia ſub mortali obligent: quod eſſet abſurdum, & manifeſta implicatio in terminis, cùm ex vna parte ſupponatur puerum capacem eſſe peccati mortalis, & ex alia minimè eum poſſe peccare ob imperfectionem apprehendẽdi præcepta. Deinde, quia hæc imperfecta cognitio præcepti & myſteriorum, quam expendit Marchant. poſſet puerum excuſare ab irreuerentia non audiendi Miſſam debito modo, & cum attentione requiſita, non verò ab omnimoda obligatione aſsiſtendi Miſſæ ſacrificio, cùm hoc ſaltim rectè percipiat, alioquin non ex imperfecta cognitione, ſed ex naturali ignorantia, illum excuſare deberemus. Nam quid eſt enim aliquid imperfectè intelligere, niſi ipſius vel ſolam ſuperficiem, & literalem corticem calere? Qui enim imperfectè percipit, etſi non omne, partem quidem percipit, ſaltim faciliorem: ergo qui ſcit adeſſe præceptum audiendi Miſſam ſingulis diebus feſtiuis, quamuis illud imperfectè comprehendat, tamen intelliget pręceptum obligare ad aſsiſtendum corporaliter ſacrificio, etſi cœtera, quæ illo continentur ignoret, quia hoc eſt ita facile, vt à quocumque etiam mediocris ingenij valeat intelligi, maximè ab eo, qui in ea ætate exiſtit, vt alia præcepta comprehendat, qualis eſt puer iſte, de quo Marchant. Quare 7
potiorem exiſtimo opinionem Coninch. *de Sacrament. quæſt.*83. *art.*6. *num.*286. Suarez *in* 3. *part. tom.*3. *diſput.*88. *ſect.*4. Præpoſit. *in* 3. *part. q.*83. *art.*6. *num.*197. Fagundez *par.*1. *lib.*2. *cap.*2. *num.*7. Mercer. *de Sacrament. q.*83. *art.*4. *dub.*4. & Antonini Dianæ *vbi ſuprà* aſſerentium pueros teneri præcepto audiendi Miſſam, dum perfectè incipiunt vti ratione ſufficienti ad peccatum mortale: quod intelligendum eſt, vt ſub mortali teneantur. Nam, vt debeant, & obligentur vi pręcepti ad Miſſam ſub veniali ſufficiet, quòd imperfectum vſum rationis habeant tantùm ad veniale, ideſt, quòd ſint iam ſeptennarij, vt explicauimus, & docet expreſſe Hurtadus *vbi ſuprà.*

SVM-

SVMMARIVM.

Septennio maiores tenentur diebus prohibitis à carnibus abſtinere. 1.

Infantes ante expletum ſeptennium nullis Eccleſiaſticis legibus obligantur. 2. *&* 7.

Vt extingueretur concupiſcentia, quæ carnibus maximè accenditur, earum vſus fuit aliquibus diebus prohibitus. 3.

Septennio minores nō indigent priuilegio Bullæ Cruciatæ, vt poſsint in Quadrageſima lacticinijs vti. 4.

Lac & oua, caro liquida appellantur. 5.

Quibus carnium eſus permittitur, lacticiniorum non prohibetur. ibidem.

Etiamſi nulla adſit conſuetudo, infantibus naturaliter licet carnes edere. 6.

Conſuetudine induci non poteſt, vt paruulis nō ſeptennarijs nequeat tempore interdicto caro miniſtrari. 7.

QVÆSTIO VI.

Cuius ætatis pueri teneantur diebus prohibitis à carnibus abſtinere?

1 Septennio maiores, ſiue maſculos, ſiue fœminas teneri docet communis ſententia, vt ex Neotericis probant Tanner. 2. 2. *diſput.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. *n.* 99. Azor. *inſtitut. mor. tom.* 1. *lib.* 7. *capit.* 28. *quæſt.* 3. & inſinuat *capit.* 41. *quæſt.* 10. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 23. *dub.* 4. *n.* 4. Gomez *in Bulla Cruciatæ clauſ.* 7. *n.* 16. *&* 17. Emanuel Sà *verb. Ieiunium n.* 17. Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 9. Alter Sancius *in ſelectis diſp.* 41. *n.* 31. & his omnibus relatis nouiſsimè Antonin. Dian. *reſolut. moral. tom.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio, reſolut.* 42. quibus addendi ſunt Ægidius Trullench *in expoſitione Bullæ Cruciatæ*, §. 4. *dub.* 4. *num.* 1. P. Ioan. de la Cruz *in direct. conſcientiæ, art.* 4. *dub.* 9. *concluſ.* 1. *in* 3. *præcepto Decalogi*: noſter Alphon. Perez de Lara *in comp. vitæ homin. c.* 31. *n.* 48.

2 Et ſuadetur hęc opinio ex eo, quòd ante expletum ſeptennium, vt in propoſito eſſe debere relati conſtituunt, neminem Eccleſiaſticæ leges deuinciunt. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. *dub.* 1. Pedraza 3. *præcepto* §. 14. *in fin.* Angles 1. *p. q.* 6. *de ieiunio, diffinit.* 6. vterque Sanchez *vbi ſup. maximè ſelectarum*, qui vniuerſaliter ex multis affirmat, pueros rationis incapaces nulla lege diuina, naturali, Eccleſiaſtica, vel humana teneri: Antonin. Dian. *tomo* 3. *tract.* 9. *Miſcel. reſolut.* 87. Ergò nec hoc Eccleſiaſtico præcepto abſtinendi ab eſu carnium tenebuntur.

Deinde, quia inter alias rationes, quas Eccleſia habuit, vt certis diebus eſum carnium prohiberet, illa eſt potiſsima, vt cohiberetur hominū cōcupiſcentia, quā carnes terreſtriū, & volatiliū animantiū magis nutriunt ex genere ſuo, quâm cæteri cibi, veluti aduerſus Kemnitiū & alios hęreticos præmittit Card. Bellarm. *contr. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 4. *verſ. Reſpondeo*, & ex noſtris inſinuat Petr. Greg. *lib.* 15. *ſyntag. c.* 15. *à n.* 8. At pueri ſimilē concupiſcentiā minimè patiuntur, vt vel ex eo patet, quòd tā tenera ætate nullis incōtinentiæ cōmaculari ſceleribus inquit S. P. *in c.* 1. *de delictis puer.* ergo eadem à carnibus abſtinere non coguntur, etiāſi iam ante ſeptenniū doli capaces exiſtant, vt profert Sanc. *d. diſp.* 51. *n.* 31. etſi contrarium tenuerit Villalob. in *ſumm. tom.* 1. *tract.* 23. *dub.* 8. *n.* 7. 3

Hinc eſt frequentiori Scriptorum calculo eſſe approbatū, ſeptennio minores nō indigere priuilegio Cruciatę, vt tēpore Quadrageſimæ comedere oua, & lacticinia poſsint, veluti præter antiquiores tradunt Sanch. *d. c.* 12. *n.* 9. Ægid. Trullenc. *eod. loco n.* 1. Alter Sancius *vbi proximè n.* 31. ceſſat enim ratio prohibitionis in eis. Quapropter, vt carnibus eo dē tēpore vti valent, ita & lacticinijs, nam vt alibi ſuprà obſeruauimus, & Sanct. Hieron. ex ſententia veterū Ægyptiorum refert *lib.* 2. *aduerſus Iouin.* quem ſequitur Bellarmin. *vbi ſuprà*, nihil eſſe videtur aliud ouū & lac, niſi caro liquida, & ſanguis albus: quare immeritò voluit Toletus *in ſum. lib.* 6. *c.* 3. *n.* 4. *verſ.* 3. eiuſmodi pueris licere lacticinia edere, ſed non carnes. 4 5

Ex quibus deducitur omnino, à certo deuiaſſe Syluiū *in* 2. 2. *D. Thom. q.* 147. *art.* 4. & qui cū eo exiſtimant eiuſmodi pueros his tantùm locis carnes & lacticinia iuſtè edere poſſe, vbi adeſt edendi conſuetudo: nam cùm hoc priuilegium ab ipſa natura, vt iam diximus, conſequantur, fruſtrà conſuetudo in idem deſideratur. 6

Nec minorem cenſuram meretur, quod docent Corduba *in ſumm. q.* 60. Lopez 2. *p. inſtructorij cap.* 212. à quibus non diſſentit Perez de Lara *vbi ſuprà*, videlicet, non licere paruulis tempore interdicto carnes miniſtrare, ſi ita ferat conſuetudo. Nam vt meritò aduerſus eos ratiocinatur Sancius *d. diſp.* 51. *num.* 31. & poſt eum Diana *dict. reſolut.* 42. cùm paruuli ante ſeptennium non ligentur legibus, à fortiori nec tenebuntur abſtinere à carnibus ratione conſuetudinis, quæ eſt lex non ſcripta. 7

SVM-

SVMMARIVM.

PRæceptũ annuæ confeſſionis omnes indiſtinctè ratione vtentes cōplectitur. 1.

Regulariter poſt ſeptimum ætatis annũ fideles hoc præcepto obligantur. 2. & 12.

Hanc ſententiam temerariam appellat D. Anton. & ante decimum annum cum dimidio puerum, & nonum cum altero dimidio puellam hoc præcepto teneri negat. 3.

Pueris aliquo tempore poſt vſum rationis poſſe lacticinia, & carnes diebus probibitis exhiberi, docet Enriquez. 4.

Nullis Eccleſiaſticis præceptis pueros ante duodecimum annum obligari, ſentiunt alij. 5.

Anni diſcretionis quatuordecim dicuntur. 6.

Sacramenta, quæ requirunt actus ſuſcipientis, non dantur pueris ante vſum rationis. 7.

Ad matrimonium requiruntur in maſculo quatuordecim anni, & duodecim in fœmina. ibid.

In pueris non eſt virtus, neque vitium. 8.

Præceptum confeſſionis ſolùm peccati compotes includit. 9. & 15.

Textus in c. 1. de delictis puer. illuſtratur. 10.

Peccata lethalia, & non venialia, vitia & crimina dicuntur. ibidem.

Pueri priùs venialiter quàm mortaliter peccare poſſunt. ibidem.

Quamuis intra annum poſſit quis peccare, tamen non niſi poſt annum tenetur ex præcepto confiteri. 11.

Magis ex prudentis confeſſoris arbitrio, quàm ex numero annorum pendet, quando quis incipiat confeſſionis præcepto teneri. 12.

His tẽporibus hominũ vita breuior exiſtit. 13.

Puer nondum ſeptennis, qui vel manifeſtũ, vel ſaltim probabilẽ vſum rationis habet, poteſt abſolui, aliter verò tantũ ſub conditione. 14.

Cuiuſcumque ætatis pueri debent ad confeſſarios accedere, & quare. 16.

Pueri, licèt ſeptennes, & vſum rationis habẽtes, ante decimũ annum cũ dimidio, ſi fortè confiteri neglexerint, non ligantur cenſuris cōtra omittentes annuã confeſſionẽ latis. 17.

Etiam probabile eſt, neminem ante pubertatis annos has cenſuras incurrere. 18.

QVÆSTIO VII.

Cuius ætatis confeſsionis præcepto adſtringantur fideles?

1 CVm omnibus indiſtinctè poſt quã ad vſum rationis peruenerint, annuæ confeſſionis præceptũ ſub cenſuris indicatur; vt cap. omnis vtriuſque 12. de pœnit. & remiſ. cauetur, & ſtatuit Concil. Trident. ſect. 14. D. Didac. de Narbona. Can. 5. nec immeritò dubitandum venit, quanam ætate quis ita vſus rationis lumine illuſtratus videatur; vt cōfitendi præcepto, vel cenſuris aduerſus non confitentes prolatis cōſtringatur, & innodetur? Communis ſentẽ- 2
tia habet ſeptennem in ea cauſa eſſe, quia ferè ſemper vſus rationis aduenit ſeptimo anno completo. Ita poſt antiquiores nonnullos docent Stephan. de Gaeta in repet. c. ad limina. §. 5. num. 200. 30. q. 1. Quintil. Mandoſ. de ætat. min c. 4. n. 6. Sanchez in ſum. tom. 1. lib. 1. c. 12. n. 6. Salas de legibus diſp. 14. ſect. 13. & nouiſſimè Anton. Diana reſolut. moral. p. 3. tract. 6. reſolut. 87. & p. 5. tract. 3. reſolut. 68. vbi poſt Medinam, & Zambranũ adducit Capeauillam de Sacram. Pœnit. q. 14. & Torreblanc. iuris ſpiritualis lib. 14. c. 6. n. 59.

Quam ſententiam D. Antoninus in ſumma part. 2. tit 9. cap. 8. §. 2. reprehendit his verbis: *Temerarium ergo videtur aſſerere, & publice prædicare, quòd immediatè poſt ſeptennium tenentur pueri ad iſtud præceptum ſeruandum, aliàs peccant mortaliter & ipſi, & parentes eorum, qui non faciunt confiteri.* Quæ etiam refert Comitolus vbi ſuprà, ideoque vti verius affirmat, hac lege confeſſionis non teneri pueros vſque ad decimum & dimidiatum annum, & aliquãtulum vltra, & fœminas vſque ad nonum, & maiorẽ partem alterius, ea vtique ratione, quia vt nemo ant. quàm ſit doli capax, peccare poteſt, ita nec præceptò confeſſionis obligari. Vnde cùm ille doli capax cenſeatur, qui pubertati eſt proximus, & ſecundùm receptiorem ſententiam vltra decimum & dimidiũ annum exiſtit, ſi maſculus eſt, & vltra nonum, & alterum dimidium, ſi fœmina: conſectarium apparet ante prædictũ tempus ad confeſſionem non teneri, veluti in ſtricta diſputatione probabile videri infra 3
anno 11. oſtendetur, vbi de ætate ad doli capacitatem fuerit ſermo, & inſinuat Enriquez 4
lib. 8. de Euchariſtia cap. 42. num. 4. dum cenſet Eccleſiæ præceptis non obligari pueros ſtatim ac vſum rationis habent, imò affirmat lib. 13. de excommunicatione cap. 49. num. 2. in gloſſ. lit. N. dari his lacticinia, & carnes aliquo tempore poſt vſum rationis in diebus ieiunij. Et magis in ſpecie ſuperiorem D. Anton. ſententiã probare videtur Iacob. Granado in c. 1. 2. controu. 7. tit. 3 p. 1 diſp. 6. n. 37.

Præmatura adhuc hæc confitendi obligatio decimo anno elapſo à D. Antonino deſignata videtur Ricard. in 4. ſentẽt. diſt. 25. & Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 11. in fin. Vnde ait, pueros nō teneri ad Eccleſiaſticũ cōfeſſionis præceptũ; nec ad reliqua Eccleſiæ præcepta vſq; ad annũ duodecimũ. Quibus accedit Eman. Sâ in ſumma verbo confeſſio n. 3. cũ dicit con- 5

feſſionis præceptum minime obligare ante pubertatem. Quam opinionem veram eſſe ex ſequentibus tentari poſſe notat Stephanus
6 Gaeta *vbi ſuprà num.* 201. Primò, quia anni diſcretionis, poſt quorum lapſum præceptum ligat confeſſionis, vt patet ex *d. cap. omnis & ex Concilio Trident.* ſunt quatuordecim in maſculo, & duodecim in fœmina *text. in cap. cum virum.* 12. *c. cùm ſimus.* 14. iuncta gloſſa *ibidem, de regularibus*, melior text. *in c.* 1. *eod. tit. lib. 6. Clement. eos* 2. cũ Gloſſa *verbo ætate eodem titulo, c. vbi non eſt* 30. *q.* 2. facit *text. in c. ex eo quod.* 32. *de elect. lib. 6. cap. cùm illorum.* 32. *in fin. de ſent. excom.* Probãt Collectar. *in d. c. omnis n.* 1. *&* 2. Ioan. Andr. *in c. duo pueri de deſponſ. impuber.* vbi etiam Anton. de Butrio admonet, quòd dicitur quis in annos diſcretionis perueniſſe, quando deuenit ad ætatem pubertatis: ergo eo tempore, & nõ anteà cõfiteri tenebimur. Nec obſtabit quòd in hiſta materia aliter ſumi debeat annus diſcretionis, quia hoc iure nõ cauetur.

7 Secundò confirmatur ex Sanct. Thom. *in* 4. *ſentent. diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *in corpore*, vbi dicit, quòd Sacramenta, quæ requirunt actus ſuſcipientis, ſicut matrimonium, pœnitentia, & huiuſmodi nõ dantur pueris vſum rationis non habentibus. In quibus verbis, ſi optimè aduertatur, dicunt aliqui quod S. Doctor videtur ſentire, quòd ad pœnitentiam requiri-
8 tur ætas illa, quæ in matrimonio, ex quo iſta duo Sacramenta quantum ad ætatem æquiparat: ſed ad contrahendum matrimonium requiritur in viro ætas annorum quatuordecim, & in muliere duodecim, *c. puberes, & c. continebãtur de deſponſ. in puberum*, cum alijs ſuo loco adducendis: ergo vſque ad illam ætatem non arctatur quis ad confitendum.

Tertiò idẽ ſuadetur ex Archidiaconi obſeruatione *in c. citius de pœnit. diſt.* 2. vbi explicans illa tex verba: *Nec enim Angelus nobis ſimilis factus eſt, quouſque ad certum tempus ætatis infirmitas grauat, vt neque virtus, neque vitium illum locum in nobis obtineat*, ſubiũgit: *Ecce apertè*, Archidiaconi ſunt verba, *dicit hic textus, quòd in pueris*, ſeu adultis, vt exponit ibidẽ Gloſſa, *non eſt virtus, neque vitium*, quod anteà dixerat in *c. illud.* 15. *q.*
9 1. Igitur cùm præceptũ cõfitendi eos tantùm cõprehendat, qui peccare poſſunt, ex Ægidio *tract. de Sacram. diſput.* 5. *de neceſſit. confeſſionis dub.* 5. *n.* 52. Anton. Dian. *part.* 3. *tract.* 6. *reſolut.* 70. Zambr. *tit. de caſibus occurren. in artic. mortis c.* 4. *dub.* 3. *n.* 10. impuberes, vtpote impeccabiles, ea non continebuntur.

10 Nec aliud probatur ex *c.* 1. *de delict. puer.* cùm inquit peccatis plenam eſſe puerilẽ ætatem, quia non dicit vitijs, aut criminibus eſſe plenam, ideſt furta, mendacia, & periuria in pueris eſſe vitia, aut lethalia crimina, ſed tãtùm peccata, ſcilicet venialia, quæ vitia non ſũt, vt probatur expreſſe *ex c. Apoſtolus* 1. 81. *diſt.* & eodem loco oſtendit idẽ Gaeta *q.* 57. *n.* 169. alioqui non inhærerent homini ſimul cum virtutibus: quapropter cùm pueri priùs venialiter, quàm mortaliter peccare poſſint, veluti aliquibus rationibus arbitratur Zambr. *vbi proximè n.* 2. ex quo probatur eos venialia habere, non conſequitur etiam mortalia perpetrare eadem ætate poſſe.

Cæterùm poſito, quòd impubes poſſit pec- 11
care mortaliter, tamen ſatis eſt vt à cõfeſſionis obligatione eximatur, quòd Eccleſia eũ non adſtringit ad cõfitendum, niſi poſt annos diſcretionis, ſicut infrà annum pubes poteſt peccare, & tamẽ nõ adſtringitur ad confitendum, niſi ſemel in anno. Quare inquit Gaeta *num.* 205. ſi daretur audacia, concluderem contra communem opinionem, ſcilicet quòd impubes non teneatur ex præcepto confiteri: ſed temerarium fortè diceretur.

Ideò contra Sotum inuehitur Ægidius *vbi ſuprà n.* 51. falſiſſimum aſſerens pueros non obligari ante duodecimum, aut quatuordecimũ annũ Eccleſiaſticis præceptis, cùm alioqui poſſent iã vndecim annos nati liberè comedere carnes in Quadrageſima, & diebus Dominicis nõ audire ſacrum, quòd nemo dicet. Quapropter à cõmuni opinione, quæ ipſa Eccleſiæ traditione, & obſeruantia cõfirmatur, non puto recedendum, imò cum ea obte- 12
ſtandum, iam ſeptennes quoad hoc præceptũ doli capaces, & culpæ cõpotes ita reputari, vt confitendi neceſſitate ſemel in anno adſtringãtur. Quamuis ſemper crediderim, hoc non tam ex ætate, & numero annorum, quàm ex prudentis cõfeſſoris arbitrio pendere, qui inſpecta pueri qualitate, cognitis moribus, & perpenſo, an ad interrogata ordinatè reſponſum præbeat: & quod magis malitiã detegit, vtrũ peccata cognoſcat, iudicabit, an ſit doli capax, necne, vel habeat ſufficientẽ diſcretionem, vt præcepto teneatur. Nam vt optimè conſiderat Zambr. *d. c.* 4. *dub.* 3. *n.* 3. nunc ſi- 13
cut vita eſt breuior, *cap. fraternitatis* 7. ibi: *Tamẽ quia defectus noſtrorum temporum, quibus non ſolùm merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt.* 34. *diſt.* Ita vſus rationis acceleratur, maximè in pueris benè educatis, & inſtructis, quales eſſe ſolent nobiles, & habitantes in inſignibus ciuitatibus, vt Toleti, Hiſpali, & cæteris.

Igitur diſcuſſione facta, ſi cõfeſſario cõſti- 14
terit puerũ habere vſum rationis ad peccandũ lethaliter ſufficientẽ, quaſi lege confeſſionis adſtrictũ quacũque ætate abſoluet, etiãſi ve-

ſi ve-

ſi veniale tantùm fuerit confeſſus, ex ſententia Zambrani *dict. loco num. 6. vbi & num. 7.* hoc procedere ſimiliter exiſtimat, cùm non omnino conſtat de vſu rationis, ſed magis probabiliter creditur eſſe in puero: ſin verò nullum habere vſum rationis experiatur confeſſor, nequaquam erit puer abſoluẽdus, quamuis ſeptimum annum exceſſerit, niſi ſub conditione vrgente mortis periculo, vel ſi dubium ſit iudicium habeat necne, vt cùm æqua exiſtit pro vtraque parte probabilitas, quia confeſſarius æquè ſentit puerum habere vſum rationis, & non habere. Si tamen talis puer fateatur peccatum mortale, vel veniale, abſoluendus erit neceſſariò ſub conditione non ſolùm in articulo mortis, ſed etiã extra illud, vt ſentiunt Medina *in ſum. lib. 1. c. 12. §. 2. caſu 6. & cap. 14. §. 41. & lib. 2. cap. 12.* & Zambran. *n. 8. & 9.* qui in huius doctrinæ confirmationem nonnulla adducit.

15 Ex quibus omnibus depromitur certius eſſe, tunc pueros præcepto confeſſionis teneri, cùm facto examine confeſſarius dijudicauerit eos vſu rationis pollere, & peccati etiam dubij ſecundùm Zambranum eſſe conſcios, ex ſupra relatis, quibus accedit Paul. Comitol. *vbi proximè*, ſiquidem, vt ait Ægidius *d. dubio 5. n. 50.* omnes baptizati, etſi ſint pueri, qui ſibi conſcij ſunt alicuius peccati mortalis, hoc præcepto obligantur. Nam ex quo peccaſſe cognoſcunt, ad annos diſcretionis perueniſſe conſtat, quibus ineſt cõfitendi ne-

16 ceſſitas. Ergo opus erit vt quacumque, licèt exigua ætate, ad confeſſarios accedant, non ſolùm vt ab ipſis inſtruantur, & confeſſioni aſſueſcant, vt placet D. Anton. 2. *p. tit. 9. c. 8. §. 2.* Victor. *in ſumm q. 139.* Zambran. *d. dubio 3. num. 12.* ſed etiam, vt interrogationibus aliquibus factis appareat, quando ex ſufficienti vſu rationis hoc præcepto confeſſionis ſint obſtricti.

17 Vtrùm autem cùm iudicio confeſſoris, ità capaces pueri ſint pronuntiati, vt præcepto & lege confeſſionis conſtringãtur, ſint etiam pœnis & cenſuris innodati contra omittẽtes annuam confeſſionem ſtatutis, ſi fortè confiteri neglexerint, ingens contẽtio eſt: ſed probabilius iudico, maſculum ſaltim ante decimum annum cum dimidio, & fœminã vſque ad nonum cum altero dimidio eiuſmodi cẽſuris non teneri, vt pluribus oſtendam infrà *anno* 11. & indicare videtur Paul. Comitol. *reſponſ. moral. lib. 6. q. 19. n. 6. verſ. Nono,* & Zambran. *d. c. 4. dub. 3. n. 11.* dum inquiunt, pueros vndecim annorum in has cenſuras nõ incidere. Hocque voluiſſe indicat Hurtado *de Sacramentis diſput. 7. de pœnitentia difficultate 9. & de cenſuris in communi difficult. 7.* *D. Didac. de Narbona.*

Quamuis non ſit improbabilis ſententia eorum qui docent pueros, qui duodecimũ, aut quartumdecimum annum non ſunt nacti, eis nequaquam ligari, quam defendunt Sotus *in 4. diſtinct. 18. q. 1. art. 3.* Azor *inſtit. moral. lib. 7. c. 40. q. 6.* Cordub. *in ſum. q. 6. diſt. 4.* Valent. *4. p. diſput. 7. q. 9. puncto 4.* Enriquez & Rodrig. relati à Thoma Sancio *in ſumma tom. 1. lib. 1. c. 12. n. 7.* Paul. Comitol. *d. lib. 1. q. 17.* Ochagauia *de Sacramentis tract. 2. de Euchariſt. q. 7.* Mercerus *de Sacram. in 3. p.* D. Thom. *q. 6. art. 5. n. 7.* & his relatis nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. 4. p. tract. 4. Miſcellan. reſolut. 207.*

SVMMARIVM.

Nonnulli, qui hanc quæſtionem latè pertractarunt, referuntur. 1.

Eadem ætas requiritur ſecundùm aliquos in recipiente Vnctionis Sacramentum, quæ in ſuſcipiente Euchariſtiam deſideratur. 2.

Alij ſextum, vel ſeptimum annum huic Sacramento præſcribunt. 3.

Habentibus vſum rationis, etiam ante ſeptennium erit Extrema Vnctio conferenda, etſi actualiter nunquam peccauerint. 4.

Nullã eſſe expectandã determinatã ætatem in hoc Sacramento, ſed etiam infantibus ſine ratione poſſe conferri, aliquibus placet. 5.

Veriùs eſt illos, qui iam peccare poſſunt, vngi debere. 6.

Illis omnibus eſt Vnctio miniſtranda, quibus cætera Sacramenta non prohibentur. 7.

Vnctio, quæ Sacramentum exeuntium appellatur, non niſi morientibus eſt præſtanda. 8.

Magis neceſſarium videtur hoc Sacramentum puero, qui numquam communicauit, quàm adulto, qui aliquando communicauit. 9.

Æqualiter periclitantibus, puero qui nũquam communicauit, & adulto adhuc poſt communionem in gratia exiſtenti, Parochus priùs linire puerum debet, quàm adultum. 10.

Etiam puero, de cuius vſu rationis dubitatur, debet Sacra Vnctio ſub conditione conferri. 11.

QVÆSTIO VIII.

Cuius ætatis pueris Extrema Vnctio ſit miniſtranda?

HAnc quæſtionem ex Neotericis diffusè nimis pertractarunt Alphonſus Arboleda *in praxi Sacrament. de Extrema Vnctione nota* 4. Melchior Zambranus in *deciſ.* 1

deciſ. caſuum occurrent. in articulo mortis, cap.5.dub.1.Ioan.Sancius in ſelectis moralibus diſput.27. quapropter eam non niſi perfunctoriè, & breuiter diſcutiam. Tres eſſe opiniones circa huius ætatis præfinitionem comperio. Prima habet eandem ætatem re-
2 quiri ad Extremę Vnctionis Sacramentum
ſuſcipiendum, quæ ad Euchariſtiam recipiēdam deſideratur. Hanc mordicus defendūt Sotus in 4.diſtinct.23.quæſt.2.art.2.in fine, Summa Corona de Sacramento Vnctionis ante num.9.& indicat Lopez 2.tom.inſtructorij capit.32. de Extrema Vnctione, §. quæritur quartò, Stephan.Gaeta in repetit. cap. ad limina, §.7.num.13. 30.quæſt.1.tenereque videtur Guilielm.Durand. in rationali diuinorum lib.1.cap.8. paulò ante finem, dum inungendum debere eſſe ait ad minus 18. annorum, Hurtado de Sacram.Vnctio.difficult.10. Baldellus tom.1.lib.5.diſputat.30.num.16. & alij relati ab Antonin.Diana reſolut.moral.5.part.tractat.3.reſolut.85.& ſequitur Conſtitutio Synodalis huius Archiepiſcopatus titulo de Sacra Vnctione conſtitut. 1. ibi: Y en quanto à la edad que han de tener los que han de recibir eſte Sacramento, ordenamos que ſe dè a los que ſe dà el Santiſſimo Sacramento de la Euchariſtia: & Manuale noſtrum Toletanum circa adminiſtrationem Sacramenti Vnctionis canon.5. ibi: Qua verò ætate pueris conceditur communio, vnctio quoque concedenda eſt; licèt hunc canonem eſſe emendatum à Paulo V. in Rituali edito annò 1617.§.2.fol.75.referat Sancius vbi ſuprà num.21.vt emendari debere prædixerat Arboleda etiam ſuperiori loco, verſic. Es pues de mucha importancia.

Secunda, quæ communis eſt, illam ætatem
3 huic Sacramento præfiniuit, qua pueri, aut
puellæ, & peccati & confeſſionis ſunt capaces, videlicet ſecundùm receptiſſimam conſuetudinē Eccleſiæ, cuius alibi meminimus; poſt ſextum aut ſeptimum annum. Huic accedunt Turrecremata in cap. Presbyteros, §. oleo, num. 11. 95. diſtinct. Nauarrus in Summa cap.22.num.13. Angles de Floribus de Extrema Vnctione art.4. Sà verbo Extrema Vnctio. præſ.2.part. deciſio. capit.8.num. 16.Ledeſma 1.part. ſummæ de Extrema Vnctio.cap.6.D.Bonauent.in 4.diſtinct.23.art. 2.quæſt.2.num.38. Richar. ibidem artic.2. quæſt.4.in corpore, Alphonſ.Viuald.in cādelabro de Extrema Vnctione num.28.Vega en el Eſpejo de Curas tom.1. cap. 13. num. 15. Toletus lib.7.cap.3.num.2.Cañedo in ſumma tractat. de Extrema Vnctione paulò ante finem: ex quibus & alijs quamplurimis idem docent Arboleda, Zambranus, & Sancius,
vbi proximè, & noſter Perez de Lara inſi- 4
nuare videtur in compendio vitæ homin.cap. 16.num.127. nouiſſimè Torreblanca tract. de iure ſpirituali lib.2.cap.9.num.33. vbi & ante hanc ætatem pueris eſſe dandam Vnctionem ex multis affirmat, ſi eos habere vſum rationis appareat, etiamſi Parocho per confeſſionem conſtiterit puerum ea ætate numquam actualiter peccaſſe, vt contra Nugnum, & Sancium ex pluribus tenet Antoni. Diana tom.3.tractat.4.de Sacramentis reſolut.181.etſi cōtrarium ſentiat Robert.Bellarm.in Concil.Trident.ſeſſ.14. cap.2.obſeruat.vnica.

Tertia eſt Maioris diſtinct.23.§.contra 2. 5
concluſ.ad 2.qui dicit non eſſe expectandam determinatam ætatem in puero ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, quia etiam infantibus vſu rationis carentibus eſt miniſtrandum: quod etiam ſenſiſſe mihi videtur Poſſeuinus de offic.curati tractatu de Vnctione Extrema, cū neſcio quid docet deliniendo Sacra Vnctione partu ab vtero matris extracto, & baptizato.

At in hoc opinionum conflictu à ſecunda 6
velut receptiori, æquiori, & ſecuriori, non puto recedendum, maximè cùm validioribus nitatur rationibus, quas optimè expendunt Arboleda, Zambranus, & Sancius, quorum ſcripta cùm facilè haberi poſſint, ab illarum laborioſa tranſcriptione lubenter abſtineo. Quibus addendum puto, eandem ſententiam meritò probari poſſe auctoritate Innocentij Papæ in cap. illud ſuperfluum 3. 95.diſtinct. vbi cùm non pœnitentibus hoc Sacramentūm fundi poſſe negat, per conſequens è cōtrario fateri videtur pœnitentibus, ſeu pœnitentiæ Sacramenti capacibus dari rectè poſſe.

Et confirmatur vlteriùs ex eodem cap. cùm 7
inquit, hoc Sacramentum illis tantùm eſſe negandum, quibus reliqua Sacramenta ſubtrahuntur. At in ea ætate exiſtenti, vt peccare, & confiteri poſſit, in mortis articulo (quo neceſſariò debet Sacra Vnctio miniſtrari, vt cauetur Concilio Trident. ſeſſ.14. cap. 3. vbi ideò Sacramentum exeuntium nuncupatur, & aſſerunt ſuprà ſcripti omnes, præcipuè Viuald.in candelab.aur.dict. tract. num.21.verſ.Sexto, Ægid.d.diſput.19.dub.
7.num.24. Poſſeuinus de officio curati dict. 8
tract. de Vnctione Extrema, verſic. Sub mortali, vbi plurimos ita ſentiētes allegat, Perez de Lara vbi ſuprà n.127.& Antonin.Diana reſolut. moral. tom.3.tract.4.de Sacramentis reſolut.173.) nullū denegatur Sacramētum, cùm etiam tūc Euchariſtiam ſuſcipiat, velut ex multis anno 11.oſtendemus, vbi de ætate ad

ad communionem neceſſariā ſermo inciderit: ergo nec Vnctionis Sacramentum erit denegandum.

9 Præcipuè, cùm vt rectè notat Sancius *dicto loco num.* 11. huic puero, qui nunquam communicauit magis ſit neceſſarium, quàm adulto qui ſacram Euchariſtiam, aut in illa infirmitate, aut ſalutis tempore iam ſuſcepit. Nam præcipuus, & ſpecialis Euchariſtiæ effectus eſt conferre auxilium congruum ad perſeuerandum in gratia finaliter. Igitur puer, qui ex eo quòd numquam communicauit, hoc caret beneficio, magis indigebit Extrema Vnctione, quæ in idem confertur ex Concil. Trident. *d. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. vnde meritò infert prædictus Auctor *num.* 12. *&* 13.

10 cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 32. *&* 33. Quòd ſi ſit adultus in articulo mortis conſtitutus, qui Sacram Euchariſtiam in illa infirmitate ſuſceperit, aut ſaltim tempore ſanitatis, cùm tamen probabiliter credi poſſit, gratiam communione acquiſitam, nulla peccati mortalis labe amiſiſſe: Et puer, etiā ſit in eodem articulo, qui numquam Chriſti corpus ſuſcepit tenetur Parochus, priùs puero Sacram Vnctionem miniſtrare, ſi dum adulto eam adminiſtrat prudenter timeat, ſine ea puerum intereà moriturum. Quòd etiam obſeruandum *num.* 14. conſtituit, vbi poſt ſuſceptam Euchariſtiam adultus mortaliter peccaſſet, ſed tamen confeſſus fuiſſet ſua peccata in tēpore infirmitatis cum maximo dolore, puer verò non cum tanto: ita vt Parochus probabiliter iudicaret, adultum per Sacramentum Pœnitentiæ fuiſſe reſtitutum ad gratiam, nō verò puerum, quia ſemper plus indigenti ſuccurrendum eſt.

11 Maior autem difficultas verſatur eo caſu, quo ambigitur, an talis puer habeat ſufficiētem vſum rationis ad recipiendum Extremæ Vnctionis Sacramentum, vt ſi in periculo cū adulto communicato, aut rectè confeſſo cōcurrat, potiùs illi, quàm adulto ſit Vnctio deferenda? & puto, idem quod in ſuperiori, hoc caſu eſſe tenendum: quia etiam vbi dubitatur de vſu rationis pueri, tenetur Parochus ſub conditione ei Sacram Vnctionem miniſtrare, vt docet Zambranus, & Sancius *vbi ſuprà* ille *num.* 7. iſte *num.* 17. & poſt eos nouiſſimè Antonin. Diana *d. loco reſolut.* 169. & rurſus *part.* 5. *tract.* 3. *d. reſolut.* 85. *in fine*, vbi etiā adducit Ioannem de Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſputat.* 13. *ſect.* 4. *n.* 41.

SVMMARIVM.

AN *infans, qui parum à ſeptennio diſtat poſſit prima tonſura initiari.* 1.

D. Didac. de Narbonā.

Ætas ſeptem annorum completa ad primam tonſuram requiritur. 2.

Etiam reliqui minores ordines, excepto Acolytatu, ſeptenni poſſunt conferri. 3.

Concilium Tridentinum, nihil circa ætatem ad minores immutauit. 4.

Epiſcopi iudicio relinquitur, an legitimæ ætatis ad minores ordines ſit puer, de cuius ætate certò ſciri non poteſt. 5.

A primis infantis annis, & ab infantia, *idem quod poſt infantiam, & infantiæ annos ſignificat.* 6.

Infans vrgente neceſſitate poterit minoribus ordinibus initiari. 7.

Epiſcopus ordinans prima tonſura puerum ante ſeptennium, peccati, & ſuſpenſionis reatum incurrit. 8.

Pœna ſuſpenſionis Epiſcopo, infanti primam tonſuram conferenti iniuncta, non extenditur ad reliquos minores ordines. 9.

Infans minores ordines ſuſcipiens, an peccet, vel ſuſpendatur? 10.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm nondum ſeptenni prima tonſura, & tres priores minores ordines conferri poſſint?

1 QVòd valeat prima tonſura initiari, qui nonnihil à ſeptēnio diſtat, ex ſequentibus adſtrui poſſe videtur. Primò ex *textu in cap. de his.* 5. 28. *diſtinct. & ex textu in cap. in ſingulis.* 2. 77. *diſtinct.* quibus iuribus profertur fas eſſe puerulos à primis infantiæ annis clericatus officio mancipare.

Secundò id ipſum auctoritate euincitur D. Thomæ *in additionibus ad 3 part. quæſt.* 39. *art.* 2. vbi inquit tonſurari poſſe infantem, ſiue qui ſeptimum annum non expleuit ante vſum rationis. Vnde dicit Enriq. *lib.* 10. *de ordine cap.* 19. *num.* 1. Tabien. *in ſumma verbo ordo.* 4. Maiol. *de irregularit. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 5. *&* 8. & his duobus relatis, Auguſt. Barboſ. *de iur. Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 43. tempore Angelici Doctoris dari pueris ante diſcretionis annos primam tonſuram.

2 Sed quidquid hæc ſuadere videantur, omni dubio procul ſtatuendum erit, ſeptimum annum completum requiri ad primam tonſuram: ideoque hac ætate minoribus conferri non poſſe, vt probatur aperto teſtimonio Bonifacij VIII. *in cap. nullus.* 4. *de temporib. ordinat. & patriæ l.* 27. *tit.* 6. *p.* 1. quarè hanc

hanc ſentētiam veriſſimam prædicant Gloſ. *fin. Clement. vlt. de ætate & qualitate*, & in *dict. cap. de his, verbo lectorum*, Rebuffus *in praxi titulo requiſita ad collationem bonam, & volentibus habere beneficia num. 36. & in formula diſpenſationis, §. de diſpenſatione ratione ætatis num. 1.* Mandoſius *de ætate minori cap. 4. num. 12.* Maiolus *de irregularitate lib. 1. cap. 30. num. 1. & 5. verſ. Pueros etenim*, & rurſus *num. 8.* Salcedus *in pract. criminali canon. cap. 26. addit. 2.* Syluester *verbo ætas num. 2.* Angel. *ibidem num. 4.* Ioan. Gutier. *canonic. quæſt. lib. 1. cap. 26. num. 2.* Vgolin. *de irregular. cap. 45. num. 1.* Petr. Boll. *in œconomia Sacra. 1. claſſe cap. 2. §. 1.* P. Thom. Sanchez *conſil. moralium lib. 7. cap. 1. dubio 33. num. 15.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu 427. num. 9.* Flamin. *de reſignat. lib. 4. quæſt. 9. num. 9.* Henriq. *vbi ſuprà n. 1.* Garcia *de benefic. part. 7. capit. 4. num. 6.* Carol. de Graſſis *de effectibus clericat. in præludio num. 284.* Campanil. *in diuerſis iuris Canonici rubricis, rubric. 7. cap. 1.* Petr. Gregor. *in partitionibus iuris Canonic. lib. 5. tit. 13. cap. 5.* Saa *in ſumma, verbo ordo num. 18. & 28.* Moneta *de diſtributionib. 2. part. q. 19. num. 11. & tractat. de commutat. vltim. volunt. cap. 10. num. 187.* Rodericus Acunha *in dict. cap. in ſingulis 2. num. 3.* Auguſt. Barboſa *dict. num. 43. & de officio & poteſtate Epiſcopi 2. part. allegat. 11. num. 1.* & ante eum Anaſtaſ. Germon. *de indultis Cardinal. §. quibuſvis, num. 3.* nouiſſime Antoni. Dian. *2. part. tract. 2. Miſcellaneo reſolut. 29. in principio.*

3 Qua etiam ætate expleta, ſi in ea adſit vſus rationis, & cæteros ordines minores præter Acolytatum (qui vt infrà *anno 12.* apparebit maiori ætate conferri debet) dari poſſe ferè omnium communis ſententia tenet, vt poſt Gloſſam *in dict. cap. de his, verbo lectorem, & in Clement. generales, verbo promoueri, de ætate & qualitate*, teſtantur præcipuè Sotus *in 4. diſtinct. 25. quæſt. 2. artic. 2. §. quamuis iure, verſ. & omnes minores ordines à ſeptennio*, Borgas. *de irregular. p. 6. tit. de temporibus ordinatio. num. 6. & 16.* Vgolin. *de irregularit. cap. 45. num. 2* Azorius *inſtitut. moral. part. 2. lib. 6. cap. 5. quæſt. 8. & 9.* Ioan. Gutier. *Canonicar. quæſt. lib. 1. cap. 26. num. 2.* Suarius *de cenſuris diſputat. 31. ſect. 1. num. 22.* Moneta *de diſtribut. vbi ſuprà num. 11. & de commutatione vltimarum volunt. etiam loco proximè adducto n. 187.* Piaſecius *in praxi Epiſcop. part. 1. capit. 1. num. 22.* Sanchez, Antoni. Dian. & Roderic. Acunha *vbi ſupra num. 16.* qui omnes, & quamplurimi alij ab ipſis congeſti vno ore fatentur eam ſolùm requiri ætatem ad ordines minores, excepto Acolytatu, quę ſeptennium completum excedit, vt non malè colligi videtur *ex cap. quicumque 3. in principio 77. diſtinct.* vbi poſt infantiam, & ante pubertatem lectorem creari debere præcipitur.

Etiam vbi Sacri Concilij Trident. viget obſeruantia, quia vt docent præcipuè Moneta & Acunha *dictis in locis*, nihil circa ætatem requiſitam ad primam tonſuram, & minores ordines immutauit, & ità declaraſſe Congregationem Eminētiſſimorum Cardinaliũ his verbis: *Congregatio Concilij reſpondit, nullam eſſe à Tridentino Concilio præſtitutam ætatem tonſuræ, & quatuor minoribus ordinibus, ſed eam attendendam, quæ in ſacris canonibus præſcribitur*, referr Piaſecius *loco vbi ſuprà.* Nec repugnat, quòd *d. ſeſſ. 24. c. 5.* iuſſerit Concilium inquiri de ætate promouendorum ad minores. Nam id fit, vt cōſtet, an promouendi infantiæ annos exceſſerint, cùm excedentes ſolummodo de iure communi tonſura, & tribus prioribus minoribus ordinibus poſſint initiari, ex notatis *ſupra*: vel vt optimè cōiectatur Suarius proxime relatus, quem ſequuntur Sairus *de cenſuris lib. 6. cap. 12. num. 4.* & Acunh. *in d. c. in ſingulis num. 17.* Illud ea ratione à Concilio præcipitur, vt de prædicta ætate Epiſcopi arbitrentur, vbi ſcilicet apertis documentis conſtare non poſſit de certa ætate ordinandorum. 4 5

Cui receptiſſimæ definitioni parum negotij afferre videntur, quæ ad ſtabiliendam oppoſitam ſententiam *initio* adduximus. Non quidem primum ex *dict. cap. de his*, & *d. cap. in ſingulis*, ſiquidem illa verba, *à primis infantiæ annis, & ab infantia*, eum ſenſum habēt, teſte Menochio *lib. 2. de arbitr. caſu. 57. num. 11.* & Borgaſ. *vbi ſuprà num. 9.* quibus accedit Acunha tam *in dict. cap. de his num. 3.* quàm *in dict. cap. in ſingulis num. 1.* vt poſt primos infantiæ annos, atque ita ſeptimo anno perfecto ſignificent. Nam præpoſitio illa *à* idem quod *poſt* ſignificat, vt multis comprobat Tiraquel. *in l. ſi vnquam, verbo & poſtea n. 21. C. de reuoc. donat.* 6

Nec ſecundum ab auctoritate deſumptum D. Thomæ magis vrget. Nam vt ex verbis ipſius conſtat, non abſolutè docet infantes tonſurari poſſe, ſed ita demum ſi neceſſitas exigeret, & ſpes profectus, quo caſu & nos itidem fatemur, vtputa ſi intrēt religionem, *dict. cap. vltimo de tempor. ordinat.* Quia neceſſitatis tanta vis eſt, vt cogat aliquando à iuris diſpoſitione recedere, argumento *cap. 2. de obſeruat. ieiunior. & cap. 2. de conſuetud. cap. qui propter neceſſitatem, de furtis*, & a io- 7

rum

rum quæ tradit Brunorus à Sole *in compend. vtriuſque iuris,verbo neceſſitas.*

8 Extra hos verò caſus,nullus ante ſeptennium perfectum prima tonſura,& tribus minoribus ordinibus condecorari licitè poterit,&ſi initietur, Epiſcopus lethalis culpæ,& ſuſpenſionis ſaltim à collatione eiuſdem primæ tonſuræ,reatum incurret: quia Epiſcopo id grauiter prohibetur *dict. cap.nullus Epiſcopus, cap.vel non eſt compoſ.*14.*de temp. ordin. cap.vltimo eodem titulo lib.6.* Ex quibus notant Enriquez *lib.*13.*cap.*38.§.2.*liter.*O. Reginaldus *in praxi lib.*32. *tractat.*2. *num.* 61.Bonacin.*de cenſuris diſputat.*3. *quæſt.* 6. *punct.*5.*num.*25.Mar. Alcrus *de cenſ.tom.*2. *diſput.*16 *de ſuſpenſ.* P.Sanchez *dict. lib.*7. *conſil.cap.*1.*dub.*33.*num.*16. quos refert, & ſequitur Acunha *in dict.cap. in ſingulis num.* 7.vbi & ſimul quærit,quare conferens infantio ordinem Diaconatus,non tantùm à collatione illius, ſed etiam cæterorum ordinum ſuſpendatur:qui verò infanti confert primam tonſuram,à ſola illius collatione ſuſpendatur.

9 Sed quod de ſuſpenſione Epiſcopi diximus ipſo facto incurrenda, vt ex communi placito Scribentium *in dict.cap.nullus* notãt Syluelter, Sairus, Enriquez,& Toletus *relati à* Roderic. Acunha *in d.cap. num.*8. nequaquam ad illum extendendum eſt,qui ordines minores non habentibus ætatem legitimam contulit, vt contra Sotum admonet Enriquez *lib.*10.*cap.*19.*in comment.lit. A.*& placet Roderic. Acunha *vbi ſuprà num.*9. qui nulla iuris deciſione hæc pœna conferenti dictos minores legitur ſtatuta.

10 Quæres tamen,vtrùm quemadmodum dictos minores ordines nondum ſeptenni conferens lethalem culpam,& ſuſpenſionem incurrit,ita & ſimiliter infantes, qui eos recipiunt,tale crimen,vel ſuſpenſionem contrahant?Huic dubitationi negatiuè reſpondent Enriq.*dict.lib.*10.*cap.*19.*num.*1.Pialec.*vbi proximè num.*24.Acunha *etiam num.*7. Barboſa *dict.num.*43. Miranda *in Manuali Prælatorum tom.*1.*quæſt.*39.*art.*7.*concl.*1. Zerola *in praxi Epiſcopali part.*1.*verſ.dimiſſoria.* Tolet. *lib.*1.*c.*49.*num.*5.Riccius *part.* 4.*deciſ.*93.*num.*6, vbi aduertit Bullam Pij Secundi,quæ ordinatos ante legitimam ętatem ſuſpendit,ſolummodo loqui de ſuſcipiẽtibus ordines ſacros, non tamen loqui de prima tonſura, & de ordinibus minoribus. Idem tenet nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut.moral.part.*5.*tractat.*10.*reſolut.*30. qui tamen ſubdit cum Scortia *in Bulla Pontific. Epitom.*39.*Theorem.*109. ex Concilio Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*8. ſic ordinatos ſuſpendi ab ordinum minorum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur: ideoque ſi ante obtentam licentiam à proprio Epiſcopo miniſtrẽt,fieri irregulares,vt declarauit Cõgregatio Cardinalium, etſi contrarium aliquibus relatis teneat Sanchez *d.cap.*1. *dub.* 33.*num.*16.ſuperiorem tamẽ reſolutionem de peccato loquens,tantùm quoad recipiẽtes primam tonſuram admittit Sairus *de cenſu lib.*6.*cap.*12.*num.*10. non verò quoad accipientes cæteros minores ordines: nam iſtos mortaliter peccare affirmat *d.loco num.* 6.*ad medium.* Sed certè ipſamet ratio, qua probare nititur Sairus à peccato eſſe immunem,qui prima tonſura ante ſeptennium initiatur, etiam concludit peccati compotem non eſſe,qui reliquos ſimul minores ordines eadem infantili ætate recepit. Nam cùm illa ſit ratio,videlicet,quia cùm ad primam tonſuram legitima ætas ſit ſeptennium completum, ante quod tempus puer raro vſum rationis habet,conſequenter in eo nõ erit peccatum mortale:à fortiori dicẽdum apparet, nec eſſe poſſe,quamuis ordines minores, vel maiores ante dictam ætatem ſuſcipiat: maximè cùm nullibi expreſſe infantibus prohibitum inueniatur eiuſmodi ordines aſſumere.

SVMMARIVM.

*Filij hæreticorum legitimæ ætatis inuitis parentibus baptizari poſſunt.*1.

*Poſt ſeptimum ætatis annum poſſe dictos filios baptizari,communis tenet.*2.

Ante decimumquartum annum non licere hæreticorum filios baptizare, putat Caſſaneus 3.

*Omni eo tempore,quo pueri brutis ſimiles parent his ſubdũtur,nequeunt illis reluctantibus ad Chriſti fidem adduci.*4.

Pueri vſque ad annum decimumquartum belluarum naturam retinent. 5. *Et quomodò hoc accipiatur.*7.

*Septennes quoad actus voluntatis, & liberi arbitrij parentibus non ſubijciuntur.*6.

*Paruuli infidelium à ſeptennio debent à parentibus ſeparari, & à Chriſtianis nutriri.*8.

*Filij hæreticorum doli capaces poſſunt ante ſeptennium baptizari.*9.

*Multis placet quod poſſunt regulariter,quauis minori ætate filij hæreticorum baptizari, etiamſi immineat periculum peruerſionis paternæ.*10.

*Filij hæreticorum licèt ſint baptizati, nõ ideò debent à parentibus ſeparari, ſed præſtita cautione ab ipſis ſunt alendi.*11.

In articulo mortis, licet filios hæreticorum cuiuſcumque ætatis inuitis parentibus baptizare. 12.

QVÆSTIO X.

Filij hæreticorum, aliorumque infideliũ, cuius ætatis poſsint inuitis parentibus baptizari?

1 SEcundùm communem opinionẽ, & vſum Eccleſiæ, filij hæreticorum, qui legitimæ ſunt ætatis, & Chriſti fidem ſuſcipere optant, poſſunt etiam inuitis parentibus baptizari. Ita docent Lorca *in* 2.2. Reginaldus *tom.*2.*lib.*27.*cap.vlt.à num.*68. Bonacina *de Sacramentis diſputat.* 2. *quæſt.*2. *puncto* 6. Valent. *tom.*4.*diſputat.*4. *quæſt.* 3. *punct.*3. Afflictis *deciſ.*15. Ferret. *conſil.*76. *num.*4.*&* 5.*volum.*1. Didacus Perez *in lib.* 1.*tit.*4. *lib.*8. *ordinament.* Coninch. *de Sacram.tom.*1.*quæſt.*68.*art.*10.*num.*67. Zambran. *in deciſ.caſuum conſcientiæ cap.*1.*dub.* 11. Poſſeuin. *de officio curati, cap.*6.*num.*14. & alij infrà referendi.

2 Cæterùm, quæ ſit hæc legitima ætas, poſt cuius lapſum ſolummodò licet pueros eiuſmodi infidelium baptizare? controuerti ſolet. Communis tenet hanc eſſe ætatem ſeptem annorum. Sic teſtatur Sotus *diſt.*5.*quæſt. vnic.art.*10.*lib.*21. Sà *in aphoriſm.confeſſar. verbo baptizatus num.* 11. Syluester *eodem verbo* 4.*num.*4. Iacob. de Graſijs *in deciſ.aureis part.*2.*cap.*23.*num.*22. Simancas *de Catholicis inſtitut. cap.*29. *num.*21. vbi ex Zaſio *tractat.de Iudæis quæſt.*2. poſt D. Thomam, Ricardum, & Antoninum affirmat hãc ſentẽtiam eſſe communi conſenſu receptam.

3 Sed Cathaneus *in Summula caſuum conſcientiæ, verbo baptiſmus, verſ. Ad ſuſceptionem, pagina mihi* 70. in contraria eſt ſententia, putans etiam poſt ſeptennium, ante decimumquartum annum filios hæreticorum nõ poſſe inuitis patẽtibus baptizari. Ipſius verba hæc ſunt: *Tamen pueri infideliũ ante vſum rationis inuitis parentibus non ſunt baptizandi: reſpectu autem vſus rationis triplex ponitur gradus in homine. Primus, cùm quis nec per ſe intelligere, nec ab alio capere poteſt. Secundus, cùm quis per ſe intelligere nequit, ſed ab alio capere poteſt. Tertius, cùm quis per ſe, & ab alijs intelligere valet. Primum ſtatũ homo habet ante primum ſeptennium, ad ſecundum homo incipit venire in fine primi ſeptennij, ad tertium in finè ſecundi ſeptennij. Quare quando dicitur, quòd pueri infidelium non ſunt baptizandi inuitis parentibus ante vſum rationis, intellige quantum ad tertium gradum, hoc eſt, ante finem ſecundi ſeptennij filij infidelium ipſis inuitis baptizandi non veniunt.*

Et confirmari poteſt hæc Cathanei opinio 4
ex eo quod in ſuæ ſententiæ probationem adducit Syluester *vbi ſuprà*, videlicet toto eo tempore minimè poſſe pueros infidelium cõtradicentibus patẽtibus ad baptiſmũ adduci, quo nõ diſſimiles ab irrationalibus animalibus ipſorũ parentum ditioni & poteſtati ſubſunt, quoniam bellnarum naturam pueri ad 5
annum decimumquartum retinent, vt ex Ariſtotele 8.*de natura animalium cap.*1. & Galen. *lib.*3.*de placit.Hippoc.& Plat.cap.*7. *claſſ.& lib.*5.*cap.vlt.* alijſque probat elegãter Paul. Zachias *Medicolegal. lib.*1.*tit.*1. *quæſt.*4.*num.*16.

Verumtamen quidquid hæc ſuadeãt, prior 6
opinio, non ſolùm vt communis, & ab omnibus meliori calculo approbata, ſed vt verior etiam, ſaluti que animarum fauorabilior ſequenda erit. Nam poſt vſum rationis, & liberi arbitrij, qui frequenter ſeptimo anno exacto accidit, vt alibi ſufficienter oſtendimus, filij quoad actus voluntatis non ſubijciuntur parentibus: alioqui ſi & in his morem gerere deberent, impediretur exercitium liberi arbitrij, quod in libertate propriæ voluntatis conſiſtit, & hoc fides non patitur: ergo nec quòd ſi hac ætate baptizari velint, iniuſta hæreticorum parentum obluctatione â baptiſmo retrahantur? Exequẽda eſt enim ipſorum voluntas in re ita graui: maximè vbi de eorum vtilitate, & nullo parentum damno agitur. Nec obſtat, quòd vſque ad pubertatem pueri belluarum inſtat habeantur, quoniam id non ita propriè verum eſt, vt quaſi voluntatis, & rationis omnino expertes debeant 7
parentibus ſubijci: ſed vt ab his, quæ maiorem intellectum deſiderant, vt inepti arceãtur. Certum eſt enim, veluti ſæpiùs diximus, paruulos ab ipſo ſeptennio expleto vſus rationis primum lumen accipere.

Rurſus idem confirmatur ex Concilio Toletano 17.*cap.*8. illis verbis: *Qui Iudæos in ſeruitutem acceperint, in nullo eos permittant rituum ſuorum ceremonias celebrare, aut colere, & filios eorum à ſeptimo anno nullam cũ parentibus ſuis habitationem, aut ſocietatem habere permittant, ſed fideliſſimis Chriſtianis nutriendos tradant, & filias eorum, ac filios Chriſtianis in matrimonium tradant, ne infidelium patrum ſuorum ſemitas quibuslibet occaſionibus iterare poſſint.* Quibus manifeſtè probatur, poſt ſeptimum annum paruulos infi-

infidelium debere à parentum communione & ſocietate auelli, Chriſtianiſque educandos committi, quia illa ætate iam vſu rationis pollent, & facillimè ad impia & falſa parentum dogmata allici & perſuaderi poterunt.

9 Vnde notat Franciſc. Torreblanca *iuris ſpiritualis practica lib.2.cap.5.num.42.* cum Abbate, D.Thom. Ægidio, & alijs, poſſe infidelium filios doli capaces, etiam ante ſeptēnium baptizari, ſi id petunt. quoniam malitia hoc caſu ſupplet ætatem, & vſus rationis, cuius cauſa ſeptennium deſideratur, iam adeſt.

10 Non deſinam tamen hîc adnotare multis viris doctis placuiſſe, nondum ſeptennes infidelium pueros ad baptiſmum poſſe citra parentum voluntatem diripi. Cuius ſententiæ ſunt Vazquez *in 3.part.tom.3.diſputat.155. cap.4.num.50.* Turrian. *in 2.2.tom.1.diſput. 54.dubio 2.* Gregor. Ruiz *in ſuis controuerſ. Theolog.controuerſ.19.* quibus nouiſſime accedit Diana *reſolut.moral.2.part. tractat.4. Miſcell.reſolut.45.* etiamſi immineat periculum peruerſionis eorum ex communione paterna, vt contra nonnullos voluit Layman *in Theolog.moral.lib.5.tractat.5.cap.6.num. 21.* cuius opinionem ſatis probabilem vocat idem Diana *3.part.tractat.4.de Sacramentis*

11 *reſolut.7.* Quoniam ex eo ſolùm, quòd ſacrū Baptiſma ſuſceperint, non poſſunt filij à parentibus ſeparari, imò apud ipſos debēt educari, non autem apud Chriſtianos, vt tenet Calderin. *de Iudæis conſ.3.* & Iacob. de Graffis *vbi ſuprà num.23.* inuitis enim parentibus detineri non poſſunt, aliàs competeret remedium *legis 1.ff.de liber.exhibend.* Quod ita intelligendum admonet cum Felino *in cap.ſicut Iudæi, de Iudæis, ibidem* Graffis, dum tamen parentes idoneam cautionē præſtent, quòd filios ponent in libertate, & præſentabunt eos, cùm fuerint ætatis maturæ. Item quòd cùm educantur, non deteſtabuntur ipſis fidem, aliàs enim parentibus non reſtituerentur.

12 Sed vt vt ſit, illud quidem apud omnes planè conſtat, licere quacumque infantili ætate pueros infidelium in extremis laborantes, & in manifeſto mortis periculo conſtitutos, quamuis id parentes prohibeant, baptizare. Ita probat Sotus *in 4.ſentent. diſtinct. 5. quæſt.1.art.10.* Enriq. *in ſumma lib.2. cap. 25.num.2.* Aragon *tom.1.ſummæ lib.8. cap. 25.dub.10.* Acoſta *lib.6.de curandā Indorum ſalute cap.3.* Suarez *part.3. quæſt.68. artic. 10. diſputat.27. ſect.3.* & ex his Torreblanca *vbi proxim. num.40.* & ex multis alijs nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moralium 5. part. tractat.3. reſolut.10.*

SVMMARIVM.

Vtores defendentes affirmatiuam ſententiam referuntur. 1.

An quis teneatur ſtatim poſt vſum rationis ſe conuertere ad Deum, & omiſſionem huius actus pro illo tempore confiteri? 2.

Dilectio imbibitam habet ſpem: & ideò deficiens in dilectione, deficit etiam in ſpe. 3.

Nemo poteſt cum veniali, & ſolo originali decedere, & quare 4. & 10.

Sine charitate nullus iuſtitiæ & innocentiæ particeps eſſe poteſt. 5.

Per ſingulos ætatum gradus Deum agnoſcere debemus. 6.

Præceptum dilectionis eſt eiuſdem rationis cum præcepto pœnitentiæ. 7.

Referuntur qui exiſtimant, nequaquam poſt ſeptennium, & vſum rationis, obligare hoc præceptum. 8.

Traditur huius opinionis præcipuum fundamentum. 9.

Vtraque opinio probabilis habetur. 11.

Affirmatiua ſententia an ita ſtrictè ſit accipienda, vt ſtatim à ſeptennio, & vſu rationis criminaliter peccetur? 12.

An ſit hac in re ſcrupuloſè agendum, ſiue quis ſciuerit, ſiue ignorauerit præceptum omiſiſſe? 13.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm præceptum charitatis, vel dilectionis Dei obliget poſt ſeptennium in primo inſtanti vſus rationis?

DVplex eſt ſententia, affirmatiua, ſcilicet & negatiua. Affirmatiuā docent Nauar. *in ſumma cap.11.* Hiſpan. *num.6.* Latinè *num.8.* 1
Sotus *lib.2.de iuſtit.quæſt.3.art. 10.colum.6.verſic. Reſponſio borum,* Bañez 2. 2. *quæſt.44. art.1. dubio 1. ad 3.* loquens de eo qui eſt intra Eccleſiam, Toled. *lib.4.ſum. cap.9.num.9.* Manuel Rodrig. 1.*tom. ſummæ in 2. editione cap.11.num.3.* & ita cum D. Thoma, Lorca & alijs tenent Syluius *in 2. 2.quæſt.44.art.6.quæritur tertiò,* & nouiſſimè Antoni. Diana *5.part.reſolut.moral.tractat.15.reſolut.105.* vbi reſoluunt, probabile eſſe hoc præceptum obligare paulò poſt vſum rationis, quando quis iam aduertit, & ſecum reputat rationes, quas habet amandi Deum, & de ipſo cogitat, de eius bonitate, & excellentia, ac beneficijs.

Quæ

2 Quæ ſentētia ducit originem ex D. Thom. *cap.2.quæſt.89.art.6.& 2.diſtinct.41.q.1. art.5.ad 7.& de verit.quæſt.28.art.3.ad* 4. vbi aſſerit teneri ſub mortali puerum, cùm ad vſum rationis peruenit, conuertere ſe ad Deum, & in ipſum tāquam in vltimum finem ſua ordinare. Adeò inquiunt Caietanus *ibidem art.6.* & Nauar. *in cap.quanto cap.3. n.* 16.& 17. vt præcisè omnes teneantur omiſſionis peccatum fateri in dubio, an omiſerint eum actum facere, necne.

3 Quod inde ſuaderi poteſt, nam dilectio Dei imbibitam habet ſpem fruitionis ipſius. Vnde Proſperus *lib. de contemplatiua vita,* cuius verba referuntur *in cap. charitas* 5. *de pœnitent. diſtinct.2. Quid eſt,* profert, *Deum diligere, niſi illi copulari, animo concipere fruendæ viſionis eius effectū? &c.* ex quo Bañez *in 2.2.q.22.art.1.dub.2.* deducit, eum qui poſt vſum rationis non cōuertitur ad Deum, committere tria peccata, vnum contra fidem, alterum contra ſpem, tertium verò cōtra charitatem. Sed præceptum ſpei, vt ſuo loco dicemus, obligat ſtatim poſt vſum rationis, ac per conſequens & poſt ſeptennium, quo ſolet homo accipere primum lumen rationis: ergo à fortiori & eadem ætate præceptum charitatis vrgebit.

4 Rurſus, niſi daretur eiuſmodi præceptum obligans pueros ſub peccato mortali ab ipſo primo rationis lumine, inueniri poſſet peccatum veniale cum ſolo originali, veluti ſi puer nondum baptizatus, perueniendo ad vſum rationis committeret mendacium officioſum, aut verbum otioſum. At hoc dici nō valet: quia ſi in hoc ſtatu puer decederet, nullus eſſet locus, quo poſſet propter veniale puniri. Non enim puniretur in inferno, quippe illuc ſoli decedentes cum mortali actuali abeunt. Non in purgatorio, quo ſoli amici Dei purgandi adſunt. Nec in limbo puerorum, quia cùm ibi nulla ſenſus pœna ſit, non punitur ibi veniale.

5 Deinde ſi abſque peccato poſſet omitti actus charitatis ab eo, qui eſt vltra ſeptennium, poſſet inueniri creatura capax rationis, & liberi arbitrij, quæ ſine charitate, iuſtitiæ, & innocentiæ eſſet particeps, quod negat Auguſtinus *in cap. tolle charitatem, de pœnitent. diſtinct.2.* his verbis: *Creatura namque rationis capax, & liberi arbitrij, iuſtitiæ & innocentiæ, ſine charitate particeps eſſe non poteſt.*

6 Item facit illud Iob *cap.31. verſ.37. Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum, & quaſi Principi offeram eum,* & habetur *in cap. cùm ſanctam, eadem diſtinct.* id eſt, per ſingulas ætates, quæ gradus ſunt humanæ vitæ, quibus ad finem gradimur. Igitur etiam in primo gradu, qui ſeptennio conſtituitur (cùm hæc ſit prima ætas, vt iam diximus, & obſeruat Paul. Zachias *Medicolegal. lib.1. tit.1. quæſt.3. num.2.*) & pronuntiare Deum, & vt Principem agnoſcere, & amare oportet.

Quibus accedit, quòd hoc præceptum eſt 7
eiuſdem rationis cum præcepto pœnitentiæ, vt ſupponit Lorca *in 2.2. ſect.3. diſput.18. n.8.* inde inferens illud ſingulis annis obligare, vt obligat præceptum pœnitētiæ. Quod priùs docuerat Ledeſma *in Summa tom.2. tractat.3. cap.5. poſt 6. concluſionem,* & nouiſſimè ſequitur Hurtado de Mendoça *in 2.2. diſputat.74. ſect.6. §.27. quæſt.26.* Sed præceptum pœnitentiæ, vt *ſuprà quæſt.* 7. reſoluimus, obligat ſtatim poſt lapſum ſeptennij: ergò & præceptum dilectionis tunc etiam obligare debet.

His tamen non obſtantibus, negatiuam 8
partem, vt veriorem, tenent Valentia 1.2. *diſputat.6. quæſt.19. puncto* 3. Vazquez 1.2. *quæſt.89. art.6. diſput.186. toto cap.2.* Suar. 4. *tom. in 3. part. diſput.11. ſect.2. num.14. &* 15. Azor *tom.1. lib.4. inſtitut. moral. cap. 10. quæſt.6. & lib.9. cap.4. quæſt.1.* Philiar. *de offic. Sacerd. tom.1. part.2. lib.3. cap.5.* & his relatis Thom. Sanchez *in ſum. lib.3. cap. 35. num.7.* Caſtrus Palaus *tom.1. tractat.6. diſputat.1. punct.4. num.2.* Turrian. *in 2.2. diſputat.97. dub.2.* & nouiſſimè Anton. Diana *d. reſolut.105. verſ. Notandum eſt tamen.*

Et huius ſententiæ eam eſſe rationem in- 9
quit Sanchez, quia ſuauitati legis diuinæ non videtur cōſonum, vt præceptum tam arctum ſub mortali culpa obliget in tam tenera ætate ad ſtatim implēdum, eo vel maximè, quòd vniuerſi pueri inuincibili ignorantia illius præcepti laborent, quippe qui nec ratione dubitandi, nec inquirendi de illo habuerint, nec habere potuerint, cùm ante illam primā quaſi vigiliam rationis vſus ad nullum præceptum teneantur, & ſtatim ac illa adeſt, iam ligantur eo conuerſionis ad Deum præcepto iuxta præcedentem ſententiam. Et confirmatur, quia nullus puer noſcere poteſt moraliter tēpus, quo ex pręcepto adſtringitur. Quis enim vnquam nouit primum rationis vſus momentum? atque proinde nō poteſt id præceptum ex certa intentione adimplere. Hæc eleganter Sanchez, qui ad præcipuum funda- 10
mentum contrariæ opinionis de peccato veniali cum ſolo originali, ex Azorio, Suarez, & Vazquez reſpondet negando, fore vt puer ille cum ſolo originali, & veniali decedat: & ita Deus, quæ futura erant præuidens, deſtinauit loca hominibus puniendis determinata, nec vllum pro adultis cum originali, aut

cum

cum eo & veniali decedentibus conſtituit,ſicut etiam conſtituit prædeſtinatum non moriturum in mortali,quia tunc moriens damnaretur,quod prædeſtinationi repugnat. Et ſicut hunc dicimus non poſſe in mortali decedere impoſſibilitate conſequentis ex ſuppoſitione ſcientiæ Dei, quæ libertatem non aufert, ſic nec adultus poteſt mori cum originali abſque alio peccato mortali,ſuppoſitâ Dei ordinatione ,qua morituris loca deſtinauit,inter quæ non eſt huic locus. Hæc autem eſt impoſſibilitas conſequens ſcientiam Dei,quæ libertatem minimè tollit.

11 Cæterùm, cùm adhuc de medio ſublato hoc fundamento alia ſuperſint, quæ admodum affirmatiuam ſententiam ſtabiliant,& negatiua ſimiliter viribus rationum & authoritatum minimè deſtituatur , vtramque opinionem ſtatuo probabiliſſimam eſſe , & poſſe defendi, vt etiam nobiſcum ſentit Vega *lib.9.in Tridentinum cap.42. ad finem*,& Victoria,qui,vt refert Sanchez *d.num.7.* negatiuam tantùm probabilem vocat.

12 Tamen non deſinam hîc adnotare, quòd primam opinionem ſequi volentibus aduertit Antonin.Diana *d.5.p.tract.14. reſolut.* 15. nempe illam non eſſe ita ſtrictè intelligendam, quaſi peccemus ſtatim mortaliter habita ſufficienti Dei cognitione, ſi non eliciamus actum dilectionis , hoc enim ſatis graue eſſet: ſed quòd ſecluſa omni ignorantia, & inaduertentia, ſine graui peccato nequeamus eum valde diu differre, vt puta per annos aliquot, aut ſaltim per vnum,veluti ſentit Conink. *diſputat.24.dub.3. num.*50.

13 Neque torquere ſe quis debere inquit Hurtado de Mendoça *in 2.2.diſputat.174.ſect.5.* §.24.verùm huic præcepto ſatisfecerit,quia quando poſitiuo,& probabili argumento nô meminit ſe hoc præceptum omiſiſſe,inculpatè ſibi perſuadeat ſe contra illud non peccaſſe, vel quia Deum dilexit, vel quia illud inculpatè prætermiſit: & addit *Diana ibidem*, quod etſi certò quis ſciat huic præcepto non ſatisfeciſſe,poteſt ſequi opinionem negatiuam,quam ipſe cum ſupra relatis tenet,nempe non adeſſe pro illo tempore tale præceptum.

SVMMARIVM.

PRæceptum ſpei eſt affirmatiuũ, & ideò non pro omni tempore obligat. 1.

Nullum determinatum eſſe tempus,quo hoc præceptum obliget, ſed prudentis iudicio eſſe relictum,putat Suarez. 2.

Præceptũ ſpei ſtatim poſt vſum rationis obligare,communis docet. 3. & 5.

Quot peccata committat, qui poſt ſeptennium ſe non conuertit ad Deum? ibidem.

Pupillus infans deſiderare non poteſt. 4.

Spes nihil aliud eſt quàm deſiderium,ibidem.

Adoleſcentes cur maximè ſperent? 6.

QVÆSTIO XII.

Præceptum ſpei qua ætate obligare incipiat?

SVppono cum Antonino Diana 1 *reſolut.moral.5.part.tractat.14. reſolut.106. in principio*, præceptum ſpei ex quo affirmatiuum eſt,non obligare pro omni tempore,ſed tantum pro aliquo. Hoc ſuppoſito, quale ſit eiuſmodi tempus, quo primùm incipit vires ſuas exerere videamus. Et certè ſi Patri Suarez ſtandum eſt is *diſputat.2. de ſpe ſect.3.num.3.* putat nullum eſſe tempus 2 determinatum,in quo huiuſmodi præceptum obliget,ſed prudentis arbitrio mẽſurandum eſſe, nec permittendum longo tempore differri. At hæc opinio omnino diſplicet multis ex neotericis, qui cum Lorca *in 2.2. ſect.2.diſputat.18.num.10.* Aragon *in 2.2. quæſt.22.art.1.* Petr.de Ledeſma *in Summa tom.2.tract.2.cap.4 concluſ 3.* Bañez *in 2.2.* 3 *quæſt.22. artic.1. dub.2.* verius arbitrantur hoc præceptum ſtatim poſt vſum rationis obligare, ideſt,vt ſæpiùs explicabimus,à ſeptimo anno perfecto,quo ſolet communiter vſus rationis contingere. Ideoque infert Bañez,quòd ſi homo in tali caſu non ſe conuertat ad Deum,committeret tria peccata,vnum contra fidem,alterum contra ſpem,tertium contra charitatem,etſi hoc nimis durum, & parum probabile videatur Becano *tom.3. in 2.2. cap.17. quæſt.7. num.2.* vt obſerbauit Antonin. Diana *vbi proximè*.

Et confirmatur hæc ſententia ex ſingulari 4 in hanc rem iuris teſtimonio *in l.ſeruo.65. §.ſi pupillo,ff.ad Senat.Conſult. Trebellian.* vbi inquit Conſultus,pupillum infantem deſiderare non poſſe:verba hæc ſunt: *Neque pupillus ipſe id deſiterare poſſit,cum fari non poſſit.* Certum eſt enim ſpem nil aliud eſſe quàm deſiderium,itaque eam omnes Philoſophi definiunt eſſe deſiderium pertinens ad appetitum iraſcibilem,reſpicienſque bonum abſens arduum:ſic Petr.â Ieſu Maria *in ſufficientia concionator. tractat. 6. concluſ.18.* vnde Dantes *Parad'ſi Cant.25.*

Speme

Speme è diſio, è vno attender certo
De la gloria futura, che produce
Gratia diuina, è precedente merto.

5 Et huius etiam opinionis eſſe videtur Hurtado de Mendoça *in 2.2.diſput.*118.*ſect.*2. §.19. quem ſequitur nouiſſimè Diana *d. reſolut.* 106. dum aſſerit, præceptum ſpei obligare directè, & per ſe, quando quis poſt vſum rationis recipit Pœnitentiam, aut Confirmationem, quod regulariter poſt ſeptimum annum euenire diximus *ſuprà quæſt.*4. & 7. & hanc eſſe veriſſimam ſententiam proculdubio exiſtimo.

Cui non obſtant quæ recenſet Vincent. Turtur. *in parallelis ethicis & iuridicis diſſertat.*4. ex illis extra ordinem operis calce adiectis, vt conſtãter defendat, adoleſcentes ſumma ſpe ſperare: quia ex ipſis non excluditur ſpes in homine ante adoleſcentiam, ſed in ea maximè augeri conuincitur. Tum quoniam natura ſua, & ætatis temperamento cęteris calidiores exiſtunt. Tum etiam ob illorum inſcitiam, & experientiæ defectum, qui ſæpè in magnam ſpem adducit adoleſcentes; & ex hoc capite ob maiorem ignorantiam, maiorem item ſpem in pueris concedere neceſſariò oportebit.

SVMMARIVM.

Præceptum fidei obligare poſt vſum rationis qui doceant? 1.

Ad diuinam prouidentiam ſpectat illuſtrare puerum ſtatim ac ad annos diſcretionis peruenit, decedens. 2.

Vi huius præcepti non niſi puberes, maſculos ſcilicet poſt decimumquartum annum, & fœminas poſt duodecimum obligari, putant aliqui. 3. *Reprobatur. ibidem.*

Rudes & incapaces à peccato excuſantur, etiamſi poſt ſeptennium fidei præcipua myſteria ignorauerint. 4.

QVÆSTIO XIII.

Quæ ætate quis aſtringatur præcepto fidei, & credulitatis eorum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, neceſſitate medij, ſiue finis?

1 Prima ſententia docet, vſum rationis habentes teneri hoc præcepto Fidei. Vnde cùm vt ſæpiùs hoc anno diximus, poſt ſeptimũ ſoleat frequenter rationis vſus contingere, ex tunc præcepti obligationem vrgere neceſſariò huius opinionis ſectatores affirmare videntur. Ita poſt D. Thom. Durand. & Gabriel. tradit Thom. Sanchez *in ſum.lib.*2.*cap.*2.*num.*3.& 4. inde inferens, 2
quòd ſi puer ſtatim ac ad annos diſcretionis peruenerit moriatur, ad diuinam prouidentiam pertinet, vel vt interiùs illuſtretur, vel ab aliquo ita illi myſteria fidei proponantur, vt credere poſſit. Et rurſus *c.*3.*num.*12. noſtram quæſtionem proponens reſoluit omnes hoc præcepto teneri, cùm primùm rationis vſum aſſequuntur, quippe ex tunc præcepto diuino explicitè credendi, ſeruandi mandata, recipiendi Baptiſmum, & confitendi adſtringuntur: & ita refert ſentire D. Bonauenturam 3.*d.*25.*art.*1.*quæſt.*3. Angel. *verbo fides num.*7. Nauar. *in ſumma cap.*11. *Hiſpan.* 18. *Latin.*22. Azor *tom.*1.*lib.*8.*cap.*7.*quæſt.* 2. Philiarchus *de officio Sacerdot.tom.*1.*part.* 2.*lib.*3.*cap.*9. *paulò poſt principium.*

3 Nihilominus ſecunda ſententia non niſi iam puberes hoc præceptum obligare contendit, maſculos, ſcilicet poſt decimumquartum annum, & fœminas poſt duodecimum. Sic Manuel 1.*tom.ſumm.* 2.*editionis capit.* 88.*num.*1. & Ludouic. Lopez 1.*part.inſtructorij cap.*41.*col.*2.*verſic.Veniale eſt*: ſed meritò Sanchez *dict.num.*12. inquit ipſum omnino latere fundamentum, cui hæc opinio innititur. Nam cùm regulariter, vt ex dictis præcedentibus quæſtionibus affatim conſtitit, omnia, ſiue legis, ſiue Eccleſiæ præcepta ſtatim à ſuſcepto vſu rationis ipſo ſeptennio elapſo obligent, non video quare etiam hoc, quod principalius eſt, tunc ligare non debeat: quapropter, vt primam opinionem veriſſimam, ita & poſteriorem omnino improbabilem iudico.

4 Diximus enim, poſt vſum rationis eiuſmodi præceptum omnes conſtringere: nam ſi aliqui ſint, etiam legitimæ ætatis, adeò rudes & hebetes ingenij, vt Fidei myſteria, vel illorum ſenſum comprehendere nequeãt, à peccato erunt immunes: ſunt enim quoad hanc rem rudes & incapaces cum infantibus comparandi. Neque enim credibile eſt, inquit egregiè Tanner. *in* 2.2. D. Thom. *diſputat.*1. *quæſt.*7.*dubio* 2. *num.*49. Deum à quoquam exigere maiorem cognitionem, quàm per vim intellectus ipſe conſequi poſſit. Docet multis relatis Hieronymus Perez *in Summa Theologica mandamiento* 1. *paulò poſt principium*, vbi idem ſentit de his, qui nec magiſtrum, nec ſufficiens tempus poſt diſcretionem ad diſcendum ea quæ ſunt Fidei, habuerunt, & nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. part.*3. *tractat.*5. *Miſcellan. reſolut.*46.

SVM-

SVMMARIVM.

STuprum per vim commiſſum præſumitur quando puella eſt minor ſeptennio. 1.
Etiamſi puella ſit doli capax, violenter cognita præſumitur, niſi contrarium probetur. 2. Et quæ ſit ratio. 3.
Dolus & malitia regulariter ſolet poſt decimum annum cum dimidio accidere. 4.
Puella decennis etſi, vt in plurimum, innocens credatur, cùm malitiæ ſit capax, ſtupro conſentire poteſt. 5.
Infans puella, nec malitiam, nec concupiſcentiam habet, qua poſſit violatori aſſenſum præſtare. 6.
Proditor eſt, qui infantem occidit, & idiò Eccleſiæ immunitate non gaudet. 7.
Quantò quis minor exiſtit, tantò magis viribus caret. 8.
Tortura ſemper à minore eſt inchoanda. 9.
Minor, vt timidioris, & debilioris naturæ, faciliùs veritatem fatetur. 10.
Lamiæ in pueros infantes maximè graſſantur. 11.

QVÆSTIO XIIII.

Stuprum vt in virginem commiſſum per vim dicatur, cuius ætatis virgo eſſe debeat?

1 HAnc quæſtionem obiter reſoluit doctiſſimus Proſperus Farinacius *tom. 4. praxis criminalis q. 147. num. 45.* aſſerens, ſtuprum autem in virginem immaturam per vim commiſſum præſumi, quando puella non eſt doli capax, ideſt minor ſeptem anno-
2 rum: ſi verò iam ad dolum & malitiam peruenerit, etiam tunc cenſeri violenter admiſſum, niſi clarè probetur contrarium, ex traditis per Boſſium *in praxi de coitu damnabili & punibili num. 66. & ſequentibus.* Cabal. *reſolut. criminal. caſu 20. num. 9. & 16. in fine*, &
3 Tuſchum, quem idẽ Farinacius refert. Quorum dicta illam proculdubio ſentẽtiam præferunt, nempe ante ſeptimum annum ita vehementer virginem præſumi vi corruptam, vt nulla probatio valeat hanc ſuſpicionem elidere: ſecus poſt egreſſam infantiam, annũ-
4 que decimum cũ dimidio peractum, quo ſolet regulariter dolus & malitia adeſſe, vt argumẽto *l. apud Celſum 4. §. denique Iulianus, ff. de doli mali & metus except. l. hæredibus. 13. §. fin ff. de dolo*, & ſimilium, communiter *D. Didac. de Narbona.*

reſoluũt Interpretes, præſertim idem Farin. *praxi criminali tom. 3. q. 92. n. 67.* & alij *infrà anno 10.* ſuo loco à nobis refetẽdi: nã tũc licèt etiam vrgeat violentiæ præſumptio, poterit tamen contraria probatione tolli.

Et quidem rectè, nã quamuis illa ætas innocens vt in plurimum cenſeatur, & violẽtiæ 5
ſubiecta: tamen cùm iam malitiæ ſit plena, & quæ poſſit ſtupro, vt alio crimini conſentire, *d. l. apud Celſum, §. denique, d. l. hæredibus, §. fin. ff. de dolo, §. in ſumma inſtit. de obligat. quæ ex delict.* meritò probatio aſſenſus tũc locum habere poterit, vt ea interueniente præſumptio violentiæ omnino excludatur. Quod de 6
infantia, & virgine intra infantiles annos cõſtituta minimè eſt dicendum: quoniam ita teneræ ætatis puella, nec malitiam habet, nec laſciuiam, qua illecta & abſtracta violatori libenter annuat. Vnde eam fuiſſe vi oppreſſam optimè iura ſuſpicantur, præſertim cùm non ſolùm libidine, voluntateque careat, ſed viribus etiam, quibus ab inferẽda iniuria præcauere ſibi poſſit, vt aliud agens ſentit Paul. Comitol. *lib. 6. reſponſ. moral. q. 22.* quocirca 7
proditorius homicida iudicatur quiſquis infantes eiuſmodi interficit: ac proinde nec Eccleſiæ immunitate perfruitur, vt cum Anton. Fabro *in ſuo Codice lib. 9. tit. 11. definit. 1.* & Farinac. *in appendice de immunitate Eccleſiaſtic. c. 9. n. 139.* docet elegantiſſime chariſſimus frater noſter D. Alphonſus de Narbona *in 3. p. nouæ Recollectionis D. Hiſpaniæ lib. 4. tit. 1. l. 20. gloſ. 12. n. 106.*

Quantò enim quis minor exiſtit, tantò vi- 8
rium defectu, & imbecillitate laborat: ideò Lucretius *lib. 3. rerum naturalium* canebat:

Nam veluti infirmo puero, teneroque vagãtur
Corpore, ſic animi ſurgit ſententia tenuis,
Inde vbi robuſtis adoleuit viribus ætas,
Conſiliũ quoque maius, & auctior eſt animi vis.

Et apud noſtros hac de cauſa pro regula 9
cõſtituitur, quod in tortura ſemper à minori incipiatur, ſic Tiraq. *in præfatione primogen. num. 162.* Maranta *in proœmio de ordin. iudicior. n. 13.* Hortenſ. Caualcan. *de brachio regio. p. 3. n. 131.* quibus accedit Emanuel Barboſa *in remiſſionibus ad D. Luſitaniæ lib. 5. tit. 134. §. 2. n. 1.* qui enim minor eſt, debilior & timidior eſt, ac per conſequens vt torturæ magis impatiens faciliùs veritatem propala- 10
bit, Bartholom. de Spina *tractat. de ſtrigibus cap. 7.* Martinus Delri. *diſquiſit. magicarum lib. 2. q. 24. & lib. 3. p. 1. q. 1.* vt refert Franc. Torreblanca *iuris ſpirit. practicabil. lib. 12. cap. 8. num. 8.* docens ideò lamias in pueros 11
infantes maximè graſſari, quia eorum ætas imbecillior eſt ad reſiſtendum, incautiorque ad præcauendum.

SVMMARIVM.

Baptiſmum, Confirmationem, & Matrimonium abſque patrinis ſolemniter celebrari nō poſſe, communis Eccleſiæ traditio obtinet. 1.

Patrinum decem & octo annis ſaltim baptizatum præcedere debere, ſentit Abbas. 2.

Baptizantem, etiam eiuſdem ætatis cum patrino voluit idem autor. 3.

Adoptio & leuatio è ſacro fonte naturalem generationem imitantur. 4.

Suſceptor in Baptiſmo eſſe non poteſt, qui militare nequit. 5.

Patrini quare in Baptiſmo adeſſe debeant. 6.

Monachi, ſuſceptores in Baptiſmo eſſe prohibentur, & quare. 7.

Suſceptor ſuſceptricem oſculabatur antiquitus. ibidem.

Verius eſt, ſiue fœminam, ſiue maſculum, poſt ſeptimum annum ſuſceptrices eſſe poſſe. 8.

Infans puellā de facto ſuſcipiens, nullam cum ea cognationem contrahit. 9.

Infans quinque annorum nequit puerū in Confirmatione leuare, niſi iam doli ſit capax. 10.

Ætas ſeptem annorū regulariter deſideratur, vt tam in Baptiſmo, & Cōfirmatione, quàm Matrimonio quis patrini munere fungi poſſit. 11.

QVÆSTIO XV.

De patrini ætate ad Baptiſmum, Confirmationem, & Matrimonium.

1 SCitiſſimum eſt, ex receptiſſima Eccleſię cōſuetudine, neque Baptiſmum, neque Confirmationem, aut matrimoniū ſolemniter abſque ſuſceptoribus & patrinis celebrari. Quod cûm ita ſit, operis noſtri ratio expoſtulat, vt eorum etiam neceſſariam ætatem exquiramus, & cùm hæc par in omnibus & æqualis eſſe debeat, vt ex infrà dicendis planè cōſtabit, præcipua huius diſputationis cauſa circa Baptiſmi tantùm patrinos verſabitur, vt vel exinde quid in cæteris fuerit obſeruandum, faciliùs deprehendatur.

2 Hoc ſuppoſito, eam eſſe ſuſceptorum, ſeu parentum ſpiritualium neceſſariam ætatem, quæ baptizandū anno ſaltim decimo octauo pręcedit, ſingulariter voluit Abbas Panorm. *in cap. debitum 3. n. 3. de Baptiſmo,* his verbis: *Ex hoc nota quaſi nouum, quòd non debet quis admitti ad leuandum aliquem de ſacrofonte, vt ſit pater eius ſpiritualis, niſi præcedat, ſeu ſit maior baptizando in decem & octo annis.*

3 Quod initio numeri etiam ad baptizantem producit pene eiſdem ſequēcibus verbis: *Ex hoc ego crederem, quòd nemo poteſt alium baptizare, vel ipſum de ſacrofonte leuare, quin poſſet eſſe pater ſuus carnalis, & ſic quòd præcedat baptizandum in plena pubertate, ideſt, quòd ſit maior decem & octo annis*, quem ſequitur Rolandinus *in flore teſtamentorum rubrica. 16. num. 7.*

4 Cuius opinio aliquibus ſtabiliri poteſt. Primô, quia adoptio & leuatio è ſacro fonte ſaltim in eo parificantur, quòd vtraque, in quātum generatio eſt, ęmulatur naturā, §. *minorē inſtit. de adoptionibus, d. c. debitū, de Baptiſmo.* At vt ex *d. §. minorem* oſtēditur: nemo aliquē adoptare poteſt, niſi eū prædicta ætate octodecim annorum excedat, cùm abſonum eſſet eum fieri ciuili generatione patrem, qui naturaliter eſſe non poſſet: ergo nec ante prædictum tempus ſuſcipere baptizandum poterit, ne eadem abſurditas ſequatur ſpirituali hac generatione.

5 Secundò facit, quòd vt *lib. 1.* Cōcilij Pariſienſis *c. 54.* continetur, hi omnes à ſuſceptionis munere remouentur, qui neque ad militiam admittuntur: ſed ante decimū octauum annum nulli militare permittitur, vt infrà *anno* 18. probabimus: igitur nec antea aliquem è baptiſterio leuandi ius erit.

6 Tertiò pro eadem parte pugnare videntur rationes, quibus ſuſceptorū vſum fuiſſe inſtitutum tradunt. Polidor. Virgil. *lib. 4. de inuētione rerum c. 4.* & Ioſeph. Vicecomes *lib. 1. de antiquis Baptiſmi ritibus ac ceremonijs c. 31.* Nempe, vel vt cōmiſſos ſuæ fidei & prudentiæ ad Chriſtianæ Religionis præcepta, & omnem pietatis rationē inſtruerēt, *c. vos autem 105. de conſecrat. diſt. 4.* vel vt tanquā teſtes intereſſent, ne Baptiſmi ſacra forent iteranda: quod per Pontificum & Conciliorum placita fieri non licet, vt communiter notant omnes *in c. 2. de baptiſmo*, & cauetur in Conc. Trident. *ſeſ. 7. c. 9.* Sed nemo poteſt alium inſtruere, quin ea ætate & plena pubertate ſit, qua ſe ipſum optimè inſtruat, ac per conſequens in teſtem alicuius criminis, vt iterationis Baptiſmi, nullus ante vigeſimum annū admittitur, veluti infrà ſuo loco monſtrabimus. Igitur ex dictis rationibus neceſſariò euincitur patrinos, ſiue ſuſceptores octodecim annorum ſaltim eſſe debere.

7 Quartò & vltimò hanc ipſam opinionē veriſſimam arguit cauſa illa, qua ab antiquis tēporibus monachis è lauacro ſuſcipere vetitū extat, *c. placuit 2. 16. q. 1.* videlicet ne ſuſceptrices inuerecundè oſcularentur. Nam moris erat apud veteres, vt teſtatur Vicecomes *vbi ſuprà c. 27.* cùm vir & fœmina ad ſuſci-

pien-

piendum admittebantur, vt ſuſceptor ſuſceptrici oſculum infigeret. Quam fuiſſe prohibitionis rationem apertè oſtenditur *in c. monachi. 104. de conſecrat. diſtinct. 4.* his verbis: *Monachi ſibi compatres, cõmatreſve non faciant, nec oſculentur fœminas.* Hoc eſt, vt dicto loco interpretatur Vicecomes, nec vnà cum fœminis de ſacrofonte ſuſcipiant, quod ibidẽ præſentit Gloſſa. Acſi adultæ iam ætatis ſuſceptrices eſſe, & ſemper futuras non conſtaret, irrationabilis hec prohibitio videretur, cùm ex oſculatione puellarum nulla irreuerentia, aut concupiſcentiæ occaſio naſci poſſit.

8 Sed licèt hæc omnia in ſtricta diſputatione hanc potiorem ſententiam eſſe cõmonſtrent, communi tamẽ cõſuetudine eſſe abrogatam contra Panormitanum teſtatur Iacobus Rebuffus *in l. 1. ff. de adoption.* vbi ſe vidiſſe cõmemorat pueros octo, vel decem annorum leuare alios in baptiſmo, & meritò: nam ex huiuſmodi conſuetudine cuiuſcumque ætatis pueri poſſunt eſſe legitimi ſuſceptores, & cõtrahere cognationem ſuſcipiendo, modò vſu rationis vigeant, vt notant P. Sanchez, Reginaldus, Enriquez, & Rodriguez relati per Martinum Bonacinam *de matrimon. quæſt. 3. punct. 5. §. 2. n. 17.* ideſt, dummodò ſeptimum annum exceſſerint, quo frequenter tam viri, quàm fœminæ incipiunt vſu rationis potiri: ex his quæ ſuprà hoc ipſo anno
9 in eius confirmationem cumulauimus. Docent ſuperiorem ſententiam Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c. 16. num. 120.* vbi refert Sairum *lib. 4. tit. 7. dubit. 1.* ideò aſſerentem infantem, de facto baptizatam è lauacro ſuſcipiẽtem, nullam cum ea cognationem contrahere, ſed poſſe liberè, & ſine diſpenſatione illam poſtmodũ vxorem ducere.

10 Vnde cùm dubitaretur, an puer quinque annis poſſet tenere in Confirmatione, vel leuare puerum è ſacrofonte Cõgregatio eminẽtiſſimorum Cardinalium cenſuit nõ poſſe, quia non habet vſum rationis, vt intelligat quid agat, vti refert Cardin. Bellarm. *in obſeruat. ad Trid. Concil. ſeſſ. 24. de reform. matrimonij c. 2. ver. illiuſque patrem:* vbi etiam cum Nauarro *conſil. 3. de cognatione ſpirituali* docet, quòd ſi eſſet ita doli capax, vt intelligeret quid ageret, ætas non eſſet attendenda.

11 Ex quibus colligitur, regulariter loquẽdo, ſeptem annorum ætatem ſufficere, vt tam in Baptiſmo, & Confirmatione, quàm in matrimonio, ſiue vir, ſiue fœmina patrini, vel matrini munus obire rectè queat, cùm ex communi obſeruatione Eccleſiæ ſolus vſus rationis ad id ſufficiat, vt ex dictis conſtat, & ex illis, quæ de teſtibus ad matrimonij ſolemnitatem à Cõſilio requiſitis, qui patrini, & matrinę ſunt, infrà hoc eodẽ anno adnotabimus. Quamuis tam de iſtis teſtibus, ſiue paranymphis ad matrimonium, quàm de ſuſceptoribus ad Baptiſmum cenſeat Poſſeuinus *de offic. curat. cap. 6. num. 29.* circa duodecimum annum habere debere.

SVMMARIVM.

Infantes ante ſeptennium ſacra monialium ingredientes, nec culpam, nec excommunicationem incurrunt.

Nondum ſeptennes in propoſito eos intelligit Llamas, *qui octauum annum nõ attingũt.* 2.

Puellas ſexto anno maiores nequaquam poſſe ingredi clauſtra religioſorum, aliqui exiſtimant. 3.

Puellas decennes minimè ab ingreſſu arceri, alijs magis placet. 4.

Mulierum appellatione illæ ſolæ intelliguntur, quæ impudicitijs aptæ ſunt, & habent annũ duodecimum. 5.

Veriùs eſt iam ſeptennes puellas, etiam ab ingreſſu in clauſtra monachorum prohiberi. 6.

Septennes vſum habẽt rationis, & peccati ſunt capaces. 7.

Septennis licèt peccet clauſtra ingrediendo, nõ tamen ante decimum annum ob id in excommunicationem incidit. 8.

Text. in cap. vnico in principio de regular. lib. 6. & Tridentin. ſeſſ. 25. de regularib. cap. 5. explicatur. 9.

Illa clauſula cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, *nõ cõprehenduntur infantes, aut doli incapaces.* 10.

Nomine perſonarum cuiuſcumque generis, aut conditionis, nõ includuntur perſonæ maioris notæ, vt Reges, Imperatores, Reginæ, & Imperatrices, earumque filij. 11.

Licèt infans ante ſeptennium ingrediens clauſtra non peccet, peccant tamen, & excõmunicantur qui, quæve illum recipiunt. 12. *Cõtrarium verius.* 14. *& ſeqq.*

Prohibitio ingreſſus in clauſtra monaſterij, vt omnis prolapſionis occaſio adimeretur, fuit inducta. 13.

Infantes facillimè plorant, & quidquid vidẽt, aut cum illis agitur, ſtatim loquuntur. 16.

Qui legitima ætate monaſterium monialium ingreditur intra clauſtra maior factus peccat, & in excommunicationem incidit, niſi ſtatim exierit. 17.

Qui aliquid inuenit à tempore, quo cùm poſſet, non reſtituit, furti reus eſſe incipit. 18.

Occaſione alicuius neceſſitatis monaſteria introeuntes peccant, & excommunicantur, ſi finito miniſterio per notabile tẽpus ibi detineãtur. 19. *Contrariũ etiã eſt probabile.* 20.

QVÆSTIO XVI.

Vt clauſuram monialium, & monachorum tam viri, quàm fœminæ abſque peccati, & excommunicationis metu ingrediantur?

1 Nondum ſeptennes, ſiue maſculos, ſiue fœminas eſſe oportere, vt ingredietes ſacra monialium domicilia, nec culpam, nec excomunicationem incurrãt, communi aſſenſu proferũt Scriptores. Sic P. Enriquez *in ſumm. part. 2. lib. 13. cap. 42. §. 3. in gloſ. lit. S.* P. Azor *inſtitut. moral. part. 1. lib. 13. cap. 8. quæſt. 5.* vbi refert Nauarrum ita ſentientem *comment. 4. de Regular. num.* 59. Vgolin. *de officio & poteſt. Epiſcop. capit.* 21. §. 3. *num* 2. P. Ioan. de la Cruz *de ſtatu religionis lib. 1. cap. 5. dub. 2. concluſ. 3. in principio*, Llamas *in methodo curationis in ap-*
2 *pendice quam ponit in fin.* §. 8. qui nondum ſeptennes in propoſito eos intelligere videtur, qui octauum annum non attingunt, P. Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 16. num. 4. & 6.* Marr. Bonacina, vt teſtatur ipſius compendium *verbo monaſterium num.* 8. & noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis capit.* 16. *num.* 115.

3 De ætate verò fœminarum ad ingreſſum in monaſteria Religioſorum non ita planè conſtat. Aliquibus placuit ſexto anno minores, non verò maiores ingredi poſſe. Ita docet Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. in ſuis annotationibus num. 2. verſic. Aduertendum quod ſub nomine*, Manuel Rodriguez *in expoſitione motus proprij Pij V.* de quo *in-*
4 *frà num.* 12. quia huius temporis puellæ vſu rationis non potiuntur. Et tamen alijs non diſplicuit minimè prohiberi ingreſſum puellarum, quæ ſunt decem annorum, eo videlicet, quòd motus proprius Pij V. qui interdicit ingreſſum fœminarum in monaſterium vi-
5 rorum, de mulieribus loquitur. At nomine mulierum, illæ ſolæ comprehenduntur, quæ impudicitijs aptæ ſunt, vt probari videtur ex *l. mulieris. 13. de verbor. ſignificat.* vbi ex D. Auguſtino Fornerius notat, duodecim annorum puellas, mulieres appellari. Quare hanc ſententiam tenet Llamas *vbi ſuprà*, §. 13. *ad finem*, à quo non diſſentit Sorbus *dict. loco*, dum poſſe dici ait ſolas mulieres dicto proprio motu comprehendi, quæ conſummando matrimonio aptæ ſunt, quod vt ſuo tempore oſtendemus, in anno duodecimo, niſi malitia ſuppleat ætatem, ſolet contingere.

Nihilominus idẽ, quod de ingreſſu puerorum & puellarum in monaſteria monialiũ diximus, & de ingreſſu earũ in monaſteria monachorum dicendum eſt, cùm vbique ſit par ratio veluti multi ex *ibidem allegatis* probãt, & præcipuè P. Sanchez *d. lib. 6. c. 17. n. 4.* vbi non obſtare inquit Pium V. nomine mulierũ vſum eſſe, quia revera illo nomine fœminas quaſcumque comprehendere voluit ætatis aptæ ad rationis vſum, quæ ad peccandũ incitare poſſunt, & quibus libido expleri poteſt, *l. penult. ff. vbi pupill. educari deb.* vbi habetur impuberem apud eũ oportere morari, vel educari, qui pudicitię illius nequeat inſidiari: ex quà meritò notat Ægid. *de priuileg. honeſtatis art. 14. n. 7.* etiam in impubere ſiniſtrę, & inhoneſtæ ſuſpicioni eſſe locum. 6

Eamque huius opinionis rationem reddunt, quia omnes poſt ſeptennium, vt vſu rationis pollent, & peccare poſſunt, veluti vtrũque ſuis locis videbitur. At vbi quis mortiferè peccat, in excõmunicationem iuris incurrit, argumento *textus in cap. nemo, & in cap. nullus Epiſcopus. 11. quæſt. 6.* ergo vt fœminæ ingrediendo religioſorum monaſteria, aut tam ipſæ, quàm viri monialium clauſtra, nec inculpam, nec in excommunicationem incidant, ſeptennio minores eſſe debebunt. 7

Verumtamen quamuis hanc ſententiam vt communem, & tantorum virorum reuerear, eam non in omnibus probare audeam. Nam licèt, fatear regulariter loquẽdo, ſtatim poſt ſeptennium culpam committere, qui religioſa clauſtra ſuo ingreſſu violant, non tamen concedam, eos itidem excommunicationis pœnam eodem tempore ſubire, ſiquidem ſeptennes, etſi peccati ſint compotes, nullius tamen cenſuræ ſunt capaces donec ad maiorem illum vſum rationis, & dolum perueneriut, qui decimo anno cum dimidio frequenter accidere ſolet, vt infrà multis eodem anno cõſtabit, & in propoſito docet Paul. Comitol. *reſponſ. moral. lib. 6. quæſt. 19. in fine*, vbi nouem & decem annorum pueros ratione huius ingreſſus excommunicari docet. 8

Nec dictis opponitur *textus in cap. vnico in principio de ſtatu regulari lib. 6.* & eum innouantes Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de. regul. c. 5.* motus proprius Gregor. XIII. incipiens, *vbi gratiæ* editus anno 1575. Idibus Iunij, aliuſque Pij V. qui incipit: *Circa paſtoralis*. Quibus adeò generaliter omnibus clauſurę ingreſſus inhibetur, vt etiã cuiuſcumque ætatis perſonas complectãtur, veluti *d. c. Cõcilij* exprimitur illis verbis: *Ingredi intra ſepta monaſterij nemini liceat, cuiuſcũque generis, aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit* 9

10 *rit,&c.* Nā vt pene omnes ſuprà relati ſentiunt,dum Tridentinum,& cæteræ conſtitutiones hoc generali modo loquendi vtūtur, non comprehendunt infantes, aut doli incapaces,vtpote nec nomine perſonarum cuiuſ-
11 cumque generis,aut conditionis inquit Sanchez *dict.cap.*16.*num.*3.*& dict.cap.*17.*num.*5.comprehendunt perſonas maioris notæ,vt Reges, Reginas, Imperatores, Imperatrices,& filios,& filias eorum. Nam vt iſte ratione potentiæ ſub hac legum generalitate minimè incluſæ cenſentur, nec illi ratione impotentiæ naturalis.

12 An verò hoc etiam procedat reſpectu admittentium,vt ſcilicet non peccent, nec excommunicationem incurrant,qui,quæve ante præſcriptam ætatem, cuiuſcumque ſexus pueros in ſua clauſtra recipiunt,quemadmodum nec peccant, aut ſunt excommunicati ipſi pueri ingredientes? à multis in controuerſiam vocatur. Quidam enim,vt Naldus *in ſumma verbo clauſura num.*3. Vgolinus *vbi ſuprà n.*2. Paul.Comitol.etiam *vbi proximè*, & latiùs *quæſt.*22. procedere negant, & excommunicationis reſeruatę Romano Pontifici pœnam non vitare eas moniales exiſtimant, quæ trimos, quatrimosve pueros, ſeu puellas intra monaſterij ſepta recipiunt. Itaque reſponſum teſtatur Comitolus à Clemēte VIII. & à Cardinali S.Seuerinæ ſummo Pœnitentiario,cùm hac de re conſulerentur.

13 Mouentur primo ex eo,quia hæc prohibitio ingreſſus ad clauſtra religioſa fuit inducta,vt omnis occaſio prolapſionis illis perſonis auferretur,quæ à mundi inſidijs ad monaſticam clauſuram,velut ad tutiſſimum aſylum confugerunt, *dict.cap.vnic.in fin. principij de ſtatu monachor.lib.*6. At hæc occaſio non tolleretur,ſi infantes puellas in monachorū, & infantes pueros in monialium ædes fas eſſet introferre:cùm poſſint audaciùs & ſecuriùs cum tam teneræ ætatis pueris peccare, ex quo neque vim ſcelerum, quam patiuntur, aut repellere, aut viribus vlciſci, aut voce prodere, aut iudicio perſequi poſſunt: ergo tam proximam criminum materiam ſuppeditantes recipiendo cuiuſcumque ſexus, vel ætatis infantes intra monaſterij ſepta, non effugient excommunicationem.

Secundò,quia ſi horū infantium intromiſſio permiſſa eſſet,tempus ſeruandę legis,ſubeundæque pœnæ incertum eſſet,ac varium,& vnuſquiſque ſuo illud fingeret arbitrio.

Tertiò, quia ſequeretur inde; quòd ſi infans duorum annorum intra monaſterij ſepta receptus eſſet,atque in his vſque ad decimū, vel etiam quartumdecimum annum commoraretur,neque illum incommorando, neque moniales in eo retinendo dictarum conſtitutionum pœnis implicari, quoniam nec commorari, nec retineri in aliquo loco, eſt in eum ipſum ingredi,ſeu intromitti, quod eſſet abſurdum.

His tamen non obſtantibus,affirmatiuam ſententiam,quaſi veriorē amplectuntur Granad. *in* 1.2.D.Thom.*controverſ.*7. *tract.*3. 14
*p.*1.*diſp.*6.*ſect.*5.Ioan.de la Cruz,Suarez & alij relati à Merolla *in diſp.Theolog.mor.tom.*1.*diſp.*1.*difficultate* 7.*n.*498. quibus accedunt Hieron.Rodrig.*in compendio Quæſtion. Regular.reſolut.*26.*n.*7. & omnibus illis relatis nouiſſimè Anton.Diana *reſolut.moral.* 3.*p.tract.*2. *de dubijs regular. reſolut.*67. *in fine*,& ante eum expreſſiùs P.Sanchez *d. c.* 16.*n.*5.qui omnes concludunt, hanc prohibitionem minimè ad pueros nondum rationis participes extendi, ac proinde nullius culpæ eſſe reos,qui cauſa eorum ingreſſus in monaſteria ſunt.

Et probari videtur. Nam ſi tenerà ætas & 15
incapacitas,à culpa, & excommunicationis pœna ipſos infantes ingrediētes liberat,quid ni & illos excuſabit,qui eos recipiunt & admittunt,maximè cùm ex eorum ingreſſu eadem inconuenientia ſequi poſſint,quæ in receptione obſeruant aduerſarij? Sed non timentur, quia vix credi poteſt eſſe homines religioſos,aut religioſas fœminas ita faciles ad peccandum,vt ſolo infantium aſpectu prolabantur,aut cum ipſis contendant propriam libidinem explere.

Nec mouet ignorantia,& patientia puero- 16
rum,vt ſuaderi poſſim his faciliùs religioſas perſonas ad turpia cū illis perpetranda inuitari,cùm potiùs tam teneræ ætatis infantuli ita ſint procliues ad plorandum,& ad loquēdum,quidquid aut vident, aut cum ipſis agitur,vt minimè adduci queam futuras eſſe moniales,aut monachos, qui cum tanto periculo à ſua libidine decipiantur.

Neque maioris ponderis eſt abſurdū,quod 17
vltimo loco ex noſtra ſententia pro ſua deducit Comitolus. Nam licèt, ſtrictè loquendo, verum ſit eum non videri turpiter receptum, aut ingreſſum,qui cum legitima ætate in monaſterium reciperetur, vel fuiſſet ingreſſus, ibidē adoleuit. Nihilominus quoad culpā,& cenſuras tunc receptus, & ingreſſus reputabitur,cùm ad illud tēpus peruenerit,quo minimè impunè ingredi,aut recipi poſſet,ſi per eum,aut per recipiētes ſtaret,quominus exiret. Argumento *c.ſi virgo* 5. 34.*q.*1.nō ali- 18
ter ac ille,qui aliquid inueniens nō reſtituit: nam etſi illud inueniendo furtū non commiſerit,ex quo tamen poſt debitū tempus retinet,& domino nō reſtituit,furari incipit, *cap.*

ſiquid inueniſti 6. 14.*quæſt.*5. Itaque ſentire videntur Mart. Bonacina *de clauſura tom.*1. *quæſt.*4. *punct.*4.*num.*22.Naldus *in ſumma*
19 *verbo Monialis,*& nouiſſimè Merolla *vbi ſuprà,*dum affirmat ingredientes Monaſterium cum licentia, aut occaſione alicuius neceſſitatis peccare,& in excommunicationem incidere,ſi finito miniſterio multo ſpatio ibi morentur, ſiquidem ex quo res deducta eſt ad caſum,à quo incipere non poterat,neceſſariò ex tunc vt pœnæ cōmittantur, recepti,
20 aut ingreſſi cenſendi erunt. Etſi non me lateat contrariam ſententiam alia ratione cōtra Merollam ex Sancio, & alijs non minùs probabilem appellaſſe Dianam *d. tractatu reſolut.*51.*ex d.reſolut.*67.*paulò poſt principium,* & rurſus 4.*part. tractat.*4.*Miſcellaneo reſolut.* 90. vbi Aloyſium Bariolam refert ita ſentientem contra Naldum *ſuprà in aphoriſmis lit.M.verbo Moniales,*§.8.

SVMMARIVM.

B*Aptiſma votũ eſt de Fide Chriſti ſeruãda.*1. *Et quomodò hoc intelligatur.* 18.

*Septennem voto poſſe obligari multis placet.*2.

*Vſus rationis communiter poſt ſeptimum annum contingit.*3.

Eadem ætas requiritur, vt quis Deo per votum,& Diabolo per mortale obligetur. 4. & 8.

*Votum à ſeptenne emiſſum nullo iure irritatur.*5.

Votum vltramarinum ab impubere factum, quando teneat? 6.

*Aliqui docent,non niſi poſt decimumquartum annum maſculum, & poſt duodecimum fœminan,voto obligari poſſe.*7.

*Statim poſt completum ſeptennium,tam maſculos ,quàm fœminas voto obligari verius eſt.*9.

Vſu rationis deficiente, nemo,etiam grandis natu,voto manet obſtrictus, ibidem & ſequentibus.

Text.in cap.quicumque 3. 77.*diſtinct. nouè intelligitur.*11.

*Vbi non conſtat deficere vſum rationis, tenet votum poſt ſeptennium.*12.

*In dubio,elapſo ſeptimo anno vſus rationis,& voti valor præſumitur.*13.

*Contrariæ ſententiæ fundamentis reſpondetur.*14.

*L.*2.*ff.de pollicitationibus verè, & nouiter explicatur.*15.

*L.Obligari.*43.*ff.de. actio. & obligat. eodem modo intelligitur.*16.

*Mater familias,& ſui iuris, & voti compos videtur.*17.

QVÆSTIO XVII.

Vt emiſsione cuiuſcumque voti ſimplicis, etiam religionis, quis maneat obſtrictus?

GRauis eſt inter Doctores hæc altercatio,& meritò. Nã cùm primo obtutu videatur quamlibet minorem ætatem, vt Baptiſmatis (quod votum eſſe de ſuſcepta Chriſti Fide ſeruanda veteres Theologi vnà cum Magiſtro Sentent.*in* 4.*diſtinct.*38. voluerunt, quos refert Suarez *tom.*2. *de Religione lib.*3.*cap.*2.*num.*5.) ita & alterius cuiuſcumque ſimplicis voti eſſe compotem:nihilominus tam noſtri,quàm Theologi in di- 1
uerſas opinationes diſceſſerunt. Nonnullis 2
placet illam ſaltim ætatis metam,quæ à fine primi ſeptēnij tam in fœminis,quàm in maſculis incipit,ſufficere,& voto eſſe adæquatã, pro quibus hæ pugnant rationes.

In primis,quòd hoc tempore,& non anteà 3
communiter fulget vſus rationis, vt ſæpiùs diximus, & latiùs ſuprà hoc anno,at illũ habens vouere poteſt,veluti omnes proximè recenſendi fatentur: ergo & qui ſeptimum annum exceſſit,voti rèus eſſe poterit.

Deinde, quia tunc poteſt iſte ſe obligare 4
Diabolo per peccatũ, & homini per ſponſalia ex rationibus, quas ſuprà proprio loco expendimus: igitur,& Deo per votum. Nam vt inquit Paludanus *in* 4.*diſtinct.*38.*quæſt.*1. *col.*2.cuius opinionem probat Nauarrus *in cap.*12.*num.*24. Innocent. *in cap. ſcripturæ de voto,& ibidem* Hoſtienſ.*n.*7. Ioan. Andr. *num.*4.& Paul. Comitol.*reſponſ.moral.lib.*2. *quæſt.*7. Suarez, Sanchez, & alij infrà referendi: Illa igitur deliberatio temporis vel ætatis,quæ ſufficeret ad obligandum Diabolo per mortale,ſufficit ad obligandum Deo per votum.

Rurſus & ex eo ſuadetur hæc opinio,quòd 5
votum hac ætate emiſſum nullo iure irritatur. Non iure naturæ,quia habet deliberationem,& voluntarium ſufficiens. Nec iure humano,quia nullibi cautum legitur inualidum eſſe votum poſt primum ætatis ſeptennium factum:ergo neceſſariò valere debet.

Et tamen manifeſtè confirmari videtur ex 6
*cap.*2. *de voto,* vbi votum vltramarinum ab eo emiſſum,qui in puerili ætate erat conſtitutus,

tutus, ideſt in ſecundo vitæ ſeptennio, quo pueritia incipit, vt multis poſtmodum apparebit, indiget abſolutione: ergo quia erat firmum.

Quibus rationibus ſubnixi præfatæ ſententiæ ſubſcripſere ex Neotericis P. Suarez *vbi ſuprà*, Lopez Stunica *tract. de voto quæſt. 3. num. 86.* P. Sanchez, qui plures allegat, *lib. 4. ſumm. cap. 18. num. 5.* vbi id etiam in voto religionis procedere affirmar, Mart. Bonacina, vt haberur *in compendio verbo, votum num. 1.* & ab ea recedere non videtur Paul. Comitol. *loco vbi ſuprà*, dum minorum decennio, inquit, voto religionis obſtringere ſe poſſe.

7 Ab iſtis tamen plerique diſſentiunt, quibus cùm magis probetur puberem ætatem quatuordecim annorum in maſculis, & duodecim in fœminis eſſe voto neceſſariam, abſolutè proferunr, nulla impuberum vota valida eſſe. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 9. & quæſt. 189. art. 5.* vbi vſum rationis ad votum requiſitum naſci ait ferè ad decimumquartum annum progreſſa ætate, & confirmat *in 4. ſentent. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 2.* cùm dicit in fine ſecundi ſeptennij iam poſſe puerũ obligare ſe de his, quæ ad perſonam ipſius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium. Sequitur Syluester *verbo religio. 2. §. 15. & verbo Baptiſmus, §. 8.* Angel. *in verbo Religio. 2 §. 6.* Palacius *in 4. diſtinct. 38. diſp. 1. fol. 870. colum. 2.* idemque ſentire viderur Gregor. Lopez *in l. 3. verbo de edad tit. 8. part. 1.* vbi abſolutè docet impuberem vouendi legitimam ætatem non habere.

Et fulciri poſſe videtur hæc ſententia ex textu *in cap. 1. 20. quæſt. 1.* vbi ætas ad matrimonium, & liberos generandos neceſſaria, quæ pubertatis eſt, etiam ad voti promiſſionem requiritur, his verbis: *Firma autem tunc erit profeſſio virginitatis, ex quo adulta iam ætas eſſe cœperit, & quæ ſolet apta nuptijs deputari, ac perfecta.* Necnon & authoritate Conſulti *in l. 2. verſ. voto autem, ff. de pollicitationibus*, qua cauetur, voto ſolùm puberes patres familias obligari.

8 Quam opinionem amplectens D. Bonauent. etiam *in 4. diſtinct. 38. quæſt. 3 num. 27.* præcipuo fundamento contrariæ ſententiæ ita reſpondit. *Ad illud quod obijcitur de obligatione Diaboli, dicẽdum, quòd illa ſit ſola voluntatis libertate, ſed non ſic eſt de obligatione ad Deum quãtum ad votum, quoniam reſpicit aliquod opus, reſpectu cuius frequenter liberum arbitrium non habet, poſſe vel de facto, vel etiam de iure.* Cui item conſentit D. Anton. *in 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 6. col. 2.* in hæc verba: *Et licèt Hugo dixerit, quòd ſtatim quòd malitia ſupplet ætatem, poſſit ſe vouere Deo, ſicut & dare Diabolo: tamen contrarium tenẽt communiter Canoniſtæ:* quæ omnia refert Comitol. *dict. quæſt. 7.*

Cæterùm, cùm hæc ſententia nullo valido munimine ſtabiliatur, non erit cur ab oppoſita, quaſi communi, & rationi magis conſona, diſcedamus. Ideò tenendum nobis erit, ſeptennium completum regulariter ætatem præſumi ſufficientem, ſiue in maſculis, ſiue in fœminis ad cuiuſcumque ſimplicis voti, etiã religionis, obligationem. Dixi enim hanc præſumi ætatem legitimam, quia non ſemper ea votum poteſt validè emitti, ſed tunc ſolùm, cùm ſufficienti vſu rationis pollet, qui præcisè & eſſentialiter ad voti valorem requiritur. Sed quoniam ferè ſemper hac ætate eiuſmodi vſus rationis adeſt, inde eſt præſumptionem pro ſe habere, vt ſufficiens ad vouendum credatur. 9

Quare rectè exiſtimauit Sanchez *dict. cap. 18. num. 6.* non tam ſeptennij ætatem, quàm rationis vſum ſpectari debere, quo voti valor dijudicetur, cùm poſſit cõtingere, vt tardiùs, aut citiùs perfectus vſus rationis ad mortale petitus adſit: ac tunc valebit votũ, vt docet Caietan. *in ſumm. verbo Votũ c. 3. §. imperfectio autẽ ætatis*, Armilla, Sotus, Aragõ. Manuel, & alij ab ipſo relati. Quapropter ſi conſtiterit, iam ſeptennem nullius vſus rationis eſſe compotem, quamuis prędicta ætate votum emiſerit, eo non obligabitur: quia ſeptennium in tantum ætas legitima ad vouendum cenſetur, inquantum ſolet vſu rationis comitari: vt ex contrario cùm de eo ante dictam ætatem apparuerit, qui tunc votum emiſerit, obſtrictus remanebit. Quoniam vt diximus, non tam ætas, quàm vſus rationis in voto conſideratur. 10

Hinc luce donatur perobſcurus Siriaci Papæ locus *in cap. quicumque 3. 77. diſtinct.* quo ſupponitur ſaltim in codicibus Gregorianis, poſſe quem à ſua infantia obſequijs Eccleſiæ voto obligari, his verbis: *Quicumque itaque ſe Eccleſiæ vouerit obſequijs à ſua infantia, &c.* loquitur enim hîc S. P. de illis, qui licèt in infantia eſſent conſtituti, vſum tamen rationis ad vouendum neceſſarium aſſequebantur. Quamuis verius ſemper crediderim, hoc *cap.* non agi propriè de voto, ſed impropriè, & prout importat tantum propoſitum & deſiderium: vti etiam hanc eſſe voti ſignificationem probat Suarez *dict. lib. 4. c. 2. num. 7.* vt vel ex eo colligitur, quod factum eſſe proponitur ab eo, qui nondum per Baptiſmum Fidem ſuſceperat. Quam coniecturam planè firmare videtur antiqua ſcriptura, quæ in Codice Lugdunẽſi anni 1571. 11

D. Didac. de Narbona.

& alijs,

& alijs, ita habetur: *Quicumque ita ſe voluerit obſequijs Eccleſiæ à ſua infantia*, vbi nulla voti, ſed voluntatis tantùm fit mentio.

12 Igitur vt rem proſequamur, vbicumque manifeſtis indicijs non apparet poſt ſeptimum annum deficere vſum rationis, ſemper ea ætate emiſſum votum firmum, & efficax iudicabitur: quia præſumptio vſus rationis ad vouendum ſtat pro hac ætate. Adeò qui-
13 dem, inquit P. Sanchez *lib. 1. de matrim. diſputat. 9. num.* 14. & rurſus *lib.* 4. *ſumm. cap.* 1. *eodem numero*, vt ſi dubitetur, an plenus vſus rationis vouenti adfuerit, ac per conſequens, an votum ab eo promiſſum ſit validũ, inſpiciendum ſit, vtrùm ſeptimum annum egerit, qui votum emiſerit, necne. Nam priori caſu præſumendus erit in eo dubio vſus rationis, & votum eſſe validum, ſecus verò in poſteriori.

14 Quibus ita præmiſſis, non vrgent pro contraria opinione ſuperiùs adducta. Non vtique *dict. cap.* 1. 20. *quæſt.* 1. quia ex ſequentibus ipſius verbis colligitur in eo agi de voto ſolemni profeſſionis, quod, vt ſuo loco dicemus, non niſi pubertate fieri poterat. Nec *d.*
15 *l.* 2. *de pollicitationibus* maiorem difficultatẽ ingerit, quia, vt notat Connan. *cõmentar. lib.* 5. *cap.* 8. *ad calcem*, de voto reali ibi diſcutit Vlpianus, quo aliqua bonorum pars Deo promittebatur. Quapropter, inquit, tali voto ſolos patresfamilias puberes ſui iuris obſtringi, cùm hi & habeant bona, & liberam eorum adminiſtrationem, vel quia nullis curatoribus reguntur, aut (quod certius eſt) quia iam in ea ætate exiſtunt, qua illis non egeant. Loquitur enim ibi proculdubio Cõſult. de illis puberibus, qui vigeſimo & quinto anno maiores ſunt, nam & iſti puberes appellantur *l. cum filia* 50. *verſic. Ego quidem, de legat.* 3. alioquin neſcio quem ſenſum habere poſſint ea Conſulti verba: *Voto autem patresfamiliarum obligantur puberes ſui iuris.* Quandoque nullo alio modo, qui paterfamilias, ac per conſequens & ſui iuris exiſtit. *l. nam & ciuium* 4. *de his qui ſui, vel alieni iuris ſunt*, ampliùs ſui iuris effici queat, niſi perueniendo ad maiorem ætatem, qua frequenter puberes & ſuæ tutelæ, & ſui iuris fieri dicuntur, *dict. l. cum filio*, ibi: *Sic autem hæc ſcriptura varia eſt, & voluntatis habet quæſtionem, vt illa quoque ſi quis ita ſcripſerit, cùm ſui iuris fuerit factus. Nam aliter aliàs accipiatur: & plerumque poteſtatis liberationem continet: plerumque pubertatem, vel viceſimum quintum annum*, ſcilicet, vt opti-
16 mè *ibidem* interpretatur Accurſius, cum puberi patrifamilias ſic eſt relictum: quomodò etiam intelligi poſſe arbitror ſimile Conſulti reſponſum in *l. obligari.* 43. *ff. de actio. & obligatio.* etſi non me lateat aliter hæc iura interpretatũ fuiſſe Cuiac. Donellum, Oſualdum, & alios, quos *infrà anno* 14. vbi de ætate ad ciuilem obligationem recenſebimus.

Et licèt illa verba *Sui iuris*, vt alias expli- 17
cuit Cuiacius *lib.* 21. *obſeruat. cap.* 23. potiùs adiecta alicui videantur ad excludendas matresfamilias, quæ etiam patrumfamilias appellatione ſolent contineri: & tamen non ſui iuris erant, quia in perpetua tutela detinebantur, vt *infrà* notabimus. Hoc tamen vix defendi poteſt, tùm quia nihilominus matresfamilias ſuæ poteſtatis & ſui iuris, vt & patresfamilias nuncupãtur, *dict. l. nam & ciuium* 4. tum etiam, quia nullibi mulieribus vota interdicuntur, imò ex eo illis permiſſa poſſunt intelligi, quia & pollicitationes eis licent. *l. Septitia.* 10. *de pollicitation.*

Et demùm minus vrget quod de Baptiſ- 18
mi voto initio propoſuimus, quia, vt pluribus docent Azor *inſtitut. moral. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 14. *quæſt.* 3. & Suarez *dict. tom.* 2. *de religio. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 6. & 7. in Baptiſmo propriè votum non fit, ſed tantùm profeſſio Fidei, quæ in multis à voto diſtat, vt ipſi obſeruant.

SVMMARIVM.

Iuuentutem aptiorem ætatem eſſe ad diſcendum, multi docent. 1.
Natura in iuuentute fortior exiſtit ad operandum. 2.
Pueri & mulieres, quia nimia humiditate abũdant minus ſapiunt. 3.
Iuriſprudentia debet in iuuentute addiſci. 4.
Pueritia tamen aptior ad diſcendum videtur. 5.
Pueri antiquitùs erudiebantur. 6.
Iam ſeptennes ſcholis mancipari debent. 7.
Prima infantiæ ætate, licèt quis ſit rudis, in Fide tamen inſtrui debet. 8.
Ad ſcientias perdiſcendas vt maior capacitas, ita & maior ætas exigitur. 9.
Singula artificia ſuam habent ætatem, nec vna omnibus ſufficit. 10. & 11.
Studijs etiam diuerſis, diuerſas ætates antiqui deſignabant. 12.

QVÆST.

QVÆSTIO XVIII.

Ad diſciplinas perdiſcendas, quæ ætas ſit aptior?

1 ADoleſcentiam eſſe vulgò profertur, ex Ariſtotele *in problem. ſectio. 30. problem. 4.* vbi ſic legitur: *Vt igitur manu nō inde abortu natura vti poſſumus, ſed cùm eam natura abſoluit, perficitque, ita etiam mens, quæ res naturalis eſt, non protinus nobis contingit.* Pro quo facit quod ſcribit Galenus in oratione, qua ad artes perdiſcendas hortatur. Nempe eo maximè tempore incūbendum eſſe ſcientijs, quo formoſiſſima noſtra cernuntur corpora. Ideſt vt interpretatur optimè P. Franciſc. de Mendoça *in viridario ſacræ ac profanæ eruditionis*, hac de re agens, *lib. 4. problem. 20.* adulta & confirmata iam ætate: dixit expreſſiùs Seneca *lib. 19. epiſt. 108. ad Lucillum*, his verbis: *Iuuenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem ad meliora conuertere, quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingenijs, & exercendis per opera corporibus*, refert Tiraquel. *in l. 6. connubiali gloſ. 1. num. 3. in fin.* Anton. Diez *libello de ſalarijs liberorum 2. part. num. 47.*

2 Et confirmat hanc opinionem Mendoça *vbi ſuprà*, ſequentibus argumentis. Primò, quia diſcendi ſtudium (refero ipſius verba) tunc maximè opportunum eſt, cùm natura ad operandum exiſtit fortior, ad perſeuerandum promptior, ad intelligendum paratior. Sed hoc in adulta ætate potiſſimum contingit in qua potentiæ ad exequenda ſua munia magis ſunt diſpoſitę. Hæc igitur ætas ad diſcendum eſt accommodatior.

3 Deinde nimia humiditas, vt communis eſt ſapientium conſenſus, intelligentiæ officit: vnde fœminæ, quia humiditate ſuperant, prudentia ſuperantur, atqui in pueritia humiditas præter modum abundat, vt notum eſt. Eſt igitur ad perdiſcendum minus apta pueritia, quàm adoleſcentia, & quæcumque adulta ætas.

4 Vnde *ex procœmio inſtitution.* ibi: *Cupidæ legum iuuentuti*, & ex Fabro notat Petrus Riciardus *in §. ſed non vſque num. 43. verſ. Tertiò noto, de legatis*, quòd leges debent addiſci in adoleſcentia, ideſt earum ſtudium ab adoleſcentia incipi, & vt inquit idem Faber, etiam per totum vitæ tempus proſequi, reſeruatis congruis horis pro Dei ſeruitio, & corporis requie, argumento *l. 1. C. de Athletis lib. 10.* quamuis teſte Iacobo Cuiacio *in l. 5. ff. de minoribus*, Ariſtotel. ſcribat adoleſcentes non eſſe Moralis Philoſophiæ optimos auditores.

Verumtamen, tum propter vitæ breuitatem, rerumque multitudinem, tum propter naturæ ſtatum, aptior Franciſco Mendoça pueritia videtur ad diſcendum, quàm vlla alia vitæ humanæ ætas. Ducitur authoritate Ariſtotelis eodem loco, ſed alijs verbis: *Diſcimus*, inquit, *ocyùs iuniores, quia rem ferme nullam tenemus. Cùm enim res pleraſque ſcimus, non æquè præterea capere alias poſſumus, quomodò etiam meminiſſe meliùs ea valeamus, quæ mane primum percipimus.* Necnon & trita illa ſententia eorum, qui de inſtitutione puerorum multa præclarè ſcribentes edocuerunt, à primis annis exordiendum eſſe: nimirum, quia mentes ea ætate curis ſunt vacuæ, & facilè quodcumque percipiunt. 5

Sed alijs rationibus prædicta opinio mihi probatur. Primùm, quia vt apparet ex *l. ſin autem. 17. §. fin. de reivindicat. l. ſi quid. 117. de legat. 1. l. item quæritur. 13. §. idem Iulianus lib. 8. ff. locati*, vbi de pupillo ſutore, & *l. ſi impenſæ. 78. de verbor. ſignificat.* pueri erudiebantur: vnde D. Cyprianus *in cap. pro dilectione. 95. de conſecrat. diſtinct. 2.* hiſtrionem quemdam, Magiſtrum, & Doctorem, nō erudiendorum, ſed perdendorum puerorum appellat: ergo quia illa ætas habita fuit eruditionis capax. 6

Secundum ex eo, quia vt hoc eodem anno probabimus, *quæſt. 21.* educationis cauſa nulla puella in monialium monaſteria ante ſeptimum ætatis annum elapſum, in quo pueritia incipit, veluti etiam alibi oſtendemus, ingredi poteſt: ergo quia infantia, & nō pueritia diſciplinis inepta cenſetur. Quare hanc ſententiam etſi nullo expreſſo fundamento, meritò docuerunt Sotus *in 4. diſtinct. 27. q. 2. art. 2.* vbi ita inquit, *Et hoc eſt tempus ſecundæ ætatis, nempe pueritiæ, quæ per ſecundum ſeptennium currit. Quo ideò tempore nēpe ſeptem annorum, ſcholis puer ad diſcēdum mancipatur*: & ab eo parum diſſentiens P. Rebuf. *in l. pueri. 204. verſic. vltimo, de verbor. ſignificat.* dum ait, primam ætatem vſque ad ſeptennium ita præpeditam eſſe omnibus agendis, vt vix idonea ſit ad diſcendum prima elementa, quamuis ea ad Fidem omnes inſtrui debeant. 7 8

Nec aliud euincunt initio pro adoleſcentia conſtituta, cùm tantùm reſpectu ſcientiarum procedant, ad quarum ſtudium maior ratio, & capacitas exigitur, non verò reſpectu aliarum rerum & diſciplinarum, quibus aſſequēdis mediocre iudicium, vt puerorum, ſuffi- 9

10 ſufficit. Nec enim par iudicium, vel ætas ad omnia artificia, vel ſtudia deſideratur, *l. Stichus liber. 12. ff. de legat. 3.* vbi cùm hæres eſſet à teſtatore grauatus, vt Stichum artificium doceret, vnde ſe tueri poſſet, inquit Cõſultus Prætorem arbitraturum ex voluntate defuncti, & ætate, & conditione, & natura, ingenioque eius, cui relictum erit, quod potiſſimum artificium hæres docere debeat.

11 Et confirmatur hæc ſententia *ex l. legatis ſeruis. 65. §. ornatricibus, ff. de legat. 3.* vbi inquit Martianus, omnes adhuc diſcere poſſe artificium, ideſt, vt ego exaudio, non tantùm adulti, adultæve, ſed etiam pueri, & puellæ, quod humanæ naturæ congruum eſſe fatetur.

12 Dictiſque concinunt elegantiſſima hæc Aloyſij Luſini verba de veterum inſtitutis agentis *lib. 2. de cõpeſcendis animi afflictionibus cap. 4.* In primo enim ſeptennio (elapſo vt interpretor) pueros ita alimentis, exercitationibuſque educabantur, vt eorum corpora non ſolùm ſtudijs, verùm & omnibus vitæ actionibus idonea redderent. In ſecundo, prima eos Philoſophiæ parte, quam vt inſtrumentum dicere poſſumus, imbuebant, Logica ſcilicet, quæ Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Poeticæ, Hiſtoricæque nominibus continetur. Tertiò ſeptennio, quod erat ab annis 14. ad 21. ad ſecundam Philoſophiæ partem, Mathematicam nuncupatam, ipſos prouehebant, ideſt, ad Geometriam, Arithmeticam, Muſicam, Aſtrologiam. Quartò deinceps, quod erat ab annis altero & vigeſimo, ad vigeſimum octauum libris dicabant naturalis Philoſophiæ, quorum alij principia rerum naturalium concernunt, vt qui Phyſica auſcultatione, deque anima inſcribuntur: alij res naturales ipſas, vt qui de generatione, & corruptione, de animalibus, de plantis, de metallis, ac meteoris: nonnulli quædam reſpiciunt res naturales conſequentia, qualia ſunt locus, tẽpus, motus, de quibus agitur in libris Phyſicis. Quintò ſeptennio, quod ab anno vigeſimooctauo ad trigeſimumquintum pertinebat, ad Moralẽ Philoſophiam traducebant, ea ratione arbitror, quòd hominem viderent in eo ſeptennio plus habentem doctrinæ, pluſque experientiæ, magis exinde poſſe paſſionibus, ac perturbationibus animi reſiſtere. Reliquum verò, quod ſupererat vitæ totum, id homo ſpeculatiuis moralibuſque inſtructus, & veluti ex ignorantiæ tenebris ereptus, vitiorumque labe purgatus, animum à terra ſublatum ad altiorem doctrinã, vtpote Metaphyſicam erigebat, dum illum ſpeculationibus rerum incorporearum, ac immortalium, quales ſunt omnes ſeparatæ ſubſtãtiæ cæleſtes occuparet. Hactenus Luſinus, quem refert Petrus Bungus *de myſterijs numerorum num. 7.* ad medium, vbi etiam ex Fabio Paulino *lib. 5. hebdomad. capit. 5.* ſeptimo vitæ ſeptennio fructum demum omnem antè actæ vitæ, legendo, & commentando percepiſſe notat.

SVMMARIVM.

IVre naturali non certa ætas, ſed vſus tantùm rationis ad ſponſalia requiritur. 1.

Sponſalia ex diſpoſitione iuris poſitiui nequeunt ante ſeptennium contrahi. 2.

Vſus rationis regulariter, & maſculis, & fœminis ſeptimo anno incipit. 3.

L. in ſponſalibus. 14. ff. de ſponſalibus nonè intelligitur. 4.

C. iuuenis 2. de ſponſalibus, exponitur. 5.

Septennium ad ſponſalia ſecundùm aliquos, mathematicè completum eſſe debet. 6.

Probabilius eſt ſufficere, ſi moraliter ſit expletum. 7.

Septennium dicitur moraliter perfectum, licèt ex eo decem dies deficiant, ibidem.

Ante ſeptimum ætatis annum nemo idoneus cenſetur ad ſponſalia, etiamſi habeat vſum rationis. 8.

Vſu rationis ſuppleri ætatem ſponſaliorum multi docent. 9.

Licèt ſolus vſus rationis, abſque generandi potentia non ſufficiat, vt ante puberes annos matrimonium contrahatur, ſufficit tamen, vt poſt id tempus contrahi poſſit, etſi non adfuerit dicta potentia. 10.

Eos, qui ante perfectam ſeptennij ætatẽ ſponſalia contrahunt, mortaliter peccare aliquibus placet: ſed contrarium eſt verius. 11.

Sponſalia nondum expleto ſeptennio contracta irrita ſunt. 12.

Sponſio futuri matrimonij infanti facta, nullius eſt momenti, ibidem.

QVÆSTIO XIX.

Sponſalia de futuro, vt validè contrahantur?

ETenim licèt iure naturali inſpecto vſus rationis, qui ad ſponſaliorum valorem requiritur, quocumque in tẽpore ſuperueniens ſufficiat, vt ipſorum contractus teneat: iure tamen poſitiuo, Eccleſiaſtico, ciuili, & patrio id negatur: & ante ſeptennium perfectũ omnibus indiſtinctè, ſiue maſculis, ſiue

ſiue fœminis contrahendi ſponſalia facultas inhibetur. Ita à Modeſtino cauetur *in l. in ſponſalibus.* 14.*ff.de ſponſal.*profertur ab Alexand.& Innocent.III.*in cap.literas* 4.*& in cap.acceſſit* 5.*cap.ad diſſoluendum.*13.*de deſponſat.impuber*, quibus conteſtatur Bonifacius VIII.*in cap.vnic. in principio eodem titulo lib.6.* & tandem continetur Hiſpanica *l.6.& fin.tit.*1.*part.*4.

3 Quod rectè ſtatutum eſt,quia vſus rationis ad ſponſalia neceſſarius, regulariter ipſa experientia commonſtrante,hac ætate maſculis pariter ac fœminis incipit,vt expreſſis *d.l. patriæ* ſequentibus verbis conuincitur: *Porque eſtonce comiençan à auer entendimiẽto, è ſon de edad que les place las deſpoſajas*, & concludit *l. ſi infanti*, §.*vlt.*iuncta *l. potuit,C.de iure deliber.*Ideò hanc ſententiam velut indubitatam tuentur præter antiquiores, Iacobus Cuiac. *lib.6. obſeruat. cap.16.* Gregor.Lopez *in dict.ll. part.*Quintil.Mandoſ. *de ætate minor.cap.4.num.*11.Barnab. Briſon.*de ritu nuptiar.fol.mihi* 153.Viuald. *in candelab.aureo titulo de ſponſalib.num.*12. Petr.Mozius *de contract.titulo de nuptijs*, §. *qui poſſint contrahere ſponſalia num.*2. Petr. Cenedus *in collect.in.ad Decretal.lib.2.collectan.97.num.*2.vbi plures refert Ægidius *de Sacram.diſputat.*21.*dub.*7.*num.*50.Didacus Medran.*de conſenſu connubiali cap.7.num.*2. Anaſtaſius Germonius *animaduerſion.lib.* 2. *cap.*6.P.Thom.Sanchez *de matrimon. lib.*1. *diſputat.*16.*num.*2.P.Baſilius *eodem tractat. lib.*12.*cap.*5.*num.*3.Ioan.Gutier. *ſimili tractat.cap.*2.*num.*1.Bonacin.etiam *de matrim. quæſt.*1.*punct.*4.*propoſ.*1.*num.*1. P.Hurtado item *de matrim.diſputat.*1.*diſſi.ult.*14.*in principio*, nouiſſimè Antonin.Diana *reſolut. moral.tractat.de Sacram.*4.*reſolut.*274.*cum ſequentibus.* Et tandem in hanc ſententiam incidunt omnes,quibus de hac re diſputare contingit.

4 Nec contrarium,quoad ius ciuile attinet, ſuadere videtur *dict.l. in ſponſalibus.* 14. vbi Conſultus apertè reſpondit , in ſponſalibus contrahendis ætatem contrahentium definitam non eſſe, imò à primordio ætatis ſponſalia effici poſſe. Quibus verbis cum poſterioribus eiuſdem legis manifeſta pugna ineſſe videtur,cùm his reſolutiuè proferatur ſeptem annis minores ſponſalibus non ſufficere: quoniam omiſſa communi expoſitione, quam *ad dict.l.* afferunt Thom.Sancius *vbi ſuprà num.*3.& Ioan.Gutier.*dict.loco eodem num.*3.Nec non & reiecta emendatione Antonij Fabri *in Iuriſprudẽtia Papinian.tit.*12. *princip.*6.*illatione* 8.*verſic. Solam ſponſaliorum cauſam excipio*,vbi *dict.l.finalis* verba,vt Triboniani, & mali interpretis reijcienda eſſe contendit,abſoluta remanente ſententia legis initio comprehenſa,dicẽdum arbitror, nullum diſcrimen aſſignari poſſe inter verba *dictæ l.*imò omnia rectè cohærere. Nã quod principio aſſerit Conſultus, in ſponſalibus contrahendis ætatem contrahentium definitam non eſſe,vt in matrimonijs,eum ſenſum habet , vt non eandem ætatem ad ſponſalia deſignatam ſignificet,quæ ad matrimonium præſcripta legitur,ideſt duodecimum annum in fœminis, & quartumdecimum in maſculis: quia à primordio ætatis,videlicet à prima ætate,ſiue pueritia,vt Cuiacius interpretatur, validè ſpõſalia contrahi poſſunt,dummodò contrahentes ſeptennio minores non exiſtant,ſiquidem huius ætatis neceſſariò eſſe debent, vt contractus ſubſiſtat, tunc enim temporis , quid fiat à contrahentibus rectè intelligitur. Et hanc eſſe veram, & neceſſariam *d.legis* ſententiam,ex eo deprehendere licet,quod Modeſtinus *lib.*4.*ſuarum differ.* ex quo *d.lex* fuit deſumpta,vt ex epigraphe conſtat,de his agit,in quibus ſponſalia à matrimonio differunt,veluti præfatur Iacobus Cuiac.*in principio recitat. ad dictum librum* 4. *differentia Modeſtin.* ergo manifeſtum eſt differentiæ loco illud conſtituiſſe Iuriſconſultum, vt non eadem ætas ad ſponſalia requiratur,quæ ad matrimonium,ſed quòd minor ad ſponſalia ſufficiat,in quo apertè à matrimonio ſponſaliorum contractus diſſidet. Aliter enim à ſeipſo diſſentiret Modeſtinus *d.reſponſo*,quod dicendum non eſt.

Minuſque ſi ius Pontificium intueamur, 5
recepta ſententia de ſeptennio requiſito ad ſponſalia in dubium reuocatur Eugenij III. reſcripto *in cap.iuuenis* 2.*de ſponſalib.*vbi ex ſponſalibus cum puella nondum ſeptenni à iuuene contractis oriri decernitur impedimentum publicæ honeſtatis,quod nequaquã naſceretur,niſi valida fuiſſent ſponſalia,vt ex eiuſdem Eugenij verbis colligitur,ibi: *Quia ipſa coniux ipſius eſſe dicitur*, & probatur expreſſiùs in *cap.vnico de deſponſat.impub.lib.6.* ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.*24. *c.* 3. de quo infrà latiùs agemus,ſiquidem eiuſmodi obiectioni occurritur aſſerendo,dictam deciſionem procedere ſolùm quoad impedimentum publicæ honeſtatis,quod oriri affirmat etiam ex ſpõſalibus inualidis cum minore ſeptem annis contractis, quoties ſcilicet illæ duæ cauſæ concurrunt,cohabitatio inquam,& attrectatio. Quia inhoneſtum eſſe videtur , vt qui puellam,licèt nondum viri potentem,vti vxorem in domum duxit,& deintegrare tentauit,cum ipſius poſtmodum conſobrina matrimonium contrahat , vt de impedimento publi-

publicæ honeſtatis poſteà agentes latiùs dicemus, & placet Iacobo Cuiacio *in dict. cap.* & Anaſtaſio Germonio *dict. lib. 2. animaduer. cap. 6.* ex qua textus ſpecie tantum abeſt, vt deduci poſſit ſponſalia cum minore ſeptem annis celebrata effectum ſortiri, quòd imò expreſſe ex ea colligatur inutilia fuiſſe, ſed alia ratione, cohabitationis ſcilicet, & attrectationis, ex eis iuſtitiam ortam fuiſſe publicæ honeſtatis.

6 Liquet ergo ex ſuperioribus citrà omnem cõtrouerſiam eſſe iure tam ciuili, quâm Pontificio, & Regio ſeptennium ad ſpõſaliorum contractum neceſſariſſimum eſſe. Adeò quidem putant Cuiac. *dict. lib. 6. obſeru. cap. 16.* Sanch. *dict. lib. 1. diſput. 16 num. 4.* Coninch *dict. diſput. 21. dub. 5. n. 51.* Poncius *de matrim. lib. 12. cap. 5. num. 3.* Hurtado *dicta diſput. 1. difficult. 4.* vt mathematicè completum eſſe debeat, nec ſufficiat ſi vltima dies ſeptimi anni cœpta ſit, quia ſicut pretium in indiuiſibili conſiſtit, ita & ætas iure deſignata, cũ ea ratione præſcribatur, ne cuilibet ſuo iudicio liceat illam mutare, quod vtique liceret ſi in indiuiſibili nõ conſiſteret. Sed nihilominus contrarium defendunt Sotus *in 4. diſt.*
7 *27. art. 2.* Quint. Mandoſ. *vbi ſuprà,* Rebel. *de obligat. iuſtit. lib. 4. quæſt. 5. con. 2. num. 2.* Gutier. *dict. c. 2. num. 6.* Baſilius *loco vbi proximè,* & ſufficere inquiũt dicti ſeptennij ætatem moraliter expletam eſſe, veluti ſi duo, vel tres dies deficiant, aut octo vel decem, vt mauult Rebell. quia quod parum diſtat, diſtare non videtur, argumento *l. penult. de militar. teſtam.* Verùm licèt vna & altera opinio probabilis ſit, vt nouiſſimè reſoluit Antonin. Dian. *dict. tract. 4. reſolut. 274.* priorẽ enim magis probabiliorem cenſeo, ex quo ratio ſecundæ opinionis non procedit in termino præſcripto à iure. Nam ex quo præſcribitur, conſiſtit in indiuiſibili, & in id conſtituitur, vt optimè reſpondit Hurtado.

8 Et hæc ſententia procedit, etiamſi vſus rationis contrahẽtibus ante prædictam ætatem illuxerit. Nam tunc inutiliter eos ante ſeptennium exactum contrahere certius iudico cum Ricardo *in 4. diſtinct. 27. art. 3. quæſt. 1.* Durand. *quæſt. 3. art. 2.* Abbat. *in dict. cap. iubemus num. 3.* Angel. *verbo ſponſalia num. 5.* Roſelia *verbo impedimentum,* Hurtado *vbi proximè, verſic. Abbas verò,* quia ſi quoties malitia, ſiue diſcretio ſupplet ætatem, valerent ſponſalia, & cùm etiam poſt tranſactum ſeptennium vſus rationis non acceſſit, minimè valerent, vt indubitatum eſt, & probatur *ex dict. l. in ſponſalibus,* traditque Sanchez *vbi ſuprà num. 3.* & Gutierrez *num. 3.* ſequeretur, quòd fruſtrà ætas ſeptennij ad ſponſalia fuiſſet deſignata, cùm vſus potiùs rationis quâm ætas attendatur: etſi cõtrarium voluerint Sancius, Sotus, Ægidius, Rebellus, & 9
Baſilius *locis allegatis,* & ante eos Cuiacius *in dict. cap. iuuenis,* Antonin. Diana *dict. reſolut. 274. in fine,* nonnullis rationibus ab eis adductis, quibus affatim ſatisfacit Hurtado *verſic. Ratio autem à priori,* vbi non refragari, inquit, quod de ætate ad matrimonium requiſita ab ipſis adducitur, quam malitiam ſupplere certum eſt. Primò, quia ætas pro matrimonio deputata, cum illa exceptione præſcribitur, niſi malitia ſuppleat ætatem, vt ſuo loco dicemus, quod minimè in deſignata ad ſponſalia dici poteſt, cùm nullibi caueatur ætatem ad ſponſalia malitia ſuppleri, quare de vno ad alterum procedere argumentum non poterit. Secundò, quia malitia ſupplens 10
ætatem in matrimonio, non tantùm eſt vſus rationis perfectus, vt eſt in ſponſalibus, ſed etiam potentia ad generationem neceſſaria, quæ regulariter ante ætatem requiſitam adeſſe non ſolet. Ac proinde ſi ante eam eſt vſus rationis perfectus, & potentia expedita, validè fiet matrimonium, & poſt eam etiam, validè contrahitur, ſi ſit uſus rationis perfectus, quamuis non ſit potentia ad generationem ſufficiens.

Vtrùm autem, qui ante prædictam ſeptennij completam ætatem ſponſalia contrahũt, 11
lethaliter, aut ſaltim venialiter peccent? diſputari ſolet ab interpretibus, Syluius *in 3. p. quæſt. 43. art. 2.* Rebel. *part. 2. lib. 4. quæſt. 5. num. 4.* Bonacin. *de matrim. quæſt. 1. punct. 4. num. 6.* Enriquez *lib. 11. cap. 13. num. 13. ex cap. 2. de deſponſatione impuberum,* docent morraliter peccare, niſi pro bono pacis contraxerint. Sed contrariam ſententiam, videlicet eos nullam, neque venialem culpam incurrere, meritò tenẽdam eſſe admonent Coninch *d. dubio 5. concluſ. 2. num. 53.* Villalob. *in ſumm. tom. 1. tractat. 12. difficult. 4. num. 7.* Filiucius *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 7. num. 259.* Sanchez *dict. lib. 1. diſputat. 17. n. 14.* Gutier. *dict. cap. 2. num. 14.* Barboſa *in Collectan. ad dict. cap. 2. num. 4.* Poncius *dict. lib. 12. cap. 5. num. 4.* Antonin. Dian. *d. tract. 4. reſolut. 275.* Quibus accedit Hurtado *vbi ſuprà.* Et ratio eſt, quia ſponſalia ante ſepten- 12
nium contrahi non prohibentur, ſed contracta irritantur, aut inutilia eſſe dicũtur, adeò, vt nec ſponſionem matrimonij factam infanti, ipſius fauore validam, aut ratam eſſe velit Baſilius Poncius *de matrimon. lib. 12. cap. 4. num. 2.* vt refert Antonin. Diana *reſolut. moral. 3. part. tract. 4. de Sacram. reſolut. 244. in fine,* ſubijciens nõ ſpectari debere tẽpus, donec ille velit repudiare, vel acceptare. Ergo

culpa

culpa non erit ante dictum tempus contrahere, nec *dict.cap.*2. aliud probat, ſiquidem vt rectè ſuprà dicti autores expendunt, tantùm in matrimonijs procedit, non verò in ſponſalibus. Deinde, quia ante legitimã ætatem ſponſalia celebrando nulli virtuti, aut Sacramento fit, aut irrogatur iniuria: quod neceſſarium erat, vt culpa contraheretur: ergo nec venialiter peccant, qui ante debitam ætatem ſpondentur.

SVMMARIVM.

1 *Impedimentum publicæ honeſtatis, ex validis tantùm ſponſalibus oritur.* 1.

Contrahentes ſeptem annorum ſint oportet, vt ex illorum ſponſalibus hoc impedimentum naſcatur. 2.

Ex ſententia Viuiani, *impedimentum ex ſponſalibus à proximis ſeptennio contractis, etiam datur.* 3.

Textus in cap. iuuenis. 3. *de ſponſalibus intelligitur.* 4.

Impedimentum publicæ honeſtatis oritur, quoties infantes inutiliter ſponſalia contrahentes, iam puberes, nixi ſunt ad copulam, & quomodò hoc accipi debeat. 5.

QVÆSTIO XX.

Impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus, vt oriatur, cuius ætatis contrahentes eſſe debeant?

1 IVſtitiam ſiue impedimentum publicæ honeſtatis, ſolummodò ex ſponſalibus validis de futuro generari certius eſt, quàm probatione indigeat, maximè cùm id nouiter ſanxerit Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 3. vbi obſeruat Auguſt. Barboſa *lit. S.* cuius ſententiam amplectũtur Rebel. *de obligationibus iuſtit. part.* 1. *lib.* 3. *quæſt.* 24. *num.* 3. P. Ægidius *diſput.* 32. *num.* 61. Valer. Reginald. *in praxi fori pœnitential. lib.* 31. *cap.* 18. *num.* 127. Sanchez, Gutierrez & reliqui infrà referendi: ergo cùm minimè ſponſalia de futuro validè poſſint ante ſeptennium completũ celebrari, veluti ex ſuperiùs dictis ſufficiẽter probatur, conſectarium elicitur prædictæ ſaltim ætatis contrahentes eſſe debere, vt publicæ honeſtati, aut eius impedimento ſit locus. Quod nec huius tantùm ratiocinationis vi planum oſtenditur, ſed expreſſis etiam in hanc rem

2 ſcriptis deciſionibus comprobatur. Precipuè *D. Didac. de Narbona.* *ex textu in cap. literas* 4. *cap. acceſſit* 5. *de deſponſat. impuber. cap. vnico in principio, eodem titulo lib.* 6. quibus conſentit ius noſtrum patrium *in ll.* 6. *& finali tit.* 1. *part.* 4. adſtipulantur ex Interpretibus P. Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *diſputat.* 68. *num.* 19. Anaſtaſ. Germon. *animaduerſio. lib.* 2. *cap.* 6. Baſilius Poncius *de impediment. matrimon. cap.* 18. §. 2. *verſic. Sequitur quarto,* Ioan. Gutier. *de matrim. cap.* 103. *num.* 15. Bonacin. *eodẽ tractatu quæſt.* 3. *num.* 12. & 17. quamuis Ioan. 3
Baptiſt. Viuian. *in rationali ad cap. iuuenis* 3. *de ſponſalibus*, aſſerat dictum impedimentum oriri ex ſponſalibus à proximis ſeptennio contractis.

4 Et licèt ab hac receptiſſima ſententia nos depellere videatur autoritas Eugenij Papæ *in dict. cap. iuuenis* 3. *de ſponſalib.* vbi diſcedere videtur quidam iuuenis à cõſobrina illius, quam priùs nondum ſeptennem deſponſauerat, eo videlicet, quia publica honeſtate impediente tale matrimonium ſubſiſtere nõ potuit. Attamen dicta deciſione optimè perpẽſa, nihil continet, quod poſſit ſuperiori definitioni aduerſari, cùm ibi ideò ex ſponſalibus cum amita nondum ſeptenni contractis oriatur iuſtitia publicæ honeſtatis, quæ poſtmodum initis cõſobrina prioris ſponſæ nuptijs impedimẽto eſt, quia cohabitatio ſimul, & inhoneſta attrectatio præceſſerant, vt ex litera conſtat, quæ duo ſimul cum ſponſalibus, licèt inualidis, ratione ætatis efficiunt, vt impedimentum naſcatur publicæ honeſtatis, vbi ſcilicet non apparet ſponſam ex tali attrectatione non fuiſſe deintegratam, vt in caſu *dict. cap.* Nam licèt viri potens non fuerit, potuit tamen à iam pubere, & iuuene viro corrumpi: quo in dubio, vt inquit Pontifex, quod certius & probabilius eſt, exiſtimare debemus, nempe illam fuiſſe cognitam, ac per conſequens ortam fuiſſe non ſolùm iuſtitiam publicæ honeſtatis ex tali commiſtione, ſed etiam affinitatem, quæ omnia ſecundò cũ conſobrina prioris ſponſæ contracto coniugio reſiſtunt, vt indicare videtur Anaſtaſ. Germon. *vbi ſuprà.*

5 Cui interpretationi aduerſari non videtur doctrina Thomæ Sanchez *dict. loco num.* 22. quam ſequitur Ioan. Gutierrez *vbi proximè num.* 15. videlicet, oriri impedimentum publicæ honeſtatis, quãdo infantes irrita ſponſalia defectu ætatis inierant, & poſt conſcij priorum ſponſaliorũ quando ad ea ratificanda legitimam ætatem aſſecuti ſunt, nixi fuerunt ad copulam: quoniam impedimentum tunc naſcitur, non ex nixu ad copulam, ſed ex ratificatione priorum ſponſaliorum, argumento *cap. vnic.* 61. *de deſponſ.*

impub.lib.6. quia hæc doctrina, quæ veriſſima eſt, procedit quando vterque contrahentium ſeptennio tantùm maior erat. Quo caſu, licèt adfuiſſet attrectatio & cohabitatio, nihilominus impedimentum publicæ honeſtatis nõ oriretur, quia dubium eſſe non poterat, ex quo ambo impuberes, vtrùm carnaliter commixti fuiſſent, vt in ſpecie *dict. cap. iuuenis,* vbi ſponſus erat iuuenilis ætatis, quamuis ſpõſa eſſet infans: ergo ſuo caſu rectè inquiũt Sanchez & Gutierrez oriri prædictum impedimentum, non quidem ex nixu ad copulam, ſed ex ratificatione ſponſaliorum, ex dicto conatu ad copulam poſt ſeptennium interueniente, quia ex nixu tunc ſolùm oritur, quoties dubitari poteſt, an verè fuerint carnaliter cogniti.

SVMMARIVM.

Puellæ nondum ſeptennes minimè poſſunt educationis cauſa in monaſterio recipi. 1.

Non decet infantulas eſſe in monaſterijs. 2.

Etiam infantili ætate, licet habitum regularem ſuſcipere. 3.

Puellæ ſeptimo ætatis anno dociliores exiſtunt. 4.

Cogentes fœminas iam puberes, etiam educationis cauſa, ingredi monaſterium, excommunicantur. 5.

QVÆSTIO XXI.

Vt educationis cauſa in monaſteria monialium puellæ recipi poſsint?

1 Euſmodi puellas non debere admitti, donec ſeptennium excedant, Sacro Cardinalium cœtui placuiſſe notat Auguſt. Barboſa *in remiſſionibus ad cap.* 5. *Concilij ſeſſ.* 25. *de regularibus lit. P. in fine,* ruſuſque *in collectanea eiuſdem num.* 104. & quamuis hanc declarationem non inueniſſe dicat Zerola *in praxi Epiſcopali* 1. *part. verbo moniales,* §. 11. tamen refert Archiepiſcopum Surrentinum dixiſſe ſibi non debere recipi, niſi ad minus ſeptem aut octo annos expleuerint. Ac ſemper in facultatibus à Sacra Cardinalium Congregatione conceſſis ad has puellas admittẽdas explicari, dummodò maiores ſeptennio ſint, quod etiam tradit P. Sanchez *lib.* 6. *ſummæ cap.* 16. *n.* 63.

2 Et eo fundari putat Zerola *dict. loco,* quia non decet in monaſterijs teneri infantulas, quaſi in cunis, vel cum nutricibus, argumento eorum quæ ſanſit Cõcilium de clericis recipiendis in ſeminarium *cap. fin. ſeſſ.* 23. Quæ ratio ſi eſſet vera, etiam in his procedere deberet, quę religionis cauſa monaſterijs deputantur. At cùm ſecundùm receptiorem opinioneẽ, quã vſus cõprobauit, quilibet minori ætate, etiã infantili, hoc fieri liceat, veluti 3
infrà anno 8. manifeſtum fiet, hęc ratio prorſus incerta videtur: ideoque in ea ſum exiſtimatione vt putem, illa de cauſa poſt ſeptennium, & non anteà puellas educandas in monaſterium ingredi debere: quia illa ætate incipiunt dociliores, & promptiores eſſe ad diſcendum, vt notat Sotus *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in principio, verſic. Quod ideò,* & nos alibi dicemus. 4

Quibus ſubijciã quod eruditè reſoluit Anton Diana *reſolut. moral. p.* 2. *tract.* 15. *aliàs* 1. *Miſcellan. reſolut.* 57. nempe incidere in excommunicationem latam in Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 18. cogentes fœminas iã puberes educationis cauſa intrare monaſteriũ: quia etiam hac cauſa noluit Concilium fœminas inuitas monaſterium ingredi. 5

SVMMARIVM.

Ius patronatus cuiuſcumque ætatis infantibus poteſt ſucceſſione quæri. 1.

Quicumque baptizati, ſunt iuris patronatus capaces. 2. *&* 9.

Ius patronatus libertorum, etiam in vtero exiſtenti competit. 3.

Non valet argumentum de iure patronatus libertorum ad ius patronatus Eccleſiaſticum. 4.

Infans an poſſit etiam dotatione, aut Eccleſiæ conſtructione patronatum acquirere? diſcutitur. 5.

Minor ſine decreto, nec piæ cauſæ donare poteſt. 6.

Duo ſpecialia circa eandem rem concurrere nequeunt. 7.

Minor Eccleſiam ſine decreto dotare non poteſt, & quare. 8.

Patronus, qui maior eſt ſeptennio, præſentandi ius habet. 9. *&* 10.

Qui maior eſt infante, poteſt ad emphyteoſim nominare. ibidem.

Cùm ius patronatus ad vniuerſitatem ſpectat, illi ad præſentationem tantumdem ſunt vocandi, qui ſeptimo anno maiores exiſtunt. 11.

Præſentatio eſt futuri iuris promiſſio. 12.

Præſentans quaſi ſponſalia cõtrahit cum præſentato. ibidem.

Si patronus ſit infans, tutor eius nomine præſentat. 13.

Si

Si patronus infans tutoribus deſtituatur, præſentatio inſolidum compatronis accreſcet: ſi verò nec compatronos habuerit, ad conſanguineos pertinebit. 14.

Patronus iam ſeptennis, ſolus & abſque tutore, vel conſanguineo præſentabit. 15.

Simul præſentantibus pupillo ſeptenni & tutore, præſentatio pupilli tutoris erit præferenda. 16.

Probabile eſt præſentationes pupilli, & tutoris, vt compatronorum eſſe reputandas, atque ideò in eis gratificationi fore locum. 17.

Pupillo non præſentante, nominatus à tutore erit inſtituendus. 18.

In his quæ pupillus per ſe poteſt efficere, nullam poteſtatem obtinet tutor. 19.

Si pupillus ante inſtitutionem nominati à tutore alium præſentet, hæc & non illa præſentatio eſt attendenda. 20.

Tutori non debetur decima iuris patronatus, ſiue præſentationum. 21.

Præſentatio fructus eſt iuris patronatus. 22.

Decima tutori ex illis tantum fructibus debetur, qui alimentis deſeruiunt. 23.

QVÆSTIO XXII.

Quibus Patronatus, præſentandi, & nominãdi ad emphyteoſim ius competat?

1 NEquaquam eſt qui inficietur patronatus hoc ius, etiam cuiuſcũque ætatis infantibus ſucceſſionẽ poſſe adquiri, omnes enim id fatetur, præſertim Archidiaconus *in c. decernimus in princip.* 16. *q.* 7. Abbas *in c.* 1. *de iure patronatus, & in c. fin de conceſſ. prębend.* Ioan. Andr. *in c. ex eo de electio. lib.* 6. Lapus, Bald. & Rochus de Curte, quibus accedit Cæſar Lambertin. *tract. de iure patron. lib.* 1. 1. *p. q.* 7. *principal. art.* 14. *num.* 1.
2 *cum ſeqq.* & optima ratione. Nam cùm omnes homines baptiſmo regenerati, Deoque per ipſius gratiã addicti, ſint huiuſce iuris capaces, *c. piæ mẽtis, c. Trigẽtius,* vbi notat Gloſſa *verbo, qui Chriſtianis, c. quicumque* 16. *q.* 7. docet pluribus congeſtis Lambertinus *vbi ſuprà art.* 3. *n.* 21. *& deinceps,* Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris litera P. concl.* 141. *num.* 6. nil prohibet infantes ab ipſo luſtrali fonte patronos eſſe.

3 Etſi aliquis obijciat de iure patronatus libertorum, quod nedum infanti, ſed & in vtero exiſtenti competit, *l. qui in vtero.* 26. *poſterioribus verbis, ff. de ſtatu homin.* iũctis his quæ ad ipſius explicationẽ obſeruant Anton. Faber *in iur. prud. Papin. tit.* 4. *princ.* 3. *illat.* 3. *paulò ante finem,* vbi de filio patroni habẽdo pro nato, vt libertum habeat ſcribit, Alphonſ. Carranç. *diſput. de vera human. partus naturalis & ciuilis deſig. cap.* 2. §. 4. *n.* 18.
nihil contra ſuperius pronuntiatum conſequetur, cùm inefficax & inualidum ſit argumentum de iure patronatus libertorum ad ius patronatus Eccleſiarum, ex quo vtriuſque diuerſa natura & ratio inuenitur, vt latiùs deſcribit Lambertin. *d. tractat. lib.* 1. 2. *p.* 2. *q. principali art.* 1. *n.* 35. *& q.* 11. *principali eiuſdem* 2. *p.* 1. *lib. art.* 10. *n.* 5. 4

Illud autem maiorem dubitationem continet, an pariter infans dotatione, aut Eccleſiæ conſtructione poſſit ius patronatus acquirere? 5 Qua in re pene omnes ſupra relati, quibus addendi ſunt Rochus *de iure patronatus quæſt.* 3. & P. Thom. Sanchez *lib.* 2. *conſiliorum cap.* 3. *dubio.* 70. *num.* 5. fateri videtur, licèt accidere negent, vt tam tenera ætate impubes, aut ædificet, aut dotis cauſa in Eccleſiam liberalitatem exerceat. Verùm his non aſſentitur Octauian. Simoncel. *tract. de decretis lib.* 1. *tit.* 2. *inſpectione* 2. vbi contra Lambertinum, etiam puberem, & decimoquarto anno maiorem ſacræ domus erectione, aut dotatione patronum effici non poſſe
contendit. Primò, quia nec piæ cauſæ ſine 6
decreto minori permiſſa eſt donatio, vt in
eadem *inſpectione* ipſe latiſſimè probat. Se- 7
cũdò propter iuris regulam, qua prohibetur duo ſpecialia circa eandem rem concurrere, *l.* 1. *cum ibi notatis, C. de dotis promiſſione.* Nã ſi minor Eccleſiæ donare poſſet, & quidem ſine decreto, duo ſpecialia eadẽ in cauſa cõcurrerẽt, & quòd minor donaret, & quòd ſine ſolemnitate, & decreto id faceret, quod iura auerſantur. Vnde reiectis, & ſatisfactis Lambertini fundamentis, prædictam opinionem quaſi veriorem tuetur, quam etiam tenuiſſe
inquit Paul. de Citadin. *tract. de iure patron.* 8
3. *p.* 2. *caſu q.* 7. *n.* 2. dum neceſſarium decretũ arbitratur in dote, quæ à minore Eccleſiæ elargitur, quod mihi proculdubio probatur, ſiquidem cùm nulla, ſiue conſtructio, ſiue dotatio ſacri loci poſſit citra alienationem bonorum â minore fieri, conuenientiſſimũ erit, vt iudicis cognitione pateat, an ei expediat. Nam licèt hoc, vt pium opus eſt, ex ſui natura vtile videatur, tamen inſpectis facultatibus minoris, aut nõ expediens, aut fortè in minore quantitate expedire conſtabit.

Ergo cũm iuris eſſe certiſſimi conſtet, om- 9
nes intrà Eccleſiã per Baptiſmi ianuã conſtitutos, licèt infantilis ætatis, poſſe patronos effici, illud tantumdem dubitandum ſupereſt, an ſcilicet & eodem tempore iuris patronatus exercitium quoad præſentationem obtineant?

neant? In qua dubitatione ſecurè tenendum erit, eas, eoſve ſolummodo patronos præſentandi ius habere, qui ſuæ ętatis annum ſeptimum exceſſerunt. Sic præter alios reſoluunt Bart. Brigienſ. *inq. ſua Dominicali, incipienti tutor cuiuſdam*, Ancharr. *con.* 325. incipienti *viſis circa finem*, Lapus *allegat.* 8. *poſt num.* 2. *& allegat.* 75. *n.* 5. Ioan. Chalderin. *conſil.* 431. *aliàs* 9. *de iure patronat. n.* 1. Lambert. *lib.* 2. *de iure patronat.* 1. *p. q.* 2. *prin. art.* 9. *&* 3. *p.* 6. *q. princip. n.* 2. Caldas *de nominat. emphyt. q.* 4. *n.* 7. qui ideò etiam infante maiorē ad emphyteoſim nominare poſſe affirmat, quod verum putamus ex his omnibus, quibus præſentandi ius illi cōcedimus. Quint. Mandoſ. hanc ſententiā communem appellans *de ætat. min. c.* 4. *n.* 17. Cardin. Tuſch. *d. concluſ.* 241. *n.* 2. *&* 8. Iulian. Viuian. *in praxi iuris patronat. lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 25. Nicol. Garcia *de benefic.* 5. *p. c.* 9. *n.* 189. qui & hāc receptam, & communiter approbatam ſentētiam dicit.

11 Quod ita verum putant Calderin. *d. conſ.* 9. & Tuſchus *adducta concluſ. n.* 7. vt eos ſolùm impuberes ad præſentationem vocādos ſentiāt, quoties ius patronatus ad vniuerſitatem pertinet, qui ſeptimo anno maiores exiſtūt, licèt contrarium potiùs voluerint Federicus Senenſis *conſ.* 65. *n.* 2. *in princip. & conſ.* 102. *n.* 1. Nicol. Garcia *d. c.* 9. *n.* 189.

12 In quam vtique opinionem ea præcipuè ratione adducuntur, quia præſentatio eſt futuri iuris promiſſio: quapropter præſentantem contrahere ſponſalia dicitur cum præſentato, vt Lambertinus, & Lapus expendunt *vbi ſuprà*: ergo eadem ſeptennij ætas ad pręſentandum requiritur, quæ exigitur ad ſponſaliorum contractum.

13 Antequam ætatem tutores ipſorum nomine præſentabunt. Ita Federicus de Senis *cōſil.* 102. *nobilis quidam, in princip.* Calderin. *conſil.* 430. *aliàs* 8. *de iure patronat.* Tuſchus *vbi ſuprà num.* 5. vbi de tutrice idem ſentit Nicol. Garcia *loco relato num.* 193. etſi nullos habuerint compatronos, quibus infantiū

14 hoc caſu portio accreſcit. At ſi ius patronatus inſolidum infanti competat non habenti tutorem, ſat erit, quòd aliquis ex conſanguineis eius pro eo præſentet, nec deſiderabitur infantis ratificatio, vt talis actus valeat, ſi Viuiano credimus, id ex Lambertino affirmanti *dict. num.* 25.

15 Secus atque cùm patronus vltra ſeptimum annum exiſtit, nam tunc, nec tutore compatrono, aut cōſanguineo eget ad capellani, aut alterius beneficiati, aut perſonę præſentationem: ipſe enim ſolus quā libuerit præſentabit, vt pluribus congeſtis docet Tiraquel. *in*

16 *ll. connubia lib. gloſ.* 5. *n.* 222. Adeò quidē, vt ſi tutor etiam fecerit, præſentatus à pupillo ſit tutoris pręſentato præferendus. Anton. de Butrio *conſ.* 26. incip. *viſis poſt num.* 4. *verſ. Olim imò in maiore infante*, Calderin. *d. conſ.* 9. *n.* 1. Quint. Mandoſ. *d. c.* 4. *n.* 18. Tuſch. *d. conc. n.* 8. Ioan. Gutier. *de tutel.* 3. *p. c.* 29. *n.* 7. Nicol. Garcia *d. c.* 9. *n.* 186. vbi & *n.* 187. nonnullos refert contrarium ſentiētes, Caldas *de nominat. d. q.* 4. *n.* 8. quamuis hac in re 17
mihi non diſpliceat ſententia Cæſaris Lambertini *lib.* 2. *p.* 3. 6. *q. princ. n.* 3. *verſic. Quid dicendum?* qui cum Ioan. Andr. nonnullis adhibitis diſtinctionibus verius putat, huiuſmodi præſentationes vti vnius patroni variantis, aut duorum æquè patronorum habēdas, ideoque in his gratificationi eſſe locum, ſicut eſt locus gratificationi, cûm duo ſunt præſentati ab vno pàtrono accumulatiuè, vel â duobus patronis æqualibus. 18

Ex quibus infertur, non præſentāte pupillo maiore ſeptennio, nominatum à tutore eſſe ſine dubio inſtituēdum, quia licèt inſpecto ſuperioris communis ſententię rigore videatur, nullum præſentandi ius habere, niſi de conſenſu impuberis ſaltim tacito, cùm in his 19
quę per ſe pupillus exequi poteſt, tutor nō ſit, vt probant relati à Garcia *d. c.* 9. *n.* 190. *&* 192. Tamen æquitate ſuadēte receptum eſt, abſolutè tutorem præſentare poſſe, eiuſque præſentationem vtilem eſſe, niſi pupillus ante inſtitutionem alium præſentet, ſiquidem 20
ratione officij poteſtatem obtinet in perſona & bonis pupilli, veluti idem Nicol. Garcia *num.* 194. *&* 195. fatetur.

Nec ideò audiendus erit, ſi decimam iuris 21
patronatus, aut præſentationū ſibi deberi intendat ex noſtris legibus, quibus tutoribus decima pars fructuum ob laborem defertur. Nā etſi humana quadā interpretatione, etiā quoad ius patronatus tutor cēſeatur, præſertim nōdum elapſa pupilli infantia, & præſentationes propriè iuris patronatus ſint fru- 22
ctus, vt cū gloſſa *in c. cum Bertoldus, de re iudic. & c. cùm olim, verbo capitulo, de maioritate & obedientia*, vbi notant Abbas, Felin. & cæteri expoſitores, tradūt Cæſar Lambertin. *lib.* 1. 2. *p.* 10. *q. princ. art.* 3. *n.* 2. & Ioān. Gutier. *vbi ſuprà n.* 2. ex illis tamen fructibus nō ſunt, quorum decima pars tutori promittitur, cùm magis ad honorem, quàm ad ſuſtē- 23
tationem ſpectēt, decima verò ſolùm ex illis fructibus deducitur, qui alimoniæ deſeruiūt, vtpote *ex l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 3. *fori* cōiectatur: qua ratione, & alijs idem docent Baeça *de decima tutoris c.* 25. *n.* 30. & fuſiùs *c.* 23. *n.* 23. *cum ſeqq.* Ioan. Gutier. *d. c.* 29. *à n.* 9. Azeued. *in Curia Piſana lib.* 1. *c.* 12. *n.* 25. quibus cōſentit Nicol. Grrcia *loco relato n.* 206. *&* 207.

SVM-

SVMMARIVM.

INtra ſeptimum ætatis annum decedens ſibi delatam hæreditatem, licèt nō aditam, in parentes tranſmittit. 1. Et quæ ſit ratio. 3.

Ius petendi reſtitutionem in integrum, non transfertur in hæredes, niſi à defuncto iam ſeptenne. 2.

Pater non iure peculij, ſed vt hæres infanti filio delatam hæreditatem acquirit. 3. & 4.

Pater filio infanti ſuccedens, non tenetur ipſi delatam hæreditatem acceptare. 5.

L. cùm in antiquioribus. 19. C. de iure deliber. intelligitur. 6. & 7.

QVÆSTIO XXIII.

Vt nondum adita hæreditas à filio defuncto in patrem tranſmittatur?

1 SEptimo annò minorem defunctū eſſe oportere, vt ipſe ſibi delatam hæreditatem, & caſu, vel negligētia nondum aditam, in patrem, aut, vti voluerunt relati à Theſauro *deciſ.* 88. & Pichard. *vbi infrà*, etiam in matrem velut legitimum ſucceſſorē tranſmittat, profert Imperator *in l. ſi infanti.* 18. *C. de iure delib.* & Regius noſter Legiſlator *in l.* 13. *verſ. E ſi por auentura tit.* 6. *part.* 6. vbi etiam Gloſſographi omnes communiter
2 obſeruant, & Farinac. *deciſionum nouiter nouiſſimarum centur.* 1. *tom.* 8. *ſuorum oper. deciſ.* 248. *num.* 12. *in fine*, vbi id ad omnia filio ex quacumque ſuceſſione deuoluta extēdit, nō verò ad alia. Ideò inquit cum Socin. Iun. *conſ.* 9. *num.* 24 *lib.* 1. & Bertrand. *conſ.* 67. *in fin. lib.* 2. *p.* 2. niſi pupillus maior infante decedat, non tranſmittet ius petēdi reſtitutionē in integrum: de quo vide Sforci. Oddum *de reſtitut. q.* 50. *art.* 8. *à n.* 74. vbi id latiſſimè examinat, quod eam ſummam rationem habere putant Anton. Faber *lib.* 14. *coniect. c.* 1. *in princip.* Hubert. Giphan. *in d. l. ſi infanti*, Oſuald. *lib.* 7. Donelli, *c.* 4. *liter. D.* &
3 Antonius Pichard. *de acquir. hæredit. cap.* 31. *n.* 11. quia pater non tam eſt hæres filij, quàm occupans ipſius bona iure peculij, & patriæ poteſtatis. Sed hæc ratio, vt parum ſubtilis, & non concludens mihi videtur, cùm ex eo quod in *dict. l. ſi infanti, verſic. Ea verò*, dicitur, nempe ea quæ de infante in poteſtate parentum exiſtente illa lege fuerunt ſtatuta, procedere, etſi quacumque cauſa ſui iuris infans inueniatur, ſine dubio conuincitur dictæ legis deciſionem iure patriæ poteſtatis non ſubniti. Tum etiam, quoniam ſi à iure patrio hoc proueniret, non ſolùm cùm ante aditionem filius infantili ætate decederet, ſed etſi iam pubes moreretur, dum tamen in poteſtate tranſmiſſionis hic effectus locum haberet, quod negat Imperator, ex quo id tantùm de infantibus ſcriptum vult: ergo alibi, quàm à patria poteſtate huius Imperialis conſtitutionis ratio petenda erit, videlicet partim ex priuilegio, & fauore patri cōceſſo ad ſolatium intempeſtiuæ mortis filij. Nam etſi ipſius negligentia factum ſit, ne hæreditas eſſet agnita ante infantis obitum, imputari tamen ei nō debebat, quaſi non tam ex dolo, quàm ex naturali ſpe longioris vitæ filij ſui omiſerit, cùm caſus, aduerſaque fortuna ita teneri pueri ſpectari non debuiſſet, maximè ab affectu paterno, argumento *l. inter ſtipulantem.* 83. *§. Sacram.* 5. *de verbor. obligat. l. nam & ſi parentibus.* 15. *in princip. de inoffic. teſtam.* & partim etiā ratio deſumenda erit ex filij innocentia, cui item imputari non debet, cur nō adierit hæreditatem. Nā cùm in infantia exiſteret, qua ætate, quia ipſe aditionis eſt incapax, pater eius nomine adire debebat, *d. l. ſi infanti in principio*, ne mora patris omnino ei noceat; conſulitur illi, etſi non in acquiſitione, ſaltim in tranſmiſſione, vt ſcilicet, quia non potuit hæreditatem acquirere, vti non aditam à patre, poſſit tamen eam tranſmittere ante aditionem, vt ſimiliter delegatario nondum adita hæreditate tranſmittente legatum ad hæredes ratiocinatur Giphan. *in l. vnica, C. de his qui ante aper. tabul.* Vnde cùm eiuſmodi ratio reſpectu ſolius infantis procedat, non verò reſpectu alterius pupilli, qui poteſt hæreditatem, licèt conſenſu patris, adire, *dict. l. ſi infanti, §. ſin autem ſeptem*, in filio infante id ſolùm ſtatuitur, non verò in maioris ætatis filio.

Cui rationi haud illud opponitur, quod ipſe Imperator de patre omnia ad filium infan- 4
tem deuoluta, iure patrio quærēte *in d. l. §.* 1. ſcribit. Nam cùm propoſitæ rationes effecerint, vt quaſi adita, & iam infanti quæſita hæreditas habeatur, quemadmodum ſi verè eſſet ei acquiſita iure patrio, ideſt vt parens, & legitimus hæres filij (veluti egregiè monuit Donel. *in d. l. ſi infanti n.* 2.) perciperet: ita & cùm vti quæſita infanti cenſetur, eodem iure capiat operæpretium eſt.

Vnde ex Paulo Caſtrenſi, Angelo, & Alexādro *in d. l. ſi infanti*, quos refert & ſequitur 5
Greg. Lopez *in d. l.* 13. *verbo, La heredad que era dexada al fijo, tit.* 6. *p.* 6. contra Pichardum, *vbi proximè n.* 11. tentari poterat patrē

hoc caſu ſuccedentem non teneri hæreditatẽ filio delatam, & ad eum tranſmiſſam nominatim acceptare. Nam cùm fauore vtriuſque tam patris, quàm filij, vt quæſita filio hæreditas, & in ipſius bonis ad effectum tranſmiſſionis credatur, acceptãdo filij hæreditatem, etiam filio quæſitam, etſi minùs propriè acceptaſſe videbitur, argumento *l. ſed etſi plures.* 10. *§. filio de vulgar.*

6 Cæterùm, vt diſquiſitioni noſtræ reſtituamur, difficile redditur quod authoritate *l. ſi infanti* præmiſimus, de non tranſmittẽda etiã in patrem hæreditate infanti delata ante ipſius aditionem, ex Iuſtiniani conſtitutione *in l. cùm in antiquioribus.* 19. *C. de iure deliber.* qua diſponitur filiumfamilias in poſteritatem, & liberos ſuos patris nondum aditam hæreditatem tranſmittere: ergo maior infante, & pubes vt ſit oportet, qui filios ſuſcepit, potiatur etiam hoc priuilegio tranſmiſſionis.

7 Hanc obiectionem pluribus conantur diluere Duarenus *titulo de acquir. hæredit. cap.* 5. quem ſequitur Oſuald. in Donellum *dict. cap.* 4. *litera E.* Anton. Faber *errorum pragmaticor. decad.* 34. *error.* 6. qui duplicem Triboniani lapſum hac lege more ſuo ariolatur, & illi accedens Anton. Pichard. *dict. cap.* 31. *num.* 8. Sed his omnibus velut inutilibus reiectis, ea vera iſtorum locorum concordia amplectenda erit, quam ſpecialiter aſſignat Imperator *in Nouella conſtitutione* 158. & ex ea Giphan. *in dict. l. ſi infanti*, vbi ait *d. l. ſi infanti* intelligendam de infante hærede poſt annum à morte teſtatoris defuncto, qui vſque ad ſeptimum annum ætatis quocumque tempore deceſſerit, ſiue intra annum deliberationis, ſiue poſtea, ſemper nondum aditam hæreditatem in patrem tranſmittit. At verò *dict. l. cùm in antiquioribus.* 19. eſſe accipiendam de hærede cuiuſcumque ætatis intra annum à morte teſtatoris obeunte, cuius id eſt priuilegiũ, vt ad ſucceſſores quoſcumque hæreditatem, quam deliberat adire, tranſmittat.

SVMMARIVM.

Qvi nondum ſeptimum annum egit, nec cum tutoris autoritate poteſt in iudicio adeſſe. 1. & 4.

In voluntate tutoris poſitum eſt, vtrùm velint ipſi iudicium ſuſcipere, vel pupillum exhibere, vt eo autore in iudicio compareat. 2.

L. 1. *§. ſufficit, ff. de administrat. tutor. explicatur.* 3.

Etiam in ſpiritualibus minor ſeptem annis, nec cum tutore poteſt iudicem adire. 5.

Deficiente Canonica diſpoſitione ſtandum eſt iuri ciuili in foro Eccleſiaſtico. 6.

Illud tantùm poteſt quis per alium, quod per ſe ipſum poteſt. 7.

Ei licet procuratorem conſtituere, qui poteſt per ſe in iudicio comparere. ibidem.

In ſpiritualibus nemo ante ſeptennium procuratorem conſtituit. 8.

In iudicio vniuerſali, etiam paruuli aderunt, ſine baptiſmo, vel cum eo decedentes. 9.

Paruuli non hac ætate, ſed virili, & perfecta ad iudicium reſurgent. 10.

Omnes ad annum centeſimum peruenturos, ipſa reſurrectione inquit D. Hieron. 11.

QVÆSTIO XXIIII.

Vt cum tutoris, vel curatoris auctoritate poſsit quis iudicio adeſſe?

Qva ætate ex propria perſona quilibet poſſit, ſiue vt actor, ſiue vt reus licitè in iudicio comparere, *infrà anno* 25. velut aptiori, proprioque ſuo loco diſputabimus. Nunc verò operis noſtri ratio poſtulat tãtùm diſcutere, quo ſcilicet annorum numero quis conſtitutus eſſe debeat, vt ſaltim autoritate tutoris, vel curatoris iudiciũ adire, illudque ſuſcipere rectè poſſit. Quam quæſtionem, ſiue is ſit Vlpianus, ſiue Tribonianus, vt mauult Anton. Faber *in Iuriſprudentia Papinian. tit.* 12. *punct.* 6. *illat.* 8. diſertiſſimis verbis definiſſe videtur *in l.* 1. *§. ſufficit, de adminiſtrat. tutor.* ibi: *Ita tamen, vt pro his qui fari non poſſunt, vel abſint, ipſi tutores iudicium ſuſcipiant: pro his autem, qui ſupra ſeptimum annum ætatis ſunt, & præſto fuerint, autoritatem præſtent*, quibus conuenire videntur alia ſeptempartitæ *l.* 1. *tit.* 16. *part.* 6. quæ eiuſmodi ſunt: *Mas ſi fueſſe mayor de ſiete años, eſtonce puede el moço mouer el pleito con otorgamiento de ſu guardador*: quæ omnia planè euincunt vtroque iure, non niſi ſeptimo anno maiorem poſſe, etiam cum tutoris autoritate iudicium petere, aut ſuſcipere, vt in *d. ll.* tenẽt communiter Gloſſographi, & vltra eos Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 4. *num.* 21. ſentit Perez de Lara *in compend. vitæ homin. c.* 16. *num.* 76. & melius *cap.* 15. *num.* 48. 1

Nec obſtat prædicta verba *dict. §. ſufficit* apocripha, & nullius autoritatis videri, vtpote non Vlpiani, ſed Triboniani, veluti ex eo ſuſpicatur Anton. Faber *dict.* loco, quia cùm initio pro regula tradidiſſet licentiam eſſe tutoribus, vtrùm malint ipſi ſuſcipere iudi- 2

iudicium, an pupillum exhibere, vt ipſis autoribus iudicium ſuſcipiatur: ita tamen ſubnectit, vt pro his, qui fari non poſſunt, vel abſint ipſi tutores iudicium ſuſcipiant: pro his autem, qui ſupra ſeptimũ annum ætatis ſunt, & præſto fuerint, autoritatem præſtent. Ex quibus verbis neceſſariò inferri videtur, primo loco conſtitutam ſententiam de electione, & licentia tutorum circa ſuſceptionem iudicij inutilem & otioſam eſſe, cùm nullo caſu ei locum relinquat. Non quidem vbi pupilli fari non poſſunt, & ſeptimo anno minores exiſtunt, vel abſunt: quia tunc præcisè inquit ipſos tutores teneri iudicium ſuſcipere, nec minùs cùm iam ſeptennes impuberes eſſe apparet, & præſto ſunt. Nam hoc caſu illis autoritatem præſtare debere affirmat: ergo nunquam in facultate tutorum poſitum extat, vtrùm malint ſuſcipere iudicium, an pupillum exhibere, vt ipſis autoribus iudicium ſuſcipiatur, vt eſſe principio §. præmittitur. Quare hanc totam diſtinctionem Triboniani mali interpretis eſſe, non dubitat Anton. Faber in huius diuinationis confirmationem, alia, ſed minoris negotij proferendo.

3 Sed hæc inquam non obſtant, quia licèt priori caſu, vbi pupilli fari nequeunt, vel abſunt, licentia tutoribus cõceſſa effectum ſortiri non poſſit, cùm pro eis præcisè tutores iudicium ſuſcipere debeant, nec pupillos exhibere valeant, vt ipſis autoribus iudicium ſuſcipiatur: poſteriori tamẽ cùm pupilli ſeptimum annum excedũt, licentia, ſiue electione conceſſa vti commodè poterunt, & ſiue malint iudicium ſuſcipere, ſiue pupillos exhibere, vt ipſis autoribus iudicium ſuſcipiant. Non enim ex eo quòd hoc caſu, inquit, tutores autoritatem præſtent, eos ita neceſſariò cogi videtur ad præſtandam, vt ſi velint ipſi abſque pupillis iudicium ſuſcipere, prohibeantur, ſed præſtent dixiſſe ſubaudiẽdum erit, iuxta regulam propoſitam, nempe ſi hoc potiùs elegerint, vt in *dict.§. verbo autoritatem*, adnotauit Gloſſa, quam poſt alios meritò ſequitur Ioan. Marc. Aquil. *in l. 1. in princip. num.* 102. *de verbor. obligat.* & confirmat *d.l. Regia*, ibi: *Mas ſi fueſſe mayor de ſiete años, eſtonce puede el moço mouer el pleito con otorgamiento de ſu guardador, ò el guardador en nome del huerfano, ſiendo amos delante.*

Igitur cùm nihil obſtet, quominus dicti §. fidem, & verba amplectamur, ab ipſius ſententia recedendum non erit, imò iterum affirmandum, neminem ante lapſum ſeptimi

4 anni obtinere perſonam comparandi in iudicio, quamuis autorãte tutore, quod nedum in ciuilibus, ſed etiam in ſpiritualibus procedere exiſtimo ex *deciſ. cap. finalis de iudic. lib.6.* etſi Perez de Lara *dict. cap.* 16. *num.* 5
74. ſentiat infantem in ſpiritualibus poſſe ſimul cum curatore in id ab Epiſcopo, vel eius officiali deputato, iudicium adire. Nam præ- 6
terquàm quòd hoc ciuili & naturali rationi repugnat (cui etiã in ſpiritualibus ſtare oportet, maximè vbi contrarium non reperitur diſpoſitum de iure Canonico. Nam vt inquit Gomeſius plures allegans *in dict. cap. fin. in principio num.* 44. cùm aliquid non reperitur diſpoſitum de iure Canonico, ſi tamen illud reperitur de iure ciuili conſtitutum, ſtandum eſt iuri ciuili etiam in foro Canonico) ex *dict. cap. fin.* id manifeſtè conuincitur, illis verbis: *Aut tu ipſe (ſi maior infante fueris) cum autoritate alterius eorumdem procurator adeas poteris deputari, &c.* Quibus probatur neminem poſſe antequàm maior infante exiſtat, ad negotia ſpiritualia, etiam cum autoritate curatoris, vt optimè ſubaudit Archidiaconus ibidem, & refert Gloſſ. *verbo alterius*, procuratorem in iudicio conſtituere, vel per illum comparere, ac per conſequens nec in eo eſſe eodem curatore autore, cùm id tantùm poſſit quis per alium, quod per ſe poteſt, *cap. poteſt quis. 68. de regulis iuris lib. 6.* & in caſibus, in quibus per ſe poteſt in 7
iudicio eſſe, in his tantùm poteſt procuratorem conſtituere, vt in *dict. cap. fin.* ex eo notant omnes, & præcipuè Gomeſius *num.* 25. & probat *text. in cap. ex parte*, vbi obſer 8
uat Abbas *num. 7. de reſtitut. ſpoliator.* Vnde cùm ante expletum ſeptimum annum, etiam aſſentiente curatore, in ſpiritualibus procuratorem nemo conſtituat, nec ante id tempus, quamuis eodem curatore autorante, per ſe in iudicio comparere poterit.

Et fortè etiam hac de cauſa, quia nec in 9
ſpiritualibus infantes perſonam vllo modo ſortiuntur eſſendi in iudicio, vniuerſali illo, quo & qui paruuli, ſiue cum Baptiſmo, ſiue abſque eo deceſſerũt, vocandi ſunt, vt ex illo patet, quod in Apocalypſi Ioannis legimus poſt reſurrectionem exhiberi præſentiæ iudicis paruos, & magnos, probant Cardinal. Bellarminus *controuerſ. tom. 3. lib. 7. cap. 5.* non in eadem infantili ætate, qua ex hoc ſæ- 10
culo tranſierunt, ſed maiori, virilique comparebunt. Ita D. Hieronymus *in Iſaiam capit.* 65. noſter Collectarius *titulo de Sum. Trinit. & Fide Catholic. num.* 52. P. Suarez *in 3. p. D. Thom. quæſt. 56. ſect. 5. verſ.* 3. vbi illius ætatis omnes reſurrecturos, & iudicio adfuturos teſtatur, qua deceſſit Chriſtus, ſcilicet 33. annorum, & trium menſium, conſentit P. Bungus *de myſterijs numerorum in appendice*

num. 100. vbi D. Hieronymum refert *loco vbi ſuprà* aſſerentem, tunc ad centeſimum annum omnes peruenturos, his verbis: *In tali vrbe, ſcilicet ſuperna Hieruſalem, diuerſæ ætates non erunt, infans & ſenex, paruus, & magnus, qui non impleat dies ſuos, ſed quaſi filij reſurrectionis omnes peruenient in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt nec deſint alicui annorum ſpatia, nec ſuperſint, & alio necdum ſolidas habente vires alius deſinat eſſe quod fuerit, & decrepita ætate marceſcat, perueniéntque omnes ad centenarium annorum numerum.*

SVMMARIVM.

Nimia veſtium ſuperbia paupertatis mater eſt. 1.

Antiquitùs certis ætatibus, minoribus ſcilicet, interdictæ veſtes permittebantur. 2.

Leges veſtiariæ, vt modus ſumptibus adhiberetur, fuerunt inductæ. 3.

Verius tamen eſt, nec infantes à pœnis huius prohibitionis excuſari. 4.

Damni occaſionem præſtans, vt damnator punitur. 5.

Puerorum veſtes, etiam pluris conſtant. 6.

Virorum & mulierum appellatione, pueri continentur. 7.

Contrariorum eadem eſt ratio & diſciplina. 8.

In generali veſtium conceſſione, & maiorum & minorum veſtes continentur. 9.

Pueris nobilium, vulgò Pages, *interdicta veſtium delatio prohibetur.* 9.

Lex, vel ſtatutum generaliter loquens, etiam minores complectitur. 10.

Minorem non comprehendi ſtatuto prohibente vinum extrahi, quomodò intelligatur? 11.

Ex delatione veſtium prohibitarum non puer, ſed pater, tutor, vel dominus punitur. 12.

Senectus minimè excuſat à pœna deferentium interdictas veſtes. 13.

QVÆSTIO XXV.

Veſtes prohibitas, margaritas, & alia huiuſmodi, an quis impunè minori aliqua ætate poſſit deferre?

1 Nimia ſuperbia, inquit Iacobus Zeuecotius *in obſeruatis politicis ad cap.* 43. *Suetonij in Iulium Cæſarem,* paupertatis mater eſt, quæ etiam optimè conſtitutos ſtatus ſubuertit. Ideò multi olim populi, qui optimè ſibi conſultum volebãt, ſumptuarias, veſtiarias, aliaſque leges ſeuerè obſeruarunt. Exercuerunt eas ſæpè Romani, & olim apud noſtros fuiſſe prolatas monemur ex *l.* 1. 2. *&* 3. *tit.* 12. *lib.* 7. *Recopilat. l.* 13. *tit.* 12. *lib.* 7. 3. *part. eiuſdem recollectionis,* vbi id egregiè multis exornat doctiſſimus frater noſter D. Alphonſ. de Narbona, cuius dictis illam hîc ſubaddendam inueſtigationem, haud parum neceſſariam decreuimus: An ne ſcilicet prohibitio harum legum omnes omnino perſonas ita complectatur, vt nec minoribus, etiã infantibus, vetitis vti veſtibus permittat? Nã 2 ſi hac de re Suetonium conſulamus *dict. cap.* 43. Iulium Cæſarem ſic veſtiarias leges edidiſſe commemorat, vt certas aliquas ætates ab ipſarum nimis profuſa interdictione exciperet. Ita ait, *Lecticarum vſum item conchyleatæ veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis, & ætatibus, perque certos dies ademit.* Nullus etenim iuſtè inficiabitur certas has ætates, quibus Imperator prohibita deferre indumenta conceſſit, omnium primas & minores, infantiam ſcilicet & pueritiam fuiſſe, vtpote qui minori ſumptu ad ſui ornatum, etiam pretioſiorem indigent. Cùm potiſſima huius prohibitionis ratio in illud tendat, vt immoderatis veſtimentorum ſumptibus, & 3 expenſis modus adhibeatur, veluti poſt Azeuedum *in l.* 1. *num.* 5. *ad finem, dict. tit. & lib.* 1. notat eleganter Germanus noſter *dict. l.* 13. *gloſ.* 1. *num.* 3. *&* 8. nõ enim de minimis, legibus cura eſt, *l.* 4. *de in integr. reſtit. l. in rebus.* 18. §. *poſſunt, ff. commodat.*

Cæterùm probabilius eſt, nec infantes ipſos ab hac vtili veſtium prohibitione excipi, 4 imò adeò ea comprehenſos exiſtere, vt ſi deferant, legum ſeueritati ſubiaceant, veſteſque amittant, non quidem in pœnam proprij delicti, cùm eius adhuc minimè ſint compotes, ſed parentum vel aliorum, quorum diligentia, ſumptu, & cõſilio interdictis fuerunt veſtibus induti. Nec enim nouum eſt eum vt 5 damnatorem, aut criminoſum puniri, qui damni & criminis cauſam præbuit, *l.* 1. §. *deieciſſe, de vi, & vi armata, l.* 3. §. *cum procurator, ff. eodem, l. ita autem,* §. *geſiſſe de adminiſtrat. tutor. l. non ſolum* 9. *in princip. ff. de iniurijs, l. hoc iure.* 194. §. *vlt. ff. de regul. iuris.*

Quod ſuadetur primò ex ratione dictarum 6 legum, quæ tam in pueris, quàm in adultis & maioribus æquè militat, quandoque non ſine exquiſitis ſumptibus, & quod dolendum maximè eſt, ſuperfluis & minimè neceſſarijs, etiam paruulorum hæc indumenta conficiãtur. Nec quòd minoris quam adultorum cõſtent, aut comparentur, in cauſa eſſe poterit, vt ipſis liberè permittãtur. Alioquin quibus

perexiguũ, & paruũ corpus natura contingit, etſi grandes natu ſint, etiam pretioſioribus prohibitiſque veſtibus vti fas erit: quod nemo niſi delirans affirmauit.

7 Deinde, nam generaliter viris, & mulieribus præſertim noſtris legibus, hæc exquiſitarum veſtimentorum delatio inhibetur. At verò generali virorum & mulierum appellatione, etiam pueri ſubaudiũtur, & ſi in legato ea fuerit vſus teſtator tam maiores natu, quàm minores comprehenduntur, textus elegans *in l. ſeruis. 81. verſic. Mulieribus, ff. de legat. 3.* cuius hæc verba: *Mulieribus verò legatis, etiam virgines debentur, ſicuti viris legatis etiam pueros deberi reſpondetur.*

8 Et aptiùs confirmatur ex eo quòd contrariorum eadem eſt ratio, & diſciplina, *l. etſi contra, in fine de vulgari, l. penult. C. de ſolution. princip. inſtitut. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris* cum alijs, quorum meminit Eueratdus *in topicis legalibus in loco à contrarijs & aduerſis, pagina mihi* 153. Sed in cõceſſione, & abſoluta datione veſtimentorum tam adultorum, quàm puerorum veſtes continentur, vt in muliebri veſte legata Vlpianus reſpondit *in l. argumento.* 25. *verſic. Muliebri, ff. de auro & argento legato,* ibi: *Muliebri veſte legata, & infantiũ contineri, & puellarum, & virginum Pomponius libro viceſimoſecundo ad Sabinum rectè ſcribit, mulieres enim omnes dici, quæ ſexus fœminini ſunt:* ergo ſimiliter & in ademptione, & prohibitione generali veſtium, omnes & quæcumque, ſiue maiorum, ſiue minorum comprehenſæ videbuntur.

9 Idque clariùs apud noſtros apparet ex *d. l. 13. §. 16. lib. 7. Recopilat.* vbi circa pueros nobilium, quos vernacula lingua *Pages* nuncupamus, eandem veſtium prohibitionem intelligi ſtatuit, dum eos impunè certis tantùm veſtibus vti poſſe permittit. Sunt enim pædagogi, ſiue famuli eiuſmodi vt in plurimum, vel infantes, vel pueri, & non maiores quatuordecim, aut quindecim annis, vt *infrà anno* 14. pleniùs ſuo loco præſtabimus.

10 Nec mirum quidem, cùm nullum ſit generale placitum, vel ſtatutum, quod etiam ſua diſpoſitione, cuiuſcumque ætatis minores nõ reſpiciat. vt optimè probatur ex *cap. conſtitutus de in integr. reſtitut.* & oſtendit Alderan. Maſcard. *de ſtatutis, pagina mihi 205. n. 36.* Quintilian. Mandoſ. *de ætat. min. in quæſtionibus quæſt. 8. num. 2.* Gaſpar Baeça pluribus relatis *de inope debitore cap. 8. num. 1. verſic. His accedit,* quibus nõ refragatur Romanus *ſingulari vltim.* incipienti: *Audiſti,* quem ſequitur Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo vel aduerſarij dolo, num. 82. verſic.*
Ex his, C. de in integr. reſtit. aſſerens minorẽ
ſeu pupillum, non comprehendi ſtatuto pro- 11
hibente vinum, vel frumentum extrahi, vt
etiam affirmat Plaza *de delictis cap. 32. num.*
9. Aloyſius Riccius *in collectan. deciſ. part. 4.*
collectan. 762. verſic. Limita tertio, Mexia *in*
tractat. taxæ panis concluſ. 1. num. 18. Bo-
badilla *in Politica lib. 4. cap 5 num. 40.* Gu-
tier. *practicar. lib. 4. quæſt. 42. num. 19.* Ema-
nuel Barboſa *in remiſſionibus ad Il. Luſitaniæ*
lib. 5. tit. 76. §. 6. num. 5. Quia hoc reſpectu
pœnæ ſubintelligendum eſt, quam pupillus
antequam doli ſit capax, minimè ſubire de-
bet, vtpote nequaquam delicti compos, cui
ſolùm pœna debetur, quod nec nos inficia-
mur, cùm tantum definiamus, parentes, tuto-
res, vel dominos puerilium veſtium amiſſio- 12
ne, & alijs pœnis ex filiorum, aut famulorum
delatione coerceri, veluti quorum opera, cõ-
ſilio & ſumptu factum eſt, vt legi in modo ve-
ſtium infantilium non pareatur.

Vnde licet intelligere, nec ſenilem ætatem 13
ab eiuſmodi crimine deferendi veſtes prohibitas excuſationem præſtare, quandoque in illis hoc grauius ſcelus reputari meritò ſentiat Tertullianus *de cultu fœminarum cap. 9.* in hæc verba: *Ætates denique requietas iã, & in portum modeſtiæ ſubductas, ſplendor, & dignitas cultus auocant, & ſecuritatem appetitionibus inquietant, compenſantibus ſcilicet habitus irritamento pro frigore ætatis.*

SVMMARIVM.

Maior ſeptem annorũ apud conſilium tutore auctore rectè manumittit. 1.

Manumittere ſolus dominus poteſt. 2.

Manumittendi poteſtas non ſubiacet adminiſtrationi bonorum. ibidem.

Manumiſſio abſque verbis fieri nequit. 3.

Infans verbis caret. 4.

L. pupillus. 24. ff. de manumiſ. vindicta, quare fuerit poſt l. manumiſſio. 23. eiuſdem tituli immediatè ſcripta? 5.

Dicta l. manumiſſio. 23. explicatur. 6.

Tacere is propriè dicitur, qui poteſt, & non vult loqui. 7.

Baptiſmi Sacramentum redditur nullum ex taciturnitate adulti, ad ea quæ in ea interrogantur. 8.

Tacens in fauorabilibus, pro loquente habetur. 9.

Text. in cap. cùm pro paruulis. 77. de conſecratione diſtinctione 4. explicatur, num. 8. & 10.

QVÆST.

QVÆSTIO XXVI.

Pupilli ætas quanta ſit oporteat, vt tutoris autoritate poſsit manumittere?

1 PVpillus,qui infans non eſt, ait Paulus *in l.pupillus.24.ff.de manumiſ.vindict.* apud Cõſilium rectè manumittit, ſcilicet tutore autore. Ex quo planè conſtat, non aliter pupillum etiam in conſilio,& annuente tutore proprium ſeruum libertate donare poſſe,quàm ſi ſeptimum annum, qui infantiæ terminus,& vltima linea extitit, trãſcenderit, vtpote ibidem Gloſſographorum nullus abnegat,& cum illis fatentur Quintilian.Mandoſ.*de ætate minor.cap.4.num.25.* & Anton.Faber. *in Iuriſprud. Papin. tit. 6. princip.6.illat.9.*

Cuius rei perpulchram illam rationem ſubnectit idem Anton. Faber. quia ſeruus cùm pupilli ſit,ab ipſo pupillo veluti domi-
2 nõ,non verò à tutore manumitti debet,ſiquidem manumittendi ius ſolus habet qui dominus eſt,*l.fideicommiſſariam 6.C. qui manumit.non poſſ.*& manumittendi poteſtas patrimonij adminiſtratione minimè comprehenditur,*l.ſeruus furioſi.13.de manumiſſio-*
3 *nib.*Vnde cùm manumiſſio abſque verbis, & quidem ſolemnibus expediri nequeat, *l.manumiſſio.23.de manumiſ.vindicta* iunctis his, quæ in hanc rem ex Boecio, Liuio ,& alijs congerit Barnab. Briſon. *lib.8.de formulis, pagina mihi.827.* ab eo fiat oportet, qui ea
4 naturaliter proferre poſſit: ergo non ab infante, & ſeptennio minore, cuius tanta verborum penuria eſt,vt inde infans meritò cognominetur, vt *ſuprà hoc eodem anno* proba-
5 uimus. Et fortè ideò *dict.l.pupillus,* quæ infantem etiam cum tutore manumittere prohibet,dictæ legi *Manumiſſio,*ex qua verba ſolemnia ad manumiſſionem eſſe neceſſaria cõiectatur,immediatè ſupponitur: vt velut ipſo ordine hanc eſſe veram rationem conteſtarentur,& poſteriorem à priore,quaſi à ratione dependere.

6 Nec his repugnat quod in *dict.l.manumiſſio.23.* Hermogenianus notat,videlicet, manumiſſionem per lictores hodie domino tacente expediri ſolere, & verba ſolemnia, licèt non dicantur, vt dicta accipi. Quoniam vt optimè inquit Anton.Faber. *dict.illat.9.* id enim non illam rationem habet,quòd illa verborum ſolemnitas, quæ primis temporibus neceſſaria fuit,hodie ſublata ſit: ſed quia vt prædicta *lege* cauetur,verba ſolemnia, licèt non dicantur,tamen vt dicta accipiãtur, ab eo ſcilicet,qui cùm naturaliter ea eloqui
potuiſſet,libenter tacuit. Nam ille propriè 7
tacere dicitur, qui noluit,cùm poſſet,loqui. Ita ex D.Ambroſio colligitur *ſermon.49.de accuſato Domino apud Pilatũ: Taciturnitas,* inquit, *interdum pro conſenſu habetur, videtur enim confirmare quod obijcitur, cùm non vult reſpondere quod quæritur.* Alioqui non tacens,ſed mutus eſſet,aut infans , ideſt fari neſciens,à quo minimè pro dictis ſolemnia manumiſſionis verba haberi poterunt, cùm in ea ſit ætate, vt etſi maximè vellet, dicere non poſſet.

Sed obijcies,inde inferri vbicumque verba ad alicuius actus perfectionem deſiderantur, pro dictis ab eo accipi,qui cùm actũ facere intenderet,eique poſt egreſſos annos infantiæ præſens fuiſſet, ſpõte tacuit, quod videtur minimè cum eo cohærere,quod *in cap. cum pro paruulis 77.de conſecrat.diſtinct.4.*
admonet D.Auguſt.nempe irritum eſſe Bap- 8
tiſmum illius, qui cùm loqui ſciret,interrogationibus factis,nec verbum quidem vt neceſſe erat,reſpondit,etiamſi pro eo alius reſpondeat,& reddit rationem ex illo Euangelij, *Ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur:* ergo qui in ea ætate eſt vt rectè loqui valeat,cùm illud tacuerit, cuius prolatio requiritur,veluti ſolemnia hæc manumiſſionis verba,taciturnitate ipſa effeciſſe non poterit,vt pro di-
ctò accipiatur. At,vt dixi,contrarium veriùs 9
eſt,maximè vbi id conſuetudo, aut alicuius actus fauor admiſit,vt egregiè animaduertit Petr.Pechius *in regula qui tacet.43.num.2. de regulis iuris lib.6.* vnde taciturnitatem tunc vim ſtipulationis ſortiri, etſi ad ſtipulationem verba requiri videantur *in l.1.ff.de verbor.obligat.*ex Socino, & Baldo probat: quod item in ipſo manumiſſionis actu experitur,qui licèt abſque ſolemnibus verbis minimè obiri ſoleret: conſuetudo tamen non ſine aliquo libertatis fauore & priuilegio admiſit,etiam tacente domino,& nullis ab ipſo prolatis verbis eum cõſiſtere,vt *in d.l.manu-*
miſſio. Secus atque in Baptiſmo,vtpote in 10
actu magis ſerio,& qui non ſolùm ad præſentis vitæ vtilitatem,ſed ad æternæ etiam fœlicitatem, & ſummam beatitudinem omnino conducit: indecens enim eſſet in re adeò neceſſaria,& quæ ideò nedum verbis,ſed corde ſimul & affectu exoptari debet,ita baptizandum ſe gerere, vt tacendo magis negligere, aut parui pendere Sacramentum,quàm illud appetere videretur. Eſt igitur Baptiſmi ſummum beneficium,quod non ſolùm in inuitum non redditur, imò debet in expreſſe efflagitantem, cùm ita fieri poteſt,& non in alium con-

conferri, veluti in *dicto cap. cum pro paruulis* planè innuitur.

SVMMARIVM.

IN hac quæſtione diuerſæ ſunt Auctorum ſententiæ. 1.

Septimo anno maior, ſiue maſculus, ſiue fœmina, poſſeſſionem acquirere poteſt. 2.

Ante decimum annum cum dimidio neminem poſſeſſionis eſſe capacem, putarunt aliqui. 3.

Infans ſibi ipſi nequit poſſeſſionem adquirere, & quare. 4.

Poſſidere eſt ſentire, ſenſu ſe poſſidere. ibidem.

L. donatarum. 3. C. de acquirenda poſſeſſione expenditur, & explicatur. 5. *& 6. Et pluribus ſequentibus.*

Infans, qui aliquem habet intellectum, tutore auctore rectè poſſeſſionem acquirit. 7.

Duorum vel trium annorum infans, nec tutoris autoritate poteſt adquirere poſſeſſionem. 15.

Furioſus nec cum tutoris autoritate acquirit poſſeſſionem. 16.

L. ſi quis in emancipatum 26. C. de donat. verè exponitur. 17.

Infans ſine tutore, nec ſibi traditam ab alio poſſeſſionem, nec vacuam apprehendere poteſt. 18.

Dominium rei, quæ in nullius bonis eſt, minimè poteſt occupatione infantis acquiri. 19.

Septimo anno maior poteſt vſucapere. 20.

Poſſeſſio aliquãdo pro vſucapione accipitur. 21.

Capere poſſeſſionem, pro vſucapere à iuriſconſultis frequenter dici ſolet. 22.

Poſſeſſio maioratus ex miniſterio l. 45. Taur. in infantem, & vtero exiſtentem, nullo intercedente tutore transfertur. 23.

QVÆSTIO XXVII.

De ſufficienti ætate ad poſſeſsionem acquirendam, necnon & ad dominium rerum, quæ in nullius bonis ſunt occupatione, vel quæ alicuius in poteſtate exiſtunt, vſucapione conſequendum?

1 QVamuis enim, vt in propoſito ſcripſit Imperator *in l. donatarum. 3. C. de acquir. vel retin. poſſ.* hac in diſquiſitione ſint auctorum ſententiæ diſſentientes, tamen conſultius videtur, eam eumve ſolummodò per ſe ipſum poſſeſſionem acquirendi perſonam habere, qui primos infantileſque annos exceſſit, veluti profitetur Conſultus *in l. 3. §. pupillus*, iũcta Gloſſæ explicatione, *ff. de vſucap.* vbi etiam obſeruant Albericus *in principio*, Angelus & Cuiac. & poſt eos Donellus *commentar. lib. 5. cap. 11. in principio*, Caldas *de nominat. emphyth. quæſt. 4. num. 7.* Petr. GilKenius *de præſcription. part. 3. cap. 1. num. 22.* & inſinuare videtur Mieres *de maioratu part. 1. quæſt. 41. num 2.* iuncto *num. 13.* quidquid de maiore decimo anno cum dimidio ex Cumano, Romano, Alexandro, Iaſone, & Rota voluerit Quintilianus Mandoſ *de ætate minor. poſt cap. 5. quæſt. 35.* Vaconius à Vacuna *lib. declarat. declaratione 33. num. 1.* 2 3

Cuius veriſſimæ enuntiationis ea proculdubio aptiſſima ratio eſt, quia infans minimè poſſeſſionem ſibi ipſi acquirere poteſt. Requiritur enim ad poſſeſſionis apprehẽſionem animus & corpus, *l. quemadmodum 8. ff. de acquir. poſſeſ.* animus verò infanti nullus eſt, *§. pupillus de inutilib. ſtipulat.* vbi non modò infantem verũ etiam eum qui infantiæ proximus eſt, non multum à furioſo diſtare ea de cauſa docet Imperator, quia huiuſmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum, ergo neque animum: ſiquidem intellectu carens, affectum acquirẽdi poſſeſſionem habere non poteſt, *l. 1. §. adipiſcimur, ff. de acquir. poſſeſ.* vbi cùm Paulus dixiſſet, pupillum ſine tutoris autoritate inchoare poſſeſſionem nõ poſſe, eam eſſe rationem ſubijcit, quia affectionem tenendi nõ habet, licèt maximè rem ſuo corpore contingat, ſicuti ſiquis dormienti aliquid in manu ponat. Eſt enim, vt optimè animaduertit Morquechus *de diuiſione bonorum cap. 3. num. 12.* omne poſſidere, ſentire ſenſu ſe poſſidere, quod de infante ſenſu prorſus deſtituto vix dici poteſt. Nec refragatur Offilij & Neruæ ſententia exiſtimantis, vt eadem *l. Paulus* commemorat, pupillum etiã ſine tutoris autoritate poſſe incipere poſſidere, ſiquidem illorum exiſtimationem ita ibidem Paulus admittit, ſi pupillus eius ætatis ſit, vt intellectum capiat: ergo ab acquirenda poſſeſſione planè excluditur infans, qui nullum intellectum habere dicitur *in dict. §. pupillus*, & expreſſiùs *in l. quamuis. 32. §. infans, ff. de acquir. poſſeſ.* Ac conſequenter, qui maior eſt infante, quaſi animo pollens excluſus non videtur, imò ex contraria ſententia ad poſſeſſionis acquiſitionem admiſſus. 4

Quæ ſententia licèt in ſe veriſſima ſit, valdè tamen difficilis & perobſcura redditur reſcripto Imperatoris *in l. donatarum 3. C.*

de

de acquirenda poſſeſſione, vbi cùm hæc ipſa quæſtio, ſcilicet an infanti re donata & tradita, ſine tutore poſſeſſio ipſi acquiratur? Imperatori proponeretur, antiqua hac de re cõtrouerſia deciſa, reſcribit poſſeſſionem hanc infanti acquiri, eamque rei donatæ traditionem infanti factam, licèt ſine tutore, non eſſe inutilem: ergo quidquid propoſita ratio ſuadere videatur, attenta hac deciſione diffiteri non poterit infantem, nanciſcendi poſſeſſionem legitimam perſonam ſortiri.

6 Hæc lex inquit Hubertus Giphan. *in ipſius explicatione* iure & meritò difficilis, & obſcura prædicatur ab Interpretibus, qui mirè variant, diſtinguunt, & errant in eius ſententia inueſtiganda. Præcipuè poſt Accurſium ibidem Ludou. Carond. *lib.2. veroſimil. cap.6.* Connan. *lib.8. comm. cap.8.* Iul. Pacius *legum conciliat. centur.6. quæſt.94.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem habens, C. de in integr. reſtit. verbo cùm non abſimilis num.55.* Franciſc. Duaren. *in l.1. §. adipiſcimur, ff. de acquir. poſſeſ.* Cornel. à Renthel. *cent. qq. de poſſeſſione quæſt.29.* Mieres *de maior. 1. part. q. 41.* Nicol. de Paſſeribus à Genoa *in conciliatione legum*, vbi plures intellectus refert & improbat, *pagina mihi 658.* noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hominis cap.14. à num. 13. cum ſeqq.* quorum omnium dicta & cogitata longum moleſtumque eſſet hîc exponere & refellere: ideoque illis neglectis, veriſſimum credo id quod dicitur in *hac l.* ſcilicet donatarum rerum vacuam poſſeſſionem infanti traditam corpore quæri, parum ſuperiori noſtræ reſolutioni officere, ſiquidem accipiendum eſt interueniente autoritate tutoris, vt rectè placuit Ioanni antiquo gloſſatori, quem refert Accurſius *ibidem verbo alioquin, verſ. vel dic.* Cui ex Neotericis acceſſerunt Iacob. Cuiac. *lib.54. Pauli ad edictum in l.1. §. adipiſcimur, de acquir. poſſeſ.* Hugo Donel. *lib.5. comm. cap.11. & ibidem* Oſuald. Zoanet. *in trium verb. interpretat. in verb. de adquirenda num.12. & ſequentibus,* Borch. *de acquirend. poſſeſ. cap.3. num.8. & 9.* Fara *de eſſentia infantis cap.4. num.4.* Petr. Gilkenius *de præſcript. part.3. cap.1. num.8.* D. Melch. de Valentia *tractatuum illuſtrium 1. part. tractat.2. cap.6. num.16.* ſecundum quam interpretationem textus iſte generaliter, vt iacet, intelligendus erit in poſſeſſione cuiuſcumque rei donatæ, etiamſi fundus ſit, cuius poſſeſſionem tutore autore infans acquirere poteſt.

7 Quæ vtique reſolutio, qua prædiximus, infantem tutore autore cuiuſcumque rei poſſeſſionem acquirere poſſe, non dequocumque infante ſubaudienda erit, ſed de illo dumtaxat, qui aliquem ſenſum & affectum habet, vt appoſitè nimis adnotauit Accurſius *verbo iudicium in dict. l. quamuis. 32. §. infans, ff. de acquir. poſſeſ.* quem ſequuntur *eodem loco* Bartol. Angel. Ludouic. Roman. Paul. de Caſtro, & communiter Scribentes, quibus conſentit Iaſon *in dict. l.1. §. adipiſcimur n. 17.* etſi contrariam ſententiam, quam ipſe ſequitur, probabiliorem appellet Æmil. Ferretus *in dict. l.1. §. adipiſcimur num.2.* noſtrã verò receptiſſimam, & optimè, cùm id manifeſtè probari videatur ex *dict. §. infans*, illic: *Nam iudicium infantis ſuppletur autoritate tutoris*: verbum autem illud, *ſuppletur*, denotat aliquod eſſe iudicium infantis. Aliter enim ſi infans prorſus iudicio deſtitueretur, ineptè diceretur ſuppleri id quod non eſt, argumento *l. ſed etſi manente 5. de precario*. Vnde fit ideò infantem in ſpecie *dict. l. donatarum* rectè potuiſſe tutore autore poſſeſſionem apprehendere, quia licèt non haberet plenum iudicium, habebat tamen aliquem affectum, qui poſſet à tutore ſuppleri, vt non obſcurè deducitur ex illis verbis: *Licèt animi plenus non fuiſſet affectus.*

Nec aliquod negotium faceſſit quod huic interpretationi communiter objici ſolet, nẽpe ex eo diuinationis vitio laborare, quia nullum verbum *ea l.* inuenitur, ex quo probabiliter coniecturari valeat Imperatorem de poſſeſſione egiſſe infanti tutore autore quæſita. Nam licèt ita eſſet, quòd ex verbis non conſtaret, diuinatoria nihilominus dici non poſſet noſtra interpretatio, cùm id quaſi terminum habile neceſſariò ſupponi deberet, quod proculdubio vt notiſſimum omiſerat Imperator, non verò quia exiſtimaret ſolum infantem, quem ſine affectu eſſe eodem loco prædicat, poſſeſſionem acquirere poſſe: ſed veriùs eſt, vt ſubtiliter arbitratur Donellus *vbi ſupra*, ex eodem reſcripto ſatis apertè colligi tutoris autoritatem eſſe neceſſariã ad hoc vt infans poſſeſſionem acquirat. Nam cùm inquit, poſſeſſionem quæri infanti corpore, manifeſtè commonſtrat ſolo corpore infantis, non verò ipſius animo poſſeſſionem nanciſci: ergo cùm poſſeſſio nondum corpore, ſed maximè animo acquiri conſtet, *l. poſſideri 3. in principio dict. l. quemadmodum 8. de acquirenda poſſeſſione*, ſecluſo animo infantis, ſolus remanet tutoris animus, ſiue autoritas, qua accedente infans legitimè poſſit adipiſci poſſeſſionem: ergo illo verbo à fortiori ſupponit, hac in acquiſitione infantis tutoris autoritatem eſſe neceſſariam. Et confirmatur ex eo, quod in quæſtione, de qua diſceptatur in *ea l.* varias fuiſſe diſſentientes autorum ſententias, profitetur Imperator: ergo

erat

erat quæſtio, vtrũ infans tutore autore poſſet poſſeſsioné acquirere? Patet, nã hoc alij negabant, quia nullus animus eſſet infantis ad poſſeſsionem acquirẽdam: alij verò ex eo affirmabant, quòd etſi plenus infanti affectus nõ eſſet, quod deeſſet, tutoris autoritate suppleretur, vt iam Paulo placuiſſe conſtat *ex d. l. quamuis, §. vlt.* ſimiliter & Papiniano, vt teſtis eſt Decius Imperator *in d. l. 3.* cui ipſe quæſtionem reſecans meritò ſubſcribit: illud autem, an ſolus infans poſſeſsionem nanciſceretur? à nemine vnquam fuit cõtrouerſum, cùm manifeſti ſit iuris, animo deſtitutum poſſeſsionis acquiſitioni eſſe ineptum.

9 Hincque euidẽter reijcitur Franc. Duareni obiectio, qua ideò noſtrã interpretationẽ ſubuertere conatur, quòd ſi verũ eſſet Decij reſcriptum, accipi debere de poſſeſsione acquiſita infanti tutore autore eius deciſio, nullã difficultatẽ, aut repugnãtiam haberet. Fallitur enim, dum nullam huic deciſioni ſubeſſe quæſtionẽ, vel dubitandi rationẽ putat, ſiquidẽ vt propè indicauimus, dubitari meritò potuit, an infans etiam tutore autore poſſet acquire poſſeſsionẽ? & in eo dubium conſiſtere, quòd infans non habet plenũ animi affectũ, vt conſtat *ex d. l. 3. & ex d. §. infans*, quin potiùs æquiparetur furioſo, *d. §. pupilius de inutilibus ſtipulationibus*, quo infantẽ nullius eſſe intellectus edicitur, ideò videbatur eum non poſſe acquirere poſſeſsionẽ, vti nec furioſus poteſt incipere poſsidere, etiã interueniente curatoris autoritate. *l. in negotijs 5. iũcta gloſſa fin. de reg. iur.* & licèt ſecũdùm ſtrictã iuris rationẽ videbatur exigẽdus plenus animi affectus in eo, qui poſſeſsionẽ quærit, vtilitatis tamẽ cauſa receptum fuit, vt iudicio infantis tutoris autoritate ſuppleto poſsit infans quærere poſſeſsionem, vt *in dict. § infans*, ibi: *Vtilitatis enim cauſa, &c.* & *in dict. l. 3.* ibi: *Tamen conſultius eſſe.*

10 Nec magis vrget quod obijcit Pereira *d. n. 54.* videlicet ſuperfluã & otioſam futurã *d. l. 3.* deciſionem, ſi ea illa quæſtio definiretur, vtrùm infans tutore autore poſſeſsionẽ poſſet acquirere? quia eadem ipſa, iã multis retrò annis ad vnguem exierat deciſa per Cõſultum *in d. l. 1. §. adipiſcimur, & in d. l. quamuis. 32. §. infans, de acquir. poſſeſ.* Nã etſi verum fatemur ipſammet quæſtionem à Paulo locis aſsignatis fuiſſe reſolutam: attamẽ cùm rurſus de eodem dubitari, iudice Imperatore cõtigiſſet, neceſſe habuit ortam quæſtionem, iuxta dictorũ iurium tenorem dirimere, nec ideò eius deciſio ſuperflua æſtimari debet, quia alijs conuenit, cùm vix in libris noſtris lex occurrat, quæ aliquas ſibi concordes, & ſimiles non habeat.

Indiſſolubilius quippe videtur quod aduerſus noſtram explicationem à nonnullis, quibus ea diſplicet, ex ipſamet *l. 3.* deduci ſolet, ibi: *Alioquin ſicuti conſultiſsimi viri Papiniani reſponſo continetur, nec quidem per tutorem poſſeſsio infanti poterit acquiri.* Quibus verbis innuere videtur Imperator, priori parte ſuæ deciſionis de poſſeſsione egiſſe infanti ſine tutore acquirenda. Sed reſpondetur cum Donello *dict. lib. 5. cap. 11. in fine*, tantum abeſſe, vt ex huiuſmodi verſiculo illud probari poſsit, quòd imò ex eo noſtra ſententia manifeſtè confirmetur: voluit enim Imperator probare infantem alicuius intellectus tutore autore poſſeſsionem acquirere poſſe, hoc argumento. Niſi enim poſſeſsio infanti, aſſentiente tutore tradita ipſi quæreretur, nec quidem per tutorem ſolùm poſſeſsio infanti poſſet acquiri, quod nemo dicet. 11

Obloquentes tamen quamplurimos audio, & hanc Donelli interpretationem ex eo falſi accuſantes, quòd ſi ea mente, qua exiſtimat prędictus autor, inferret Imperator, nec quidem per tutorem poſſeſsionem infanti quæri poſſe, probaret ſuam ſententiam collectione certè vitioſiſsima, ſiquidem verum nõ eſt, tunc demum tutorem habentem eius autoritate acquirere poſſe, cùm ipſi per ſolam perſonam ſui tutoris poſsit acquiri. Nam vt ſuprà tradidimus, furioſus etiam curatore autore non poteſt acquirere poſſeſsionem: & tamen curator furioſi ei poteſt poſſeſsionem quærere: ergo hæc argumentandi ratio, quidquid dicat Donellus, tantò viro indigna cenſeri debet. 12

Fateor eiuſmodi replicationem plurimum vrgere, verùm non cõcludere: & vt faciliùs intelligi poſsit, obſeruandum erit, quòd ſtricta iuris ratione attẽta infans, etſi alicuius intellectus particeps, quamuis tutore autore poſſeſsionem apprehendere non poterat, quare vtilitatis prætextũ illud inducere opus fuit, vt teſtatur Conſultus *in d. l. quamuis. 32. §. infans*, illis verbis: *Vtilitatis enim cauſa hoc receptum eſt: nam alioquin nullus ſenſus infantis eſt accipiendi poſſeſsionem*: ex quibus ita reſoluit poſt alios Hubert. Giphan. *loco vbi ſuprà.* Qua etiã vtilitate ſuadente ſimiliter receptũ eſt, vt infanti, qui nullam, aut ſaltim nõ plenã habet animi affectionẽ, acquiratur poſſeſsio per tutorem, ſicut etiam de acquiſitione, quæ fit per liberam perſonam, tradiderunt Imperatores *in l. 2. ff. de acquir. poſſeſ.* 13

Hoc ita præſuppoſito, reaſſumamus conſequentiam, quam ex *d. verſic. final. d. l. 3.* ſuprà retulimus. Igitur Imperator ſic argumẽtatur. Si infans, qui qualemqualem habet animi affectionem, non poteſt tutore autore poſſeſ- 14

poſſeſſionem acquirere, nec tutor ipſe poterit infanti poſſeſſionem quærere. Reſpondetur, eiuſmodi Imperatoris argumentum militare ſecūdùm ſtrictā iuris rationē, veluti ſi diceret Imperator: Si nolimus verū fateri infantem ex benignitate, & vtiliter poſſeſſionē tutore autore acquirere poſſe, cōſequenter diffiteri debemus, tutorem ipſum poſſe infanti poſſeſſionē acquirere: quia vtroque modo ratione tātùm benignitatis poſſeſſio in infantē transferri poteſt. Nā ius ſtrictū vno & altero caſū ſimilē acquiſitionem interdicit: ergo cū vti certiſſimum ab omnibus admittatur, poſſeſſionē infanti poſſe per tutorē ipſum acquiri, eadem ratione & admitti debebit, inquit Imperator ipſum infantem autorāte tutore etiā poſſeſſionē quærere poſſe, quæ vera eſt interpretatio *dict. verſiculi fin.* vt cum Gloſſa arbitramur in *d.l.3.* verbo alioquin. Quamuis *ibidem* Paulus de Caſtro *n.2.* quem multi ſequuntur, aliter intelligat.

15 Concluditur ergo ex ſuperioribus, nihil certius excogitari potuiſſe ad interpretationē *d.l.3.* quā affirmare loqui & procedere in poſſeſſione tutoris autoritate ab infante quęſita, qui habet aliquam poſſidendi affectionē. Nam qui omnino intellectu caret, qualis eſt duorum aut trium annorum, non poterit incipere poſſidere, quantumuis tutoris intercedat autoritas. Ita Bartol. *in l.2. §. adipiſcimur, ff. de acquir. poſſeſ.* Paul. de Caſtro *ibidē n.4.* & alij relati per Iaſonē *d. §. adipiſcimur, n.17.* & habet rationem, quia vt prædiximus, cùm huius ætatis infans nullum habeat intellectum, nihil eſt quod tutoris autoritate ſup-
16 pleatur, argumento *d.l. etſi manente 5. de precario.* Prætereà, quia infans, cuius tam exigua ætas eſt, nihil à furioſo diſtat, *d. §. pupillus, de inutilibus ſtipulationibus, cū ſimilibus.* At furioſus intercedēte curatoris autoritate poſſeſſionē acquirere nō poteſt, *l. in negotijs,* vbi notat Gloſſa fin. *de regul. iuris, l.1 de bonorū poſſeſ. l.4. in princ. verſ. Furioſus de vſucapionibus.* Ergo nec infans huic ſimilis, ſiquidem tutoris autoritas niſi infanti aliquem intellectum habenti adiumento eſſe non poteſt, iuxta noſtram ſententiam.

17 Ex qua mirificè profluit vera interpretatio ad text. *in l. ſi quis in emancipatum. 26. C. de donationib.* vbi probatur, rem donatā infanti emācipato, ei acquiri per ſeruum, cuius deciſio apertè cum ſuperiori *d.l.3.* conuenire videtur. Nam cùm Imperator Conſtantinus in *d.l. ſi quis in emancipatū* ſupponat, donatariū intra infantiam eſſe cōſtitutum, nec tutorem habere, qui intellectus defectum ſuppleret, neceſſe fuit per ſeruum idoneum, ideſt legitimæ ætatis id fieri, vt eo quaſi autorante rei donatę poſſeſſio infanti domino quæreretur.
Nec ſufficeret, quòd huiuſmodi rei donatæ 18
vacua poſſeſſio infanti traderetur, ad hoc vt ipſi abſque tutore occupatione quæreretur, vt perperam aliqui exiſtimarūt. Nam ſiue ab aliquo accipiat, ſiue derelictā occupet, omni caſu abſque tutore apprehēdendo nihil aget, quoniam, vt aduertit Pereira *loco ſæpius repetito n.12.* Iuriſcōſultus *in d. §. adipiſcimur,* apertè docet infantē ſine tutoris autoritate non poſſe incipere poſſidere ea de cauſa, quia affectionē tenēdi nō habet: quę ratio, cū generalis ſit, nō ſolū procedit in poſſeſſione infanti ab alio tradita, verū & in poſſeſſione vacātē, quā infans apprehendit, nemine tradente.

Vnde colligitur, minorem ſeptēnio, qui, vt 19
diximus, nec vacuam poſſeſſionē ſine tutore acquirere poteſt dominium rei, quæ nullius eſt, vt puta feræ, beſtiæ, *§. feræ de rerum diuiſione,* occupatione nanciſci citra tutoris autoritatem nō poſſe. Nam cùm hæc acquiſitio dominij à poſſeſſione neceſſariò incipere debeat, *l.1. in princ. de acquir. poſſeſ.* qui poſſeſſionem vitio ætatis conſequi non poteſt, nec dominiū poterit, quod ex poſſeſſione deſcendit. Ex quo appoſitè nimis infert Petr. Gil- 20
Kenius *d. p.3. de præſcriptionibus c.1. n.22.* quòd ille tantùm, qui exceſſerit ſeptē annos, qui infantiæ ſunt definiti, *l.1. §. ſufficit. ff de adminiſtrat. l. ſi infanti, ff de iure deliber.* vſucapere poteſt: quia & iſte nedum tutore autore, ſed & per ſe ipſum nanciſcitur poſſeſſionē, adeò ad vſucapionē neceſſariam, vt aliquādo poſſeſſio pro vſucapione vſurpetur, veluti in *dict. l. denique. 19. ff. ex quibus cauſis maiores.* 21
quamuis non me lateat ibi mendoſè legi ab aliquibus à notari, præcipuè à Gloſſa marginali, & à Petro Fabro *lib.2. ſemeſtr. c.25.* & loco illius verbi *Poſſeſſionem,* vſucapionē ſubſtituendum. Sed certè ſenſu prædicto nullum mendum litera continere videtur, nec abſur- 22
dum, cùm frequēter Iuriſconſultis poſſeſſione capere pro vſucapere ſit vſitatiſſimū, *l. non ſolùm. 33. §. ſi dominus, l. qui fundum 7. §. ſeruus, l. emptor 4. ff. pro emptore,* ex quibus ita obſeruat Lelius Viſciola *horarum ſubſeciuar. lib.8. cap.10.* & inſuper poſſeſſionem pro vſucapione plerumque accipi.

Conuincunt enim hæc omnia, nondū ſeptennē nec poſſeſſionem, nec dominiū à poſſeſſione proueniens per ſe ipſum acquirere poſſe: ac per cōſequens & ex illis cōuincitur eā ſolam poſſeſſionem infantem abſque tutore nanciſci, quæ ſine facto aut animi affectu conſequitur, vtputa quæ miniſterio *l.8. tit.7.* 23
lib.5. Recopilat. & l.45. Tauri transfertur in ſucceſſorē maioratus defuncto eius poſſeſſore. Nam cùm hęc ad ſui acquiſitionē ex parte ſucceſ-

ſucceſſoris nullum animum, aut corporale factum requirat, ſed tantùm quòd primum locum in ſucceſſione obtineat: inde eſt proximiorem licèt vnius horæ infantulum, aut in vtero exiſtētem, vt placet Alphonſ. Carrança *diſputat. de partu c.2.§.4.n.41.* mortuo anteceſſore maioratus poſſeſſionem, & ciuilem, & naturalem acquirere, etiam non interueniēte tutore. Quia cùm ad eam conſequendam infans nihil præſtare debeat; non eſt vbi tutoris autoritas valeat interponi.

SVMMARIVM.

Pupillo non habenti tutorem datur curator in litem. 1.
Septennio minori non curator, ſed tutor potiùs, vel actor in litem datur. 2.
Curator non niſi præſenti dari poteſt. 3.
Infans nunquam præſens cenſetur. ibidem.
Curator, qui petenti conceditur, infanti dari non poteſt. 4.
De iure Canonico minori ſeptennio curator valet deputari. 5.

QVÆSTIO XXVIII.
Vt pupillo curator ad litem dari poſsit?

1 Pupillo non habenti tutorem, ſiue habenti, & ſolemnia præſtare nolentem, ſemper curator in litem dari debet, vtpote ex multis obſeruat Caualcanus *de curatore n.282. pagina mihi.159.* & Ioan. Gutier. *tractat. de tutel. c.19.n.25.* ſed non quacumque
2 pupilli ætate: nam ſi ſeptennio ſit minor, non curatorem, ſed tutorem potiùs, vel actorem, *l. decreto. 24. in princip. ff. de adminiſtrat. tutor. §. fin. inſt. de curatorib.* ipſi decernendum docent Alex. *conſ.122.* incip. *prima facie ad finem lib.1.* Matth. de Afflict. *deciſ. Neapolit. 292.n.4.* Anton. Piagius *de tutore & curatore q.2.n.61.* Caualcan. *eodem tract. n.282.* & Ioan. Gutier. *de tutel. 1.p.c.19.n.24.* quibus ſubſcribit Genuenſ. *in praxi q.766.* & noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hom. cap.15. num.48. & 49.*
3 Nec caret ratione, quia curator non niſi præſenti, & comparenti dari poteſt: at infans numquam præſens dici valet, vt dicemus *infrà anno* 10. vbi de ætate ad cenſuras excommunicationis, & interdicti: ergo infanti curator non erit aſſignandus, veluti ratiocinatur Conſultus *in l. qui habet 3.§. ſi pupillus, ff. de tutelis,* ibi: *Denique Caſius lib.6. ſcripſit talem curatorem neminem dare poſſe, niſi præſentem, neque cuique, niſi præſenti & poſtulanti, itaque infanti non poteſt dari.*
4 Deinde quia, vt eiſdem verbis cauetur, & *D. Didac. de Narbona.* expreſſiùs *in princip. d.§. ſi pupillus,* non aliàs curator in litem dari poteſt, quàm ſi ipſe petat, cui dari eum oportet. Vnde cùm pupillus ante ſeptennium ſit infans, ideſt, non fans, ſeu loquens: quoniam quicquid ea ætate loquitur, aut nihil eſt, vel ita inordinatū, & abſque ratione, vt meritò ſilentium, aut non locutio dici queat, veluti *ſuprà huius anni initio* ſufficienter oſtendimus; petendi curatorem nequam facultatem habebit, cùm petitio verba requirat, & loquentis ſit propria actio, argumento *l.13. tit.5. part.3.*

Sed vtrum hoc etiā de iure Canonico ob- 5
ſeruetur, & minori ſeptennio curator ad litē deputari nequeat? ſolet controuerti. In qua quæſtione ferè omnes negatiuè reſpondent per text. *in cap. fin. §. ſi verò de iudicijs lib.6.* qui expreſsè ita rē definit, & ad id notat ibidem Dominicus *in 4. notabili,* & Philippus *in vltimo,* qui etiam Angelū adducit ita ſentientem *in l.1. C. qui petantur tutores,* ſequūtur Ioan. Baptiſta Ferretus *conſ.107. lib.1.* Marc. Anton. Genuenſ. *d.q.766.* & nouiſſimè Lara *vbi ſuprà,* qui cum ſupradictis reſoluit, quòd de iure Canonico eſt correctus textus *in d.l.3.§. ſi pupillus* per text. *in d.c. fin. §. ſi verò.*

SVMMARIVM.

Rem fiſco deferens ſibi teſtamento relictam, cuius incapàx eſt, veluti in præmium delationis ipſius medietatem conſequitur. 1.
Præmium hoc propriæ denuntiationis, etiā cuiuſcumque ſexus pupillis permittitur. 2.
Pupillus in præſenti intelligitur ſeptimo maior. 3.
Delatio verbis facienda eſt. 4.
Infans ante ſeptennium non loquitur. 5.
Nuntiatio noui operis, quæ huic ſimillima eſt, nulli pupillo conceditur. 6.
Ante primum vitæ ſeptennium nemo poteſt rē aliquam, vel ipſius poſſeſſionem acquirere. 7.
Delatio ſui ipſius fiſco fieri nequit abſque pupilli aliqua iactura, ſaltim poſſeſſionis. 8.
Tutoribus non licet pupillos deferre. 9.
Duo fuerunt edicta D. Traiani circa incapaces, quibus aliquid vel occultè, vel manifeſtè legabatur, 10.
In caſu ſecundi edicti, quod de rebus nondum poſſeſſis loquitur, pupillo ſui ipſius delatio indulgetur. 11.
Pupillus ſeipſum deferendo, nec quidem poſſeſſionem alicuius rei amittit, & quare. 12.
L. deferre. 18. §. item eos & ſequenti, ff. de iure fiſci, explicatur. 13.
Septennio maior poteſt ſeipſum, & rem ſibi contra leges relictam fiſco deferre. 14.

Mulier deferendi ius non habet. 15.
Infirmitas pupillaris ætatis, & ſexus muliebris æquiparantur. 16.
Mulier poteſt ſeipſam, ſed non alios fiſco deferre. 17.
Deferre, accuſare eſt. 18.

QVÆSTIO XXIX.

Vt incapax fiſco ſe deferre poſsit?

1 EDicto Diui Traiani fuit inductum, vt ſi hi, qui per leges aliorum, teſtamentis, vel codicillis capere non poſſunt, antequàm ab altero deferãtur, ipſi vltrò fiſco deferant ſe poſſidere id quod ſibi illicitè relictum eſt, habeant partem dimidiam velut in præmium delationis, & altera dimidia fiſco vendicetur,
2 *l. edicto.* 13. *ff. de iure fiſci*: quod beneficium cùm indulgeri cuicumque ſeipſum deferenti edicto contineretur, non tantùm iuſtæ & legitimæ ætatis hominibus, ſed pupillis etiam tam maſculis, quàm fœminis competere Vlpianus ex dictis verbis edicti meritò intulit *in l. ait Diuus Traianus.* 16. *de iure fiſci*, his verbis: *Ait Diuus Traianus, quicumque profeſſus fuerit, quicumque accipere debemus tam maſculum, quàm fœminam*, & inferiùs: *Necnon illud æquè non intererit, cuius ætatis ſit is, qui ſe defert, vtrùm iuſtæ, an pupillaris. Nam pupillis etiam permittitur de-*
3 *ferre ſe ex quibus non capiunt.* Sed annè cuiuſcumque ætatis pupillo hæc delatio ſit permiſſa? meritò hîc in dubium reuocatur. Et licèt huius legis indefinita, & generalis ſententia partem affirmatiuam adſtruere videatur, verius tamen eſt, illum ſolummodò pupillum ſeipſum poſſe fiſco deferre, qui infantiæ terminum, vitæque primum ſeptennium exceſſit, quod etſi à nemine ſcriptũ viderim, ex ſequentibus tamen certiſſimum, ni fallor, euincam.

4 Primùm, quia eiuſmodi delatio, niſi verbis fieri nequit, aliter enim profiteri quis minimè poteſt apud ærarium rem, quam poſſidet, capere ſibi non licere, vt edicto requiri pro-
5 batur *in d. l. edicto.* 13. At infans, & qui nondum ſeptimum annum egit, loqui iuris cenſurà neſcit: vnde infantis hoc eſt, nõ fantis nomen habet, *l.* 1. *in princip. l. mulier.* 7. *de verbor. oblig. l.* 1. *§. exigere de Magiſtrat. conuenien. l. fin. §.* 1. *eod. tit.* iunctis his, quæ in hâc rem diligenter conſcripſimus *ſuprà hoc anno*, vbi de infantili ætate diſcuſſimus: ergo antequàm pupillus ab infantia egrediatur, & loqui ſciat, ſeipſum deferre minimè poterit.

Deinde, quoniam nuntiatio operis noui, 6
quam huic ſimilem agnoſcit Gloſſa *in d. l. ait Diuus verbo deferre*, nõ ſolùm infanti, verùm & cuicumque pupillo interdicitur, niſi cũ tutoris autoritate ab eo fiat, *l. de pupillo* 5. *in princip. de operis noui nuntiat.* quam ita explicabimus *infrà anno* 25. vbi de annorũ numero ad opus nouum nuntiandum: ergo neceſſariò ſaltim infanti renuntiatio propriè incapacitatis in noſtro caſu interdicta cẽſebitur.

Et demum hæc pars ex eo roboratur, quòd 7
nullus ante exceſſum primi ſeptennij aliquid poteſt per ſe operari, quod importet acquiſitionẽ alicuius rei, aut poſſeſſionis ipſius. Vnde niſi doli capacem, & proximum pubertati poſſidere nõ poſſe ſine tutoris autoritate, docet Conſultus *in l.* 3. *§. pupillus, iuncta* ibidẽ *gloſſæ expoſitione verbo poſſidendi, ff. de vſucapio.* vel vt melius, multis iuribus & rationibus *hoc ipſo anno* iam interpretati ſumus, niſi qui ſeptimum annum exactè expleuerit, poſſidẽdi affectum, aut perſonam minimè ſortitur. Igitur cùm hæc delatio ex beneficio Traiani in id principaliter dirigatur, vt ita ſe ipſum deferens præmium dimidiæ partis acquirat, *dict. l. edicto, cum ſimilibus*, ab eo, qui nondum ſeptimum annum egit, ideoque acquiſitionis eſt incapax, vix erit vt obiri poſſit.

Sed dices, quòd licèt renuntiatio hęc in id 8
fiſco ab incapace fiat, vt præmij vtilitatem & commodũ ex ea acquirat: at hoc non ita vtiliter & lucratiuè, vt ita dicam, fit quòd ſaltim poſſeſſionem rei ſibi relictæ, aut dimidiæ partis ipſius, cuius ſe incapacem eſſe profitetur, ſtatim non amittat: ſiquidem eiuſmodi præmium illis tantùm Imperator pollicetur, qui poſſidere ſe fiſco teſtãtur res, quarum incapaces legibus exiſtũt, *d. l. edicto, in princip.* illis verbis: *Edicto Diui Traiani, quod propoſui, ſignificatur, vt ſi quis ante quàm cauſa eius ad ærarium deferatur, profeſſus eſſet eam rem, quam poſſideret, capere ſibi nõ licere, ex ea partem fiſco inferret, partem verò retineret, &c.* Quapropter cùm nec poſſeſſionem amittere poſſit, qui minor annis viginti quinque, vt *ex l. pupillus* 11. *de acquir. rerum dominio* infra notabimus, & indicare videtur noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hominis c.* 4. *n.* 24. nec etiam ante hanc ætatem validè ſeipſum deferre poterit, cùm ex tali delatione præciſè poſſeſſionis alienatio ſubſequatur.

Et ita eſſe inde etiam ſuſpicari licebit: 9
quoniam ſi nec poſſeſſionis amiſſionem hæc delatio cõtineret, nulla ex cauſa tutoribus in negotijs pupillaribus inhiberi debebat, cũ de commodo pupillorũ illos deferendo ageret.

At

At tutoribus omnino prohibetur hæc delatio, vt patet *ex dict. l. deferre.* 18. *verſic. Item eos, qui tutores, ff. de iure fiſci*, ſub illis verbis: *Item eos, qui tutores, vel curatores fuerunt, non oportere deferre cauſam pupillorum, vel adoleſcentium ſuorum*: & inferiùs, vbi tutoribus idem comminatione grauiſſimæ pœnæ inhibetur ita: *& tutorem, qui aut detulit, aut mandauit ſeueriſſimè puniendum*: ergo ſignum eſt incommodum aliquod pupillorum ſub eiuſmodi denuntiatione latere, quod ſaltem amittendæ poſſeſſionis ſit oportet.

10 Vrget profectò difficultas, ad cuius certiſſimam explicationem ſupponédum erit cum doctiſſimo Iacobo Cuiacio *in dict. l. edicto* 13. *in principio*, duo eſſe edicta Diui Traiani, quæ pertinent ad incapaces, quibus contra legem Iuliam, & Papiam palàm vel tacitè legatum, aut fideicommiſſum relictum eſt pecuniæ, vel hæreditatis. Vnum hoc eſt (vt verbis Cuiacij vtar) vt ſi hi, qui per leges, vel aliorum teſtamentis, vel codicillis capere nô poſſunt, antequàm ab altero deferantur, ipſi vltrò fiſco deferant ſe poſſidere id quod ſibi relictum eſt, pro præmio eius, quod relictum eſt, habeant partem dimidiam, altera fiſco vindicetur. Alterum edictum hoc eſt, vt idem præmium dimidiæ partis ferant, qui id quod relictum eſt, non poſſident, ſi vltrò profiteantur, iam id ad fiſcum pertinere, poſtquàm delatione reprobata totum, quod relictum eſt, in vrbe per præfectos ærarij, in Prouincijs per procuratores in fiſcum totum redigitur. Deinde ex eo, quod redactum eſt, pars reſtituitur dimidia delatori pro præmio delationis, *d. l. edicto, l. Senatus.* 15. §. *Senatus Adriani, ff. de iure fiſci.*

11 In hoc autem ſecundo edicto, quod de nô poſſidentibus res quas deferût, loquitur, pupillis tantùm ſui ipſius delationem *in dict. l. ait Diuus* eſſe permiſſam, id ſuſpicari cogit, quod valdè inuſitatum, ne dicam abſurdum foret, primo etiam edicto idem illis côcedere, cùm nihil aliud eſſet, quàm amittêdi poſſeſſionem eos potentes aſſerere contra tot aperta, & clara iuris teſtimonia, quæ docent pupillum nequidem poſſeſſionem, quæ facti eſt, alienare poſſe *d. l. pupillus* 11. *cum ſimilibus de acquir. rerum dominio.*

12 Niſi dicamus pupillum etſi res, quas càpere non poteſt, tempore delationis poſſideat, non tamen ex ſolo actu ſe ipſum deferendi earum poſſeſſionem ſtatim amittere, ſed poſteà cauſa cognita à fiſco vindicari & auelli, quaſi ab indigno, vel incapaci. Atque ideò licèt delatio cauſam det amiſſioni poſſeſſionis, non tamen ita dat, vt ſi pupillus ſe non deferret, nûquam bona à fiſco vindicarentur, aut ab eorum poſſeſſione ipſe caderet. Cùm vix credi poſſit id tanto tempore fiſcum latere, aut alia ex parte non cogniturum. Quod ſi ſpectaretur vltra alias pœnas, totius relicti, aut fideicommiſſi iacturam pupillus miſerè pateretur, nullo ad lucrum dimidiæ partis, quod ex præuia denuntiatione conſequi potuiſſet, iam patente regreſſu. Quocirca cùm ex ea delatione nullum incommodum, nec quidem poſſeſſionis, ſed potiùs commodum dimidiæ partis pupillus reportet, nihil obſtat quominus pupillum in propria cauſa ad delationem leges admittant.

Nec his repugnat *dict. l. deferre.* 18. §. *item eos, & ſequenti de iure fiſci*, vbi tutoribus pupillorum cauſas fiſco denuntiare pœnis inhibetur. Quoniam minimè procedit in illis tutoribus, qui nomine ſuorum impuberum ad illorum commodum res ſibi relictas, quarum incapaces exiſtunt, fiſco denuntiant, ſed imò in illis ſolummodò tutoribus, qui proprio lucro inhiantes, etiam ex calamitate ſuorum pupillorum ditari cupiunt, vt vel ex illo patet, quod de tutoribus ibi agit Côſultus, qui fuerunt eorum quos denuntiant, non de ijs tantùm, qui eos nunc & actu tuentur, veluti hæc verba ſuadent: *Qui tutores, vel curatores fuerunt, nô oportere deferre cauſa pupillorum, vel adoleſcentium ſuorum.* Æquum eſt enim, ait optimè Cuiacius *in d. §. item eos*, tutores, & curatores, & procuratores, etiam non audiri, non admitti, ſi quid deferant ad fiſcum, vel ſiquid deferri mandent, ex quo lædantur hi, quorum negotia non dico gerunt, ſed geſſerunt etiam: & hanc eſſe æquiſſimam conſtitutionem inde patet, quòd impium eſt ex calamitate eorum, quorum negotia ipſis commiſſa ſunt, aut fuerunt, capere præmium, aut honorem. 13

Igitur ex ſuperioribus omnibus haud aliquid eſt, quod à præfixa noſtra ſententia dimouere poſſit, imò omnia ſuadere videntur congruum, rationique côſonum eſſe pupillum poſt ſeptimum ætatis annum ſeipſum veluti legati, aut fideicommiſſi incapacé fiſco poſſe deferre. Nec etiam hoc conturbat *d. l. deferre.* 18. *in principio*, dum mulieres deferendi ius non habere ideò à Marciano ſcribitur, quia infirmitate ſexus laborant. Qua etiam ex cauſa item pupillus, etſi pubertati proximus, à deferendo remoueri debebat, cùm periculoſiori infirmitate detineatur, iudicij népe & intellectus, *l. 1. C. de falſa moneta*, iûctis ſexcentis alijs, quorum ſæpiùs in hoc tractatû mentionem fecimus. At hoc non repugnare, vel obſiſtere meritò diximus. Nâ licèt fateamur ſimilem eſſe infirmitatem pupillaris intellectus, & quam muliebris ſexus patitur, vt etiam 14 15 16

etiam animaduertit Cuiacius *in d.l.deferre*, quare ei coniungendam eſſe inquit *dict.l.ait*
17 *Diuus*: hoc tamen quoad ius alienum deferendum accipi oportet, ideſt, vt alios quaſi incapaces poſſint deferre, non verò vt ſe ipſos, veluti notat Gloſſa *ibidem*, quam ſequuntur communiter Interpretes, & probatur expreſſe *ex dict.l.ait Diuus*, vbi etiam fœminis propria delatio indiſtinctè permittitur, eſt enim alium fiſco deferre propriè accuſatio, quæ tam mulieribus & pupillis propter infirmitatem denegatur, *l.2. l.mulierem, l.qui accuſare, 8.ff. de accuſation.cap. prohibentur 2.quæſt.1.*

SVMMARIVM.

NEminem vſque ad decimumquartum ætatis annum teneri recitare horas Canonicas, multi voluerunt. 1.

Certius eſt habentem vſum rationis obligari ad horas. 2.

Septennis regulariter tenetur ad recitandum. 3.

Non ſufficit mente tantùm recitare, ſed verbo etiam fiat, opus eſt. 4.

Diſpenſatus in minori ætate ad beneficium, nō cenſetur item diſpenſatus in obligatione recitandi vſque ad legitimam ætatem. 5.

Minor diſpenſatus ad beneficium, facta relatione quòd ſit ignarus linguæ Latinæ, diſpenſatus etiam videtur, vt non recitet. 6.

QVÆSTIO XXX.

Qua ætate incipiat recitandi obligatio in puero, cui ex Pontificis diſpenſatione fuit beneficiū collatum ante decimum quartum annum?

1 PLurimi ex Neotericis, & quidem admodum graues, & docti Magiſtri hac in quæſtione tenuerunt, puerum eiuſmodi vſque ad puberem ætatem decimiquarti anni ab Horis Canonicis, earumque recitatione eſſe immunem, vt refert Thom.Sanchez *lib. 2.conſilior.moral.cap.2.dub.61.num.1.* vbi etiam ſimilem aliorum ſententiam recenſet, qui à duodecimo, vel decimotertio ætatis anno, & non anteà, hāc obligationem admittunt ex doctrina Soti *in 4.diſtinct.12.quæſt.1.art.11.in fine*, dicentis præcepta Eccleſiæ non ligare puerum vſque ad duodecimum annum.

Sed ab horum opinione meritò *ibidem* 2
num.2. idem Sanchez diſcedit: & tandem *n.3.* pro regula conſtituit, non eſſe tempus ætatis determinatum, quo recipiens beneficium teneatur recitare: ſed ſtatim ac recipit beneficium, ſi eſt rationis compos, quia legere Latine nouit, tenetur ad horas: quod ea ratione probatur, quia ius indiſtinctè omnes beneficiarios ad recitandum obligat. At certum eſt, præcepta Eccleſiaſtici iuris, excepto præcepto ieiunij, obligare omnes doli capaces, vt cum Soto, & alijs docuit idem Sanchez *lib.1.ſummæ cap.12.num.6.* & nos *ſuprà eodem anno* pluries oſtendimus: ergo & ad recitandum etiam obligabit.

Vnde probabiliter infertur, quòd licèt verum ſit nullam eſſe in iure determinatam 3
ætatem, qua beneficiarij incipiant obligatione recitandi teneri: at cùm ex proximè dictis ſolus doli capax, & vſum habens rationis hoc onus habeat, nemoque ante ſeptimum annum regulariter talis præſumatur, vt ſæpiùs dixi, & præſertim *quæſt.9.* de ætate ad vſum rationis, tantùm ſeptennis ad horas videtur adſtrictus, niſi conſtet priùs de vſu rationis.

Et iuuatur hæc ſententia, quia ante huiuſ- 4
modi tempus puer ſine verbis & voce eſſe creditur, vnde infans appellatur, vtpote *ſuprà initio huius anni* latè probauimus: ergo tunc excuſabitur à recitando, quod præcisè verbo & ore, non ſolùm mente fieri debet, veluti optimè docet Reginaldus *in praxi tom.2. lib.8.cap.12.dub.5.num.174.* Suarez *de religione tom.2.lib.4.cap.7.num.6.* & Antonin. Diana *reſolutio. moral.part.2.tractat.12. reſolut.11.*

Nec quòd ſit diſpenſatus in ætate ad ob- 5
tinendum beneficium, quicquam prodeſt, vt etiam poſt ſeptennium ante decimumquartum annum liber ab obligatione recitandi exiſtimetur: quia hæc diſpenſatio ſolùm reſpexit inhabilitatem ætatis ad recipiendum beneficium, non verò recitādi obligationem relaxauit, ſunt enim hæ diuerſæ diſpenſationes. Deinde, quia vt Pontifex cum pueris in ætate diſpenſet ad obtinenda beneficia, ſolet illi proponi habilitas pueri, & ingenium ſupplens ætatem, quo exiſtente vrget proculdubiò recitandi obligatio.

Ex quo meritò reſoluit Sanchez *dict.loco* 6
num.5. quòd ſi facta relatione quòd eſt ignarus linguæ Latinę, Papa diſpenſet cum aliquo ante ætatem, vt habeat beneficium, cenſetur etiam diſpenſare vt non recitet donec habeat intelligentiam, quia iam ipſe videt eſſe impotentem ad recitandum.

SVM-

SVMMARIVM.

IN matrimonio duo ſaltim teſtes cum Parocho adſint oportet. 1.

Teſtes ad matrimonium ſeptennio maiores eſſe debent. 2.

Vſus rationis ſolummodò deſideratur in teſtibus ad matrimonium. 3.

In cauſis matrimonialibus requiri teſtes omni exceptione maiores, quomodo intelligatur. 4. & 5.

Tutius eſt in matrimonij contractu eos teſtes adhiberi, qui iam puberes, & decimoquarto anno maiores exiſtant. 6.

QVÆSTIO XXXI.

De ætate teſtium ad matrimonium.

1 ETenim cùm ex diſpoſitione S. Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *de reformatione matrimonij cap.* 1. ad matrimonij valorem duo ſaltem teſtes cum Parocho in ipſo contractu adeſſe debeant, meritò in dubium reuocari poteſt, an cuiuſcumque ætatis teſtes ſufficiant, vel neceſſarium ſit certam aliquam
2 ætatem exceſſerint? Qua in re proculdubio affirmandum exiſtimo ſeptennio maiores eos eſſe oportere, ſiue maſculi fuerint, ſiue fœminæ (poſſunt enim quouis ſexu admitti, vt infra referendi teſtantur.) Nam vt diſertè ſcribit Spino *de teſtam. gloſ.* 15. *princ. num.* 46. P. Enriq. *lib.* 11. *cap.* 3. §. 9. Petr. de Ledeſma *tractat. de matrimon. quæſt.* 45. *art.* 5. *puncto* 3. *poſt* 4. *dub. verſic. Concluſio ſit*, Emanuel Rodriguez *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 219. *n.* 18. *in* 2. *editione* P. Thom. Sanchez *de matrimonio lib.* 3. *diſputat.* 41. *num.* 2. & poſt eum P. Rebel. *de obligat. iuſtit. lib.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 7. Ioan. Gutierrez *eodem tract. cap.* 44. *num.* 73. Poſſeuinus *de offic. curati, vbi de matrimonio cap.* 10. *num.* 23. Cabal. Cened. Zerola, & alij ab Auguſtino Barboſa relati *in remiſſionibus ad dict. cap. Concilij*, & rurſus *in Collectanea eiuſdem num.* 139. in huiuſmodi teſtibus vſus rationis adeſſe debet, qui quidem, cũ ante ſeptennium regulariter non contingat, veluti *hoc eodem anno* affatim commonſtratum extat, hac ætate maiores illis eſſe debere, manifeſtè conſtat.

3 Et conuincitur eleganti hac ratione, quia Concilium Tridentinum non requirit ad valorem matrimonij, niſi Parochum, & duos vel tres teſtes. Nec addit, quod ſint idonei, prout exprimitur *in cap. cùm eſſes, de teſtam.* ergo ad valorem matrimonij non exigitur in teſtibus aliqua qualitas præter illam, quæ naturali iure requiritur in eo, qui teſtimonium dicit, nempe quòd vſus rationis ſit particeps; ac per cõſequens vt eius ætatis exiſtat, qua in dubio quilibet talis præſumitur. Ita docet Ioan. Gutierrez *vbi ſuprà num.* 77. *verſic. Secundum fundamentum.*

Cui reſolutioni minimè reſiſtit commune illud Scribentium prolatum, videlicet in cauſa matrimoniali requiri teſtes omni exceptione maiores, nec admitti, aut fidem facere, qui defectus, vel repulſas aliquas patiuntur, ex quibus ipſorum fides, ſiue integritas minuatur *cap.* 1. *de conſanguinitate & affinitate*, vbi obſeruat Gloſſa *verbo maiores*, & Anton. de Butrio *notabili* 8. Abbas *num.* 5. *verſic. Item nota*, Præpoſitus *in notabili* 9. *cap. in literis de teſtibus*, vbi ſimiliter admonet Gloſſa ſinè quam ſequitur Anton. Gabriel *lib.* 1. *de teſtibus conſ.* 8. *num.* 1. Maſcardus *de probat.* 2. *tom. concl.* 1022. *num.* 4. & *tom.* 3. *concluſ.* 1361. *num.* 6. Couar. *in* 4. *de ſponſalib.* 2. *part. cap.* 8. §. 12. *num.* 7. Et tãdem hoc ab omnibus teneri affirmant quamplurimi relati à Proſpero Farinacio *tractat. de teſtibus quæſt.* 62. *num.* 101. & Ioan. Gutierrez *loco proximè adducto num.* 9. 4

Quia, vt idem Gutierrez ſcribit *dict. cap.* 44 *n.* 70. illud procedit, vbi agitur de probando matrimonio, ſiue ſponſaliorum contractu ſine Parocho, aut publico inſtrumento inito, quo caſu ſi alter ex contrahentibus recuſat adimplere contractum, aut feciſſe negat, teſtibus omni exceptione maioribus & puberibus conuincendus erit, vt ad ipſius obſeruantiam poſſit compelli. At verò ſi non de probatione huiuſmodi matrimonij tractetur, ſed illius, quod interueniente Curione, ſeu Parocho ex præſcripto Concilij fuit celebratum, de quo noſter ſermo eſt, ambigi nõ oportet, vt diximus, teſtes naturali iure idoneos, qui præſentes fuiſſent, vt ſunt omnes rationis compotes & ſeptennarij, ſufficere, etſi quacumque exceptione maiores aliàs nõ credantur. Quamuis vt hortatur Syluester *verbo impubes, & verbo teſtes quæſt.* 1. *num.* 2. cui adhæret Poſſeuinus *dict. cap.* 10. *num.* 23. aptius eſſet, maximè in matrimonio litigioſo, eos adhibere qui decimoquarto anno maiores ſint. Quia eiuſmodi ætatis velut incapaces excipi non poſſunt: cui conſentire videtur Franciſc. Molinus *de ritu nuptial. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 64. *cum ſequentibus*, dum aſſerit, teſtes legitimos, idoneos, & omni exceptione maiores hoc caſu requiri. 5 6

SVMMARIVM.

LEge Romuli erat prohibitum infantes triennio minores exponere. 1.
Æqualis erat penes patrem poteſtas occidendi, & exponendi filios. 2.
Vt exponens is tantùm poteſt puniri, qui ſeptennio minorem filium, vel ſeruum expoſuit. 3.
Infans dicitur, qui nondum ſeptimum annum expleuit. 4.
Traditur ratio, quare exponentes tantis pœnis afficiantur. 5.
L. in ſponſalibus. 14. *ff. de ſponſalibus intelligitur.* 6.
Primordium ætatis quot modis accipiatur? 7.
Infantia, ætas prima appellatur. 8.
Qui poſt ſeptennium abijciuntur, non expoſiti, ſed pro derelicto habiti dicuntur. 9.
Iam adultos pro derelicto habentes non puniuntur, ſed vt illos alant, ciuiliter compelli poſſunt. 10.

QVÆSTIO XXXII.

In puero quæ ætas deſideretur, vt illum exponens non incidat in pœnas l. 2. C. de infant. expoſit?

1 LEge Romuli vetitum refert ex Dionyſ. Alicarnaſeo *lib.* 2. Guillerm. Forner. *in l. quæret aliquis* 137. *de verbor. ſignificat.* ne quis infantes triennio minores alimentis fraudaret, neve exponeret, exceptis monſtroſis, ex quo velut conſectarium apparere videtur, nulla pœna in illum animaduerti poſſe, qui maiorem triennio infantem communi pietati expoſuit, veluti & Cuiacio placuiſſe, ipſius verba probant *in tit. C. de infant. expoſitis*, vbi inquit infantium nomine in eo titulo non ſignificari primam ætatem, quæ perducitur vſque ad ſeptennium, ſed ſignificari prima cunabula. Maximè ſi & his ad
2 nectamus quod ſcripſit Ferdinand. Lopez de Arroyo Salmanticenſis I.C. *in commento ad cap. vnicum de infantibus expoſ. num.* 68. videlicet, æqualem eſſe poteſtatem occidendi, & comedendi filium in patre, ac illum exponendi. Nam cùm trimos iam pueros patrem iure ſuæ poteſtatis interficere potuiſſe *ſuperiùs anno* 3. ex eadem lege Romuli fuerit exploratum, poſſe & etiam eiuſdem ętatis filios impunè, abijcere, & exponere, poſtulat æqualitatis natura.

Tamen communi iure noſtro attento veriùs exiſtit, ſtatutis pœnis ſubiacere, qui, quæve proprium, vel alienũ filium, etiam ſeruum ſeptẽnio minorem relegato pietatis officio, vt inquit S.P. *in dict. cap. vnico* expoſuerit. Sic docent expreſſe Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 4. *num.* 31. Petr. Gregorius *lib.* 15. *ſyntagm. iuris cap.* 28. *num.* 5. Ferdinand. de Arroyo *vbi ſuprà num.* 31. P. Thomas Sanchez *conſiliorum moral. lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 2. & nouiſſimè Alphonſ. Carrança *diſputatione de vera humani partus naturalis & legitimi deſignatione cap.* 4. *ſect.* 1. *num.* 127. 3

Et reficitur ſequentibus. In primis ex ipſa tituli ſerie, quæ de infantibus expoſitis tã in Decretalibus, quàm in libris Codicis inſcribitur, necnon & ex ſingulis locis, quæ illis ſubſunt, vbi frequens infantium mentio occurrit, cùm de eorum iuſta animaduerſione ſancitur, qui prolem deſeruerunt. Infantes enim toto illo vitæ ſpatio, quo ab extremo ſeptimi anni diſtant, pueri dicũtur, veluti *ſuprà hoc ipſo anno* ſatis ſcripſimus, & in propoſito ex Panarmitano docet Sanchez *vbi ſuprà*. 4

Deinde probatur, quia vt inquiunt Petrus Gregorius *vbi ſuprà*, & ex eo Carrança eodem *cap.* 4. *in principio num.* 5. *& dict. num.* 127. ratio, propter quam puniuntur patres exponentes, ea eſt, quia eo tempore, quo magis à parentibus fouendi erãt, ab ipſis, vel ab alijs abijciuntur & exponuntur. At hæc ratio militat in omnibus ante ſeptennium expoſitis, cùm hoc tempore maximè egeant naturali parentum auxilio, vt vel inde patet, quòd nec rationem habẽt, nec diſcretionem, qua ſe tueri poſſint, & quod magis eſt, nec fari ſaltim ordinatè ſciunt, veluti hæc omnia affatim probauimus *principio huius anni*, vbi de infantis ætate egimus: ergo cuiuſcumque ætatis puerum, ſed nondum ſeptennem abijcientes pœnis ſubdantur, operæpretium eſt contra exponentes ſancitis. 5

Sed dictis obſiſtit noua & ſubtilis difficultas. Nam ſeruum in primordio ipſius ætatis abijciens, dominij amiſſione mulctatur in *l.* 4. *C. de infant. expoſit.* Sed primordiũ ætatis dicitur â ſeptimo anno expleto, vt conſtat ex *l. in ſponſalibus.* 14. *ff. de ſponſalib.* vbi ſponſalia, quæ ante ſeptennium nõ contrahuntur, ab ipſo primordio ætatis poſſe contrahi reſpõdit Cõſult. his verbis, *Quapropter & à primordio ætatis ſponſalia effici poſſunt, ſi modò id fieri ab vtraque perſona intelligatur, id eſt, ſi non ſint minores quàm ſeptem annis.* Igitur etiam iam ſeptennes pueros exponentes legibus plectuntur, contra ſuperiùs dicta. 6

Pro

7 Pro huius difficultatis vera explicatione hîc notandum erit quod alibi inuenies, ſcilicet Modeſtinum *in dict. l. in ſponſalibus* ætatis primordium in fine ſeptimi anni eo conſtituiſſe, quia in his, quæ conſenſu perficiuntur, vt ſponſalia *l. ſufficit* 4. *de ſponſalibus*, non anteà viuere quis præſumitur, quàm ſeptimum annum exceſſerit, quo conſenſus, & rationis prima ſcintilla effulget, vt multis hoc eodem anno obſeruauimus. Vnde cùm â primordio ætatis ſponſalia effici poſſe dixiſſet, ſi modò id fieri ab vtraque perſona intelligatur, id poſteâ duobus verbis explicans, ſic ait; ideſt, ſi non ſint minores quàm ſeptem annis: quia hoc tempore & datur conſenſus, & vſus rationis. At Imperator *in dict. l.* 4. cũ de expoſitionis crimine, ipſiuſque punitione agat, vbi nullus expoſiti cõſenſus requiritur, primordium ætatis naturaliter accepit pro ipſa infantia, quæ prima ætas dicitur, *l. cùm*
8 *non ſolùm* 8. §. *vbi autem* 3. *C. de bonis quæ liberis*, ex qua ita notat Gloſſa *verbo profectus, & ibi DD. in proœm. ſexti lib. Decretal.* & Valaſcus *de partitionib. cap. 7. num. 39.* vt planè explicat idem Imperator *in l. antecedenti* ſequentibus verbis: *Eos qui ab initio infantes abiecerunt, & mortis fortè ſpem circa eos habuerunt*: & clariùs *Nouella* 153. *de infantibus expoſitis*, ex qua *dict. l.* 4. fuit deſumpta, vt obſeruauit Carranç. *in princip. dict. cap. 4. num. 6.* penè eiſdem verbis, ibi: *In ipſo vitæ principio aliorum hominum pietati relicti.*

9 Quo ſuppoſito, euidenter deſumitur eos propriè expoſitos dici, præſertim quoad delictum, & pœnam exponentium, qui è ſeptimo anno non ſunt egreſſi. Nam qui hac ætate maiores abijciuntur, non ſunt verè expoſiti, ſed pro derelicto habiti cenſentur, vt *ex l. quod ſeruus. 36. ff. de ſtipulation. ſeru. l. vltim. ff. pro derelicto, l. 2. ff. qui ſine manumiſſione ad libertat. proclam. l. vnic. §. ſed ſcimus, C. de Latina libertat. tollend.* & ex *d. l.* 4. tenent Cuiacius *in commentarijs ad titulum C. de infantibus expoſitis*, Rodulph. Fornel. *lib. 1. rerum quotidianar. cap. 20. ad finem*, & his relatis Carranç. *dict. num. 6. & d. cap. 4. ſect. 1. num. 127.* vbi etiam ſubijcit hos adultos pro derelicto habentes, nullum crimen admittere, quo puniri debeant, quàmuis ciuiliter compelli poſſint filios alere ex propria ſubſtantia.

SVMMARIVM.

Pupillus peculium habere poteſt. 1.
Pupillus parum a furioſo diſtat, & quidquid videt ignorat. 2.
Qui nondum ſeptimum annum exceſſit, peculium habere non poteſt. 3. *&* 10.
Pupillus nemo dicitur ante ſeptimum annum. ibidem.
Infantis nullus eſt conſenſus. 4.
Contractus conſenſu peraguntur. 5.
L. quam Tuberonis. 7. §. pupillum, ff. de peculio, intelligitur. 6.
Voluntas & conſenſus pupilli ſuppletur autoritate tutoris. 7.
Pater iure dominij, quod in filiumfamilias obtinet, dominus poteſt appellari. 8.
Infans furioſus eſt. 9.
Sibi pater, vel dominus imputare debet, ſi pupillum negotiationis ignarum, peculio præpoſuit. 10. *&* 11.

QVÆSTIO XXXIII.

Cuius ætatis ſeruus, vel filius peculium habere poſſit?

VLpianus *in l. quam Tuberonis* 7. §. *pupillum* 3. *ff. de peculio*, hæc ſcribit: *Pupillum autem, tam filium, quàm ſeruum peculium habere poſſe Pædius libro quintodecimo ſcribit: cùm in hoc (inquit) totum ex domini conſtitutione pendeat*: vnde rectè deducit Franc. Duarenus *in commentarijs ad titulum de peculio cap. 1. verſic. Deinde dicitur, in fine*, dubium non eſſe, quin pupillus habere poſſit peculium: ſed an omnis & cuiuſcumque ætatis pupillus habere poſſit? dubitatione nõ caret. Maximè ſi perpendatur, non alia ratione peculium dari filiofamilias à patre, vel ſeruo à domino, niſi vt eorum ſedula adminiſtratione locupletiores, ditioreſque fiant, quod, vix erit, vt ex cuiuſuis pueruli admini-
ſtratione conſequantur, præſertim illius, cu- 2
ius tenera primaque ætas efficit, ne multum diſtet â furioſo *l. Fulcinius 7. §. planè interdum, quibus ex cauſis in poſſ. eatur*, & quid quid videt ignoret, *l. pupillus 9. de acquir.*
hæredit. l. 1. C. de falſ. moneta: ergo illa pu- 3
pillus profectò peculij incapax erit, qua nondum fuit ab infantia egreſſus, nec extremam ſeptimi anni diem exceſſit. Tum quia ante illam ætatem nemo propriè pupillus dicitur, vt *ex l. quamuis. 32. §. infans, de acquirend. rerum domin. & ex l. 4. tit. 11. part. 5.*
ſupra obſeruauimus. Tum etiam, quia infan- 4
tis nondumque ſeptennis, nullus conſenſus eſt, *l. infanti, §. vltim.* iuncta *l. potuit, C. de iure deliberandi, l. 6. l. fin. tit. 1. part. 4.* ibi: *Porque eſtonce*, de ætate ſeptem annorum loquitur, *Comiençan à auer entendimiento, è ſon de edad*

edad que les plaze las deſpoſajas. At verò conſenſus in eo præcisè deſideratur, qui peculiũ
5 habiturus eſt, cùm nõ aliter illud adminiſtrare poſſit, quàm cum alijs contrahendo: contractus etenim non niſi conſenſu peragũtur, *l. in omnibus. 55. l. in omnibus. 57. ff. de obligat. & actio. l. 1. §. conuentionis, ff. de pactis, l. item eorum 6. §. vltim. l. vltim. ff. quod cuiuſque vniuerſitatis nomin.*

6 Nec aliud ſenſiſſe videtur Conſult. *in dict. §. pupillum, dict. l. quam Tuberonis,* dum ea ratione inquit, pupillum habere peculium poſſe, quia in hoc totum à domini, vel parentis conſtitutione pendet, quaſi ſentiens etiam quoad conſenſum pupillum à conſtituente pendere, ita vt ſi eius ætatis ſit pupillus peculio ſuperimpoſitus, qui conſentire, vel contrahere nequeat, ipſius conſenſus à conſtituẽte patre, vel domino ſuppleatur, vt de tutore dicimus impuberis ſui conſenſum & voluntatem
7 ſupplere, *l. quamuis. 32. §. infans de acquir. poſſeſ.* ibi: *Nam iudicium infantis ſuppletur autoritate tutoris*: quia dicendum eſt illa *dict. §. pupillum,* verba nequaquam eum ſenſum admittere, vt ex ipſis colligitur. Nam ſi id denotare vellent, referrentur etiam ad perſonam filijfamilias pupilli, de quo item fuerat loquutus ibidem Vlpianus, ſed non referuntur niſi ad perſonam ſerui, vt patet ibi: *Totum à domini conſtitutione pendeat, &c.* igitur minimè probari ex illis poterit docuiſſe Conſultum cuiuſcumque ætatis puerum, etiam infantem verborum & conſenſus expertem, peculij adminiſtrationi ſufficere, quaſi volũtatis & conſenſus defectum, quem ipſe patitur, à conſtituente ſuppleatur. Quoniam ſi ita eſſet, tam filium familias, quàm ſeruum pupillum illis verbis complecteretur poſtquam de vtroque dixerat peculium habere rectè poſſe.

8 Sed cõceſſo, quòd ijs verbis vtriuſque tam filij, quàm ſerui perſona contineatur, & quòd verbo domini, ibi etiam pater ſignificetur, vtpote ei ſimilis dominio & poteſtate, quàm in filium iure obtinet, *l. poteſtatis verbo. 215. de verbor. ſignificat.* adhuc ex illis non probatur pupillum infantem (vt ita impropriè loquar) peculio præfici poſſe. Quoniam ſi infantis etiam ſenſiſſent, parum conſequenter ſtatim ſubieciſſet Vlpianus: *Ergo & ſi furere cœperit ſeruus, vel filius, retinebũt peculium.*
9 Cùm hæc repetitio potius præcedentis ſententiæ quàm extenſio, aut noua ſententia videretur. Nam qui dixerat infantem peculium habere poſſe, dixerat etiam furioſum pupillum eius eſſe capacem, cùm pupillus infans furioſus ſit *dict. l. Fulcinius 7. §. planè, §. pupillus, cum ſimil. de inutil. ſtipulatio.* facit Homeri carmen ſub perſona Penelope *Odiſſ. 16. in fine.*

Filius autem meus inquit, quouſque quidem
Fuit infans & demens.

Quod dici non debet.

Quapropter ſecurè tenendum erit verum 10
dict. §. ſenſum eſſe quem ſuprà aſſignauimus, nempe pupillum infante maiorem, non verò minorem peculium habere poſſe. Alioquin & infans procurator ad negotia conſtitui poſſet, inſtitoriamque exercere, cùm hæc omnia ferè eadem ſint munera & officia: quod Interpretum communis ſententia negat, vt patebit *infrà anno 17.* vbi de ætate procuratoris ad negotia.

Sed dices ſi conſenſu carens pupillus ido- 11
neus peculio non eſt, nec à patre vel domino quoad hoc talis defectus ſuppleri valet, quid illud eſt totum pendens à conſtituente, cuius meminit Conſultus *in d. §. 1*? Dicẽdum equidem erit, vel capacitatem eſſe ſerui ad contrahendum, quia illa verba de ſolo ſeruo dicta eſſe videntur, vt iam oſtendi, vel damnum adminiſtrationis, quod proculdubio ſibi pater vel dominus imputare debent, qui pupillum, quamuis infante maiorem, inexpertem tamen, & adminiſtrationis ignarum peculio præpoſuerunt, vt de eo, qui pupillum inſtitorem fecerat, dixit Conſultus *in l. ſed etſi quis, §. pupillus, ff. de inſtitor. actione, & in l. 1. §. Magiſtrum nauis, verſic. Cuius autem, ff. de exercitor. action.*

SVMMARIVM.

ANte ſeptimũ annum nemo poteſt emancipari. 1.

Emancipatio conſenſum tam emancipati, quàm emanpantis deſiderat. 2.

Infantis nullus eſt conſenſus. ibidem.

Infans Principis reſcripto poteſt emancipari. 3.

Ex Principis reſcripto, etiam infans abſens emancipationis eſt capax. 4.

L. ſi quis in emancipatum. 26. C. de donation. explicatur. 5.

Infans, vel proximus infantiæ emancipatus, an poſſit nobilitatis quaſi poſſeſſionem adquirere? 6. & 9.

Verba illa, è viuiendo ſobre ſi, *apud noſtros quid ſignificent? 7. & 10.*

Subrogatum eiuſdem naturæ eſſe debet cum re, in cuius locum ſubrogatur. 8.

Bona propria neceſſariò habere debet, qui nobilitatis poſſeſſionem eſt adepturus. 10.

Filius vxoratus iure noſtro liberatur à patria poteſtate. 12.

Fraudulenta emancipatio impedit acquiſitionem nobilitariæ poſſeſſionis. 13.
L. cùm quidam. 26. intelligitur, & conciliatur eum l. in fraudem. 45. *ff. de iure fiſci.* 14.
Actio in bonis creditoris eſt. 15.
Ante aditionem hæreditas non dicitur patrimonium hæredis. ibidem.

QVÆSTIO XXXIIII.

Vt emancipari quis poſsit, & velut emancipatus poſſeſsionem nobilitatis acquirere?

1 CErto certius eſt eum ſolummodò poſſe à paterna poteſtate & dominio emancipatione liberari, qui ſeptimum annum agens infantiam exceſſit. Quoniam cùm
2 emancipatio ex illis actibus fit, qui ad ſui exiſtentiam conſenſum & voluntatem vtriuſque partis deſiderant, *l. iubemus* 5. *C. de emãcipation. liber.* vbi notant omnes, ab infante, cuius nullus eſt conſenſus, *l. quamuis*, §. *infans de acquir. poſſeſ. l.* 1. *de verbor. obligat. l.* 5. *C. de iure deliber.* minimè expediri poterit, niſi Principis accedente reſcripto ipſius volun-
3 tatis defectus reſarciatur. Tunc enim etiam infans erit emancipationis capax, *dict. l. iubemus*, ibi: *Niſi infantes ſint, qui ſine conſenſu etiam hoc modo* (ideſt per reſcriptum, de quo in ſuperioribus agebat) *ſui iuris efficiũtur*: probat expreſſiùs apud noſtros *l.* 16. *tit.* 18. *part.* 4. his verbis: *Emancipar queriendo el padre algun fijo que no eſtouieſſe delante, ò que fueſſe menor de ſiete años, no lo puede fazer à menos de pedir merced à el Rey, que ge lo otorgue, &c.* & hanc ſententiam vt veriorem amplectuntur Azo *in ſumma titulo de emancipatione liberor.* & ibidem Iacob. Cuiacius, Bartol. *in d. l. iubemus*, vbi ſimul Bald. & Salicet. Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 3. *num.* 16. Curcius Senior *conſil.* 19. *paulò poſt principium*, & *conſil.* 65. *ad medium*, Rolandus à Valle *conſil.* 61. incipienti, *multiplici num.* 5. Ruinus *conſil.* 71. *num.* 4. *lib.* 3. Hugo Donellus *commentar. lib.* 1. *capit.* 26.
4 noſter Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 16. *num.* 23. vbi id procedere affirmat, etiamſi infans fuerit abſens, licèt aliâs emancipatio nequeat in abſentia celebrari, *ex dict. l.* 26. *part.* & Camillo Borrello *conſ.* 73. *num.* 13.
5 Et iuxta hanc ſententiam neceſſariò erit intelligendus *textus in l. ſi quis in emancipatum.* 26. *C. de donation.* vbi de infante emancipato fit mentio, cuius ita tenera ætas extitetat, vt nec fari, nec alicuius rei affectum habere poſſet: ſupponendi ergo ſunt termini habiles, & eo modo factam fuiſſe infantis emancipationem *in dict. l.* ſubaudiendum, quo iure licet, nempè Principis reſcripto, & autoritate, vt propè diximus.

Sed ingens hic exoritur quæſtio, & ni fal- 6
lor, à nemine huculque exagitata, ſcilicet, an præfata minori ætate filij emancipatio facta, noſtro iure attento ſit ſufficiens, vt & quaſi poſſeſſionem nobilitatis acquirere, & auitam vel paternam vtili continuatione perficere ipſe poſſit? Dubitandi anſam præbet Cordubenſis ſanctio anni 1492. hodie *l.* 8. *tit.* 11. *lib.* 2. *nouæ recollectionis*, quæ diſtrictiſſimè præcipit, vt non aliter poſſeſſione nobilitatis ſe tueri quis poſſit, niſi *Prouando enteramente de ſi ſeyendo caſado, ò viuiendo ſobre ſi, y de ſu padre y abuelo, &c.* ex quibus verbis, *ò viuiendo ſobre ſi*, planè elicitur ſolam emancipationem ad nobilitatis quaſi poſſeſſionem obtinendam non ſufficere, cùm nihil aliud ſit
Viuir ſobre ſi, quàm per ſe viuere, & domum 7
bonaque à paternis diuerſa, quorum adminiſtrationi ipſe præſit, habere, vt in propoſito obſeruauit Otalora *de nobilitate* 3. *part. cap.* 1. *num.* 4. *ad finem*, & dilucidè probatur ex *textu in l.* 4. *tit.* 1. *part.* 5. ibi: *Otroſi dezimos, que qualquiera que tuuieſſe algun oficio publicamente del Rey, ò de otro Señor, ò de algun Conſejo, ò el que fueſſe Meneſtral de qualquier meneſter, que vſaſſe à labrar publicamente, ò tuuieſſe tienda de cambio, ò de paños, ò de otra mercaderia en que vſaſſe à labrar, è mercar, biẽ aſſi como ome que non eſtà en poder de otro, porque creen los omes, que eſte tal que eſtaua ſobre ſi, es tenudo de pagar, &c.* Quod nequaquam in ſeptenne filio emancipato reperiri poteſt, cùm frequenter ob ætatis imbecillitatem intellectu careat, cuius defectu nec per ſe viuere, nec bona ſolus gubernare valeat, quandoque non alia ratione eiuſmodi ſeptennẽ, & infantiæ proximũ furioſo æquiparari iura clámitẽt, *l.* 5. §. 2. *ad legem Aquil. l.* 7. *C. ad Trebel. l.* 2. *C. de annal. except.* §. *pupillus, de inutil. ſtipulat.*

Deinde, quia qualitas illa, *ò viuiendo ſobre ſi*, ſubrogata fuit in defectum illius, *ſeyẽdo caſado*, vt patex ex *dict. legis* ſerie: ergo cũ nemo matrimonialiter copulari nõ niſi decimoquarto anno poſſit ex alibi dicendis, à fortiori, niſi prædicta ætate, quẽ emancipati poſſe ad effectum, de quo quærimus, dicendum
erit, ſiquidem ſubrogatum à lege eiuſdem na- 8
turæ, & qualitatis cum re eſſe debet, in cuius locum ſubrogatur *l. fin.* §. *qui iniuriarum, ff.*

ſi quis

ſi quis cautionibus, l.1.§.hæc actio, ff.ſi quis teſtament.liber.l.filia,§.Titia,ff.de condit.& demonſtrat. cum *vulgaribus*, de quibus per Cardinalem Tuſchum *practicar. concluſ. iuris liter.S.concluſ.*757.*per totam*, præcipuè *num.*49.& nouiſsimè per Auguſt. Barboſam *in axiomatibus vtriuſque iuris axiom.*213. *num.*2.

9 Sed argumentis vltrò ſic ponderatis, citroque ponderandis, ita rem & quæſtionem digerendam eſſe puto, vt conſtituamus, ſeptennarium, & quod magis eſt, ſexſennarium vel triennem, dummodò Principis decreto emancipatum, quaſi poſſeſsionem nobilitatis acquirere ex ſua perſona, auitamque & paternam continuare poſſe. Fulcitur hæc ſententia ex dictæ pragmaticæ ſanctionis mente, quę tantùm fuit decernere, vel ſtatuere, filium ad nobilitatis poſſeſsionem conſequendam adeò a parentis perſona ſeparatum, & ab eius dominio liberum, emancipatione, aut alia ex cauſa eſſe debere, vt meritò alius à parente reputetur, non ſolùm perſona, verùm &

10 bonis, quæ neceſſariò propria habere debet, vtpote in quibus formalis ratio huius poſſeſsionis conſiſtit, cum tributum ratione bonorum indicatur, & exoluatur teſte Otalora *d.*3.*part.cap.*7.*num.*2. alioquin ſi bona propria, & à paternis diſtincta minimè obtineat, vtique nec deſcriptionibus curialibus includeretur, nec in poſſeſsione penſitandi vel nō, eſſe poterit. Vnde cùm nullo alio iure filius queat bona habere, niſi reſoluto nodo patriæ poteſtatis, inde eſt legem noſtram deſiderare quòd per ſe viuat, quod cùm in iam ſeptenni puero emancipato ex ſupradictis reperiatur, ſiquidem emācipationis ſubſidio, etiā capax bonorum efficitur, porrò non eſt quare illud reformidemus, nempe emancipatum impuberem ex Cordubenſi ſanctione nobilitatis poſſeſsionem acquirere poſſe.

11 Nec dictæ reſolutioni refragantur quæ pro ſtabilienda contraria ſententia ſuperius notauimus. Non primum, quia per ſe viuere, eſſe emancipatum, & non ſubiectum patri ſignificat, vt *dict.l.*4. poſteriora verba apertè demonſtrant, ibi: *Bien aſsi como ome que non eſtá en poder de otro, porque creen los omes, que eſte tal, que eſtaua ſobre ſi*: emancipatio verò rectè in filium ſeptennem conſiſtere poteſt, vt iam diximus.

Minus vrget ſecundum, ſiquidem verba dictæ conſtitutionis, *O ſeyendo caſado*, eādem mentem præſeferunt, quàm illa quæ ſubſe-

12 quuntur, *O viuiendo ſobre ſi.* Nam cùm ex diſpoſitione *l.Tauri.*47. filius vxoratus tanquam emancipatus cenſeatur, idem fuit dicere *Viuiendo ſobre ſi*, ac *Seyendo caſado*, cùm vtroque caſu ſolum diſtinctionem perſonarū & bonorum in filio reſpectu patris lex requirat, non verò ætatem ad matrimonium neceſſariam reſpiciat, imò ſolum effectum ex iam contracto matrimonio prouenientem, ſcilicet emancipationem, quæ in filio ſemper vt capax bonorum ſit, ſiue ex matrimonio, ſiue ex ſpeciali ipſius actus ſolemnitate ea ſequatur, neceſſaria ducitur.

Quibus ita diſpoſitis ampliùs hæſitari nō poterit filium, etiam non ſeptennem, legitimè tamē emancipatum Principis reſcripto, quaſi poſſeſsionem nobilitatis acquirere, auitamque & paternam proſequi rectè poſſe. Quòd ita ſubaudiendum admoneo, niſi talis 13 paruuli emancipatio eò tantùm prætextu & fraude fieret, vt celeriùs in ipſo nobilitatis poſſeſsione terminata, deinceps ab incartulationibus, & tributorum præſtationibus immunis efficeretur: ſiquidem cùm non alià ratione emancipatio facta probetur, niſi vt fiſco, & Regio patrimonio pēſitatio auferatur, proculdubio fraudulenta præſumitur, vt docet Barr. *in l.*1.§.*is quoque num.*3.*ff.de collat.bonor.* Bald. *in rubric. C.de reuocand. his quæ in fraudem credit. num.*4. *verſic. Quæro pone*, Iaſon. *in l.non dubium num.*48.*C. de legibus, & in §.ſi quis fraudem, col.*15.*inſtit.de action.* Gerard. *ſingul.*76.& ex his Maſcard. *de probat.concluſ.*599.*num.*1.

Nec aliud probatur ex difficili textu *in l. cùm quidam.*26.*ff. de iure fiſci*, vbi quidam 14 capitis reus emancipauit filium, vt hæreditatem adiret, & ſic fiſco auferretur: & tamen fuit reſcriptum, non videri id in fraudem fiſci factum, quoniam ea ratione emancipatio fraudulenta non fuit, quia non in fraudem fiſci facta videtur, ſed tantùm vt filius hæreditatem adiret, quam ipſe reus nolebat acquirere: ex hoc enim minimè fiſcus fraudatur, cùm in eius præiudicium nihil ſit alienatum: non ergo datur fraus vbi quid non acquiritur à debitore, ſed cùm quid de bonis diminuitur, *l.non fraudantur.*176.*ff.de regul.iuris*, ideoque inquit Cōſultus *in l.alienationis.*28.*ff.de verbor.ſignificat.* non alienat, qui hæreditatem omittit. Cui interpretationi nequaquam repugnat *text.in l.in fraudem.*45.*dict. tit.de iure fiſci*, qua probatur, non ſolùm dici fraudatorem fiſci qui donatione, aut quocūque modo res alienauit, ſed etiam qui res acquirere neglexit: nam omiſsis quā plurimis, quæ in huius difficultatis ſolutione excogitarunt Iacob. Cuiac. *lib.*8. *obſeruat.cap.*9. Iul.Pac. *legum conciliat. centur.*7. *capit.*75. Schifordeger.in Anton.Fabrum *lib.*1.*tract.* 9.*in princip.& in quæſtionib.ſequentib.* Guiliel.Forner. *in dict.l. alienationis, §.qui occaſione,*

ſione,& alij relati ab Oſualdo *lib.23.Donelli cap.vltim.liter.C.* veriſſimè cum Nicolao Vall. *de rebus dubijs tractat.12.pag.*278.dicendum erit, ſententiam *d.legis* procedere, quando debitor dominium eius rei, quæ illi ex contractu, vel quaſi debetur, quærere neglexit, vt ſi obligationem remiſit, vel rem tradi recuſauit, cùm hoc ſit ſaltim actionem alienare, quæ in bonis eſt creditoris, *l. bonorum.49. cum ſimil.ff. de verbor. ſignificatio.*
15 quod de eo dici non poteſt, qui hæreditatem adire recuſauit, cùm ante aditionem nulla ſit ei actio ad hæreditatem, quæ ipſius bonis poſſit annumerari. Alioquin antequam adiretur hæreditas, inciperet eſſe patrimonium hæredis, quod eſt abſurdum, *l. ſed ſi plures, §. filio, ff. de vulgari*, ex qua ita obſeruat Donellus *lib.8.comment.cap.23. paulò poſt principium*, & nouiſſimè Auguſt. Barboſa *de appellat.verb.appellat.113.num.1.*

SVMMARIVM.

ADrogatio olim curiatis comitijs fiebat.1.

Apud Romanos pubes ſolummodò poterat adrogari.2.& quando id fuerit immutatum.3.

Impubes Comitijs intereſſe nequibat, etiam tutore autore, & quare.ibidem.

Ex noua conſtitutione tutor poterat nomine pupilli, & non pupillæ, comitijs adeſſe.3. Et quid hodie hac in re obſeruetur.4.

Maior ſeptennio poteſt nunc adrogari.5.

Conſenſus verbis, & non ſignis manifeſtus in adrogatione deſideratur.6.

Voluntas infantis, an tutoris autoritate ſuppleatur?7.

Propinquorum conſenſus quando in adrogatione deſideretur?8.

QVÆSTIO XXXV.

Qui adrogandus venire debeat?

1 CVm olim curiatis comitijs adrogatio fieret, vt ex Cicerone *pro domo ſua*, & ex Aulo Gellio *lib.5.cap.19.* recenſet Barnab.Briſon.*lib.8.formular.pag.mihi.*826. & iam diu prolixa nimis oratione Toletanorum noſtro
2 gymnaſio docuimus, inde eueniebat, non niſi veſticipem, hoc eſt cui prima veſtis, ſeu lanugo erat (autore Sexto Feſto Pōpeio) adrogari potuiſſe. Notat vbi ſupra, Agelius Fornerius *lib.1.ſelectar.c.19.* Vbert.Giphan.*in l.2.verſ.De pupillo, C.de adoption.* Anton.Hering.*de fideiuſſor.c.5.num.*269. Impuberum enim nulla ſtandi in comitijs etiam tutore autore, perſona erat, ſi Vlpiano credimus in *fragmentis tit.*8. Nec enim tantam tutoribus poteſtatem in pupillos iura permiſerunt, vt liberum caput eius fidei, ac protectioni commendatū, alterius mancipio, familiæque ſubijciendi facultatem nanciſcerētur, vt itidem ex Gelio deprehendimus. Quod poſteà ſub 3
Diuo Claudiano rectè immutatum eſt, cuius temporibus ſtatutum legitur, vt in comitio pupilli adrogatio fieret, eo tamē abſente, ex quo comitijs intereſſe nō poterat, ſed interueniente tutore illius nomine tātùm: ſic Modeſtinus *in l.quod ne curatoris.8.ff.de adoption.* obſeruauit Iacob. Cuiac.*in ſumma, C. eiuſdem tit penè ad calcem.* vbi etiam ſucceſſiuè notat tutorem, licèt olim potuiſſet nomine pupilli, vt adrogaretur in comitio adeſſe, pupillæ tamen nomine comparendi facultatem non habuiſſe. Quod inde coniectatur, quia illud deinde permiſſum ex Cōſulto deducitur *in l. hæc autem.20.ff. eodem titulo de adoption.*

Sed hodie eo iure vtimur, vt reſcripto Principis, ſiue pupilli, ſiue pupillæ facillimè autorante tutore adrogatio perficiatur ex Antonini Pij conſtitutione, vt idem Vlpianus *dict. tit.*8.fatetur, & ſignificat Paulus *in l. conſtitutione.13.ff.ſi quid in fraudem patroni.* Rectè enim tutoris interuentus deſideratur, vbi eius ætatis perſona adrogatur, cuius ita nullum aut fragile iudicium eſt, vt etiam ea quæ videt ignorare credatur, *l.1.§. impuberes, C. de falſa moneta, cum ſimilibus.* 4

Verumenimverò, vt ad noſtrum inſtitutum reuertamur, ita demum pupillus adrogari permittitur, ſi infantilem ætatem exceſſerit, ideſt, octauum annum inchoauerit, ſic præſenſiſſe videtur Gloſſa *in l.2.verbo generalis, ff.de adoptionibus*, & rurſus *in l etiam.42.eiuſdem tituli*, vbi plerique obſeruant, precipuè Albericus, vterque Ioannes Corraſius & Oroſcius, ita Franciſc.Marcus *deciſione Delphin.* 883.*n.*1. Donellus *lib.2. comment.cap.*23. Anton.Faber. *in Iuriſprudent. Papinian.titulo* 10. *princip.4. illatione* 4. Azeuedus *in l.2.num.77.tit.3.lib.5.recollectionis*, & conſentit apud noſtros *l. Regia.4. tit.16.p.4.* ſub illis verbis: *Infante es llamado ſegun Latin todo moço que es menor de ſiete años, è eſte atal non auiendo padre, no lo puede ninguno profijar, porque non ha entendimiento para conſentir: Mas el moço que es mayor de ſiete años, è menor de catorze, bien lo pueden profijar con otorgamiento del Rey*, optimè enim 5

enim illa ratione, *Porque non ha conſentimiento para conſentir*, infantis adrogationem huius legis conditores inter dixerunt.

6 Nam cùm in adoptionis hac ſpecie, quæ adrogatio dicitur, is qui adoptatur rogetur, an id fieri patiatur *dict. l. 2. ff. de adoption.* infans qui ob fandi impotentiam hoc nomen aſſuit *l. 1. §. 1. de adminiſtrat. tutor. l. cùm quaſi, §. ſi plures, ff. de fideicommiſſ. libert.* etiam interrogatus animi ſui iudicium exponere non valebit. Quod adeò vt verbis fiat, quacumque adoptionis ſpecie exigitur: vt ſi pater naturalis loqui quidem neſciat, alio tamen modo, quàm ſermone manifeſtum facere poſſit velle ſe filium ſuum in adoptionem dare, adoptio nullius erit momenti, ſed confirmatione opus erit, vt quaſi iure facta ſubſiſtat, *l. ſi pater. 29. ff. de adoptio.* vnde abſens, nec adoptare, nec adrogare, *l. poſt mortem. 25. ff. eod.* ſicuti nec adoptari vel adrogari poteſt, *l. neque abſens. 24. eodem tit.* per alium enim peragi minimè licet, quod proprijs verbis conuenit vt expediatur. Quare adoptionem per procuratorem fieri non poſſe tenet Bartol. *in l. ita autem, §. geſſiſſe ad finem, ff. de adminiſtrat. tutor. & in l. poſt mortem, §. neque quæſt. 1. ff. de adoption.* Bertachin. *in repertorio litera A. verbo adoptio.* etenim infans & verbis caret, & iudicio, vnde infantis nullam eſſe voluntatem Conſultus teſtatur *in l. infans, ff. ad legem Corneliam de ſicarijs*: ergo adrogari non poterit, cùm in adrogationibus eorum voluntas, qui adrogandi ſunt, verbis exprimi debeat *l. in adoptionibus. 5. ff. de adoptionibus.*

7 Sed nec tutoris duntaxat conſenſum ſufficere, vt in cunabulis conſtituti, & nondum ſeptennarij adrogatio vtiliter perficiatur, ex eo apparet, quòd illius qui adrogandus eſt, neceſſariò voluntatis explanatio requiritur, quæ minimè à tutore ſuppleri poteſt, vbi pro forma deſideratur. Nec inficias ire Conſultus videtur *in l. quamuis pupillus. 32. §. infans, ff. de acquirenda poſſeſſione*, vbi ideò receptum admonet infantē tutore autore poſſeſſionem capere poſſe, licèt non niſi acquirentis corpore, & animo nanciſcatur. *l. 2. §. adipiſcimur, ff. eodem*, quia iudicium infantis ſuppletur autoritate tutoris. Nam quamuis poſſeſſionis apprehenſio efflagitet eſſentialiter corpus, & animum acquirentis *l. 3. §. in amittenda. l quemadmodum. 8. ff. de acquirenda poſſeſſione, l. 1. §. Scæuola, ff. ſi is qui teſtament. liber.* vtilitatis enim cauſa in infante hoc admiſſum eſſe, vt tutore autore poſſeſſionem apprehendat, ibidem Paulus reſpondit. Nam alioquin nullus ſenſus ſit infantis accipiendi poſſeſſionem. Quæ vtilitas minimè deprehendi in infantis adrogatione poteſt, agitur enim hîc non de acquiſitione, ſed de amiſſione ſtatus, & capitis minutione, §. *minima inſtitut. de capitis diminutione*: ergo infantis potiùs damno & iniuria, quàm eius emolumento ſtatutum videretur, ſi tantam in illum tutori eſſe autoritatem veteres voluiſſent, vt caput liberum fidei ſui commiſſum, citra ipſius voluntatem alienæ ditioni ſubijcerent.

8 Et tandem haud quaquam audiendus erit Ioannes ille antiquiſſimus Gloſſographus, cuius meminit Accurſius *in dict. l. 2.* qui ita demum infantis adrogationem permiſſam exiſtimabat, ſi ij, qui ſanguinis neceſſitudine ſibi iunguntur, id ei expedire apud Præſidem Prouinciæ confirmauerint, argumento *l. impuberem. 52. C. de adoption.* ſiquidem præterquàm quòd hæc opinio affatim ex ſupradictis reijcitur, attamen ex eo fortiùs conuincitur, quòd *dict. l. 2.* loquitur non de infante, ſed de impubere, ideſt eo qui infantiæ annos exceſſit, & pubertati accedit, qui quidem ex Iuſtiniani ordinatione, non niſi adhibito agnatorum & propinquorum conſenſu adrogari poſſunt.

SVMMARIVM.

Infans poteſt à Principe nobilitari. 1.
Nobilitas conſiſtit in acceptatione eius, qui dignitatem confert. 2.
Infans Rex eſſe poteſt. 3.
Rex dicitur principium & fons nobilitatis, ibidem.
Mendax videtur quiſquis apud noſtros profert, Yo ſoy tan bueno como el Rey. 4.
Nobilitatis beneficium, etiam in inuitum poteſt conferri. 5.
Mortuo poteſt nobilitas concedi. 6.
Infans reſpectu mortui intelligens & ſapiens habetur. 7.
Etiam vtero exiſtens poteſt nobilitari. 8.
Succeſſores Imperij cuiuſcumque ætatis nobiliſſimi appellabantur. 9.
Ratihabitio infantis non deſideratur, vt valeat nobilitas in eum collata, ſed ſufficit vt maior factus non contradicat. 10.

QVÆSTIO XXXVI.

An minor annis ſeptem poſsit nobilitari?

Affirmatiuè quidem reſpondendū videtur cum Bart. *in l. 1. n. 38. C. de dignitatibus lib. 12.* vbi etiā Ioã. Platea. Guillelm. Benedict. *in repetitione, cap. Raynutius,* 1

verbo

verbo adiectæ impuberi,in principio, de teſtament. Ioan.Rayn.*de nobilitate in* 1. *quæſtione principal.in* 2.*oppoſitione,* Andr.Tiraquel. *de nobilitate cap.6.n.*27.*&* 35.Ioan.Oroſc. *in l.in adoptionibus.*28.*num.*7.*ff.de adoptio.* & noſter Perez de Lara *in compendio vitæ homin.cap.*16.*num.*67. qui aſſerunt dubium non eſſe poſſe infantem à Principe nobilitari,quod pluribus rationibus oſtenditur.

2 Primò,quia nobilitas conſiſtit in acceptatione eius,qui dignitatem confert,nec eſt in voluntate vel intellectu eius qui nobilitatur, vt Bart.& Tiraquel.docent vbi proximè:ergo in puerum nondum ſeptennem, quamuis rudem & ignorantem rectè cadere poterit.

3 Secundò facit, nam vt alibi notabimus,& docet Tiraquel.*dict.loco num.*28.infantibus concedi poteſt regnum, à quo omnis nobilitas deſcendit,cùm Rex principium, & fons ſit nobilitatis. Vnde quantò quis, vel agnatione,vel cognatione propinquior Regi eſt, tantò eſt nobilior,vt de Rege noſtro loquens ſcribit Ioan. Garſia *de nobilit. gloſſ.*48.§.3. *num.*1.inde ſubijciens mendacij eſſe reum,
4 quiſquis in Hiſpania profert:*Yo ſoy tan bueno como el Rey.* Igitur multò magis quælibet alia nobilitas ipſi poterit indulgeri, ſi verum eſt quod dicimus ei rectè licere quod eſt minus,cui quod plus eſt iuſtè licèt.*Regul.cui licet.*53.*de regul.iur.lib.*6.

5 Tertiò in eandem rem expendi valet nobilitatem ex illis beneficijs eſſe,quæ in inuitum & ignorantem iure conferũtur.Sic multis probat idem Tiraquel. *num.*32. *& num.* 36.*vſque ad* 42.quo ſuppoſito nihil obſtabit quominùs & infanti poſſit conferri;licèt voluntatis, & intellectus ſit expers, ex quo ad nobilitatem conſequendam neutrum horum deſideratur.

6 Et tandem quartò confirmatur ſingulari doctrina Bartoli *in dict.l.*1.*num.*39. Panormitan.*in cap.à nobis el* 2.*verſic. in Gloſſa verbo relaxatum,*& ibi Felin.*verſic.Eiuſdem initij,de ſentent. excommunicat.* necnon & aliorum,quibus ſubſcribit Tiraquel. *dict.c.* 6.*num.*45. qua cauetur,etiam mortuo nobilitatem cõferri poſſe,ergo & infanti,qui etſi 7
reſpectu viuentium incapax,& mentis inops habeatur,reſpectu tamen mortuorum capax, & rectè intelligens cenſeri debet. Alioqui poſſet meritò infans queri,vt ille apud Plautum *in Rudentibus,*quem cum quidam adhortaretur ita:*Eia bonum habe animum*, reſpondit,*Vnde habeam? Mortuus pluris pretij eſt, quàm ego ſum.*

Hinc rectè deducit Tiraquellus ſæpius re- 8
petito loco *num.*46.non ſolùm infantem, vt anniculum nobilitari poſſe, verumetiam nõdum natum,& in vtero materniſque latebris adhuc degentem,quoniam cùm nobilitandus nihil ad conſequendam nobilitatem præſtare debeat,ſed omninò ad eam ſe habeat vt patiens,quid ni tanto ſplendore conceptus, & nondum editus partus queat affici?

Ex quibus intelligitur,quàm meritò ſuc- 9
ceſſores Imperij,cuiuſcumque eſſent ætatis, antiquitùs nobiliſſimi dicerentur, vt ex libris noſtris deprehenditur *in l.nemo.*14. ibi: *Honorio nobili puero,C.de religioſ.& ſumpt. funer.& in l.omnes.*4.ijſdem verbis,*C.de priuileg.eorum,qui in Sacro Palatio milit.* vbi eleganter obſeruat Iacob.Cuiac. qui ad deſignati ſucceſſoris Imperij dignitatem id factitatum inquit ex Zonara *in Iuſtiniano,*notat quamuis ſubobſcurè,poſt eum Oſuald. ad Donel.*lib.*17.*cap.*24.*litera M.*

Vtrùm autem hoc caſu requiratur ratihabitio infantis, cùm ad ætatem peruenit, qua poſſit illam præſtare?dubitari ſolet,& com- 10
muniter reſpondetur expreſſam ratihabitionem nõ eſſe neceſſariam,ſed ſatis eſſe vt collatæ nobilitati,cùm reſciuerit, nõ contradicat,ſic tradit Oroſcius *in dict.l.*5.*num.*8.& Tiraquel.*d.c.*9.*n.*30.*&* 31.

ANNVS OCTAVVS.

SVMMARIVM.

Pveritiam ab ipſo vitæ exordio incipere, multi docent. 1.

Aliȷ verò poſt ſeptimum annum pueritiæ initium conſtituunt. 2.

Nonnullis hæc vltima ſententia confirmatur. 3. *& ſeqq.*

Grandiuſculi pueri, qui dicantur? 4.

In minore puniendo duo copulatiue requiruntur, vt ſit doli capax, & proximus pubertati. 5.

Doli capax dicitur, qui pubertati eſt affinis. ibidem.

L. cùm non ſolum 8. § *vbi autem puerilis, C. de bonis quæ liberis, explicatur.* 6.

L. vxorem. 41. §. *teſtamento, ff. de legatis.* 3. *intelligitur. ibidem.*

Serui olim pueri appellabantur. ibidem.

Pueritia quando finiatur. 7.

Pueritiæ terminum decimumſeptimum annum eſſe, aliquibus placet. ibidem.

Verius eſt pueritiam decimoquarto anno finiri. 8.

Puer accipitur pro impubere. 9.

L. 1. §. *pueritia, de poſtulando, explicatur.* 10.

L. Publius. 36. §. 1. *de condit. & demonſtrat. explicatur etiam. ibidem.*

L. ſeruis legatis. 81. *verſic. Sicuti viris, ff. de legat.* 3. *exponitur.* 11.

Pueritiam vſque ad vigeſimumquintum annũ durare aliqui docuerunt. ibidem.

Viri appellatio quomodò accipiatur? 12.

QVÆSTIO I.

Pueritia quo tempore incipiat & finiatur?

1 CIrca puerilis ætatis initium prefigendum magnoperè cruciãtur Scribẽtes. Nonnulli ergo ab ipſo natiuitatis inſtanti conſtituũt, & infantiã pueritiæ appellatione cõtineri prædicant, quod vel ex ſolo communi loquendi modo probari poſſe arbitrantur, cùm frequenter qui nondum ſeptimum annum exceſſerunt, pueri dicantur, vt videre eſt apud Adrian. Turneb. *aduerſar. lib.* 7. *cap.* 21. vbi nouem dierum mares, pueros, & dierum octo fœminas, puellas vocat. Necnon & apud Alexand. ab Alex. *lib.* 3. *genialium cap.* 7. qui trimo minorem puerum cognominat, & apud Brecheum *in l. pueri.* 204. *de verbor. ſignificat. num.* 3. vbi etiam in vtero exiſtentem ita appellat, & apud innumeros alios, quibus omnibus Iuſtiniani præponderat autoritas *in l. cùm non ſolùm.* 8. §. *vbi autem puerilis, C. de bonis quæ liberis*, quo loco infantilem ætatem puerilem vocat, vt ibidem *verbo Puerilis* obſeruat itidem Accurſius: quocirca hanc ſententiam vti veritati magis conſentaneam tenet ex Medicis Alexander Maſar. *in practic. Medic. lib.* 5. *capit.* 14. *circa finem*, & ex noſtris Rota apud Farinac. *deciſ.* 194. *num.* 2. *tom.* 2. vbi cum Iacobo Cuiac. *in l.* 2. *de excuſation.* pueritiam inquit duas habere partes, quarum prima finẽ accipit anno ſeptimo, altera autẽ anno quatuordecimo. Petr. Rebuf. *in l. pueri appellatio.* 204. *ff. de verbor. ſignificat.* & ſecundùm eam fuiſſe pronuntiatum in cauſa iuris patronatus, refert Marta *in compilatione deciſ. tom.* 6. *verbo, Ius patronatus, cap.* 159. pro qua ſententia mirificè conducit text. in *l. vxorem.* 41. §. *teſtamento de legat.* 3. vbi pueri illi dicuntur, qui intra ſeptimum annum inueniuntur, & expreſſus text. *in cap. conſuluiſti.* 20. *q.* 5. ibi: *Vnius diei puerulum.*

Alij denique ſunt, quibus hæc opinio nullatenus probatur, ſed vt certius definiunt poſt ſeptimum annum, ideoque & poſt egreſſam infantiam pueritiam tam in maſculis, quàm in fœminis incipere: in quorum numero ſunt Gloſſa *in verbo perfectus, in proœmio lib.* 6. *& in cap. ſi eo tempore de reſcriptis, eodem libro*, Bartol. *in l. Mela in princip. ff. de aliment. & cib. legat.* Panormitan. *in cap. quod ſedem num.* 3. *de frigid. & malefic.* Petr. de Bellapertic. *in dict. l. cùm non ſolùm.* D. Antonin. *in ſumm. part.* 2. *tit.* 3. *cap.* 8. §. 2. *verſic. Non enim dicitur*, Alberic. *in l. ſi infanti num.* 2. *C. de iure deliber.* Paul. de Caſtro *in d. l.* §. *ſin autem in ſecunda, num.* 2. Bertachin. *verbo pueri, verſic. Pueritia durat*, Sotus *de iuſtit.*

inſtit. 4. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 2. circa principium, vbi pueritiam ideò ſecundam ætatem appellat, quia poſt primum ſeptennium incipit, & diſtinct. 18. quæſt. 1. art. 3. Alciat. in d. l. pueri appellatio, eandem ſententiam mordicus defendit Quintilian. Mandoſ. de ætate minor. cap. 4. num. 1. in quam & inclinari videtur Franciſc. Hotoman. de verbis iuris verbo ætatis gradus, paulò poſt principium, P. Azor inſtitut. moral. 2. part. lib. 6. quæſt. 6. Menoch. de arbitrarijs lib. 2. caſu. 57. num. 1. & 10. Farinacius plures referens tom. 3. praxis criminal. quæſt. 92. num. 6. Fr. Anton. de Souſa in aphoriſmis Inquiſitor. lib. 3. cap. 32. num. 11. Roderic. Acunha in cap. veteri 7. num. 23. 77. diſtinct. Auguſt. Barboſ. in collectanea ad proœm. lib. 6. num. 26. & noniſſimè Paul. Zachias Medicolegal. lib. 1. tit. 1. quæſt. 4. num. 7.

3 Et ſuaderi videtur hæc opinio, primò ex verbis Vlpiani in l. argento. 25. verſic. Muliebri veſte legata, de auro & argento legato, vbi muliebri veſte legata, & infantilem contineri & puellarum ſcribit: ergo quia infantilis veſtis eadem ac puellaris non eſt, nec ætas infantilis vna cum puellari, necnon & ex dict. cap. in veteri, vbi poſtquam infantes à Leuitarum miniſterio excluſerant Patres quarti Concilij Toletani, pueros deinde remouent: ergo appellatione puerorum infantes non comprehenduntur. Alioqui ſufficeret pueros excluſiſſe, vt & infantes repulſi cenſerentur. Vnde cùm neceſſarium duxiſſet Toletana Synodus nominatim infantes, & rurſus pueros exprimere, euidenter colligitur pueritiam, & infantiam diuerſas hominum ætates eſſe, & conſequenter poſt infantiam pueritiam ſuccedere.

4 Secundò fulcitur hæc eadem pars ex celebri Gregorij Noni deciſ. in cap. 1. de delict. puerorum, quo loco pueros grandiuſculos eos vocat, qui proximi ſunt pubertati, & ſecundùm communem ſententiam habent decimum annum cum dimidio. Ex quibus verbis planè infertur pueros infantes non dici, ac conſequenter pueritiam ab ipſa natiuitate non incipere. Si enim infans puer eſſet, qui decimum annum cum dimidio exceſſerunt, grandiuſculi pueri non dicerentur, ſed imò grandes, cùm puerilis ætatis curſum, qui, vt deinde patebit, decimoquarto anno terminatur, pene abſoluiſſent: ergo cùm granduſculi à Gregorio Nono cognominentur, ſignum eſt, pueritiam à ſeptimo anno expleto, principioque octaui incipere, ab eaque ætate pueros denominari, qui cùm dimidiam puerilis ætatis partem agũt, rectè grandiuſculi pueri dicuntur, vt puta cùm decimum annum, & dimidium ſortiuntur.

5 Nec obſtat, quòd grandiuſculi pueri à Gloſſa in dict. cap. 1. accipiantur pro ſeptennium agentibus: quia verius eſt de proximis pubertati, & vt dixi, decimum annum cum dimidio habentibus, ea verba interpretari debere. Quod ſuadetur ex eo, nam vbicumque de minoris agitur punitione, hæc duo ſimul & copulatiuè requiruntur, ſcilicet, quòd doli capax, & proximus pubertati ſit, vt patet ex §. in ſumma inſtitut. de oblig. quæ ex delict. ibi: Si proximus pubertati ſit, & ob id intelligat ſe delinquere, text. in l. impuberes, de furtis, & in l. excipiuntur ad Senat. Conſult. Sillanian. ibi: Nec multum à pubertate aberat, & quòd tunc doli capax dici quis poſſit quando eſt proximus pubertati, & non aliàs, text. probat in pectore memori reponendus in l. apud Celſum, §. quæ in tutore, ff. de doli mali & metus exceptione, per quæ iura prædictam Gloſſam, & eius ſequaces reijcit Angelus hanc ſententiam dicens veriorem in dict. l. impuberes de furtis, Andr. Barbac. in additionibus ad Abbat. in dict. cap. 1. Cenar. in epitome ſupra 4. 2. part. cap. 5. n. 5. in fine, plures referens Iul. Clarus lib. 5. receptar. ſentent. §. fin. q. 60. n. 2. qui omnes conſtanter affirmant, quòd infans, ſeu ſeptennis nullo caſu puniri poterit, cùm hæc duo neceſſariò concurrere debeant, ſcilicet, quòd ſit doli capax & proximus pubertati.

6 Quibus rationibus adeò conſtringor, vt aſſerere non ſim veritus poſtremam hanc ſententiam iuri magis concordem, & conſentaneam eſſe. A cuius defenſionis curſu me non excutiet alterius opinionis præſidium ex Iuſtiniano quæſitum in d. l. cùm non ſolum 8. §. vbi autem puerilis, C. de bon. quæ liber. ſiquidem ei multipliciter occurri poteſt, aut cum Paulo Caſtrenſe in d. §. affirmantes, Iuſtinianum eâ in ſpecie impropriè fuiſſe locutum, vt & cæteri, ex cuius verbis ſuprà apparuit, ſeptennio minores pueros appellaſſe, quo mo do intelligendum eſſe Scæuolam in d. §. teſtamento non dubito: quamuis non ſit incertum pueros ibi non ratione ætatis dici, ſed ſeruitutis, ſecundùm primam pueri ſignificationẽ, qua omnes ſeruos pueros appellari ſolere ſcribit Conſult. in d. l. pueri appellat. 204. de verb. ſignificat. aut enim melius cum vetuſtiſſimo Petr. de Bellapertic. in d. l. in §. fin autẽ & in ſecunda, necnon & in d. §. vbi autem dicentes Imperatorẽ d. loco ætates dinumeraſſe, non quidem ſecundùm naturalẽ ordinem, vt nos numeramus; imò ſecundùm ſubiectam materiam aditionis, vel repudiationis hæreditatis. Ideoque primam ætatem pueritiam dixiſſe in §. vbi autem in vnum, ſecundam verò

verò *in dict.* §. *ſin autem in ſecunda ætate adoleſcentiam*, & conuincitur: quia ſecunda hac ætate Imperator filio in poteſtate concedit, vt quoties pater ipſi delatam hæreditatem adire recuſat, ſolus illam apprehendere poſsit: ergo cùm impubes ſolus hæreditatem adire non poſsit, *l. impuberibus. 11. ff. de acquirenda hæreditate*, ſed neceſſariò alterius ſuffragio, vel autoritate indigeat, cõſequens eſt, ſecundam ætatem, qua id Iuſtinianus fieri poſſe decreuit, adoleſcentiam eſſe, ac ſucceſſiuè primam ætatem, qua id prohibet pueritiam.

7 Igitur cùm poſt ſeptimum annum expletum pueritiam tam in maſculis, quàm in fœminis incipere ex hactenus ſcriptis affatim fuerit oſtenſum, conſectarium erit de tempore, vel ætate qua expirat, & ad finem perducitur, nonnihil diſſerere. Scio enim etiam hac de re ancipites Scriptorum calamos extitiſſe: ex quo aliquibus placuit Serui Tullij præſcriptum inſectantibus, cuius meminit Gellius *noctium Atticar. lib. 10. cap. 28.* pueritiam anno decimoſeptimo terminari. Inter quos præcipuum locum obtinent Bertachin. *liter. P. verbo pueri, verſic. 1. & verſic. pueritia durat*, Hieron. Cagnol. *in l. cum quædam puella num. 2. de iuriſdict. omnium iudic.* Franciſc. Polletus *Hiſtoriæ fori Romani lib. 2. c. 6. in fine*, vbi inquit, quòd pueritia pates annos numero habet annis prætextæ, qui exporriguntur ad decimumſeptimum, ex præſcripto Serui Tullij, Oſuald. *lib. 18.* Donel. *c. 3. liter. S.* Cardoſus *in praxi verbo ætas n. 1.* Caluinus *in Lexicon iuris, verbo ætatum gradus*, Aſsinius *de executio. cap. 526. num. 16.* Qui quidem omnes in prædictam ſententiam adducuntur Vlpiani velut manifeſto teſtimonio *in l. 1. §. pueritiam, ff. de poſtulando*, vbi pueritiam definiens, ad decimumſeptimum annum durare ſcribit, quod etiã Marcello placuiſſe videtur *in l. Publius. 36. §. 1. de condit. & demonſtrat.*

8 Verùm paucis iſtis exceptis ferè totus Gloſſographorum numerus in ea eſt opinione, vt exiſtimet pueritiam vltra decimum quartum annum in maſculis, & duodecimum in fœminis non progredi, ſed huius ætatis vltimo inſtanti tranſacto abſolui. Ita ſecũdùm diuiſionem ætatum à Varrone factam tenent Gloſ. *in l. pueri appellatio. 204. de verb. ſignificat. & in l. fin. verbo paruulus, C. de infant. expoſit. & in cap. pueri. 120. 1. quæſt. 1.* Bartol. *in l. Mela in princip. ff. de aliment. & cibar. legat.* Abbas *in cap. quod ſedem num. 3. de frigid. & malefic.* Alciat. *in l. pueri appellatio.* vbi etiam Brecheus *num. 3. & 5.* & Rebuffus, *verſic. tertio puer*, Oldrald. *conſ. 326.* *num. 14. verſic. Dicitur etiam puer*, Stracha *de adiect. 3. part. num. 19.* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. dict. cap. 4. num. 1.* Tuſch. *practicar. concluſ. liter. P. concluſ. 973. num. 1.* Menoch. *lib. 2. de arbitrar. caſu 57. num. 2.* P. Azor *inſt. moral. d. 2. part. lib. 6. quæſt. 6. ad finem*, Farinac. plurimos cõgerens *dict. quæſt. 92. num. 6. & deciſ. 134. num. 2. tom. 2.* vbi pueros cõcludit eſſe minores quatuordecim annis, Fr. Anton. de Souſa *aphoriſm. Inquiſitor. lib. 3. cap. 32. num. 11.* Auguſt. Barboſ. *d. collect. ad proœm. lib. 6. num. 23.* & ita à communi medicorũ ſchola definiri profert Petr. Garc. *in Auicennam fen. 1. lib. 1. doctri. 3. c. 3. diſputat. 16. cap. 3.* & ante eum Maſarius *vbi ſuprà.*

Quorum exiſtimatio proculdubio vim ac- 9
cipit ex reſponſis Vlpiani *in l. 5. ff. de adminiſtrat tutor.* Pauli *in l. penult. §. 1. de rebus eorum*, item & Papiniani *in l. in tabulis. 39. ff. de ſtatu liber.* necnon & Vlpiani *in l. 3. §. ſi duo impuberes, ff. de Carbonian. edicto*, quibus omnibus puer pro impubere adſcribitur. Vnde licet intelligere pubertatem ingreſſos; puerorum nomine minimè comprehẽdi, maximè cùm pueri ab impubertate dicantur, *c. eos quos, in fine, de conſecrat. diſtinct. 4.* ibi: *Pueris autem, quibus quod adhuc impuberes ſunt, à pubertate*, vel *impubertate*, vt in alijs legitur, *vocabulum eſt.*

Qua ſententia vt veriſsima retenta, parum 10
repugnat autoritas *dict. l. 1. §. pueritia*, cui aduerſæ partis ſectatores innituntur, quia cùm Rebuffo *in dict. l. pueri* reſponderi poterit, pueritiam eo tantùm caſu ob ſpecialem poſtulationis rationem ad annum vſque decimumſeptimum protendi: vel aptiùs cum Proſpero Farinac. *dict. quæſt. 92. num. 7.* ibi non fuiſſe præſcriptum terminum ſimplicis pueritiæ, cuius noſter ſermo eſt, ſed plenæ, vt ad poſtulandum Prætor requirit, quæ ſine dubio anno decimoſeptimo terminatur, argumento *l. Mela, ff. de aliment. & cibar. legat.* probat Anton. Faber *in Iuriſprudentia Papiniana tit. 22. princip. 2. circa finem*, quomodò etiam accipienda erit *dict. l. 36. §. 1. de condict. & demonſtrat.*

Magis verò vrgere videtur deciſio text. *in* 11
l. ſeruis legatis. 81. verſic. Sicuti viris, ff. de leg. 3. vbi viris ſeruis legatis, pueri etiam legati dicũtur. Ergo cùm viri illi ſint, qui è vigeſimoquinto anno ſunt egreſsi, vt alibi probabimus, & cõfirmat noſter Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap. 30. num. 11.* conſequens videtur vſque ad prædictam ætatem pueritiam extendi, non verò anno decimoquarto finiri, vt noſtra fert opinio: quod probaſſe videtur Lelius Viſciola

borar.

borar. ſubſeſ. lib. 2. *cap.* 17. cùm inquit, pueros appellari qui perfecta ſunt ætate, & viri jam ſunt, eoque ſenſu accipiendum docet illud Ioannis 21. vbi Chriſtus ita ſuos diſcipulos compellauit: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* & id quamuis ſub nota improprietatis admittit Paul. Zachias *Medicoleg. lib.* 1. *tit.* 1. *q* 4. *n.* 1. *& ſeqq.*

12 Sed reſpondetur *in dict. verſic.* non fuiſſe legatos ſeruos habita ratione ad virilē ætatem, vel ad matrimonij ſtatum, ita vt hi ſolùm legari viderentur, qui vigeſimum annum egiſſent, vel qui vxorati eſſent, quia hi viri frequenter cognominantur, *Totus titulus de donatio. inter virum & vxorem,* ſed in ò habito reſpectu ad ſexum virilem: vnde cùm ratione ſexus omnes cuiuſcumque ætatis homines virorum appellatione comprehendantur, ſiue pueri, aut virgines ſint (quod idem eſt vt *dict. loco* obſeruat Florianus de S. Petro) ſiue matrimonialiter ſociati, argumento *l. cognoſcere.* 52. §. *liberorum,* vbi notant omnes *de verbor. ſignificat.* nil mirum ſi viris hoc ſenſu legatis pueri etiam debeantur, quod ideò Modeſtinus in *dict. verſic.* expreſsit, vt ſuaderet mulieribus eadem mente relictis virgines pari modo deberi, quemadmodum & muliebri veſte non diſsimili cogitatione legata & infantilem, & puellarum, & virginum contineri, ait Vlpianus *in dict. l. argento.* 25. *de auro & argento legato,* quia vt Pomponius *lib.* 22. *ad Sabinum* rectè ſcribit, mulieres omnes dicuntur quæcumque ſexus fœminini ſunt.

SVMMARIVM.

P*Arentibus licet qualibet minori ætate filios religioni offerre.* 1.

In deſignanda ætate ad religionis ingreſſum nimis variant Interpretes. 2.

Teſtis deponens Titium tempore, quo habitum ſuſcepit, fuiſſe minorem, non ideò concludit fuiſſe inhabilem ad ingrediendum monaſterium. ibidem.

Septennium completū eſſe determinatam ætatem ad ſuſceptionem habitus, nobis magis placet. 3.

Ingreſsio, ſeu oblatio habet ſe ad profeſsionē, ſicut ſponſalia ad matrimonium. 4.

Sponſalia non poſſunt ante ſeptimum annum expletum contrahi. ibidem.

Fœminas nō poſſe niſi poſt duodecimum annum ad Religionem admitti, aliqui docent. 5. *&* 6.

Contrarium multi tenent. 7.

Vtraque opinio explicatur. 8.

Concilium Tridentinum quoad ætatem ſuſcipiendi habitum, & examen in ipſo ingreſſu faciendum, his Regnis non ſeruatur. 9.

QVÆSTIO II.

Suſceptioni habitus regularis an ſit aliqua ætas præſtituta?

NVllam eſſe inde ſuaderi videtur, quòd in qualibet minori ætate, liceat parentibus vtriuſque ſexus filios religioni tradere, *capit.* 1. 20. *quæſt.* 2. vnde etiam infantes eos obtuliſſe, & offerre poſſe legitur *in cap. addictis* 2 *cap quicumque* 4. *cap. infans* 7. 20. *quæſt.* 1. probantque illi omnes, qui indiſtinctè proferunt poſſe puerum ante pubertatem religioni offerri, necnon & illi, quibus maximè expedire videtur, exiguæ ætatis pueros religionem intrare, vt ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *&* 9. *quotlibet.* 3. *artic.* 11. *quotlibet.* 4. *quæſt.* 12. *art.* 13. *& opuſcul.* 17. *cap.* 3. multis à Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus petitis teſtimonijs confirmant Carol. Tapia *de religioſis rebus cap.* 6. *num.* 40. *cum pluribus ſequentibus,* Anaſtaſ. Germon. *de ſacrorum immunitatibus lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 22. & nouiſsimè indicare videtur Fr. Euſebius de Herrera *deciſ. moral.* 2. *n.* 11. 1

Nihilominùs minorem decem annis, nec ingredi, nec recipi in monaſterium poſſe defendit Ioan. Stephan. Durant *quæſt.* 3. *ad fin.* & minores quatuordecim inhabiles eſſe ad ingrediendum, Ioan. de Amicis *conſ.* 40. *num.* 5. vbi ideò inquit, quòd ſi teſtis dixerit, quòd Titius tali tempore, quo fuit ingreſſus monaſterium, erat minor, non propterea probatum eſt, quòd fuerit inhabilis ad ingrediendū, vt ſunt minores 14. annis, ſequitur Sforc. Oddus *de reſtitut. in integr. part.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 5. *verſic. Ego dico,* & indicare apud noſtros videtur *Regia l.* 4. *tit.* 7. *part.* 1. 2

Verumtamē in propoſita quæſtione aliud nobis tenēdum videtur, ſcilicet eā ætatē ingreſſui religionis eſſe determinatā, qua frequēter hominibus vſus rationis accidere ſolet, vti expreſſe voluit Sebaſtian. Mediceus *in concordia Canonum decreti.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 1. P. Sanchez *lib.* 4. *ſumm. cap.* 18. *num.* 27. docens contra Paludanum, & D. Antoninum patrem, qui filium religioni vouit, non teneri illum offerre inuitum, nec antequàm rationis vſu gaudeat, vt conſenſum præſtare poſſit, vt rurſus *lib.* 5. *eiuſdem operis cap.* 4. *num.* 14. ſimiliter affirmans nullam eſſe admiſsionem pueri, aut oblationem ipſius à parentibus factam ante vſum rationis: vnde cùm hāc ætatem ſeptennij completi eſſe ſuprà hoc eodem anno conſtiterit, ab octauo ineunte 3

anno religionis habitum aſſumere vnicuique viro licuit.

4 Et fulcitur hac ratione ſuperior ſentētia, Nam vt inquit Sebaſtian. Medic. *in concordia Canonū Decreti cauſa* 20.*quæſt.*1.*art.*1. *verſic. Ad ſextum reſpondetur*, & Sanchez *d. cap.*18.*num.*26. ingreſſio ſeu oblatio habet ſe ad profeſſionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium. At ſponſalia non valent ante vſum rationis, & ſeptimum annum expletum, *l. in ſponſalibus.* 14.*ff. de ſponſalibus*, *cap. literas* 4. *cap. acceſſit* 5.*cap. ad diſſoluendum.* 13. *de deſponſatione impuber.* iunctis alijs ſupra anno 7. notatis: ergo neque religionis ingreſſio anteà valere debebit. Itaque accipiendi ſunt qui, vt initio obſeruauimus, indiſtinctè docent, quacumque ætate liberum eſſe habitum religionis aſſumere, id eſt, quacumque ætate poſt ſeptennium, quo vſus rationis communiter pueris quàm primùm irradiat.

5 Sed vtrùm autem idem in fœminis ſit tenendum, vt ſcilicet nō aliter ac maſculi poſt extremum ſeptimi anni valeant religionem ingredi? ingens apud noſtros contentio eſt. Plerique enim negāt, & ante expletum duodecimum annum fœminis non licere religioſis veſtem ſuſcipere contendunt, ita Sebaſtian. Medic. *vbi ſuprà, verſic. Hodie autem*, Naldus *in ſumma verbo habitus num.* 1. *&* *verbo monialis num.* 5. Azorius *tom.*1.*lib.*12. *cap.*18.*verſic* 55.*&* 56. Rodriguez *in quæſtionibus regularibus tom.* 3. *quæſt.* 12. *art.* 2. Alter Rodriguez *in compendio Quæſtion. regularium reſolut.*27.*num.*16. Bartholom. de Vechis *in praxi nouitior. diſp.*52.*dub.*9.*num.* 16. qui ab hac ſententia non eſſe recedēdum putat, Aloyſ. Riccius *in praxi rerum quotidianar. deciſ.* 754.

6 Et ducuntur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25.*de Regular. cap.*17. ibi: *Libertati profeſſionis virginum Deo dicandarū proſpiciens Synodus, ſtatuit atque decernit, vt ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non ante eam ſuſcipiat, nec poſteà ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quàm explorauerit Epiſcopus virginis voluntatem, &c.* vbi obſeruat Cardin. Bellarmin. per hæc verba Sacram Congregationem reſcripſiſſe, non debere admitti aliquam puellam ad ſuſcipiendum habitum ante annum duodecimū: quia cùm requiratur exploratio voluntatis puellæ, non eſt eius voluntas, neque conſiliū ante illam ætatem. Refert declarationis ſeriem Ioan. Gallemart. *in dict. loco Concilij n.* 2. quæ talis eſt: *Congregatio cenſuit non eſſe diſpenſandum, vt puellæ, quæ duodecimum annum non expleuerunt, poſſint habitum in monaſterio ſuſcipere.* Aliam refert nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral.* 3. *part. tract.* 2. *de dubijs regular. reſolut.* 47.

His tamen non obſtantibus, oppoſitum 7
validiſſimè defendunt P. Suarez *de Religione tom.*3.*lib.*5.*cap.*1.*num.*9. P. Sanchez *d. lib.* 4.*cap.*18.*num.*34. Miranda *in manuali prælator. tractat. de monialib. quæſt.*8.*art.*2. Portel. *in additionibus ad dubia regularium, verbo clauſura monialium, §. cuius ætatis num.* 1. qui ſic ait: *Dicendum eſt, poſſe puellas recipi à ſuperioribus intra clauſuram, vt ſuo tempore profiteantur, etiamſi ſint ætatis infantilis, nōdum attingentes vſum rationis, in tertio, vel quarto ætatis anno*, & ante eos Michael de Medina *de ſacrorum hominum cōtinentia lib.* 4.*controuerſ.*9.*cap.*4. vbi inquit, nihil alienius à Concilij Tridentini mente excogitari poſſe, quàm illum intellectum pro priori ſententia adductum. Nam ille adfuit decreto, & omnium Epiſcoporum ſuffragia circa illud attentè fuit auſcultatus, & nihil actum fuiſſe de ſola puellarum maiorum duodecim annorum ad Religionem admiſſione, certò affirmat, ſed duo tantùm decernere illis cordi fuiſſe. Primùm, vt ſi puella ingrediens ſit maior duodecim annis, quantæcumque ætatis ſit, duplex Epiſcopi examen ſubeat, alterum ante habitus ſuſceptionem, vt de maioribus decem annis à Concilio Conſtantienſi fuerat ſtatutum *cap.*40. teſte Ferrerio *in annotatione ad d. quæſtion.* 3. *Stephan. Durant.* & alterum poſteà ante profeſſionem, & vtrūque petijt, quia ſæpè puellæ inuitæ habitum ſuſcipiunt, & quamuis voluntariè illum aſſumant, non rarò inuitæ profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi. Alterum verò, quod in dicto Concilio ſtabilitur, eſt, vt puella minor duodecim annis ingrediens vnicum examen ſubeat, & illud profeſſionis tempore. Quoniā ante ætatem duodecim vanum exiſtimauit Tridentinum hoc examen præmitti ob tenerum rationis vſum puellæ, vt hæc omnia optimè expendit Anton. Cuchus *inſtitut. maiorum lib.*3.*tit.*2.*num.*13. Sanchez, & poſt eum Diana *dictis in locis*.

In hoc opinionum diſſidio ſi certæ ſunt (vt 8
eſſe exiſtimo, quia à ſummæ autoritatis & fidei viris adducuntur) propoſitæ Cardinaliū declarationes, ab illis nō recedam. Imò primam ſententiam amplectar aſſerentium, ante duodecimum annum nullam puellam ex mente Concilij poſſe ad Religionem admitti, niſi à parentibus oblatam, vt eadem Congregatio cenſuit, his verbis: *Item puella duodecim annorum oblata à parente poteſt ſuſcipere habitum regularem ante completum duodecimum annum*, refert Bellarmin. *in dict. cap.*

Con-

Concilij. Verùm, quia Tridentinum hac in parte minimè eſt receptum ſaltim apud noſtros, veluti & in eo quod de duplici examine ante profeſſionem faciendo diſponit, cùm conſuetudine ſit admiſſum, vt vnicum, puellæ quacumque ætate ingredienti præmittatur, nimirum quando profeſſura eſt, vt docet Sanchez *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 84. Rodrig. *in quæſtion. regular. tom.* 3. *quæſt.* 12. *art.* 2. *& ex eis* Diana *vbi proximè.* Ideò poſteriorem opinionem, quaſi iure communi conformem his Regnis, & vbicumque Concilium non ſeruatur, tenēdam arbitror. Adeò vt cum Portel. *vbi ſuprà*, quem refert Diana *dict. tractat. reſolut.* 131. teneam quacumque infantili ætate, & ante vſum rationis dictis in locis puellas religionis habitum poſſe ſuſcipere. Nam licèt hoc in viris non obſeruetur, vt initio notauimus, in fœminis tamen ita conſuetudine receptum eſt.

SVMMARIVM.

Pueros ante ſeptimum elapſum minimè legibus, & ſtatutis ligari, quibuſdam placuit. 1.

Conſuetudo à maiori populi parte debet introduci. 2.

Infantes de populo non dicuntur, ibidem.

Proximos tantùm pubertati, maſculos ſcilicet, poſt decimum annum cum dimidio, & fœminas poſt nonum, & alterum dimidium legibus, & conſtitutionibus ſolummodò teneri alij docent. 3.

Prima opinio ſecurior videtur. 4.

Si iure aliquo, vel conſuetudine minor vtatur, nequaquam erit reſtituendus. 5. *&* 6.

Minores vigintiquinque annis contra leges, vel conſuetudinem delinquentes, beneficio reſtitutionis iuuantur. 6.

Conſuetudo licèt non afficiat perſonas minorum delinquentium, afficit tamen illorum bona. 7.

QVÆSTIO III.

Lege, ſtatuto, vel conſuetudine, vt quis teneatur?

1 QVidam putant poſt ſeptimū completum vtriuſque ſexus pueros tā legibus, quàm ſtatutis, & conſuetudinibus ligari, anteà verò nequaquam. Ex quibus ita docet Pedraza 3. *præcepto*, §. 14. *in fine*, Angles 1. *part. quæſt.* 6. *de ieiunio definit.* 6. Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 9. alter Sancius *in ſelectis diſputat.* 41. *num.* 31. & alijs relatis nouiſſimè Antonin. Dian. *reſolution. moral. part.* 3. *tractat.* 6. *Miſcellan. reſolutio.* 87. vbi abſolutè inquit, pueros cùm ad vſum rationis peruenerint, qui communiter intelligitur aduenire ſeptennio completo, obligari legibus, & præceptis Eccleſiæ.

Quorum ſententia illa validiſſima ratione ſuaderi poſſe mihi videtur, quia vt lex communis populi, vel Reipublicæ ſpōſio *l.* 1. *ff. de legibus*, tātùm eos qui ſunt Reipublicæ ligat, ita & conſuetudo, quæ populi quædam admiſſio, & obſeruantia cenſetur: vnde tam à maiori populi parte debere introduci iura teſtantur, vt refert Maſcard. *de probat. concluſ.* 423. *num.* 3. Cardoſus *in praxi verbo conſuetudo num.* 4. Rebell. *de obligat. inſtitut. lib.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 17. & Auguſt. Barboſ. plures referens *in collectanea ad text. in cap. fruſtra.* 7. *num.* 6. 8. *diſtinct.* & *in cap. fin. num.* 19. *de conſuetud.* illos ſolummodò conſtringere videtur, qui populi eſſe agnoſcuntur. 2
Cęterùm veluti autoritate Euangelicę hiſtoriæ obſeruat Petr. Bungus *de myſter. numer. num.* 5000. infantes ob eorum ſtultitiam & fatuitatem in populum minimè computantur: ergo nec conſuetudine tenebuntur.

3 Nihilominùs alij affirmant iura & conſuetudines, niſi proximos pubertati non comprehendere, maſculos ſcilicet, poſt decimum annum cum dimidio, & fœminas poſt nonum & alterius dimidiū. Huius ſententiæ extitere Anton. Gom. 3. *variar. cap.* 1. *n.* 57. *& ſeqq.* & eo relato Azeuedus *in l.* 2. *num.* 8. *tit.* 1. *lib.* 2. *Recopilat.* cùm apertè docent, quòd etiam minoribus viginti & quinque annis, maioribus tamen decem & dimidio, ſi maſculi ſint, & nono cum altero dimidio ſi fœminæ (ita enim legendum eſt, non vero duodecim, vt vulgò Codices malè habent) iuris ignorantia nocet, argumento *l. penultim. & final. tit.* 1. *part.* 1. *& l.* 9. *tit.* 1. *part.* 7. eandem ſententiam tenere videntur Diuus Antonin. *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 7. §. 2. vbi aſſerit præcepto confeſſionis, vt & alijs legibus Eccleſiaſticis teneri pueros, vſque ad decimum & dimidium annum, & aliquantulum vltrà.

4 Vtra autem harum opinionum ſit verior? non erit facile definire. Mihi tamen prima ſecurior videtur, quoniam frequēter, vt Diana *dict. loco* aduertit, & nos ſuprâ hoc ipſo anno & præcedenti latè probauimus, hac ætate vſus rationis hominibus accedit, quo exiſtente eos legibus & conſuetudinibus ligari certum eſt. Nam tunc homines tales eſſe, vt alibi notauimus, & inter populares perſonas connumerari incipere, poſt Sancium *in*

ſelectis vbi ſuprà reſoluit nouiſſimè Diana 1. *part. tractat.*9. *reſolut.*42. dicens quòd cùm paruuli ante expletum ſeptennium non ligentur legibus, à fortiori nec cõſuetudine, quæ eſt lex non ſcripta, debent ligari, etiam ſubdit, ſi ante ſeptẽnium puer doli capax ſit, vt meritò voluit Sancius *ibidem*, cùm leges poſitiui iuris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri eſt ſolitum, non intendant obligare, & per accidens in vno, vel alio puero rationis vſus acceleretur.

5 Poſt hanc verò ſeptimi anni ætatem octauique ingreſſum tam maſculus, quàm fœmina, licèt quinto & vigeſimo anno minores omnibus & quibuſcumque legibus, ſtatutis vel conſuetudinibus adſtringuntur, *l. ſi ſine.* 32. §. *Lucius, ff. de adminiſtrat. tutor.* ex quo ita concludit Azeued. *dict. l.* 2 *num.* 23. inde inferens quòd ſi iure aliquo, aut conſuetudine minor vtatur, non erit reſtitutionis beneficio in integrum ei ſubueniendum, prout cõmunem opinionem teſtatur Oroſcius *in l. omnes populi num.*94. *ff. de iuſtit. & iure*, & *in l. de quibus num.*118. *ff. de legibus* docet etiam Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo læſis, num.*87. *ad finem, C. de in integr. reſtit. minor.*

6 Quibus non repugnare inquit, quod tradunt Anton. Gomez *dict. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 61. & Auiles *in cap.* 52. *Prætor num.*9. ſcilicet minores viginti & quinque annorum non ligari conſuetudinibus, neque ſtatutis municipalibus, aut eorum pœnis, ſi contra ea fecerint & deliquerint, ſed potiùs reſtituẽdos in integrum, vt liberentur in totum. Nam dicta communis opinio Oroſci loquitur & procedit, cùm minor operatur ſecundùm conſuetudinem, & ius municipale: quo caſu cùm faciat quod quilibet cordatus pater familias efficeret, non poſſet dici læſus, ac per conſequens, nec reſtitutione dignus. At traditum per Gomeſium & Auiles non niſi tunc locum habet, vt ipſi teſtantur, cùm minor contra ius municipale, vel conſuetudinarium facit, aut delinquit. Tunc enim niſi oſtendatur quod doloſè & malitioſè contra illud fecerit, cùm in dubio dolus non præſumatur, Gloſſa *in l. vbi exigitur, ff. de edendo*, meritò debet reſtitui, maximè ſi minoris ignorantia allegetur, vt pluries allegaſſe & obtinuiſ-
7 ſe idem Azeuedus teſtatur, vbi & *num.*26. verumtamen eſſe ſubijcit, quòd licèt conſuetudo, vel ſtatutum non afficiat perſonas minorum ſicut maiorum, res tamen eorum quẽadmodum & maiorum ligant, ſecundùm Tiraquel. *de retractu lignag.* §. 1. *gloſſ.* 13. *num.* 13.

(***)

SVMMARIVM.

Illegitimus cuiuſcumque ætatis, etiam in vtero exiſtẽs, per ſubſequens matrimonium legitimatur. 1.

Princeps abſque diſtinctione ætatis quemcumque poteſt legitimare. 2.

Facultas legitimandi infantes, quamuis ſit ex Regalibus, delegabilis eſt. 3.

Ex vi generalis mandati, vel commiſſionis ad legitimandum, an quis poſſit etiam infantes legitimare? 4.

Poſſe qui ſimplicem facultatem obtinuit legitimandi, infantis legitimationem expedire, multi defendunt. 5.

Legitimatio commodum affert legitimato. 6.

Vbi de vtilitate infantis agitur, eius conſenſus præſumitur. ibidem.

Non licere infantis legitimationem ei, qui ſimplicem tantùm facultatem legitimandi habuit, innumeris placet. 7. *Quod ſequimur.* 11.

Legitimatio, legitimati conſenſum requirit. 8.

Infans conſenſu caret. ibidem.

Validum eſt argumentum de emancipatione ad legitimationem. 9.

Sine ſpeciali mandato Comes Palatinus, vel quiuis alius, mentecaptos nequit legitimare. 10.

Infans furioſis, & mentecaptis æquiparatur. ibidem.

Priuilegium habens legitimandi cum plena & libera facultate, etiam infantes legitimat. 11.

Verbum Plenè *importat liberam, & abſolutam poteſtatem. ibidem.*

Facultas legitimandi cum omnimoda poteſtate, vel cum clauſula, vt delegatus ea omnia, quæ ipſe Princeps efficere poſſit, vtpote ipſius loco ſubſtitutus, an importet infantis legitimationem? 12.

Dictio omnimodè *eſt vniuerſalis & geminata, ea omnia ſubſe comprehendens, quæ non veniunt in generalitate verborum. ibidem.*

Clauſula omnes & quoſcumque ſpurios, *etiã infantes complectitur, qui ex non improbatiſſima coniunctione fuerunt ſuſcepti.* 13.

Infans ex nimis odioſo coitu habitus, Principis reſcripto poterit legitimari abſque ipſius ratihabitione. 14.

Habens ſimplicem facultatem legitimandi, ſolùm in octauum annum agentes ſua iuriſdictione vti poterit. 15.

Legitimatio infantis à non habente ſpeciale mandatum irritè facta, an ratificatione ipſius, iam legitimæ ætatis conualeſcat? 16. 17. & 18.

Pri-

Priuatorum conſenſu non datur iuriſdictio. 17.

Quod nullum eſt, ratihabitionem non admittit. 18.

QVÆSTIO IIII.

An quauis ætate poſsit nothus, vel ſpurius legitimari?

1 NOn admodum difficilè fuiſſet hanc quæſtionem digerere, ſi de legitimatione nobis eſſet diſputatio, quæ ex ſubſequenti parentum coniugio obuenit. Nam hoc caſu, ſiue in vtero exiſtat illegitimus filius, ſiue infans, vel cuiuſuis minoris ætatis ſit, beneficio ſequentis matrimonij proculdubio legitimitatem ſortietur, vt pro conſtanti argumento textus *in l. iubemus. 5.* poſterioribus verbis, *C. de emancipat. liber.* ſupponit nouiſſimè Did. Ic. Yañez Faxardo *tractatu de legitimatione per ſubſequens matrimonium membro 2. num. 137.*

2 Vel ſi de ea legitimationis ſpecie ageremus, quæ à Principe impetratur, cuius ita longè poteſtas patet, vt cuiuſcumque ætatis pueros, etiam infantes ſuo reſcripto poſſit legitimitati reſtituere: ſic veluti planum defendunt latiſſimè Iaſon *conſil. 125.* incipienti: *Pondus præſentis controuerſiæ num. 12. & ſequentibus volum. 3.* Anton. Gabriel *lib. 6. commun. opinio. titulo de legitimatione concl. 5. num. 1.* vbi innumeros adducens hanc communem opinionem clamitat Ioan. Cephal. *conſil. 66.* cuius initium, *Plura ſunt quæſita, ipſo in limine volum. 1.* Tiraquel. *de nobilitate cap. 6. num. 28. & 29.* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap. 3. num. 19. & 20.* Tiber. Decian. *reſponſ. 91. num. 5. volum. 2.* noſter Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap. 16. num. 58. & ſequentibus,*

3 quam poteſtatem legitimandi infantes Principem committere, concedere, & delegare poſſe, etiamſi de regalibus ſit, vt ex multis reſoluit Menochius *conſil. 19. num. 11. volum. 1.* intrepidè affirmant Paul. Pariſius *conſil. 3. iſta legitimatio* incipienti *num. 22. volum. 2.* & iterum *conſil. 15. circa præſentem conſultationem num. 53. eodem volumine,* Anton. de Roſel. *tractatu de legitimatione num. 4.* Bartol. Bald. Angel. *in l. inuiti, ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris,* Franciſc. Curt. *conſil. 19. & 64. circa principium,* Iaſon *conſil. 125. verſic. in prima quæſtione lib. 4.* Tiraquel. Ioan. Cephal. & Perez de Lara *omnes vbi proximè,* Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. litera L. concluſ. 225. num. 16. & 26.* vbi eſſe communem ſententiam dicit.

Cæterùm quia in nulla harum locum noſtra inueſtigatio obtinet, ex quo id tantùm diſputare præfigimus, vtrùm infans cuiuſcumque ætatis, licèt exiguæ, poſſit legitimari ab eo, qui non habet ad id ſpeciale mandatum? & ſic, an qui habet facultatem legitimandi ſpurios quacumque labe infectos poſſit eos legitimare, tametſi infantes ſint? fateri vel ex eo ſolùm oportebit, quòd in ea conſtituenda miſerè contrariantur Interpretes, huius quæſtionis definitionem dubiam, & ancipitem eſſe. 4

Plurimi ſtrenuosè contendunt infantem, ac per conſequens cuiuſcumque ætatis puerum à Comite Palatino, vel ab alio habente ſimplicem legitimandi poteſtatem, qua nihil de infante expreſſum ſit, iuſtè legitimari poſſe, ex quorum agmine ſunt Bald. *conſil. 204. ſuper primo articulo quo quæritur, volumine 1. & in conſil. 105.* cuius principium, *primò eſt videndum, de legitimatione volumine 5.* & rurſus *conſil. 118.* quod exorditur, *quidam vxoratus nomine, eodem volumine* Paul. Caſtrenſ. *conſilio 41. viſo teſtamento paulò poſt principium volumine 2.* Florian de S. Petro *in diſputatione* cuius primum verbum *Baro. dubio 3. in fine,* Andr. Barbat. *conſilio 34. præclarè volumine 2.* Philip. Corn. *conſilio 177. volumine 1.* Philippus Decius *conſilio 55. num. 5. & 6. & conſil. 567.* Raphael Fulgoſ. *conſilio 83. & in conſilio 16. caſus talis eſt A. deceſſit num.* —— Iaſon *conſil. 125. pondus præſentis controuerſiæ, ex numero 14. volumine 4. & in conſilio 156. numero 12. eodem volumine.* Marian. Socin. Iunior *conſilio 97. num. 21. cum ſequentibus, volumine 2.* vbi dicit communem, *& in conſilio 154. numero* —— *eodem volumine,* & hanc eſſe magis communem ſententiam firmat Laurent. Kirchou. *in ſuis communibus opinionibus centuria 3. concluſione 23. legitimatio,* Roland. à Valle *conſilio 61. multiplici ex capite numero 33. cum præcedentibus & ſequentibus, volumine 1.* appellat communem Padilla *in l. eamque, C. de fideicommiſ. numero 11.* idemque obteſtatur Paul. Pariſ. *conſilio 15. circa præſentem conſultationem numero 53. volumine 2.* Bartol. *in dict. l. iubemus, & in l. fin. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris,* Præpoſitus *in cap. per venerabilem, columna fin. verſic. Conſequenter quæritur, qui filij ſint legitimi,* Ioan. Cephal. *conſilio 66. plura ſunt quæſita numero 5. volumine 1.* Carolus Ruinus *in l. 1. §. nuntiatio numero 52. ff. de noui* 5

noui operis nuntiat. refert Tuſchus *vbi ſuprà num.* 27.

6 Et mouentur ea vrgentiſſima ratione, quia legitimatio affert commodum & honorem legitimato, vt ex eo patet, quòd ex inhabili, & incapace habilem & capacem ad honores, & ſucceſſiones legitimatum reddit. At vbi de ſimili commodo, & vtilitate infantis agitur, eius conſenſus præſumitur, & ſupponitur *l. ſi infanti.* 18. *C. de iure delib.* ergo cùm nulla alia ratione, vt poſtmodum dicemus, infantis legitimatio Comiti Palatino, & habentibus ſimilem poteſtatem denegetur, niſi quia ei aſſentire non poteſt infans, cuius nullus, aut exiguus conſenſus eſt. *l.* 1. *C. de falſa moneta*, hanc non refragari ex prænotatis luculenter conuincitur.

7 Verumenimverò huius argumentationis vis tanti apud innumeros iuris noſtri profeſſores, & primæ claſſis Interpretes non fuit, vt à defenſione contrariæ ſententiæ, quam meritò veriorem arbitrantur, deſiſterēt, imò non obſtante pro ea acerrimè pugnant, vt Angel. & Bald. *in l. fin qui ſunt ſui vel alien. iuris*, & *in l. iubemus, C. de emancipat. liber.* ibidemque Raphael Fulgoſ. idem Angelus *in ſua diſputatione* incipienti, *Nobilis quidam genere.* Anton. de Roſella *de legitimatione* 2. *part. in rubrica de cauſa materiali legitimationis num.* 6. *verſic. Iuxta hos quæro infans*, Martin. Laudenſ. *in ſua diſputatione*, quę incipit *Augerius Seio, in verſic. Quæro an baſtardus infans poſſit legitimari*, Alexand. *in cap. per venerabilem*, §. *quod autem, verſic. Non inconuenienter quæritur, qui filij ſint legitimi.* Franciſc. Curt. Senior *in conſil.* 19. *viſo priuilegio ſereniſſimi, in primo dubio*, & latius *in conſilio* 56. & 64. vbi dicit hanc eſſe communem opinionem, Bartol. Socin. *conſilio* 296. incipienti, *In cauſa quæ filios, verſic. Poſtremò, volumine* 2. Iaſon *in l. eamque, C. de fideicommiſ. numero* 8. & 9. & *conſilio* 184. *in* 2. *volumine*, & *conſilio* 40. *volumine* 3. Franciſcus Curtius Iunior *conſilio* 32. Carolus Ruinus *conſilio* 72. *numero* 11. & 12. *volumine* 3. & *in conſilio* 100. *eodem volumine*, & anteà *conſilio* 90. *volumine* 1. hancque eſſe magis communem opinionem firmat Anton. Gabriel *libro* 6. *commun. opinio. titulo de legitimat. concluſione* 5. *num.* 2. & iterum *numero* 5. Philip. Portius *libro* 1. *concluſ. & regular. concluſ.* 25. Paul. Pariſ. *in conſil.* 3. *iſta legitimatio. numero* 22. *volumine* 2. & *in conſilio* 8. *aſſertum fideicommiſſum, numero* 17. *eodem volumine*, Aſcanius Clement. *in tractat. de patria poteſtate capit.* 6. *effectu* 15. *num.* 8. *fol.* 152. in paruis, Auguſtin. Berous *conſ.* 195. cuius priora verba: *Rem arduam aggredior, num.* 1. *cum pluribus ſequentibus volum.* 2. vbi ſæpè teſtatur hanc eſſe communem opinionem, & in *conſil.* 176. *num.* 21. *eodem volum.* & *conſil.* 172. *etſi nunc vt dicitur, num.* 19. *eodem volum.* Ludouic. Rom. *conſil.* 194. *in propoſita conſultatione num.* 9. & ibi latiſſimè Horat. Mandoſ. *in additio. verbo ratificatio*, quo loco hanc veriorem dicit & magis communem, cui & aſſentitur alter Mandoſius *de ætate min. cap.* 3. *n.* 20. Cardin. Tuſch. *loco vbi ſuprà num.* 29. Tiber. Decian. *reſponſ.* 91. *num.* 5. *volum.* 2. vbi plures iſtius ſententiæ adducit, & *reſponſo* 2. *num.* 144 *volum.* 3. Iacob. Menoch. *conſil.* 19. *n.* 1. *lib.* 1. vbi innumeros congerit.

8 Pro quibus faciunt ſequentia. Primum, quòd legitimatio neceſſariò requirit legitimati conſenſum, §. *generaliter in authentic. quibus mod. naturales efficiant. ſui*, ea vtique ratione, quam eleganter expreſſit Menoch. *dict. conſil.* 19. *num.* 2. ergo cùm infans eum præſtare non poſſit, quia eo caret, *l.* 5. *C. de iure deliber. l.* 1. *de verbor. obligat. l. quamuis*, §. *infans, de acquir. poſſeſ.* & quidquid videt ignorat, *d. l.* 1. *in fin. C. de falſa moneta*, niſi ab ipſo Principe, qui ipſius conſenſum ſupplere poteſt, vel ab alio, cui id expreſsè commiſſum ſit, legitimari nequaquam poterit.

9 Secùndum, quia validum eſt argumentum de emancipatione ad legitimationem, vt tenet communis opinio, quam refert Kirchou. *centur.* 3. *concl.* 23. & penè omnes ſuprâ relati confirmant: ſed infantis emancipatio quia conſenſu caret, citra Principis reſcriptum fieri non poteſt, *l. iubemus.* 5. *poſterioribus verbis, C. de emancipat. liber.* ergo nec ipſius legitimatio aliter perficietur.

10 Tertium, nam poteſtas legitimandi mentecaptos ſolùm competit Cæſari, nec illam habent Comites Palatini, niſi ſpecialiter illis à Principe indulgeatur, veluti erudite ſatis profert Angelus *in diſputatione* incipienti, *Nobilis quidam*, quem ad hoc refert Iaſon *conſ.* 125. *pondus præſentis controuerſiæ num.* 14. *volum.* 4. Igitur ſimiliter nec poteſtatem obtinebunt legitimandi infantes, quorum inſcitia furioſis & mentecaptis illos æquales reddit. *l. ſed etſi.* 5. §. & *ideò quærimus, ad leg. Aquiliam, l.* 60. *de reivendicat. l.* 7. *C. ad* Trebellian. *l.* 2. *C. de annali except.* §. 10. *inſtit. de inutilib. ſtipulation.*

11 Nos verò in hoc opinionū cōflictu, vtriuſque ſententiæ perpēſis rationibus, iſtā poſteriorē negatiuā libenter amplectimur, vt præpotentioribus fundamētis munitā, ſed nō ita abſolutè, quin aliquibus caſibus illā deficere fateamur, vt puta vbi priuilegiū legitimandi cū plena & abſoluta poteſtate fuit cōceſſum.

Tunc

Tunc enim Comes Palatinus, aut quilibet alius cum eiuſmodi libera facultate priuilegium obtinens, etiam infantem legitimare vtiliter poterit, teſtante hoc expreſſe Iaſone *dict. conſ.* 125. *Pondus præſentis n.* 15. *vol.* 4. & Menochio *conſ.* 19. *num.* 12. *lib.* 1. vbi latè, eo videlicet, quòd verbum *plenè* importat liberam, & abſolutam poteſtatem, iuxta deciſionem *cap. præterea*, vbi communiter Expoſitores, *de offic. delegat.* & notatur *in l. ſi procurator. C. de procurator.* & *in l. procurator cum libera, ff. eod. titul.* Octau. Vulpel. *tractat. de præpoſ. & aduerb. dictione plenè*, Auguſt. Barboſ. *de dictionibus, eadem dictione, num.* 2.

12 Idem erit, etſi priuilegium indultum fuerit cum omnimoda poteſtate, ſiquidem huic verbo tantam vim ineſſe ſcribit idem Iaſon *vbi ſuprà num.* 15. vt legitimandi etiam infantes facultas eo tributa eſſe videatur. Et meritò, quia dictio *omnimodè* eſt vniuerſalis, & geminata, & comprehendit item ea, quæ non veniunt in generalitate verborum, Gloſſa notabilis *in Clementina* 1. *verbo Omnimodam, de foro competenti.* Quam reputat ſingularem Panormitan. *in cap. conqueſtus, eodem titulo.* Anton. *in cap. ſuper quæſtionem, de offic. delegati*, Angelus *in l. Imperium de iuriſ. omn. iudic.* cum concordantibus adductis per eundem Iaſonem *in dict. l. Imperium*, Vulpel. *vbi ſuprà dictione omnimodo, num.* 2. & Auguſtin. Barboſ. *ibidem.* Non aliter ac ſi in priuilegio ſcriptum fuiſſet, vt in legitimationibus Comes facere poſſet quæ ipſe Princeps potuiſſet; vel ſi diceretur, quòd ipſum Comitem Princeps ſuo loco ſubrogabat, & conſtituebat, vt hæc omnia latè probat Menoch. *d. conſ.* 19. *n.* 13. *&* 14. *lib.* 1.

13 Et denique infantis legitimatio validè ab eo fiet, in cuius facultate adfuerit clauſula omnes, & quoſcumque ſpurios legitimandi. Nam ex vi horum verborum, etiam infantium legitimationes permiſſæ videntur, ita Bald. *conſ.* 204. *ſuper primo articulo, quo quæritur volum.* 2. *in nouiſ.* Iaſon *d. conſ.* 125. *num.* 15. *& conſ.* 156. *volum.* 4. Barthol. Socin. *in l. quidam relegatus in* 5. *concluſ. ff. de rebus dubijs, & conſ.* 3. *volum.* 3. Paul. Pariſius *conſ.* 15. *circa præſentem conſultationem, num.* 53. *volum.* 3. vbi atteſtatur hanc eſſe cōmunem opinionem Carol. Ruin. *conſ.* 149. *vol.* 2. *& in conſ.* 72. *vol.* 3. repetitque *conſ.* 100. *eodem volumine*, Philip. Decius *conſ.* 55. *verſ. Primo ergo non obſtat*, & *conſ.* 316. vbi dicit cōmunem Ludouic. Gozadin. *conſ.* 6. *n.* 45. Marian. Socinus Iunior *conſ.* 92. *n.* 22. *vol.* 2. & hanc reſoluit communem opinionem Antōn. Gabr. *lib.* 6. *commun. opin. titulo de legitimatione, concluſ.* 5. *num.* 6. Auguſt. Beroi. *conſ.* 172. *& ſi nunc vt dicitur num.* 19. *vol.* 2. vbi refert Alexan. *in quodam conſilio typis nō dato.* Et iſtam eſſe communem opinionem fatetur ſæpe idem Beroi. *conſ.* 175. *rem arduam num.* 2. *cum pluribus ſequentibus, eodem volum.* 2. licèt ibi non teneat, ſed plures caſus diſtinguat, Burſat. *conſ.* 76. *num.* 6. *volum.* 1. vbi latiſsimè Paul. Caſtrenſ. *conſ.* 227. *viſo teſtamento.* Andr. Barbac. *conſ.* 34. *volum.* 2. Ioan. Cephal. *conſ.* 66. *plura ſunt quæſita num.* 4. *volum.* 1. Cardin. Tuſch. *dict. concluſ.* 225. *numer.* 29. Quæ vtique ſententia tenenda erit, licèt de ea dubitauerit Carol. Ruinus *in d. l.* 1. *§. nuntiatio num.* 52. *ff. de noui operis nuntiat.* Eſt enim tutiſsima, & tantùm in vno caſu limitanda cum Baldo *in l. eam quam, C. de fideicommiſ. q.* 9. & Auguſt. Beroi. *conſ.* 172. *& ſi nunc vt dicitur, num.* 29. *vol.* 2. Tiber. Decian. *reſponſ.* 2. *num.* 144. *volum.* 3. ſcilicet in infante nato ex coitu nimis odioſo, & nefando. Nam tunc dicta generalitas, vel
alia quamuis latiſsima, non ſufficeret ad ip- 14
ſius legitimationē, ſed expreſſa facultas exigeretur, quæ ſi interuenerit, conſiſtit legitimatio, ita vt ratihabitione infantis maiori ætate non indigeat, vt falsò, & abſque vlla ratione dixit Tiber. Decian. *d. reſponſ.* 91. *n.* 5. *verſ. Quibus, vol.* 2. quia vt ipſe latiùs *reſponſ.* 2. *n.* 144. *vol.* 3. ſufficiet, ſi maior factus infans non contradicat.

Extra hos verò caſus Comes Palatinus, 15
aut quilibet alius priuilegiatus ex ſimplici legitimandi facultate, quam obtinet, niſi ſeptennio maiorem & octauum annum ingreſſum, maſculum, aut fœminam, legitimationis honore afficere non poterit, & ſi legitimauerit, irrita, & nullius roboris erit legitimatio.

Sed vtrùm hoc caſu, quando infans legiti- 16
matur à non habente ſpecialem facultatem, ipſius infantis ratificatione, maiori ætate interpoſita, legitimationis actus conualeſcat? apud noſtros ſolet cōtrouerti. Sūt enim qui affirment, & qui negent non deſunt. Affirmatiuam partem tuentur Ludou. Roman. *conſ.* 194. *in propoſita conſultatione n.* 9. vbi notat Horat. Mandoſius *verbo Ratificatio.* Ferdin. Valq. Menchac. *de ſucceſsion. creation. lib.* 3. *§.* 21. *n.* 154. *in fin.* vbi dicit, quòd ex eo quòd ipſe infans ratificat; definit eſſe legitimatio iniqua; quæ aliàs iniqua erat, ſi ſine eius volūtate effectum habuiſſet. Adducitque in comprobationē argumētum *l. fin. C. de pactis, cum vulgaribus*; quam opinionē veram putat Ruinus *conſ.* 90. *ſuper his n.* 3.

vol. 3. ex Romano *vbi ſuprà*, ſi cum autoritate tutoris fiat ratificatio, quibus adhæret Tiber. Decian. *dict. reſponſ. 9 1. num. 7. vol. 2.* quamuis hoc contradicere videantur qui tenent ſuficere eiuſmodi ratihabitionem tacitam, & præſumptam eſſe, ex eo ſcilicet deſumptam, quòd infans maior effectus non reclamauerit: ita Ioann. Oroſcius *in l. i nadoptionibus num. 3. ff. de adoptio.* quem refert Padilla *in l. eam quam num. 12. C. de fideicom.* aſſerens quòd optime conſultum erit, ſi legitimatus expreſſe legitimationem ratam habeat, & de ea conſeruet inſtrumentum, Philip. Decius *conſ. 316.* Alex. de Imol. *conſ. 127. viſo inſtrumento in principio, vol. 5. & conſ. 11. vol. 11.* pro quibus facit *l. Paulus, ff. rem ratam haberi.*

17 Negatiuam verò partem enixè defendit Auguſt. Beroi. *conſ. 175. rem arduam aggredior num. 7. cum ſequentibus, vol. 2.* & Tiber. Decian. *vbi ſuprà num. 6.* ea vtique vrgentiſsima ratione, quia infantis legitimatio, ita inutiliter confecta, claudicat ex defectu poteſtatis, & ideò per ratificationem ſubſecutam non poteſt validari, nam priuatorum conſenſu non datur iuriſdictio, *l. priuatorũ, C. de iuriſdict. omnium iudic.* cum vulgaribus. Deinde, quia id, quod nullum eſt, rati-
18 habitione inſtaurari non poteſt, præſertim quando nullum fuit ex defectu iuriſdictionis iuxta doctrinam Speculatoris *in titul. de officio delegati, §. vltim. verſ. Quod ſi commiſerit,* notant Bartol. & reliqui *in l. obſeruare, ff. de officio Proconſul.* & alij adducti per Beroi. *loco allegato*, quibus rationibus hanc opinionem veriorem, & ſequendam reor.

19 Nec pedem retrahit, quod in ſacro Rotæ auditorio deciſum fuiſſe in quibuſdam deciſionibus manu exaratis, & nũquam prælo traditis refert Horatius Mandoſius *in dict. additionibus ad Ludou. Romanum, conſil. 194. eodem verbo Ratificatio*, ſcilicet non obſtare, vt ratificari poſsit infantis legitimatio, quòd ſtante defectu poteſtatis non debet pendere à ratificatione. Quia ſi recte Doctores inſpiciãtur, qui requirunt expreſſe in reſcripto dictam poteſtatem, loquuntur ad effectum legitimandi infantem inuitum, ſecundùm terminos *dict. l. iuuemus.* Quantum autem ad legitimandum ſimpliciter, vt poſtmodum ratificare poſsit, nihil obſtat, & adeò irrationabile eſſet, infantem prægrauare, vt verba ſunt Rotæ. Quia præterquàm quòd huius deciſionis nulla autoritas eſt, & quòd in ea nulla redditur ratio, quare ſuperius opinionis noſtræ fundamentum non obſtet ratificationi faciẽdæ, etiam eo caſu, quo non inuitus, ſed non conſentiens infans fuerit legitimatus à Comite Palatino, & reliquis dicendum erit, minimè verum eſſe, quod in dict. deciſione aſſeritur, videlicet, omnes Doctores exigentes ſpecialem iuriſdictionem ad legitimationem infantis, loqui in legitimatione inuiti infantis, non verò in ſimplici ipſius legitimatione; ſiquidem, vt ſuprà monuimus adſtruendo prædictam ſententiam, ferè omnes qui eam veluti certiorem ſequuntur, illo nituntur fundamento, quòd infans conſenſum legitimationi neceſſarium propter ætatis defectum præſtare non poteſt: ergo non loquuntur Interpretes, quibus hoc potiſsimum opinionis ſuæ fulcrum eſt, de legitimatione inuiti infantis peragenda (inuitus enim dici non poteſt qui prorſus voluntate caret, argumento *l. eius eſt nolle, de regul. iuris.*) ſed imò de ſimplici infantis natalium reſtitutione, alioqui parum vrgeret fundamentum ipſorum.

SVMMARIVM.

Saeriſta, Theſaurarius, & Cimiliarcha, non plurium officialium nomina ſunt, ſed vnius, eiuſdemque diuerſæ appellationes. 1.

Sacriſtæ officium deſcribitur. 2.

Sacriſta, cuſtos etiam dicitur rerum Eccleſiæ. 3.

Pueros octauum annum iam agentes ſacriſtas effici poſſe, multis oſtenditur. 4.

Cura ſacrorum apud Gentiles pueris committebatur. ibidem.

Luminarium ſolicitudo ad ſacriſtam ſpectat. 5.

In lege veteri munus curandi fouendique ignem, pueris demandabatur, ibidem.

Diſcretio in ſacriſta requiritur. 6.

Anno ætatis octauo diſcretio incipit, ibidem.

Sacriſta vnde dicatur? 7.

Aſsiſtentia non datur in pueris ante lapſum ſeptennium. 8.

Dignitas Theſaurarij, ſiue in Cathedrali, ſiue in Collegiata Eccleſia, non poteſt niſi ab habentibus vigeſimum & ſecundum annum obtineri. 9.

Contrariæ opiniones circa ſacriſtæ neceſſariam ætatem conciliantur. 10.

Qui erudiendis pueris operam dat, an extra pueritiam eſſe debeat? 11.

Impuberes, Artifices, & Magiſtri eſſe poſſunt, ibidem.

QV

QVÆSTIO V.

Officio Sacriſtæ, Theſaurarij, vel Cimiliarchæ, & Magiſtri puerorum, quæ ætas ſufficiat?

1 SAcriſta, Theſaurarius, & Cimiliarcha, non plurium officialium nomina ſunt, ſed vnius eiuſdemque miniſterij diuerſæ appellationes, vt probatur *ex cap. perlectis* 1. *in fine* 25. *diſtin. & ex cap. vnico de officio ſacriſtæ*, vbi notant omnes, quibus conſentit Petr. Gregorius *ſyntagm. iuris vniuerſ. lib.* 15. *cap.* 39. *num.* 3. *& ſequentibus*, Anaſtaſ. Germon. *in Paratitlis ad* 5. *libros Decretal. lib.* 1. *tit.* 26. *de officio ſacriſtæ*, Fuſcus *de viſitat. lib.* 1. *cap.* 13 *numer.* 1. Altamiran. *eodem tractatu verbo à Metropolitano vero, num.* 34. Auguſtin. Barboſ. *in collectan. ad titulos de officio ſacriſtæ, & de officio cuſtodis, cap.* 2. *num.* 5. quamuis contrarium deinde docuerit, vt infra dicemus, Bartholom. Cartagena *in expoſitione titulorum, dict. titul.* 26. vbi hac de cauſa ſacriſtæ officium ita definit, vel po-
2 tiùs deſcribit: Eſt ergo ſacriſta Theſaurarius, ſiue cimiliarcha (vt vocatur *in l. fin. §. fin. C. de bonis author. iudic. poſsid.*) ille, qui in Eccleſia habet curam, & cuſtodiam ſacrorum vaſorum, & veſtimentorum Eccleſiaſticorum, & totius theſauri Eccleſiaſtici, necnon eorum quæ ad luminaria pertinent, ſiue in cera, ſiue in oleo conſiſtant. Conducit *l.* 6. *tit.* 6. *part.* 1. & ibidem notatum à Gloſ-
3 ſographis Gregorio Lupo, & Montaluo. Ex qua vti & ex ſuperioribus infero, eſſe ſacriſtam etiam cuſtodem ſacrorum, itaque in iure cognominari, velut ſatis oſtenditur ex poſterioribus verbis, *dict. l.* 6. quæ ita habentur: *e Sacriſtan en Latin, tanto quier dezir en Romance, como ome que es pueſto a guardar las coſas ſagradas.* Nec his repugnat quod diuerſis titulis Decretalium, vt de officio ſacriſtæ, & de officio cuſtodis, hæc munera pertractentur, veluti ſentit etiam Filiucius *de benefic. Eccleſiaſt. cap.* 1. *num.* 23. ſiquidē hoc inde non prouenit, quòd vtriuſque munus idem non ſit, ſed potiùs quia aliquando accidit, vt à diuerſis perſonis exerceantur delegante ſacriſta cuſtodiendi curā, quam ex officio habet. Vnde ſacriſtæ miniſter cuſtos appellatur, vt docet Gloſſa *rubricæ d. tit. de officio cuſtodis*, Petr. Greg. vbi proximè *n.* 7. & Cartagena *in expoſitione eiuſdem tituli in principio*, etſi contrarium minùs benè placuerit Auguſtino Barboſa *tract. de Canon. c.* 8. *num.* 8. qui inter hæc officia olim maximum fuiſſe diſcrimen contendit, quamuis hodie ex conſuetudine vnum idemque officium eſſe affirmet, iuxta quām eſſe intelligendum admonet textum *in cap.* 2. *de officio cuſtodis*, cuius fine, cuſtodis appellatione ſacriſtam comprehendere videtur. Quod, quàm merum figmentum ſit, nemo eſt qui non videat.

D. Didac. de Narbona.

Hoc præcognito dicendum videtur, octauum ſaltim annum agentem, veluti ſufficientis ætatis ſacriſtam delegi rectè poſſe, vtpote ex ſequentibus non malè conijcietur. 4
Primò, quia apud Ethnicos, & Gentiles ſimilis cura, & ſolicitudo cuſtodiendi ſacra, Deoſque, pueris cōmiſſam legimus, referente Suetonio *in Domitiano cap.* 7. his verbis: *Puer curæ larium cubiculi, ex conſuetudine aſsiſtens, interfuit cædi.* Cui conſentit doctiſſimus D. Laurentius Ramirez de Prado *lib.* 1. *Martialis epigram.* 43. notiſsimū eſt enim pueritiam ab ipſo octauo anno incipere, extuncque pueros dici, vt multis ſuo loco oſtēdimus, & probat Paul. Zachias *quæſtio. medico legali lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 11.

Secundò, nam ſacriſta is eſt, cui luminarium cura inter alias incumbit, *dict. cap.* 5
vnico de officio ſacriſtæ, ibi: *Necnon quæ ad luminaria pertinent, ſiue in cera, ſiue in oleo, dict. cap.* 1. *de officio cuſtodis*, vbi ita cauetur: *Lampades, & laternas in accendendo, ſeu extinguendo peruigil exiſtat, cap.* 2. *eiuſdem tituli.* A quibus non diſſentit ius patrium in *dict. l.* 6. illa periodo: *E el deue componer los Altares, è tener la Igleſia limpia, è apueſta, e abundante de incienſo, è de candelas, è de las otras luminarias que ſon meneſter.* At verò in lege veteri hoc munus curandi, fouendique ignem, quod in templo Sacerdos Heli obtinebat, Samueli poſteà puero peruigili traditum videtur 1. *Reg. cap.* 3. vt etiam recenſet Petr. Greg. *d. loco num.* 8.

Tertiò confirmatur, quoniam in hoc 6
miniſtro Eccleſiæ præter curam in cuſtodiendis rebus ſibi commiſsis, nil aliud requiritur, niſi diſcretio in accendendis, & extinguendis luminaribus, ne aut ſuper modum lucendo oleum depereat, aut minus lucendo obſcurior ſit Eccleſia. Quare, vt hæc omnia cum diſcretione agantur, quæ noſcitur omnium virtutum eſſe matrem *in dict. capit.* 1. *de officio cuſtodis* præcipitur. Diſcretio verò huius ætatis propria eſt, vt iam docuimus, & refert Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori capit.* 4. *num.* 1.

7 Quartò ipſa nominis etymologia hoc idem ſuadet. Nam ſacriſta dicitur à ſacer, ſacra, ſacrum, & ſto, ſtas, quaſi ſacris ſtans, vti aduertit Alphonſ. de Cartag. *in expoſitione dicti tituli de offic. ſacriſtæ.* Non ſolùm quia illis ſtat, & præeſt vt cuſtos, ſed quia diuinis officijs vt miniſter aſsiſtit, vnde in Synodalibus, quæ ad regimen omnium Eccleſiarum huius noſtri Archiepiſcopatus fuerunt à ſereniſsimo Hiſpaniarum Cardinali Infanti editæ, *titul. de offic. Sacriſtæ conſtitut.* 1. cauetur: *Que los ſacriſtanes que ſiruen las Igleſias, traigan lobas, ò ropas, quando adminiſtran en los oficios Ecle-*
8 *ſiaſticos.* Cæterùm aſsiſtentia hæc incipit dari poſſe in pueris ab hac ætate, argumento eorum, quæ tradit Auila *de cenſuris* 5. *p. diſput.* 5. *dub.* 5. & nos infrà *anno decimo cum dimidio* probabimus, nempe excludendos non eſſe minores ſeptennio ab Eccleſijs tempore interdicti, quia hac ætate nondum eos aſsiſtere poſſe diuinis officijs creditur.

9 Verùm, quamuis hæc ſtare pro pueris videantur, vt poſsint ad Sacriſtæ officium vocari, illud autem in contrarium maximè vrget, quòd ſacriſtæ, & theſaurij idem officium eſt, vt initio obſeruauimus. At theſaurarij munus, cùm dignitas ſit præſertim noſtris temporibus, vt per Abbatem *in cap. de multa, num.* 23. *verſ. Secus, de præbendis*, vbi Quintil. *num.* 89. Azor *inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *quæſt.* 14. & 15. *ante finem.* Auguſtin. Barboſ. *de Canonic. cap.* 8. *num.* 5. vbi id quamplurimis ſacræ Rotæ deciſionibus comprobat, ſiue in Cathedrali, ſiue in Collegiata Eccleſia, ex veriori ſententia, quam ſuo loco notabimus, ante ſecundum & vigeſimum ætatis annum à nemine obtineri licitè poteſt, iuxta Tridentini decretum *de reformation. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. faciunt tradita ab Auguſt. Barboſ. *vbi ſuprà c.* 13. *num.* 22. licèt *num.* 23. aliud de dignitatibus Eccleſiæ Collegiatæ ſentire videatur.

10 Sed pro harum opinionum conciliatione & concordia dicendum erit, in illis Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis, vbi Sacriſtę, vel theſaurarij officium adiūctam habet dignitatem, vel perſonatum, pręcipuumque locum in choro, & in ſuffragijs dicēdis, vt refert Azor *inſtitut. moral. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. Filiucius *vbi ſuprà num.* 23. ante vigeſimumſecū dum annum ex diſpoſitione Sancti Concilij Tridentini obtineri non poſſe. Secus verò in minoribus, inferioribuſque Eccleſijs, vt parochialibus in quibus, cùm theſaurij, ſiue ſacriſtæ nulla ſit dignitas, nihil obſtat quominus puer vſu rationis præditus, & ad officij munera obeunda idoneus ſacriſta eligatur, vt Compluti, cùm hæc ſcriberem, ita practicatum vidi à ſapientiſſimo, chariſsimoque fratre D. D. Ioanne Narbona illius Curiæ Archiepiſcopalis, tūc meritiſsimo Officiali, & Vicario Generali, nā cùm de conferenda cuiuſdam Parochialis ſacriſtia ageretur, concurrentibus nonnullis oppoſitoribus, vt digniori ei fuit collata, qui nondum puberes annos fuerat in-
greſſus. Et quanuis ab aduerſarijs de mino- 11
ri ætate contra prædictam nominationem exciperetur, maximè, quia indecens videbatur, vt qui ex ſynodali huius Archiepiſcopatus conſtitutione pueros erudire tenebatur, puer eſſet illis coætaneus, quem minimè timere, aut revereri poſſent. Quandoq; nulla alia ratione D. Hieron. *epiſt.* 89. *magiſter*, inquit, *probæ ætatis, & vitæ, eruditioniſque eligendus eſt*, & Alexan. ab Alex. *dierum genial. lib.* 2. *cap.* 25. *apud Thurios, & omnem fere Græciam*, refert, *lege cauebatur, vt pueris, cùm primum adoleſcerent, magiſtros ſtudiorum doctos ætate, & vſu, in primo tyrocinio, publica impenſa præficerent.* Fuit tamen dictum, exceptionem minimè obſtare. Tum quia inuſitatum nō eſt impuberes magiſtros & artifices eſſe, *l. vt iuris iurandi* 7. *§. dabitur, de oper. libertor l. fin. de liber. cauſa.* Tum etiam, quia, vt honoretur à pueris, ipſum magiſtri nomen ſufficit, cui id à natura inditum eſt, vt pueris non leuem timorem incutiat.

SVMMARIVM.

Infanti an nouum opus nuntiari poſſit? 1.
Infans nullum delictum committit 2.
Nuntiatio non in perſonam, ſed in rem fit. 3.
Octo ſaltim annorum ſit oportet is, cui nouum opus eſt nuntiandum. 4.

QVÆSTIO VI.

Ad noui operis nuntiationem alicui faciendam.

Hac in quæſtione ferè omnes ſentiunt, infanti nouum opus 1
rectè abſque tutoris autoritate nuntiari poſſe, ſubnixi Vlpiani reſponſo *in l. operis* 10. *ff. de noui operis nuntiat.* vbi illa adiungitur ratio, quia operis noui nuntiatio in rem fit, non in perſonam: ita proferunt Odofredus

dus & alij expoſitores *in dict. l.* 10. Petr. Gregor. *lib. 4. ſyntagmat. cap.* 28. *num.* 2. Anton. Cardoſ. nonnullos referens *in praxi iudicum & Aduocator. verbo Nuntiatio, numer.* 11. Quiquidem omnes conſequenter innuere videntur, nullam certam ætatem in perſona eius deſiderari, cui nouum opus nuntiandum eſt, cùm etſi anniculus ſit, aut cominor, noui operis dominus, ex quo infanti nuntiari poſſe indiſtincte conceduntur, & tam teneræ ætatis puerulo (ſi in opere inueniatur, *l. de pupillo* 5. §. *nuntiationem, ff. eod.*) nuntiationem fieri poſſe non detrectant.

2 Alij verò, quibus hæc communis, & peruulgata opinio non arridet infanti negant poſſe denuntiari. Nam cum omni iudicio, & intellectu careat, quare nullum delictum committere poteſt, *l. infans, ff. ad l. Cornel. de ſicari, l. impuberes ff. de furt. l. quod infans, de reivendic. l. illud relatum, §. ſane, ff. de iniur. l.* 1. *§. impubes, ff. ad Sillan. l.* 1. *C. de falſa moneta, Clement.* 1. *de homicidio*, abſurdum videtur, ex ſibi facta nuntiatione ipſum detrimentum paſſurum. Nec contrarium ex *dict. l. operis* 10. ſuaderi affirmant, nam quod ibi dicitur nuntiationem furioſo, & infanti fieri poſſe, ſic accipiendum eſt, non quaſi diceretur ipſis propria in perſona nuntiari poſſe, ſed imò nuntiationem rectè dari, quæ etſi non perſonis furioſi & infantis fieret, infanti tamē & furioſo noceret; dum tamen aliquibus præſentibus & intelligentibus fieret, qui tutori, aut curatori renuntiare poſsint, vt ex *l. cuilibet* ſequenti, quæ præcedentis deciſionis rationem continet, licet intelligere: *Cuilibet enim*, inquit, *intelligenti veluti fabro, nuntiatum infan-*
3 *tem & furioſum tenet*, quia non perſonæ, ſed rei nuntiatio facienda eſt. Vnde eius formula, non in perſonam concipitur, ſed impersonaliter, & quaſi in rem dirigitur, vtputa, ne ædificetur, *l. Prætor.* 20. *ff. eodem.* Quo ſenſu prædictam legem ita interpretātur Angel. Ioan. de Immola, Raphael Cuman. *ibidem*, & poſt eos Hugo Donell. *commentar. lib.* 15. *c.* 46. *verſ. Quibus opus nouum, in fine.*

4 Et certè ſi quod hac de re ſentio propalare licet, Donelli, & aliorum hæc vltima opinio, mirum in modum placet: perabſurdum enim videtur ei qui nondum fari ſcit, nouum opus nuntiari poſſe. Quocirca reſolutiue profero, niſi ei, qui infantiam exceſſit, & pueritiam ingreſſus eſt, ac per conſequens in octauo ſaltim ætatis ſuæ anno exiſtit, opus nouum nuntiari non poſſe, ſiue is operis dominus fuerit, ſiue alius qui nuntiationis tempore in ipſo opere reperiatur, ſiquidem tunc demum alicui poteſt nuntiari, cùm talis eſt, qui domino, aut tutori poſsit renuntiare, vt apertè indicauit Conſultus *in dict. l. de pupillo* 5. §. *nuntiationem, verſicul. Nam etſi ſeruo*, ibi: *Nam etſi ſeruo nuntietur, vel mulieri, vel puero, vel puellæ, tenet nuntiatio. Sufficit enim in re præſenti operis noui nuntiationem factam, ſic vt domino poſsit renuntiari.* Ex quibus verbis planè colligitur, puero tantùm, vel puellæ, ideſt ei, qui in octauo anno ſaltim reperitur, cùm ab eo tempore pueritia & in maſculis, & in fœminis incipiat, vt *hoc eodem anno* demonſtrauimus, noui operis nuntiationem intimari poſſe; quia ab hac ætate fari, & loqui cum aliquo iudicio incipiunt, vt ex dictis *anno præcedenti* conſtat, quod deſideratur vt domino, aut tutori ſuo nuntiationem poſsint referre.

SVMMARIVM.

QVælibet ætas veneficijs videtur obnoxia. 1.
Raro qui ſeptimum annum nondū exceſſerunt, his morbis afficiuntur. 2.
Peccatoribus hæc mala accidunt. ibid. & 3.
Deus neminem patitur quēquam iniuſtè nocere. ibid.
Innocentes etiam ſolent hæc damna ſubire. 4.
Lamiæ magis in pueros infantes, & nondum baptizatos graſſantur. 5.

QVÆSTIO VII.

A qua ætate veneficijs eſſe magis obnoxij incipiamus?

OTioſa cuicūque hæc noſtra in- 1
ueſtigatio videri poterit, maximè cui doctiſsimum Baptiſtam Codronchum Apollineę ſcientiæ clariſsimum iuuat, legiſſe contigerit: qui *lib. 4. de morbis veneficis c.* 14. ita ſcribit. *Cùm ab huiuſmodi affectibus nulla ætas, nullum temperamentum ſit immune, ſed ſine diſcrimine, tam pueri, quàm iuuenes, ac ſenes, tam frigidi, quàm calidi, & qui duriore corpore, & qui rariore præditi ſunt, veneficis morbis ſint obnoxij.* Ex quibus verbis dubio procul elicitur, nullam inueniri determinatā ętatē, qua magis in fœliciſsimis his morbis, & malis ſubijciamur, ſed indiſtinctè,

ſtinctè, tam minori, quàm adulta, tam ſenili, quàm decrepita, æqualiter ea nos perpeti poſſe, & meritò quidem, cùm eiuſmodi affectiones, non præter naturam, ſed extra eã ſint, à quibus nulla ætas, nullumvè temperamentum exiſtit immune, veluti ibidem ratiocinatur idem Codronchus.

2 Cæterùm quanuis hoc inficiari nequeat, in illos potiſsimum cenſeo, aut magis, aut ſeueriùs veneficia graſſari, qui iam iam infantiam excedentes, ſimul cum pueritia aut pubertate, vſum rationis & malitiam, quæ poſt ſeptimum annum conſequitur, fuerunt adepti: quoniam ante huiuſmodi tempus, vel nunquam, vel rarò experimur homines tanto malo affici, vtpotè qui nullis tunc criminibus, aut vitijs deturpantur, quibus maleficia in pœnam, & ſupplicium infligi eximia Dei bonitas patiatur: ſiquidem, veluti animaduertit pijſsime Codronchus *loco iam relato*, illi itaque qui habent ex peccatis, & potiſsimum grauiſſimis, animam valdè labefactatam, præ omnibus maximè veneficijs afficiuntur: cùm enim à Dei gratia deſtituantur, facillimè in Dæmonum ac veneficarum poteſtatem, ac iura incidunt. Qui Dæmones circa illos, veluti circa rem ſuæ poteſtati ſubiectam, tum in corpore, tum in rebus externis, quæ volunt efficiunt. Vnde admonetur in *cap. fin. 33. quæſt. 1.* quòd ſi per ſortiarias, atque maleficas artes, occulto, ſed nunquam iniuſto Dei iudicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non ſequitur, hortandi ſunt, quibus iſta eueniunt, vt corde contritò, & ſpiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis ſuis puram confeſsionem faciant, & profuſis lachrymis, & largioribus eleemoſynis, & orationibus, atque ieiunijs Domino ſatisfaciant. Quo apertè demonſtratur, frequenter hæc mala hominibus ob peccata, & offenſiones accidere.

3 Quod vtique ex eo apertiùs oſtenditur, ſiquidem vt non minus verè, ac eleganter inquit D. Auguſtinus *lib. de ſummo bono*, relatus in *cap. ſecundum Catholicam 47. 11. quæſt. 3.* ſecundùm Catholicam Fidem eſt, Dei naturam neminem pati quemquam iniuſtè nocere. Sed ſi pueri ante diſcretionis annos poſſent veneficijs lædi, immerenter profectò, & iniuſtè à maleficis torquerentur, cùm peccati nondum conſcij vel compotes eſſent: ergo neceſſario tenendum erit, non anteà quem poſſe, ſaltim grauiter, Diabolicis his nocumentis offendi quàm peccandi initium fecerint, & malitiæ annos fuerit ingreſſus.

Non tamen inficiamur, vt *initio* notauimus, 5 etiam innocentes, & nondum peccantes hanc infœlicitatem ſubire poſſe, vt multis teſtimonijs comprobatur; & in primis eo Imperatoris in *l. multi 6. C. de maleficis, & mathemat.* vbi multos non dubitare, inquit, magicis artibus elementa mutare, & vitam labefactare inſontium. Igitur non ſolùm peccatores, ſed etiam qui à peccatis habentur immunes, maleficiorum damnum experiuntur. Et confirma- 6 tur exemplo lamiarum, quæ licèt omnes inteſtino odio proſequantur, in pueros infantes maximè graſſari ſolent, vt teſtatur Barthol. Spina *tractat. de ſtrigibus, capit. 17.* Martin del Rio *lib. 2. de Magia, quæſtion. 24. & lib. 3. part. 1. quæſt. 1.* Torreblanca *lib. 12. iuris ſpiritualis, capit. 8. num. 8.* præſertim in eos, qui ita teneræ ſunt ætatis, vt nondum ſacro baptiſmate fuerint initiati, Torreblanca *dict. loco, numer. 12.* noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hom. cap. 13. num. 6.* pro quo & illud facit, quod de faſcinatione obſeruat idẽ Torreblanca *d. lib. 12. c. 10. n. 50.* ſcilicet ea potiùs offendi pueros, quã maiores ætate. Hoc inquam minimè negamus: illud ſolũ contendimus, vt in plurimum magis adultos, quàm infantes ob peccata, quibus frequentiùs irretiuntur, veneficis morbis eſſe obnoxios.

AN-

ANNVS
DECIMVS
CVM DIMIDIO.

SVMMARIVM.

PRoximus infantiæ dicitur ab aliquibus, qui non multum à ſeptennio diſtat. 1. *Reprobatur.* 2. *& ſequent.*

Proximi infantiæ intellectu carent. 3.

Proximus infantiæ an loquatur, & quandò loquendi facultas contingat? 4.

Proximus infantiæ an ſit, qui ſeptimum, vel octavum annum exceſsit? 5.

Alij veriùs credunt proximos infantiæ eſſe; qui poſt ſeptimum annum intra decimum cum dimidio exiſtunt. 6. *&* 11.

Proximus infantiæ ſecundùm alios, ille creditur, cui ſex tantùm menſes à ſeptennio ad pubertatem deficiunt. 7.

L. non tantùm 17. *ff. de excuſationib. explicatur.* 8.

Aliorum ſententia refertur, qui proximum infantiæ putant illum, qui ſeptimum annum cum dimidio exceſsit. 9.

Opinio Cuiacij hac de re refertur ſimul, & refellitur. ibidem.

Verius eſt ſecundùm ius commune, huius ætatis deffinitionem à iudicis arbitrio pendere. 10.

QVÆSTIO I.

Infantiæ proximus quis dicatur?

DOLORE diſcrutior, quòd cùm ingens numerus librorum in Bibliotheca noſtra; à paterna cura, fraterna impenſa, & diligentia conquiſitus, vel confectus ſit ad millia fermè voluminũ ſupra tria, infœliciter Franciſcus Fara defuerit, quem *tractat. de eſſentia infantis*, latiſsimè de proximo infantiæ diſputaſſe refert Borrellus *in ſumma deciſionum tit.* 44. *num.* 264. Quarè cùm illum, nec præ manibus habere inſors meruerim, huius quęſtionis inueſtigationem emendicatis de hac re Scribentium placitis, & rationibus, qua potuerim ſedulitate diſ-
cutiam. Magnopere ènim circa hanc ætatem 1
præfiniendam diſſentiunt Interpretes. Quidam ergo proximi pubertati ſimilitudine decepti, quem ideò ſic dictum ſequenti diſputatione exactè probabimus: quia etſi nondum annos pubertatis ipſe attigerit, parum ci tamen temporis reliquum eſt, quominus pertingat; illum proximum infantiæ conſtituunt, qui ita minor annis ſeptem adhuc eſt, vt nec longius à ſeptennio diſtet. Sicque Iuſtinianum intelligere ſatagunt *in §. pupillus* 10. *de inutilibus ſtipulationibus.* Nam ſimul atque pupillum omne negotium tutore autore, Imperator agere poſſe reſcripſit: *Sed quod diximus*, ſubijcit, *de pupillis, de his verum eſt. qui iam habent aliquem intellectum; nam infans, & qui infantiæ proximus eſt, non multum à furioſo diſtant*; ergo ſi nec longè, inquiunt, proximus infantiæ à furioſo abeſt, ſicut & infans, quia vtriuſque fragile iudicium, inaniſque intellectus eſt, ſucceſsiuũ eſſe videtur, proximum infantiæ nondum ſeptennem dici; cùm alioquin mentis defectu infanti, & furioſo adæquari minimè poſſet: habent enim aliquem intellectum extra illam ætatem proximè conſtituti: vnde quod infantibus iura quaſi inſipiẽtibus ſubtraxerunt, quibus nec longè ab illorum ætate diſcrepant, vt inferiùs notabimus, indulgent.

Sed horum opinio quantum à vero Iu- 2
ſtiniani ſenſu abſit, doctiſsimus Iacobus Menochius *lib.* 2. *de arbitrar. caſu* 57. *num.* 13. probabili ratione demonſtrat. Nam ſi proximus infantię ille diceretur, qui annum ſeptimum nõdum expleuit, fruſtrà poſtquàm de infante dixerat Imperator intellectu carere, & furioſo æquiparari proximum infan-

tiæ addidiſſet. Cùm à fortiori ſi infans, ideſt ſeptennarius mentis ægritudine laborabat, qui ætate inferior erat, ſimili amentiæ, vel debilitatis morbo affici debuerat. Hoc quippe adeò conſtabat, vt Imperiali obſeruatione indignum videretur. Ergo vt in dubio caſus *dict.* §. verſetur, & non ſimplex, aut apertus iudicetur, ita ſumenda interpretatio erit, quòd agens annum ſeptimum furioſo ſimilis ſit, & etiam qui eum annum excesſit, quem proximum infantiæ nũcupamus.

3 Nec obſtrigillatur proximos infantię, vti & infantes intellectu carere, *l. ſeruum, ff. rem pupilli ſaluam fore d. §. pupillus, l. in ſponſalibus la 2. ff. de ſponſalibus*, ex quo inferri videbatur, illum proximum infantiæ dici, qui infra ſeptennium eſt: nam Iuſtinianus ipſe *in dict. §. pupillus* planiſsimè profitetur, aliquantulum ampliùs in proximo infantiæ reperiri, quo infans caret, quapropter ſtipulari, agere, & promittere ex quadam benignitate poſſe decernit. Quod nequaquã eadem humanitate ſuadente infanti denegaretur, ſi illa ætate inferioribus permiſſum, aut conceſſum fuiſſet.

4 Et expresſiùs conuincitur vulgari interpretum placito, de quo cùm infantilis ætatis quæſtionem exagitamus, plura ſubnectimus. Quo cauetur infantem, ſeu annum ſeptimum agentem fari minimè poſſe. Tradunt Scribentes communiter *in dict. l. 1. de verbor. obligat.* præcipuè Iaſon *num.* 22. Alciatus *num.* 38. & tamen in proximo infantiæ omnium fert opinio eum fari, ac loqui rectè valere, tradit Ioan. Aquilinus *dict. l. 1. num.* 100. & paſsim notatur *in d. §. pupillus*, Menochius *vbi relatus num.* 17. Igitur ex eo prouenit, quòd infantiæ proximus ſeptennio maior eſt, cùm illa tantum ætate integritas loquendi contingat, vt ex iudicio Philoſophorum obſeruauit Macrobius *in ſomno Scipionis lib. 1. fol.* 8. Butigella *in d. l. 1. de verbor obligat. num.* 70. Ioan. Aquilinus *d. num.* 100. & nos alibi.

5 Quam ſententiam vti veriorem Theophilus *in dict. § .pupillus* amplectens profert, infantiæ proximum illum dici, *qui ſeptimũ, aut octauum annum agit.* Quæ verba, *ſeptimum aut octauum annum*, ita interpretatur vbi ſuprà Menoch. *num.* 17. vt de ſeptimo, & octauo anno perfecto intelligantur. Et meritò vtique, nam ſi de ſeptimo dumtaxat cœpto acciperentur, infans potiùs quàm proximus infantię crederetur. Cui Theophili opinioni illius nomine ſuppreſſo, accedit Eguinarius Baro *in dict. §. pupillus*, qui infantiæ proximos octo annorum appellat, Corraſius *in l. 1. in principio, verſ. Neque infans, num. 20. de verbor. obligat.* Quintil. Mandoſ. *de ætat. minor. cap. 3. num. 3.* vnde cum Menochij iudicio Theophilus non determinatè, ſed exempli cauſa de proximo infantiæ loquatur: & prætereà Eguinarius, & Corraſius, nec rationis, nec iuris aliquo munimine propriam ſtabiliant ſententiam, illorum nequaquam exiſtimationi acquieſco, quemadmodum nec Menochius, nec Philip. Matthæus *in l. fere* 107. *num.* 39. illi ſubſcripſerunt.

Vnde alij diuerſa via incedentes, pupil- 6
lum proximum infantiæ exiſtimant, qui ſeptem annis maior, conſiſtit adhuc intra annum decimum & dimidium; & ſimiliter proximam infantiæ pupillam, quæ ab infantia egreſſa, intra annum nonum & dimidium exiſtit. Quam opinionem defendere conantur Accurſius *in §. ſed quod diximus, verbo Infantiæ, inſtit. de inutilibus ſtipulation.* Bartol. *in l. 1. num. 7. ff. de nouat.* vbi etiam notat Paul. Caſtrenſ. *num.* 7. Abbas *in capit. continebatur num. 9. de ſponſalib.* Iaſon *in l. properandum* 13. §. *& ſiquidem num. 2. C. de iudicijs*, ſubſcribit Donellus *in l. ſi pupillus* 127. *num. 10. ff. de verbor. obligat.* Dueñas *regul.* 259. *num.* 3. vbi plurimos iſtius ſententiæ ſectatores refert, Bertazolus plures congerens *tractat. de clauſulis clauſ. 8. gloſ. 2. num.* 2. quod axioma Franc. Hotomanus illa potiſsimùm ratione fulcit, quia in re dubia medio tutiùs progreditur, argumento *l. hoc Tiberius* 41. *ff. de hæred. inſtituend.* quam ſententiam communem Iuriſperitorum appellat Paul. Zachius *Medico legali, lib. 1. titul. 1. quæſt. 5. num.* 11. & confirmatur ſeptem partito noſtro iure *in l. 6. titul.* 5. *part.* 6. ibi: *Pero para poder el padre desheredar tal hijo como eſte, ha meneſter que el moço aya mas de diez años y medio, à que llaman en Latin proximus pubertati.* Igitur ſi minor anno decimo & dimidio pupillus fuerit, non pubertati proximus, ſed proximus infantiæ dicetur. Quod etiam probatur *ex l. 4. titul. 19. eadem part. l. 9. tit. 1. p. 7.* & conducunt latè à nobis tradita, vbi de proximo pubertati diſceptatio extat.

Cui reſolutioni minimè deferendum Philip. Matthæus *vbi proximè* arbitratur, ex quo nullo iuris fundamento, ſed Interpretum tantùm coniectura, aut vana ſuſpicione innititur. Nec quicquàm commune brocardicum referre *ex dict. l. hoc Tiberius* 41. & ſimilibus deductum exiſtimat. Nam cùm non æqualis, ac vna ſemper ſit hominum conditio, ſed pro ratione regionis, climatis, aut temperaturæ, vt alibi dicetur variet,

hoc

hoc certo modo ſemper determinari nequaquam poſſe diiudicat.

7 Nec deſunt tamen alij Autores, qui videantur ſtatuere, quòd proximus infantiæ ab impleto ſeptennio vſque ad illud tempus cenſeatur, quo puero ad plenam pubertatem ſex menſes tantùm deficiunt, cuius opinionis autor Innocentius exiſtit *in cap. continebantur 6. & in cap. atteſtationes 10. de deſponſation. impuber.* quam maximè in criminalibus attendendam ſcribit Bald. *in l. excipiuntur, ad Syllanianum*, ſequitur indiſtinctè Zaſius *quæſt. 2. de Iudæis*, quorum prolatum confirmari ſolet *ex dict. capit. continebantur, & dict. cap. atteſtationes, de deſponſat. impuberum*: ſed euidentiùs probatur ex *textu in dict. l. non tantum 17. ff. de excuſation.* ibi: *Prope pubertatem ſint, ita vt tantummodò ſemeſtre tempus reliquum fuerit.* Verùm hæc ſententia vix ſubſiſtere poteſt, nam vt egregie Philip. Matthæus opinatur, *num. 46.* prædicta *non tantum* ſtrictè de illo caſu accipienda eſt, circa quem vertitur, nec abſque manifeſta diuinatione ad alium protrahi, vel extendi valet. Et conuincitur, ſiquidem Caliſtratus *in dict. l.* ideo onus trium tutelarum, quarum pupilli adeò pubertati proximi ſunt, vt per ſemeſtre tantùm ab illa diſtent, excuſationem producere diffitetur, quia tempus ſex menſium ita paruum eſt, argumento *l. properandum, §. ſin autem C. de iudic.* & notat Gloſſa *in dict. l. non tantùm*, vt quibus tam exiguum ſpatium ad pubertatem ſolummodò reliquum ſit, quaſi iam puberes credantur, ac per conſequens & eorum tutoribus, vti ab onere tutelarum iam exemptis, illorum intuitu excuſationem aufert: quæ ratio minimè ad proximum infantiæ adaptari poteſt, vt ille adhuc infantiam redolere æſtimetur, qui nondum ſemeſtri ſpatio à plena pubertate diſtat. Accedit Quint. Mandoſ. *de ætat. minor. cap. 4. num. 35.*

8 Cæterùm ex aduerſo nonnulli tenuerunt quòd proximus infantiæ ſit ille, qui ſupra infantiam eſt, dumtaxat per ſex menſes, quia datur differentia inter infantem, & maiorem infante. Nam maior infante contrahit ſponſalia, & aliqua facit quæ non poteſt infans, Ægid. Bellamer. *conſ. 48. numer. 42. & ſequent.* & *num. 52. in fin.* Cardinal. Tuſch. *practic. concluſ. litera I. concluſ. 118. num. 3.*

9 Aliter, etſi parum veraciter, proximum infantiæ Iacobus Cuiac. deſcribit *in dict. §. ſed quod diximus, de inutili, ſtipulationi*, eum quidem eſſe affirmat, qui è ſeptimo anno nuper egreſſus eſt, quod etiam probare videtur Petr. Fabèr *in l. in negotijs 5. ff. de regul. iur.*

10 Sed horum omnium opinionibus reiectis, Iacobus Menochius *dict. lib. 2. de arbitrar. caſu 57. numer. 44.* certam ætatem proximi infantiæ, nec iure reperiri præſcriptam, nec deſignari poſſe concludit, ſed ex iudicis arbitrio æſtimandum eſſe, an pupillus adeò iudicij poſt infantiam ſit inops, vel compos, vt meritò illi ætati, aut pubertati proximus iudicari debeat. Quam ſententiam anteà Butrium tenuiſſe fatetur *in d. cap. atteſtationes*, probant Didacus Couarruuias *in epithome de ſponſal. lib. 2. part. cap. 5. num. 7.* Ioan. Corraſius *lib. 6. miſcellan. cap. 23.* Viglius *in §. teſtes num. 11. inſtit. de teſtam. ordin.* Pluribus illam veriſsimam contendunt Miſinger *in §. penultim. num. 3. de oblig. quæ ex delict. naſcun.* Philip. Matthæus *in dict. l. fere 108. de regul. iur.* vbi à *num. 44. cum ſequentib.* diſsidentium opinionum fundamentis ſatisfacit. Cui quidem reſolutioni iure communi inſpecto libenter ſubſcribo, cum pluſquàm certum ſit, nullibi huius ætatis certum veſtigium reperiri, quapropter iudicis arbitrio ipſius pronunciatio relinquenda erit. Nam iuris illa deffinitio eſt, omiſſum in iure, & quod nulla legis ratione decidi, aut determinari poteſt, ius dicentis arbitrio ſtatuendum eſſe, *l. 1. in fine, ff. de iure deliber. cap. vltimo, extra de tranſaction.* cum ſimilibus alio locò adducendis. Verùm cùm iure noſtro Regio expreſsis deciſionibus caueatur proximum pubertati illum dici, qui annum decimum cum dimidio exceſsit, vt ſuperiùs notauimus, proculdubio inferri videtur, excedentem ſeptennium vſque ad decimum annum, & dimidium, proximum infantiæ intelligi. Quæ ſententia cum Accurſio, & cæteris *ſuprà num. 6.* congeſtis adſtipuletur, quoad noſtram Hiſpaniam attinet, eorum deffinitionem potiorem, & omninò tenendam cenſeo, vt latiùs cùm de pubertati proximo ſermo fuerit, plurium recenſitis, ac eneruatis contrariæ opinionis ſuffragijs patebit.

11 Cui præter ſuprà relatos ſuffragantur Hotomanus *in dict. §. pupillus de inutil. ſtipul.* Ægid. Bellam. *conſ. 48. num. 40. verſ. Pro prima*, & *num. 41. verſicul. Nam proximus*, Card. Tuſch. *practicar. concluſ. lit. I. concluſ. 118. num. 2.* Nicol. Belonus *in §. his quoque num. 25. inſt. quibus modis recontrahitur obligatio.* Felicianus *de cenſibus lib. 2. cap. 2. num. 2.* P. Thom. Sanch. *de matrimon. lib. 6. diſputat. 38. num. 2. ad finem*, & Bertazolus *dict. clauſul. 8. gloſ. 2. num. 3.* vbi hanc ſententiam veriſsimam arbitratur, niſi

eo caſu, quō pupilli malitia ſupplet ætatem, nam tunc proximus infantiæ dicetur, etiamſi decimum annum cum dimidio vir, aut fœmina nonum & dimidium non attigerit, ex ſententia Aretini *in dict.* §. *pupillus, de inutil. ſtipulat.* Ioann. Andr. Abbatis & aliorum *in cap.* 1. *de delictis puerorum*, Hippolyt. de Marſil. *in l. infans* 1. *col. ff. ad l. Corn. de ſicar.* Cagnolus *in l. pupillum num.* 3. *ff. de nouation.*

SVMMARIVM.

Maſculus, qui decem annos cum dimidio expleuit, & fœmina quæ nono & dimidio maior eſt, proxima pubertati communiter dicitur. 1.

In rebus dubijs media via eſt eligenda. 2.

Pubertati proximum alij eum definiunt, qui ſex menſibus à pubertate diſtat. 3.

Hoſtienſis *vir magnæ autoritatis, & Canonicæ cenſuræ monarcha, appellatur.* 4.

Proximus pubertati ſecundùm Hoſtienſem *eſt, qui per triduum tantumdem à pubertate diſtet. ibid. Reprobatur.* 6.

L. 3. §. *in hoc interdicto, ff. de lib. exhiben. explicatur.* 5.

Eum proximum pubertati probat Cuiacius, *qui intra annum pubes erit.* 7.

Decimumquartum annum agentem, etiam pubertati proximum dicit Robertus. 8.

Iudicis arbitrio relinqui huius ætatis definitionem, multis oſtenditur. 9.

Ex diuerſitate Regionum, ingeniorum etiam diuerſitas oritur. 10.

Singularum regionum ſingularia, & ſpecialia vitia & peccata dantur. 11.

Regna, in quibus regionibus debeant conſtitui. 12.

Iudicis arbitrium ad decernendum, an qui decimum annum cum dimidio excesſit, ſit pubertati proximus, cautiſsimè eſt adhibendum. 13.

Recte faciet iudex, ſi ad huius dubij reſolutionem medicum adhibeat. ibid.

De iure Regio an ſit huic arbitrio locus? 14.

Ea ſolummodò iudicantis arbitrio relinquuntur, quæ à lege determinata non ſunt. 15.

Inferior non poteſt legem ſuperioris tollere. 16.

Non datur arbitrium circa ea, quæ ſunt conſuetudine introducta. 17.

Fœmina iure noſtro dicitur pubertati proxima poſt annum nonum cum alterius dimidio. 18.

QVÆSTIO II.

Cuius ætatis proximus pubertati credatur?

Illa ſe offert diſcutienda perplexanimis, & difficillima quæſtio, quis nempe proximus pubertati dicatur? In qua quidem ea eſt opinionum diuerſitas, ac numerus, vt quod vnus item & alter probant, alter, & reliqui carbone notandum prædicent. Illa quidem à pluribus recepta fuit, maſculum, qui decem annos cum dimidio expleuit, eſſe proximum pubertati; fœminā etiam, quæ nouem & dimidio maior eſt. Cuius ſententiæ fuit Accurſius *in* §. *pupillus, inſtitut. de inutil. ſtipulat. & in* §. *in ſumma, inſtitut. de oblig. quæ ex delicto, & in l. pupillum, ff. de regul. iur. & in l.* 1. *ff. de nouation.* vbi ſequitur eum Bartol. *num.* 5. Angelus Aretin. *in dict.* §. *pupillus*, Calcaneus *conſ.* 121. *num.* 16. Iuvenal. à Coſtaforti *in* §. *is quoque, inſtit. quib. mod. recontrah. oblig. & num.* 34. Ioan. Villemata *in l. Diuus n.* 80. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Cagnolus *in l. pupillum* 112. *num.* 1. *ff. de regul. iuris*, Roſella *verbo Matrimonium* 2. *num.* 4. Syluester *eodem verbo* 5. *quæſt.* 4. D. Antonin. *in ſumma* 2. *part. titul.* 9. *cap.* 8. § 2. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 57. *num.* 21. plures pro hac ſententia refert, licèt *num.* 23. illam reprobet. Plures referens dicit communem Lauren. Kirchouius *centur.* 3. *communium opinion. concluſ.* 100. alijs multis congeſtis, Quintil. Mandoſ. *de ætat. minor. cap.* 4. *n.* 35. Petr. Greg. *lib.* 50. *ſyntagmat. c.* 7. *n.* 4. Corraſius *lib.* 6. *Miſcellan. c.* 23. Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verb. Minoribus n.* 7. *C. de in integr. reſtitut.* plurimos refert Stracha *de adiecto* 3. *p. n.* 17. Aſsin. *de execution. c.* 326. *num.* 8. vbi hanc ſententiam ſolùm in cauſis ciuilibus veram credit, non verò in criminalibus etiam poſt quatuordecimum annum, Donellus *commentar. lib.* 12. *cap.* 22. *& in l. ſi pupillus* 117. *num.* 10. *ff. de verb. oblig.* Anton. Gomez *variar. reſolution. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 57. Franc. Hotoman. *in dict.* §. *pupillus*, Felicianus *lib.* 2. *de cenſibus, cap.* 2. *num.* 2. *verſ. Alij dicuntur proximi pubertati*, vbi nonnullos huius ſententiæ ſectatores congerit, latiſsimè confirmat Farinacius *tom.* 3. *criminal. quæſt.* 92. *num.* 9. vbi multis modis hanc limitat aſſertionē, Auendañus *tract. de cenſibus, capit.* 81. *num.* 4. Petrus Fran-

Franciſcus Linglois *deciſ. Codicis Iuſtiniani, deciſion. 34. quæſt. 2. num. 16.* Sigiſmun. Scacia *tract. de iudic. cauſ. ciuilib. &c. cap. 7. q. 24. num. 725.* & hanc communem ſententiam leges noſtræ ſeptempartitæ amplexæ ſunt, quæ ferè in omnibus delictis maiorem decem annis & dimidio puniendum cenſent, vt patet ex *l. 4. tit. 19. p. 6. & ex l. 9. titul. 1. part. 7. & ex l. 17. titul. 14. & ex l. 8. titul. 31. eadem 7. part. l. 6. titul. 5. part. 6.*

Fundamenta huius opinionis plura à relatis Doctoribus adducuntur, quæ longum eſſet recenſere, nonnulla tamen hîc adſcribam. Et præcipuum eſt, quod colligitur ex *§. fin. inſtitut. quib. ex cauſ. manum. non licet,* vbi cùm olim non poſſet ſeruum manumittere, niſi qui viginti annis maior etat, Iuſtinianus hanc facultatem ad eos extendit, qui decimumſeptimum annum adimpleuerint, quia eos illi ætati proximos eſſe iudicat, cùm plus diſtent à pupillari, quàm à viginti annorum ætate. Cui deciſioni admodum ſimilis eſt ea ratio, quam in noſtra ſpecie adducit Abbas *cap. continebantur, num. 9. de deſponſat. impub.* ſcilicet, quòd cùm infantia ad ſeptimum vſque annum producatur, alijque ſeptem vſque ad pubertatem reſtent, maſculus, qui decem annos cum dimidio expleuit, cùm illius temporis medietatem (vt ipſius verbis vtar) exceſſerit, magis proximus dicitur puberrati, cui & Hotomanus *adſtipulatur in dict. §. pupillus.*

2 Stabilitur etiam hæc opinio alia non contemnenda ratione, in rebus ſcilicet maximè dubijs mediam viam eligendam eſſe, vt fecit Imperator Tiberius *in l. & hoc Titus, ff. de hæredib. inſtituend.* cuius exemplum paſsim Iuriſconſulti ſequuntur, vt patet *in l. ſed etſi lege, §. adeo autem, ff. de petition. hæreditat. & in l. Titius rogatus, ff. ad Senat. Conſult. Trebellian.* & vtrobique notat Gloſſ. in quam ſententiam pedibus, manibuſque vadunt innumeri Scribentes, quos ſolita ac prodigioſa diligentia (ſic enim eam appellat Baeza *de non mellorand. filiab. cap. 2. num. 34.*) coacernauit Tiraquell. *in tractat. de primogen. q. 17. opinione 4. num. 9.* Pro qua etiam facit ſapientiſsimi Salomonis iudicium, iam omnibus notum, quod refertur *in lib. 3. Regum cap. 3. & in cap. Afferte mihi gladium, de præſumption.* Nec hinc ridiculum videri poteſt illud ruſticorum, qui in re controuerſa fere ſemper iudicant, vt res per medium diuidatur, vt meminit Gloſ. *final in l. Neſennius, ff. de negot. geſtis.* Igitur cùm ab infantia ad pubertatem ſeptem anni reſtent, qui decimum & dimidium exceſsit, quaſi in re parum perſpicua, media via electa, proximus pubertati æſtimabitur.

Secunda fuit opinio exiſtimantium, tunc pupillum pubertati proximum dici, cùm ſex menſibus, plus minùs ab ea diſtat, quam ſententiam Accurſius ſibi contrarius ſecutus eſt 3
in l. non tantum 7. verb. Semeſtre tempus, ff. de excuſationib. tutor. Gloſſa etiam *in capit. continebantur, verbo Proxima, & in cap. atteſtationes, verbo Circa finem, de deſponſat. impuber.* ſequitur Iaſon *in Authent. Sacrament. puber. n. 15. C. ſi aduerſ. venditio.* Ioan. Igneus *in l. 1. §. impubes, & in l. excipiuntur ff. ad Syllanian.* Staphil. *de literis gratiæ, titul. de modis vacationis, in quinto modo, n. 5.* Henric. *lib. 11. de matrimon. cap. 13. n. 11.* quod valde notandum dicit Abbas *in d. cap. continebantur num. 9.* ad ſtatuta loquentia de proximo alicui ætati, vt talis dicatur, quãdo ab illa ſex mẽſibus, aut minori ſpatio diſtat, alios congerit Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 104. num. 37.* quibus accedit Anton. Faber *in rationali ad l. 1. §. an in pupillum 15. ff. depoſiti,* plures refert Petr. Plaça *lib. 1. delictorum, cap. 34. num. 4.* Cuiac. *lib. 17. obſeruat. cap. 4. in fine,* Loriotus *ad l. 2. §. 1. ff. de regul. iur. fol. 521.* quam in criminalibus tantùm probant: quos latiſsimè ſequitur Hieronymus Bucaron. *de differentijs inter iudicia ciuilia & criminalia, different. 79. à num. 2.* Bartol. & Gomeſius indiſtinctè aſſerunt, & Cathellia. Cotta *in memorabilibus, verbo Pupillus,* innumeros refert Farinac. *d. q. 92. num. 12.* vbi huius ſententiæ fundamenta & rationes, quas præcipuè excogitauit Igneus ſummæ auctoritatis, & ponderis fatetur, Linglois *vbi ſup. num. 16.* hanc ſententiam tantùm de iure Canonico veriſsimam credẽs. Pro hac opinione adduci ſolet *text. in d. cap. continebantur, & in d. cap. atteſtationes, de deſponſ. impuber.* allegatur etiã *dict. l. excipiuntur,* quæ tamen, meo iudicio, nihil probat ſed eam luculenter, & perſpicuè comprobat *text. in d. l. non tantùm, ff. de excuſation. tutor.* ibi: *Prope pubertatem ſint, ita vt tantummodò ſemeſtre tempus reliquum fuerit.* Sed hanc opinionem nihilominùs totis viribus impugnat, Alber. *in dict. l. pupillum num. 1. verſ. Vidi tamen in pract. ff. de reg. iur.* qui ad *text. in d. l. non tantùm* reſponſum præbet, Ozzer. *in §. pupillus, de inutil. ſtipul. n. 7.* & melius Iacob. Menoch. *dict. lib. 2. caſ. 57. n. 29.* etſi Paul. Zachias *medico legalium, lib. 1. tit. 1. q. 5. n. 20.* hanc opinionem inter Iuriſconſultorum ſententias Galeno magis conſonam fateatur.

4 Hoſtienſis autem (vir permagnæ authoritatis, vt eum dicit Franciſc. Burſatus *in conſ.* 124. *num.* 51. *volum.* 1. & Canonicæ cenſuræ Monarcha, vt dicit Barbacia relatus à Tiraquell. *de pœnis temper. cauſa* 51. *num.* 47.) is inquam in *dict. c. continebantur*, licèt à nemine, quæm viderim, ſecutus, à prædictis omnibus diſſentit, & tertiam conſtituit opinionem dicens, eum ſolummodò pubertati proximum dici, qui per triduum ab ea diſtat, & conatur inducere pro hac ſententia *text. in l.* 3. §. *in hoc interdicto, ff. de liber. exhiben.* vbi diſponitur proximum prætextæ dici, qui pubetem ætatem nunc ingreſſus eſt.

5 Sed vt dilucidè appareat prædictum textum nihil Hoſtienſis peculariſsimę excogitationi ſuffragari, ſcire oportet, in eo nullam de triduo mentionem fieri, ſed ſolùm diſponi eum, qui puberem ætatem eſt ingreſſus, proximum prætextæ dici, & meritò, quia cùm annum decimumquartum iam expleuerit, quo toga prætexta deponi, more Romano ſolebat, qui procul hanc depoſitionem exceſsit, proximè ætatem prætextati retro accedere credendum eſt, vt ibi latiùs explicabimus, vbi de prætextatorum ætate fuerit ſermo, *anno* 14. quod ab ſpecie noſtra longe diſtat.

6 Adducitur præterea *textus in capit. ad noſtram, de regularib.* quo cauetur minorem quatuordecim annis non alligari monaſterio, egreſſum verò ab anno illo decimoquarto, & per triduum in ea religione perſeuerantem verè dici ingreſſum religionem. Igitur ſi illud ſpatium trium dierum facit, vt quis inter maiores habeatur, eodem modo in noſtro caſu efficere debet, vt quis pubertati proximus iudicetur, quod ea eleganti & philoſophica ratione meritò reprehendit Paulus Zachias *medicolegali, dict. lib.* 1. *tractat.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 22. quia vt ibidem *num.* 16. ipſe docuit, in tantum quis dici poteſt proximus pubertati, in quantum rudimentum aliquod pubertatis habet. Quod tamen rudimentum non poteſt de die in diem apparere, quia natura & calor ipſe natiuus, cuius opus illud eſt, non poteſt in tam modico tempore tam apparentem mutationem in corpore excitare. Neque poteſt, inquit, hic, vt alias apud ll. vſuvenire ſcio, tempus de momento ad momentum conſiderari, *l. deniqu*, §. *minorem* 25. *ff. de minoribus*, quia calor ordinatè ac congruo tempore procedit alterando, & agendo in radicale humidum, non autem de repente.

Quartò, Iacobus Cuiacius *in dict. capit. continebatur* 6. *de deſponſat. impub.* puellam pubertati proximam definit, quæ vndecimũ annum agit, & puerum, qui gerit annum decimumtertium, *ex dict. cap.* 6. *& cap.* 21. *eodem titulo* ductus, cui Renardus accedit *in l.* 3. *ff. de regul. iur.* & Petr. Faber *in l.* 5. *in principio, ff. eodem.* Iiſque nouiſsimè ſuffragatur P. Gaſpar Hurtado *tractat. de matrimon. diſput.* 22. *difficultat.* 12. *numer.* 46. vbi puellam, quę habet vndecim annos completos, & puerum decimumtertium habentem, proximum pubertati arbitratur: cùm ad hoc, vt quis alicui ætati proximus dicatur, neceſſariò requiratur, vt per integrum annum ab illa diſtet, *cap. continebatur de deſponſat. impuber.* A quibus quinto loco 7

8 diſſentit Ioan. Robertus *lib.* 2. *recept. lectionum cap.* 17. aſſerens, pubertati proximum dici, qui decimumquartum annum eſt ingreſſus: & ſibi contrarius *lib.* 3. *animaduerſion. capit.* 32. in illam perduci ſententiam videtur, vt eum proximum pubertati exiſtimet, qui annum decimum & quartum prætergreſſus eſt. Sed vtraque Cuiacij, & Roberti ſententia roborari videtur Medicorum autoritate, qua receptum eſſe teſtatur Petr. Garſias *in Auicennam fen.* 1. *lib.* 1. *doctrin.* 3. *c.* 3. *diſp.* 16. *cap.* 3. proximos pubertati illos dici, qui 12. aut 13. aut 14. etiam annum agunt, ex Galeni ſententia *com. aphor.* 3. *aphor.* 27. *extraor. claſſ.*

9 Sextò & vltimò alij, qui rem aptiùs penſiculantur, verius putant, huius dubij deciſionem iudicis arbitrio relinquendam, qui ex pueri diſcretione, actus qualitate, & alijs circunſtantijs facilè colligere poteſt, quando ſit proximus pubertati indicandus. Cùm autem inquit Zachias *vbi proximè num.* 25. præcipuè ob temperaturæ, caliditatis nempe, & frigiditatis, varietatem hoc tempus in particularibus diuerſificetur, malè videtur iudicari poſſe, an quis ſit proximus pubertati, niſi ſimul & temperaturam eius is, qui iudicat cognoſcat, argumento *text. in l.* 3. *ff. de teſtibus, & in l. mora* 32. *ff. de vſuris*, ibi: *Quod apud iudicem examinabitur*: nam vt Pomponius *lib.* 12. *epiſtolarum ſcripſit, difficilis eſt huius rei definitio. &c.* Et quòd hoc certa regula definiri, aut determinari nequeat, ex multis ſuadetur. Primò, quia experientia paſsim docet pueros ætatis tenere, alijs multò maioribus eſſe longè perſpicaciores, in quibus dici poteſt vulgare illud Gloſſæ *in cap. puberes, & in cap. de illis el* 2. *de deſponſ. impuber.* ſcilicet, quòd malitia ſupplet ætatem.

Se-

10 Secundò, quia ex diuerſitate regionum ingeniorum etiam diuerſitas oritur, & vna Prouincia callidiores pueros educat quâm altera, vt de Romanis, Normanis, & Longobardis teſtis eſt Accurſius *in l. ſequitur, §. pupillus, verbo animum ff. de vſucapionibus*, & Hiſpanos verſutos eſſe, & callidos notat etiam Gloſſa *in l. dolum verbo conuenit, C. de dolo*, quod & de Hiſpalenſibus tradit Melchior Zambranus *in deciſion. caſuum occurrentium in articulo mortis cap. 4. de pœnitentia dub. 3. num. 6.* & de Toletanis ego ſæpè expertus ſum: è contrario verò Gallos ingenio eſſe ſimplici, ac ſtolido tradit Petrus Crinitus *lib. 4. de honeſta diſciplina cap. 11.* quamuis hanc Gallorum inſcitiam in pueris ceſſare, qui initio ſuæ ætatis ſapientiores ſunt, autor eſt Cælius Rhodiginus *lib. 30. antiquar. lection. cap. 8.* vt hinc profluxerit vulgatiſſimum prouerbium, vt Gallicam appellantes ſapientiam, præmaturam intelligamus, quæ tamen mox deficiens obbruteſcat. Quarum regionum, & aliarum diuerſos mores (huius rei cauſam aſtris adſcribens) in vnum congerit Firmicus Maternus, maximus ſiderealis ſciẽtiæ profeſſor *lib. 1. Aſtronomico. cap. etiam 1.* Quædam, inquit, gentes ita à cœlo formatæ ſunt, vt propria ſint morum vnitate perſpicuæ, Scythæ immanis feritatis crudelitate graſſantur, Itali fiunt Regali ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, auari Syri, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiatici, & voluptatibus occupati: Hiſpani elata iactantiæ animoſitate præpoſiti. Hæc ille. Verum vt quid per mendicata (vt aiunt) ſuffragia certiſſimæ traditionis, quam proſequimur, inquiramus teſtimonia, cùm ſuppetant domeſtica? Nàm Iureconſulti (vt omnibus rebus, ita & in hac quoque prudentiſſimi) patriam, & natale ſolum ſerui, qui venditur, inſpiciendum putant, vt hinc quibus ſit moribus imbutus, coniectari poſſit, *text. in l. quod ſi nolit, §. qui mancipia, ff. de ædilitio edicto*: *Qui mancipia vendunt*, inquit, *nationem cuiuſque in venditione pronuntiare debent. Plerumque enim natio ſerui, aut prouocat, aut deterret emptorem: præſumptum etenim eſt quoſdã ſeruos bonos eſſe, quia nationis ſunt nõ infamatæ: quoſdam malos videri, quia nationis ſunt, quæ magis infamis eſt*, & decreta etiam Canonica inter alia, quæ in ordinandis inueſtigari iubent, patriam reponunt, *cap. quando. 24. diſtinct. cap. conſtitutus de purgatione canonica.* Plura adducit Tiraquel. *in l. 7. conubia. n. 14. cum ſequentibus*, Redinus *de maieſtate Princip. verbo non ſolum armis num. 43.* & nouiſſimè Iacob. Gallus *in apicibus iuris, pagina mihi. 114.*

Et meritò quidem, nam dantur quædam vitia & peccata ſpecialia quarumdam regionum, vt de peccato ſodomitarum agens notat Origenes *homilia 9. in Ezechiel. 16.* latius D. Hieronym. & Alexand. ab Alex. *apud Magalianum ad illud Titi. 1. verſic. 12. Cretenſes ſemper mẽdaces*, Laur. Salmant. *certam. 6. expoſit. cap. 4. num. 81. fol. 344.* vnde D. 11
Thom. *opuſc. 20. lib. 2. cap. 1.* ſcribit, Regna eſſe inſtituenda in regione temperata, quia aeris temperies non ſolùm producit vitam corporalem longæuam, homines ad bella aptiores, ſed etiam prudentiam ad vitam politicam, & ad principandum alijs neceſſariam, & vt interpretatur Valle de Moura *opuſc. 1. de incantatio. ſect. 3. cap. 4 num. 32.* ad veram virtutem gignendam & conſeruandam, alioquin non, vt Angelicus fidei Doctor, ſed vt Gentilis, ac infidelis Regem Chriſtianum, quem inſtruebat, præceptis imbueret. 12

Sed ne longiùs diuagemur his & alijs rationibus (quas lubẽs omitto) innumeri Scribentes iudicis arbitrio relinquunt, quis dicatur proximus pubertati: & ex antiquioribus Ioan. Faber *in dict. §. pupillus de inutil. ſtipulat.* Viglius *in § teſtes num. 11. de teſtam.* Salicetus *in l. impunitas, C. de pœnis*, Ioan. Villemata *in dict. l. Diuus, num. 80. ff. ad legem Cornel. de Sicar.* Cagnolus *vbi ſuprà n. 5.* Sotus *in 4. diſtinct. 35. q. vnic. art. 5. col. 3. verſ. Quod ſi rurſus*, Stracha *d. tract. de adiect. 3. p. n. 17.* Farinac. *vbi ſuprà* multis vt aſſolet allatis *num. 15.* plures referens Menoch. *lib. 2. de arbit. caſu. 57. n. 44.* Didac. Couar. *in epithome de ſponſalib. 2. p. cap. 5. n. 5. & in Clement. ſi furioſus de homicidio in initio 3. part. n. 5.* Petr. Dueñas *regula. 259. limitat. 3. verſic. Et circa hanc limitationem*, communem dicit Franciſc. Viuius *lib. 2. commun opinion. opinione 676. n. 2.* Quintilian. Mandoſ. multos congerens *d. cap. 4. de ætate minor. n. 35. ad finem*, multos cumulat P. Sanchez *d. lib. 7. diſputat. 104. n. 40. vbi n. 41.* aduertit, iudicem volentem decernere proximum eſſe pubertati puerum, qui decimum annum cum dimidio non exceſſit, aut fœminam minorem nono cum dimidio, id non facturum, niſi cautiſſime, aut rarò, maximiſque coniecturis inductũ. Nam hæc præſumptio ex defectu ætatis naturæ repugnans cenſetur, quod diuerſimodè in maiore decimo & dimidio obſeruãdum erit, nam tũc minus validæ præſumptiones ſufficient: notant Gedeus *de contrah. ſtipul. c. 7. n. 185. & ſeqq.* Philippus Matthæus *in l. fere in omnibus. 108. à num. 39. ff. de regulis iuris*, vbi contrarias ſententias reprehendit, Serſer. *lib. 4. de iuramento c. 2. n. 13. & ſeqq.* tradit Oſuald. *in d. lib. 12. Donelli* 13

*c.22.lit.*K.Baſil. Poncius *legionenſ.de impedim.matrimon.cauſa.33.q.1.§.5.verſ.Quæri ſecundo,*& in nouatione *lib.7.de matrim.cap.65.num.5.*& ſic Medicos ſentire docet illorum peritiſſimus Petr. Garſia *vbi ſuprà,* & Paul. Zachias *dict.loco quæſt.5.num.27.*etiã *n.28.*ſubdens: Bene igitur in hac parte cautum fore per iudicẽ, ſi Medicum pro definitione huius quæſtionis vna adhibeat adiudicandum.

14 Ego tamen licèt hanc opinionem de iure communi probabiliorem, & veriorem eſſe ſemper duxerim, attentis tamen Regijs deciſionibus, quarum ſuprà in prima opinione meminimus, verius crederem, nullum hodie arbitrandi locum iudici fuiſſe relictum circa ætatem, qua minor ſit proximus pubertati iudicandus. Adducorque in hanc ſententiam, quia ea ſolùm relinquunrur iudicis arbitrio,
15 quæ à lege determinata non ſunt, *l.1.in fine,* & ibi omnes Scribentes, *ff.de iure deliberandi, l.mora, ff.de vſuris, l.de acceſſionibus, ff.de diuerſ.& temporal.præſcript.cap.de cauſis, §. illis etiam, ff. de officio delegati.*gloſ. *in cap. finem litibus de dolo & contumac.* & *in capit. ſuper his, verbo arbitrium de accuſationibus,* latè Menochius plures allegans *lib.1.de ar-*
16 *bitr.quæſt.*14.*num.*1.*& ſequentibus,* abſurdum enim eſſet vt inferior tolleret, aut immutaret legem ſuperioris tot vigilijs, & laboribus conditam, argumento *textus in l. ſi quando, C.de inofficioſo teſtament.cap.inferior.21.diſtinct.cap.Eccleſia veſtra, de electione, Clement.2.*ibi: *Quod lex ſuperioris per in-*
17 *feriorem tolli non poteſt, eodem titulo,* imò nec in introductis à conſuetudine datur locus iudicis arbitrio, textus ſingularis (ſi tamen illum non oſcitanter, ſed paulò ſolertiùs introſpexeris) *in l. ſi quis reum, ff. de cuſtod. reor.* per quem ira voluerunt innumeri Scribentes, quos tibi congeſſit Tiraquellus *in præfatione de pœnis temperandis, aut remitendis num.*4. & Menochius *vbi ſuprà num. etiam* 4. Cùm ergo in legibus Parritæ cautum ſit maiorem decẽ annis & dimidio proximum eſſe pubertati, vt patet *ex dict. l.4. tit.19.part.6.l.9.tit.1.part.7.l.17.tit.14.& l.8.tit.31.eadem 7.part.* non poterit iudex circa hoc rempus iam præfixum & determinatum ſuum arbitrium interponere, neque earum diſpoſitionem immutare, prout tenere videtur (anceps tamen vt ſolet) Gregor. *in dict.l.9.tit.1.part.7.verbo, De diez años y medio,* eandem ſententiam ſequitur Villalobos, quem refert Olanus *in antinomijs inter ius commune & Regium lit.P.num.*81. & eſſe veram communem, & renendam in iudicando, & conſulendo tradit Anton. Gomez *3.tom.variar.cap.1.num.57.* nec poſſum interim non mirari Didacum à Couarruuias contrariæ opinionis ſectatorem ad harum legum deciſionem non aduertiſſe virum aliàs oculatiſſimum, & doctiſſimum.

Quod itidem circa fœminas maiores nono anno cum dimidio, etiam hoc eodem iure obſeruandum exiſtimo: nam cûm vt omnes primæ opinionis ſectatores tenent, hac ætate approximet fœmina ad pubertatem, quemadmodum maſculus anno decimo & dimidio, quibus aſſentitur Gregor. Lopez *in dict.l.9.tit.1.part.7.gloſſa* 1. vbi eam reddit rationem, quam alibi retulimus hoc eodem anno cùm de ætate, vt accuſari quis poſſit, ſcripſimus. Inde eſt prædictæ ætatis fœminam pubertati propinquam neceſſariò ſubintelligendam. 18

SVMMARIVM.

Septennes eſſe doli capaces, ab aliquibus traditur. 1.

Septennes vſum rationis habent. 2.

Vſus rationis, & dolus ijſdem ſignis deprehenduntur. ibidem.

Verius eſt, tunc pueros doli eſſe capaces, cùm pubertati approximant, & annum decimum cum dimidio excedunt maſculi, & nonum cum altero dimidio fœminæ. 3.

Proximus pubertati de iure præſumitur doli capax, ideoque contrarium allegans probationis onere grauatur. 4.

Aliud eſt habere vſum rationis, ac habere dolum. 5.

Quando ante ſeptennium vſus rationis acceleratur, non propriè dicitur malitiam ſupplere ætatem, ſed diſcretionem. 6.

Impubes donec pubertati accedat, non dicitur peccati conſcius. 7.

An maior vſus rationis deſideretur ad peccandum, quàm ad ſponſaliorum contractum? ibidem.

De quibus infantibus ſit intelligenda l. impuberem.23.de furtis. 8.

Pueri prius vſum rationis ad venialia, quàm ad mortalia nanciſcuntur. 9.

Septennes peccare poſſe, & Eccleſia, & communis Doctorum ſententia admiſit. 10.

Neminem eſſe mundum à peccatis, etiam infantem quomodò accipiatur? 11.

C.ſi enim 40.verſ.Nos autem, de pœnitent.diſtinct.2. C.adhuc inſtant.32.verſic. In multis de pœnit.diſtinct.3. } *explicãtur. ibidem.*

Iniuſtus ſolùm ætate grandis dicitur. 12.

Præpoſitio In *principio nominis addita, negationem importat. ibidem.*

Im-

Impuberis nomen nō totalem priuationem pubertatis, ſed quandam ipſius proximitatem denotat. ibidem.

Impubertas quando incipiat & finiatur? ibidem.

Cuius ætatis extremè indigens eſſe debet, vt licèt cum propria vitæ periculo, ei ſubuenire proximus ex lege charitatis teneatur? 13.

QVÆSTIO III.

Qui doli capaces, culpæ & peccati compotes?

1 SEptennes eſſe voluerunt Gloſſa *in cap. 1. de delictis puerorum*, & ibidem Abbas, & Ioan. de Annania, *vterque num. 3.* Hippolyt. de Marſil. *in l. infans num. 5. de ſicarijs*, Angel. Aretinus *tractat. de maleficijs, verbo ſcienter & doloſe, verſic. Quidquid de infante num. 6.* Stephan. de Gaeta *in repetitio. cap. ad limina num. 200. 30. quæſt. 1.* vbi inquit, quòd doli capax dicitur puer, vel puella ſeptem annorum, quos ſecutus eſt Montalu. *in l. 8. tit. 31. part. 7.* & nouiſſimè Auguſt. Barboſ. *in collectanea ad textum in cap. 2. num. 4. de deſponſat. impuber.*

2 Indeque confirmari poteſt, quòd tūc temporis rationis eſſe compotes communis ſententia tenet, quare rectè ſponſalia, in quibus vſus rationis expoſcitur, eos contrahere poſſe, docet Conſultus *in l. in ſponſalibus. 14. ff. de ſponſalib.* & S.P. *in cap. literas 4. de deſponſat. impuberum*, iunctis alijs, de quibus ſuprà *anno 7. & 8.* proprijs locis notauimus: ergo ſunt doli capaces: nam habere vſum rationis & dolum, non diſtinguuntur, vt vel ex eo patet, quòd ſicut vſus rationis in homine cognoſcitur per ſcientiam diſcernendi bonum à malo, veluti ex Zambrano *de caſibus occurrentibus in articulo mortis cap. 4. dub. 3. num. 1.* ſuprà oſtendimus, vbi de ætate ad vſum rationis, ita & capacitas doli eodem ſigno deprehenditur teſte Stephano Gaeta *dict. loco.*

3 His tamen non obſtantibus verius eſt, tunc doli capaces pueros exiſtimari, cùm pubertati ſunt proximi, nempe ex receptiori ſententia, cùm decimum annum cum dimidio habet maſculus, & nonum cum altero dimidio fœmina, vt expreſſe probatur *ex l. apud Celſum 4. §. denique Iulian. ff. de dol. exc.* his verbis: *Denique Iulianus quoque ſæpiſſimè ſcripſit doli pupillos, qui propè pubertatem ſunt, capaces eſſe, l. hæredibus. 13. §. fin. ff. de dolo*, cuius hæc ſeries: *Ego arbitror ex ſuo dolo conueniendum*, ſcilicet pupillum, *ſi proximus pubertati eſt, §. in ſumma, inſtit. de obligat. quæ ex delict.* ibi: *Si proximus pubertati ſit, & ob id intelligat ſe delinquere*, facit text. *in l. excipiuntur, ff. ad Sillanian. & text. in l. impuberes. 23.* quæ de his eſt accipienda, *ff. de furtis.* Per quæ iura, & alia prædictam Gloſſam, & eius ſequaces reijcit Angel. hanc ſententiam dicens veriorem *in dict. l. impuberes de furtis*, Andr. Barbac. *in additio. ad Abbat. in dict. cap. 1. de delictis pueror.* Couarru. *in epitbom. ſuper. 4. 2. part. cap. 5. num. 5. in fin.* & *in relectione cap. alma mater part. 2. §. 4. num. 5. de ſentent. excommunicat. lib. 6.* & ante eum D. Antonin. *in ſumma 2. part. tit. 9. cap. 8. §. 2.* plures referens Iulius Clarus *lib. 5. receptar. ſentent. §. fin. quæſt. 60. num. 2.* & expreſſiùs Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap. 4. num. 36.* Hugo Donel. *comment. iuris ciuilis lib. 21. cap. 10. circa medium, ver-* 4 *ſic. In delictis*, Flamin. Pariſius *de confiden. beneficior. quæſt. 20. num. 24.* Proſper. Farinac. *prax. criminal. tom. 3. quæſt. 92. numero 67.* vbi inquit, proximum pubertati de iure præſumi doli capacem abſque alia probatione, & ideò allegans contrarium probare debere: quod repetit *num. 159.* quamuis Iacob. Cuiacius *titulo de minore ad fidelitatem feudi non cogendo, in vſibus feudorum* abſolutè affirmet, puberes tantùm doli eſſe capaces, non verò impuberes.

Minimeque in contrarium vrget, quod de 5
vſu rationis ſeptimo anno accedente pro priori reprobata ſententia adduximus, ſiquidem vt certum exiſtimo, vſus rationis nihil habet commune cum doli capacitate, & vt propriùs loquar, aliud eſt, quem habere vſum rationis tantùm, ac habere dolum. Nam licèt neceſſario qui doli eſt capax, vſu polleat rationis, non ita è contrario, qui vſu rationis præditus eſt, dolum habere debet, vt ſatis ex eo probatur, quòd ſeptennis vſum rationis obtinens, vt ſuprà & anno octauo conſtitit, doli capax non dicitur vſque dum pubertati approximet, & annum decimum cum dimidio excedat ex iam dictis: ergo non eſt idem vſum rationis, ac doli capacitatem habere, quamuis ſit idem ex neceſſaria ſuppoſitione eſſe doli capacem, & rationis compotem.

Deinde ſuadetur, quia ſi habere vſum ra- 6
tionis, & doli eſſe capacem pro eodem vſurparetur, quando ante legitimam ſeptennij ætatem acceleratur vſus rationis, meritò dici poſſet dolum, ſiue malitiam ſupplere ætatē, ſed dici poſſe negat Dominicus Sotus *in 4. diſt. 35. q. vnic. art. 5. verſ. Quod ſi rurſus*, quia tunc dicitur diſcretionē, ſiue prudentiā,

quæ in cognitione boni & mali verſatur, ætatē ſupplere: ergo longè diuerſus exiſtit vſus rationis à doli capacitate.

7 Rurſus doli eſſe capacem idem eſt ac poſſe dolum, & culpam committere, vt ex ſe patet: ſed impubes donec pubertati accedat, & doli ſit particeps non eſt culpæ capax, veluti manifeſtè colligitur *ex dict. l. impuberem. 23. de furtis*, vbi doli compotem, & conſequenter pubertati vicinum culpæ capacem appellat. Igitur quamuis ſit prædiтus ratione, & ſeptimum annum habeat, dolum habere non rectè dicetur: quare inquit D. Anton. vbi ſupra. *Temerarium ergo videtur aſſerere, & publicè prædicare, quòd immediatè poſt ſeptennium tenentur pueri ad iſtud præceptum,* ſcilicet confeſſionis, *ſeruandum.* Quia tunc etſi adſit vſus rationis, deficit tamen doli capacitas ad peccandum neceſſaria. Vbi ergo non datur peccatum, nec præceptum confeſſionis ligat, & conducunt tradita à Bonacina *de matrim. quæſt. 1. punct. 4. num. 4.* dum alijs adductis, aſſerit maiorem vſum rationis requiri ad peccandum, quam ad ſponſalia contrahenda, etſi contrarium magis placuerit Thom. Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſputat. 16. num. 16.* Baſilio *eodem tractat. lib. 4. cap. 1.* & alijs, quibus nouiſſimè accedit Antonin. Diana *reſolut. moral. part. 3. tract. 4. de Sacram. reſolut. 273.*

8 Nec officiet ſi dicas *in dict. l. 23.* ex eo potiùs contrarium elici, quòd culpæ & doli capacem infanti opponit, quaſi ſubindicans infantiam excedētes, videlicet iam ſeptennes, & doli & culpæ eſſe capaces: quia reſpondetur infantium nomine in *dict. l.* non ſolum qui ſeptimum annum non expleuerunt, contineri, ſed etiam ſeptennes infantiæ proximi, qui etiam infantes reputantur, *§. pupillus de inutil. ſtipulat.* quibus doli capaces, vt pubertati proximi rectè opponuntur.

Et tandem confirmatur hæc noſtra ſententia, quia ſi habens vſum rationis, etiam dolum habere videretur, non priùs poſſet venialiter peccare, quàm mortaliter, ſiquidem vſus rationis, qui neceſſario ad perpetrationem venialium requiritur, ex quo dolum & malitiam contineret, ad mortalia etiam ſufficeret.

9 At probabile eſſe affirmat Zambranus multis adductis rationibus *dict. capit. 4. dubio 1. num. 2.* pueros peccare priùs venialiter quàm mortaliter, atque adeò habere aliquo tempore vſum rationis ſufficientem ad peccatum veniale, & non ad mortale: ergo vſum rationis minimè comitatur doli capacitas ad lethale crimen neceſſaria.

10 Hoc enim propoſitæ rationes conſequuntur, ſed quia receptiſſima eſt tam noſtrorum, quàm Theologorum ſententia non ſolùm ſeptennes, ſed etiam infantes aliquādo vſum rationis habentes, quoad peccandum ſaltim doli eſſe capaces, vt colligitur ex traditis à P. Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſputat. 16. num. 15. & 16. & lib. 4. ſumma cap. 18. num. 4.* Baſilio Poncio *eodem tractatu lib. 4. cap. 1.* Bonacina *item de matrimonio quæſt. 1. puncto 4.* Ioan. Gutier. *de matrimonio lib. 1. cap. 2. num. 11.* & Antonin. Dian. *reſolut. moral. dict. tractat. de Sacramentis reſolut. 273.* vbi diſputant, an ſufficiat is rationis vſus ante ſeptennium ad ſponſalia contrahenda, qui ſatis eſt vt puer ille poſſit lethaliter delinquere? Inſtricta diſputatione, & quoad ciuilia tantùm auſim affirmare id procedere, ne tantorum virorum opinionem, & quàm quodammodò Eccleſia diu comprobabit, temerariè refellam, quamuis fateri videantur P. Molina *1. part. quæſt. 14. art. 13. diſputat. 2. §. quo loco*, & Sancius *in ſelectis diſputat. 26. num. 4.* raró in tam infantili ætate vſum rationis, circa res morales aduenire.

Nec huic communi reſolutioni, & hucuſque dictis refragatur mirabilis ſententia D. 11
Hieronymi relata *in cap. ſi enim 40. verſic. Nos autem, de pœnitent. diſtinct. 2.* ſic ait: *Et nemo mundus à peccatis, nec infans, ſi vnius quidem diei fuerit vita eius*, quod D. Auguſt. confirmat *in cap. adhuc inſtant. 32. verſic. In multis, de pœnitent. diſtinct. 3.* penè eiſdem verbis: *Nec infans vnius diei abſque peccato ſuper terram eſſe poteſt*, ex quibus colligi videtur non ſolùm ſeptennes, ſed etiam vnius diei infantes peccandi eſſe capaces. Nam vt poſt Gloſſam *in dict. cap. adhuc* ſentit Turrecremata *in dict. cap. ſi enim*, Hieronymus & Auguſtinus de peccato originali fuerunt locuti, ſine quo nemo ſuper terrā exiſtit, ideſt, exiſtere incipit. Nā poſt baptiſmū illo mundātur, *c. à paruulo. 34. de conſecrat. diſtinctione 4.* ſed cùm vtroque loco de peccato actuali ſit ſermo, vt benè agnoſcit Gloſſa *in d. c. adhuc, Verbo eſſe poteſt*, & inde probatur, quòd ſi de originali loqueretur, non ſolùm vnius diei infantes ſuper terram exiſtentes, ſed etiam in vtero poſt animationem viuentes peccatum habere profiterentur, vt ita eſſe ſuperiùs *anno 1.* oſtendimus. Mihi potiùs dicere liber, per exagerationem magis quàm, vt res ſe habeat, hoc à præfatis ſanctiſſimis Doctoribus prolatum videri, vt neminem ſine peccato eſſe edocentes omnes ad neceſſariam pœnitentiam faciliùs allicerent.

Eſt enim proculdubio veriſſimum eum ſolummodo incipere malitiæ peccatique eſſe 12
compotē, qui pubertati approximat. Itaque accipi oportet quod aduerſus Laurentium

Vallam

Vallam *lib.2. dialecticorum cap.32.* ſcribit Lelius Viſciola *horarum ſubſeſſiuar. lib.6.c.11. in principio*, nempe iniuſtum dici dumtaxar illum, qui homo natu grandis eſt, quique iuſtitiæ particeps eſſe poteſt: quoniam vt ipſe Viſciola animaduertit, infans veluti nondum iuſtitiæ capax ſolùm non iuſtus, vt lapis & cornutum animal dici poteſt, non verò iniuſtus, quod eſt priuatiuum eius, quod ineſſe poteſt & debet, tradit Gloſſ. *in l. ſacrilegi, ff. ad l. Iuliam peculat.* vbi inquit præpoſitionem *In*, in principio nominis poſitam negationem ſignificare, vt patet in pleriſque nominibus, ne dicam in omnibus, vt impotens, irrationalis, ignarus, inutilis, inobediens, & alijs: ex quibus id etiam obſeruat Paul. Zachias *Medicolegal. lib.1. tit.1. q.5. n.6.* impuberis rantùm nomen excipiens, quod licèt idem importet, ac non pubes, tamen videtur cum negatione in hoc nomine notari proxima aptitudo ad pubeſcendum, tamquam ſi diceres: Impubes is eſt, qui adhuc pubes non eſt, ſed pubertati proximus, ideoque concludit impubertatem eſſe mediam ætatem inter pubertatem & infantiam, quæ à ſeptimo anno incipit, & decimoquarto finitur: vnde cùm ex propè notatis maſculus ante decimum annum cum dimidio, & ante nonum cũ alterius dimidio fœmina iuſtitiæ & rationis particeps minimè cenſeatur, nec anteà iniuſtitię compos haberi debet.

13 Et ex his conſequenter infertur neminem ex officio charitatis teneri cum propriæ vitæ diſcrimine ei prouidere, quamuis extremè indigenti, qui hac ætate minor exiſtit: nam licèt verum ſit, vt fatetur Villalobos *in ſumma tom.1. tractat.3. difficult.7 num.7.* & nouiſſimè Antonin. Diana *reſolution. moral. 5. part. tractat.13. reſolut.23.* in extrema neceſſitate proximi teneri vnumquemque cum vitæ periculo ei ſuccurrere, hoc tamen reſpectu adulti periclitantis intelligendum eſt, nõ verò reſpectu infantis, aut proximi infantiæ, cuius nulla malitia, aut peccati conſcientia eſſe poteſt, vt iam reſoluimus, & hoc proculdubio ſentire videtur Hurtado de Mendoça *in 2.2. diſputat.144. ſect.3. §.15.* quem refert & ſequitur Diana loco *vbi ſuprà*, cùm inquit, quòd ſi adultus non ſit, qui periclitatur, nullus ei tenetur prouidere cum graui periculo, maximè æternæ ſalutis: & ratio eſt, quia tam tenera ętate, nemo dicitur extremè indigere, cùm ad conſequendam beatitudinem, nec proprijs, nec alienis auxilijs opus illi ſit qui nondum peccauit, & adhuc vt conjectari probabiliter poteſt, in gratia Baptiſmali perſeuerat; argumento eorum quæ tradit idem Diana *reſolut.24.* vbi exquirit, quæ nam ſit extrema neceſſitas, in qua quis tenetur cum vitæ periculo opem ferre alienæ ſaluti?

SVMMARIVM.

Non niſi proximus pubertati, ſiue vir, ſiue fœmina fuerit, ingratus dici poteſt. 1.
Ingratitudinis crimen dolum, & ſcientiam requirit. 2.
In vtero exiſtens, & infans, infantiæque proximus quoad rationis defectum æquiparantur. 3.
Exhæredatio abſque iuſta cauſa fieri nequit. 4.
Omnis exhæredatio regulariter ab ingratitudine proficiſcitur. ibidem.
Poſthumus & impubes ante decimum annum cum dimidio, non exhæredantur. 5.
Iuris locis, in quibus de impuberum, exhæredatione ſit mentio, lux adhibetur. 6.
L. maximum vitium. 4. C. de lib. præter. explicatur. 7.
Impuberes bona mente exhæredari ſolent, & quid hoc ſit, ibidem.
Quæ ætas in filio ingrato deſideretur, vt pater illũ interficiens de parricidio nõ teneatur. 8.
Libertus propter ingratitudinem qua ætate poſſit ad ſeruitutem reuocari. 9.
L. ſi miniſterium. 16. C. de liber. cauſa, noua quadam conſideratione dictis cõciliatur. 10.
Nullis ingratitudinis pœnis impubes ante decimum annum cum dimidio affici poteſt. 11.
Feloniam cuius ætatis pupillus poſſit cõmittere. 12.

QVÆSTIO IIII.

Ingratitudinis culpa, vt contrahi poſſit?

Non fortè Xenophon. *de Socratis dictis, aut factis lib.2.* cùm illius erga Lamprocleum ſuum, ſed ingratum filium acrem ſugillationem referret, Lamprocleum obſeruat maiorem natu fuiſſe, ſciebat vtique illum, niſi grandiuſcula ætate, quamuis parentibus gratiam nõ referret, ſceleſtum beneficij compenſatorẽ dici non poſſe, cùm nec naturalia, nec ciuilia iura prætermiſſæ gratię, vel neglecti officij crimẽ in crepundijs, aut infantili ętate agnoſcant: quinimò proximè ad pubertatẽ, ſiue virũ, ſiue fœminã accedere debere prædicãt, vt merenter ingrati vitiũ, & crimẽ contrahãt. Quemadmodũ ex noſtris prodiderunt Bart. de Hucio *tract. de ſubſtit q.2.*

*num.*10. Angelus *in §.item finitur num.*4. *inſtitut.quibus modis tutela finitur.*vbi etiam Aretin.referens Gloſſam *in l.pupillum,ff. de re iudicata*, Stephanus Brodeus, qui aſſerit tunc pubertati accedere quoad ingratidinis labem pertinet aliquem dici, cùm ſi fuerit vir, decimum annum cum dimidio,ſi verò fœmella,nouem & ſex menſes exceſſerit. Quod etiam probat Iaſon Mainus, ſeu quiſquis is eſt,qui notas ſcripſit ad Chriſtophorum Porcium *in dict.§.num.*14. & ibidem Syluester,Thom.Gram.*num.*8.Aſſinius *de executio.cap.*327 *num.*2. Quintil.Mandoſ.*de ætate minor.cap.*4.*num.*48.*&* 49. &

2 conuincitur eleganti ratione, quia ingratitudo vt crimen eſt,& dolum,& ſcientiam requirit,*l.*1.*l.infans,ff.de ſicar.*quare in ignorantem cadere non poſſe,argumento *l.ſi ignorans,ff.locati,& cap.ſi vero.*2.*de ſentent. excommunic.* tradit Ioan.Calderinus *in rubrica num.9.de teſtament.* ergo cùm eorum, qui longè à pubertate diſtant,ea ſit naturalis inſcitia, vt quicquid videant ignorent.*l.* 1. ſic intelligenda,*C.de falſa moneta* cum ſimilibus,planum eſt,illos donec fraudis dolique capaces fiant,quod ferè ſemper ſuprà deſignata ætate contingit,ingratitudinis crimen admittere non poſſe, de quibus accipiendum eſſe profiteor longiuſculum illud adagium à Diogeniano in Prouerbiorum collectaneis commemratum,videlicet,ne quid beneficij colloces,neque inſenes,neque in mulierem, neque in puerum,neque incanem cuiuſpiam, neque in garrulum remigem, ſcilicet quod perire omnino videatur, quod in iſtos in ſumitur,cuius in aliam rem meminit Andr.Tiraquellus *in l.9.connubiali num.*28.

3 Quam igitur rationem cùm veriſſimam agnoſceret Iuſtinianus *in l.ſi quis ſuo.*33.*§.legis autem, C.de inoffic.teſtament.* poſt illa verba:*Cùm enim infantem ſuum non poſſe ingratum à matre ſua vocari ſcripſit*, ita ratiocinatur:*Satis enim crudele nobis eſſe videtur,*
4 *eum qui nō ſentit,ingratum exiſtimari.* Nam licèt hoc de poſthumo adhuc in vtero eſſe intelligendum prædicti §. ſeries expoſcat, ipſius tamen rationis generalitas etiam ad non doli compotes protrahendum impellit, cùm æquè non ſentire de illis ac de poſthumis dici poſſit:ex quo ante decimum annum cum dimidio maſculi,& ante nonum cum altero dimidiato fœminæ ſenſu & ratione deſtituuntur *l quamuis.*32.*§.fin.de acquirenda poſſeſſione.*

5 Vnde eſt rectè ab Interpretibus communiter ex *dict.*§.deduci poſthumum,& nō doli capacem,quaſi vtrumque par ſit ratio,à neutro parente exhæredari poſſe: nam cùm exhæredatio abſque iuſta cauſa fieri nequeat, *l.cum ratio.*7.*ff.de bon.damnat. Authentic.vt cum de appellat. cognoſc.§.aliud quoque capitulum*, ex quibus idem obſeruat Donellus *lib.6.comment.cap.*15.*à verſic. Exhæredationis*,vbi Oſualdus *litera E.*omniſque abdicationis,vel exhæredationis occaſio à filiorum ingratitudine erga parentes proficiſcatur,vt ex his apparet,quas Iuſtinianus refert *in dict.authent.vt cùm* §.*aliud quoque capitulum,verſic.Cauſæ vero*, vbi quatuordecim recenſet,quibus conuenit *l.*4. *cum ſequentibus*, *tit.7.part.6.* Couar. *in cap.Raynunt.à num.12.de teſtament.*Oſualdus *dict.lib.6.Donelli cap.12.lit.M.*vnde inquit Aſſinius *dict. cap.*327.*num.*1. exhæredationem ingratitudinem præſupponere:ij verò,qui ob ſenſus exiguitatem,& malitiæ defectum deteſtando ingratitudinis flagitio neutiquā cōmaculari poſſunt,nec exhæredari,aut paterna hæreditate priuari permittentur, quod comprobat Aſſinius *vbi ſuprà num.*2. Quibus ſatis repellitur Vberti Giphanij ſententia contrarium opinantis *in l.maximum vitium.4.C. de liberis præter.in fine.* Maximè ſi Reipublicæ noſtræ legibus ſtandum eſt,quibus nulla alia ratione expreſsè definitur, eum ſolummodò iuſta cauſa id exigente exhæredationis dedecus ſubire debere, qui decimum annum cum dimidio expleuit,vt *in l.2.tit.7. part.6.* hac verborum ſerie cōtinetur: *Otroſi dezimos,que todos aquellos que deſciendenpor la linea derecha, puedan ſer desheredados de aquel miſmo de quien deſcienden,ſi hizieren porque, è fueren de edad de diez años y medio alomenos*,vbi Gregorius verbo *de diez años y medio* prædictis ſubſcribens, talem exhibet
rationem:quia ante iſtam ætatem nō poteſt 6
comittere ingratitudinem, & ſic nec poterit exhæredari *dict.l.ſi quis ſuo §.legis*,quam ita ſubintelligendam cenſet: vnde luce donantur Iuriſconſultorum reſponſa *in l.ſi pupillum.20.ff.de excuſatio.l.1.§.final.de vulg. & pupillar.l.planè.94.de legat.1. l.ab exhæredat.126.in princip.ff.eodem.*& Imperatorum *in l.cum quidam, C.de legat.§.non ſolùm inſtit.de pupillar.*quibus impuberes fuiſſe exhæredatos apparet,ideſt,vt ſuperiotibus cōueniant,pubertati proximos.

Et quamuis huic reſolutioni frequenter ab 7
Interpretibus objci ſoleat *dict.l. maximum vitium.4.§.fin.C.de liberis præteritis*, vbi poſthumi exhæredatio, dum tamen nominatim facta permittitur,nō aliter atque quāuis ſub alia forma antiquitùs licebat.*l.2.de bonor.poſſeſſ.contra tabul.l. ſi poſthumus,ff. de liber. & poſthum.hæred.inſtit.l.poſthumus de iniuſto rupto.§. poſthumus de exhæredat.*

libe-

liberor. vnde videtur iuſtiori ex cauſa iam natum, etſi non doli capacem, poſſe à parentum ſucceſſione, exhæredatione repelli. Nihilominus nō obſtare affirmo, ſiquidem illis omnibus interpretationibus prætermiſſis, quas adducunt Marcus Mantua *in apophtegm. iuris cap.* 177. Ferdinand. Menchac. *in dict. l. ſi quis in ſuo §. legis num.* 5. *C. de inoffic. teſtam.* Vbert. Giphan. *in dict. l. maximum vitium, in fine,* vbi etiam Petr. GilKen. *num.* 12. verius arbitror Imperatorem *in dict. l.* accipiendum eſſe de poſthumi exhæredatione bona mente facta, ſcilicet de illa, quæ nō nocendi animo, quinimò, vt filijs conſulant à multis fieri ſolet. *l. multi.* 18. *ff. de liberis & poſthumis, l. ſi patronus.* 12. *§. ſi quis non mala, l. Paulus.* 47. *in principio, ff. de bonis libert. l.* 3. *§. cum Polidius, de vſuris,* qua quidem ferè ſemper poſthumi, vt nouiſſimè obſeruauit *D. Martinus Larriategui ſelectar. iuris ciuilis lib.* 7. *c.* 11. *num.* 7. impuberes non doli compotes, & qui nullam ingratitudinis cauſam comittere poterant, exhæredabantur. *dict. l. multi,* ibi: *Vt puta impuberibus, dict. l. ſi patronus,* illis nec diſſimilibus verbis: *Vel ideò, quia impubes erat,* quam conſuetudinem hodie etiam poſt nouiſſimas Codicis & Authenticorum ſanctiones ſuo robore permanere docet Simon de Prætis *de interpretatione vltimar. voluntat. lib.* 3. *interpret.* 1. *dubio* 6. *ſolut.* 2. *num.* 7. Anton. Cuchus *tractat. de legitim. titulo legitima nullum grauamen admittit num.* 25. *fol. mihi.* 111. Oſuald. ad Donel. *lib.* 6. *c.* 12. *litera N.* de eaque intelligendum eſſe Imperatoris Alexandri reſcriptum *in l.* 2. *C. de bonor. poſſeſſione contra tabulas,* ijſdem rationibus cenſeo.

8 Ex quibus infertur, quòd cùm non minor ingratitudinis cauſa, quàm in exhæredatione regulariter deſideretur, vt pater, qui ingrato filio, quam à ſeipſo vitam accepit veluti ab indigno abſtulit, pœna legis Pompeiæ de parricidijs nullatenus teneatur, vt poſt Bartol. Angel. & Hippolyt. de Marſil. *in l. Diuus ad leg. Pōpeiam de parricidijs* docent Crotus *tractatu de teſtibus, verſ. Circa tertium, num.* 188. Menoch. *de arbitrar. caſu* 356. *num.* 41. Decian. *lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 26. Farinac. *in praxi criminali quæſt.* 120. *à num.* 167. expreſsè Emanuel Barboſ. *in remiſſionibus ad ll. Luſitaniæ lib.* 5. *tit.* 41. *§.* 1. *num.* 14. nouiſſimè Dominicus Thaſonus *obſeruatione iuriſdictional.* 2. *verſic.* 11. *num.* 20. *folio mihi.* 455. conſectarium videri eiuſdem ætatis filium eſſe debere cum eo, qui obſimile delictum à paterna hæreditate impune ſub moueri poſſe monſtrauimus.

9 Quod ſimiliter in liberto procedit, vt quaſi acceptæ libertatis immemor, & tanti beneficij referēdi parum ſtudioſus in priſtinam ſeruitutem queat à patrono redigi, iuxta diſpoſitionem *l. libertos, C. de obſequijs patrono præſtandis, l.* 1. *&* 2. *C. de libertis, & eorum liberis,* quibus accedit Plato *lib.* 11. *de legibus,* & Pontifex *in cap. libert. & in cap. admonitos.* 12. *quæſt.* 2. Nam hoc caſu libertum pubertati proximum, ideſt, annos decem cum dimidio excedentem eſſe debere indicat Cōſultus *in l. ſi adrogati, in principio* iūcta Gloſſa *verbo item redigatur, ff. de tutel.* & Imperator *in §. item finitur, inſtitut. quibus modis tutela finitur,* & notant vtrobique communiter Scriptores, quibus accedit Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. d. c.* 4. *n.* 49.

10 Sed his omnibus reſiſtere videtur generalitas *l. ſi miniſterium.* 16. *C. de liber. cauſa,* dū nulla ratione affirmat, viginti annis minores mutare ſtatum poſſe, & pro liberis ſeruos fieri: ergo nec ingratitudinis ratione ante prædictam ætatem pupillus ſeruitutem incurrere poterit, alioqui daretur, quòd antè quis libertatem inconſultè amitteret, quam alij propter ætatis rationem, ſine conſilio præſtare non poteſt, contra regulam *dict. l. ſi miniſterium.*

Cuius difficultatis nodus, etſi non tantùm propoſitam definitionem premat, vt eam deficere cogat, adeò tamen illam vrget, vt ad ipſius diſſolutionem aliquid noui excogitare conſtringat. Idque futurum exiſtimo, ideò impuberes libertos ob ingratitudinem in priſtinam ſeruitutem reuocari poſſe, quia licèt ex diſpoſitione *dict. l. miniſterium,* nemo ante ætatem, qua alijs libertatem dare poſſit, ſeruus effici queat: tamen *prædicta l.* ſimul *cum l. ſi quis.* 7. *§. fin. ff. qui ſine manumiſſ.* fatetur minorem ante illud tempus probara à Conſilio manumiſſionis cauſa manumittere poſſe: ergo & ſimiliter ea ætate, qua pupillus cauſa à Cōſilio cognita poteſt ſeruo proprio libertatem concedere & ipſe, ſi libertus doli capax ſit, ingratitudinis culpa à Præſide, vel alio iudice confirmata, vt fieri conuenit *l. alimenta, §.* 1. *de lib. agnoſ. l.* 2. *cum alijs, C. de libert. & eorum liber.* poterit ad priorem fortunam reductus ſeruus effici.

11 Et tandem, vt vno verbo rem omnem cōplectar, ijs omnibus caſibus, in quibus propter commiſſum execrabile ingratitudinis crimen, aut quid amittitur, infamia, aut alterius conditionis pœna irrogatur, quos ita profusè ac eruditè cōgeſſit Quintilian. Mandoſ. *tractat. de ingratitud.* reus doli compos, vel quod idem eſt, proximus pubertati, & ſupra decimum annum dimidium habens eſſe debet. Alioqui ingratitudinis culpam admittere

propter ætatis imbecillitatem non valens, nec iuſtè ingrati pœna mulctari poterit.

12 Itaque intelligendum erit quod ſcribunt Thomas Grammat. *in §. item finitur num. 9.* & ibidem Vveſembechius *num. 5. inſtitut. quibus mod. tutel. finit.* nempe pupillum feloniam committere poſſe. Nam cùm feloniæ crimen & in infidelitate & ingratitudine cõſiſtat, *cap. 1. qualit. domin. propriet.* ex quo ita obſeruat Forcatulus *comm. de iuribus feudorum cap. 9. num. 3. & 4.* non niſi ab illis pupillis cõmitti poterit, qui prædictam decimi anni & dimidij ætatem ad ingratitudinem & offenſam perpetrandam requiſitam, explcuerint.

SVMMARIVM.

Iniuriam alicui irrogare, crimen eſt immaniſſimum. 1.

Qui decimum annum cum dimidio excedit, iniuriandi eſt capax. 2.

Furti & iniuria magna in iure affinitas eſt. 3.

Iniuria non niſi animo & affectu cõmittitur, & ideò iniurianti aſſenſum præbens iniuriaſſe videtur. 4.

Fœmina an eadem vel minori ætate, qua vir, cenſeatur iniuriandi potens? 5.

Lex noua generaliter loquens, intelligi debet ſecundum leges antiquas in ſpecie loquentes. 6.

QVÆSTIO V.

Irrogandi iniuriam quæſit ætas?

1 Impuberem doli capacem in ea ætate eſſe, vt delinquere poſſit, & ex delicto teneri, non malè quæ ſuprà hoc ipſo anno congeſſimus, ad ſatietatem euincunt. Quocircà cùm alicui iniuriam inferre delictum habeatur, & quidem immaniſſimum, vt expendit Azeued. *in l. 2. num. 6. tit. 10. lib. 8. Recopilat.* Vveſembechius *in paratitl. ad titulum, ff. de iniurijs num. 5.* vbi id ex Bartolo probat, qui delinquendi eſt capax, & iniuriandi proculdubio erit. *l. illud. 3. §. ſanè, ff. de iniurijs*, ibi: *Sunt quidam, qui facere nõ poſſunt* (iniuriam ſcilicet) *vt puta furioſus & impubes, qui doli capax non eſt, cap. illud 2. 15. q.*
2 *1.* ergo à contrario ſenſu qui dolum habet, iniuriandi erit potens, vt probat expreſſè Conſult. *in l. pupillum. 111. ff. de regulis iur.* dum pupillum ait, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi, & iniuriæ faciendæ. Proximum enim pubertati pupillum vocat, quem doli capacem *dict. l. 3.* appellat, videlicet qui decimum annum cum dimidio excedit, vt iam multis *hoc anno* ſuo loco mõſtrauimus: è quibus vel vnicam tãtùm legem Regiam huc transferam, quæ totam rem hãc mirè comprobat, illa eſt *l. 6. tit. 5. part. 6.* vbi ita ſcribitur: *Para poder el padre desheredar tal fijo como eſte, ha meneſter que el moço aya mas de diez años y medio, à que llaman en Latin* proximus pubertati, *que quier tanto dezir, como que es cercano à ſer de edad, è ha entendimiento, ca ſi menor fueſſe, no lo podria desheredar de lo ſuyo, porque non ſemeja que puede fazer tuerto à ſu padre malicioſamente, mas que lo farà por necedad, è por mengua de entendimiento*: conducit expreſſiùs *l. 8. titulo 9. part. 7, Deshonra, è tuerto puede fazer à otro todo ome, o muger que ouiere de diez años è medio arriba*: vnde in propoſito cõcludit Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 1. num. 58.* & Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. c. 4. num. 39.* impuberem poſt decimum annum cum alterius dimidio, & iniuriam inferre, & iniuriarum actione teneri, quibus conſentire videntur Candelabrum aureum *parte de interdictis in rubrica de caſibus, in quibus Eccleſia num. 61.* Nauar. *in manual. cap. 27. num. 256.* Maceratenſis *variar. reſolut. lib. 1. reſolut. 112. caſu 6.* dum inquiunt in pueros nõ cadere iniuriam, actiuam ſcilicer, vt interpretari conuenit ob defectum vſus rationis.

Et confirmatur, nam vt poſt Aretinum, & Bartolum docet Petr. Gregor. *ſyntagmat. iuris vniuerſi. 3. part. lib. 38. cap. 1. num. 1. & 19.* iniuriarum cum furto maxima affinitas eſt, & merito. Nam quemadmodum is furatur, qui iniuria alterius bona eripit, *l. 1. & per totum titulum de furtis*, ita & qui iniuriat furtum bonæ famæ comittit: ergo conſequens eſt, vt in pari delicto vna eademque ſit ætas: & quemadmodum furtum à proximo pubertati valet cõmitti, ita & iniuria, vt vtrumque hac ratione profert Conſult. *in d. l. pupillum. ff. de regulis iuris.*

Habetque & inter alias hæc ſententia illam potiſſimam rationem, quòd iniuria non niſi animo & affectu committitur, *dict. l. 3. §. eum enim, ff. de iniurijs, l. qui iniuriæ. 55. ff. de furtis, l. verum eſt, ff. ad l. Aquiliam, l. Diuus, ff. ad l. Cornel. de ſicar.* probat Donel. *lib. 5. comment. cap. 24.* & ibidem Oſuald. Menochius *conſil. 101. num. 1.* Emanuel Barboſa *in remiſſion. ad leges Luſitaniæ lib. 5. tit. 51. §. 2.* & pluribus relatis Maceratenſis *variar. reſolutio. lib. 3. reſolut. 1. num. 57.* Petr. Gregor. *ſyntagmat. iuris lib. 38. cap. 2. num. 1.* 3

vbi

vbi fontem & originem iniuriarum animum
vocat. Vnde qui facienti iniuriam animum,
& aſſenſum præbet, pariter iniuriarum tene-
tur, *l. non ſolùm.* 11. *in principio, & §. ſi mã-
dato, & §. Proculus, ff. de iniurijs, §. non ſolum
inſtit. eodem, l.* 10. *tit.* 9. *part.* 7. quoniam in-
iuriandi animum habuit, quo ſolo conſiſtit
iniuria. At pupillus ante hãc ętatem, nec ani-
mum, nec affectum conſequitur ad iniurian-
dum neceſſarium, vtpote qui dolo & malitia
caret, vt iam oſtendimus ex *dict. l.* 3. *& ſimi-
libus*, & expreſsè docet Azeuedus *vbi ſuprà
num.* 5.

5 Sed an hoc ipſum procedat etiam reſpectu
fœminæ, vt non anteâ iniuriandi cenſeatur
capáx, quâm itidem decimum annum cum
dimidio exceſſerit? in dubium verti poteſt.
Nam ſi naturales pubertatis regulas ſequa-
mur, priùs fœmina quàm maſculus pubes ef-
ficitur, vt ſæpiùs diximus: ergo prius etiam
pubertati approximabit, veluti poſt Gloſſam
*in dict. l. pupillum, & in §. pupillus de inutil.
ſtipulat.* multis comprobauimus, & obſeruat
Gregor. Lopez *in l.* 9. *verbo maior. tit.* 1. *p.* 7.
vbi ideò reſoluit, fœminam nouem annorum
cum dimidio pubertati proximam reputari,
etiam in criminibus. Cæterùm ſi generalita-
tem dictarum legum inſpiciamus, tam ad
maſculos, quàm ad fœminas referri debere
inueniemus, ita vt par vtriuſque ætàs ad iniu-
riandum eſſe oporteat, maximè attentis ver-
bis, *l. patriæ.* 8. *tit.* 9. *part.* 7. quæ ſic rem ac-
cipit explicatque: *Deshonra ò tuerto puede
fazer à otro todo ome, o muger que ouiere de
diez años è medio arriba, porque touieron por
bien los Sabios antiguos, que deſte tiempo ade-
lante pudiera auer cada vno entendimiento
para entender ſi faze deshonra à otro*, quod
ex hac lege meritò obſeruat Azeuedus *dict.
loco num.* 6. vbi etiam miratur, hoc Grego-
rium *in dict. l.* latuiſſe, cùm alibi, nempe *in d.
l.* 9. *verbo maior*, alijs adductis legibus id ani-
maduertiſſet, & tandem difficultate ſupera-
tus, in eam ierit ſententiam, vt putet genera-
litatem dictarum legum Regni ſecundùm
diſpoſitionem iuris communis eſſe moderan-
dam: ita ſcilicet vt tam ad iniuriam quàm ad
aliud ſimile crimen, non anteà maſculus pro-
ximus pubertati reputetur, quàm decimum
annum & dimidium peregerit, nec antea fœ-
mina, quàm nonum & dimidium adimpleue-
6 rit. Cuius ſententiæ etſi non ex animo, ideò
ſubſcribit idem Azeuedus, ne detur legum
correctio, quæ quàm maximè poſſit, vitari
debet, & rurſus quoniam lex noua generali-
ter loquens, & indiſtinctè, intelligi debet ſe-
cundùm leges antiquas in ſpecie loquentes
Gloſſa *in l. ſciendum in gloſſa magna, ff. qui
ſatiſdare cogantur*, vbi etiam Iaſon, & his re-
latis Matienç. *in Dialog. relatorum* 3. *part.
cap.* 21. *num.* 4. in quo etiam, & ipſe Grego-
rio & Azeuedo aſſentior, licèt in eo decipia-
tur Azeuedus, quòd malè exiſtimauerit ab-
ſconditam fuiſſe Gregorio Lopez æqualita-
tem ætatis viri & mulieris, cuius *in dict. lege*
expreſſa fit menſio, cûm potiùs ipſe Azeue-
dus hac in re planè cęcutierit, & minimè ani-
maduerterit Gregorium *ibidem verbo, De
diez años y medio*, ita notaſſe: *Adde l.* 9. *& quæ
ibi dixi ſuprà eadem partita tit.* 1. vbi cùm id
obſeruaſſet, hæc remiſſio, non tam eum igno-
raſſe, quàm reperere noluiſſe ſubindicat.

SVMMARIVM.

*HI omnes poſſunt accuſari, qui crimen
aliquod admiſerunt.* 1.
*Minor viginti & quinque annis, ſi
deliquerit, poteſt accuſari.* 2.
*Impubes antequàm decimum annum cum di-
midio exceſſerit, minimè accuſatur.* 3. *Et
quid de fœminis?* 4. *&* 5.
*Quæ ſit ætas pubertati proxima, ſiue in maſ-
culis, ſiue in fœminis?* 4.
*Ætas ad accuſationem requiſita, dolo vel mali-
tia non ſuppletur.* 6.
*Impubes licèt maior anno decimo cum dimidio,
non poteſt de carnis delicto accuſari.* 7.

QVÆSTIO VI.

Accuſari vt quis poſsit?

REgulariter hi omnes accuſari 1
poſſunt, qui crimen aliquod ad-
miſerunt, vt conſtanter aſſeuerãt
Iulius Clarus *in praxi criminal.
quæſt.* 16. *in principio*, Cardinal.
Tuſchus *practicar. concluſ. lit. A. concl.* 163.
num. 1. A quo generali pronuntiato nec mi- 2
nores quinque & viginti annorum excipiun-
tur, poſſunt etenim ob patratum ab ipſis ſce-
lus accuſari in iudicium trahi, ſuadente hoc
manifeſtè Imperatoria deciſione *l. clarum.* 4.
vbi adnotauit Accurſius, *C. de autoritate præ-
ſtanda*, cui ex noſtris legibus adſtipulantur *l.*
4. *tit.* 19. *l.* 8. *tit.* 31. *l.* 17. *tit.* 14. *& l.* 10. *tit.*
7. *part.* 7. idemque indicare videntur Thom.
Grammat. *conſil.* 16. *num.* 6. Ioan. Gutier.
practicar. quæſt. lib. 1. *quæſt.* 70. *num.* 1. Petr.
Gregor. Toloſan. *lib.* 32. *ſyntagm. c.* 19. *n.*
1. vbi obteſtatur minorem ætatem ab accu-
ſatione immunitatem non præſtare. Quòd nõ 3
de omni minori ætate ſubaudiri debet, ſed de

ea

ea tantùm qua deliĉtum committi poteſt. Nã cùm eos ſolummodò liceat accuſare, qui & delinquere, & ob deliĉtum puniri valent: pupilli, qui pubertati non approximant, nempe qui decimum annum cum dimidio vix fuerunt ſortiti, ex dictis alibi *hoc eodem anno* velut à perpetratione criminum, & ab ipſorum accuſatione erunt immunes. *l. infans.* 12. ita interpretanda *ad l. Cornel. de ſicarijs*, quia tunc capaces furandi & iniuriæ faciẽdæ exiſtunt, *l. pupillum.* 112. *de regulis iuris* ex qua ita in propoſito ratiocinatur Petr. Gregor. *vbi proximè*, & expreſſe definitur de iure patrio *in l. 4. tit. 19. part. 6. & in l. 9. tit. 1. p.* 7. his verbis: *Pero ſi acaeſcieſſe, que eſte tal otro yerro fizieſſe, aſſi como ſi firieſſe, o mataſſe, ò juraſſe, ò otro fecho ſemejante deſtos, è fueſſe mayor de diez años è medio, è menor de catorze, dezimos que bien lo pueden ende acuſar.* & deinde: *Pero ſi fueſſe menor de diez años y medio, entonces no le pueden acuſar de ningun yerro que fizieſſe.*

4 Quo in loco Gregorius admonet, idem circa fœminas eſſe obſeruandum, vt non antè debeant accuſationem pati, quàm pubertati approximent, ac conſequenter nonum annum cum dimidio exceſſerint, cùm hæc ſit ætas, qua ſexus iſte incipit pubertati accedere: quia vt ipſe ex Gloſſa *in dict. l. pupillum in principio, & in §. pupillus.* 1. *de inutilib. ſtipulat.* aduertit tempus poſt infantiam, vſque ad pubertatem in maſculis, & in fœminis diuiditur per medium, prior pars, videlicet trium annorum cum dimidio in maſculis, & duorum cum altero dimidio in fœminis, infantiæ tribuitur, ſecunda verò pars pubertati, quapropter maſculus, qui decimum annum & dimidium alterius, & fœmina, quæ poſt nonum dimidium tranſigit, proximus, vel proxima pubertati cenſetur.

5 Nec refert, prædictam legem Regiam quę in maſculis decimum annum cum dimidio, vt accuſari poſſint, expoſcit, in fœminis dictam ætatem nouem annorum cum dimidio non deſignare: quapropter, inquit Gregorius *ibidem*, videbatur eandem ætatem decem annorum cum altero dimidio indiſtinctè circa accuſationem maſculorum & fœminarum eſſe obſeruandam: quia reſpondetur ex eo videri dictam ętatem nouem annorum cum dimidio ad fœminarum accuſationem exegiſſe, ex quo in maſculis proximum pubertati tempus decem annorum cum dimidio alterius requirit (hoc igitur pubertati propinquum appellat ius noſtrum *in l. 6. tit. 5. part. 6.*) ſupponere enim conijcitur, niſi pubertati proximos accuſari noluiſſe, vt propè oſtẽdimus, ac per conſequens etiam fœminas, niſi deſignato annorum ſpatio elapſo, quo pubertati accedunt, accuſationi obnoxias minimè fore. Reſpõdet vtrique ætas nonem an- nonem cum dimidio in mulieribus ætati decem annorum cum ſimili dimidio in maſculis, vt ſæpiùs probauimus, quocirca quicquid viris hac ætate, aut permittitur, aut prohibetur, illa fœminis, aut conceditur, aut interdicitur.

Ante hanc igitur ætatem conſtantiſſimum eſt, ſiue virum, ſiue fœminam accuſationibus inquietari non debere, & quod mirãdum magis eſt, præcipuè attenta diſpoſitione noſtrarum legum, etiamſi nondum prædicto tempore exacto doli capaces exiſtere appareat: quia, vt rectè animaduertit Gregorius Lopez *in dict. l. 9. gloſ. 3.* cùm prædictæ leges hanc ætatẽ vt accuſari quis poſſit, præſcripſerint, durũ erit, quamuis prætextu præmaturi doli ab illarum diſpoſitione recedere. 6

Ergo ſiue doli fuerint capaces, ſiuè non, niſi prædicto annorum curriculo peracto pupillus, aut pupilla accuſari nequibunt: eò verò tranſacto rectè poterunt, præterquàm in crimine ſtupri, adulterij, vel alio ſimili luxuriæ, in quibus minor annis quatuordecim accuſandus nõ venit, *l. ſi minor.* 36. *ad l. Iuliam de adulterijs cap.* 1. *de delictis puerorum dict. l. fin. tit.* 1. *part.* 1. *l. 9. tit.* 1. *part.* 7. *cum ſimilibus ſupra adductis*, eo videlicet, quia talia crimina poſt pubertatem incipiunt, vt ratiocinatur Papinianus *in dict. l. ſi minor.* Ante enim quàm pubeſcant viri aut fœminæ, inhabiles ad copulam reputantur ex ſententia Ariſtotelis *de natura animalium lib. 3. capit.* 14. Macrobij *lib.* 1. *de ſomno Scipionis cap.* 6. & aliorum, de quibus *infrà anno* 14. in ætate ad punitionem pro delicto carnis. Ergo ante pubertatis tempus de prædictis ſceleribus, quæ ab ipſis ſecundùm naturam admitti non valent, accuſari haud quaquam poterunt. 7

SVMMARIVM.

Impuberes ex quocumque delicto puniri poſſunt. 1.

Impuberes cuiuſcumque ætatis, an poſſint delicti pœnas luere? 2.

Malitia non datur in pueris infantibus. 3.

Text. in cap. 1. *de delictis puerorum, explicatur.* 4.

Vbi agitur de minoris punitione, duo neceſſariò concurrere debent, nempe quòd ſit doli capax, & proximus pubertati. ibidem.

Proximus pubertati quis dicatur? 5.

Impubes antequàm doli ſit capax, & proximus pubertati, an gratia publici exempli condemnari poſſit? 6.

QVÆST.

QVÆSTIO VII.

Vt ex quocumque delicto poſsit alicui ſaltim leuis, & extraordinaria pœna infligi?

1 Impuberes tam in crimine periurij, quàm furti & mendacij, cæteriſque quæ in dolo conſiſtunt, puniri poſſe communis docet, quam confirmant *text. in l.* 1. & 2. *C. ſi aduerſus delict. l. impunitas, C. de pœnis, l. ſi quis te reum, C. ad l. Cornel. de ſicarijs, l. ſi alteri, C. ſi minor ſe maior. dixerit, l. auxilium, §. in delictis, & l. ſi ex cauſa, §. nunc videndũ, & §. ſi in commiſſum, ff. de minoribus, l. impuberem, & l. nec minus, ff. de furtis, l. ſi minor, ff. ad l. Iuliam de adulterijs l. excipiuntur, in fine, ff. ad Senat. Conſult. Sillan. c. ſi quis cuiuslibet*, &ibi Gloſ. *verbo nec ætatem.* 21. *q.* 5. & de iure Regio *l.* 4. *tit.* 19. *p.* 6. ibi: *E non ſe puede eſcuſar por dezir que no es de edad cumplida.*

2 Circa quam illud à nobis quærendum eſt, an in puero cuiuſcumque ætatis generaliter locum habeat, an verò alia ſit habẽda ratio, ſi delinquens fuerit infans, alia ſi pupillus, vel iam in pubertate conſtitutus? In quo articulo Gloſſa *in cap.* 1. *de delictis puerorum* indiſtinctè procedere arbitratur in omni puero, qui iam doli capax ſit, nulla ætatis habita conſideratione: ex quo infert, quòd cùm infans doli capax eſſe poſſit, poterit etiam ex delicto puniri, cuius etiam opinionis fuit Abbas, & Ioan. de Anania *ibidem* vterque *num.* 3. Hippolyt. de Marſil. *in dict. l. infans, de ſicarijs num.* 5. Angel. Aretinus *in tractatu de maleficijs, verbo ſcienter, & doloſè, verſ. Quid de infante num.* 6. & eos ſequutus Montaluus *in l.* 8. *tit.* 31. *part.* 7. Cardoſ. *in praxi iudicum verbo minor. num.* 19. Perez de Lara *vbi infra*, & plures relati à Farinac. *tom.* 3. *prax. criminal. quæſt.* 92. *num.* 47.

3 Sed iſtorum ſententia manifeſtè confunditur: nam certiſſimi iuris eſt, infantem nullatenus ex delicto poſſe puniri, cùm in tam tenera ætate vix poſſit dolus, aut nequitia conſiderari: & ita habetur expreſſe *in dict. l. infans, ff. de ſicarijs, & in l. impuberes, ff. de furtis, l. quod infans, ff. de reivendicat. l. illud relatum, §. ſanè, ff. de iniurijs l.* 1. *§. impuberes, ff. ad Sillanian. l.* 1. *C. de falſa moneta, Clement.* 1. *de homicidio.*

4 Quibus iuribus non aduerſatur deciſio textus in *dict. cap.* 1. *de delictis puerorum.* Nã licèt Gloſſa eum intelligat in ſeptenni doli capace, verius eſt loqui in eo, qui iam eſt proximus pubertati, vt oſtendunt eius verba, ibi: *Pueris grandiuſculis, &c.* & ſentit Farinacius *ſupra n.* 53. & 57. quod ex eo etiam ſuadetur. Nam vbicumque de minoris agitur punitione hæc duo ſimul, & copulatiuè requiruntur, ſcilicet quòd doli capax & proximus pubertati ſit, vt patet *ex §. in ſumma, inſtit. de obligat. quæ ex delicto naſc.* ibi: *Si proximus pubertati ſit, & ob id intelligat ſe delinquere, text. in dict. l. impuberes, de furtis, & in d. l. excipiuntur, ad Senat. Conſult. Sillanian.* ibi: *Nec multum à pubertate aberat*, & quòd tunc doli capax dici quis poſſit, quando eſt proximus pubertati, & non aliàs, probat *text. in l. apud Celſum, §. quæ in tutore, ff. de doli mali & metus exceptione.* Per quæ iura & alia prędictam Gloſſam, & eius ſequaces reijcit Angelus hanc ſententiam dicens veriorem in *dict. l. impuberes de furtis*, Andreas Barbac. *in additionibus ad Abbat. in dict. cap.* 1. Couarru. *in epitome ſupra* 4. 2. *part. cap.* 5. *num.* 5. *in fine*, plures referens Iulius Clarus *lib.* 5. *receptarum ſentent. §. fin. quæſt.* 60. *num.* 2. ſentire videntur Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 4. *num.* 29. 30. & 43. Ludouic. Molin. *de iuſtitia & iure tom.* 4. *tractat.* 3. *diſputat.* 36. *num.* 3. & his expreſſiùs Hieronymus Bucaronius *de differentijs inter iudicia ciuilia & criminal. different.* 79. *num.* 5. Farinacius *loco vbi ſuprà num.* 54. 57. 59. 65. & 66. Qui & poſtmodum *num.* 120. idem in crimine homicidij tenet, ſiue fuerit dolo cõmiſſum, ſiue caſu, & dum ludis, aut colluctationibus pueri operam darent, vt *numero ſequenti* docet, necnon & in furto & periurio, ex traditis ab ipſo *num.* 127. & 130. qui omnes cõſtanter affirmant, quòd infans ſiue ſeptennis, nullo caſu poterit puniri: cùm hæc duo neceſſariò concurrere debeant, ſcilicet quòd ſit doli capax, & proximus pubertati.

Reſtat nunc ſcire, quis dicatur proximus 5
pubertati? vt inde apertè conſtare poſſit, qua ætate minores puniri iura permittant. Sed quia huius rei *hoc eodem anno* plura propriori loco ſcripſimus, nunc tantùm pro abſoluta propoſitæ quæſtionis reſolutione adijciam, proximum pubertati eſſe maſculum ab anno decimo & dimidio elapſo, fœminam verò à nono & altero dimidio, vt ibidem pluribus oſtendi, & in propoſito docet *l.* 4. *tit.* 19. *p.* 6. & *l.* 9. *tit.* 1. *part.* 7. *l.* 8. *tit.* 31. *eodem*, & Molina *vbi ſuprà.*

Hinc deducitur nimis incertũ videri quod 6
ex Gregorio Lopez *in l.* 9. *tit.* 1. *p.* 7. docet noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hom. c.* 16. *n.* 88. ſcilicet infantẽ doli capacem poſſe puniri arbitrio iudicis aliquo caſu particulari gratia

gratia exempli. Nam cùm ex proximè dictis ad punitionem cuiuſcumque criminis, illa duo in reo copulatiuè deſiderentur, vt ſit doli capax, & proximus pubertati, qui vnum tantùm horum habet, & aut proximus eſt pubertati, aut doli capax, etiam exempli cauſa ple cti non poterit, cùm ea ætate nec reus dici poſſit.

SVMMARIVM.

Pueros poſt lapſum decimi anni cum alterius dimidio, incidere in pœnam excommunicationis, irregularitatis & interdicti, probant multi. 1.

Excommunicatio ferri non poteſt, niſi contra peccantes. ibidem.

Impubes doli capax, ſi in clericum manus violentas iniecerit, an incidat in Canonem? ibidem.

Pueri non vtentes ratione, licèt nullis legibus, aut cenſuris Eccleſiæ teneantur, ſi tamen ea ætate decedant, ſepeliri nequeunt in loco interdicto. 2.

Infantes non dicuntur aſſiſtere, licèt præſentes ſint. 3.

Infans etiamſi rebaptizetur, non incurrit irregularitatem. 4.

Ætatem quatuordecim annorum in maſculis, & duodecim in fœminis eſſe neceſſariam ad pœnam excommunicationis, interdicti, vel irregularitatis incurrendam, alij docent. 5.

Loquentes cum monialibus à qua ætate excommunicentur? 6.

Impubes homicida an incidat in irregularitatem? 7.

Omnes relatæ ſententiæ probabiles videntur. 8.

Excommunicationis ſententia contra impuberem lata, vtrùm poſſit, vel per appellationem, vel per in integrum reſtitutionem retractari? ibidem.

Septennes doli capaces peccare poſſunt. 9.

In infantia non datur dolus, aut nequitia. ibidem.

Textus in cap. 1. de delictis puerorum, explicatur. 10.

Cenſuræ pharmaca, & medellæ appellantur. ibidem.

Pueri peccātes à Deo mittuntur in gehennam ignis. 11.

Excommunicatio eſt neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. 12.

Excommunicatio, & deportatio æquiparantur. 13.

Pupillus doli capax deportatur. ibidem.

Paruuli etiam fideles dicuntur. 14.

Quilibet fidelium, quamuis prouectioris ætatis, magis in Eccleſiæ, quàm parentis poteſtate exiſtit. ibidem.

Poſt ſuſceptum Baptiſmum omnes Eccleſiaſticis legibus ſubduntur. 15.

Iuriſdictio abſque facultate coercendi inutilis eſt. 16.

Eccleſia noluit pueros, licèt peccantes, ante perfectum vſum rationis cēſuris ligari. 17.

Contumax ſiue in ciuilibus, ſiue in ſpiritualibus, à qua ætate quis dici poſſit? ibidem.

QVÆSTIO VIII.

Excommunicationis, interdicti, & irregularitatis pœnam, ac cenſuram cuius ætatis homines ſufferant?

HAc de re variè ſenſerunt tam noſtri, quàm Theologi. Plures enim indiſtinctè docent, puerum doli capacem, ideſt, vt alibi oſtendimus, maſculum decem annorum cum dimidio, & fœminam nouem cũ alterius dimidio in excommunicationem, interdictũ, & irregularitatem incidere. De excommunicatione, ita ſentire videntur Pontifices *in cap. quamuis.* 58. *cap. pueris.* 60. *de ſentent. excommunicat.* & ex eis proferunt Panormitan. *in cap. pueris.* 60. *de ſententia excommunicationis*, Hoſtienſis *in ſumma lib.* 5. *titulo de puerorum delictis*, Ioan. Andr. & Butr. *in cap.* 1. *de delictis pueror.* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 4 *num.* 36. Franc. Marc. 2. *part. deciſ.* 822. nouiſſimè Ioan. Henriq. *in compendio caſuum conſcientiæ cap.* 4. *num.* 8. Sà *in ſumma verbo cenſura num.* 2. Paul. Comitol. *reſponſo moral. lib.* 6. *quæſt.* 18. vbi pluribus oſtēdunt doli capaces, ſi manus violentas & contumelioſas afferant clerico, in excommunicationem incidere. Idem, multis relatis, concludit Sairus *in theſau. caſuum conſc. lib.* 1. *cap.* 8. qui & *cap.* 16. *num.* 3. eam rationem aſſignat, quare infans non poſſit excommunicari? ſcilicet, quia cùm excommunicatio ferri non poſſit niſi contra eos, qui peccare poſſunt, *cap. ſed illud.* 44. *diſtinct. cap. nemo, cap. nullus Sacerdotum.* 11. *quæſt.* 3. *capit. tam Sacerdotes.* 24. *quæſt.* 3. aduerſus huiuſce ætatis pueros, qui nequeunt mortaliter peccare, *cap.* 1. & 2. *de delictis puerorum*, decerni minimè poterit, & ſi decernatur, inutilis erit, eoſque non ligabit, vt etiam voluit Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 8. Perez de Lara *in compend. vitæ homin. c.* 16. *n.* 113. Confirmant de interdicto loquentes, Sylueſt. *verbo interdictū* 3. *n.* 18. vbi inquit, puerum doli capacē pati pœnā, & cenſuram inter-

interdicti, ſi feratur interdictum contra vniuerſum populum, Angelus idem affirmat *eodem verbo tit.* 2. *n.* 5. & ibidem Roſella *titul.* 1. *num.* 8. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 26. *cap.* 3. *in principio*, inquiens, interdictum ferri poſſe contra cuiuslibet ætatis homines, expreſsiùs Couar. *in cap. Alma mater*, *p.* 2. §. 4. *num.* 5. *de ſentent. excommun.* his verbis: *In pueris etiam illis locum habet interdictum, qui poſt ſeptennium, etſi non ſint doli capaces, percipiunt tamen, & intelligunt, aliqua ex parte cognitionem habēt diuinorum officiorum, cognoſcentes equidem miſſarum ſolemnia pertinere ad cultum diuinum, & ad Chriſtianæ religionis profeſſionem*: ex quibus ita docet Paulus Comitol. *reſponſ. moral. dict. lib.* 6. *q.* 19. *num.* 3. Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. P. Auila *de cenſuris* 5. *p. diſput.* 4. *ſect.* 2. *dub.* 5. *verſic. Prima concluſio*, vbi contra Nauarrum tenet, infantes tempore interdicti ab Eccleſia non eſſe excludendos, quia ante vſum rationis non comprehendun tur in interdicto generali, ſiue perſonali, aut locali: & repetit *diſp.* 5. *dub.* 5. Ex quibus ſatis comprobata manet ſententia Candelabri Aurei, *tract. de interdicto, num.* 51. qui vt Nauarrum excuſet, aſſerit ipſius opinionem eſſe veram in terra interdicta, in qua nec etiam doli incapaces poſſunt ad diuina admitti. Conſentit Sairus *in Theſauro caſuum conſcientiæ lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 28. licèt contrarium tenuiſſet, *dict. lib.* 1. *c.* 8. *num.* 2. *in fin.* Ægid. Trulench *in expoſitione Bullæ Cruciatæ* 1. *part.* §. 3. *dub.* 10. *numer.* 1. qui ita accipiendum admonet ex Couar. *vbi ſuprà*, Rodriguez, Sanchez, & Suarez, dummodò diuinum officium cultum, ac ceremonias ſacras cognoſcere nequeant, quorum ſententiam refellit Auila *vbi proximè, verſ. Secunda concluſio*, nimirum, quia ante ſeptennium nemo habet perfectum vſum rationis, quam uis poſsit aliquo modo percipere, officia diuina fieri in diuinum cultum: qui enim vſu rationis caret, vt nec venialiter peccare, ita nec interdicto comprehendi poterit, ſic

2 Lara *vbi ſuprà num.* 114. Vnde notat Antonin. Diana *dict. tractatu, reſolutione* 88. *in fine*, quòd licèt pueri ante vſum rationis aſtricti non ſint legibus, & cenſuris Eccleſiæ; at ſi in eà ætate decedant, ſepeliri non poſſunt in loco interdicto: quia hæc prohibitio non tam ipſos, quàm ſepelientes reſpicit, vt docent Salas *de legibus, diſput.* 14. *ſect.* 13. *num.* 126. Suarez *de cenſuris, diſput.* 35. *ſect.* 1. *num.* 2. & alij, quos ipſe refert, quibus addendus erit Ægid. Trulench *loco vbi ſup. num.* 1. & Auila, *d. diſput.* 5. *dub.* 5.

D. Didac. de Narbona.

Et his rationibus ſeptennio minores interdicti ſententia non colligari, probat Auila *dict. loco*: nempe, quia pueri ante eiuſmodi ætatem non ſunt capaces præcepti Eccleſiaſtici, imò nec naturalis: & demum, quia iſti non dicuntur aſsiſtere diuinis officijs, ſiquidem non aſsiſtunt moraliter: & quando Eccleſia tempore interdicti prohibet laicis, ne aſsiſtant diuinis officijs, prohibet aſsiſtentiam moralem. 3

Quod autem nec irregularitatem incurrat infans ante prædictum tempus, ſatis ex *Clementina vnica de homicidio* colligitur, vbi etiam admonet Gloſſa, & *in capit.* 2. *de delictis puerorum*, Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 16. *num.* 111. vbi & *n.* 112. ſubijcit, infantem rebaptizatum non fieri irregularem, quia cùm irregularitas ſit pœna, quæ imponitur pro delicto, *c. placuit, c. qui apud* 1. *q.* 4. in infantem cadere non poteſt, quomodo intelligendum docet *cap. qui in qualibet ætate* 1. *q.* 4. Maiolus *de irregul. lib.* 5. *cap.* 48. *in princip. n.* 11. *verſ. Infans*, vbi tutius eſſe affirmat contra aliquos, aſſerere, maiorem ſeptennio etiam non doli capacem ob homicidium fieri irregularem. Cuius ſententiam improbaſſe videtur Paul. Comitol. *dict. quæſt.* 18. *n.* 3. cùm ex Gloſſa, Ioan. Andrea, Butrio, Panormitano, & Hoſtienſi, puerum eſſe doli capacem requirit, vt poſt infantiam, ſi hominem occidat, irregularitatis labem contrahat, Carrerius *in praxi criminal. folio mihi* 163. *n.* 3. docet expreſſe Sà *in ſumma, verbo Irregularitas, num.* 6. nouiſsimè Hieronym. Perez *in ſumma Theolog. in* 9. *præcepto, tractatu de las cenſuras Ecleſiaſticas, verb. Irregularidad, fol.* 200. & pluribus relatis idem ſentire videtur Proſper. Farinacius *tom.* 3. *prax. criminal. q.* 92. *numer.* 179. quemadmodum & generaliter de omnibus, & quibuſcumque cenſuris à iure latis, tradunt Vgolinus *de cenſuris, capit.* 17. §. 3 *num.* 5. Suarez 3. *p. tom.* 5. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 19. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 41. *quæſt.* 10. Enriquez *lib.* 8. *c.* 42. *num.* 8. Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 7. & 8. 4

Contrarium tamen de cenſuris ſaltim ab homine prolatis ſuſtinuere nonnulli, vt Vazquez *in* 1. *part. tom.* 4. *q.* 90. *art.* 2. *dub.* 4. *artic.* 3. Cordub. *in ſum. q.* 60. *diſt.* 4. Sanchez *in ſum. vbi proximè*, & Sancius *in ſelectis, diſp.* 26. *num.* 18. & alij, quos iſti referunt, qui omnes veriſsimum eſſe obteſtantur, hominum cenſuris pueros non adſtringi quouſque ad pubertatem, & annum quartumdecimum maſculi, & fœminæ ad duodecimum peruenerint. 5

O Et

6 Et abſolutè de omnibus & quibuſcumque cenſuris, ſiue ab homine, ſiue à iure latis, idem docet Aloiſius Riccius *in praxi rerum fori Eccleſiaſtici, deciſ.* 457. Ochagauia *de Sacram. tractat.2.de Euchariſt. q.* 7. Guielt. Mercerus *de Sacram. in 3. part. D.Thomæ, quæſt.6.art.5.num.*7. Caſtrus Palaus *in opere morali, tom.1.tract.3.diſput.1. punct.*24 §.2. *num.9.* quem refert, & ſequi videtur eximiæ literaturæ vir Antonin. Diana *d.reſolut.*88. qui & *3.part.tract.2.de dubÿs regularium, reſol.*48.*verſ.Nota* 5. ideò contra Graphium *conſ.*22.*de ſenten.excommun. num.* 9. tenet pueros, puellasvè ante annum quartumdecimum completũ loquentes cum monialibus non incurrere excommunicationem, per ea, quæ tradit Bonacina *de cenſuris diſput.1.q.1.punct.4.num.*7. Confirmat nouiſsimè ſuperiorem ſententiã idem Diana *p.4.tract.4. reſolut.*207.*&* 5. *part. tractat.9. reſolut.* 46. docet pluribus relatis Hieronymus Perez *in ſum.Theologica in 9.præcepto, titul. de las cenſuras Ecleſiaſticas, fol.*191. *liter.C.* Ioan. Enriquez *in compendio caſuum conſcientiæ, cap.4.num.*8. A qua generali regula tantùm excipiunt ſententiam excommunicationis ipſo iure latam ob percuſsionem Clerici, quam propter criminis grauitatem contrahi exiſtimant à pueris doli capacibus ante pubertatem, vt *in d. c.quamuis, & dict.c.pueris*, cauetur & probat pluribus relatis Carolus de Graſsis *de effectib.Cleric.effect.9.n.*13.

7 Ex qua doctrina infert Auila *d. tract.p.7. diſp.6.ſect.5.dub.*13. Enriq.*lib.*13.*de irreg. c.*3.*n.*4.*in Gloſſa lit.* Z. Sancius *in ſelectis, d.diſp.*26.*n.*18. *in fin.* & Antoninus Diana *vbi proximè* contra Laiman.*in Theologia moral.lib.1.tract.4.c.*10.*n.6.*& alios ſupra relatos, puerum impuberem, occidentem non contrahere irregularitatem.

8 Sed licèt omnes iſtæ ſententiæ propter auctoritatem tantorum virorum ſatis ſint probabiles; prior tamen longè probabilior, & magis ſequenda mihi videtur; quam vltra alios optimè defendit Farinac. *prax. crim. tom.3.q.92.n.*159.quamuis aſſerat excommunicationis ſententiam contra huiuſmodi impuberem latam retractari poſſe, vel per appellationem, vel per reſtitutionem in integrum, Paul. Comitolus *d.q.*19. & indicat Melch. Zambranus *tractat. de caſibus occurrentibus in articulo mortis, c.4.dub.3.n.*11. cùm inquit ſolùm pueros vndecim annorum comprehendi cenſuris impoſitis, non confitentibus. Quod ſequentibus fundamentis adſtruo.

9 Primò, quia eiuſmodi pueri poſt lapſum ſeptẽnij, & doli capacitatẽ peccare poſſunt, vt apparet ex *d.c.1.de delictis puerorũ*, Gloſſa *in c.paruuli, verb. Loqui, de conſecr.diſt.*4. & probant latè Bellamer.*in c.eos n.1.de cõſecr.diſt.*4. Sanch.*vbi ſup.n.*16. Ioan. Guti. *d.c.2.n.*12.vbi ex pluribus etiã ante ſeptennium lethaliter peccandi eos facultatem habere ſubindicat. Ergo & ſpiritualiter poterunt puniri, ſiquidem ſolummodò infantes excuſantur à pœna, cùm in tam tenera ætate vix poſsit dolus, aut nequitia conſiderari, vt habetur expreſſe *in l.infans.ff.ad l.Cornel.de ſicar.& in l.impuberes, ff. de furtis, l. quod infans, ff.de reivendic.l.illud relatum, §. ſane.ff.de iniurÿs, l.1.§.impubes, ff.ad Sylla. l.1.C.de falſ.moneta, d.Clem.1.de homicidio.*

Nec obſtabit ſi replices, quòd licèt verum ſit iã decennes, & grandiuſculos pueros peccatis poſſe coinquinari; attamen non ideò vt maiores poſſe puniri, veluti in *d.c.1.* probatur, ac cõſequẽter ex percuſsione, verbi gratia, Clerici, aut alio crimine, quo quilibet maior ipſo iure excommunicationis pœnam ſubiret decennio maior, excõmunicari non debet. Alioqui non mitiùs puniretur puer quàm maior, cùm vterque pari ſupplicio afficiatur. Nam reſpondetur S. P. dum inquit peccata in pueris nõ ita vt in maioribus eſſe plectenda, de pœnis corporalibus loqui, quæ ratione ętatis minuuntur, *l.auxilium, § etiã, l.ſi ex cauſa, cum ſimilibus alibi congeſtis ff.de minoribus*, vnde inquit Anton. Cardoſ. *in praxi aduocat. lit.M.n.*17. quòd minor impubes doli capax ſi Clericum percutiat, incurrit excommunicationẽ maiorem, ſicut adultus; attamen mitiùs punitur, quia non mittitur ad S. Pontificem, ſed abſoluitur ab Epiſcopo, vt etiam alibi probabitur, & docet Franciſcus Marcus *d.2.p.deciſ.*822. non verò loquitur de ſpiritualibus pœnis, vt de cenſuris, de quibus noſter ſermo: etenim hæ potiùs pharmaca vtiliſsima, & ſalutares medellæ ſunt, quibus Eccleſia ad ſalutem animæ, cùm peccatis infirmatur, vtitur, *cap.multi 2.q.1. cap.notandum 24. q.3. cap.1.de exceptio.lib.6.cap.1.de ſentent.excommun. eodem libro*, docent Couarr. *in d. c. Alma mater, p.1.in initio num.9.* Stephan. Coſta *in repetit. dict. cap. cùm medicinalis, num.1.de ſentent.excom.lib.6.*& plures relati à Sairo *in Theſauro, lib.1.c.1.n.9.* Igitur cùm puer ægrotans ferè ſemper iiſdem medicinis indigeat, ac quilibet maior æquali infirmitate detentus, ita & ſimiliter cũ peccati languore grauatur, eadem ſalutari cenſura reparari debet, qua & ita peccantes adulti curantur. 10

Secundò confirmatur ſuperior ſententia 11

ex

ex eo quòd Deus etiã puerorũ delicta flammis vlciſcitur ſempiternis, ſi facinus ea pœna dignũ perpetrent, ſuaque diuina gratia & fœlicitate eos priuat, argumẽto *c. firmiſſime 2. de conſecratione, diſt.* 4. & eorum, quæ referunt de puero quinque annorũ damnato, & de manibus patris à Dæmonibus arrepto, eo quòd eſſet blaſphemus, D. Thom. *diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. D. Antonin. 2 *p. tit.* 9. *c.* 8. §. 2. *col.* 2. D. Gregor. *lib.* 4 *dialogor. c.* 18. & ex eis Zambranus *vbi ſup. n.* 5. vbi & *n.* 8. abſolutè inquit, damnandum eſſe puerum, ſi in peccato mortali decedat, in quo poteſt eſſe, licèt illud non cognoſcat: ergo poterit, ac debebit Eccleſia eos peccantes ſuis iuſtis legibus ſubiicere, & cenſuris mulctare.

12 Tertiò ſuadetur ex Platone *lib.* 7. *de legibus*, his verbis: *Eſt autem puer omni beſtia intractabilior. Nam cùm prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, inſidioſiſsimus eſt, acerrimuſque & petulantiſsimus omnium beſtiarum: ideò multis quaſi frænis coercendus eſt*: ergo & excommunicatione, ac alijs cenſuris decet coerceatur. Quæ nedum fræna, ſed & nerui ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, *c. cùm inter, de conſuetudine, Clemen.* 1. *de ſenten. excommun.* quibus rebelles, & velut effrænes ad obedientię viam reducuntur.

13 Quartò facit, quòd excommunicatio æquiparatur deportationi, vt voluit Bartol. *in l.* 2. *de publicis iudicijs*, eo videlicet, quia ſicut deportatus ciuitatem amittit, nec à ſuis recipi poteſt, *l. quidam ff. de pœnis*, ita nec excommunicatus, argum. *c. ſicut Apoſtoli, cum tribus ſequentibus* 11. *q.* 3. quam ſimilitudinem ſaltim quoad aliqua fatetur Sairus *d. lib.* 1. *Theſauri c.* 3. *n.* 15. Igitur cùm pupillus doli capax, ſi pœna tanta dignum crimẽ conciſcat, poſsit deportari, *l. ſi adrogati* 14. *ff. de tutelis, §. item finitur, inſt. quib. modis tutela finitur*: iunctis his, quæ in eamdem rem *anno* 11. notauimus à paritate rationis & excommunicari, alijſque cẽſuris plecti valebit.

14 Quintò, vt optimè conſiderauit Paul. Comitol. *d. loco n.* 5. cuncti fideles, ſiue infantes (qui etiam ſunt fideles, *cap. nihil eſt aliud, c. paruuli rectè ſideles, de conſecrat. diſt.* 4.) ſiue pueri, ſiue adulti, magis ſunt in poteſtate Eccleſiæ quàm ſuorum parentum, nam de parentum poteſtate multis modis exeunt, vt adoptione, emãcipatione, & cæteris: at verò in Eccleſiæ poteſtate ſemper remanent. Si ergo pater ſuo filio ad maiiritiæ annos progreſſo, & leges, & pœnas imponere ſolet, cur non id faciet parens omnium fidelium Eccleſia? *c. qui abſtulerit* 12. *q.* 2. *c. quorum vices*, vbi notat Gloſſa 69. *diſtin.*

15 Et fulcitur hęc ratio, quia ex ſententia D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 96. *art.* 5. omnes qui ſubdũtur poteſtati Eccleſiæ, ſubduntur etiã ipſius legibus & præceptis: ſed poſt ſuſceptũ Baptiſmum omnes, qui peccare poſſunt, ſubiacẽt poteſtati Eccleſiæ: ergo & ſuis legibus, ac conſequenter doli capaces, & proximi infantiæ, quos poſſe peccare ſuprà oſtẽdimus, Eccleſiaſticis cenſuris, ſiue ab homine, ſiue a iure prolatis teneri debebunt.

Sextò his accedit præfatam iuriſdictio- 16 nem, quam Eccleſia in pueros peccantes obtinet, inutilẽ futuram, ſi eos excõmunicare, ac alijs cenſuris compeſcere non poſſet, ſiquidem iuriſdictio abſque facultate coercendi nullius eſt momẽti, *l. fin. ff. de officio eius, cui mand. eſt iuriſd. c. paſtoralis* 28. *in principio*, ibi: *Poteſt compelere renitentem, eo quòd iuriſdictio illa nullius videretur eſſe momẽti, ſi coertionem aliquam non haberet. de officio, & poteſtate iudicis delegati.*

Ex quibus omnibus planè conuincitur, vtriuſque ſexus doli capaces, nempe maſculum poſt decimum annum cum dimidio, & fœminam poſt nonum cum dimidio alterius excommunicatione, interdicto, & irregularitate puniri poſſe. Quia licèt anteà pecca- 17 re potuerint, ita vt excommunicari mereantur; noluit tamen Eccleſia ante perfectum vſum rationis, qui hoc tempore frequenter contingit, illos cenſuras incurrere, vt expreſſe docet Suarez 4. *tom. in* 3. *part. diſput.* 36. *ſect. vltim.* Maximè cùm, vt aduertit Zambranus *d. cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 11. ſoleat in pueris relinqui inultum, quod in alijs adultis leges ſeueriùs puniunt. Nec obſtat, quòd excommunicatio non niſi pro contumacia ferri poſsit, vt pluribus oſtendit Sairus *d. lib.* 1. *c.* 9. quam cum vigeſimo & quinto anno minores minime incurrere teneant Proſperus Fatinacius *tom.* 1. *prax. crimin. quæſt.* 11. *à num.* 26. Anton. Faber in *l. minor etiam* 8. *de minoribus*, & Nos *infra anno* 25. probabimus, etiam ante illud tempus nec excommunicationem pati eos debere videbatur: ſiquidem, quamuis in ciuilibus certũ ſit, eos ſolùmodò fauore minoris ætatis contumaces haberi, qui poſt vigeſimumquintum annum noluerunt legis, aut iudicis obedire mandatis. Attamen in ſpiritualibus vbi verſatur animæ præiudicium, ceſſat prędictus fauor: vnde doli capaces, qui culpæ ſunt compotes, in contumaciam incidunt ſufficientem, ad excommunicationis ſententiam, cùm ad eam illa requiratur contumacia, quæ ex inobedientiæ peccato reſultat, vt ex Soto & Couarruuias optimè docet P. Auila *de cenſur.* 2. *p. cap.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 6.

SVMMARIVM.

Pvpilli pubertati proximi deportationem ſubibant. 1.

Vt deportari quis poſſet, ille proximus pubertati habebatur, qui decimum annum cum dimidio exceſſerat. 2.

Fœminæ etiam deportari poterant, ſi nonum annum & dimidium alterius egiſſent. 3.

Deportatio an ciuilis mors dicatur? 4. & 8.

Deportati vnde nomen acceperint, exponitur. ibidem.

Pupillus, quamuis pubertati proximus, pœna mortis, affici non poteſt. 5.

De naturali ad ciuilem mortem valet argumentum. 6.

Deportatis peſtiferæ, & inſalubres inſulæ deſignabantur, vt ſic earum intemperie citò perirent. ibidem.

Decapitationem loco depertationis ſucceſſiſſe, vult Baiardus. 7.

Deportatio olim, vt apud noſtros hodie capitis amputatio, nobilium pœna extiterat. ibid.

Deportati potiùs peregrini, quàm ſerui ſunt appellandi. 9.

L. 1. *§. fin. ff. de bon. poſſ. contra tabul. intelligitur.* 10.

Ciuitas deportatione amittebatur. ibid.

Togæ vſus erat deportatis interdictus. ibid.

L. ex facto 17. *§. ex facto ad Trebel. nouiter explicatur.* 11.

Filij extra patris poteſtatem exiſtentes extraneorum loco habentur. 12.

Societas deportatione diſſoluitur, & quare. 13

Filij poſt deportationem concepti, & nati, faciunt deficere conditionem ſi ſine liberis, ſecus ſi ante deportationem ſint concepti. ibidem & 14.

Poſthumus pro nato habetur, etiam quoad patriam poteſtatem & ſuitatem. 15.

Concepti ante emancipationẽ filij, quãuis in ea editi, aui nihilominus poteſtati ſubdũtur. 16

L. ſi quis 56. *ff. ſoluto matrimonio, nouiter & verè exponitur.* 17.

Idem eſt non habere mulierem, ac impeditam, & nullius vſus habere. ibid.

Diuortij vera etymologia traditur. 18.

Diuortium, non niſi iuſta cauſa interueniente fit. ibidem.

Deportatio quoad matrimonium attinet, morti magis quàm diuortio accedit. ibid.

L. cognitionum 5. *ff. de varijs & extraor. cognition. latè exponitur.* 19. & 20.

Deportatio aliquando etiam libertatem adimit. 21.

Verbum, euenit, *quid ſignificet?* 22.

Impubes niſi poſt decimum annum cum dimidio relegari non poteſt. 23.

Relegatio attenta delinquentis ætate, vel in longius, vel in reſciſſius tempus fit. ibid.

Exilij pœna an relegationis, vel deportationis loco ſucceſſerit? 24.

Exulare non debet impubes minor annis decem & dimidio. ibid.

QVÆSTIO IX.

Vt pœna deportationis olim infligeretur, & exilij nunc infligatur?

PVpillos inueterato illo deportationis ſupplicio malè mulctatos fuiſſe, vno vel altero iuris expreſſo teſtimonio ſuademur. Vlpiani primum eſt in *l. ſi adrogati* 14. *ff. de tutelis*, & Imperatoris Iuſtiniani, ſecundum in §. *item finitur, inſtit. quibus modis tutela finitur*, vbi communiter Scribẽtes proferunt, apud quos etiam conuenit, non quoſcumque impuberes huius pœnæ immanitati extitiſſe obnoxios, ſed illos tantumdem, quos proximos pubertati nuncupamus, qui licèt ex aliquorum non improbabili ſententia, iudicis arbitrio æſtimentur, vt ſuo loco oſtendimus, & iam iam in noſtro Toletano Lycæo publice docuimus: Tamen in propoſito, eos proximè 2
ad pubertatẽ accedere multi affirmant, qui decimum annum cum dimidio excedunt. Ita Angelus in *dict.* §. *item finitur num.* 1. vbi etiam notant Balduinus *num.* 3. Grammaticus *num.* 5. Ioann. Ferrarius, Claudius Cantiuncula, *verſ. Alius finiendæ*, Miſing. & Thadæus Piſon. *num.* 1. *verſ. Tertio deportatione*, ſiquidem illa ætate, ſcelus aut crimen aliquod patrari poſſe, ob quod deportationis pœna mereatur, argumento eſt *textus in l. pupillum* 111. *ff. de regul. iur. l. impuberem, ff. de furtis, l. apud*, §. *ſi quis non tutor. ff. de doli mali exceptione*, §. *in ſumma, inſtitut. de oblig. quæ ex delicto naſcuntur, capit.* 1. *de delictis puerorum, l.* 4. *titul.* 19. *part.* 6. *l.* 9. *tit.* 1. *l* 8. *tit.* 31. *part.* 7. & alię, quarum *hoc eodem anno* meminimus. Quod 3
in fœminis etiam procedit, quas hac pœna fuiſſe mulctatas indicat, *l. ſi quis* 56. *ff. ſoluto matrimonio, & l. & ſeruorum* 5. *ff. de ſtatu hominum*, vbi verbum: *vel expulſa ciuitate*, de deportatione accipit Gloſſa, & Gobea *lib.* 2. *cap.* 11. Quapropter nonum annum cum dimidio excedentes deportari potuiſſe, non irrationabiliter cum Miſingero *vbi proximè* ſuſpicor.

Illud

4 Illud autem prædictę opinioni bellum inferre poterat, quod vulgò circumfertur, nempe deportationem ciuilem mortem eſſe, *l. ex facto* 17. §. *ex facto, ff. ad Trebel.* expreſsior textus *l.* 1. §. *fin.* ibi: *Deportatos enim mortuorum loco habendos, ff. de bonorum poſſeſſ. contra tabul. l. verum* 63. §. *vltim. ff. pro ſocio, l.* 4. §. *ſi deportatus, ff. de bonis libert. l. ſi quis* 56. *ſoluto matrimon.* ex quibus probant Baconius *lib.* 1. *declarationum cap.* 18. *num.* 5. Petr. Gregor. *lib.* 26. *ſyntag. cap.* 17. *num.* 3. & fortè hac de cauſa deportati ſic appellati ſunt, quaſi extra portam dati, ideſt, quaſi jam mortui & ſepulti haberentur, ſiquidem cùm lege duodecim tabularum mortui in ciuitate ſepeliri prohiberentur, *l.* 31. *Romuli* extra portam deponebantur, quam ob cadauera, quæ per eam deferebantur, Libitinenſem nuncupabant, vt meminit ex Lampridio Balduinus *in dict. l. num.* 4. à quo nec procul diſtat Marius Salomonius, qui *in repetitione, l. Gallus, §. & quid ſi tantum, num.* 21. *de liberis & poſthumis,* veluti mortui, aſſerit, deiecti in alias ſedes migrare creduntur ita in inſulas deportati, quaſi in alterum orbem delati omnibus exuti bonis inter mortuos connumerati ſunt. Vnde
5 quemadmodum pupillus, quantumuis pubertati proximus, pœna mortis affici non poteſt, argumento *l. auxilio* 37. §. *in delictis, ff. de minoribus, dict. cap.* 1. & 2. *de delictis puerorum, l.* 4. *titul.* 19. *part.* 6. *l.* 9. *titul.* 1. & *l.* 8. *titul.* 31. *part.* 7. quod pluribus in eandem rem concenturiatis tradit Petrus Caballus *reſolut. criminal. centuria* 2. *caſu* 134. *à num.* 1. ferè per totum, & nos prolixa nimis diſputatione inferiùs adſtruemus. Pari modo dicendum videbatur, im-
6 pubetes licèt pubertati propinquos, deportationis capitale ſupplicium perpeti non debere, cùm de naturali morte ad eam, quæ ciuiliter deportatione irrogatur, valeat argumentum *dict. l. ex facto, §. ex facto, & dict. l.* 1. §. *fin. cum ſimilibus.* Et conducunt tradita à Mario Giurba *conſ. criminal.* 65. *num.* 26. Imò idem erat, quem deportare, ac morte naturali illum plectere, cùm frequenter exitiales inſulæ deportatis aſsignarentur, quarum intemperie, & aerum infectione citò perirent, vt ex Baldo *in l.* 1. *in fine, C. de monopolijs,* refert Ioan. Baptiſta Baiardus *ad Iulium Clarum, quæſt.* 67. *num.* 16. Idque vno verbo innuere videtur Marcus Mantua *vbi ſup. num.* 3. quare decapitationem hodie de-
7 portationis loco irrepſiſſe, cum Iulio Claro *dict. q.* 9. *n.* 8. concludit *dict. loco* idem Baiardus, & apud noſtros non male eo ſuaderi poterat, quòd antiquitus deportatio, quemadmodum & capitis amputatio hiſce temporibus nobilium & Heroum pœna habebatur, *l. Padius, de incendio, ruina & naufragio, l. capitalium de pœnis, l.* 2. *l. honor. l. decurionum, C. de pœnis, §. item lex Iulia, inſtitut. de public. iudic. l. inter pœnas, ad finem, de interdict. & relegat. l. Diui, de pœnis,* ex quibus ſic nouiter obſeruat Iacobus Gallus *in apic. legum, ad l. illicitas, ff. de offic. præſidis, fol. mihi* 36.

Sed ſcrupulus iſte facillimè diluetur, ſi at- 8
tentiùs perpendatur, deportationem non ità abſolutè, aut ſemper morti æquipatari, vt eiuſdem qualitatis, & effectus cum naturali, imò nec cum ciuili morte cẽſeatur. Hinc eſt, rogatum filijs ſuis, vel cui ex his voluerit, cùm moreretur, hæreditatem reſtituere, ius eligendi deportatione non amittere, *d. l. ex facto* 17. §. *ſi quis rogatus fuerit, ad Trebell.* Quod proculdubio amitteret, ſi deportatio ex ijs eſſet, quæ ciuilem mortem inferunt, vt elegãter obſeruauit Cuiacius *lib.* 3. *obſeruat. cap.* 10. Et tandem naturali morti illam minime æquari inde apparet, quòd nec matrimonium diſſoluit, nec inter virum & vxorem interpoſitam donationem confirmat, quamuis humanitatis ratione ſuſtineatur, *l. ſed ſi mors* 13. *ff. de donation. inter virum & vxorem, l. ſed ſi* 5. *ff. de bon. damnator.* Nec intercidere facit legatum ſub conditione relictum, ſi ille, in cuius perſonam conditio collata eſt, fuerit deportatione mulctatus, *l. intercidit* 59. *ff. de condition. & demonſtrat.* Quapropter hanc ſententiam enixè defendunt Loriotus *de iuris arte, tractat.* 5. *axiom.* 3. 4. & 5. Cuiacius *vbi ſuprà,* Hotomanus *lib.* 6. *obſeruat. obſeruation.* 21. Ioan. Mercerius *opinionum, lib.* 1. *cap.* 9. vbi ideò deportatos veriùs arbitratur pere-
grinos quàm ſeruos appellandos, Iul. Pa- 9
cius *legum concilia. centur.* 6. *q.* 59. Anton. Faber *in iuriſprud. tit.* 11. *prin.* 3. *illation.* 1. Oſuald. *lib.* 9. *Donelli c.* 4. *liter. R.* licèt verum ſit aliquando, obſimiles effectus, ſiue naturali, ſiue ciuili morti æquiparari, vt *ex ll. ſuperiùs* in obiectione enarratis planũ
fit. Ideò enim Conſultus *in dict. l.* 1. §. *fin.* 10
ff. de bonor. poſſ. contra tabul. deportatos mortuorum loco habendos reſpondit: quia illa quæſtio diſceptabatur, vtrùm ſcilicet pater deportatus filio impedimento eſſet, quominùs ad aui ſucceſsionẽ ius haberet? Qua cũ deffiniſſet minimè obſtaturũ, illã deciſionis rationem ſubdidit, quia deportatus mortui loco habendus eſt, ſcilicet quoad ſuccedẽdi ius, & cæteras iuris actiones, quæ ciuibus tã tũ Romanis cõpetũt, ſiquidẽ hac media capitis minutione, ipſa deportatione cõtingẽte,

ciuitas amittitur, *dict. l. intercidit, l. amiſsione 5. ff. de capit. minutis, l. inter pœnas 6. de interdictis, & releg. l. 2. §. conſtat, l. ſunt quidam 17. ff. de pœnis*, vbi ob hanc cauſam vocantur iſti ἀπόλιδες, ideſt extorres, & ſine ciuitate, *§. minor inſt. de capitis diminutione*. Quocirca peregrinus appellatur ab Vlpiano *in l. ſed ſi hac lege, §. ſed ſi per pœnam, ff. de in ius vocando*. Nam peregrinus vocatur, qui ciuis Romanus non eſt, *l. ſed & ſi, §. ſolemus, ff. de hæred. instituend.* ac conſequenter cùm ipſa ciuitate quæcumque ad ciues ſpectantia adimebantur, veluti togæ vſus, qua vti Romanis tantùm permiſſum erat, *l. ſed ſi accepto 32. ff. de iure fiſci*, illud probat Plin. Iunior. *famil.* 4. his verbis: *Carent enim toga, quibus aqua & igni interdictum eſt*. Cui ſubſcribit Mantua *in gloſſario; claſ. 4. dialog. 11. num. 2.* necnon communio iuris ciuilis, & ſuccedendi facultas auferebatur, *l. 1. C. de hæred. inſtituend.* quod oſtendit Barnab. Briſſon. *lib. 1. ſelect. capit. 13.* Quo nihil à ciuiliter mortuo, & verè ab hac luce ſubtracto differt: ergo quemadmodū naturaliter ſeu ciuiliter decedēte patre, filius aui ſucceſsionem ſine cunctatione obtineret, ita eo deportato conſequatur æquū eſt, cùm non aliter atque ſi viuo eius parente, quoquomodo mortuus fuiſſet pater deportatione locum filio in aui ſucceſsione facit, vt etiam placuit Iulio Patio *dict. q. 59.* Sicque intelligendus erit Paulus *in dict. l. ſi necem 4. verſicul. Si deportatus, ff. de bonis libertor.* quibus accedit, quod apposite nimis circa eiuſdem legis expoſitionem obſeruauit Iacob. Cuiac. *dict. loco*, videlicet deportatum cognationem amittere, & ideo neque contra tabulas parentum bonorum poſſeſsionem habere, quæ ſolùm cognatis conceditur, nam eatenus quidem deceſsiſſe fingitur: ergo filius eius, quaſi ſublato patre ad aui ſucceſsionem ex edicto admittetur.

11 Ex his, ni fallor, prouenit eiuſdem Vlpiani vera interpretatio *in dict. l. ex facto 17. §. ex facto ad Trebel.* ex qua etiam vulgò probatur deportatos mortuis aſsimilari, eo nimirùm, cùm quædam mulier filium ſuum rogaſſet, vt ſi ſine liberis deceſsiſſet, reſtitueret hæreditatem fratri ſuo, & is poſteà deportatus in inſulam liberos ſuſcepiſſet: reſpondit Conſultus, illos filios, niſi fuiſſent ante deportationem concepti, efficere conditionem deficere, quaſi ab alio, & non ab ipſo ſuſceptos, ſiquidem cùm is, qui ob aliquod maleficium in inſulam deportatur, ciuitatem amittat, ſequitur vt qui eo modo ex numero ciuium Romanorum tollitur, perinde ac eo mortuo deſinant liberi in poteſtate eius eſſe, *§. cùm autem, inſtit. quib. modis ius patria poteſtat. ſolutt. l. 1. §. ſed ſi morte, ff. quando de peculio actio*, quapropter ſi quos poſt deportationem, quamuis ex legitima vxore liberos genuerit, quia illos in poteſtate non habet, nec habere poteſt, filiorum appellatione minimè contineri certum eſt, extraneorum enim loco enu- 12
merantur filij non in ſacris paternis conſtituti, *l. quin etiam 55. ff. de ritu nuptiar. l. ſi genero 26. C. de iure dotium, §. cæteri, inſtit. de hæred. qual. & differen.* docet Anton. Faber *in iuriſprud. titul. 8. prin. 1. illat. 6.* Ergo optimè hac ratione Vlpianus reſpondit, filios poſt deportationem ſuſceptos facere illam fideicommiſsi deficere conditionem, ſi ſine filijs deceſſerit, quaſi ab alio procreatos, ideſt non à ſeipſo, ſed à diuerſa & extranea perſona illius quam ante deportationem obtinebat, & de qua teſtator ſenſerat. Nam ea eſt deportationis vis, ac natura, vt hominum perſonas commutet, ideò 13
ſocietatem deportatione diſſolui, quaſi ea homines intereant, ſcripſit ipſemet Vlpianus *in dict. l. verum 63. §. fin. ff. pro ſocio:* non quidem, quia ciuiliter deficere videntur, ſed quia perſonarum ſtatus mutantur, & ſimul publicatione bona pereunt, *l. 1. de bonis damnat.* quæ publicatio non aliter, atque mors ipſa ſocietatem diſſoluit, *l. actione 65. §. publicatione, ff. pro ſocio*; vnde merito obſeruauit Donell. *comment. lib. 16. capit. 24.* deportationem non ſolùm ſocietatem diſſoluere defectu perſonæ, verùm & bonorum, ideoque ad primum & ſecundum diſſolutionis modum, de quibus *in dict. l. 63.* reſpicere affirmat: quamuis magis Anton. Fabro placuerit *in iuriſprudentia, titul. 9. prin. 2. illat. 15.* bonorum publicationem, quam ſemper adnexam habet, potiùs in cauſa eſſe, vt deportatione ſocietas finiatur, quàm ipſius perſonæ mutatio, & velut interitus.

Igitur iure quidem poſt deportationem 14
conceptos liberos, veluti non ab eodem, ſed ab alio ſuſceptos, quoad fideicommiſſi conditionem attinet, filiorum appellatione non contineri, exiſtimauit Conſultus contrarium omnino ſentiens de illis, qui fuerunt ante deportationis ſupplicium concepti. Nam & ſi eorum conditio in ipſa deportatione contigerit, hoc tamen nihil obſtabit, quominùs illos in patria poteſtate habuiſſe dicatur, vt indicat Petr. Faber *ſemeſtrium lib. 2. cap. 13. verſ. Diximus*, de quibus accipiendam eſſe merito docet, *l. nati 6. ff. vnde legitimi.*

Non

15 Non aliter atque poſthumus, qui licèt dum in vtero detinetur, nec in ſacris paternis conſtitutus, quare nec filius propriè cognominari poſsit, verumtamen cùm naſcitur, benignitate *legis qui in vtero* 7. *ff. de ſtatu homin.* conceptionis tempore in lucem proditus retrò fingitur. Vnde quemadmodum ſi tunc temporis in humanis ageret, viuentis patris poteſtati ſubiaceret, & filius ſecundùm iuris ciuilis ſubtilitatem diceretur. Ita & poſt ipſius parentis obitum editus in eadem poteſtate paterna extitiſſe creditur, & quaſi ſuus hæres ad illius ſucceſsionem admittitur, integer *titulus, ff. de liber. & poſthumis*, tradunt Balduin. *in §. cæteri inſtit. de hæred. qualit. & differ.* vbi etiam Thadæus *num.* 5. nouiſsimè Alphonſ. Carran. *diſput. de vera humani partus deſignat. capit.* 1. *in princip. n.* 50. cui finitimum eſt quod ſcripſit Alexander *conſ.* 161. incipienti, *examinatis, in principio lib.* 2. quem ſequitur Cardinalis Tuſchus *practic. concluſ. iuris, litera E. concluſ.* 115. *num.* 8. ſcilicet, concep-
16 tos ante emancipationem filios, quamuis poſt eam editos, in aui poteſtate remanere. Quare, cùm, vt quis propriè filios habere dicatur, id ſolum inſpiciendum leges admoneant, an illos propria ditione cõtineat? Inde eſt, Conſultum rectè dixiſſe deportatum, qui ante pœnæ irrogationem legitimæ vxoris plenum ventrem reddiderat, cùm filijs deceſsiſſe æſtimandum.

17 Nec dictis repugnat *textus in dict. l. ſi quis* 56. *ff. ſoluto matrimonio*, vbi illa interpoſita ſtipulatione ab eo qui marito vxoris nomine dotem largiebatur: *Si quo caſu Titia tibi nupta eſſe deſierit, dotem dabis?* committitur ſtipulatio, ſi deportata fuerit, vel ancilla effecta. Ex quibus verbis elici videbatur, deportationem ciuilem mortem eſſe, ideoque & matrimonium diſſoluere contra Iuriſconſultum *in d. l. ſed ſi mors* 13. *ff. de donat. inter. & in l. ſed ſi* 5. *ff. de bon. damnat.* Nam licèt huius textus deciſio adeò ſit perobſcura, vt in multis codicibus verſiculus ille, *vel ſi deportata fuerit*, quo tota difficultatis moles innititur, veluti mendoſus deficiat, vt in *dict. l.* etiam obſeruauit Albericus *in principio.* Nihilominus prætermiſſa Iacobi Cuiacij ſubtiliſsima, ſed parum tuta interpretatione *in recitationibus ad titulum Codicis de repudijs*, dicendum arbitror, ideo Titia deportata maritum ad dotis reſtitutionem teneri: Quia ex verbis ſtipulationis non ſolùm ad id premebatur illis caſibus, quibus verè matrimonij contractus quoad vinculum diſſolueretur, vtputa, cùm moreretur, *l.* 1. *de diuort. & repud. cap. fin.* 31. *quæſt.* 1. ab hoſtibus fuiſſet capta, *l. non vt de patre* 8. *l. in bello* 12. *§. medio, de captiu. & poſtlimi. reuerſ.* vel ancilla affecta, *l. res vxoris* 24. *de donationib. inter*, verum etiam cùm ad vſum tantundem, & communem vitæ conſuetudinem diſtraheretur, vt ex prædicta ſtipulationis forma deprehendere licet: ſi quo caſu inquit: *Titia tibi nupta eſſe deſierit*, id eſt, ſi quo caſu Titia quoad tuos vſus pertinet, & ad opem tibi debitam velut tibi nupta eſſe deſierit. Quod deportatione contingere certum eſt, cùm vix in inſulam deportata mulier marito in ciuitate degenti adiumento eſſe poſsit. Ergò merito hoc deportationis caſu, ſtipulationem committi, maritumque ipſius virtute ad redditionem dotis compellendum, Paulus reſpondit. Non quidem quaſi deportatione, velut ciuili morte fuerit matrimoniũ diſſolutum: hoc abſit; ſed quia in deportationis ſimilem caſum concepta fuit ſtipulatio, nempe in omnem illum, quo mulier impediretur quominùs viro ſuo in famulatu & obſequio vxor videri poſſet. Cùm nemo, quoad effectum dicet eum maritum vxorem habere, qui ad vſus ſibi neceſſarios non habet: quia idem eſt non habere mulierem, ac impeditam, & nullius rei adiutricem habere, argumento *textus in capit. inter corporalia* 2. *§. ſed neque, de translation. Epiſcopi*, & Gloſſæ *in l. fin. verbo Orbitates, C. ad l. Fabiam de plagia.* Quibus mirè conueniunt tradita ab Hippolyt. Marſil. *tractatu bannito, in verbo Nullitas, à n.* 99.

Cui interpretationi non refragantur poſteriora *dict. l.* verba, quibus Conſultus fatetur ſuprà enarratis caſibus, in prædicta ſtipulatione illud omne venire, quod morte diſſoluto matrimonio eſſe reſtituendum inſtrumentis dotalibus continebatur. Nam etſi ex illis vulgò probetur, non ſolùm captiuitatem, & ſeruitutem, verùm & deportationem morti adſcribi; id tamen minùs rectè obſeruatur, cùm ea ſolùm ratione id eſſe à marito, etiam in caſu deportationis refundendum aſſerat: quia licèt tali exilio potiùs quodam diuortio, quàm ciuili aliqua morte coniuges ſeparari videantur, ex quo (integro & ſuo robore emanente contra-
ctu) in diuerſas partes eunt coniuges. Quam 18
diuortij veram denominationem, & etymologiam eſſe docet idem Paulus *in l. inter diuortium* 191. vbi Fornerius & alij *de verborum ſignif.* & *ex l.* 2. *de diuortijs*, Franc. Hothom. *in comment.* 1. *verb. Iuris, dict. verbo.* Attamen cùm non mutua voluntate, nec alterius tantùm iuſta cauſa interueniente, diſceſsio deportatione cõtingat, quod opus

erat, vt diuortium dici poſſet, *l. penult. de adulter. l. ſi conſtante 9. C. eodem, l. 2. l. nullā 9. l. ſi pœnituit 7. ff. de diuortijs*: imò ipſis reluctantibus eueniat, licèt deportatio non ſit mors vt ſuprà expoſuimus, morti magis quàm diſcidio æquiparatur, *l. Gallus 29. §. & quid ſit tantum, ff. de liber. & poſthum.* cum pluribus alijs *ibidem* â Ioan. Marc. Aquilino congeſtis, *num. 10. fol. mihi 45.* Quare hoc ſufficiens Conſulto viſum fuit, vt mulieris deportatione adueniente, non aliter atque ſi mors ipſa, captiuitas, vel ſeruitus eueniret, maritus ad illius omnimodam reſtitutionem teneretur, quod ex conuentione in mortis caſu reſtitueret.

19 Cæterùm, ne cùm in deportationis materiam incidimus, aliquid, quod in ea obſcurum, & minimè obvium videatur, vobis ſubticeam, difficile Caliſtrati reſponſum in *l. cognitionum 5. §. conſumitur, ff. de varijs, & extraordin. cognitio.* obijcere decreui, cuius nondum optimè deprehenſa ſententia, quotquot veritates, haud ſine ratione tradidimus, corruere videntur: quod vix eorum aliquis diffitebitur, qui huiuſmodi textus verba perlegerit: *Conſumitur verò* (de exiſtimatione loquitur) *quoties magna capitis minutio interuenit, id eſt, cùm libertas adimitur: veluti cum aqua & igni interdicitur, quæ in perſona deportatorum euenit.* Clariùs enim quàm expoſitione indigeat, illis probatur, deportatos non ſolùm ciuitatem, vt propè oſtendimus, verùm & libertatē amittere, pene ſeruoſque effici. Cui conſectarium eſt, vt eos etiam ciuili morte intercidere dicamus, aduerſus omnia quæ ſuperiùs adſtruximus.

20 Mirum eſt enim in huius legis interpretatione quantum diſtringantur Gloſſographi, præcipuè Eguinarius *in §. cum autem inſt. quib. mod. ius patriæ poteſtat. ſolu.* Iacob. Cuiacius *in recitatio. ad titulum, C. de repudijs*, Hotoman. *in dict. §. minor.* Duaten. *in titul. de capite minutis, pag. 129. & lib. 1. diſput. cap. 9.* Gobean. *lib. 2. variar. cap. 11.* Robert. *lib. 3. ſententia. cap. 9.* Vacon. *declarat. 18. num. 9.* Rebardus *lib. 3. variar. cap. 5.* Vulteius *in dict. §. num. 8. & diſcept. ſcholaſt. capit. 12.* Anton. Faber *in iuriſprud. Papin. titul. 16. prin. 1. illatio. 3.* & plurimi alij, quorum meminit Nicolaus de Paſſeribus *in conciliatione legum, fol. mihi 676.* vbi ſeptem interpretationibus relatis, totidemque reiectis, vltimò cogitandum relinquit. Verùm his omnibus prætermiſſis, licèt aliquando ea nobis legis interpretatio propria viſa ſit, quæ duplicem conſtituit libertatem; alteram iuris naturalis, aut gentium, alteram iuris Quiritum; quaſi quidem Caliſtratus hîc non de libertate ciuili, ſed naturali ſenſiſſet, vt poſt Cuiacium *vbi ſuprà* pluribus in eius comprobationem accerſitis ſcripſimus *octaua centuria legum conciliatarum*, quam primis noſtræ Iuriſprudentiæ annis Iulio Patio addendam parauimus. Nūc tamen, deciſionis verbis rectiùs penſitatis, eam illis minimè conuenire cum Antonio Fabro *d. loco* exiſtimamus. Imò certius arbitramur, Conſultum ibidem non de ordinaria, & frequentiori, vt ſic dicam, deportatione, qua ciuitas tantundē amittitur egiſſe, ſed de extraordinaria, & minùs ſolita, cuius 21
proprium eſt ſimul cum ciuitate libertatem auferre, vt probant Imperatores *in l. antiquis 2. C. vt nemo priuatus titulos, &c.* ibi: *Eum qui hoc facere auſus fuerit, ſi plebeius eſt, vltimo ſubdi ſupplicio: ſi clariſsimus, vel curialis, vel miles, vel Clericus, proſcribendum, deportandumque non ſolùm ciuitate Romana, ſed etiam libertate priuari cenſemus.* Quem *dict. l.* verum ſenſum eſſe meritò docet Ioannes à Reuerteria *in ſuis diſputationibus in inſtitut. iuris ciuilis, lib. 3. in ſeptimo iuris propoſito, in fine*, & nos quàm maximè Caliſtrati locutioni adſtipulari ex eiuſdē contextu elici putamus. Nam poſtquā m edixerat, exiſtimationem conſumi, quoties magna capitis diminutio interueniebat, id eſt, cùm libertas adimebatur, & huius magnæ capitis minutionis, & amiſsionis libertatis exemplum in antiquo aqua & igni interdicto conſtituiſſet, ſubijcit: *Quæ*, magna videlicet capitis diminutio, & libertatis amiſſio, *in perſona deportatorum euenit.* Quaſi diceret, ideò enim magnæ capitis diminutionis exemplum in deportato, vel aqua, & igni interdicto propoſui: quia hæc libertatis amiſsio aliquando in perſona deportatorum euenit. Idque ipſiſsima illius verbi, *euenit*, 22
ſignificatio conuincit, quæ aliquando, & non ſæpè venire eſt, quo ſenſu eo verbo vtitur Conſultus *in l. interdum, ff. de public. iudicijs.*

Ergo vt ad inſtitutum reuertamur, ex 23
dictis depromitur, pupillos pubertati proximos, quaſi doli capaces ob crimen ab ipſis admiſſum deportari potuiſſe, ac per conſequens & relegari, cùm minus fuiſſet relegationis quàm deportationis ſupplicium, *l. 4. iuncta l. inter pœnas 6. ff. de interdictis, & relegatis*: licèt verum ſit, quòd attenta perſonæ ætate, aut in longius, aut in reſciſsius tempus relegatur, *l. 2. ff. de termin. moto*: nam iuuenem in longius, ſeniorem verò in breuius tempus relegare oportet. Vndè infer- 24
tur, quòd cùm ex ſententia Gloſſæ *in §. 1.* qui-

quibus modis ius patriæ poteſtat. ſoluit. verbo Retinent, & Bartoli in l. illicitas, §. qui vniuerſas, ff. de offic. præſidis. Quibus conſentiunt Danaudet. in praxi criminali cap. 58. num. 3. Autor additionum ad Salicetum in l. 1. C. de hæred. inſtit. Oſaſcus deciſione Pedemontan. 105. num. 9. Grammat. voto 19. num. 10. Ioſeph. Ludouic. deciſione Peruſina 11. n. 7. vbi communem dicit, Corneus conſ. 55. lib. 2. & alij relati à Petro Gilkenio tractatu de præſcription. part. 3. cap. 6. num. 10. exules noſtri temporis deportatis comparentur, argumento l. cùm quis ſibi 38. vbi notat Cuiacius tract. 7. ad Africanum, & l. 2. de publicis iudicijs, vel relegatis, vt etiam placuit Emanueli Soarez in Theatro commun. opinion. verbo Banniti, num. 1. & ſequentibus, Curcio conſil. 152. num. 4. & 8. Boſsio in pract. de bonorum publicatione, numer. 69. Gozadino conſ. 95. num. 7. Cephalo conſ. 22. num. 18. lib. 1. & conſ. 78. num. 13. & poſtmodum Philip. Matthæo in l. ea ſola 97. num. 17. ff. de regul. iur. Confectarium videtur, vt eadem ætate hodie, ſiue vir, ſiue fœmina in exilium mitti poſsit, quá antiquitùs in inſulam deportari, vel relegari potuerunt.

SVMMARIVM.

Infans in atrocioribus punitur ſecundùm communem. 1. & ſeqq.

Filij etiam infantes propter parentum delicta pœna afficiuntur. 2. Et quomodò hoc intelligatur? 30.

Animalia ſenſu carentia, aliquando in iure damnantur. ibidem & ſequenti.

Mures, qui Euchariſtiæ ſacras ſpecies corrodunt, in ignem mitti debent. 3.

Delicta animalium, vbi antiquitùs iudicarentur? 4.

Propter immanitatem ſceleris an liceat Iudici leges tranſgredi? 5. & 37.

Multa propter criminum grauitatem à legibus contra communes iuris regulas admittuntur. 6.

Criminis magnitudo quando tollat appellationem? 7.

Socius criminis, & aliás inhabilis ad accuſandum, admittitur propter atrocitatem criminum. 8.

Ex defectu citationis non redditur nullus proceſſus ſuper enormi crimine agitatus. 9.

Clerici atrocia delicta committentes degradantur, & Curiæ ſeculari traduntur. 10.

Qui poſt delictum furore corripitur, à pœna regulariter excuſatur. 11.

Furioſus loco abſentis, & ignorantis habetur. 12.

Pœna corporalis non poteſt abſenti infligi. ibidem.

Furioſus mortuo æquiparatur. 13.

Mortuus pœna corporali affici non poteſt. ibid.

In atrocioribus licèt reus poſt delictum furere cœperit, ſupplicio afficitur. 14. Et quare. 40.

Iudicium Athenienſium de infante refertur. 16.

Impuberem nondum decimum annum cum dimidio excedentem puniri, etiam in atrociſſimis non poſſe, nouiter oſtenditur. 17. 20. & ſequenti.

Nouiter opinari, an vnicuique ſit liberum? ibidem.

Difficillimum eſt, vt vnus contra plures rectè ſentiat 18.

Aliquando inſipientes proferunt, quod ſapientiſsimos omnino latuit. 19.

Proximus infantiæ quis dicatur? 21.

Impubes infantiæ proximus innocens præſumitur. ibidem.

Innocens puniri non debet. 22.

Infans, vel proximus infantiæ, parũ à furioſo diſtat. 23.

Furioſus ob delictum in furore commiſſum nequaquam punitur. ibid.

Perinde habetur quod à furioſo fit, ac ſi caſu accidiſſet. 24.

Sodomia peſsimum crimen appellatur in ſacris literis. 25.

Sodomiam committens, ſi minor ſit quatuordecim annis, impunitus relinquitur. 26.

Præſumptio iuris, & de iure non admittit probationem in contrarium. 27.

Crimen falſæ monetæ atrociſsimum eſt. 28.

Sepulchri violati crimẽ ſacrilegio proximum habetur. 29.

Contrariæ opinionis fundamentis reſpondetur. 30.

Textus in capite Eccleſia, §. Item paruulos. 1. q. 4. Illuſtratur. ibid.

Lex humana quando iudicium diuinum ſequi poſsit. 31.

Delicta parentum filijs non præiudicant. 32.

Præmiũ debetur filio, qui cùm ex improbo parente originẽ ducat, virtutem ſequitur. 33.

Nulla pœna, etiam pecuniaria, vel amiſsionis bonorũ, poteſt filius ob paternum flagitium puniri. 34.

Textus in capit. mulier. 15. q. 1. enucleatur. 35.

Hominis dignitas ſumma eſt. ibidem.

Liberum corpus, aut quælibet ipſius pars, æſtimationem non recipit. 36.

Inno-

Innocentij ſententia in cap. 1. de conſtitut. explicatur. 37. & 38.
Atrocitas non datur in puero ante annum decimum cum dimidio. 39.
Non entis nullæ ſunt qualitates, ibid.
Furioſus ob cauſam ingratitudinis ante furorem commiſſam poteſt exhæredari. 41.

QVÆSTIO X.

Ad punitionem in atrocioribus?

1 AD cuiuſcumque criminis vindictam proximi pubertati ætatem ſufficere, nec vno loco, ſed paſsim ſcripſimus. Cuius ſententiæ nonnullas Interpretes reſtrictiones adducunt, inter quas nec inferioris notæ videtur, quæ Nobis diſputanda objicitur, an ſcilicet in delicto nimis atroci pupillus, etiamſi pubertati nõ ſit proximus, & decimum annum cum dimidio nondũ expleuerit, puniatur, nulla ætatis habita conſideratione? Et acriter eum eſſe plectendum, licèt fuerit infans, vniuerſa Doctorum fert ſententia; nec deſunt argumenta, quibus illam inſtruant, & quaſi certam reddere videantur.

2 Principiò enim in cauſam deducitur *textus in cap. Eccleſiam, §. item paruulos* 1. *q.* 4. vbi ob ſceleris immanitatẽ infantes, imo & innocentes propter parentũ delicta puniuntur. Sed mirum hoc videri non debet, cûm ob eandem cauſam animalia ſenſu, & ratione omnino carẽtia, ex iuris diſpoſitione ſupplicio afficiantur, textus eſt ſingularis *in c. mulier.* 15. *q.* 1. (quem valde commendat Ioan. Rojas cum innumeris ab eo relatis, *ſingulari, in fauorem fidei* 102. incipit *inanimata*) vbi cauetur, quòd ſi aliquando fœmina ferini coitus præ nimia libidinis vredine appetens fuerit, obſcœnaque illa impudicitiâ polluta inueniatur, vel (vt Iuuenalis verbis vtar)

Si impoſito clunem ſubmittat aſello.

Quòd ipſa, & animal ſimul interficiantur, quod anteà diſpoſitum erat *Leuitici cap.* 20. & in noſtris legibus habetur expreſſum, quæ huius rei congruam rationem adducunt, vt patet in *l.* 2. *tit.* 21. *part.* 7. ibi: *Para amortiguar la remembrança del fecho*, & hoc quotidie practicari teſtatur Matienzus *in dialog. Relat.* 3. *p. c.* 64. *n.* 6. Anton. Gom. *in l.* 80. *Tauri n.* 85. D. Ioan. Vela *de pœnis delictorũ c.* 33. *verſ. Secundò ex prædictis*, proſequuntur Ojeda *de incompatib. benefic.* 1. *p. cap.* 23. Guilier. Benedict. *in repet. cap. Raynunt. verbo Mortuo itaque et* 1. *num.* 138. Couar. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 1. Iul. Clarus *§. fornicatio num.* 27. & *§. fin. q.* 99. *num.* 8. *verſicul. Niſi in vno caſu*, Iodoc. Danauder *in praxi cap.* 96. *num.* 15. Carrer. *in praxi tit. de homicidio*, §. *circa igitur num.* 21. Caſaneus *conſid.* 1. *in* 5. *præſuppoſito n.* 108. Alphonſ. de Caſtro *lib.* 4. *aduerſus hæreſes verbo Coitus, in verſicul. Coitus cum iumento*, Rojas *ſingulari* 102. incipienti, *vbi animal brutum*, Aluarus Pelag. *lib.* 2. *de planctu Eccleſiæ cap.* 2. Thomas Zerdan. *in libro viſita de la carcel, cap.* 13. *num.* 11. *verſicul. Hallamos*, Tiraquel. *de pœnis temperan. cauſa* 49. *num.* 39. Auend. *reſponſ.* 35. *num.* 4. Auiles *cap.* 1. *prætor. in gloſſa Derechamente, num.* 19. Menoch. *de arbitr. caſu* 286. *num.* 7. & *caſu* 360. *numer.* 61. Maranta, Tiraquel. & alij à Zenedo relati *in collectanea ad dictum capit. mulier.* Ignatius del Villar *in Silua reſponſor. lib.* 1. *reſponſ.* 4. *numer.* 6. Horten. Caualcan. *de brachio regio* 4. *part. numer.* 313. & rurſus *in fragmentis, fragmento* 105. Cui nec abſimile eſt, mures, vel 3
iſtius generis animantia, quaſi in punitionem exenterari, & comburi, quoties ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſpecies profano dẽte corroſerunt. Tradit Stephan. de Gaeta *in repetitione, c. ad limina* 30. *q.* 1. *§.* 6. *n.* 79. Zenedus *in collectaneis ad Decretal. collecta.* 15. *num.* 9. nouiter Martin. Bonacin. *tom.* 1. *fol.* 151. *num.* 9. & alijs etiam criminibus præter hæc inuenimus animalia punita fuiſſe, vt patet *Exod. cap.* 19. *Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur. aut confodietur iaculis, ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet*, & *capit.* 21. ſic cauetur: *Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius.* Cui etiam concinit quod habetur *Geneſis cap.* 9. lex etiam Draconis apud Athenienſes olim obſeruabatur, qui cædis perpetratores extorres patria & finibus fieri ſanxit, non homines modò, ſed etiam animantes, aliaque etiam inanimata. Et hæc delicta animalium ratione carentium in Prytaneo iudicabantur, vt auctor eſt Demoſthenes *in oratione aduerſus Ariſtocratem*, & adnotauit Budæus in *l. aut facta, §. euentus, ff. de pœnis*, & poſt eum Couarruuias *lib.* 2. *variar. capit.* 8. *numer.* 1. Igitur ſi animal iudicij & rationis expers ob flagitij atrocitatem punitur, vt poſt ſuprà relatos in propoſito tradit Petrus Cauallus *tractat. de homicid. fol. mihi* 21. *num.* 181. multò magis puer, etiam de-

decennio minor, cùm homo ſit, & aliqualem qualem intellectum præſumatur habere.

5 Coadiuuatur inſuper hæc opinio ex illa celebri Innocentij ſententia propter ſceleris grauitatem & immanitatem iudici licitum eſſe leges tranſgredi: ad hoc namque communiter allegatur *in cap. 1. de conſtitution.* & ſequitur eum Hippolytus de Marſil. *in l. vnius, §. cogniturum num. 7. ff. de quæſtionibus*, Ioſeph. Ludouic. *deciſ. Peruſin. 77. fuit dubitatum n. 8.* & alij plures quos longa ſerie recenſet Tiraquel. *in tractat. de pœnis temperan. cauſa 49. num. 16.* adducuntque pro hac ſententia *textum in c. fœlicis, §. cæterùm de pœnis, lib. 6.* ibi: *Et propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis ſolitis condemnetur*, facit *textus in cap. hoc ipſum, verſ. Hinc etiam 33. q. 2.* in quibus omnibus expreſſe deciditur, quòd propter grauitatem criminis debet pœna creſcere, & augeri.

Hoc tamen (vt id obiter dicam) non adeò expeditum eſt, quin plures non contemnendæ autoritatis viri veriùs crediderint, pœnā à lege impoſitam tranſgredi, vel augeri non poſſe, etiam in atrociſsimis delictis per iudicem inferiorem, niſi conſulto Principe, quod voluit Romanus *in repetitione, l. ſi vero, §. de viro in fallen. 46. ff. ſoluto matrimonio*, dicens in hoc caſu, ſcilicet, quando Princeps conſulitur, loqui & intelligenda eſſe iura allegata pro Innocentij ſententia; & inducit pro ſua opinione *textum in l. Diuus la 2. ff. ad l. Cornel. de falſ.* ſecundùm communem Doctorum intellectum, & Gloſſæ *in verbo Pati poſſint.* Vbi ad hoc quòd pœna augeatur propter ſceleris atrocitatem, conſulendus eſt ſuperior. Eiuſdem factionis eſt *textus in l. 1. in fine, ff. de pœnis*, quem ad hoc meliorem dicit Philippus Decius *in d. cap. 1. de conſtitutio. lect. 2. n. 45.* Romanum ſequutus eſt Felinus *in eodem c. 1. col. 17. verbo Nihilominus*, & Hippol. de Marſil. *ſingul. 244.*

Vtra tamen ex his duabus opinionibus verior ſit? alij viderint, id autem, cùm longioris decertationis ſit; ego nunc non excutio, nec ad exactius iudicium voco. Tum, quia ad noſtrum inſtitutum haud multum pertinet; tum etiam, ne, quem inſtitui, curſum huiuſce diſputationis confundam, ductumque inoffenſo tenore non retineam: ſatis enim huiuſce rei, Farinac. *in tom. de indicijs ad torturam, quæſt. 37. verſic. Quid dicendum in fine*, Hieronym. Bucaron. *de differentijs inter iudicia criminalia & ciuilia,*
6 *differen. 118. num. 19.* Quomodocumque tamen res ſe habeat, illud certiſsimum eſt multa contra huiuſmodi immania flagitia à legibus eſſe introducta contra communes & ordinarias iuris regulas. Quod in primis probatur per *textum in l. 1. C. de precib. imperat. offeren.* vbi ſeruus alioquin incapax admittitur ad ſupplicandum, & impetrandum reſcriptum propter ſceleris grauitatem.

Facit ſecundò *textus in l. ſi quis filio ex-* 7
hæredato, §. hi autem omnes, ff. de iniuſto rupto, vbi criminis magnitudo tollit appellationem, operaturque vt ea non admiſſa ſententia executioni mandetur, quod item probat *l. conſtitutiones, ff. de appell. & l. 2. C. quorum appell. non recipiuntur*, licèt hoc non regulare eſſe fateatur, Franc. Aretin. *in l. Pantonius, §. rei perduellionis, in princ. ff. de acquirend. hæred.* & probent relati à Hieroym. Bucaro *de differ. inter iud. ciuil. & criminal. differentia 194. per totam*, ſed ſolùm quando imminet periculum maioris ſceleris.

Tertiò, propter facinoris grauitatem 8
mulieres & alij accuſare prohibiti admittuntur ad accuſandum, *text. in l. mulierē de accuſation. & in l. in quæſtionibus, & in l. famoſi, ff. ad legem Iuliam maieſtat. c. tanta de ſimonia*, & conſors criminis, aliàs non idoneus ad teſtimonium, *cap. in fidei, cap. accuſatores, §. licet, de hæretic. lib. 6. cap. per tuas de ſimonia.* Conducunt, quæ latiſsimè in hanc rem ſcripſit Germanus noſter D. Alphonſus de Narbona *in 3. part. nouæ Recopilationis, titul. 21. lib. 7. l. 2. gloſ. 5. per totam.*

Quartò, licèt litis conteſtatio in quali- 9
bet cauſa neceſſaria ſit, adeò vt dicatur fundamentum iudicij, *cap. vnic. de litis conteſtat. cap. ſi per quæſtionem de offic. delegat. cap. ex parte el 2. de verbor. ſignific. l. vnica de litis conteſtat. l. 7. titul. 3. part. 3.* Nihilominus tamen proceſſus ſuper enormi crimine agitatus non vitiatur, licèt in eo litis conteſtatio non interueniat, *cap. fin. de hæretic. lib. 6.* iuncta *Clemen. ſæpe, de verbor. ſignific.* Gloſſa *in capit. quoniam frequenter, vt lite non conteſtata*, Gloſſa *in ſumma 3. quæſt. 9.* tradit latiſsimè Ioann. Rojas *ſingular. in fauorem fidei 127. litis conteſtatio, per totum.*

Quintò facit *textus in cap. nouimus, de* 10
verb. ſignif. vbi in grauioribus delictis Clericus degradatur, & curiæ ſeculari traditur, licèt nondum ſit incorrigibilis, prout illum textum intelligit, & ſingularem facit Panormitan. *ibi in 3. notabili*, quamquam aliàs id non fiat, præterquam in tribus caſibus, &

caſibus, & cùm eſt incorrigibilis ſecundùm Gloſſam *in capit. ad abolendam, verb. Relinquatur, de hæreticis*. Sed quod magis eſt, etiã citra degradationem punitur Clericus à iudice ſæculari propter ſcelerum immanitatem, vt voluit *textus in l. addictos*, & pereum Gloſſa *in verbo Vindicetur, C. de Epiſcopal. audient*. ſecundùm tamen diſtinctionem, quã ibi adducit, cui ſimilis eſt *text. in capit. perpendimus, & in capit. cùm non ab homine*, & vtrobique Gloſſ. *de ſenten excommun*. Gloſſa *etiam in cap. contingit el 1. eodem titulo*. Plura ſimilia adducere poſſem, in quibus atrocitas criminis facit, vt ab ordinarijs iuris regulis diſcedamus. Quæ omnia (ne cui videar in his congerendis immodicus) lu-
11 bens omitto: illud ſolummodò ſuperpondij loco contentus adijcere, quod noſtro caſui eſſe omnino ſimile Doctores putant. Qui omnes communiter tradunt, quòd licèt aliàs ille, qui poſt delictum commiſſum furore correptus eſt, corporaliter non puniatur, vt nominatim voluit Bald. & poſt eum Alexan. & Iaſon, & alij recentiores *in l. furioſum in fin. C. qui teſtamen. facere poſſ.* Angel. Aretin. *in tract. de malefic. verbo Scienter & doloſe, verſ. Quid in furioſo*. Communem dicit infinitos referens Iulius Clarus *lib. 5. receptar. ſentent. §. fin. quæſt. 60. num.* 7. Ioan. Baptiſ. Villalob. *in lib. commun. opi-*
12 *nion. liter. F. num.* 181. & 182. Quia cùm furioſus loco abſentis & ignorantis habeatur, *l. ſed etſi vnius, §. filio familias, ff. de iniurijs, l. Iulianus, ff. de diuort. l. 1. §. adipiſcimur, de acquirend. poſſeſſ. l. 2. ff. de procurat. l. vbi non voce, §. furioſus, de regul. iur.* & *text.* omnium ſingulariſsimus *in l. ſi ei qui, §. furioſus, de iure codicillor.* Pœna autem corporalis in abſentem ferri nõ poteſt, *l. abſentem, ff. de pœnis, l. abſentem, C. de*
13 *accuſation. cum ſimilibus*. Tùm etiam furioſus mortuo æquiparatur, *l. qui ad certum, ff. locati, l. bonorum, verſic. An autem, ff. rem ratam haberi*, & notat Gloſſa *in l. ſi quis alicui, verbo Adquiſitam, de acquiren. hæredit*. At mortuus pœnam corporalem pati non poteſt, *l. defuncto, ff. de public. iudic. l. 2. & 3. C. ſi reus vel accuſator mortuus fuerit. l. fin. C. de bonis eorum, qui ſibi mortem conſciuer. l. in Senatus, §. ſi propter mortem, ff. ad Turpilian. capit. perue-*
14 *nit, qui filij ſint legitim.* Si tamen (vt redeam) delictum commiſſum immane, & atrox fuerit, furor ſuperueniens, nihil ei proderit, quia eiſdem pœnis afficietur, ac ſi ſanę mentis omnino exiſteret. Quod defendit Iaſon *in l. ex facto, ff. de vulgari. num. 31. in fin. per text. in l. Diuus Marcus, ff. de offic. Præſid.* qui ad hoc videtur expreſſus in illis verbis: *Nec morbo eius danda ſit venia*, iunctis illis: *An pro immanitate facinoris ſupplicio afficiendus ſit*: loquitur namque *text. ille* in eo qui matrem ſuam occiderat. Eandem ſententiam ſequitur Andr. Tiraquell. *in dict. tractat. de pœnis temperandis, cauſa 3. num. 6.* Ioan. Rojas *ſingular. in fauorem fidei 71. furioſus in fine*, Ripa *in dict. l. ex facto num. 72.* Ioſeph. Ludouic. *in deciſ. Peruſin. 77. fuit dubitatum, num. 9.*

Ex his ergo colligitur, quòd cùm ob ſceleris immanitatem, & grauitatem, animal brutum, & omnino rationis expers puniatur, furioſus etiam, qui pro abſente, & ignorante, imò & pro mortuo reputatur, puniendus ſit: cùmque tot alia contra ordinarias iuris regulas propter flagitij atrocitatem inducantur, congruum etiam, nec à ratione alienum eſt, vt minor, qui aliàs ante annum decimum & dimidium puniri non poterat, in hoc facinoris genere etiam ante eam ætatem non excuſetur. Et ita hanc limitationem ad prædictam regulã tradit ante omnes Lucas de Pena *in l. ſiue, C. de exactorib. & exactorib. lib. 12.* prout eum refert, & ſequitur Iacob. Nouell. *in regul. 45. infantes, & pupilli, fallent. 2.* Andr. Tiraquel. *tractat. de pœn. temporan. cauſa 49. n. 45.* Petr. Dueñas *regul. 259. ætas, ſeu fragilitas, limit. 2.* Gregor. Lopez *in l. 9. titul. 1. p. 7. in fin.* & innumeri relati à Farinacio, *tom. 3. prax. criminal. q. 92. n. 107.* 15

Quorum auctoritati addi poteſt illud Athenienſium iudicium ab Æliano relatum, *lib. 5. omnigenæ hiſtoriæ cap. 16.* vbi tradit, puerum quempiam apud Athenienſes, cùm auream laminam, quę ex Dianæ corona deciderat, ſuſtuliſſet, in iudicium fuiſſe adductũ; iudices autem cùm crepundia, talos, & laminam propoſuiſſent puero, is iterum ad aurum inclinauit, ideóque plexus eſt tanquam ſacrilegus; neque ætati veniam dederunt, ſed flagitiũ & ſcelus vindicarunt. Hactenus ille. 16

Ego autem, qui attentiori animi cogitatione ſingula non omitto perſcrutari, aduerſus hanc receptã traditionem diſputationis gratia nouè tẽtare intendo, impuberem, vel puerũ etiam in delicto, quantumuis atroci, immani, vel deteſtãdo, ante tempus, & ætatẽ à lege præfixam ad punitionẽ cuiuſcũque criminis ſupplicio afficiendũ nõ eſſe. Vos tamẽ in primis monitos velim, candidi lectores, me nõ latere, quàm arduũ ſit, ac perdifficile, opiniones animis hominũ multo tẽpore inſitas tollere, nouumq; aliquid cõtra receptos vbique mores inducere: tamẽ cùm ea ſit 17

ſit veritatis inuiolabilis vis, & natura, vt aliquando in lucem erumpat, nec latere, ac opprimi poſſit diu, libentiùs hoc onus officiumque ſuſcepi, nec dubitaui inueteratam iam olim opinionem reprehendere, & vulgò rem probatiſſimam improbare. Illud namque in animo mihi frequenter fuit obſeruatum, ignauum hominem, & ad corpus opiparè curandum à natura procreatum eſſe habendum, qui id proferre dubitaret, quod ei ratio, aut multa accurataque lectione cõfirmatum iudicium ſuaderet: quandoquidem nec in literis tyrannos quoſdam natura conſtituit, à quorum nutu nobis diſſentire ſit inconceſſum, nec aliquem in quoquam ſcientię genere tantæ præſtantiæ viuere exiſtimo, vt ſua orbi ſeu placita, ſeu decreta, tanquam Prætor edicta proponere valeat: interim tamen (vt ingenuè fatear quod ſentio) non poſſum non vereri, nè nimis audacis, & confidentis ingenij vobis videar, qui nullius ex iuris Interpretibus (quem adhuc viderim) præſidio & autoritate ſuffultus, cum tot præſtantiſſimis in legali doctrina viris, qui contrarium tenent, auſus ſim aperto marte congredi, atque manum conſerere, & calamum, cùm nec Hercules quidem contra duos, vt
18 eſt in veteri prouerbio: maximè cùm rariſſimum ſit, vt vnus aduerſus plures rectè ſentiat, iuxta illud Plauti *in milite*: *Nemo ſolus ſatis ſapit*, & Liuius 1. *Decade lib. 3.* ſcribit, plus pollere multorum ingenia conſiliaque. Nam vt inquit *text. in cap. extra conſcientiam. 64. diſtinct.* integrum reputatur iudicium, quod multorum ingenijs comprobatur. Habetur *in cap. prudentiam poſt principium, de offic. delegat.* & *in Clementin. 1. de*
19 *ſentent. excommunicat.* Sed quia aliquando contingit, vt quiſquam infirmi conſilij, abiectique & hebetati ingenij aliquid dicat, neutiquam etiam ſummis viris aſpernandum, imò quod ab ipſis probari, & laudari queat, vt tradit Aul. Gelius *lib. 2. noct. Atticar. cap. 6.* & Macrob. *lib. 6. Saturnal. cap. 7.* & probatur etiam per textum, quem aureis literis eſſe ſcribendum dicit Barbacia *conſilio 1. lib. 3. in l. 1. §. ſed neque, C. de veteri iure enucleando*, ibi: *Cùm poſſit vnius forſitan, & deterioris ſententia, & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare*; cui ſimile eſt illud Saluatoris noſtri apud *Matth. cap. 11. & Lucam 10. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti paruulis*, & hinc deſcendit quod dicit Gloſſa *in cap. ad audientiam, verbo inſipientibus, de conſuetudine*, ab inſipientibus etiam conſilium petendum, quia interdum reuelatur minori, quod maior neſcit, *l. potioris, C. de offic. rectoris prouin. c. eſto ſubiectus, ante finem. 95. diſtinct. cap. ſi habes. 24. q. 3.* His igitur de cauſis, meum in propoſita quæſtione iudicium, licèt aliàs obtuſum & ſtolidum, non erubeſcã interponere.

Dico itaque, quòd cùm à iure diſpoſitum 20
ſit minorem decem annis & dimidio ex cauſa delicti puniri non poſſe (vt latiſſimè ſuprà reſoluimus) hoc idem perpetuò obſeruãdum eſt, nec ante eam ætatem puniri poteſt, etiam ſi delictum ab eo commiſſum exitiale, atrociſſimumve fuerit.

Adducor primò in hanc ſententiam, quia 21
ratio, propter quam in ea ætate minorem excuſandum fore ſuperiùs diximus, ea eſt, quòd impubes ante prædictum annum decimum & dimidium, aut eſt infans, aut proximus infantiæ (nam ea ætas, quæ à ſeptimo anno, vſque ad decimum & dimidium protrahitur, proxima dicitur infantiæ, vt tradit Anton. Auguſtin. *lib. 3. emendatio. cap. 9.* & Menoch. *lib. 2. de arbitrar. caſu. 57. num. 12.* & conſentiunt alij ſuprà proprio ſuo loco congeſti) infantem autem, aut proximum infantiæ, nullum intellectum habere Iuſtinianus teſtatur *in §. pupillus, verſic. Sed quod diximus, inſtit. de inutilibus ſtipulat.* & quòd impuberum nullum animi iudicium eſt, dicit *in §. præterea, quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*: & hæc ætas, quicquid videt ignorat, *l. 1. §. impuberes, C. de fal. moneta, l. fin. ff. de iur. & facti ignorantia*: ideoque ab omni culpa alienus, tanquam doli non capax præſumitur, & tanquam rationis expers, ab omni delicto innocens ſemper reputatur, vt probat *textus in cap. illud relatum. 14. quæſt. 1.* Quomodò enim reus conſtituetur, qui neſcit quod fecerit? vt inquit D. Auguſtin. & ex eo refertur *in cap. aliquos ſcimus. 15. quæſt. 1.* Igitur ſi tanquam innocens liberatur in omni delicto, quod ante annum decimum cum dimidio commiſerit: hæc eadem innocentia conſiderari poteſt in delicto atroci ante eam ætatem commiſſo, & ſic immanitas criminis operari non debet, vt innocens, & qui omnino doli & culpæ incapax eſt, puniatur, cùm hoc tãtopere iura abhorreant, tam- 22
que iniquum, & à recto iuris tramite alienum ſit, maximè precipiente Domino *Exod. c. 23. innocentem, & iuſtum non occides*, cui & addi poſt illud *Iob c. 4.* interrogantis, *Quis vnquam Innocens perijt?* & iterũ *c. 22. in fine, Saluabitur*, inquit, *innocens, ſaluabitur autẽ munditia manuum ſuarũ*. Et ideò Regius ille Pſalmographus, innocẽtia cõfiſus ſua, tanquã ſecurus exclamabat *in Pſalm. 25. Iudica me Domine, quoniã ego in innocentia mea ingreſſus ſum, &*

in Deo ſperans non infirmabor, quod etiam refertur in *cap. ſi enim inquit, de pœnitent. diſt.* 2. Quod cùm veriſſimum ſit, neceſſariò fatendum eſt, puerum qui ante decem annos cum dimidio innocens ab omni delicto præſumitur, ſemper eſſe liberandum, adeò, vt nec atrocitas criminis hunc fauorem, & æquitatem ſubuertere, vel ſuperare valeat.

23 Secundò ſuadetur hæc ſententia ex eo, quod habetur *in dict. §. pupillus, de inutil. ſtipulat.* infantem ſcilicet, aut proximum infantiæ, nihil aut parum à furioſo differre: ſed furioſus quicquid in furore commiſerit, etiamſi delictum atrociſſimum fuerit, nunquam punitur, *textus celebris in l. Diuus, & in l. congruit in fine, ff. de officio præſidis, l. infans, ff. ad l. Cornel. de ſicar. l. illud, §. ſanè, ff. de iniurijs l. pœna, §. ſanè, ff. ad l. Pomp. de parricid. cap. indicas 3. quæſt. 9. cap. aliquos ſcimus, cum ſequenti, cap. illa cauenda.* 15. *quæſt.* 1. *Clement.* 1. *de homicid.* dicit communem Francifc. Viuius *lib.* 1. *commun. opinion. opin.* 346. *num.* 1. quibus ſuffragatur quod de Adriano Imperatore refert Ælius Spartianus *in vita illius*, ſcilicet quòd Adrianus apud Tarraconem ſpatiatus per viridaria, ſeruo in ſe cum gladio furioſiùs irruente, illum quidem retentum miniſtris accurrentibus tradidit, & vbi furioſum eſſe conſtitit, Medicis curandum dedit, in nullo omnino commotus. Huius rei ſingularem rationem tradit *textus in l. vltima in fine, ff. de adminiſtra-*

24 *tione tutor.* perinde ſcilicet habendum eſſe quod à furioſo committitur, ac ſi caſu aliquo ſine facto perſonæ id accidiſſet, cui concinit *l. ſed etſi quemcumque, §. 1. ff. ad l. Aquiliam*, vbi habetur æquè æſtimandum eſſe damnum, quod furioſus dederit, ac ſi quadrupes fecerit, aut ſi tegula ceciderit: furioſus namque non intelligit quod agit, *§. furioſus de inutil. ſtipulat.* & nulla ipſius voluntas eſt, *l. furioſi de regulis iuris, §. præterea inſtit. quibus non eſt per. facer. teſtam.* Quæ rationes cùm mirè conueniant infanti, vel infantiæ proximo, meritò in furioſo diſpoſitum, in eo quoque locum habere debet, argumento *vulgaris l. illud, ad l. Aquil. cum ſimilibus.*

Tertiò hæc opinio confirmatur. Nam nullum delictum atrocius, vel deteſtabilius excogitari poteſt, quàm ſodomia, quod peſſimum crimen appellatur in ſacris literis, vt patet *ex Geneſ. cap.* 34. *& cap.* 18. & probatur etiam *ex cap. hoc ipſum, verſic. Hinc eſt.* 33. *quæſt.* 2. *& in l. cùm vir nubit in fœminam*, & ibi omnes Scribentes, *C. ad l. Iuliam de adulter.* grauiuſque delictum cenſetur, quàm adulterium, vel inceſtus, etiam cum propria matre, *cap. adulterij, cap. flagitia.* 32. *quæſt.* 7. pluraque in eius deteſtationem tradiderunt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. & alij, quæ latè refert D. Ioan. Vela *in ſuo tractat. de pœnis delict. cap.* 33. *in principio*, & nouiſſimè chariſſimus Frater, dimidiũque noſtri D. Alphonſus de Narbona *in comment. ad* 3. *part. Nouæ Recopilationis lib.* 3. *tit.* 1. *gloſ.* 8. *in principio, & numeris ſequentibus.*

Sed puer, cum quo hoc ſodomiæ delictum committitur, ſi quatuordecim annos nõdum impleuerit, impunitus omnino relinquitur, 26
(hæc enim ætas deſtinata eſt ad punitionem delictorum, quæ ad libidinem ſpectant, vt inferius *anno* 14. latè diſputabimus) & ſic eam tranſcendi, etiam ex huius criminis immanitate non permittitur iuxta ſingularem deciſionem noſtri Regni *in l.* 2 *tit.* 21. *part.* 7. & licèt Gregor. Lopez *in l.* 9 *tit.* 1. *eadem* 7. *part. gloſ.* 2. *in fine*, in contrariam ſententiam inclinauerit, ſcilicet minorem ſtuprum facientem puniendum eſſe ob facinoris atrocitatem, etiam ante annum decimumquartum, prout voluerat Gloſſa *in l. ſi minor, ff. ad l. Iuliã de adulter.* huius tamen legis difficultate ſuperatus adeò timidè loquitur, vt nihil aſſeueranter affirmet. Dicit namque durum videri, vt talis minor, in quem ſtuprum committitur, non puniatur, ſed quòd propter criminis deteſtationem puniri deberet, licèt non ita ſeuerè, quàm alius perfectæ ætatis, & ad *dict. l.* 2. *Partitæ* ſubobſcurè reſpondet poſſe intelligi in eo, qui adhuc non eſt doli capax, quæ ſecùs in doli capace decideret. Sed hæc Gregorij reſponſio facilè diluitur ex generalitate verborum *dict. l.* 2. ibi: *Fueras ende ſi alguno dellos lo ouiere à fazer por fuerça, ò fueſſe menor de catorze años, ca eſtonce non deue recibir pena.* Ex quibus verbis patet, hoc perpetuò eſſe obſeruandum, nulla habita ratione, ſit minor doli capax, necne, dummodò annum decimumquartum non expleuerit: lex namque regulariter præſumit minores impuberes non adeò intellectus plenitudinem eſſe conſecutos, vt delicti qualitatem, & grauitatem plenè noſcant, vt patet ex verbis eiuſdem legis, ibi: *Otroſi los menores no entienden, que es tan gran yerro como es aquel que fazen.* Quæ præſumptio cùm certiſſima ſit, ex iam ſæpius dictis, & ſuper ea lex diſponat, nullo caſu recedendum eſt ab ea, cùm ſit præſumptio iuris & de iure, quæ probationem in contrarium 27
non admittit, iuxta ſingularem gloſſam, licèt vulgarem *in l. antiquæ, verbo, eſſe credendum, C. ad Senatuſconſu. tus Velleian.* & *in cap. ſeruum, verbo quod non fuit, in fine diſt.*

diſt. 50. quas latè proſequitur Socinus *regula* 314. Segura *in repetitione l. filius dum in ciuitate, de verbor. obligat. num.* 52. & *in l.* 3. §. *fin. num.* 82. *de liber. & poſthum.* & vtrobique additio Didaci Perez, dicendum igitur eſt puerum minorem quatuordecim annis ſtuprum patientem non eſſe puniẽdum, prout in praxi fuiſſe ſeruatum tradit Anton. Caius *in apoſtillis ad Angel. Aretin. in* §. *item lex Iulia inſtitut. de publicis iudic. poſt numerum* 1. & Anton. Gomez *lib.* 3. *variarum cap.* 1. *num.* 60. & expreſſe cauetur *in dict. l.* 2. *partitæ*, cuius deciſio licèt dura Gregorio videatur, cùm tamen ita ſcripta ſit, obſeruanda eſt, argumento *l. proſpexit, ff. qui & à quibus.*

Nec interim omittam ab ea non multum abeſſe aliam conſtitutionem relatam à Conſtantino Hermenopulo *lib.* 6. *tit.* 14. *de præter naturam laſciuientibus. Præternaturam,* inquit, *laſciuientes tam agens, quàm patiens gladio plectantur, niſi fortè qui paſſus eſt, minor erat annis duodecim*: ecce enim quo modò atrocitas criminis non facit, vt minor ante tempus & ætatem à lege præfixam pœnæ ſubijciatur.

28 Quartò facit *textus in l.* 1. §. *impuberes, C. de falſa moneta,* vbi impuberes in crimine falſæ monetæ non puniuntur, *quia ætas eorum* (vt ſubdit ipſa lex) *quid videat ignorat.* Hoc autem falſæ monetæ delictum atrociſſimũ eſſe, vel ex eo patet, quòd eo perpetrato proditionis, & læſæ maieſtatis crimen committitur, vt pulchrè comprobat Couarru. *in collatione veterum numiſmatum cap.* 8. *num.* 3. *verſic. Qui verò falſam,* & Vela *d. tractat. de delictis cap.* 11. *in princip.*

29 Et eodem modo in actione ſepulchri violati impubes liberatur, vt probat *l. prætor,* §. *prima verba, ff. de ſepulchro violato*, licèt hoc crimen atrociſſimum ſit, & ſacrilegio proximum. *l.* 1. *& l. pergit audacia, C. eodem titulo,* & tradit Alexand. ab Alexand. *lib.* 6. *dierum Genial. cap.* 14. & Menoch. *lib.* 2. *de arbitra. caſu.* 387. *num.* 1. *& ſequentibus,* inuadens enim ſepulchra dicitur offendere viuos, putà hæredes, & agnatos, & etiam ipſos mortuos, quorum cadauera infeſtat, vt latè tradit Tiberius Decian. *tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 40. *num.* 2. *volum.* 2. vbi innumera in huius criminis atrocitatem adducit.

30 His igitur fundamentis opinione noſtra corroborata, alijs, quibus contraria pars præcipuè nititur, ſatisfaciemus, & ei in primis, quod adducunt ex *textu in cap. Eccleſia,* §. *item paruulus* 1. *quæſt.* 4. in quo licèt opinio communis ferrem Achillem ſuum conſtituat, parum tamen, aut nihil vrget. Neque enim in eo probatur paruulos ob atrocia ſcelera ab ipſis perpetrata, pœnæ obnoxios eſſe debere (vt aduerſarij putant) ſed ſolummodò filios aliquando, etiam innocentes, & ignorantes, pro paternis criminibus pœnas dediſſe: quod ne quis à me confectum cauſetur, ipſius textus verba ſubſcribam: *Item* inquit, *paruulos ſodomitarum, non excuſabit ignorantia, quin pro paterno ſcelere cœleſti igne conſumerentur* (& paucis interiectis ſubiungit) *pariter etiam demonſtratum eſt, peccatis parentum paruulos aliquando corporaliter flagellari.* Patet igitur ad oculum infantes, vel paruulos non puniri ob propria, quantumuis immania delicta, ex deciſione huius textus, ſed ob paterna. Sed nec hæc parentum crimina eis obeſſe, nec pro eis filios aliqua pœna eſſe damnandos, expreſſe probatur. Nam licèt quandoque ex cauſis humano iudicio occultis & latentibus, Deus Optimus Maximus ob parentum culpam innocentes filios varijs pœnis afficere ſoleat, iuxta illud *Exodi cap.* 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem,* & patet etiam *Exodi* 34. *Geneſ. cap.* 14. *&* 19. *Numerorum cap.* 16. *&* 17. *&* 2. *Reg. cap.* 12. *&* 4. *Reg. cap.* 5. *in fine, Ioſue* 17. *Hierem. capit.* 36. *ad finem,* ex quibus & alijs locis plura exempla *in eodem* §. *item paruulos,* adducuntur, in quibus iudicium diuinum ob parentum crimina in filios animaduertiſſe comperimus. Sed cùm hæc omnia ex particulari Dei prouidentia, cauſiſque occultis, & latentibus, nec humano iudicio cognitis procedant, ea nobis non licet imitari: quia lex humana tunc ſolum- 31
modo iudicium diuinum ſequi poteſt, cùm illud manifeſtiſſimis rationibus, & cauſis inſtruitur, vt pulchrè comprobat Couarru. *lib.* 2. *variarum cap.* 8. *num.* 1. *verſic. Tertiò humana lex*: vnde cùm nihil magis à naturali ratione alienum ſit, quàm innocentem filium pro paternis criminibus puniri, lex humana ſemper iudicat, eum liberum ab omni ſupplicio fore, iuxta eiuſdem Domini præceptum *Deuteronom. cap.* 24. *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro parentibus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo moriatur,* & illud, *Ezechielis cap.* 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur,* & *filius non portabit iniquitatem patris.* Quod etiam Pontificijs decretis confirmatur, *cap. vndecumque capit. ſponſus, cap. ſatis peruerſum.* 56. *diſtinct. cap. non imputantur filijs peccata parentum, cap. iam itaque* 1. *q.* 4. *cap. ſi habes.* 24 *q.* 3. *c. quæris, de conſecrat. diſtinct.* 4. Et hanc legem à Deo hominibus datã eſſe, ſatis inſinuat illud

Auguſtini *lib. quæſtion. ſupra Ioſue quæſt.* 8. vbi cum iudicibus loquens ſic inquit: *Neque enim mandatum legis eis licet excedere, quod à Deo datum eſt hominibus, ne iudicio ſuo quod in hominem homini iuſſum, ſiue permiſſum eſt, alterum pro alterius peccato arbitrentur eſſe plectendum.*

32 Nec huic humaniſſimæ, & prudentiſſimæ ſententiæ Iuriſconſulti deſuere, qui delicta parentum filijs non præiudicare, ſæpiſſimè reſcripſerunt, vt patet *in l. & qui originem, §. quamuis*, ibi: *Quod pater in reatu alicuius criminis filijs impedimento ad honores eſſe non debet, ff. de muner. & honorib.* text. elegans *in l. cum ratio*, ibi: *Rationem haberi liberorum, ne alieno admiſſo grauiorem pœnam luerent, quos nulla cõtingeret culpa, ff. de bon. damnat. l. 2. §. in filijs*, ibi: *Nullum patris delictum innocenti filio pœnæ eſſe, ff. de decurionib. l. crimen, ff. de pœnis*: *Crimen paternum* (inquit Vlpianus) *vel pœna paterna, nullam maculam filio infligere poteſt.* Iureconſultos etiam Imperatores ſecuti ſunt, vt *in l. 1. C. de libera. cau. & in l. ſancimus, C. de pœnis.*

His etiam adſtipulatur illud antiquorum Romanorum iudicium, relatum à Tito Liuio *lib. 2. ab vrbe condita*, vbi habetur, quòd cûm Spurius Caſius ob affectatum Regnum ab eis eſſet damnatus, dubitatum eſt, an etiã eius liberi condemnari deberent? Sed vicit eorum ſententia, qui dicebant indignum facinus eſſe inſontes filios pro patrum ſcelere puniri. Nec hinc longè abeſt quod Plato ille Philoſophorum Coryphæus, & ſapientiæ antiſtes *in lib. 9. de legibus* ſtatuerat, vbi cûm prudenter decreuiſſet ſacrilegum à finibus Reipublicæ eſſe pellendum, ſtatim ſubiungit: *Filijs verò eius, ac generi vniuerſo, ſi mores paternos fugerint, quia nati ex malo fortiter virtutem ſecuti ſunt, honor exhibeatur, &*
33 *laus.* Cui non diſſimile eſt, quod ſapienter dicebat Dion Philoſophus apud Plutarchum *in lib. de ſera numinis vindicta*: *Punire filium ob ſcelus patris tam ridiculum exiſtimandum eſt, quàm ſi ob parentis, vel aui morbum velit imperitus Medicus nepoti medicamentum adhibere.*

34 Quæ quidem omnia non ſolùm in pœnis corporalibus (de quibus noſter ſermo) procedunt, ſed etiam in pœnis pecuniarijs, aut amiſſionibus bonorum. Nam licèt hæc pœna filijs imponatur ob crimen læſæ maieſtatis â patre commiſſum, *in l. quiſquis, C. ad l. Iuliam maieſt.* eius tamen deciſionem quoad filios tanquam odioſam, & iniurioſam, iniquam, & contra naturalem rationem, & iuris diuini, & humani diſpoſitionem compoſitam, obliteratam, & antiquatam eſſe, & ab ijſdem Imperatoribus correctã, tradit Ioan. Igneus *in l. final. num. 7. ff. ad Senatuſconſult. Sillanian.* cuius etiam opinionis autor eſt Guilielm. Bud. *in l. 3. circa finem. ff. ad legem Iul. maieſtat.* & eius legis pœnam, quoad filios ex generali conſuetudine eſſe ſublatam, teſtatur Angel. *in l. fallaciter num. 4. C. de abolition.* ſubdens, quòd in foro conſcientiæ talis lex puniens filios ex crimine paterno non valet, & quòd peccarent qui eam obſeruarent. Quam ſententiam, tanquam viri excellentiſſimi, & valdè practici multum eſſe iudicibus ponderandam dicit Socinus *conſil. 277. num. 3. in fine lib. 2.* & eam refert & ſequitur Alciat. *reſponſ. 467. num. 6.* Iulius Clarus *lib. 5. receptar. ſentent. §. læſæ maieſtatis num. 14.* latè Roland. Valle *conſil. 74. inhærendo num. 20. & 21. volum. 3.* Igitur (vt redeam) ſi in *dict. §. item paruulos*, nulla mentio fit de proprio pueri vel infantis delicto, vt ad oculum patet, nec ob crimẽ paternum, de quo loquitur, puniri poteſt, vt abundè cõprobauimus: neceſſariò fatendum eſt, eum textum nihil facere pro communi ſententia, & ſic infantem, aut proximum infantiæ ex eius deciſione nullo caſu plectendum eſſe.

Rurſus non obſtat ſecundum fundamentum deductum *ex cap. mulier. 15. quæſt. 1. cum ſimilibus*, in quibus diſponitur, animalia etiam bruta, & ratione carentia in delictis atrocioribus punienda, & ſubijciunt rationem, quòd licèt eorum crimina ex dolo vel malitia non procedãt: quia tamen indignam refricant facti memoriam, ea morti tradere, & de medio tollere ſatius eſt. Sed hoc argumentum facilè diluitur ex diuerſitate rationis, quam conſiderauit Cicero *lib. 1. offic. ſemper*, inquit, *in promptu habere debemus quantum natura hominis pecudibus, reliquiſque beſtijs antecellat*, quod iterum in *lib. 5. de finib.* hortatur, & ſic abſurdum & abſonum eſt velle vt homo, qui digniſſima eſt creatura, animantium, vel alterius rei iure cenſeatur, vt inquit Iuſtin. *in §. partus, verſic. Abſurdum enim, inſtitut. de rerum diuiſ.* vbi Accurſius in *verbo rerum natura, & in l. iuſtiſſimè, ff. de ædilit. edicto, verbo dignitatem, & in §. fin. verbo perſonæ inſtit. de iure naturali*, hominis dignitatem, & excellentiam ſummè ponderat, adducitque illud *Ouidij lib. 1. Metamorphoſ. Prona cùm ſpectent, &c.* cui admodum ſimile eſt quod ſcribit Sillius Italic. *lib. 15. de bello Punico*, vbi incipit: 35

Nonne vides hominum, vt celſos ad ſidera vultus.

Et Boetius *lib. 5. Metro. 5.* Maniliuſque *lib. 4. Aſtronomicon* ab illo carmine.

Proiecta iacent animalia cuncta, &c.

Qui-

Quibus mirè reſpondet, quod eleganter ſcripſit Lactant. Firmian. (quem meritò omnes Chriſtianum Ciceronem appellant) *lib. de ira Dei cap.* 7. arguitur etiam eius dignitas ex eo, quòd ſcribit Regius Propheta *Pſalm.* 8. *Minuiſti*, inquit, *eum paulò minus ab Angelis: gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manum tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius oues, & boues, &c.* Cuius rei alia etiã coacernauit Bart. Caſſan. *in Catalog. gloriæ mundi* 2. *part. conſiderat.* 2. & Guihelm. Benedict. *in cap. Rainnutius* 1. *part. verbo adiectæ impuberi, num.* 19.

Igitur (vt concludam) licèt prædicta ratio, ſcilicet ne ex animalis vita facinus in memoriam reducatur, ſufficiens ſit ad hoc, vt illud condemnetur, & morti tradatur, non ſolùm in atrocioribus delictis, ſed etiam in leuiſſimis, maximè cùm eius vita, aut mors parui, aut nullius momenti ſit. Hæc tamen ratio in homine non ſufficeret, cùm propter eius excellentiam, non ſolùm vita, ſed quælibet corporis pars inæſtimabilis habeatur,
36 *l. ex hac lege*, ibi: *Cùm liberum corpus æſtimationem non recipiat, ff. ſi quadrup. pauper. feciſſe dicat, l. fin. de his qui deiecer. vel effuderunt.* Et ſic licèt eadem ratio, quæ in belluis conſiderari poſſet, in homine, qui vi coactus dirum facinus admiſiſſet, adhuc tamen non punietur, *cap. ſacris de his quæ vi, metusve cauſ. cap. Presbyteros.* 50. *diſtinct. l.* 2. *tit.* 21. *part.* 7. quia in eo animus conſenſus, & dolus deficiunt, quæ ſolùm in homine attenduntur, & ſine quibus delictum non eſt, *Clementin. vnic. de homicid.* cum vulgar. Vnde cùm hęc in puero non inueniantur, etiamſi immaniſſimo reatui fuerit obnoxius, à pœna erit eximendus.

37 Tertiò non obſtat Innocentij autoritas *in cap.* 1. *de conſtitut.* ex qua contrariæ opinionis ſectatores colligunt, in atrociſſimis delictis iudici licitum eſſe leges tranſgredi, quia licèt hæc ſententia abſque dubio procederet (quod tamen non ita eſt, vt ſuprà meminimus) adhuc tamen intelligenda eſſet quoad pœnæ diminutionem, vel augmentum, ſcilicet, vt in eo qui atrociſſimum delictum auſus fuerit moliri, poſſit iudex vulgarem, & ordinariam legis pœnam tranſgredi, eumque nouis exemplorum modis afficere. Non tamen ei permittitur, quòd poſſit iuris ordinem peruertere, vel eo nõ ſeruato, procedere ad delicti, etiam atrociſſimi punitionem: & ita intelligendam eſſe prædictam ſententiam, ſcilicet vt procedat in puniendo, non in procedendo, cenſuit Curia Neapolitana, vt refert Thomas Grammat. *voto* 34. *circa finem*, & ex eo Iulius Clarus *lib.* 5. *receptar. ſentent.* §. 1. *num.* 9. & plures alios referens Brunorus à Sole *in conſilio criminali*, quod habetur in calce operum Hieronymi à Monte Brixiano, incipit, *in anno num.* 87. *conſil.* 7. *num.* 43. *volum.* 1.

Et hoc Innocentium voluiſſe, & in eo 38 tantùm caſu fuiſſe locutum, tum ex eiuſdem verbis ſatis conſtat, tum ex iuribus pro eius ſententia ſuperiùs allegatis, videlicet *textum in cap. hoc ipſum, verſic. Hunc etiam.* 33. *quæſt.* 2. & *in cap. fœlicis, §. cæterum de pœnis lib.* 6. in quibus diſponitur ſecundum culparum grauitatem, pœnam, & ſupplicium augendum eſſe, quæ quidem Innocentij ſententia, meo iudicio, nihil noui continet, imò tanquam ex naturali iure & ratione procedens, ſemper, & vbique fuit obſeruata, vt indicant plura, & inaudita ſuppliciorum genera, quæ à iure noſtro ſtatuta, legibus etiã, & moribus diuerſarum gentium inuenta traduntur, in punitionem eorum, qui exitialia flagitia perpetrabant, vt eſt aquæ & ignis interdictio, de qua in legibus frequens mentio fit, §. 1. *verſic. Capitalia, inſtitut. de public. iudic. l.* 2. §. *conſtat, ff. de pœnis*, & de ea loquitur Ouid. *lib.* 4. *Faſtor.*

Iunxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus, & ſparſa tingere corpus aqua,
An quod in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul?

Ad beſtias etiam damnati, & alia crudeliora ſupplicia apud varias nationes vſitata, quæ latiſſimè recenſet Alexand. *lib.* 3. *dierum genial. cap.* 5. Valer. Maxim. *lib.* 3. *cap. item* 3. Cœlius Rhodig. *lib.* 10. *antiquar. lection. cap.* 5. ſed licèt atrocia delicta adeò odioſa, & deteſtabilia apud omnes fuerint, vt in eorum perpetratores prædictis pœnis, & grauioribus ſænirent, nulla tamen lege, aut conſuetudine cautum inuenimus, infantes, aut proximos infantiæ his pœnis eſſe ſubijciendos, quia eam ætatem ab omni delicto, & ſic à ſupplicio alienam ſemper iudicarunt.

Vnde licèt verum ſit, quòd iuxta Innocen- 39 tij ſententiam iudex poſſit ordinarias leges tranſgredi, in pœnæ impoſitione eam exacerbando propter criminis immanitatem, non tamen inde ſequitur poſſe puerum ante ætatem à lege præfixã ſupplicio afficere. Tũ quia in hoc iuris ordinẽ peruerteret, ſine quo etiã in grauiſſimi criminis punitione procedere non poteſt, vt ex Grammatico, & Iulio Claro ſuperiùs adſtruximus. Tũ etiã, quia cũ ratio pręcipua, ob quã iudici leges tranſgredi permittitur, ſit criminis atrocitas: ea tamen in puero ante annum decimum, & dimidium omni-

omnino deſideratur, & deficit, vt patet ex eo quòd non entis nullæ ſunt qualitates ſecundum Philoſophum, & *textum in l. eius qui in Prouincia, ff. ſi certum petatur, l. quidam referunt, de iure codicillorum, l. 1. ff. commun. prædior. l. in actionibus de in litem iurando.* Sed puero nullum crimen imputatur propter doli & ætatis defectum, vt iam ſæpeſæpiùs diximus: ergo atrocitas criminis in eo conſiderari non poteſt, vt in ſimili caſu pulchrè animaduertit Barthol. Caſaneus *in conſil. 1. diſcutiendum, in quinto præſuppoſito num.* 80.

Ex quo etiam reſponderi poteſt ad illud, quod ſuprà adduximus, plura ſcilicet à legibus eſſe introducta contra ordinarias iuris regulas propter ſceleris immanitatem. Nam ea omnia procedunt & admittuntur, vt ille, qui huiuſmodi criminis capax eſt, grauiùs, & celeriùs puniatur, in puero verò locum non habent, qui cùm in vulgari crimine innocens præſumatur, multò magis in atrociori, cùm ad id perpetrãdum maior dolus, & calliditas requiratur.

40 Denique non obſtat vnicum fundamentum deductum ex eo, quòd licèt ille, qui poſt delictum commiſſum furore correptus eſt, regulariter non puniatur: ſi tamen crimen atrox fuerit, furor ſuperueniens nihil ei proderit. Nam reſpondeo, quòd licèt eadem ratio militet in eo, qui in furore deliquit, quæ in puero, vt dix. in ſecundo fundamento huius opinionis, longè tamen diuerſa in eo, qui poſt delictum in furorem incidit: nam cùm hic ſanæ mentis eſſet cùm crimen admiſit, non mirum eſt, ſi a legibus damnetur: puer verò, qui tempore delicti abſque dolo inuenitur, puniri nullatenus poteſt, & hinc eſt, quòd non ſolùm in delicto atroci huiuſmodi furioſum ſupplicio afficiendum, ſed etiam in quolibet alio multi tenuerint, mori ex eo, quòd duplici ex cauſa flagitia à legibus puniuntur, altera, vt vnuſquiſque ſui delicti pœnas luat, alia verò, vt eius exemplo reliqui â ſimili noxa deterreantur: vtraque tamen iſtarum in hoc furioſo concurrũt, ideoque plectendus eſt, vt contra communem opinionem, quam ſupra reſoluimus,
41 egregiè conſiderat Ioſephus Ludouicus *deciſione Peruſina.* 77. *num.* 11. plures alios ſecutus, quos ibi refert *num.* 5. quibus ſuffragatur, quòd eodem modo furioſus ob cauſam ingratitudinis ante furorem commiſſam poteſt exhæredari, vt latiſſimè tradit communem dicens, Franciſc. Viuius *lib. 1. commun. opin. opin.* 309. incipienti *filius furioſus, per totam.*

Sequitur ergo, quòd cùm atrocitas criminis non ſit cauſa finalis, ob quam punitur qui poſt flagitium commiſſum furore correptus eſt, cùm ipſa de per ſe non ſufficeret, ſed dolus tempore delicti concurrens hoc operetur: ita eodem modo non debet efficere vt puer, qui ante annum decimum & dimidium doli incapax eſt, aliquo ſupplicij genere afficiatur: & ita hanc opinionem tanquam ſolidioribus fundamentis corroboraram, vt ex his quæ diffuſè adduximus, ſatis liquet, & tanquam humaniorem, & æquitate pleniorem amplectendam iudico, argumento *textus in l interpretatione, & in l. ſanctio, ff. de pœnis l. placuit, C. de iudicijs, l. in ſumma, §. item Varus, de aqua pluuia arcend. l. in his de condition. & demonſtration. cum alijs*, quam etiam comprobaſſe videtur Farinac. *d. tom. 3. praxis criminal. quæſt. 92. num.* 188. dum contrariam opinionem minimè eſſe ſequendam horratur, niſi duobus concurrentibus: primò, vt delinquens atrociſſimè ſit maior quatuordecim annis; ſecundò, vt Princeps conſulatur.

SVMMARIVM.

Nonnullæ conditiones de iure humano in iurante deſiderantur. 1.

Nemo ante rationabilem ætatem iurare compellitur. 2.

Textus in l. qui iuraſſe. 26. in principio, ff. de iureiurand. verè intelligitur. ibid. & 12.

Puberes ſolummodò decimoquarto anno maiores iurare poſſe, multis placet. 3.

Impubes an periurus dici poſſit? ibidem & 5.

Verius eſt, ætatem decem annorum cum dimidio cuicumque iuramento ſufficere. 4. *&* 7.

Textus in l. videamus. 4. in principio. ff. de in litem iurando, nouiter explicatur. 6.

Fœmina poſt nonum & dimidium annum iuramento obligatur. 7.

Contractus ab impubere proximo pubertati iuramento firmatus, an ſit validus? 8.

Iuramentum minorem, maiorem repræſentat. 9.

Ad validitatem iuramenti, iudicium deſideratur. 10.

Proximus pubertati, neceſſarium iudicium ad iurandum obtinet. ibidem.

Cap. honeſtum, cap. pueri 2. 2. quæſt. 5. lucem accipiunt. 11.

Authentica ſacramenta puberum, C. ſi aduerſ. vendit. explicatur. 13.

QVÆST.

QVÆSTIO XI.

Ad iurandum, & vt quis emiſſo iuramento adſtringatur?

1 EX iure autem humano nonnullas conditiones obſeruari, aut poſtulari ſolere, ex parte perſonæ, quæ iurare debet, vt conuenienter faciat, vel vt eius iuramẽtum recipiatur, ex D. Thoma *quæſt.* 89. *artic.* 10. profert P. Franciſc. Suarius *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 9. inter quas primam ſedem obtinet ipſius ætas, vt non obſcurè demonſtrat Anton. Oliuan. *in §. item ſi quis, poſteriori parte num.* 9. *inſtit. de action.* ſiquidem
2 ad iurandum certam, & determinatam eſſe debere, vel ex eo ſolo colligi poteſt, quòd nemo ante rationabilem ætatem ad Sacramẽti præſtationem conſtringitur, *cap. paruuli.* 22. *quæſt.* 5. nec contrarium ſuaderi videtur ex *l. qui iuraſſe.* 26. *in principio, ff de iureiurando*, ibi: *Qui iuraſſe dicitur, nihil refert, cuius ſexus ætatisve ſit: omni enim modo cuſtodiri debet ius iurandum aduerſus eum, qui contentus eo cùm deferret, fuit.* Ex qua apparere videtur certam, & determinatam ætatem nequaquam ad iuramenti obligationem eſſe præſcriptam, ſiquidem dicendum eſt, ideò Conſultum ita generaliter ſcripſiſſe, nihil referre cuius ætatis eſſet is, à quo aduerſarius iuramentum detulit, eo qualiquali contentus, quia non de viribus iuramenti, quoad perſonam iurantis, ſed quoad perſonam illius, qui detulit, agebatur, aduerſus quem iuramentum fore obſeruãdum admonet, eo nimirùm, quia contentus eo, cùm à non habente legitimam ætatem deferret, fuit. Etenim ſi de validitate iuramenti reſpectu emittentis Paulus loqueretur, quomodò, quæſo, nihil referre dixiſſet, cuius ætatis eſſet, qui interpellatus præſtitit Sacramentum, cùm certò ſciret, vt ex ſequentibus verbis deprehenditur, pupillum, ſcilicet eum, qui ita teneræ ætatis eſt, vt pubertati non appropinquet, veluti inferiùs patebit, ita inefficaciter iuramento adſtringi, vt illud infringens periurus appellari non poſſit?

Quocircà extra omnem controuerſiam eſſe videtur, certam ætatem in iurante deſiderari, vt quam ex ſua natura iuramentum obligationem inuoluit, in ipſius perſonam inducat. Quod verò difficultatibus ſcatet, & non ſatis inter noſtros conſtat deſignatio huius
3 certę ætatis eſt, placet enim aliquibus, non niſi puberem decimum ſaltim & quartum annum agentem, & iuramentum emittere, & obligari iuramento poſſe, idque confirmant autoritate Concilij Eliberitani relati *in cap. pueri*; & Cornelij Papæ *in cap. honeſtum* 22. *quæſt.* 5. quibus præcipitur pueros ante annos. 14 iurare non eſſe cogendos, deinde conuincunt, quia etſi non pubes iuramento adſtringeretur; etiam & periurus eſſe poſſet, quod apertè Paulus abnegat *in dict. l. qui iuraſſe.* 26. *in principio.* Ergo ante pubertatis annum falſum eſt, minorem iuramento obligari, necnon & Imperiali reſcr pto *authenticæ Sacramenta puberum, C. ſi aduerſus vẽdit.* vbi puberes ad iuramentorum ſuorum obſeruationem conſtringuntur Cuius ſimile patria noſtra *l.* 6. cauetur *tit.* 19. *part.* 6. illis verbis: *Eſſo miſmo ſeria quando el moço fueſſe mayor de catorze años, è juraſſe, ca deſpues que ouieſſe jurado, deueſe guardar ſu jura*, idem probat *l.* 16. *tit.* 11. *part.* 3. Patrocinantur Fulgoſ. *in dict. auth. Sacramenta puberum, poſt principium, verſic. Tria notabis*, Ioannes Gutierrez *ibidem, num.* 18. & 117. & in hanc ſententiam inclinari videntur relati ab Alciato *in cap. cùm contingat num.* 141. *de iure iurand.* & à Proſpero Fariuac. *tom.* 1. *prax. criminal. quæſt.* 15. *num.* 35. Vveſembech. *in Paratitlis lib.* 22. *ff. titulo de teſtibus num.* 3. Sylueſt. *in ſumm. verbo ætas num.* 2. *verſ. Septimus*, Donel. *commentarior. lib.* 21. *cap.* 13. vbi etiam Oſualdus plures congerit.

Reliquis verò huius quæſtionis diſceptatoribus magis oppoſita ſententia probatur, 4
& firmiter profitentur, non pubertatem ad iuramenti valorem neceſſariam eſſe, imò impubertatem illam, quæ decimo anno cum dimidio ex receptiſſima, & repetita ſæpiùs omnium ſententia pubertati appropiat, ſufficere.

Confirmant hanc ipſam propoſitionẽ manifeſtè ex *textu in l. fin. ff. de liber. cauſa*, vbi in impuberem, qui iurare poteſt, datur actio operarum nomine, cùm ad pubertatem peruenit, ſi fortè eas in pupillari ætate iuramento promiſit. Quis enim impubes iurare poterit, niſi qui approximat pubertati, & doli capax eſt? vt meritò obſeruat Gloſſa *verbo potuerit.*

Deinde, quia proximus pubertati periurus eſſe poteſt, veluti reſpondit Pontifex *in c.* 1. 5
de delictis puerorum, & probat Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 4. *num.* 42. ergo & ea ætate iurare poteſt, alioquin periurij reus haud quaquam eſſet, qui priùs iuramẽti vinculo non adſtringebatur.

Rurſus, quia ſi huius ætatis pupillus ſponſalia iurauerit, tenetur iuramento, *cap. ex literis el* 2. *de ſponſalibus.*

Cæterùm hæc pars roborari mihi videtur expreſſo Vlpiani teſtimonio *in l.videamus* 4. *in principio,ff.de in litem iurando*,vbi ſequentia verba proponuntur: *Videamus in tutelari cauſa,quis iurare,& aduerſus quem poſſit? & quidem ipſe pupillus ſi impubes eſt,non poteſt*: ergo pupillus pubes iurare poterit? Sed quis enim pubes,& pupillus erit,niſi qui adeò pubertati accedit,vt iam pubes,licèt in pupillari ætate conſtitutus rectè dici queat? maximè ſi Paulo Zachię credimus *Medicolegal. lib.*1.*tit.*1. *quæſt.*5.*num.*6. aſſerenti, proximum pubertati nõ omnino eſſe impuberem. Ita enim hunc locum,aliàs difficillimum,interpretandum eſſe ſemper mihi placuit,quãuis non me lateat aliter, & quidem peracutè prædicta verba accepiſſe Benedictum Pinel. *ſelectarum lib.*2.*cap.*4.*num.*18. cui quõdam dum titulum *inſtitut.quibus modis tutela finitur* , publicè exponerem , ſine rubore ſubſcripſi.

Hanc igitur opinionem,ita egregiè munitam,innumeri veriſſimam , & communem eſſe contendunt , præcipuè Corneus *conſil.* 240.*vol.*1. Phanut. *de iureiurando in litem part.*2.*num.*12.Quintilian.Mandoſ.*de ætate minor.dict.cap.*4.*num.*44.vbi plures adducit Seraphin.*de priuileg. iurament.priuileg.*83. *num.*24.qui latè diſputat,innumeri congeſti à Stephano Lamberteng. *de contractib. qui certam ſolemnit. deſiderant in fine num.* 39. Baptiſta de S.Blaſio *in rubric. Decret. num.* 153.licèt de iure ciuili contrarium affirmet Franciſc.Viuius *lib.*2.*commun.opinion.opin.* 508. expreſsè Villalpand. *in repetitio.l.*22. *tit.*1.*part.*7. *caſu* 4. *num.*7. P.Sanchez *de matrimon.tom.*1.*lib.*6.*diſputat.*38.*num.*15. P.Suarius *tom.*2. *de religione lib.*1. *cap.*14. *num.*5. Petr. Gregor. Toloſan. *ſyntagmat. lib.*5. *cap.*7. *à num.*4. Aſſinius *de execution. cap.*326.*num.*6.*& cap.ſequent.num.*9. Bertazolus *de clauſulis clauſula* 8.*gloſ.*2.*num.*3. Simoncellus *tractat.de decretis lib.*3.*tit.*8. *inſpec.*18. *num.*139.Franciſc.Cald. *in l.* 3.*C.de in integ.reſtit. verbo minor.n.*9. Parlador. *lib.*2. *rerum quotidian. cap.*4. *num.*4. Hartam.Piſtor.*lib.*3.*q.*3.*n.*8.

7 Et eandem etiam in fœminis procedere, quæ nonum annum cum dimidio exceſſerũt, ſine dubio conuincitur ex *dict.cap.pueri.* 22. *quæſt.*5.*cap.mulier.*32.*quæſt.*2.vbi probatur irrita eſſe iuramẽta,quibus puellæ ante duodecimum annum ſe adſtrinxerunt,ſi parentes contradicant:& in terminis poſt longam diſputationem concludit Lambertengus , *vbi proximè num.*39.*&* 42.quo loco plures pro ſua ſententia adducit,idque exp. eſſe confirmat Petr.Gregor.Toloſan.*dict. cap.*7.*num.*5.Portius *conſil.*19.*num.*39.*&* 46. *volum.* 1. ſiue agatur de iuramento iudiciali, quod defertur à parte parti, *l.fin.in princip. ff.de iureiurando* , quamuis hoc niſi à maiori 14. annis emitti non poſſe,ex Beroio *conſ.*128. *num.*18.*lib.*1.doceat Quintilian.Mandoſ.*de ætate minor.cap.*5.*num.*40. quorum ſententiam tunc demum veriſſimam arbitrarer,vt ad iurandum quis compelli poſſit , ſiquidem ab inuito ante decimum annum & quartum, iuramentum deferri non poteſt *l.ius iurandũ* 34.§.*pupillo de iureiurand.*vbi notat Anton. Faber , ſiue de iuramento calumniæ, ita ex Ioan.Andr.notat Collectarius *iuris* 2.*part. lib.*2.*titulo de iuramento calumniæ numero* 4. vbi Azonem, & Accurſium tenuiſſe contrarium admonet:vel de veritate dicenda in cauſis criminalibus, quod credulitatis appellatur:nam ab impuberibus, & timidis ſumitur initium quæſtionis, *l.vnius.*18.*in princip.ff. de quæſtionibus* , & ad veritatem eruendam impubes,& fœmina nondum viri potens terreri,aut habena,vel ferula cædi poteſt,*l.*1.*§. impuberes,ff.ad Sillanian.*ſiue de iuramento confirmatorio:omni enim caſu impubes doli capax, & pubertati proximus , cuiuſcumque ſexus ſit,iuramento obligatur , vt inſinuat Aſſinius *vbi proximè c.*327.*num.*11.quamuis in iuramento à iudice impuberi,& proximo pubertati delato , quem in litem vocamus,noſtram ſententiam locum habere inficietur: cui & accedere videtur poſt Zaſium *in l.videamus num.*2.*de in litem iurand.* Phanut. *de iuramento in litem.*2.*part.dict.num.*12.ſed quicquid prædicti aſſerant,non minùs probabile iudico, impuberem doli capacem etiam in litem iurare poſſe,vt expreſſe defendit Montanus *in l. negotijs contrahendis* , *de regulis iuris.*

Quam vtique reſolutionem reſpectu ſo- 8
lummodò ipſius iuramenti procedere, aliqui fuerunt opinati, ideſt,vt eius vinculo impubes irretitus maneret,non verò vt quidquid iuramenti religione firmaſſet,ſi aliàs inutiliter ob defectum ætatis feciſſet,robur,& firmitatem obtineret,veluti ſi aliquem contractum Sacramenti interpoſitione celebraſſet: nam licèt verum ſit, pupillum, qui ita contraxit,periurij reatum incurrere non ſeruãdo contractum,vt penè omnes infrà referendi obteſtantur: attamen contractum ipſum iuramento minimè cõfirmari, ſed inualidum perſiſtere, vt ex magis communi ſententia exiſtimant Anton.Gomez *de contractib. cap.*14.*titulo de reſtitut.minor.num.*18.plures relati à Lambertengo *in fine tractatus numero* 38.& à Proſper.Farinac. *dict. tom.*1. *prax. crimin.quæſt.*15.*num.*35.P.Sanchez *d.lib.*6.

de

de matrimon.diſputat. 38.*à num.* 15.vbi *num. ſequenti* contrarium ſpeciali quadam ratione in matrimoniali contractu probat, *ex d. cap.ex literis el 2.de ſponſalib.* Andr. Fachin. *lib. 3.controuerſ.cap.* 10. Sed quidquid prædicti docuerint,non minùs probabilem illorum exiſtimationem iudico, qui conſtanter defendunt nedum iuramentum à proximo pubertati emiſſum,ſed & cõtractum eius religione firmatum, effectum & validitatem ſortiri,vt in expreſſo tenuerunt Franciſc. Viuius *lib. 2.commun.opinion.opin.* 508.*& opin.* 564.*num.* 3. Seraphin.*de priuilegijs iuramẽti priuilegio.* 83. *num.* 24. Proſperus Farin. *dict.loco num.* 34.*&* 35.*verſic. His non obſtantibus*,vbi multos pro hac opinione adducit,nouiſſimè Perez de Lara *in compend.vitæ*
9 *homin.cap.* 22.*num.* 28. & probatur euidenti ratione:quia iuramẽti ea vis eſt,vt minorem maiorem repreſentet, ſecundum Gloſſam & Doctores *in dict.authent. ſacramenta puberum*,& in *l.* 2.*C.de reſcind.vendit.* Abba. *diſputat.* 2.incipien. *ſtante ſtatuto num.* 20.*verſic.Quarto iuramentum*, Natta *conſil.*631.*n.* 8.*lib.*3.Cephal.*conſ.*207.*n.*7.*lib.* Simoncel. alios referens *dict.loco num.* 138. Sed qualiſqualis contractus à maiore,& legitimę ætatis homine initus plenum robur conſequitur, vt ex ſe patet: ergo & à minore, ſiue pubertati proximo iuramento celebratus idem c[illegible]tinebit.

10 Nec dictis repugnat,quòd in iuramento ab huius ætatis impuberibus præſtito deficit iudicium,quod neceſſariò ad ipſius validitatem exigitur,*cap.animaduertendum* 22.*q.*2. vbi D.Hieron.ex Hieremia Propheta *cap.* 4.*Animaduertendum eſt*, inquir, *quòd ius iurandum hos habeat comites,veritatem,iudiciũ, atque iuſtitiam, cap. etſi Chriſtus*, §. *Iacobus de iureiurando*,adſtipulatur Petr.Gregor. *d. lib.*5.*cap.*3.*num.*6. vbi poſt Gloſſam *in dict. cap.animaduertendum*,verbum *Iudicium* animi diſcretionem interpretatur,cuius quidem cùm pupillus particeps non ſit,ſiquidẽ quidquid videt ignorat,*l.*1.§.*impuberes,C.de falſa moneta cum ſimilibus* , nec iurare validè poſſe videtur,vt etiam hac ſola ratione contendit Menoch. *conſil.*29.*num.*36. & poſt eum Oſuald.*lib.*21.*Donelli cap.*13.*litera B.* quia vt appoſitè nimis conſiderauit Corneus *conſil.*187.*num.*5. *volum.*1. quem ſequitur Ioan.Beptiſta Aſſin.*in dict. tractatu de execution. c.*327.*num.*12. verius eſt, in pupillo proximo pubertati prædictum argumentum non procedere, cùm illa ætate neceſſarium iudicium ad iuramenti validitatem conſequatur.

11 Minuſque refragantur ſuperioris contrariæ opinionis fundamenta. Non vtique primum deductum *ex dict.cap. pueri, cap. honeſtum* 22.*quæſt.*5. vbi diſtrictiſſimè prohibetur,pueros ante decimumquartum annum ad iurandum compellere,ſiquidem omiſſis Seraphini interpretationibus *dict. priuileg.* 83. *num.*25. potiùs cum Turrecremata dicendum erit,dicta iura de teſtibus impuberibus loqui, qui quidem ad iurandum, ideſt ad teſtimonium proferendum,ante prædictam pubertatis ætatem compelli nõ poſſunt,his ſcilicet in caſibus,in quibus puberis teſtimoniũ ſufficiens reputatur, *cap. teſtes* 4.*quæſt.*3. ſumitur enim dictis in locis verbum *Iurare*, pro teſtimonium dicere.

Et multò etiam minùs obſtrigilatur *dict. l.qui iuraſſe*, cui reſpondetur vt ſuprà, quòd ibi non agitur de validitate iuramenti (imò in ea parte,in qua ea ſpecie de valore iuramenti agitur,dicitur validum eſſe cõtra eum qui petit iurare) ſed de veritate iurata, quo caſu etiamſi contigerit non verè iuraſſe, non dicitur pupillus periurus, cùm non videatur malitiosè,ſed per errorem illud factum fuiſſe. Ni mauis reſpondere *dict.l.* loqui de pupillo non proximo pubertati, vt certum eſt, ac conſequenter,& non doli capace,qui etſi de facto iuret, ideò periurus dici non poterit,quia iuramentum non ſeruauit, ſiquidem, vt textus inquit, ea ætate ſcienter fallere vix poteſt, quod neceſſarium eſt ad periurij crimen incurrendum. 12

Nec magis vrget *dict.authentica ſacramẽta puberum*, quæ ſecundùm probabiliorem ſententiam,etiam in proximis pubertati locum habet, quia vt iuramenti implementum reſpicit,fauorabilis eſt,vt ex Iaſone, & Curcio Iunior.*in dict.authent.*reſoluit Cald.Pereira *dict.verbo minoribus num.*9.*verſic.Neque mouere debet*: ideoque ex ſcitiſſima iuris regula, qua odia reſtringi,& fauores debere ampliari docemur , illius deciſio etiam ad proximos pubertati extenſionem admittit. Nec refert, quòd expreſſe de puberibus loquitur,quia vt in poſteriori noſtræ opinionis fundamento dictum remanet,pupillus pubertati accedens, adeò inter perfectè puberes reputatur,maximè vbi de iuramento agitur, quod puberis nomen ſortitur *dict.l.*4.*in princip.de in litem iurando*, quam ita fore interpretandam,iam propè ſcripſimus. 13

SVMMARIVM.

Dolus potiſſima cauſa eſt iurandi in litem. 1.

Aduerſus eum, qui decimum annum cum

cum dimidio exceſſit, in litem iurari poteſt.2.

Contra minorem doli capacem, qui delictum in faciendo circa adminiſtrationem, vel quid ſimile commiſit, etiam petita reſtitutione, in litem iuratur.3.

QVÆSTIO XII.

De ætate illius, contra quem in litem iurandum eſt?

1 Et quidem cùm dolus potiſſima ſit cauſa, vt contra aliquem in litem iuretur, *l. ſi quando 9.C. vnde vi, cap. in primis, §. glorioſus 2.q.1. l.9.tit.7.l.2.tit.11.part.3.l.4. tit.7.part.5.* vbi Gregor. *gloſſa 6.* alia iura congerit: obſeruat Anton. Gomez *tom.3. variar. cap.4. ante finem*, Phanutius *de iuramẽto in litem 2.part. membro 2. à num.1.* Ioan. Baptiſta Plotus *eodem tractatu, §.4. in principio*, perſpicuum exiſtit, rectè aduerſus eum, qui decimum annum cum dimidio exceſſit, in litem iurari poſſe, cùm hac ætate, & non anteâ regulariter homines doli compotes, & capaces cenſeantur, vt fuſiùs ſuo proprio loco monſtrauimus. 2 Quocircâ meritò reſoluit Phanutius *vbi proximè n.39.* contra minorem (ſcilicet doli capacem) qui in adminiſtratione minùs fideliter ſe geſſit, vel quidpiã dolosè, aut fraudulenter in ea fecit, in litem iurari poſſe, vt etiam expreſſiùs ex ſuperiori 3 ſententia inferr Plotus, *§.38. num.11.* deſignanter affirmans, aduerſus minorem viginti & quinque annis adultum, aut doli tantùm capacem, qui dolum vel delictum commiſerit in faciendo, puta inferendo violentiam, vel damnum dando, in litem iurari poſſe, non obſtante petita ab eo in integrum reſtitutione.

SVMMARIVM.

Bona fides in depoſito exigitur.1.

Impubes doli capax depoſiti actione tenetur. ibidem.

Dolus requiſitus, vt depoſiti actio locum habeat, non magnam machinationem deſiderat.2.

Doli capax quis dicatur?3.

Qui decimum annum cum dimidio exceſſit, actione depoſiti poteſt conueniri. ibidem.

QVÆSTIO XIII.

Vt quis velut depoſitarius, actione depoſiti teneatur?

Licèt regulariter decimoquarto anno minores ex nullo contractu ab ipſis inito efficaciter obligentur, veluti apriori loco oſtẽdimus: ea tamen bonæ fidei vis eſt, quæ in contractu depoſiti exigitur, *l. bona fides. 31. cum vulgaribus, ff. depoſiti*, vt nondum puberem, doli tamen capacem eius obligationi & actioni reddat obnoxium. *l.1. §. an in pupillum. 15. ff. eodem*, ſiquidem cùm iſthæc actio ob dolum dumtaxat in depoſiti reſtitutione admiſſum competat, *dict. l.1. §. ſi rem à ſeruo. 32. & §. fin. l. quod Nerua. 32. ff. eodem*, qui enim eius ætatis eſt, vt doli particeps credatur, quidni prædicta actione tenebitur? maximè cùm dolus ad huiuſmodi actionem requiſitus non magnam machinationem exigat. Quod perneceſſarium exiſtimauit Conſultus, vt doli actio contra pupillum competeret *in l. quid enim. 14. ff. de dolo*, ideſt, veluti ibidem interpretatur Cuiacius, qui extrui, & excogitari poſſit ab huiuſmodi ætatis pueris, vtputa nolle reſtituere depoſitum. 1 2

Quocirca, cùm doli capax frequenter is accipiatur, qui adeò puberrati proximus eſt, vt procul ab ea diſtet, vel vt de iure communi eſt receptius, qui iudicis arbitrio talis æſtimatur: & ex Regijs noſtris conſtitutionibus, qui decimum annum cum dimidio expleuit: quemadmodum *hoc eodem anno* latiùs expoſuimus: indeeſt, hac tantundem ætate, qui depoſitum acceperit, eius inficiatione dolum admittere poſſe, vt cõtra ipſum ſit actioni locus, quidquid minus rectè aliter exiſtimauerit Anton. Faber *in rationali ad dict. l.1. §. an in pupillum*, aſſerens illum quoad huiuſmodi actionem pubertati proximum, & doli compotem dici, cui ſemeſtre tantùm deeſt ad pubertatem, ex Caliſtrati interpretatione *in l. non tantum 7. in fin. de excuſat. tutor.* quæ minimè ad rem ſpectat, vt iam explicauimus. 3

SVMMARIVM.

Virginitas vel eſt corporis, vel animi.1.

Corporis virginitas, quacumque infantili ætate poteſt amitti.2.

Corporis virginitas in quo conſiſtat. ibidem.

Vio-

Violatio corporalis integritatis quoddam vulnus dicitur. 3.
Immaturam virginem corrumpens, qualiter puniatur? 4.
Fœminas, vel pueros fuiſſe refertur, à nono vel decimo ætatis anno meretricantes, ibid.
Animi virginitas, qua ætate poſſit deperdi? 5. & 8.
Nondum viri potens fœmina, ſi peccati ſit conſcia, poterit virginitatem amittere. 6.
Impuberes ſeminis ſunt expertes. ibidem.
Amiſſa animi virginitas, quando poſſit pœnitentia reparari? ibidem.
Emiſſo ſemine, ſpiritualis pudicitia manet irreparabilis, & quare. 7.

QVÆSTIO XIIII.

Ad virginitatem amittendam?

1 VNa eſt enim animæ virginitas, corporis verò altera, *cap. de pudicitia 6. in fine, cap. magis timeamus 9. cap. ſicut enim. 10. 32. q. 5.* ideoque animo, & corpore ipſa poteſt amitti, *cap. 1. 2. 3. 4. & ſeqq. eadem cauſa & quæſtione.* Sed an vtraque eadem ætate? dubium eſſe videtur. De virginitate igitur corporis ſatis conſtat, quacumque in-
2 fantili ætate poſſe deperdi, tum quia hæc, ſiue pellicula ſit, aut membrana, vt tenet Auerroes *lib. 1. collectan. cap. 35.* Andr. Veſall. *lib. 5. de fabrica corporis humani, cap. 15.* Fragoſus *in ſua Chirurgia vniuerſali lib. de Anatomia, cap. 19. de la madre, paulò ante finē,* Falop. *in obſeruat. anatomat.* ſiue illarum partium ſola coaleſcentia, & complicatio, vt meliùs arbitrantur Franciſc. Valles *de Sacra Philoſophia c. 25.* Horat. Augen. *tom. 2. epiſt. 1. cap. 4.* Petr. Garſia *de locis affectis diſput. 67. cap. 1.* & ex noſtris P. Sanchez *de matrim. lib. 7. diſputat. 14. num. 1.* Franciſc. Torreblanca alios referens *iuris ſpiritualis pract. lib. 3. cap. 15. num. 15. cum ſequentibus,* nihil obſtat, quominus poſſit in nondum viri potente fœmina, vti & in iam pubere violari, &
3 diſrumpi, nō aliter, ac vulnus quodlibet aliud poteſt ipſius membris infligi; cùm non niſi vulnus ſit huius corporalis integritatis reſeratio, *cap ad Deum 7. d. cauſa & quæſtionē,* ibi: *Omniſque illa violentia, non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur: tantum enim valet in mente integritas caſtitatis, vt illa inuiolata, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cuius membra po-*
4 *tuerut ſeparari.* Tum etiam, quia immaturas virgines corrumpentes leges acriter puniſſe, *l. ſi ſtuprum. 25. de iniurijs, l. ſi quis aliquid 38. §. qui nondum de pœnis,* tradit Petr. Gregor. *ſyntagmat. iuris lib. 36. cap. 9. num. 9.* Anton. Gomez *in l. 80. Tauri num. 42.* vbi hodie eos pœna mortis teneri affirmatiſequitur Farinac. *in praxi criminali quæſt. 135. num. 43. & ſequentibus,* vbi & *num. 47.* docet hanc pœnam ſolùm habere locum, quando violata fuere pudenda puellæ, non verò quādo ſolus conatus ſtupri fuit adhibitus; probant alij relati ab Emanuel. Barboſ. *in remiſſion. ad ll. Luſitan. 2. part. lib. 5. tit. 18. §. 4. num. 5.* ergo nondum viri potens puella corporalem integritatem amittere valet. Inde eſt fuiſſe fœminas ex nono & decimo anno meretricantes, & pueros ex ea parum maiori, vel minori ætate mulieribus deditos, vt ex Alberto Magno *lib. 18. tractat. 2. cap. 2.* Genebrardo, D. Hieronymo, & alijs refert Torreblanca *vbi ſuprà num. 24.* noſque alibi retulimus.

De mentis igitur virginitate difficultas 5
ſolum eſt, vtrùm ad ipſius iacturam certa aliqua ætas adeſſe debeat? Qua in re Paul. Comitolus *reſponſ. moral. lib. 4. quæſt. 17. num. 1.* ita ſcribit: *Potuit igitur puer vndecim annorum, id quod pro forma eſt in virginitate perdere: & eum perdidiſſe mihi eſt perquam credibile: nam ſi peccauit, ſine dubio perdidit: peccaſſe verò id ætatis eum pluſquam veriſſimile eſt, niſi fuerit inſanus, quamquam amiſſam ſuam virginitatem puer vndecim annorum pœnitentiæ ſubſidio referre poteſt: nam in illa facinoroſa libidine non fuiſſe aliquam ſeminis deciſionem credimus: ſi enim ea extitiſſet, nulla pœnitentia amiſſa virginitas reuocari poſſet.* Ex quo Pauli Comitoli loco nonnulla deducuntur obſeruatione digniſſima. Primum, nondum viri potentem fœmi- 6
nam poſſe poſtquàm ad malitiæ, & peccandi ætatem peruenit, ſpiritualem virginitatem deperdere. Secundum, hac ætate, qua regulariter ſeminis tam fœminæ, quàm viri ſunt expertes, vt probat Zachias *Medicolegal. lib. 1. tit. 1. quæſt. 6. num. 80.* amiſſam hanc pudicitiam pœnitentia eſſe retractabilem. Nam quod ex D. Auguſt. refertur *in cap. ſi Paulus. 11. 31. quæſt. 5. Audenter dicam, cùm omnia poſſit Deus ſuſcitare, virginem non poteſt poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna, ſed non valet coronare corruptam,* de corporali virginitate eſt accipiendum, quæ ſemel amiſſa, nec de poteſtate Dei abſoluta poteſt reparari, vt indicant Maiolus *tom. 1. colloq. 3.* & nouiſſimè Torreblanca *dict. loco num. 1.* Tertium, quod ex dictis verbis colli- 7
gitur, eſt, poſt emiſſum ſemen virginitatis iactu-

iactura in nulla pœnitentia reparabilem eſſe. Et ratio, ni fallor, ea eſt, quia tūc non ſolùm animi virginitas, ſed corporis etiam amiſſa videtur, veluti cum adeſt pollutio, Nauarrus *in Manuali cap. 16. num. 3. verſiculo interrogatus*, Maceratenſ. *variar. reſolut. lib. 1. reſolut. 112. caſu 14. verſic. & dicta*, Rodericus Acunha *in cap. ſanctimonialis. 24. num. 1. 23. diſtinct. & in cap. placuit 5. num. 5. 77. diſt.* vbi inquit, poſſe conſecrari eam, quæ pollutione voluntaria fuit corrupta, dummodò integra ſit corpore, & ſignaculum virginale nō amiſerit. Nam etſi verè ſit corrupta, vulgò tamen pro virgine reputatur, vt inquit Sà *in aphoriſmis confeſſor. verbo conſecratio. num. 6.* Hæc enim corporalis pudicitiæ amiſſio irretractabilis manet, vt nunc diximus, & in ſpecie de virginitate amiſſa ex ſola exciſione ſeminis, integro pudoris clauſtro manente, docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 152. Maiolus *de irregul. lib. 1. cap. 29. num. 31. verſic. quando-*
8 *que*. Concludendum igitur erit hac quæſtione, ante decimum annum cum dimidio, nec fœminam, nec virum poſſe mētis pudicitiam deperdere, ex tunc verò rectè poſſe, qui a peccati iam compotes exiſtunt, *l. impuberem. 23. de furtis*, cum ſimilibus ſupra *hoc anno* adductis, vbi id exactè approbauimus, cuius ſola inhoneſta voluntatis conſenſione hæc mentis puritas maculatur, *dict. cap. de pudicitia, cap. magis timeamus dict. quæſt.* 5.

SVMMARIVM.

Certa ætas in donatario deſideratur, & qualis ea ſit. 1.

L. donatarum 3. C. de acquirenda poſſeſſ. de cuius ætatis infante ſit intelligenda, 2. & 3.

Poſſeſſio non niſi per pupillum infantiæ proximum autore tutore acquiri poteſt. 4.

Donatio facta infanti non valet, niſi eius nomine pater, aut tabellio illam acceptauerit. 5.

L. ſi quis in emancipatum, C. de donation. de minore ſeptennio Principis reſcripto emācipato eſt accipienda. 6.

Qui poſſeſſionem acquirere poteſt, vtrùm & donationis acquirendæ ſit capax? 7.

Exiſtenti in vtero minimè poteſt donari. 8.

Patre, vel ſaltim notario acceptante naſcituri nomine, valet in eum collata liberalitas. 9.

Donatio naſcituro facta, an ipſius natiuitate conualeſcat? 10.

Donatio in abſentem collata, pro quo ſiue notarius, vel quæuis alia legitima perſona ſtipulatur, valet. 11. *Et qui contrarium defendunt?* 12.

Donatio abſentis nomine à notario acceptata tantam vim habet, vt nec conſenſu ſecundi donatarij poſſit reuocari. 13.

Non naſcente donatario, quando euaneſcat donatio, licèt notarij ſtipulatione fuerit corroborata? 14.

De iure noſtro acceptatio non eſt de eſſentia obligationis. 15.

In donationibus inter viuos, etiam de iure communi, hodie acceptationem minimè eſſe neceſſariam, putat Anton. Faber. 16.

Secundùm leges Regni, naſcituro infanti, & abſenti poteſt donari. ibidem.

Naſcituris rectè legatur. 17.

Naſcituris an mortis cauſa poſſit donari? ibidem.

QVÆSTIO XV.

Cuius ætatis donatarius eſſe debeat, vt in illum collata liberalitas ſubſiſtat?

QVemadmodum in perſona eius, qui donat, certa & determinata ætas à legibus exigitur, vt ea nondum exacta validè hac largitionis ſpecie nequeat propriam liberalitatem exercere, veluti inferiùs *anno* 25. apparebit: ita ſimiliter, & in perſona illius, in quem munificentia, ſiue donatio confertur, certam eſſe ætatis menſuram præſcriptam exiſtimo, ante cuius lapſum ipſi donari non poſſit: quod licèt ſciam ab aliquibus non ſolùm improbabile, quin & à certo deuium cenſendum maximè ab his, qui frequētiſſimam noſtrorum eſſe traditionem didicerunt donari rectè poſſe, necdum primæ ætatis hominibus, ſed & his, qui nullius ætatis ſunt, vt puta nondum conceptis & naſcituris, vti ſequentia indicabunt, nihilominus id aliquibus rationibus ſuadendum contendam, ex quibus velut neceſſarium conſequens veniet inferendum, tantùm iis, qui proximam infantiæ ætatem exceſſerint, id eſt, quibus decimus annus cum dimidio fuerit ſi maſculi ſint, aut ſi fœminæ, quibus nonus cum decimi dimidio obtigerit (quas & quos proximos infantiæ eſſe proprio loco diximus) acquirendæ donationis beneficium concedi, vt anteà, quamuis nullo fundamento prædixerat Cardinalis Mantica *lib. 13. de tacitis & ambiguis conuentionibus tit. 6. num. 6.* quod vt clariùs procedat, in perſonis dumtaxat maſculorum adſtruemus, è quibus ad fœminas infantiæ proximas, ſcilicet noni annicum dimidio

medio (quã ætate receptior opinio, ſaltim de iure patrio fert, illas infantiæ proximas) traduci ſine difficultate poterit. Et
2 in primis conuincitur hæc opinio expreſſo Cæſaris teſtimonio *in l. donatarum 3. C. de acquirend. & retinenda poſſeſſione*, vbi fatetur Imperator, donatarum rerum vacuam poſſeſsionem à quacumque perſona infanti traditam ipſi acquiri, idque non alia ratione, niſi quia licèt animi plenum affectum non habeat, qui præciſe in donatario requiritur, *l. in omnibus 55. de obligation. & actionib.* aliqualem nihilominus obtinet; cumque ſufficientem ad donationem, & eius poſſeſsionem nanciſcendam, vt infra dicemus. Quæ vtique ratio, cùm nullo modo verificari valeat in infante ſimpliciter, ſiquidem iſtius quemadmodum non eſt animus, aut voluntas, *§. pupillus, de inutil. ſtipulat. l. 3. §. proinde ad Senat. Conſul. Macedon. l. qui iuraſſe 26. de iureiurando, l. pupillus 189. de regulis iuris*, cum vulgaribus. Ita neque affectus, qui nihil abanimo diſtat, *dict. l. in omnibus*, quapropter furioſo ſimilem eſſe *in dict. §.* continetur: & conſtat *ex l. pupillus 9. de acquiren. hæredit. l. infans ad l. Cornel. de ſicar.* neceſſariò de eo, qui maior infante, & proximus infantiæ cognominatur, ſubaudiri debet, qui licèt abſolutè loquendo, etiam nullius intellectus, & animi ſit, vt verba *dicti §. pupillus* demonſtrat; diffiteri tamen non poterit, nonnullum, quamuis non plenum ſortiri, alioqui, nec benigna interpretatione fieri poſſet, vt proximis pubertati, quibus adeſt intellectus, æquipararetur *in dict. §. pupillus.* Ergo manifeſtè conſequitur, Imperatorem *in prædicta l. 3.* de infantiæ proximo fuiſſe locutum, de eoque obteſtatum, acquirendæ donationis eſſe capacem.

3 Et conuincitur hæc interpretatio *ex l. ſi quis in emancipatum 26. C. de donation.* vbi cùm infanti priùs quàm fari poſſet, aut haberet rei, quæ ſibi donabatur affectum, id eſt ante ſeptennium, donatio fieret, inquit Imperator, *Quod ius per eum ſeruum, quem idoneum eſſe conſtiterit, tranſigi placuit, vt per eum infanti acquiratur.* Ex quibus verbis colligitur, infantem per ſe illa ætate, velut animi expertem, donationem acquirere nō poſſe, ſed inſtrumento ſerui, aut proprij, vel publici, *l. 2 ff. rem pupilli ſaluam fore*, indigere, vt ipſi acquiratur: quod cùm in perſona illius infantis, de quo *in dict. l. donatarum*, nequaquam deſideretur, ſed ſimpliciter proferatur, illum donationem acquirere potuiſſe, ſignum eſt fuiſſe alicuius mentis; aut affectus compotem, ideoque & infantiæ proximum.

Deinde probatur ab inconuenienti, quod manifeſtè deducendum infert Imperator *in dict. l. donatarum*, niſi obſtaret infantem, quem infantiæ eſſe proximum conſtaret, donationem, ipſiuſque poſſeſsionem quærere. Nam alioquin, inquit, ſequeretur, quòd nec quidem per tutorem poſſeſsio infanti etiam rei donatæ poſſet acquiri, cùm ſolummodò ei pupillo, mediante tutoris perſona, acquiratur, qui ſaltim infantiæ proximus eſt, vt ex hoc, & in hoc textu optimè probat Vbert. Giphan. eoque ſenſu intelligendum admonet Conſulti reſponſum *in l. 1. §. per procuratorem, ff. de acquirend. poſſeſſ.* vbi per tutorem pupillo poſſeſsionē acquiri ſcribitur. 4

Ex quibus depromitur, parum conſideratè protuliſſe Franc. Duarenum *titul. de donatio. cauſa mortis, capit. 6.* Petrum Nicol. Mozzium, *in ampbitheatro contract. tract. de donat. cap. de perſonis num. 1.* & Vbertus Giphanius *vbi proximè*, infanti cuicumque donationem fieri poſſe, cùm tantum abſit, vt in eius ętatis puerulo, qui infantiæ non appropiat, liberalitas hęc conſiſtat: quòd imò niſi pater, aut tabellio illius nomine ſtipulentur, aut donantis volūtatem acceptauerint, irrita ſit donatio, vt expreſsè cauetur *in dict. l. ſi quis in emancipatum.* Et latè nimis comprobant Ioan. Crotus *in l. 1. in princip. in 2. lectura. column. 3. verſiculo Et ex hoc in quæſtione facti, de verb. oblig.* Cardin. Manr. *de tacitis & ambig. conuention. lib. 13. d. tit. 6. num. 6.* & noſter Alphonſ. Perez de Lara, ſic intelligendus *in compend. vitæ hominis, c. 16. num. 94.* 5

Nec obſtat, quòd *prædicta l. ſi quis* loquatur in infante emancipato, ac perinde in maiore ſeptennio, & pubertati proximo, veluti ex dictis, vbi de requiſita ætate ad emācipationē egimus, inferri poteſt. Quia vt ibidem in huius textus explicatione oſtendimus, infans, de quo illic ſermo, propriè erat infans, ideſt, nondū ſeptennis, vti verba illa, *Prius quàm fari poſſit, aut haberet rei, quæ ſibi donatur, adfectū*, indicāt, quibus ſigna vere infantis depingūtur. Quare præſumitur, eius emācipationem Principis reſcripto fuiſſe factā, quo intercedente, etiā anniculum, & eo minorem emancipari poſſe d. loco ſtetipſimus. 6

Vnde venit meritò notandus Andreas Alciat. *in l. 1. in princip. num. 33. de verbor. obligat.* dum ſentit, infantem, qui eius ætatis eſt, vt neceſſarium affectum ad donatarū rerum poſſeſsionem adipiſcēdam obtineat, ipſas res, vtputa iocalia, vel aliàs ſtipulatione ſibi donatas, acquirere nō poſſe: idque ea 7

ratione, quia in poſſeſsione acquirenda ſatis eſt affectus, *dict. l.* 1. §. *adipiſcimur, de acquirend. poſſeſſ.* Sed in ſtipulatione requiritur vox rationabilis, & conſenſus, quæ nequaquam in infante reperiuntur. In quo proculdubio fallitur, & apertè contrariatur prædictus Autor. Nam ex quo loquitur de eo infante, qui acquirendæ poſſeſsionis animum & affectum habebat, neceſſariò & de de eo loquitur, qui fari poteſt, ac conſequenter & ſtipulari, cùm niſi maior ſeptennio, & infantiæ proximus, adipiſcendæ poſſeſsionis animum habere non poſsit, vt ſuprà docuimus: is verò rectè ſtipulatur, qui fari articulatè, & cum aliquo iudicio loqui poteſt, quemadmodum lato calamo ſcripſimus *anno* 7. vbi de infante fuit ſermo: ergo à fortiori qui acquirendæ poſſeſsionis rerum ſibi donatarum animum conſequitur, & ipſarum rerum dominium ſtipulatione ſibi quærere poterit, quia ſtipulari valet.

8 Itidem ex ſuperiori noſtra definitione infertur, iuri conſonam, & conuenientiſsimam eſſe reſolutionem eorum qui exiſtimant, nondum conceptis, vel natis inutiliter donari, inter quos præcipuum locum obtinent Boherius, & ab eo relati, *deciſ.* 172. *à numer.* 4. Franciſ. Hotoman. *quæſtion. illuſtr. quæſt.* 6. Cardin. Mantica *dict. titul.* 6. *numer.* 7. & nouiſsimè Alphonſ. Cartan. *diſput. de vera humani partus naturalis & legitimi deſignat. cap.* 2. §. 3. *ex num.* 5. non ſolùm quia nulla eſt eorum perſona, vt Hotomanus ratiocinatur, neque conſenſus, vt Manticæ placet: ſed etiam quia neque in illis neceſſaria ætas ad donationis acquiſitionem inuenitur.

9 Quod reſtringitur, vbi pater nomine naſcituri aut ſtipulatur, aut donationem comprobat: nàm hoc caſu, vtilitatis cauſa, receptum eſt eam valere, ſiquidem per patrem poteſt filijs acquiri, quamvis poſt eius mortem naſcantur, *l. ſi quis operas*, vbi notat Gloſſa *verbo Poſthumos*, *ff. de operis libertor.* tradit poſt Bartol. *in l. quod dicitur numer.* 12. *ff. de verborum obligation.* Decium *conſil.* 578. *numer.* 8. *&* 9. Stephanus Gratian. *diſceptat. forenſ. tom.* 2. *capit.* 219. *numer.* 33. *& capit.* 356. *num.* 15. latè Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris, litera D. concluſ.* 640. *à numer.* 2. Franciſc. Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 7. & rurſus *tit.* 21. *num.* 5. vbi & *dict. numer.* 7. affirmat multò magis prædictam donationem ſubſiſtere, interueniente notario, qui nomine naſcituri ſtipuletur. Quod probatur *ex l. Diui* 5. §. *pactis*, *C. de naturalib. liber.* itaque intelligendi ſunt textus *in l. ſi inter virum, de pactis dotalibus*, *l. pater pro filia*, *C. de pactis conuentis*, docet in terminis Guid. Papæ *quæſtion.* 267. Petrus Nicol. Mozz. *dict. tractatu de donatio. dict. cap. numer.* 1. vbi alios iſtius opinionis recenſet, Quint. Mandoſ. *de ætate minori*, *capit.* 2. *numer.* 30. *&* 31. quamuis nimis audacter loquatur, dum putat ſufficere ad hoc, vt donatio nondum concepto facta ſortiatur effectum, quòd fiat aliquo verè, vel fictè acceptante. Conſentit ſuperioribus Perez de Lara *dict. cap.* 16. *num.* 94. Fontanella *de pactis nuptialib. clauſula* 4. *in princip. num.* 17. Bertazol. *tract. de clauſul. clauſula* 18. *gloſſa* 5. *num.* 5.

Nec audiendus erit Ioann. Philip. *reſponſ.* 10. *numer.* 8. dum arbitratur, donationem nondum nato filio factam, ex nunc (vt dicitur) non valere, ſed ab eo tempore, quo natus fuerit filius, effectum ſumere: argumento *l. cùm illud* 25. §. *vltim. ff. quando dies legat. cedat. l. interdum* 73. *l. vbi autem* 75. *de verborum obligation:* quam ſententiam amplectitur Boher. quem refert & ſequitur Matthæus *in annotatione ad Guidonem Papæ, quæſtion.* 505. Cui aſſentiri videtur Stephan. Gratian. *dict. cap.* 219. *numer.* 36. ex quo, inquit, quòd quando filij naſcituri ex ſecundo matrimonio, pro quibus pater ſtipulatur, non naſcuntur, non eſt valida donatio facta per matrem, ſecùs autem quando naſcuntur: quia tunc valebit dicta donatio, ſi filij ratificant illam donationem eorum nomine, ſtipulatam per patrem: nam ſi non ratificarent, omnino inutilis eſſet, quo proculdubio cum Philippo ſentire videtur, ante natiuitatem, & ratificationem naſcituri donationem in ſuſpenſo exiſtere. Quod 11 vtique, vt dixi, audiri non debet: quia veluti communis fert opinio, etiam maiori abſenti facta donatio, pro quo notarius, aut alia quæuis legitima perſona ſtipulatur, ſtatim abſque vlla ipſius abſentis ratificatione valet. Quemadmodum in propoſito tenent Ludouic. Roman. *conſ.* 513. *volumin.* 7. Alexand. *conſil.* 54. *column.* 2. Philip. Decius *conſil.* 213. *column.* 3. Ludouic. Gozadin. *conſil.* 83. *numer.* 90. Paul. Pariſ. *conſil.* 88. *volumin.* 3. *& conſil.* 90. Philip. Corn. *conſil.* 50. *column. fin. volum.* 1. *& conſil.* 190. *column.* 3. *volum.* 4. *& conſil.* 2. *colum.* 2. *volum.* 4. Barthol. Socin. *conſil.* 90. *column. penult. volum.* 3. Stephan. Bertrand. *conſil.* 110. *col.* 2. *& conſ.* 156. *col.* 3. *vol.* 1. Anton. Rub. *conſil.* 73. incipienti: *Quod iure magnifici*, *numer.* 8. Guid. Papæ *de-*

ciſion.

ciſion. 49. Carol. Ruin. *conſil.* 119. *column.* 5. *volumin.* 1. Roland. Valle *conſ.* 19. *numer.* 22. *volumin.* 1. concludens mirandum eſſe, quòd Alciatus dixerit communem contrariam, Anton. Gabriel. *lib.* 3. *de verborum obligation. concluſion.* 1. *numer.* 10. Hippolyt. Riminald. dicens, quòd falluntur qui dicunt contrariam eſſe communem, cùm ex prædictis pateat contrarium, *conſil.* 234. Domin. Roman. *numer.* 303. *volumin.* 3. *& conſil.* 112. *& conſil.* 242. Cardin. Mantic. *de tacitis & ambiguis conuention. lib.* 13. *titul.* 7. *numer.* 12. *viſo, hac autem,* Alexand. Trentacinq. *variar. reſolut. lib.* 3. *reſolut.* 1. *numer.* 4. Surdus *deciſione* 111. *numer.* 5. vbi hanc opinionem communem dicit pluribus relatis, & idem repetit *deciſion.* 206. *numer.* 4. Stephan. Gratian. *deciſion.* 39. *numer.* 9. licèt contrariam
12 protulerint veriorem Alciatus *conſil.* 132. *numer.* 8. Cacheran. *deciſion.* 33. *numer.* 3. Molin. plures referens *lib.* 4. *de primogen. capit.* 2. *numer.* 67. Parlador. *lib.* 2. *cap.* 3. *numer.* 36. Ioann. Gutierr. *in repetition. capit. quamuis pactum, numer.* 53. *de pactis in* 6. Azeued. *in l.* 2. *numer.* 2. *titul.* 16. *lib.* 5. *Recopilation.* quidquid excepto nemine, ſuperiorem ſententiam omnes tenere dicat Antonius Faber *decad.* 47. *errore* 1. quod & de donatione eodem modo abſenti facta, docet Surdus *vbi ſuprà.* Ergo cùm nulla conſtitui poſsit differentia inter abſentem, infantem, aut non natum, neque conceptum, vt pluribus in locis oſtendimus; conſequens eſt, eos decipi, qui putant factam naſcituro, aut infanti donationem ante ipſius natiuitatem, & ratificationem minimè effectum ſortiri, ſed in ſuſpenſo eſſe, vt in terminis id aſſerunt Alexand. Raudenſ. *conſil.* 53. *num.* 25. *volumin.* 1. Fontanella *dicta clauſula* 4. *in principio numer.* 18. Alphonſ. Perez de Lara *in compendio, dict. capit.* 16. *numer.* 94.
13 Qui ideo reſoluunt prædictam donationem naſcituro, vel infanti notarij ſtipulatione factam irreuocabilem eſſe, ita vt nec ex conſenſu ſecundi donatarij poſsit reuocari. Quod anteà docuerant Guillielm. Benedict. *in cap. Raimuntius, verb. Si abſque liberis moreretur* 2. Iaſon *conſil.* 213. *num.* 3. *verſicul. Confirmantur prædicta, lib.* 2. Decius *conſil.* 216. *viſa tranſactione, in fine, & conſil.* 239. *primò non videtur, numer.* 5. vbi in terminis decidit: dubio enim ſibi propoſito, quale ius quæſitum fuiſſet liberis naſcituris, in donatione facta per patrem filio, contemplatione matrimonij vocatis? reſpondit, hoc ius, concurrente præſertim acceptatione notarij, firmum, & irreuocabile iudicandum eſſe, & tale, quòd eis inuitis tolli non poſsit: idemque in eadem donatione concludit Stephan. Bertrand. *conſil.* 1. *viſo conſultationis themate* 23. *verſ. Hinc etiam,* iuncto caſu illius conſilij *lib.* 2. & Stephanus Aufrer. *in deciſ. Capellæ Toloſanæ* 453. *in additione magna, circa medium, verſicul. Nec obſtare videtur,* & latiſsimè in ſpecie Caſſaneus *conſ.* 53. *num.* 51. *verſicul. Contrariam tamen partem.* Quin etiam in generali ſtipulatione, nulla naſciturorum mētione facta, ſed tantùm pro his, quorum intereſt, à notario recepta, eandem concluſionem admittit Decius *in præallegato conſ.* 607. *viſo puncto num.* 8. *& ſequenti.*

Nec refragantur *ll.* per Ioān. Philip. adductæ, ſiquidem his, & ſimilibus ſatis reſponſum extat per Guidonē Papæ *d. q.* 267. *n.* 1. & per Carrançam *d. cap.* 2. *§.* 3. *n.* 5. *verſicul. Quod autem.* Quamuis benè verū ſit, non naſcente donatario donationē reuocati, & euaneſcere, quoties vel pleno iam vtero nominatim donatio fit, aut quoties is, aut illa decedit, cuius ex corpore naſcituris fuit donatū. 14

Quod de iure noſtro patrio ſine difficultate procedere ſtante deciſione *l.* 3. *tit. de las excepciones lib.* 3. *Ordinam.* quæ eſt *l.* 2. *titul.* 16. *lib.* 5. *Recopil.* nouiſsimè tenet Alphonſ. Carrança *d. diſp. de partu c.* 2. *§.* 3. *n.* 6. ſiquidē ex illis verbis: *Pareciendo q̄ vno ſe quiſo obligar à otro por promiſſion, ò por algun cōtrato, ò en otra manera ſea tenudo de cumplir aquello à que ſe obligò: y no pueda poner excepcion que no fue fecha eſtipulacion, ò que fue hecho el contrato ò obligacion entre auſentes,* euidenter colligitur iure noſtro Regio donationē perfici ſola voluntate donantis, ita vt reuocari ante acceptationem non poſsit: quaſi hodie non ſit neceſſaria, vt poſt multos reſoluit noſter Hieronymus de Zauallos *commun. contra commun. q.* 54. *in fin.* Matienço *in l.* 7. *tit.* 10. *lib.* 5. *Recop. gloſ.* 2. *n.* 21. Menchaca *lib.* 3. *de ſucceſsion. creat. §.* 2. *n.* 43. Angulo *de meliorat. in l.* 1. *gloſ.* 5. *n.* 28. *& gloſ.* 8. *n.* 17. Molin. *tom.* 2. *de iuſt. & iure. diſp.* 263. *verſ. Iuxta hæc, &* 264. *in fine,* Paz *ad ll. ſtyli in ſcholio ad l.* 187. *num.* 3. Villadiego, Ioannes Seſſe, & alij ab eodem Alphonſo Carrança congeſti *d. §.* 3. *n.* 6. Quod etiam de iure cōmuni in donationibus factis inter viuos poſt Iuſtiniani deciſionē *in l. ſi quis argentum* 35. *§. ſed ſiquidem, C. de donation.* neruosè contendit Anton. Faber. *dict. decade* 47. *errore* 1. putat enim prædictæ *legis* verba non ſolùm ad pactum, in quo duorum conſenſus requiritur, *l.* 2. *de pactis, l. qui autem* 14. *§. vltim. ff. de conſtit. pecunia,* ſed ad pollicita-

tationem pertinere quæ ſolius eſt offerentis promiſsio, *l. 3. de pollicitationib.* indéque donantis dumtaxat voluntatem ad donationis inter viuos perfectionem ſufficere, etiamſi nulla neque donatarij, aut notarij eius nomine acceptatio intercedat.

16 Vnde cùm perſona donatarij nihil conferat ad valorem donationis, ex quo ſolummodò ad ipſius perfectionem lege patria donantis conſenſus exigitur; inde eſt, non ſolùm, ſaltim apud noſtros, cuiuſcumque ætatis infanti, abſque interuentu parentis, aut notarij, qui eius nomine ſtipulentur, donari vtiliter poſſe, verùm & naſcituro, aut nondum concepto.

17 Idque procedere indiſtinctè in quibuſcumque donationibus arbitror: nam licèt iure communi inſpecto circa mortis cauſa donationes dubitari poterat, an procederet quod ſuperius reſoluimus? ex quo legatis æquiparari vulgatum eſt iuris axioma Quod probatur ex *principio inſtit. de donation.* cum concordantibus: legatis verò ea natura inſit, vt quibus in rerum natura nondum exiſtant, commodè relinqui poſsint, *l. ſeruos 17. de alimentis legatis.* Quare *ibidem* notat Bartol. monaſterio, vel templo nondum conſtructo, rectè legari poſſe, eo nimirùm, quia in legatis non requiritur perſona, cum qua contrahatur. Qua ratione idem conſuluit ipſe Bartol. *conſil. 26. teſtator in teſtamento, num 1.* defendit Florian. *in l. ex parte, §. ſeruo libertatem, famil. erciſcund.* Ioann. de Imola *in cap. nos quidem, circa finem, de teſtament.* Angel. *conſil. 129. bona dicti teſtatoris, num. 1.* Stephan. Bertrand. *conſ. 1. viſo, num. 4. lib. 2. & conſil. 302. viſis copijs, num. 1. lib. 3.* Nihilominus dicendum eſt, non ita omnino mortis cauſa donationes legatis exæquari, vt quemadmodum legata ad ſui conſiſtentiam ex parte legatarij aut conſenſum, aut acceptationem minimè deſiderant; ita & in donationibus nequaquam expoſtuletur, cûm imò in eis donatarij præſentia, & conſenſus ſit de ſuſtantia, *l. inter mortis 38. de donation. cauſa mortis*, ex qua notant omnes communiter, maximè Petr. Nicol. Mozzius *tractat. de donation. cap. de diuiſione donationis, num. 23.* Quod etiam poſt Iuſtiniani conſtitutionem *in dict. l. ſi quis argentum 35.* perſiſtere putat Anton. Faber *dict. errore 1.* ergo pari modo mortis cauſa donatio; ac inter viuos, vel alia quæuis, ſecundùm diſpoſitionem iuris communis, ad ſui validitatem conſenſum in donatario requirens, nondum nato, aut infanti fieri non poterit: quia conſenſum, quem non habent, præſtare non valebunt, niſi patre, aut ſeruo proprio, vel publico pro eis ſtipulante, *dict. l. 2. ff. rem pupilli ſaluam fore*, vel niſi, vt principio commonſtrauimus, infans ille ſit, qui infantiæ appropiet.

SVMMARIVM.

Animi deſtinatio ſimul cum facto habitationis, aut translationis bonorũ, inducit vicinitatem. 1.

An ſola pubertas quatuordecim annorum ſit ætas neceſſaria ad vicinitatem conſequendam? 2.

Pupillus educationis cauſa de vno ad alium locum translatus, domicilium in eo educationis non acquirit. ibid.

Filiusfamilias pubes, paterno domicilio relicto, aliud ſibi quærere poteſt. 3.

Pupillus deportatione ciuitatem amittit. 4.

Contrariorum eadem eſt ratio, & diſciplina. ibidem.

Etiam pubertati proximos, maſculos ſcilicet poſt annum decimum cum dimidio, & fœminas poſt nonum cum alterius dimidio, domicilium acquirere pro regula traditur 5.

Infans nequit vicinitatem acquirere. 6.

Sententia eorum, qui affirmant, pupillos ſine tutoris autoritate non poſſe vicinitatem conſequi, de infantibus, & infantiæ proximis interpretari debet, & quare. 7.

Ciuis Romanus, nemo ante annum trigeſimum ætatis efficiebatur. 8.

L. cùm inter veteres 14. C. de fideicommiſ. libert. illuſtratur. ibidem.

Vicinitas, quæ ipſo manumiſsionis facto acquiritur, etiam ab exiſtente in vtero poteſt acquiri. ibidem.

QVÆSTIO XVI.

Vt facto & voluntate propria, ciuis, incola, domiciliarius, & vicinus alicuius ciuitatis, vel oppidi quis effici poſsit?

Inter modos domicilium, incolatum, aut vicinitatem acquirendi, de quibus lato, & ſingulari calamo ſcripſit chariſsimus 1
Frater noſter D. D. Alphonſus Narbona *in Commentarÿs ad 3. part. nouæ Recollectionis ll. Hiſpaniæ, lib. 4. titul. 1. l. 29.*

l. 20. *gloſſa* 2. ille communiter enumeratur, qui à voluntate, & animi deſtinatione, iuncto aliquo facto, vtputa habitationis, vel translationis bonorum, ſeu familiæ dependet. Cuius meminerunt Conſulti *in l. eius qui* 27. §. *Celſus*, *l. nihil* 31. *ff. ad municipal.* & ex Interpretibus optimè Cardinal. Tuſch. *practicar. concluſion. litera D concluſ.* 596. & 597. Gratian. Farinac. Layman, & alij relati per Auguſtin. Barboſ. *tractatu iuris Eccleſiaſtic. lib.* 1. *capit.* 33. *numer.* 25. & *ſequentibus*. Vnde cùm eiuſmodi animus, ſiue voluntas, quauis ætate in homine non reperiatur, vt ſæpeſæpiùs ediximus, hæſitari admodum oportebit, quo annorum numero quis ita voluntaris compos credatur, vt ea poſsit domiciliarius, ciuis, incola, aut vicinus cuiuſcumque loci effici?

2 Et proculdubio hac in quæſtione ſtatuendum eſſe videbatur, cum rectè poſſe animo domicilium quærere, qui à pupillaribus egreſſus annis vitę quattumdecimum fuit ingreſſus.

Quod ſequentibus roborari poſſet. Primò ſententia Bartoli *in l. vnica*, *numer.* 2. *C. vbi petantur tutores*, Bald. *conſil.* 334. *ad medium*, *verſicul. ex hoc apparet*, *lib.* 4. Federici de Senis *conſil.* 253. incipienti, *quidam puer. numer.* 2. Gabrielis *conſil.* 189. *numer.* 18. & 19. *lib.* 2. Stephani Gratiani *diſceptation. forenſ. capit.* 181. *numer.* 11. Cardinal. Tuſch. *practicarum concluſion. iuris*, *litera D. concluſion.* 597. *numer.* 1. & 4. & Fratris noſtri *vbi proximè. numer.* 30. qua cauetur, pupillum educarionis cauſa è proprio ad alium locum translatum, in illo educarionis domicilium non acquirere, eo vtique, quia intellectualis animus ei deficit, qui ad domicilij adquiſitionem neceſſarius agnoſcitur: ergo ſi pupillus non ſit, conſequenter innuere videntur, ſed in pubertate conſtitutus, animum acquiſitioni vicinitatis ſufficientem obtinebit.

3 Secundò etiam confirmari videtur alia eiuſdem Federici Senenſis doctrina, *conſil.* 254. *numer.* 4. *addition.* 8. quam merito amplectuntur Vgolinus *de offic. & poteſtat Epiſcopi* 2. *part. capit.* 26. §. 2. *numer.* 3. *in fine*, necnon & amantiſsimus Frater *dicta gloſſa* 2. *numer.* 54. nempe filiumfamilias puberem paternum domicilium mutare, & aliud ſibi conſtituere libere poſſe. Quapropter, cùm domicilium ſine animo non mutetur, vt tradit Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris*, *litera D. concluſ.* 297. *num.* 1. Inde eſt puberibus, quibus mutandi domicilium, aut incolatum ad libitum poteſtatem iura concedunt, conſtituendi etiam neceſſarium animum ineſſe.

Verùm licèt hæc ita ſe habeant, & conſtitutiſsimum prima inſpectione apparuerit, decimumquartum annum agentem animi deſtinatione vbique domicilium conſtituere, aut vicinitatem, vel incolatum quærere poſſe; turbari tamen ſequenti validiſsima obiectione videtur. Nam pupillus, ac per conſequens qui longè à prædicta ætate diſtat, ciuitatem amittere poteſt. Ideoque & deportari, quod nihil aliud eſt, quàm ciuitate priuari, *l. ſi adrogati* 14. *ff. de tutelis*, §. *item finitur*, *inſtit. quib. mod. tutela finitur*. Ex quibus latiùs probauimus ſuprà, vbi de ætate ad deportationis pœnam ſcripſimus. Igitur ſi contrariorum eadem eſt ratio & diſciplina, *l. qui accuſare* 8. *de accuſationib.* §. *futurorum*, *inſtitut. de obligat. ex delict.* & naturali ratione conſentit, vnumquodque eo modo diſſolui, quo colligatum eſt, *l. nihil tam naturale*, *ff. de regulis iuris*, pupillus, qui ob delictum voluntariè commiſſum ciuitatis iacturam ſubire valet, & ipſius ciuitatis vicinitatem, aut incolatum eadem voluntate conſequi poterit. 4

Fateor enim hoc argumentum plurimum vrgere, & nullo alio modo reſponderi poſſe, quàm aſſerendo non ſolùm puberes, ſed etiam pupillos pubertati proximos, ideſt mares decem annorum cum dimidio, & fœminas nouem cum alterius dimidio, vt ſuprà *hoc eodem anno* oſtendimus (de quibus dictas leges ipſis deportationem infligentes accipiendas eſſe, loco vbi ſuprà obſeruauimus) domicilium, & vicinitatē quærere poſſe, quoniam ij ob pubertatis proximitatē frequenter inter puberes connumerantur, *l. excipiuntur* 14. vbi notant omnes, *ff. ad Senat. Conſul. Syllan.* ſiquidem hi fere ſemper, vt inquit Martianus *in dict. l.* eius ætatis ſunt, quamquā nōdum puberis, vt rei intellectum capere poſsint, affectionemque, & animum habere, in quo potiſsimùm conſtituendi domicilij ratio conſiſtit. 5

In quam reſolutionem reſpexiſſe videtur Baldus *dict. conſ.* 334. *verſicul. Ex hoc apparet*, *lib.* 4. dum inquit, pupillos, maximè infantes, domicilium elligendi eſſe incapaces, verbum illud, *maximè*, in infantibus adiunctum denotat, impuberes, qui nec infantes, nec illis proximi ſunt, 6

ſed pubertati accedunt; conſtituendi domicilium facultatem nanciſci (de quibus etiam intelligendus erit Barboſa *vbi ſuprà numer.* 31. inquiens, à teneris annis domicilium mutari poſſe) ſupponere enim videntur, intra infantiam conſtitutos ſolummodò, & non multum ab ea ætate diſtantes pupillos, qui æquali animi inconſtantia, & defectu cum infantibus laborant, *§. pupillus cum ſimilibus, de inutilib. ſtipulat.* à prædicta incolatus, ſeu vicinitatis acquiſitione, natura ipſa remoueri.

7 De quibus pupillis infantibus, & infantiæ proximis ſub audiendum erit quod ex Bartolo, Federico Senenſi, Gratiano, & alijs relatis ab eruditiſsimo Fratre noſtro *loco vbi proximè numer.* 30. retulimus, videlicet, pupillos nequaquam conſtituendi domicilium animum habere poſſe, niſi tutorum intercedente autoritate, qua ipſorum conſenſus & voluntas ſuppleretur, vt *ibidem* explicat amantiſsimus Frater, *numer.* 41. Quia licèt hæc doctrina ſit abſolutè prolata, ideoque omnes, & quoſcumque pupillos, etiam pubertati proximos includere videatur; ratione tamen, qua prædicti autores in hanc ſententiam adducuntur, planè conuincitur, eos de infantibus, & infantiæ proximis pupillis tantundem, non verò de pubertati accedentibus ſentire. Nam ſi eo exiſtimant, pupillis eligendi domicilium poteſtatem minimè ſubeſſe, quia voluntate carent, planum eſt, de pupillis tantùm infantibus, & his ſimilibus illos agere, de quibus rectè dici poteſt voluntate eſſe deſtitutos: nam qui procul à pubertate diſtant, & in decimo anno cum dimidio exiſtunt, animo, & voluntate vtuntur, non aliter atque ſi iam primos pubertatis annos fuiſſent ingreſſi. Quapropter delinquere, & alia, quæ citra affectum, & voluntatem exerceri nequeunt, eos poſſe, & facere palam eſt.

Nec dictis aliquod negotium faceſſit noua Imperatoris Iuſtiniani deciſio *in l. cùm inter veteres* 14. *C. de fideicommiſſ. libertat.* vbi antiqua ea lege abrogata, qua trigeſimo anno minoribus libertas ideò denegabatur, quia ciuis Romanus, qualis manumiſſus eſſe debebat, nemo ante prædictam ætatem eſſe poterat; cuius meminit Vlpianus *in fragmentis titul.* 1. *§. eadem l. cum ſequenti.* Vnde veteres, quos ad ciuitatem Romanam perduci volebant, ijs in teſtamento libertatem dabant, vt in *dicto §.* obſeruat Cuiacius: *Liberi ſunto, cùm annorum erunt* 30. *l. ex parte* 39. *§. ſeruo*, aliàs *Sticho, famil. erciſcundæ*, *l. Ariſto.* 46. *de manumiſ. teſtament. l. ſi quis ita* 13. *§. vltimo, ff. de ſtatu liber.* Qua lege abrogata Iuſtinianus ſtatuit nulla habita ætatis ratione, etiam in vtero degentes, & libertatem, & ciuitatem Romanam acquirere poſſe, ſiquidem Imperatoria hæc conſtitutio de ea vicinitate, vel ciuilitate conſequenda loquitur, quæ non animo, & voluntate manumiſsi, ſed imò ipſo manumiſsionis facto inducebatur, quam vtique nemini ſeruorum recuſare licere, inquit Iuſtinian. *in l. final. §. ſin vero quidem, C. de teſtamentaria manumiſſion.* cuius proculdubio quilibet recens natus, particeps, & capax exiſtit, vt optimè multis congeſtis reſoluit Frater noſter *dict. gloſſ.* 2. *numer.* 34. 8

AN-

ANNVS VNDECIMVS.

SVMMARIVM.

Sextum, vel ſeptimum annum agentes teneri communionis præcepto, qui putent? 1.

Paruuli, iuuenes, & ſenes populi Chriſtiani appellatione continentur. 2.

Diuerſæ Interpretum opiniones circa huius ætatis præſcriptionem referuntur. 3. & 4.

Vera opinio aſsignatur. 5.

Non ſolùm ætas, ſed etiam pueri conuerſatio, & iudicium ad huius Sacramenti ſumptionem debet attendi. 6.

Qua ætate pueri ligentur cenſuris contra non communicantes in paſchate, à iure, vel ab homine latis? 7.

C. omnis vtriuſque, de pœnitenti. & remiſſionibus, exponitur. 8.

Conſuetudo circa ætatem illius, qui communicare debet, eſt obſeruanda. 9.

Pueris, quibus invita propter ætatis imbecillitatem communio denegabatur, in articulo mortis erit miniſtranda. 10.

Damnatur opinio eorum, qui putant, etiam infantes ſine Eucharistia decedentes minimè poſſe ſaluari. 11.

QVÆSTIO VNICA.

Ad ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum, quo ætatis anno fideles teneantur?

1 Nimis controuerſa eſt hæc quæſtio, in qua ſunt qui putēt, pueris ſextum vel ſeptimum annū agentibus Euchariſtiā eſſe miniſtrandam, ſi peccare nouerint. Nam quemadmodum præceptum annuæ confeſsionis, hoc tempore accedente, prædicta circunſtantia obligat, ita & communionis obligare debet. Sic Ioan. Sanc. *in ſelectis moralibus, diſput.* 26*. num.* 4. Caſtrus Palaus *in opere morali tom.* 1. *tract.* 3. *diſputat.* 1*. puncto* 24. §. 2. *num.* 7. Philippus de la Cruz *in Theſaur. Eccleſiaſt. tractat.* 1. §. 11. *num.* 3. nouiſsimè Franciſ. Torreblan. *iuris ſpiritualis, practicabil. lib.* 2. *capit.* 7. *num.* 68. & facit quod ſcribit D. Thom. 3. *p. quæſt.* 80. *articul.* 12. ibi: *Quia creuit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, iuuenes, & paruuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, vt cautelam debitam circa vſum huius Sacramenti adhibeant; ideo prouidè illis negatur ſumptio ſub ſpecie ſanguinis, &c.* Quibus verbis non tantùm prouectioris ætatis, ſenes ſcilicet, & iuuenes, ſed etiam paruulos huius Sacramenti participes, & capaces ſupponit. 2

3 Nihilominus ex Soto, & Alexandro contrariū nouiſsimè tenet Melchior Zambran. *in deciſ. caſuum occurrent. in art. mortis, capit.* 3. *dub.* 2. *num.* 6. vbi inquit, poſſe viuaciſsimum puerum communicare ante decimum annum, numquam tamen ante ſeptimum. Et contra Sancium Ioann. Merlinus *tractatu de frequentia Euchariſt. diſt.* 1. *cap.* 1 *& ſequent.* Et in effectu idem voluiſſe videntur qui negant pueros tempore quo ſunt capaces recipiendi Sacramentum pœnitentię, eſſe etiam capaces recipiendi Euchariſtiam. Quorum plurimos enumerat ſolertiſsimus vir Antonin. Dian. *reſolution. moral. part.* 3. *tract.* 6. *reſolut.* 70. *in principio*, & rurſus *in additionibus ſecundariјs, reſolut.* 19. *etiam in initio*, qui vtroque loco horum opinionem contra Sancium, & illum ſequentes probabiliorem vocat.

4 Quibus accedens Maior *in* 4. *q.* 1. *arg.* 3. *concluſ.* 2. innuit, octauo vel nono anno poſſe dari pueris Sacram Euchariſtiam, ſentit expreſſe Nauarrus *in manuali, capit.* 21. *num.* 33. & 57. cùm inquit, pueros debere

communicare vno vel altero anno poſtquàm cœperint confiteri, atque adeo nono anno, vel decimo, quia vt iam diximus cõmuniter ſeptimo cẽſentur apti ad confeſsionẽ. Quod rariſsimè contingere, ex Soto animaduertit idẽ Zambran. *vbi ſup.* vnde Gabr. etiã *in* 4. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. hoc ad decimũ, vel vndecimũ annum producit, circa quam ætatem dari debet *eodem loco* loco D. Thom. *q. vnica, art.* 5. *q.* 4. A qua opinione nõ recedens *opuſculo* 65. §. *de Eucharis. prope finem, &* 3. *p q.* 80. *art.* 9. docet communionẽ illis pueris eſſe miniſtrandã, qui cum aliqua deuotione, & reuerentia ſumpturi ſunt. Aſsignant eandẽ decimi vel vndecimi anni ætatem ad cõmunionem Angel. *in ſum. verb. Euchariſtia n.* 11. Ledeſma 2 4. *q.* 5. *art.* 5. *dub.* 9. dicens multos poſſe cõmunicare decimo anno, & duodecimi ætatẽ aſsignat Sotus, vt refert Azor. *inſt. moral. tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 41. *q.* 10. quẽ ſequitur Conradus *in reſp. p.* 1. *q.* 54. *in fin.* & Poſſeuinus *de officio Curati. tit. de Baptiſmo. c.* 6. *n.* 29. *verſ. Quæritur quæ ætas.* Quibus nouiſsimè accedere videtur Ioan. Enriq. *in cõpend. caſuum moral. c.* 4. *n.* 3. Necnon & decimiquarti Manuel Rodrig. *in ſum. c.* 64. *concluſ.* 2. Suar. 3. *p. tom.* 3. *q.* 80. *diſp.* 70. *ſect.* 1. *art.* 10. Arboleda *in praxi Sacramentorũ de Sacramento Euchariſtiæ, nota* 13. *in princip.* quare vndecimũ, aut duodecimũ in fœminis, & decimũtertium, vel quartumdecimum in maſculis ad hoc præſcribit. Quibus nouiſsimè accedit Mæracius *in D. Thom. tom.* 3. *de Sacram. pœnit. diſp.* 25. *ſect.* 6. quorũ exiſtimationem reprehendit Ledeſma *vbi ſup.* dicens, non eſſe laudabile, nec certã regulam, quòd pueri non cõmunicent vſque ad decimumquartum annũ. Quod etiam ſentire videtur Antonin. Diana *d. reſol.* 50. vbi conſulit, ne differant Confeſſores eo ipſo quòd puer ſit capax confeſsionis, illi Sacram Euchariſtiam porrigere.

5 Quod cùm verum ſit, reiectis aliorum opinionibus, quas alius fortè probabiles diiudicauit, in ea ſum, vt tenendum putem circa decimũ, vel vndecimum annũ, maſculos & circa nonum aut decimum, fœminas, ſi rationis cõpotes fuerint, ad communionem ex præcepto Eccleſiæ obligari, vti ſuperius relati merito affirmant. Quibus addendi erunt P. Azor *d. loco,* & ab ipſo relati. Cùm, quia plenus vſus rationis, qui ex ſententia P. Suarez 4. *tom. in* 3. *p. diſp.* 36. *ſect. vlt. in fin.* P. Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 6. & 7. & aliorũ ad cõmunicandũ deſideratur, frequenter hac ætate accedit, argumẽto eorum, quæ de doli capacitate ſcripſimus, *anno* 10. Tum etiam, quia ante id tẽpus, quo proximus eſt infantiæ, vt ſuo loco probauimus, nihil ab infantibus iudicio & capacitate diſtat, §. *pupillus, de inutilibus ſtipul.* At infantes prorſus à communione arcentur, *c. omnis de pœnit. & remiſſio.* & expreſsius à Concilio Tridentin. *ſeſſion.* 21. *c.* 4. *& Canone* 4. Nam vt inquit D. Auguſt. *lib.* 1. *confeſſ.* Corpus Chriſti cibus eſt grandium; pueri autẽ ideſt, proximi infantię, nondum ſunt grandes in fide: ergo nõ debet dari eis Corpus Chriſti. Quãuis certius exiſtimem, in hanc rem nõ ſolùm conſiderandam eſſe ætatẽ, ſed vt inquit Azorius, etiam cõſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres. Non enim ſolent pueri ſacrã communionem ſuſcipere, niſi parentum, cõſanguineorum, & confeſſorum iudicio. Quibus ſi facto examine conſtiterit, eos ſufficiẽs rationis iudicium habere, ad diſcernendum ſacram Euchariſtiæ cibum à cõmuni, & profano, & ad percipiendũ tam admirabilis Sacramenti guſtum, concipiendamque ipſius idoneam cognitionem, vt ſic iuſta & debita animi veneratione, & cultu, ad tantum diuinæ communionis Sacramentum accedant, & illud piè, ac religioſè ſuſcipiant. Proculdubio etiam ante præfinitam decimi vel vndecimi anni ætatem, non ſolùm ad communionem, quaſi ex conſilio hortari, ſed ex neceſsitate præcepti eos teneri, admonere debent. 6

Sic in ſpecie docent Tolet. *in ſumm. lib.* 6. *c.* 15. *n.* 3. *ſummæ Coron de Euchariſt. n.* 64. Medina & alij relati à Sancio *d. diſp.* 26. *n.* 13. *verſ. Fatemur.* Quod ſenſiſſe videntur P. Suarez *tom.* 3. *diſp.* 70. *ſect.* 1. Valer. Reginal. *in praxi fori pœnitentiali. lib.* 29. *n.* 83. Ægid. *tom.* 1. *de Sacram. q.* 80. *art.* 11. *dub.* 4. *n.* 102. & ex eis Aug. Barboſ. *in remiſſion. ad d. Canon.* 4. *Concilij,* & idem Sancius *d. diſp.* 26. *n.* 22. & ante eum Viuald. *in Candelabr. aur. tit. de Euchariſtia, q.* 99. Choninch. *de Sacra Euch. art.* 11. *dub.* 4. *n.* 102. P. Sà *in ſum. verb. Euchariſtia* 12. & nouiſsimè Hierony. Perez *in ſum. Theolog. tract. de Sacram. Euchar.* §. *Edad en que obliga la comunion,* dum reſoluunt, arbitrio parentum, & confeſſorum relictum eſſe, in qua ætatis parte incipiant pueri habere diſcretionem ſufficientem ad obligationem præcepti communicandi, vt prædixerat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 18.

Quo tẽpore ſecundùm aliquos, etſi propter debitam ſufficientiam, quam in illis parentes, vel confeſſarij ſunt experti, cõmunionis præcepto aſtringantur; cenſuris tamen, & pœnis contra negligentes tale præceptum latis, minimè ante decimumquartum annũ, ſi maſculi fuerint, & ante duodecimũ ſi fœminæ, tenebuntur, vt notauimus ſuprà *anno* 7. 7

vbi

vbi de ætate ad confeſsionẽ egimus. Et pluribus docet Sancius *d. diſp. 26. num. 18.* Petrus de Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Euchar. q. 7.* Guiliel. Mercer. *de Sacram. in 3. p. D. Thomæ, q. 6. art. 5. n. 7.* Homobon. de Bonis *in conſultatione caſuum conſcientiæ, vol. 2. p. 5. reſponſ. 126.* quibus nouiſsimè accedit Diana *reſol. mor. p. 4. tract. 4. miſcellan. reſolution. 207.* quamuis vt *anno 7.* vbi ſuprà diximus, probabilius cenſeamus, nono anno cum dimidio fœminas, & decimo cum altero dimidio maſculos cenſuras contra non confitentes ſemel in anno, vel in Paſchate non communicantes latas incurrere, & quidem ipſo facto, ſi ita Synodalibus conſtitutionibus caueatur, vt præter illos, quos ibidem adduxi, probare videtur Hurtado *de Sacramentis, diſput. 7. de pœnitent. difficultate 9 & de cenſuris in communi, difficul. 7.*

8 Parumque ſuperiori noſtræ ſententiæ aduerſari videtur, quod ex *d. cap. omnis* pro ſua opinione deducunt aduerſarij, & præcipue Sancius *d. num. 4.* nempe, eoſdem diſcretionis annos ad communionem requiri, qui ad confeſsionem deſiderantur. Vnde cùm ſeptimo anno confeſsionis præceptum vrgere ſuo loco diximus, ita & communionis obligare, aſſerendum nobis erat, maximè cùm non ſint duo præcepta diſtincta, ſed vnum vtrumque reſpiciens. Quia potiùs tenendum erit cum P. Sanchez *dict. lib. 1. ſummæ cap. 12. n. 6.* duo præcepta *d. c.* contineri, vnum, ſcilicet, confeſsionis, & alterum communionis, diuerſimodeque in vtroque accipi annos diſcretionis, vt ex ipſius *cap.* contextura patet. Nam in confeſsionis præcepto abſolutè requiruntur; at in præcepto communionis dicitur tunc pueros eo teneri, cùm reuerenter accipiant communionem, ad quod cùm maior diſcretio deſideretur, maiorem numerum annorum deſignaſſe credendum eſt; & ſi non deſignauit, ita tamen interpretata eſt communis obſeruatio confeſſorum, quorum arbitrio in *dict. cap.* fuit relictum præfinire tempus, quo pueri diuinum Chriſti corpus ſuſciperent: veluti teſtantur Nauarrus *d. cap. 21. num. 57.* Medina *lib. 1. ſummæ c. 14. §. 42.* Zambranus *dict.*

9 *cap. 3. dub. 2. num. 7.* Quæ vtique conſuetudo certo tempore recipiendi Euchariſtiam obſeruari præcipitur in ſingulari deciſione textus in *cap. illa autem 11. verſ. Alia vero 12. diſtin.* Nam cùm ibi dubitaretur, an quotidie communicare liceret? ex conſuetudine hoc definiendum eſſe admonet D. Auguſt. facit text. in *capit. in cœna, de conſecratione diſtin. 2.* cuius hæc ſeries: *In cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur: quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus percipienda ſit, Eccleſiaſticus vſus demonſtrat.* &c. & in expreſſo tradit Gloſſa *in cap. ſi qui apud illos, verbo Euchariſtia, de cõſecr. diſtin. 4.* vbi poſtquàm dixerat, paruulis non dari Euchariſtiam, niſi fortè, ſubiungit, vbi conſuetudo eſt.

Illud autem in propoſito non prætercam, 10
quod ex multis notant Tannerus *in 3. part. diſputat. 5. quæſt. 8. dub. 5. num. 116.* Henriquez *lib. 8. cap. 42. num. 4.* Nugnus *in 3. par. q. 80. artic. 9. difficul. 2. ad 3. argum.* Zambran. *dict. cap. 3. dub. 2. num. 14.* Suarez *3. p. tom. 3. quæſt. 80. art. 11. diſput. 70. ſection. 1.* Sancius *vbi proximè num. 14.* & ex alijs Antonin. Dian. *dict. tract. 6. reſolut. 89. in fine,* & ante eos latiſsimè probat Arboleda *loco vbi ſuprà*, nouiſsimè idem Diana *part. 5. tractat. 3. reſolution. 44. & tract. 14. reſolution. 50.* nempe debere pueris in periculo mortis concedi Euchariſtiam, etiamſi ipſis ſanis propter defectum ætatis non concederetur, dummodò poſsint tolerabiliter, digneque recipere, ideſt, cum aliquali deuotione, & cognitione tanti Sacramenti. Quod ſemper inueniri poſſe aduertit Zambranus, ſi inſtruantur, & non ſint nimis puerili iudicio, vbi hanc ſententiam nonnullis fundamentis optimè probat, illum vide. Pro qua facit *textus in cap. pœnitentes 63. 50. diſtin.* vbi poſtquam iuuenibus pœnitentiam non facilè eſſe committendam admonetur propter ætatis fragilitatem, viaticum tamen præcipitur omnibus in morte poſitis non eſſe negandum: ſi tamen nullo vſu rationis polleant, aut qualemqualem huius Sacramenti cognitionem, & reuerentiam haud quaquam concipiant, quamuis accuratè ſint inſtructi, minimè, licèt in articulo mortis, erũt communicandi, cùm hi, velut diſcretionis expertes, ad ſalutem animæ huius viatici gratia non indigeant, vt ex fide eſſe admonet, 11
S. Tridentina Synodus *dict. cap. 4. & Canone 4.* vbi eorum hæreſim damnat, qui putarunt, pueros, ſiue infantes cuiuſcumque ætatis, abſque communione decedentes ſaluari nõ poſſe, vt refert Pius Papa II. *in Boemica hiſtoria,* & Archiepiſ. Florent. *in Hiſtoriali:* quò reſpexiſſe videtur D. Auguſt. *in c. in Eccleſia, & in c. nulli eſt, de cõſecratione, diſt. 4.*

AN-

ANNVS DVODECIMVS.

SVMMARIVM.

REfertur opinio eorum, qui putant decimumquartum annum Acolytatus neceſſariam ætatem eſſe. 1.

Probabilius eſt, duodecimum annum completum ſufficere. 2.4.& 5.

C. in ſingulis 2. verſiculo, exinde 77. diſtinct. explicatur. 3.

Conſuetudine effici poteſt, vt quatuor minores Ordines ſimul conferantur. 6.

Ad gradus, ſiue omnes minores Ordines ſimul ſuſcipiendos, quæ ætas deſideretur? ibid.

Licèt beneficium Sacerdotale, ex fundatione poſſit, conſentientibus patrono & Epiſcopo, ei conferri, qui actu non ſit Sacerdos, nec ætatem habeat, vt ſaltim intra annum poſſit promoueri, non tamen poteſt dari non habenti Ordines minores, aut legitimam ætatem illos ſuſcipiendi. 7.

QVÆSTIO I.

Acolytus fieri qua ætate quis poſſit?

1 IN hac ætate præfinienda, veluti & in alijs more ſuo diſsident interpretes. Aliqui exiſtimant, Acolytum ordinari neminem poſſe ante decimumquartum annũ exactum, vel decimumquintum inceptum, è quorum numero ſunt Gloſſa *in cap. pueri* 1. *q.* 1. *verſicul. Ad ſacros*, P. Sotus *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Sairus *de cenſuris lib.* 6. *cap.* 12. *numer.* 2. & ante eum Maiolus *de irregularitate lib.* 1. *capit.* 30. *numer.* 8. Campan. *in diuerſis iuris Canonic. rubric. rubric.* 7. *capit.* 2. *numer.* 3. Ioan. Gutierr. *quæſtion. Canonic. cap.* 26. *num.* 1. Roderic. Acunha *in cap. in ſingulis* 2. *numer.* 12. 77. *diſtin.* Auguſt. Barboſ. *de iure Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 2.

Qui omnes in hanc ſententiam adducuntur Zozimi Epiſcopi autoritate relata *in d. cap. in ſingulis* 2. 77. *diſtin.* qua Acolytos fieri decem & quatuor annis tantùm permittit.

Sed nihilominus horum definitionem improbabilem appellant quàmmulti, & verius credunt, duodecim annorum plenè exactam ætatem ad Acolytatum ſufficere. Inter quos id expreſsiùs teſtantur Gloſſa *in dict. cap. in ſingulis, verbo Quinquennio*, Syluester *verbo ætas, num.* 1. vbi etiam Angelus *num.* 4. Armilla *verbo Ordines*, Graff. 2. *part. deciſion. aurear. lib.* 1. *capit.* 11. *num.* 17. Vega *de Sacramento ordinis, numer.* 39. Candelabrum Aureum *de Sacramento ordinis, titul. de ætate num.* 27. Rebuff. *in praxi* 2. *part. tit. de Clericis ad ſacros ordines male promotis, gloſſa* 2. *num.* 1. Henriquez *lib.* 11. *de ordine, cap.* 19. *num.* 1. Toletus *lib.* 1. *ſummæ cap.* 61. *num.* 1. Sì *verbo Ordo, num.* 20. Moneta *de diſtribution. part.* 2. *q.* 19. *num.* 11. & *de commutation. vltimar. voluntatum, cap.* 10. *num.* 187. Paulus Piaſecius *in praxi Epiſcopali, part.* 1. *cap.* 1. *num.* 22. & hanc ſententiam, ni male recordor, tenere exiſtimo Viui. *in praxi iuris patronatus lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 187. & Pat. Sanchez *conſilior. moral. lib.* 7. *capit.* 1. *dub.* 33. *numer.* 12. 2

Pro quibus faciunt ſequentia. Primum *dict. cap. in ſingulis*, vbi elapſo quinquennio 3
poſt infantiam, quæ, vt ſuo loco oſtendimus, ſeptennio expleto terminatur, Acolytum creari poſſe dicitur: ergo duodecimo ætatis anno? Nam ſeptennium, & quinquennium duodecim annos conficiunt. Nec obſtat quòd decimoquarto anno, illum ordinari de-

debere, indicare videatur, vt aduerſæ opinionis ſectatores affirmant, & præcipuè Acunha, illis verbis ſubnixi: *Vt inter lectores, & exorciſtas quinquennio teneatur, exinde Acolytus, vel Subdiaconus 14. annis fiat.* Quia illa ætas quatuordecim annorum ſolùm ad Subdiaconatum præſcribitur, non verò ad Acolyratum, cuius ſuſceptioni quinquennium ab egreſſa infantia vt neceſſariam ætatem iam præfixerat; veluti aduerbium illud, *exinde*, ſatis commõſtrat, & non obſcurè ex Gregoriani decreti ſcriptura colligitur, vbi *Acolytus* verbum, à verbo *Subdiaconus*, virgula quadam diſcernitur; de qua ætate accipiendus erit textus *in capit. Monachus* 9. ibi: *Poſt tres menſes exiſtat Acolytus, maxime ſi huic ætas etiam ſuffragatur* 77. *diſt.*

4 Secundum facit apud noſtros, *l. Regia* 27. *titul.6. part.*1. quæ cùm ex ipſius iuris Canonici penetralibus, cui hac in re ſtandum eſt, iuxta Maiolum *vbi ſuprà numer.* 8. deſumpta ſit; maximè conducere videtur. In ea igitur ſequentiâ proponuntur verba: *Onde ſi alguno fuere dado deſde niño à la Clerecia; deſde que ouiere ſiete años faſta doze, bien puede auer orden de* Co*rona, è las otras ordenes menores, faſta la que llaman Acolito. E deſque ouiere doze años, bien puede ſer Acolito.* Quibus hæc ſententia mirificè comprobatur.

5 Tertium pro eadem opinione pugnare videtur Concilium Tridentinum: nam licèt ab eo nihil immutatum ſit quoad primam tonſuram; & cæteros minores ordines, vt Congregatio eiuſdem Concilij cenſuit, teſte Piaſſecio *loco proximè allegato*; & nos *ſuprà anno ſeptimo* diximus, tamen ex *ſeſſione* 23. *capit.* 6. apertè colligitur, primam tonſuram, & omnes ordines minores, quibus, etiam Acolytatus includitur, conferri poſſe ante annum decimumquartum; dum inibi ſtatuitur, vt nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum beneficium poſsit obtinere.

6 Quibus fundamentis adeò hæc vltima ſententia fulcitur, vt illam veriorem dicere, & vt talem amplecti minimè abdubitauerim, imò ipſi inhęrendo profitebor, quod cùm noſtris temporibus, ex receptiſsima conſuetudine Epiſcoporum Hiſpaniæ, qua rectè fieri poſſe obſeruat Gloſſa *in capit. quicumque 3. verb. Acolytus* 77. *diſtinction.* & probat *dict. l. noſtra* 27. *in fine, titul.6. part.*1. docetque aliquibus adductis Auguſtin. Barboſ. *de iure Eccleſ. lib.* 1. *capit.* 38. *numer.* 8. quatuor minores ordines, ſiue gradus, vt Zocimi *in dicto capit. in ſingulis*, & noſtra loquendi forma eſt, præter tonſuram ſimul conferantur, non poterunt illis initiari, qui prædictam duodecim annorum perfectam ætatem non egerint, quia ipſis Acolytus continetur, qui neceſſariò ad ſui collationem in accipiente ſaltem dictum annum duodecimum deſiderat, vt ex notatis ſufficienter colligitur: quod dixiſſe mihi videtur Petr. Bollu. *in œconomia ſacra* 1. *claſſe, cap.*2. §. 1. dum ad minores ordines duodecim annos neceſſarios eſſe ſcribit, quamuis in Monachis antiqua Eccleſia aliter circa hoc decreuiſſet *in capit. Monachos* 16. *q* 1. vbi intra triceſimum ætatis annum eos minoribus ordinibus initiari diſponitur.

Vnde infertur, quòd licèt ex diſpenſatione Epiſcopi, & patroni conſenſu, poſſit quis prouideri de beneficio, quod ex fundatione ei dari debebat, qui actu foret Sacerdos, ante Sacerdotium, & legitimam ætatem ad illud ſuſcipiendum intra annum, tamen minimè poterit ad ipſum preſentari ante quâm præfatum annum duodecimum habeat, ad minores ordines recipiendos præfixum. Nam vt inquit Lambertinus *de iure patronatus* 1. *part. lib.* 2. *quæſt.* 7. *principali, articul.* 30. *numer.* 33. & 34. & ex eo Thomas Sanchez *lib.* 7. *conſiliorum, capit.* 1. *dubio* 48. *numer.* 4. licèt beneficium ſit ſimplex, & requirat ex fundatione, vt detur ei, qui actu eſt Sacerdos; & quamuis ex cauſa poſsit Epiſcopus cum conſenſu Patroni diſpenſare, vt non detur Sacerdoti; at debet habere ſaltem ordines minores, licèt non ſit neceſſarium, vt habeat ætatem requiſitam ad recipiendum intra annum Sacerdotium, vt requiritur vbi beneficium petit ex fundatione, vel aliàs, Sacerdotium per modum aptitudinis, vt Curatum, quia licèt non ſit neceſſe, quòd ſit Sacerdos tempore nominationis, dummodò primam tonſuram, & reliquos minores ordines habeat, vt ex Lambertino *vbi ſuprà*, & Spino *in ſpeculo teſtamen. gloſ.* 4. *num.* 65. obſeruat Sanchez *dict. loco*; nihilominus legitimam ætatem ad Sacerdotium obtinere debebit, vtpote idem Sanchez multis probat *dict. numer.* 4. & 6.

SVM-

SVMMARIVM.

Virginis, & mulieris nomina, non tã ſtatum, quàm ætatem ſignificant. 1.

Virgo dicitur fœmina vſque ad duodecimum annum, & ex tunc mulier appellatur. 2.

Virgo, pro muliere incorrupta accipitur. 3.

Mulieris appellatione magis propriè corrupta, quàm virgo continetur. 4.

Quoad ſexum attinet, etiam virgo, mulier dicitur. ibidem.

L. quæritur 14. §. mulierem, ff. de ædilit. edicto, explicatur. 5.

Virgo pro impubere accipitur. 6.

Fœmina poſt pubertatem velo cooperta incedere debet. ibid.

QVÆSTIO II.

Cuius ætatis fœmina mulier dicatur?

1 Virginis, & mulieris vocabula, non tam gradus, & ſtatus, quàm ætatis nomina eſſe pleriſque placet. Hinc Laertius *lib.* 1. cenſebat filias nuptui locari oportere ætate virgines, ſed prudentia mulieres, & Valla vt refert Stephanus Forcatul. *in Necyom. dialog.* 21. *numer.* 4. non aliter putat virgines rectè vocari mulieres, niſi inter reliquas, vt inquit, ſi quis decem fœminas viderit, quarum aliqua virgo ſit, ætate tamen, qua poſſet mulier eſſe, dicat, vidi decem mulieres.

2 Hoc ſuppoſito, dubitandum occurrit, ad quam vſque ætatem fœmina virgo, & à qua mulier propriè cognominetur? Paulus *lib.* 7. *ad edictum in l. mulieris* 13. *de verbor. ſignif. mulieris appellatione*, ſcribit, *etiam virgo viri potens continetur*, ideſt, quæ excesſit pubertatem, annumque duodecimum, vt meritò interpretatur *ibidem* Fornerius, & Rebuffus *verſicul. Secundò*, ex cuius legis deciſione colligitur, virginem ad duodecimum annum dici, & ex tunc fœminam mulierem cognominari incipere, vt etiam placuit Tertulliano *de veland. Virgin. cap.* 10. his verbis: *Ex quo ſe intelligere cœperit, & cenſum naturæ ſuæ intrare, & de virginis exire, & pati nouum illud, quod alterius ætatis eſt: ex illo enim virgo deſinit, ex quo poteſt non eſſe: & ideò in Iſrael illicitum eſt ad virũ tradere, niſi poſt conteſtatam ſanguine maturitatem: ita ante hunc diem acerba res eſt.* Quod expreſsiùs patria *l.* 6. deſcribitur *titul.* 33. *p.* 7. illo verborum compendio: *E por eſta palabra, que es dicha muger, que ſe entiende tambien la virgen, que ha de doze años arriba como todas las otras.* Vnde Llamas *in methodo curationis in appendice*, quam poſuit in fine *§.* 13. *ad finem*, nomine mulierum, etiam quoad ingreſſum in clauſtra virorum, de quo loquitur, illas ſolas comprehendi docet, quę impudicitijs aptæ ſunt, & Sorbus *in cõpendio priuilegiorum mendicantiũ in ſuis annotationibus n.* 2. *verſ. Aduertendum quòd ſub nomine*, ait, poſſe dici ſolas mulieres comprehendi, quæ conſummãdo matrimonio aptę ſunt, quod quidem in anno duodecimo, niſi malitia ſuppleat ætatem, ſolet contingere.

Et iuxta hanc traditionem debet interpretari quod ſcripſit Fulgentius *epiſtol.* 3. *ad Probam*: *Virginis ſi quis velit diligenter conſiderare vocabulum, etiam ad mulierem pertinere inueniet*, videlicet ad eam, quæ muliebri ætate exiſtit, integra tamen manet: nam virgo pro muliere incorrupta accipitur. Quare Tertullian. *de velandis virginibus cap.* 6. explicans illud Salutationis Angelicę: *Benedicta tu inter mulieres*; *Sciebat*, inquit, *Angelus, mulierem etiam virginem dici*, ideoque & frequenter viri potens virgo, & quæ nubiles annos expleuit, mulier vocitatur, vt patet exemplo Euæ, quæ cùm viri potens eſſet, & virgo, mulier fuit appellata, veluti obſeruat Tertullian. *dict. lib.* 16. *cap.* 5. ibi. *Cum hoc genus ſecundi hominis à Deo factum eſt in adiutorium hominis, fœmina illa ſtatim mulier eſt cognominata adhuc fœlix, adhuc digna paradiſo, adhuc virgo.* Et Beata Virgo Maria, quæ anteà Virginis tantùm, & puellæ cognomine fuit vocata, cùm ad nubiles peruenit annos, primo fuit ab Angelo mulier dicta; necnon & Martha, Lucæ 10. mulier appellatur: *Mulier quædã Martha nomine.* Conſtat tamen Martham virginem fuiſſe, & ita ab Eccleſia collitur, vt aduertit Ludouic. de la Cerda *in Tertullian. d. c.* 6. *num.* 97. 3

Hinc rectè cenſuit Rota *apud Alexand. Ludouiſ. deciſion.* 516. *numer.* 1. quòd mulieris appellatione non ſolùm venit corrupta, ſed etiam propriè, imò magis propriè quàm virgo. Nam licèt quoad ſexum attinet, mulieris appellatione, etiam virgo nondum viri potens contineatur, *l. ſeruis legatis* 81. *ff. de legat.* 3. *l. argento* 25. *§. muliebri, de auro & argento legato*, vbi muliebri veſte legata, etiam puellaris, & infantilis relicta cenſetur: id tamen ex lata potiùs, 4

tius,& benigna interpretatione,qua in legatis,& alijs rebus fauorabilibus vtimur, planè procedit,vt in *dict.l.ſeruis legatis* notat Accurſius *verbo virgines*,non verò ex ipſa verbi proprietate; cuius ea eſt natura,vt corruptam veluti iam puberis ætatis ſtrictè ſolùm complectatur, *l.quæritur.*14.*§.mulierem de ædilitio edicto, l.exempto.*11.*§.ſi quis virginem, ff.de actio.empt.* Nec aliud ſentit Conſultiſſimus Tertullianus *dict.lib.*16. *cap.*5.*in principio*, illis verbis: *Sed quoniam ita mulieris nomen vſurpant,vt non putent competere illud niſi ei ſoli, quæ virum paſſa ſit,probari à nobis oportet,proprietatem eius vocabuli ad ſexum ipſum,non ad gradum ſexus pertinere, quo communiter etiam virgines cenſeantur*: quoniam tantùm probat huius nominis propriam ſignificationem non excludere virgines,& virum nondum paſſas, imò pariter ac nuptas illas comprehendere,nam proprietas huius vocabuli ad ſexum ipſum viripotentium fœminarum,non ad gradum ſexus,ſcilicet ad nuptas pertinet:ſufficit enim quod ea ætate exiſtant,quæ nuptias poſſint contrahere,vt licèt virgines,mulieris propria ſignificatione comprehẽdantur,vt iã probauimus, & luculentèr deducitur *ex dict.l.quæritur*, §.
5 *mulierem*,ibi: *Mulierem ita arctam,vt mulier fieri non poſſit, ſanam non videri conſtat*, id eſt, virgo iam pubes, quæ ætate mulier exiſtit,ſi ita arcta fuerit,vt re ipſa mulier,& viripotens eſſe non poſſit,morboſa eſt,& ideò redhiberi poteſt,vbi perperam Accurſius notat mulierem pro corrupta ipſo §.*initio* accipi,cùm potiùs, vt ipſa verba euincunt, pro virgine accipiatur:aliter enim quomodo inter ſe cohæreret , vt ita arctam mulierem quis emeret, quod mulier, vel mater, vt *ibidem* Gotophredus legit,eſſe nequiret, ſi iam vt Accurſius exiſtimat; mulier cum emeretur, corrupta, & non arcta erat? Quo interpretandi modo eluditur Laurentij Vallæ obiectum circa horum verborum ſenſum; cuius meminit Rebuffus *in dict.l.*13. *de verb.* aliterque explicat,ſed fortè non ita verè.

Idque cum adeò verum ſit,virgo frequenter pro impubere accipitur, *l.præfectus.*63. *ff.de ritu nuptiarum*,ex qua ita admonet Cuiacius autoritate Nonij Marcelli *lib.*6.*obſeruant.cap.*16.*ad finem*,& Dionyſius Gotofredus *in dict.l.*63. *litera M.* vbi inde ex Cuiacio notat puberes deuirginatos dici, quæ omnia doctiſſimum Cuiacium ibidem compellunt,vt literam *legis propter* 7. *C.ad legem Iul.de adulter.* ſuſpectam habeat; dum ita concipitur , *propter violatam virginem adultum,qui poſtea maritus eſſe cœpit,accuſator iuſtus non eſt*,veriuſque ex Baſilicon legendum exiſtimet , propter violatam virginem, quæ adulta poſteà eſſe cœpit:& meritò,vt ſic virgo iuxta communem acceptionẽ pro impubere accipiatur, & ſequentibus legis verbis cõueniat,quæ de pupilla, & nondum viripotenti fœmina corrupta Imperatorem loqui demonſtrant;ibi: *Niſi puella violata ſponſa eius fuerat.* Quibus nouiſſimè conſentit Tertulliano adhærens Anton. de Leon Pinello *in illuſtratione Regiæ pragmaticæ de las tapadas,cap.*6.*in fine*, inde inferens puberem hanc ætatem,vt muliebrem, operimento,& velamine maximè indigere.

SVMMARIVM.

Legatum dotis nondũ viripotenti puellæ relictum, ſtatim deberi præſtita cautione de nubendo,docet Bald.Nouellus. 1.

*Verius eſt , ante nubiles annos dotis relictum puellis non deberi.*2.

Legatum dotis debetur puellæ nubilis ætatis, etiamſi ante nuptias moriatur 3. *Et an hoc procedat,ſiue certa, ſiue incerta puella fuerit relictum? ibid.&* 8.

*Legatum pro maritandis puellis quando poſſit viduis præſtari?*4.

*Executores,& patroni , eum, eamve ad legatum debent eligere,quæ legitima ſit ætatis ad id,cuius cauſa relinquitur.*5.

*Cùm teſtator ad nuptias aliquid legat,non tam de ipſis nuptijs,quàm de ætate ad contrahendas ſenſiſſe videtur.*7.

Ad capiendum legatum an ſufficiat ætas, vel etiam contractus ipſe matrimonij deſideretur? 8.*&* 9.

Legatum , quod ad dotem per ſe non ſufficit, vtrùm poſſit ante contractum matrimonium ſolui? ibidem.

QVÆSTIO III.

Legatum relictum pro dote puellæ nondum viripotentis , qua ætate ei debeatur?

STatim deberi cautione præſtita de nubendo,aut reſtituendo non contractis nuptijs, exiſtimauit Baldus Nouell. *de priuilegijs dotis priuileg.*76.*verſ. Primus eſt*, argumẽt. *text.in l.quibus diebus.*40. *§.Thermus,ff.de condit.& demonſtrat.* adeò quidem, vt ſi interim ante pubertatem,& contractum matrimonium decedat puella,ad ſuum hæredem legatum tranſmittat,ex quo caſu,& non 1

culpa ſua deficit conditio, vt ipſe ratiocinatur, velut mauult Bened. & Ægid. *in repetit. l. Titiæ ſi non nupſerit 2. p. n. 26. de condit. & demonſtrat.* quia talis modi adiectio, nulla obligatione, aut mora afficit legatum, quæ ipſius tranſlationem impediat.

2 Sed hanc Nouelli ſententiam, quam etiam ſecutus eſt Fulgoſius, & Tiberius Decianus, quibus adhæret Simon de Prætis *de interpretatione vltimarum voluntat. lib. 4. dubio 12. num. 51.* reprehendit Didacus Couarru. *in cap. 3. num. 11. verſic. Poſtremo, de teſtamentis*, meritò poſt Coſtam *lib. 2. ſelectar. cap. 22. num. 2.* ex eo, quòd licèt legatum hac ſpecie modale fuerit, attamen non debebitur, nec ſoluendum erit donec puella ſit nubilis ætatis effecta. Nã cùm ad aliquid pecunia legatur, tũc incipit deberi, cùm præſcriptæ rei tẽpus accedit: id eſt, eo tẽpore quo res poteſt ad effectũ perduci, *l. nec ſemel. 12. §. ſi in habitatione, ff. quand. dies legat. ced.* illic: *Si in habitatione aliquid, vel in diſciplina legetur ſic, annua, vel quotannis, quibus diebus penſio debetur habitationis, vel mercedis diſciplinarum, ijſdem intelligitur legatum relictum coniectura voluntatis facta*: ergo cùm ad effectum nuptiarum in propoſita ſpecie fuerit legatum relictum, non antea deberi, aut peti poſſe dicendum erit, quàm legataria in ea ætate exiſtat, qua poſſit nubere: ſic Genuenſ. *in practic. Eccleſ. quæſt. 807. & in manuali Paſtorum cap. 73. num. 14.* Cardin. Mantica *de coniectur. vltim. voluntat. lib. 11. tit. 21. num. 5.* id eſt, cùm duodecimum annum expleuerit, vt docet Sanchez *lib. 7. diſputat. 91. num. 61.* & Antonin. Diana *reſolut. moral. part. 2. tractat. 16. Miſcellan. reſolut. 52.*

3 Quare ita ſentire videtur idem Coſta, & Couarru. & ante eos Bald. *conſil. 286. num. 4. volum. 3.* his diſertiſſimis verbis: *Super tertio puncto, quo quæritur, vtrùm legatum, quando nupſerit, debeatur ipſa mortua ante nuptias? videtur, quòd ſic, ſi erat nubilis, & ſic ad potentiam nubendi*: cui adſtipulatur Paulus Pariſius *conſil. 25. num. 52. volumin. 2.* Garron *in rubrica, C. de ſecundis nuptijs in noua editione num. 5.* vbi ita communiter ſentire Doctores ſcribit, optimè P. Sanchez *de matrimonio, tom. 2. lib. 7. diſputat. 91. numero 57. & 61.* vbi cum Baldo *in l. ſancimus, C. de nuptijs*, hoc limitat, niſi legatum relictum eſſet pro certa perſona maritanda: & huius diſcriminis rationem aſſignat, quia vbi perſonæ incertæ relinquitur legatum, debet per executores perſona idonea eligi. At quando perſona eſt certa, teſtator eam eligens, reddit habilem ad legatum obtinendum. Quod etiam confirmat Moneta *de commutatione vltimarum voluntat. capit. 5. num. 55.* vbi inquit, non poſſe executores prædictum legatum puellis innubilis ætatis præſtare, & his pro ſuperiori ſententia conſentire videtur Bariola *in aphoriſmis litera* 4 *L. verbo legatum*, & Diana *reſolution. moral. 4. part. tractat. Miſcellan. reſolut. 140. verſic. Notandum eſt bis obiter*, dum proferunt, legatum pro maritandis dari poſſe etiam viduis, quãdo nullæ ſunt puellæ ætate nubiles.

Pro qua opinione expreſsè facit textus 5 *in l. qui filium 4. ff. vbi pupillus educari debeat*, cuius ſpecie cùm filiæ impuberi à patre ducenta dotis nomine legarentur, ſimul atque viripotens fuit effecta, ei aſſeritur legatum ſolutum. Igitur quia tunc incipit deberi, & non anteà, licèt intempeſtiuè fuiſſet matrimonium contractum, veluti præclarè cauetur *in l. quod pupillæ. 30. ff. quando dies legati cedat*, his elegantiſſimis verbis: *Quod pupillæ legatum eſt quandoque nupſerit, ſi ea minor quàm viripotens nupſerit, non ante legatum ei debebitur, quàm viripotens eſſe cœperit, quia non poteſt videri nupta, quæ virum pati non poteſt.* Confirmaturque ſuperior 6 ſententia ex communi illa doctrina, quæ habet, patronum non poſſe ad beneficia præſentare, niſi eos, qui tempore præſentationis ſint habiles, vt in propoſito notat P. Sanchez *dict. loco num. 61.* ergo nec executores ad legatum pro maritandis puellis non niſi habiles, & nubilis ætatis nominare valebunt, & ſi nominauerint, virtute talis nominationis minimè ad legatum ius aliquod competet.

Et huius opinionis ea ratio eſſe poteſt, 7 quia vbicumque cùm fœmina nupſerit, aut aliquid relinquitur, aut fieri præcipitur, non tam de ipſis nuptijs, quàm de ætate ad contrahendas teſtatorẽ ſenſiſſe coniectari oportet, *l. qui habebat. 47. ff. de vulgari.* melior textus in *l. Thais. 41. §. Spẽdophorus, de fideicommiſſarijs libertatibus.*

Verùm, etſi hoc nonnullis ex Iuriſconſul- 8 tis, inter quos hac de re antiquitùs magna contentio fuit, vt certiſſimum probaretur: Imperatori tamen Iuſtiniano penitus diſplicuit, & ideò nouiſſimè in *l. ſancimus. 24. C. de nuptijs*, contrariam aliorum Iuriſconſultorum ſententiam amplectens, conſtituit, quòd vbicumque ſit mentio nuptiarum, non ſufficiat nubilis ætas, ſed oporteat, quòd matrimonium reipſa contrahatur. Poſt quam Iuſtiniani deciſionem indubitanter tenendum erit, legatum vel generaliter pro nubendis puellis, vel ſpecialiter pro nubenda certa puella nondum viripotenti relictum, non anteà deberi quàm ipſa verè matri-

tri-

trimoniū contraxerit, licèt ſit in ætate, quâ poſſit contrahere. Nam ſimul cum potentia, ſeu habitu, qui in ætate conſiſtit, actus etiā, & contractus matrimonij deſiderantur, vt manifeſtè ſenſiſſe videtur noſter Couarrubias *vbi ſuprà*, cùm inquit, quòd ſi legatum ſit relictum puellæ impuberi pro dote, non debetur ei donec ætatis nubilis ſit, & matrimonium de præſenti contraxerit, ex ſententia Bartoli, & Laurij de Palatijs, quos *ibi* allegat.

9 Nec ſequendus videtur Cardinal. Mantic. *vbi ſuprà num.* 7. dum exiſtimat, tunc ſolùm legatariam teneri cōtrahere matrimonium, nec ſufficere nubilis eſſe ætatis ad eiuſmodi legatum percipiendum, quando tanta quantitas erat relicta, quæ pro dote ſufficere poſſet: non verò quando erat exigua, & minimè doti congrua. Quaſi priori caſu legatum dotis eſſe coniectetur, quæ cùm ſine matrimonio eſſe nequeat, *l.* 3. *ff. de iure dot. l. vlt. C. de donation. ante nuptias*, neceſſariò tempore petitionis contractum ſit oportebit, ſecus atque in poſteriori caſu, quo non tam pro dote, quàm pro impenſis, quæ ante nuptias fieri ſolent, legatum factum præſumitur: nam cùm generaliter de omni legato ad nuptias ſcripto ſtatutum ſit *in dict. l. ſancimus*, ante contractas verè nuptias non deberi, neſcio quomodò de illis ſolis legatis poſſit intilligi, quę doti congruentia ſunt. Maximè, cùm Imperator, non quantitate legatorum, ſed ipſa nuptiarum mentione adduceretur, vt nouum illud ius conſtitueret.

SVMMARIVM.

Legatum relictum pro maritandis fœminis, non poteſt viduis præſtari. 1.

Legatum pro orphanis nuptui tradendis, etiam viduis dari debet. 2.

Legatum pro maritandis virginibus, cùm nullæ adfuerint ætate nubiles, poterit viduis præſtari. 3.

Exiſtentibus puellis duodecim annorum, viduæ non debent admitti ad legatum pro virginibus maritandis relictum. 4.

QVÆSTIO IIII.

Legatum pro maritādis puellis, vt viduis dari nequeat, cuius ætatis puellæ eſſe debeant?

QVamuis probabilius ſit, quòd legatum relictum fœminis in matrimonio collocandis, non poſſit viduis prēſtari, vt docet Guiliel. Benedictus *in repetit. c. Rainuntius, verbo qui cum alia n.* 79. *de teſtam.* Tiraquel. *in l. Boues, §. hoc ſermone in principio n.* 111. *ff. de verbor. ſignific.* Mantic. *de coniect. vltim. vol. lib.* 8. *tit.* 5. *n.* 21. P. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſput.* 91. *n.* 55. noſter Perez de Lara *de anniuerſar. lib.* 1. *c.* 21. vbi hoc eſſe intelligendum admonet, niſi teſtator pro orphanis & puellis maritandis tantùm relinquat, non verò pro virginibus: nam hoc caſu etiam viduæ ad legatum conſequendum admittetur. Tenet vtrumque nouiſſimè Anton. Diana *reſolut. moral.* 2. *p. tractat.* 16. *Miſcellan. reſolut.* 52. etſi contrarium mordicus defendat Simon de Prætis *de interpretat. vlt. volunt. lib.* 4. *dub.* 12. *n.* 70. *& ſeqq.* 1 2

Hanc tamen concluſionem plerique limitant, vbi nullæ extarent puellæ tunc nubiles, quibus poſſet prædictum legatum conferri. Nam eo caſu ex veriſimili teſtatoris voluntate, ne tam pium opus differatur, poterit viduis erogari. Ita Garron *in rubric. C. de ſecund. nupt. in noua editione n.* 5. P. Sanchez *vbi proximè n.* 57. Aloiſius Bariola *in aphoriſm. lit. L. verbo legatum*, Naldus *in ſumma eodem verbo n.* 42. Antonin. Diana *d. reſolut.* 52. *&* 4. *p. tractat.* 4. *Miſcellan. reſolut.* 140. *verſic. Notandum eſt hic obiter.* 3

Vnde infertur legatū pro maritandis puellis à teſtatore relictum, minimè poſſe viduis præſtari, quoties ſint virgines duodecim annorum nuptias appetentes, quoniam hæc eſt ipſarum nubilis ætas, vt in propoſito explicat Sanchez *d. loco*, quem ſequitur Antonin. Diana *d. reſolut.* 52. & nos latè *quæſtione antecedenti* probabimus. 4

ANNVS DECIMVSTERTIVS.

SVMMARIVM.

Qvi ad pupilli ſucceſſionem vocantur, ipſa priuari debet, ſi intra annum á morte parentis tutorem illi petere neglexerint. 1.

Annus ad petendum tutorem pupillo tunc ſolùm integer matri, aut conſanguineis competit, cùm pupillus non minori ſpatio diſtat à pubertate. 2.

QVÆSTIO VNICA.

Quæ ætas in pupillo deſideretur, vt mater, vel quiuis alius, qui ipſi tutorem petere tenetur, integro ad id anni ſpatio potiri non debeat?

1 Qvi ad ſucceſſionem vocantur pupilli mortui, ſi defuncto eius patre tutorem ei ſecundùm legem nõ petierint intra annum, omnem eis, ſiue ab inteſtato, ſiue iure ſubſtitutionis, ſucceſſionem eius (ſi impubes moritur) denegandam eſſe ſcribunt Imperatores *in l. ſciant.* 10. *C. de legitimis hæred.* quod de matribus loquens Iuſtinianus, poſtmodum conſtituit *in §. ſed quemadmodum, inſtitut. ad Senatuſconſult. Tertullian.* & apud noſtros ſimiliter cauetur *l. 12. tit. 16. part. 6.* quæ licèt non explicet intra quod tempus conſanguinei teneantur pupillis tutores petere: tamen hac in parte à iure communi eſſe ſupplendam meritò aduertit Guterius *tractat. de tutelis* 1. *part. cap. 16. num.* 34.

2 Quam ſententiam eo caſu ſingulariter reſtringit Bald. *conſil.* 432. *volum.* 2. quo pupillus, cui petendus erat tutor, tertiumdecimũ & aliquot menſes cùm pater moreretur, exceſſerat. Tunc enim illud ſolummodò temporis ſpatium, quod impuberi ad quartumdecimum annum peragendum defuerit, matri, aut conſanguineis ad tutoris petitionem proderit, adeò, vt ſi penultima die pupillaris ætatis talis impubes decedat, mater, vel proximus cognatus hæreditate priuabitur ob non petitum illi tutorem. Nec ad excuſationem proficiet, quòd integer annus ipſis à legibus conſtitutus, vt tutorem petant, elapſus non eſt; ſed octo, puta tantùm, aut vndecim menſes, qui à morte patris ad pubertatem, & pupilli mortem interfuerant. Siquidem hoc caſu annale tempus non conceditur, ſed illud, quod ad annum quartumdecimum ſupereſt, vt poſt Baldum *vbi ſuprà*, etiam defendit Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom.* 1. *cap.* 72. *num.* 5.

AN-

ANNVS DECIMVSQVARTVS.

SVMMARIVM.

Pubertas vnde dicta? 1.

Pubertatem primam ætatem appellauit Seneca. *ibidem.*

Ex habitu corporis, ideoque & ex inhoneſta inſpectione olim pubertas diiudicabatur. ibidem, & ſeqq.

L. die. 21. ff. quando dies legati cedat. L. videamus 4. ff. de in litem iurando. } *explicatur. 2. & 9. in fine.*

L. ſi quis. 54. ff. de condit. & demonſtrat. intelligitur. 3.

Pubeſcere dicitur qui matrimonium contrahit. ibidem.

L. minor. 32. ff. de minoribus, de qua corporis inſpectione ſit accipienda? 4.

Iuſtinianus *ab iniuſta* Rebardi *calumnia defenditur, & literatum eum fuiſſe oſtenditur.* 5.

Inhoneſta corporis inſpectio fuit in vſu apud Romanos, ibidem.

Iure Canonico, etiam fuit in vſu inſpectio corporis ad inueſtigationem pubertatis. 6.

Fœda corporis inſpectio ſolùm in maſculis, nō in fœminis locum habuit. 7.

B. Virginem fuiſſe ab obſtitricibus inſpectam, vt de ipſius integritate planè Ioſeph dubitanti conſtaret, reprobatur. 8.

Medicamentis, vtputa veſpertilionis cruore, pubis eruptio impediri poteſt. 9.

Pubertas decimoquarto anno in maſculis, & duodecimo in fœminis incipit. 10. *& ſeqq.*

Spadones decimooctauo anno pubeſcunt. 11.

In pœnalibus, etiam in fœminis, pubertas ante decimumquartum annum non præſumitur. 12.

Fœminæ, cur citiùs quā maſculi pubeſcāt. 13.

Fœminæ an rectè puberes dici poſſint, vel ſolùm viri potentes? 14.

Omnes non vno, & eodem tempore pubeſcunt, ſed alij citiùs, & tardiùs alij. 15.

Iuris cenſura is pubes habetur, qui in ætate eſt, qua regulariter pubeſcunt homines, etſi ipſe nondum pubuerit. ibidem.

Ad pubertatem relicta alimenta, quando debeantur? 16.

Ante annum decimumoctauū vix vniuſcuiuſque ars, & induſtria ſufficit ad propriam ſuſtentationem. ibidem.

Pubertas vigeſimoquinto anno terminatur. 17.

QVÆSTIO I.

Pubertas quando incipiat, & finiatur?

PVbertas (quæ ipſa emiſsio pubis, ſeu pudendæ lanuginis eſt; vt ſcribit Columella *tit.* 4. multorū teſtimonijs cōfirmat Paul. Zachias *Medicolegal. lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 6. *n.* 1. *cum ſeqq.* & quam primam ætatem appellauit Seneca *in cōſolatione ad Marcian. c.* 20.) olim vti Sabinianis placuit, ex habitu corporis magis quàm ex animi & annorū intelligebatur. Qua ratione moris fuit ex inhoneſta mēbrorū inſpectione pubertatē iudicare, vt autor eſt Iuſtinian. *in l. fin. C. quādo tutor, vel curator eſſe deſinant, & in principio inſtit. quibus modis tutela finit.* quod (præterquā quòd ipſa nominis etymologia ſatis demonſtratur, cùm à pube, ideſt, à pudētia corporis, hoc eſt pudore, ſiue verecundia, qua afficiebatur is, qui inſpiciebatur, an barba inferior adhuc pūgeret? pubes dicatur, vt ſcribit Hoſtienſis *in ſumma tit. de deſponſat. impuber. n.* 3.) affabrè etiam ex Vlpiano comprobatur *in l. dies.* 21. *ff. quando dies legati cedat*, vbi non alia ratione pubertatis diē legato adſcriptam incertāvocat, niſi quia cū nō ex numero annorū, ſed ex inhoneſta indagatione penderet, incertū erat quo tempore ea exiſteret. Quemadmodū etiā intelligēdus erit Cōſultus *in l. videamus* 4 *ff. de in litē iurādo*, vbi cùm diſceteret in pupillari cauſa quis iurare, & aduerſus quē poſſit,

& quidem,inquit,*ipſe pupillus ſi impubes eſt, non poteſt*.Quomodo enim pupillus impubes non eſſet, ſi pupillus adhuc perſiſteret, cùm ipſe pupillatis ætatis exitus, pubertatis ſit initium? *dict.l.vltim.C.quando tutor,vel curator*. Ni aſſeramus Vlpianum eodem ſpiritu in hac lege,ac in præcedenti locutum, ſcilicet ſecundùm morem detegendi pubertatem ex aſpectu,quem ſuo tempore in vſu fuiſſe ex his locis meritò coniectatur Benedictus Pinellus *ſelectar.iuris interpretat. lib.2. cap. 4.num.*18.vbi etiam ipſius illam eſſe mẽtem *in dict. l.*4. teſtatur, vt pupillus ſi inſpectus impubes appareat,in litem pupillaris cauſæ iurare non poſſit, quia adhuc in eo nedum imperfecta ætas,verùm & immaturum iudicium reperitur,ex aduerſo ſentiens, quòd ſi pubes inueniatur,iurare poſſit,veluti iam perfectæ ætatis & iudicij exiſtens.

3 Quibus minimè obſtrigilatur Iaboleni *reſponſum in l.ſi quis.*54.*ff.de condition.& demonſtrat.* ex quo diem pubertatis antiquitus certam fuiſſe, ac per conſequens non ex pudendorum inſpectione,imò ex determinato annorum numero pependiſſe rimantur nonnulli,illis vtrique poſterioribus verbis decepti,quibus profitetur Conſultus diem pubertatis habere aliquam temporis demonſtrationem. Nam ſi optimè perpendantur, nihil ex eis deduci poteſt, quod ſuperiori definitioni officiat, cùm eorum ſententia ſit ex præcedentibus legatum in diem pubertatis relictum,non ad præſens,ſed ad futurum tempus dirigi, quia dies pubertatis in pupillo habet aliquam temporis demonſtrationem,nempe omne id ſpatium,quo pupillus â pubertate diſtat,ſiquidem cùm illa eſſet legis dubitatio,vtrùm ea clauſula in teſtamento adiecta, vt omnia legata, quibus dies appoſitá non eſſet,annua, bima,trima die ſoluerentur,legatum in diem pubertatis relictũ annua,bima,trima die poſt tempus pubertatis præſtari debuiſſet? meritò reprobata Gaij ſententia,reſpondit Iabolenus, tale legatum ſtatim elapſo die pubertatis deberi, quia dies illa annua,bima, vel trima fuit appoſita ad prorogandа ea, quæ ad præſens tempus, non etiam quæ in futurum legata ſunt, vt eſt legatum,cùm pubes erit. Nam dies pubertatis,inquit,habet aliquam temporis demonſtrationem,ideſt differt legatum, donec ipſa adueniat,quæ mihi *dict.l.* vera interpretatio videtur, quam probat Benedictus Pinellus *dict.loco num.*22.vbi etiam alias adducit.

Niſi dicamus, ideò Conſultum in *dicta l.* dixiſſe legatum in diem pubertatis non in præſens, ſed in futurum dirigi, quia in diem ſponſaliorum fuerat relictum, qui pubertatis ex eo vocabatur, quòd tunc homines pubeſcere crederentur,cùm venereis & coniugalibus actibus vacare incipiebant, ſi P. Ramo credimus,qui *libro de moribus veterum Gallorum* id ex Hippocrate his verbis eleganter inſinuat: *Qui diutiſſimè ait* (de Germanis loquitur) *impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem. Hoc alij ſtaturam, alij vires neruoſque confirmari putant, intra annum verò viceſimum fœminæ notitiam habuiſſe inturpiſſimis habẽt rebus,cuius rei nulla eſt occulta ratio,quòd & communiter in fluminibus perluuntur. Impuberes autem diutiùs alios alijs hac de cauſa fieri Hippocrates de natura pueri præcipit, quòd venere caro rareſcat, cutiſque aperiatur, vnde pubes pilos emittit,contrariaque cauſa eunuchos nũquam pubeſcere,&c.* Etenim abnegari non poteſt, legatum in tempus matrimonij ſcriptum, aliquam ex natura ſua habere dilationem, quæ id non in præſens,ſed in futurum efficiat.

Nec quidquam prædictæ conſuetudini fauet Pauli locus *in l.minor.32.ff.de minoribus*,quem perperàm in eius confirmationem adducit Accurſius *in d.principio inſtit. quib. mod.tut.finit.*& Cuiacius,quem meritò Anton. Faber reprehendit *in Iuriſprud. Papinian.tit.22.princip.2.* Nam licèt corporis aſpectu ætatem ibi probatam fuiſſe appareat, attamen obſcœna inſpectione id contigiſſe neutiquam probatur,imò contrarium ex *d.l.* ſerie manifeſtè deducitur. Nam ſi inſpectio, de qua in ea fit mentio, illa eſſet inhoneſta, quam apud veteres obſeruatam profitemur, vtrique in id adhiberi debuiſſet, vt illius minoris pubertas deprehenderetur,quod minimè text.admittit,cùm expreſsè ad probandam perfectam,ſiue maiorem ætatem viginti & quinque annorum,vti idem Accurſius *in d. l.* interpretatur,fuiſſe interpoſitam denotet. Ergo de turpi indagatione accipi non poteſt,ſed de ea,qua per vniuerſi corporis diſpoſitionem, figuram, ac modum, maior quis declarabatur,vt ex *l.3.C.ſi minor ſe maiorẽ dixerit*,conſtat,& ſic ex varijs autoribus, habitum corporis, cuius frequens in libris noſtris mentio, eſſe intelligendum contendit Iacob. Rebard. *lib.4.varior.c.*10. 4

Qui quidem in eo Iuſtinianum reprehendit,quòd falsò referat,hanc indecoram ſcrutationem aliquãdo apud Romanos inualuiſſe,quia quotquot ſunt qui puberes definierũt Autores veteres,nuſquam huiuſmodi improbitatis meminerunt, quapropter illi veluti rudi,& illiterato Principi has nenias perſuaſiſſe Tribonianum exiſtimat, quem ſequitur Arumæ. ex Iuſt. *3.Thе.16*.vt refert Oſuald. *lib.3. Donelli cap.*14.*litera E.* Sed indecens vti- 5

vtique calumnia eſt, & quæ minimè viro Iuriſprudentiæ addicto conueniebat, tum ob iuris & legum ſummam apud omnes autoritatem, tum ob debitum Iuſtiniano obſequiū & reuerentiam, quam non ſine impudentiæ labe detrectat, qui adeò probroſas in eum criminationes effundit, vt literarum neſciū, ignarum, & expertem appellare audeat, maximè cùm illum literatiſſimum fuiſſe ex latè in eius defenſionem congeſtis per Franciſc. Ferdinandum de Corduba *in Didaſcal. mult. cap. 14. per totum,* ſatis eluceat. Verùm, vt ad inſtitutum reuertamur, eius ſententiam veluti nullo fundamento munitam, meritò repellit Martin del Rio *ad Senecam in Hercule furēte verſu* 852. ad idque Quintiliani teſtimonium adducens declamatione 279. cuius hęc ſeries: *Poſteà nudari filium* de impubere loquitur, *atque in conſpectu iudicum conſtitui coegiſſet, atque interrogare, an ille maritus eſſet, qui fieri pater non poſſet?* vbi rectè de hac obſcœna inſpectione ſecūdum Iuſtiniani decisionem explicat P. Ærodius *in notis ad eādem declamationem nota* 3. & Delrio conſentit Simon Scardius, *verbo pubertatem*, vbi etiam ad prædictę opinionis impugnationem alio, nec minùs irrefragabili Platonis loco obarmatur, is eſt *lib.* 11. *de legibus*, eiuſque verba huiuſcemodì: *Conuenientiam ætatis ad nuptias, & contra iudex nudos omnino mares pubem vſque inſpiciens iudicet*, cuius etiam meminit Iacobus Menochius *de arbitrarijs lib.* 2. *caſu* 58. *num.* 3. His ergo quis non videt Rebardi ſententiam eo ſolo innitentem, quod nuſquam Autores, qui puberes definierunt, huiuſmodi improbitatis meminerunt, omnino à veritate & certo deuiare?

6 Maximè enim, cùm inuerecundi illius moris, necdum teſtis, verùm & obſeruator extiterit Pontificium ius, vt aduerſus Hoſtienſem *dict. tit. de deſponſat. impuber. num.* 4. notarunt Franciſcus Duarenus *in titulo qui teſtament. facere poſſ. cap.* 2. Vultei. *in princip. inſtit. de nuptijs num.* 5. Petrus Ærodius *in d. Quintiliani declamatione* 279. Oſuald. *lib.* 3. *Donelli cap.* 14. *litera E.* & dilucide probatur Iſidori teſtimonio *in cap. puberes* 3. *de deſponſ. impuber.* vbi poſtquàm à pube, ſiue a corporis pudentia, quia illa loca primò lanuginem ducunt, vt ex dictis à Zachia *vbi ſuprà num.* 5. ſatis deprehenditur, puberes nūcupatos conſtituit, illorumque ſententiam retulit, qui ex annis pubertatem metiendam exiſtimabāt: *Certum eſt autem* (proſequitur) *eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare iam poteſt,* quibus verbis, citra dubium, conuincitur ius canonicum antiquam conſuetudinem Romanorum coniectandi pubertatem ex pubis inſpectione in vſum reuocaſſe. Alioqui nec pubertas, nec poſſibilitas generandi ex habitu corporis percipi poſſet, cùm vtraque ex Ariſtotelis placito *lib.* 3. *de hiſtoria animaliū c.* 11. à pudendorum inſpectione dependeat, quæ ſi lanugine vireant, & pubertatis, & potentiæ generatiuæ ſignum oſtendunt, etſi hoc neget Fernelius *lib.* 3. *Phyſiolog. c.* 10.

Quam quidem fœdam inueſtigationem in viris tantundem locum habuiſſe, idem Iuſtinian. prædictis in locis fatetur, ſiquidem in fœminis impudicam eſſe antiquis viſum fuit, quapropter Bernardinus Vualtherus *in ſuis Miſcellaneis obſeruationibus*, quem refert Ioannes Henechinus *in notis ad Accurſium lib.* 2. *inſtit. tit. quibus modis tutela finit.* Seruium reprehēdit, quòd illud Virgilij carmen exponens *lib.* 7. *Æneidor.* 7

Sola domum, & tantas ſeruabat filia ſedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Non eſſe iterationem dixit, ſed vatem ſecūdum ius locutum fuiſſe, in quo & in annorum ratione, & ex habitu corporis ętas probatur, vnde primum ad habitum, ſecundum ad annos referri debere. Nam quod iure ciuili traditur ex habitu corporis pubertatem probari in ſolis maſculis locum habet, non autem in fœminis.

Vnde inferri poteſt, quàm egregiè ad Eccleſia meruerit improbari ſententia Clemētis Alexandrini, & aliorum, qui non ſine iniuria ſacratiſſimi pudoris euulgarunt (pudet dicere) Beatiſſimam Virginem hanc turpiſſimam inſpectionē fuiſſe ab obſtetricibus paſſam, vt de eius integritate ſuſpicanti Ioſepho plenè conſtaret. Nam præter quàm quòd incredibile eſt adeò fide, & ſanctitate præditum virum, & cui tantæ vxoris puritas nedum ſuperna monitione, verùm & ipſa vitæ indiuidua conſuetudine ſatis liquerat, ita indecenti, & temeraria abdubitatione fuiſſe inquinatum, priſca illius ſæculi conſuetudo, vt Iuſtinianus *in dict. principio* memorat, deteſtabilem illam indagationis ſpeciem omnino in fœminis reſpuebat. Quod etiam apud Hebræos, & Ægyptię nationis homines ita fuiſſe obſeruatum, inde colligi poteſt, quia honeſtatis ratio, qua hoc potiſſimùm innitebatur, peræquè apud omnes gentes rationis participes cuſtodiebatur, maximè apud eiuſmodi, quæ tunc temporis Romanorum legibus ſubiacebant, vti planum eſt. 8

Sed vt expījſſimo hoc diuerticulo ad noſtræ diſputationis curſum reuertamur, quia indecorum eſſe videbatur, vt GilKenij verbis vtar, & cum quadam obſcœnitate cōiunctum, Magiſtratuum oculis iuuentutem ad 9

dignoſcendam pubertatem ſubijcere. Hanc neceſſitatem quemadmodum in puellis dumtaxat anteriores Principes, & Legiſlatores remiſerũt, in pueris etiam Iuſtinianus ſe generaliter emendare *in dict. l. fin. & dict. princip.* profitetur, & meritò equidem, nam prætcrquâm quòd hæc honeſtatis vrgentiſſima ratio id poſtulabat, alia vtique, nec minùs validiſſima fieri oportebat, nempe ob vitandam incertitudinem, quæ ex hoc indagandæ pubertatis nefando ritu proueniebat. Nam ſi quis, vt ſe diu impuberem ſimularet, fruticãtem ſimul, atque pudendam pilorum ſyluam medicamentis euelleret, aut erumpere prohiberet, vtpùta veſpertilionis cruore, cuius illam vim eſſe his verbis teſtatur Vlyſſes Aldrouand. *ornitologiæ lib. 9. cap. 1. §. cui titulus: Medica fol. mihi 295. Sunt qui puerorum pudendis ſanguinem veſpertilionis illinũt, credentes, ita diutiſſimè eas partes à pube immunes ſeruari poſſe.* Quod etiam Georgium Pictorium *in Pantopolio* dixiſſe memorat, vel vt appoſitè nimis ſcribit Hoſtienſis *in ſumma dict. loco num. 4.* ſi vir aut mulier pilos inferioris barbæ ſibi eradicaret, vel deplumaret, ſicut quædam faciunt, vt iuniores appareant, quomodò ergo ex illa probandæ pubertatis formula veritas in iſtis deprehendi poſſet? Nam ſi ſecundùm illam res diffinienda erat, ex quo Magiſtratuum oculis abſque pube inueniebatur, impubes pronuntiari debebat, qui fortè pleniſſimam pubertatem exceſſerat. Quocircà nec minùs rectè pubertatis dies incertus à Paulo denominari potuit *in dict. l. ſi dies. 21. ff. quando dies legati cedat*, quia vtique fraudibus protrahi, vel præueniri facilè poterat.

10 Quare maturiùs re conſiderata, poſteà ſecundùm placitum Proculeianorum ex annis cœpit diiudicari pubertas: & cùm nondum inter Iuriſconſultos conueniret, qua ætate ea perficeretur, vt ex Vlpiano apparet *inſtit. d. tit. 11. §. vlt.* tandem obtinuit eorum ſententia, qui putabant pubertatem decimoquarto anno in maſculis, & duodecimo in fœminis exordiri, *dict. l. fin. C. quando tutores, vel curatores eſſe deſin. princip. inſtit. quibus modis tutela finit. princip. de pupillar. ſubſtit.* & habetur patrio iure *in l. 1. tit. 5. part. 6. l. 12. & fin. tit. 6. eadem part. l. 60. tit. 18. part. 3.* Nec fuit hæc noua conſtitutio Iuſtiniani, vt aliqui ineptè putarũt, ſiquidem ante eum, Digeſtorum tempore eadem ætate pubertas æſtimabatur, *l. qua ætate 5. ff. qui teſtam. facere poſſ.* cui fruſtrà conatur reſpondere Gilkenius *in l. ſi frater 4. num. 4. C. eodem l. 2. de vulg. & pupillar.* obſeruauit Anton. Faber *in Iuriſprudent. Papin. tit. 22. princ. 2.*

11 Quo item annorum numero omnium (exceptis ſpadonibus, qui decimo octauo anno pubeſcere, ex Paulo *in ſententijs* notat Iacob. Cuiac. *titulo de minore ad fidelitatem feudi non cogendo in vſibus feudorum*) & maſculorum, & fœminarum pubertatem definiunt politioris literaturæ Scriptores: ita Macrobius *primo in ſomn. Scipion. cap. 6. Poſt annos bis ſeptem,* inquit, *ipſa ætas neceſſitate pubeſcit, ideo tutela pueris, quaſi virile iam robur, abſoluitur, de qua tamen fœmina propter votorum feſtinationem maturius biennio legibus liberantur.* Petrus Ærodius *dict. nota 3. ad. 279. declamationem Quintiliani,* quibus etiam noſtri conſentiunt, præcipuè Syluester *in ſumma verbo ætas num. 3.* Hoſtienſ. *d. loco num. 2.* Henric. Salmut. *in notis ad memorabilia Panciroli fol. 306.* Petr. Gregor. *ſyntag. lib. 9. cap. 7. num. 10. & lib. 12. cap. 15. num. 2.* Pereira *in l. ſi curatorem in princip. num. 2. C. de in integ. reſtit.* Farinac. *praxis criminal. tom. 3. quæſt. 92. num. 18.* Ioan. Gutier. *in auth. ſacramenta puberum num. 1. C. ſi aduerſus vendit.* P. Thomas Sanchez *lib. 6. de matrimon. diſputat. 38. num. 2.* Auend. *tract. de cenſibus cap. 81. num. 5.* Mathia. Colerus *de alimentis lib. 2. cap. 12. num. 127.* Didac. de Medrano *libellulo de conſenſu connubiali cap. 7. num. 1.* Felician. *tractat. de cenſib. cap. 2. num. 2. verſic. Alij puberes,* Cardinal. Tuſchus *practicar. concluſ. litera P. concl. 458. num. 1.* & anteà *litera F. concl. 124. num. 64.* vbi ex Iulio Claro *in §. feudum quæſt. 49. n. 4.* notat, in pœnalibus pubertatem non niſi à decimoquarto anno, etiam in fœminis, inci-
pere, Benedictus Pinel. *ſelectar. iuris diſpu-* 12
tat. dict. lib. 2. cap. 4. num. 17. Petr. Franciſcus Linglois *deciſ. 34. quæſt. 2. num. 18.* Leonard. Galganet. *de iure publico lib. 3. tit. 100. num. 93.* Ludolphus Scraderus *in ſelectiſſim. iuris quæſtion. tom. 1. tit. 22. num. 2.* Paul. Zachias *dict. tit. 1. quæſt. 6. num. 26.* vbi Fernelium refert *vbi ſuprà* afferentem verius eſſe pubertatem decimo anno initiari, Bucaronius *tractatu de different. inter iudicia ciuilia & criminalia different. 78. num. 4.* nouiſſimè Carrança *diſputat. de partu cap. 10. n. 4.* Vnde impuberes eos meritò vocant, qui hac ætate minores exiſtunt, vt tam de fœminis, quàm de maſculis loquentes proferunt Hoſtienſ. *in ſumma tit. de diſpenſat. impuber. §. quis dicatur impubes, in principio,* Theſaurus *iuris verbo ætas ex C.* Sanchez *de matrimon. lib. 6. diſputat. 38. num. 2.* Ricius *in praxi Epiſcopali deciſ. 457. n. 5.* Nicol. de Paſſeribus *in conciliat. ll. fol. 86. n. 34.*

13 Quare verò fœminæ citiùs quàm maſculi pubeſcant? latiſſimè differunt Hoſtienſ. *vbi pro-*

proximè, Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 5. *num.* 1. Gil Kenius *in dict. l.* 4. *num.* 5. *C. qui teſtament. facere poſſ.* à quibus plurimæ referuntur rationes in eius rei confirmationem, quarum licèt aliquas alibi probaberim, nunc tamen omnibus libèter exploſis, aptior mihi videtur, ideò fœminas citiùs pubeſcere, quia mutatio ætatis, quæ naturaliter in maſculis per ſeptennium fit, in fœminis quolibet ſexennio contingit, vt ex Philoſophis obſeruarunt Iacob. Cuiac. *ad l.* 5. *ff. qui teſtament. fac. poſſ.* Ioan. Borchol. *in princip. inſt. quibus modis tutela fin. num.* 2. vnde pubertas, quæ poſt duplex ſeptennium in maſculis, in fœminis vno & altero ſexennio elapſo incipiat naturale eſt, vt meritò ſupra ſcripti aſſerunt: cui & aliæ rationes adijci poſſunt, quas adducit Zachias *dicto loco à num.* 52. & nos infrà referemus.

14 Et quamuis Concius *lib.* 2. *ſucceſſib. lectio. cap.* 13. *num.* 5. contendat maſculos ſolos propriè puberes dici, non verò fœminas, etiamſi duodecimum annum exceſſerint, ſed viri potentes appellari, vt ſic nuncupatas cõſtat *ex l. hæc* 5. *§. ait prætor, ff. quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur, l. mulieris.* 13. *de verbor. ſignificat. l. pater.* 101. *ff. de condit. & demonſtrat. princip. inſtitut. quibus modis tutela fin.* Quocircà, inquit, quando ſeptem teſtes puberes exiguntur ad teſtamenti ſolemnitatem, *l. hac conſultiſſima.* 21. *C. de teſtam.* mares tantùm intelliguntur, *§. teſtes autem inſtitut. de teſtament. ordinandis,* nihilominus illas puberes rectè dici conſtat *ex l. quifilium* 4. *ff. vbi pupillus educari debeat,* & Iuſtiniani autoritate conuincitur *in dict. l. fin. C. quando tutores, vel curatores eſſe deſinant,* & firmatur Vlpiani verbis *tit.* 11. *§.* 1. necnon & Macrobij *ſuprà* relatis. Idque etiam fatentur Cuiacius *in dict. cap. puberes* 3. *de deſponſat. impub.* Oſuald. *dict. lib.* 3. *Donelli cap.* 14. *litera C.* quibus vnius ſcriptoris priuati dumtaxat opinio præponderet, non eſt æquum, etſi non me lateat idem poſteà tenuiſſe Ludolph, Scràder *in ſelectiſ. iuris quæſtion. tom.* 1. *tit.* 22. *n.* 2.

15 Quapropter vtrique ſexui pubertatis nomen poſt vniuſcuiuſque ad id ætatem preſcriptam cõuenire, nulla dubitatio eſt; adeò quidem, vt quamuis forſan alij citiùs, alij tardiù deſignata ætate pubeſcant, & iudicij ſpecimen reddant, vt inquit Oſualdus *dict. lib.* 3. *Donel. cap.* 14. *lit. A.* vbi medicorum teſtimonijs probat, & ſuadetur ex adductis à Paulo Zachia *dict. quæſt.* 6. *num.* 26. & 68. Tamen voluerunt Iuris autores, ne ex incertitudine lites orirentur, vti ſuprà obſeruauimus, certum tempus pubertatis præſcribere, idque decimiquarti anni completi in maſculis, & duodecimi etiam de momento ad momentum computati in fœminis, quemadmodum *ex l.* 3. *§. minores, de minoribus,* & ex *dict. l.* 5. *ff. qui teſtament. facere poſſ.* obſeruauit Anton. Faber. *in Iuriſprudentia dict. tit.* 22. *princip.* 2. *ad eadem,* quamuis aliter ſentiat Conanus *commentar. lib.* 9. *cap.* 4. *folio mihi* 672. ſiquidem ante huiuſmodi annorum ſpatium nemini natura pubertatem tribuit, ſi eidem Connano credimus *lib.* 8. *commentar. iuris ciuilis cap.* 1. *in principio*: quare licèt aliquibus prædicta ætate pubeſcere non contingat, nihilominus quoad ius attinet, puberes credendi ſunt, vt expreſſe diffiniuit Imperator *in l. ſi frater* 4. *C. qui teſtament. facere poſſ.* ibi: *Nam ſi hanc ætatem egreſſus, licèt vigoris nondum emerſiſſent veſtigia, ſuum ſolemniter ordinauit iudicium, hoc euellere fruſtrà conaris.*

Et licèt ad pubertatem relicta alimenta, non verò ad decimumquartum annum in maſculis, & duodecimum in fœminis, ex quo alijs pubertatem æſtimari diximus, debeantur, ſed viris vſque ad annum decimumoctauum, fœminis verò ad decimumquartũ præſtari oporteat. *l. Mella.* 14. *ff. de alimentis & cibar. legat.* vbi notant omnes, & peculiari obſeruatione pluribus congeſtis docet Mathias Colerus *tractat. de alimentis cap.* 12. *num.* 127. Id tamen ob peculiarem alimentariæ cauſæ fauorem ſtatutum eſt, quia ante illam ætatem vt plurimũm videmus non ſufficere pueris ſuam ipſorum artem, vel induſtriam, vt ſealant., vti in propoſito optimè adnotant Ioannes Corraſius *in repet. l. precibus num.* 25. *C. de impuber. & alijs ſubſtit.* quæ *tom.* 8. *repetitionum iuris ciuilis continetur folio mihi* 281. 16

Et vt ad extremum diſertatio noſtra perducatur, ſciẽdum erit pubertatem, quam decimoquarto anno in maſculis, & duodecimo in fœminis exordiri ſcripſimus, ad vſque quintum & vigeſimum perdurare, *l. cum filio.* 50. *ff. de legat.* 3. quod etiam probat Galenus *in commento Hippocratis lib.* 5. *aphoriſmi com.* 7. illis verbis: *Vnde liquet, quòd pubertatis tempus vſque ad vigeſimumquintum annũ extendi arbitratur ſumens initium poſt ſecũdam ſeptimanam,* explicat Petr. Garſia *in Auicennam diſputat.* 16. *cap.* 3. *verſic. Secunda ætas;* quibus ex noſtris ſubſcribunt Cuiac. *in l.* 1. *ff. de minoribus, & lib.* 6. *obſeruatio. capit.* 3. Hoſtienſ. *vbi ſuprà num.* 2. Ioannes Corraſius *dict. loco num.* 28. Ioannes Brecheus *in l. pueri.* 204. *num.* 6. *de verbor. ſignificat.* Auendañ. *dict. tractat de cenſibus cap.* 81. *num.* 5. Oſuald. *lib.* 21. *Donelli cap.* 7. *litera A.* 17 noniſſi-

uiſſimè Rodericus Acunha *in dict.c.quicumque num.*3. & Paul.Zachias *dict.lib.*1. *Medicolegal.tit.*1.*quæſt.*6. *num.*68. vbi inquit, quòd quemadmodum non eſt vnus idemque terminus omnibus pubeſcendi, ſic neque pubertatem finiendi, Galen.*aphoriſm. comm.*3. *aphor.*27. vt plurimùm tamen eam ad vigeſimumquintum annum extendi, ſi ad animi corporiſque conſtitutionem reſpicias: tam corpus enim, quàm animus vſque ad hunc terminum ſemper proficere videntur: ita vt tam hìc, quàm illic hoc tempore perfici videatur.

SVMMARIVM.

P*Aruuli nomen variè vſurpatur.*1.

*Paruulos omnes vigeſimoquinto anno minores dici, aliqui docent.*2.

*Verius eſſe probatur paruulos illos haberi, qui nondum decimumquartum annum attingunt.*3.

*L.*2.*C.de fundis patrimonial.lib.*11. *explicatur.*4.

QVÆSTIO II.

Paruuli nomen cui ætati conueniat?

ANceps profectò hæc quæſtio eſt, & de qua nec ſatis inter noſtrates liquet, non enim quia paruulorum mentio nuſquam, vel rarò in iure occurrit (ſæpiùs hæc inuenitur, præcipuè *de conſecratione tota diſtinct.*4.) ſed ideò fortaſſis, ne cum paruulorum inueſtigatione immorantes viderentur, quod de Academicis illis Cicero edixit, & de ipſis etiam poſſit euulgari: *Videte, quæſo, quàm in paruulis ſitis.* Cæterùm mihi longè grauius videretur, ſi vel in paruulis iſtis deficerem, & omnium à paruulo ad ſeniorem ætates ex operis præſcripto haud pingerem. Quocirca
1 animaduertendum eſt, paruuli nomen diuerſis applicari ætatibus, aliquando enim illam tenerrimam ſignificat, quam fœtus obtinet, cùm vulua circumcluditur, vt Geneſ.25. apparet, *verſic.*22. cùm de Rebecca loquitur, *Sed collidebātur*, inquit, *in vtero eius paruuli*, necnon & ſæpeſæpius lactentis ætatem denotat: ita Dominus cùm de Amalec percuſſione 1.*Reg.cap.*15.*verſic.*3. dixit: *Non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactantem.* Appareteque ex *Ioelis* 2.*cap.verſic.*16.& *Hieremiæ cap.*44.*verſic.*7. alijſque innumeris Sacræ Scripturæ locis: vnde frequenter pro vagientibus ſumitur, vt *Exod.*2.*verſic.*6. *Et allatam aperiens, cernenſque in ea paruulum vagientem*, probatur ex *cap. paruuli.*74. ibi: *Paruuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere neſciunt.* Idem innuit textus *in cap. paruuli.*138. *cap.cum pro.*77. ibi: *Quia ipſi reſpondere non poſſunt, de conſecratione diſt.*4. licèt etiam pro iam loquentibus, & verbigerantibus, paruuli accipiantur. Sic denotat Apoſtol.1.*ad Corinth.*13 *verſ.*11. ibi: *Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus*, & conducit quod ſcribitur *Threnor.c.*4. *verſic.*4. *Paruuli petierunt panem.* Quod mirandum 2
neutiquam erit, cùm ex noſtris Petr.Broſeus *in Theſauro iuris verbo paruuli* aſſerat, paruulos dici omnes, qui intra annum vigeſimumquintum exiſtunt, argumento ſibi deducto *ex l.*2.*C.de fundis patrimonialibus libro* 11. cui accedit nouiſſimè Toleranus noſter Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ homin.cap.*22.*num.*2.

Sed in tam dubia, ſalebroſaque inueſtigatione, vt qualeſquales melioris lucis ſcintillas eruamus, præmittendum erit, paruuli vo- 3
cem adeò genericam eſſe, vt ætatulas omnes à primo ad decimumquartum annum incluſiuè contineat. Quæ ſententia (ni fallor) ex Alexandro III. roboratur *in cap.indecorum* 3.*de ætate & qualitate præficiendor.* illis verbis: *Nolentes itaque ſuſtinere, vt paruulis Eccleſiæ regimen committatur, mandamus, quatenus nemini intra annum xiiij. conſtituto perſonatum cuiuslibet Eccleſiæ concedere præſumatis, &c.* Ergo euidenter apparet paruuli ſignificationem hominis omnes ætates vſque ad pubertatem comprehendere. Idem *ex l.*1.*§.itaque, C.de tutoribus & curatoribus, illuſtri* conuincitur, vbi paruulus pro pupillo cuiuſcumque ætatis vſurpatur ad diſcrimen adulti, vt optimè Albericus obſeruat *in dictionario verb. paruuli*, facit textus *in l. ſi tutoris, C.de adminiſtrat.tutor.* confirmat noſtram opinionem Accurſius *in l.ſancimus* 3. *eodem verb. C. de infantib. expoſ.* licèt dum maiorem decimoquarto anno paruulum eſſe defendit, ei minimè acquieſcam *ex dict.cap.*3.*de ætate & qualitate*, cuius etiam ſententiæ Albericum reperio *vbi ſuprà verbo paruulus*, qui quidem vnà cum Gloſſa diuerſum in fœminis exiſtimauit, ſcilicet illas paruulas ad decimum & ſecundum annum nominari.

Nec obſtat *dict.l.*2.*C.de fundis patrimonialib.lib.*11. ex qua ſuprascripti Interpre- 4
tes probare nituntur, vſque ad annum quintum & viceſimum paruulorum nomen hominibus conuenire: quia ibi Conſtantinus abuſiuè paruulos pro quibuſcumque minoribus conſtituit.

SVM-

SVMMARIVM.

Prætextati, vnde ita dicerentur? 1.
Veſtitu Romani dignitates ſecernebãt, ibidem.
Prætextæ erant quintuplicis differentiæ. ibidem.
Mulieribus quare à Romanis plurimi honores fuerint delati?
Bulla, quam pueri collo geſtabant, includebantur remedia aduerſus inuidiam. 3.
Prætexta qua ætate aſſumeretur? 4.
Anno decimoquarto ætatis, prætexta depoſita, virilis toga ſumebatur. 5.
Text. in l. 3. §. fin. ff. de liberis exhibendis, explicatur. 6.
Prætexta nota erat pupillaris ætatis, ibidem.
Proximè ætatem prætextæ quis accedat? 7.

QVÆSTIO IIII.

De ætate prætextatorum?

1 PRoximè ætatem prætextati accedere eum dicimus (inquit Vlpianus *in l. 3. §. fin. ff. de liberis exhibendis*) *qui puberem ætatem nũc ingreſſus eſt*. Quæ quidem Conſulti verba, cùm adeò implicita, & confuſanea ſint, vt vix intuenti, aut accuratè legenti illorum ſenſus appareat, non parum habiturum momenti exiſtimo, ſi vt expedita reddãtur, prætextatorum initium, genus, & ætatem recenſeamus. Prætextati ergo ab huius nominis amictu, quo honoris cauſa induti incedebant, cognomen hoc meruerunt: ita Caronda inſinuat *in notis ad dict. l. 3.* Nam vt teſtis eſt Vvolphangus Lazius *lib. 2. commentar. Reipub. Rom. cap. 3. & ſeqq.* & memorat Petrus Gregorius *lib. 9. ſyntagmat. cap. 19. n. 23.* placuit Romanis veſtitu dignitates quodammodò ſecernere: ideoque & prætextas veſtes habuerunt quintuplicis differentiæ, Regales, Augurales, Cõſulares, Senatorias, Equeſtres, & quæ puerorum ornamento deſeruiebant, *l. veſtis. 23. verſic. Puerilia ſunt, ff. de auro & argento legat.* de quibus Vlpianus hîc. Huius puerilis Romanæ prætextæ originem Athenæus *Diphnoſophiſt. lib. 1. cap.*
2 *3.* elegantiſſimis verbis proſequitur. *Cæterùm*, inquit, *regnante Romulo cùm Capitolio à Sabinis capto medio in foro ſignis collatis dimicaretur, matronarũ intercurſu inter duas acies prælium ſedatum eſt, quam ob rem mulieribus honores à Romanis permulti ſunt delati, primum his tranſeuntibus via cedere; deinde præſente muliere obſcænum nil dicere, nec nudum aſpici. Præterea ne cauſam dicerent apud eos iudices, qui de cæde ſunt conſtituti. Poſtremò, vt earum pueri bulla aurea ornarentur, & purpurea prætexta*; probat Balduin. *in §. 1. num. 17. inſtitut. de iniurijs*, Plinius *lib. 33. cap. 1.* Straboni & Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 6.* prætextæ originem apud Heruſcos inueniere: ſed Athenæi, & Plutarchi apud ſe authoritates plurimum valere profitetur Baifius *libellulo de re veſtiaria. cap. 8. folio mihi 197.* Verùm cùm Macrobij verba aliqualem Vlpiano lucem allatura videantur, nec citra piaculum omittenda duxi: *Tullus Hoſtilius*, ſic ait, *Rex Romanorum tertius debellatis Hetruſcis ſellam curulem, lictoreſque, & togam pictam, atque prætextam, quæ inſignia Magiſtratuum Hetruſcorum erant, primus vt Romæ haberetur, inſtituit: ſed prætextam illo ſæculo puerilis non vſurpabat ætas, erat enim vt cætera, quæ enumeraui, honoris habitus: ſed poſteà Tarquinius Demarati exulis Corinthij filius Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, Rex tertius ab Hoſtili, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum, quo bello filium ſuum, annos quatuordecim natum, quo hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudauit, & bulla aurea, prætextaque donauit, inſigniens puerum vltra annos fortem præmijs virilitatis & honoris. Nam ſicut prætexta Magiſtratuum, ita bullæ geſtamen erat triumphantium, quam in* 3
triumpho præſegerebant, incluſis intra ea remedijs, quæ crederent aduerſus inuidiam valentiſſima. Hinc deductus mos, vt prætexta & bulla in vſum puerorum nobilium vſurparentur, &c.

Sed qua ætate hæc prætexta aſſumeretur? 4
inueſtigare; hoc opus hic labor eſt, varios enim de hac re varias protuliſſe ſententias reperio. Macrobius anno decimoquarto id licuiſſe Tarquinij filij exemplo demonſtrat; cuius penè contrarium Alexander ab Alexand. memorat *lib. 5. cap. 18.* cùm bullam illorum ingenuos pueros, qui equum meruiſſent, ad pubertatem vnà cum prætexta induiſſe proferat. Igitur ante annum decimumquartum adhuc paruulos hoc amictu decorare fas erat, quod vtique ex Plutarcho *problemat. capit. 101.* & Aſconio *3. in Verrem actio.* mihi probatur, vbi ſimul cum prætexta ſcribunt bullam ſuſpendi in collo infantibus; ingenuis auream ſolere, libertinis ſcorteam. Nec aliò ſpectat illud Senecæ *de breuitate vitæ*: *Auſus eſt enim*, eius ſunt verba, *& pupillus adhuc, & prætextatus iudicibus reos commendare*, cui ſubſcribunt Antõn. Aug. *lib. 3. emendatio. cap. 9.* Iacobus Rebardus *in l. 2.*

§. item impubes, ff. de regulis iuris, & Henric. Salmuth. *in notis ad memorabilia Paneiroli*, vbi de habitu & veſtitu veteri *fol. mihi.* 298.

5 Hanc ergo prætextatam tunicam pupilli ad pubertatem vſque induebant, illamque exacta pueritia, ideſt anno decimoquarto exuebant, & ſolemni feſto, vel officio quod aiunt, laribus ſuſpendebant, ſicut Romanæ puellæ, inquit Alexand. ab Alexand. *dict. cap.* 18. puellare rudimentum, puppas Veneri Arguinæ, & maturæ viro compoſitum capillum Palladi, quo tempore togam puram, quam virilem appellabant, pueros ſumere moris erat, optimè notat Anton. Auguſtin. *dict. lib. 3. emendationum cap. 9.* contendit Verrius *apud Plinium naturalis hiſtoriæ lib. 9 cap. 33. Cæterum poſteaquam*, inquit, *pubertatis annos iam egreſſi eſſent, pupilli prætextam exuere, bullamque deponere, & induere virilem togam ſolebant, anno nimirùm ætatis decimoquarto, quinto vel ſexto*, quamuis anno decimoſeptimo id contigiſſe ex Aulo Gellio, Cicerone, & Plinio neruoſe contendat Guielm. Budæus *in annotat. ad l. fin. ff. de Senator.* cuius etiam opinionem, illius immemor, amplectitur Balduinus *in dict. §. 1. de iniurijs num.* 18. Vveſembech. *ibid. num* 2. & Thadeus Piſon. *num. 3. ad finem*, Petr. Gregor. *dict. lib. 19. ſyntagmat. cap. 3. num.* 11. Quintil. Mandoſ. *de ætate minori cap. 5. num. 39. & num.* 61. Franciſcus Pollerus *lib. 2. hiſtoriæ fori Romani cap.* 7. vbi aliquando decimoſeptimo anno non expectato citius ex permiſſu Principis more contempto togam ſumptam illa ratione ſcribunt, vt celerius virili toga induta Reipublicæ aſſueſcerent. Aliter enim Lazarus Baiſius *d. libellul. de re veſtiaria c.* 9. & Petr. Crinitus *lib. 3. de honeſta diſciplina cap.* 7. multis probare intendunt, virilem togam anno decimoſexto à Romanis indui ſolitam: & multos eam ſumpſiſſe anno decimoquarto, alios vigeſimoprimo, & vigeſimoquarto Autor eſt Alexand. ab Alexand. *dict. lib. 5. dierum genialium cap.* 18. Sed quidquid horum varia ſcripta in cõtrarium adſtruxerint, illorum mihi probabilior ſentẽtia redditur, qui antiquorum monumentis ſuffulti pubertate, ſeu anno decimoquarto proferunt, vt prætextam depoſitam, & virilem, aut puram togam aſſumptam, vel aſſumi potuiſſe, ſiquidẽ, vt optimè aduertit Henric. Salmuth *vbi ſuprà*, nullum certum ſumendæ eius tempus eſſet cõſtitutum, dummodò poſt pubertatem id fieret, vt vel ex eo ſibi probari contendit, quòd Octauius Auguſtus annorum ſedecim, & Caius Cæſar in vndeuiceſimo, Nero autẽ vix pubeſcẽs togam virilem ſumpſit, quo maturior Imperio videretur, D. quoque Antoninus Philoſophus, & ex Cæſaribus complures in quintodecimo virilem ſumpſere togam, tunc cùm præceps, & lubrica iuuenum ætas videbatur.

6 Ex quibus plana, & dilucida, quaſi inextricabilia, & nimis Vlpiani obnoluta verba *in dict. l. 3. in fine, de liberis exhibendis* monſtrantur. *In hoc interdicto*, inquit, *donec res indicetur, fœminam prætextatum, eumque, qui proximè prætextati ætatem accedit, interim apud matrem familias deponi prætor iubet, proximè ætatem prætextati accedere eum dicimus, qui puberem ætatem nunc ingreſſus eſt.* Quorum ſenſus ille procul dubio eſt, agebat enim Cõſultus in anterioribus de Iuliani ſententia exiſtimantis, vt quoties interdictum mouetur de filio ducendo, vel cognitio, & is, de quo agitur, impubes eſt, aliàs diferri oportere rem in tempus pubertatis, aliàs repræſentari, ideſt, vt placuit Accurſio, ſtatim terminari, quod ex perſona eorum, inter quos controuerſia erit, & ex genere cauſæ conſtituendum ait: nam ſi is, qui ſe patrem dicit, autoritatis, prudentiæ, fideique exemplo ratæ eſſet, vſque in diem litis, imò vſque in pubertatis tempus, quo lis ſeruãda eſt, in puberem apud ſe habebit: ſin verò qui controuerſiam facit, humilis calũniator, notæ nequitiæ, repræſentanda, & incontinenti ad finẽ perducenda lis erit. Quòd ſi vtraque perſona ſuſpecta ſit, aut tanquam infirma, aut tanquã turpis, non erit alienum, inquit, diſponi apud quem interim puer educaretur, & controuerſiam in tempus pubertatis differri: quo themate retẽto paucis id ſpectantibus interiectis ſubijcit: *In hoc interdicto, donec res iudicetur*, nempe vſque dum pubertas contingat, quia de lite experiri oportet, *prætextatum*, ac cõſequenter, & impuberem nondum annum decimumquartum attingentem. Quare Balduinus *vbi proximè*, prætextam notam pupillaris, ſiue impuberis ætatis vocat, cui & Oinotomus aſſentitur *ibidem n.* 24. ſicque intelligendum Iuſtinianum aiſerunt *in d. §. 1. de iniurijs*, & Iuriſconſultum *in l. 1. de varijs & extraord. criminibus.* Alirer enim, nec ſuperioribus rectè deductũ cohæreret, nec vbi de impuberibus diſcutiebatur, opportunè Cõſultus de prætextato inſeruiſſet. Maximè, cùm vt proximè docuimus, ad annos tantùm pubertatis prætexta pueri vterẽtur, *Eũque qui proximè prætextati ætatẽ accedit*, ſubiungit, *interim apud matrẽ familias deponi Prætor iubet.* 7 Quis autẽ proximè prætextati ætatẽ accedat, verbi *accedendi* natura demõſtrat. Accedere nil aliud eſt, quã alicui iã perfectæ rei aliquid inſuper addere, adiungere, vel augere: ita enim Theſauri linguæ Latinæ Autor demonſtrat; ergo ille proximè

ximè

ximè prætextati ætatē accedet, qui prætextatorū ętati, ideſt, decimoquarto anno, quo prætexta exuebatur, aliquid ætatis adiūxit, aut ſuperaddidit. Quod cū explanare Vlpianus cōtendit, in idē recidit: *Proxime ætatem prætextati accedere*, ſcribit, *eū dicimus, qui puberē ætatem nunc ingreſſus eſt*, ſcilicet, qui iam pubertatis initio, prætexta depoſita, aliquantulum pubertatem eſt ingreſſus. Quemadmodum etiā, vt in propoſito notat Anton. Auguſt. *vbi ſuprà*, proximus infantiæ eſſe dicitur, qui infans eſſe nuper deſijt, §. *pupillus, inſtit. de inutilib. ſtipulat.* & multis probauimus; vbi de illo ſcriptitauimus. Quæ mihi verà Iuriſconſulti mens videtur, quāuis aliter excogitauerit Rebardus *in d. l. 2. §. impubes, ff. de regul. iur.* & Althuſ. *1. iuriſprud. 2.* Oſualdus *lib. 3. in Donellum c. 14. littera B.* Si enim proximus prætextæ diceretur, qui paululum ab illa obtinenda diſtabat, procul dubio ſuperfluitatis vitio laboraret Conſultus, qui poſtquàm prætexta indutum apud matrēfamilias, donec pubeſceret, ſequeſtrari iuſsit, quod neceſſariò in nondum prætextato, licèt proxime prætextando, tacitè ſubinteligebatur, inconcinè, & inelegāter, nulla dubitatione exigente, tanto verborum circuitu propalauerit. Quis enim quod de maiore dixerat Vlpianus, de illo minore in diſceptationem vocaſſet?

SVMMARIVM.

IN iure non eſt tempus præſcriptū, vltrà quod differre baptiſmum ſit crimen. 1.

Præceptum baptiſmi obligat adultos, vt quàm primùm poſſint, baptiſmū ſuſcipiant: ibid.

Irregularis eſt, qui diu differt baptiſmi ſuſceptionem. 2.

Adultus in ægritudine baptizatus, ab ordinibus arcetur. 3.

Neophytus habetur nimis differens baptiſmum. 4.

Non eſſe irregularem, qui baptizari vltra pubertatem neglexit, aliqui docent. 5.

Qui ordinari deſiderat ante pubertatis annos, baptizatus eſſe debet. 6.

Irregularis eſt, qui non agit quod agere Canones iubent circa ordines ſuſcipiendos. 7.

Ante decimumquartum annum ætatis debet quis baptizari, vt irregularitatis notam effugiat. 8.

Populus Iſraeliticus abſque culpa circunciſionem per quadraginta annos protraxit. 9.

Chriſtus baptiſmum vſque ad trigeſimum ſuæ ætatis annum diſtulit, & quare? 10.

In non baptizato an propriè cadat irregularitas? 11.

Baptiſmus omnem delet irregularitatem. ibi.

An habeat implicationem baptiſmum tollere ex vna parte irregularitatem, & ex alia, ob ipſius dilationem vſque ad pubertatem, inducere? ibid.

QVÆSTIO IIII.

De tempore, ad quod ſacrum baptiſmà abſque irregularitatis nota differri iuſte poſsit?

QVamuis non ſit in iure neque diuino, neque humano præſcriptum, aut determinatum tēpus; vltra quod crimen putetur diſtuliſſe baptiſmum, vt cum Caietano *3 p. q. 68. art. 3.* Suario *tom. 3. de Sacram. diſputat. 31. ſection. 3. §. ſecundo ex hoc principio, contra Sotum in 4. diſtin. 5. q. vnic. art. 3.* tenet Roderic. Acunha *in c. quicumque 3. n. 7. 77. diſt.* licèt numero antecedenti certum eſſe fateatur, præceptum diuinum recipiendi baptiſmum obligare adultos, vt baptiſmum ſuſcipiāt, quàm primùm id dignè & commodè poſsint, vel ſaltim id nōn multum differant. Illud autē apud nōnullos prò cōſtanti habetur eſſe irregulares eos, qui nimis differunt baptiſmū, quāuis extra ægritudinē baptizētur, ſolùm ex ipſa dilatione. Ita Archiepiſ. Florent. *3 p. tit. 29. c. 6.* Alberic. *verb. Ordinandus, verſ. 20.* quos refert & ſequitur Maiolus *de irregularitate lib. 3. c. 9. n. 2.* Borgaſius *eodem tractatu p. 5. c. de differentibus baptizari vſque ad mortem*, Iacob. de Graſsis *lib. 4. c. 27. n. 59.* 1 2

Quorum ſententia multis adſtruitur, præſertim *ex c. 1. 57. diſtin.* vbi adultus ęgritudine baptizatus ab ordinibus arcetur, eo quippe, quia motoſus in baptiſmo ſuſcipiendo, niſi infirmitatis neceſsitate vrgēte, haud quaquam, vt ſuſpicari poteſt, accepiſſet. 3

Deinde, quia quemadmodum nouiter baptizati, vt neophyti prohibentur promoueri; ſic & illi, qui nimis diſtulerunt baptiſmum: quia & ipſi tunc omnino neophyti ſunt, vt in propoſito animaduertit Paul. Borgaſius *vbi ſup. in princip.* 4

Nihilominus oppoſitum certius contra Maiolum; & alios crediderunt Suarius *de cenſur. diſp. 42. ſect. 1. num. 8.* & Rodericus Acunha *in d. c. 1. n. 3.* 5

Minimeque aliud ex *d. c. 1.* probari arbitrātur, cùm irregularitas eo caſu nō ſit propter culpam procaſtinati baptiſmi, quāuis ea

D. Didacus de Narbona,

fortè daretur, vt etiam ſupponit Henriquez *lib.*1.*de irregularitate c.*4.*n.*7. ſed propter minorem Eccleſiæ ſatisfactionē ex tali conuerſione neceſsitate facta.

6 Sed quidquid præfati Autores voluerint, prima ſententia, vt communior, ita & verior mihi videtur: tum ex ſupra ſcriptis, tū etiam ex manifeſta deciſione, *c. quicūque 3. in princip.* 77. *diſt.* vbi inquit Syricius Papa, eum qui ordinū deſiderio flagrauerit, ante pubertatis annos baptizatū eſſe debere, apertè ſupponens, quod ſi poſt cœptam pubertatē luſtralē aquā ſuſcipere diſtulerit, non promouebitur:
7 quæ interdictio irregularitatē in eo inducit, qui eiuſmodi ſtatutum obſeruare neglexerit, cùm ille ſit irregularis iuxta Speculatoris doctrinā, quam veram fatetur Maiolus *d. tract. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 2. qui id non agit, quod agi canones iubent circa ordines ſuſcipiendos, cuius deciſionis vim cùm non potuiſſet eludere Acunha *ibid. n.* 10. ſibi repugnans, verum eſſe obteſtatur, Eccleſiā noluiſſe eos ad ordines admittere, qui intra impubertatis tēpus baptiſmū nō ſuſciperent, ſed hoc, inquit, non per modum pœnę, ſed per modū conuenientis cuiuſdam diſpoſitionis ſuorum beneficiorū, & miniſteriorum, vt cōuenienti modo eos induceret ad præceptum diuinum exequendum, vt in ſimili explicaſſe ait Suar. *de Sacramen. diſp.* 31. *ſect.* 2. §. *ſecundo ex hoc*.

Sed vt vt ſit, ſiue per modū politicæ cuiuſdam ordinationis, ſiue per modū pœnę, illud tamē quacumque ex parte indubitatum euadit, moram in baptiſmo vſque ad pubertatis annos irregularitatē, ſiue ordinum impedimētum generare, adeo vt abſque Pontificia diſpenſatione, qui in tantum tempus baptizari diſtulerit, minimè ad ordines admittatur, veluti Borgaſius & Maiolus, ille *num.* 4. *in fin.* & iſte *n.* 2. etiam ad calcem, conteſtantur.

8 Ex quibus quis nō videt ætatē, ad quam ſine irregularitatis nota protrahi baptiſmus poteſt, impubertatis eſſe? vt in *d. cap. quicumque* cauetur, ibi: *Quicūque ita ſe voluerit, aut vouerint, vt in Gregorianis, obſequijs Eccleſiæ à ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari*, ideſt quatuordecimi anni non expleti, veluti ex his, quæ ad explicationem *dict. cap.* obſeruat Roderic. Acunha *ibidem n.* 2 *&* 3. ſatis colligitur.

9 Quod nec inde infringitur quod legitur *Ioſue c.*5. populū Iſraeliticum diſtuliſſe inculpabiliter circūciſionem, quę figura erat baptiſmi, per quadraginta annos, quia vt ex eodem ſacro elogio cōſtat, abſque culpa ipſius, tanto tempore incircumciſus permāſit, cùm in ſolitudine, & deſerto exuldegiſſet. Deinde quia, vt ſubiungit Borgaſius *d. p.* 5. *d. cap. n.* 4. *verſ. Poſſet etiam dici*, circunciſio nō erat, ita de neceſsitate ſalutis, ſicut hodie baptiſmus: vnde cū & omitti poſſet, quidni, & impune protrahi, etiam per longiſsimi temporis ſpatium?

Minuſq; præfatam ſententiā eneruat ipſa Chriſti actio, quæ noſtra inſtructio in omnibus eſſe debet, cùm ex eo ſuadere videatur licitā eſſe baptiſmi dilationē, quòd ipſe Chriſtus baptizari diſtulit vſque ad trigeſimū ætatis annum, vt patet Luc. 3. *cap.* ergo differre baptiſmum non reputari debet ad culpā, imò conueniret exemplo Chriſti, vt ſic differrent omnia eius membra. Sed hoc inquam non obſtat, duplici ratione, vt optimè excogitauit Card. Turrecrem. *in c. quando quis* 128. *n.* 1. *ad fin. de conſecratione diſtinct.* 4. Prima, quòd Chriſtus ſuſcepit baptiſmū (ex ſententia D. Thomæ) vt ipſum inſtituens vel conſecrans. Hoc autē ad Doctoris, vel Sacerdotis officium pertinet, nuntiare viam ſalutis, & ideo ante tempus perfectæ ætatis, quod competit eſſe in Doctore, vel Sacerdote baptizari non debuit. Secunda, quia Chriſtus nō ſuſcepit baptiſma, vt illo in aliquo iuuaretur. Nos autem qui natura naſcimur filij irę, baptiſma ſuſcipimus, vt illo mundemur, & purificemur à peccatis. 10

Maioris enim negotij eſſe apparet ſcrupulus, quem idē Autor *num.* 2. mouet, ſcilicet, nō rectè conuenire, baptiſmū poſt annos impubertatis ſuſceptum, irregularitatē inducere: & tamē eam baptiſmi naturā eſſe, vt non ſolùm omne peccatū, ſed & peccati ſequelā, & irregularitatem auferrat (ſi tamen in non baptizato propria irregularitas dari poteſt, quod abnegant Nauarr. *in manuali c.* 27. *n.* 205. Maiol. *d. lib.* 3. *c.* 7. *in principio*, Sairus *in Theſauro lib.* 6. *c.* 2. *num.* 8. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 1. *num.* 2. *& in ſumma littera T.* Suarius *de cenſuris, diſput.* 40. *ſect.* 1. *numer.* 2. Auila *de cenſuris part.* 7. *diſputat.* 5. *ſect.* 1. §. *& primo*, ex ijſque Roderic. Acunha *in cap. ſi quis poſt* 4. *numer.* 2. 51. *diſt.* & probari videtur ex *toto titul. de presbytero non baptizato*, præſertim *cap.* 1. *&* 2. *& cap. veniens*) veluti auferre docet idem Acunha tam *dict. loco*, quàm *in capit.* 1. *numer.* 3. *eiuſdem diſtinctionis*. Etſi nonnullas irregularitates eſſe, quas non deleat baptiſmus admoneat, iuxta ſententiam plurium, quos refert Torreblanca *iuris ſpiritualis practicabili*, *lib.* 2. *capit.* 4. *numer.* 54. *&* 55. vt bigamiæ, defectus natalium, & quæ in ipſo baptiſmo contrahuntur, ſiue ex iteratione, ſuſceptione, infirmitate, & dilatione, vſque ad pubertatem, vt nos ſubiungimus. 11

Ac

At huius rei cauſam, & rationem nō ineptā idem Borgaſius ſubnectit *eodem nu.* 4. Nam ſicut dicimus vnicam cauſam non poſſe parere obligationem, & liberationem, *l. qui hominem, §. fin. de ſolutio.* cum vulgaribus: ita impoſsibile eſt vnum baptiſma, & irregularitatem cauſare, & eam eodem inſtanti delere: quare operæpretium eſt ſemel contractam irregularitatē ipſo procraſtinato baptiſmo poſt illius ſuſceptionem durare, donec debita diſpenſatione tollatur.

SVMMARIVM.

MAſculi poſt decimumquartum annum, & fœminæ poſt duodecimū generandi potentiam accipiunt. 1. & 8.

Prædicta ætas venereæ poteſtati ſubiecta dicitur. 2.

Nec maſculus, nec fœmina præſumitur generationi ſufficiens ante pubertatis dictum tempus, & contrarium alleganti incumbit onus probandi. ibidem.

Tunc generare maſculus poteſt, cùm ſemen emittit, & tunc fœmina concipere, cùm menſtruum patitur. 3.

Semen viris, & menſtruum fœminis, qua ætate ſuperueniat? ibid. & 7.

Si maſculus nondum pubes, aut fœmina nondum viri potens coierint, licèt cum perſona generationi apta, nihilominus affinitatem non contrahent. 4.

Vtriuſque ſeminis concurſus an ad contrahendam affinitatem deſideretur? ibid.

Fœmina ante vigeſimumquintum annum anus eſſe poteſt. 5.

Potentia generandi quæ decimoquarto anno in maſculis incipit, vigeſimo regulariter perficitur. 6.

Plato quare fœminas non niſi poſt vigeſimum annum voluit nubere? 7.

Fœmina marem per anni dimidium, aut per integrum annum in pubeſcendo antecedit. 8.

Fœmina quare citiùs quàm maſculus pubeſcat? 9.

Fœmina viro eſt frigidior, & humidior. ibidem.

Imperfectior eſt fœmina mare. 10.

Coniugibus vnà morientibus, quare vxor prius defuncta credatur? ibid.

Tempora augmenti & diminutionis reſpondere ſibi debent. ibid.

Fœmina, quæ extra vterum citiùs augetur, cur intra illud tardiùs perficiatur? 11.

D. Didac. de Narbona.

QVÆSTIO V.

Quo tempore generandi potentia in maſculis, & concipiendi in fœminis incipiat?

QVamuis huiuſce rei plura effundant Interpretes: nos tamen, qui breuitati ſimul & vtilitati conſulimus, vtiliora & præcipua ſeligemus, ex quibus præſentis inueſtigationis ratio non incommodè haberi poſsit. Eſt enim tam noſtrorū, quàm Tocologorum, & Medicorum cōmune placitum, maſculos non anteà generandi potentiam accipere, quàm decimumquartum annum peregerint, & fœminas ſimiliter non niſi poſt duodecimum concipere poſſe. Sic ex Ariſtotele & alijs docent Andr. Tiraq. *in l. 6. connubial. gloſ. 1. n. 36. & 37.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu* 540. *num. 2. & 3.* Petr. Greg. *ſyntagm. iuris lib. 9. cap. 75. n. 5. & 6.* Gulielm. Benedict. *in repetitione, cap. Rainunt. verb. Qui cum alia, num. 67. part. 3.* vbi etiam ſubijcit: Pygmæos quarto anno generare, Medina *de ſacrorum homin. contin. fol. mihi* 254. Corraſius *in l. in arrogato, §. non tantum, num. 4 ff. de adoption.* P. Sanch. *de matrimon. lib. 7. diſput. 104. num. 1.* Gutierr. *eodem tractat. cap. 95. n. 3.* Ioan. à Ruicibus *in medicina medicorum inſipientium luminari. 2. verſ. patres, fol.* 59. Federic. Bonauentur. *de octomeſtri partu lib. 7. capit. 32.* Paul. Zachias *medicolegali, lib. 1. tit. 1. q. 6. num. 29. & ſequentibus,* qui ex Proculi ſententia, quā refert Cælius Rhodigin. *lection. antiqu. lib. 19. capit. 22.* & Epiphan. Ferdin. *Theor. lib. 1. theor. 19.* ob eam rem, inquit, hanc ætatem venereæ poteſtati ſubiectam eſſe. Vnde rectè concludit cū Sancio & Zenedo, Auguſtin. Barboſ. *in collectan. ad cap. puberes 3. num. 4. de deſponſation. impuber.* quòd in dubio nec maſculus, nec fœmina præſumuntur apti generationi ante dictam puberratis ætatem completam, vt etiam Surdus teſtatur *conſ. 364. n. 33.* idcò contrariū aſſerenti probationis onus incumbit. Ita Innocent. *in cap. continebatur n. 3. de deſponſ. impub.* & ibidem Hoſtien. *n. penult.* Henriq. *num. 2.* Alex. de Neuo *in c. à nobis n. 8. eiuſdem tituli,* Dominicus *conſ. 24. n. 6.* Nauarr. *in ſumma cap. 22. n. 29.* Couarruu. *in 4. Decretal. 2. p. cap. 5. n. 3.* & alij à Thom. Sanch. relati *dict. diſput. 104. num. 4.* vbi hoc latiùs proſequitur.

Et ſtabilitur hæc ſentẽtia ex D. Iſidor. *in d.c.puberes*, illis verbis: *Certum eſt autẽ eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatẽ oſtendit, & generare iam poteſt.* Quibus cõſentit *l.6.tit.1.p.4.* ibi: *Mas para caſamiento fazer, ha meneſter q̃ el varõ ſea de edad de catorze años, è la muger de doze*; & poſt pauca: *Fueras ende, ſi fueſſen tan cercanos a eſta edad, que fueſſen yà guiſados para poderſe ayuntar carnalmente, ca la ſabiduria, è el poder q̃ han para eſto fazer, cumple la mengua de la edad.*

3 Rurſus etiam, quia tunc generare maſculus poteſt, cùm ſemen emittit, & fœmina cũ menſtrua patitur, vt probat abunde Gentil. *quæſt.medic.39.verſ.Sciend.2.* & Paul.Zach. *d.q.6.n.32.* At incipiente pubertate & ſemẽ maſculis, & fœminis ſanguis menſtruus contingit, ex ſententia Fernel. Pathol. *lib.6. c.17. in princip.* quam amplectitur Zachius *d. tit.1.q.4.n.39.cum ſeqq. & d.q.6.n.33. & 34.* ergo tunc, & non anteà generare maſculus, & concipere fœmina poterit.

4 Hinc eſt, quòd cùm duodecimum ſaltem annum in fœmina, & quartumdecimũ in maſculo ad generandum, ſemenque emittendũ deſideretur, ſi ante prędictũ tẽpus coierint, licèt cum perſona generationi apta, nihilominus affinitatem non contrahent, quia ex probabiliſsima ſententia ad contrahendam affinitatem vtriuſque tam viri quàm fœminæ ſeminatio neceſſaria eſt. Ita Sanchez *de matrimonio tom.2.lib.7. diſput.64. n.20. in fin.* Gaſpar Hurtado *de matrimonio, diſp.20. difficul.1.n.4.* & probatur *ex cap. lex diuinæ conſtitutionis 27.q.2.* dum in eo ſanguinis, ideſt, ſeminis cõmiſtio requiritur, tenet Lopez *in inſtructorio p.2. c.50.* Graphius *p. 1. lib.2.c.80.n.8.* ſequitur nouiſsimè Diana *in additionibus ſecundarijs ad 3. tomos reſolut. moral, reſol.21.*

5 Ex quo etiam principio contra Salicetũ & alios meritò infert Guilielm. Mainer. *in l.quo tutela, num.152.ff.de regul.iur.* auiam minorem viginti & quinque annis eſſe poſſe: nam cùm duodecimo anno fœmina cõcipere valeat, filiam habere poterit, ex quo ante quintum & viceſimum annum, etiam ſi malitia nõ ſuppleat ętatem, nepotem ſuſcipiat: ideoque reſoluit dari poſſe caſum, quo auia fauore minoris ætatis excuſetur ex eo quòd intra annum nepoti tutorem petere neglexerit.

6 Nec dictis repugnat quod ſcribit Philoſoph. *de natura animal. lib.5.c.14. poſt princip.* videlicet, poſt vigeſimum annum homines vim genitalem recipere, cui conuenit Plin. quem refert & ſequitur Quintil. Mandoſ. *de ætate minor.c.5.n.81.* quoniam hoc non ita accipiendum eſt, vt prædicta ætate potentiam generandi hominibus incipere credatur, ſed imò iam cœptam, ita vigeſimo anno perfici, & abſolui, vt eo tranſacto facultas generandi in homine proculdubio ſit in ſuo eſſe perfecto: ſic ex Alberto Magno colligitur 5. *de animali tract.2. cap.1.* & Paul. Zachia *d.tit.1.q.6.n.70.* vbi inquit, eo namque ætatis ſpatio aptiſsimum iam ad generandum hominem videri.

Et fortè hac de cauſa doctiſsimus Plato 5. *de Republ. & 4. & 6. de legibus infin.* fœminas nõ niſi vigeſimo anno nubere voluit, quamuis in *præcitato 6. de legibus*, etiã in 18. id fieri poſſe admittat, vt ex Ariſt. *lib.7. Politicor.* quaſi Plato ſentiret vigeſimo anno elapſo etiam in fœminis vim concipiẽdi optimè perfectã, & omnibus numeris abſolutã eſſe, veluti & placuiſſe ſimiliter videtur Ariſtot. 1. *de gener. animal. c.20. & 7. eiuſdem c. 1.* dum eodem tempore ſcribit fœminis profluere menſtrua, quo maribus ſemen, nempe decimoquarto anno exacto, vt expreſsiùs docent Macrob. 1. *de ſomo Scipionis c.6. verſic. fin.* ibi: *Poſt annos bis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit, tunc enim moueri incipit vis generatiua in maſculis, & purgatio fœminarũ.* Idem ex Medicis proferunt ex Hippocrate Paul. *ſuæ Medi. lib.3.c.60. Mulierũ*, inquit, *plurimis menſes decimoquarto anno fluere incipiunt, paucis verò ante decimũtertium, aut duodecimũ, pleriſq; autem poſt decimumquartũ.* Conſentit Aetius *tit.16.c.51.* & Trotula (quem fœminã fuiſſe aliquorum teſtimonijs obſeruat Mercurial. *de morbis mulier. lib.1.c. 4.*) Gentil. *q.39.verſ. Sciendum 2.* Mercur. *lib. cui titulus la commare lib.1.c.16.* Si enim Ariſt. vt cœptum proſequamur, cæteriq; relati, eodem tempore vim concipiendi, ſiue purgandi (quod idem eſt, veluti animaduerrit Zachias *d.q.6.n.36.* & ſuprà oſtendimus) in fœminis, ac generandi in maſculis incipere contendunt, neceſſariò ſentire cum Platone videtur, etiam poſt vigeſimum annum dictam potentiam in illis quaſi & in viris perfici & abſolui. 7

Verùm licèt hæc ſententiã quãplurimis tã philoſophis, quã Medicis probabilior videatur, eamq; ipſa experientia confirmare nitatur Paul. Zach. *d.tit.1.q.6.n.34.* Communior tamen & receptior necdum noſtris, ſed Philoſophis etiã videtur initio à nobis propoſita, videlicet, celeriùs fœminis quàm viris potentiam generatiuam accidere, anno ſcilicet duodecimo, cùm regulariter viris decimoquarto contingat, ſiquidem negari vix poteſt fœminam ſemper citiùs mare pubeſcere, facta comparatione inter calidam fœmi- 8

mihaṁ, & marem æqualiter calidum, ſemper enim fatetur Zachias *n.* 48. licèt contrariæ opinionis aſſecla, fœmina marem per anni dimidium, aut etiam integrum annum in pubeſcendo antecedit, quod & ipſe Hippocrates teſtatus eſt *in lib. de ſeptimeſtri partu, verſicul. fin. & 6. de morbis vulg. ſect. 2. text.* 35. noſque ſæpius id latiùs probauimus.

9 Et huius rei rationem vltra eam, quam ſuprà *hoc eodem anno quæſt.* 1. adduximus, reddit Hoſtienſis *in ſumma lib. 4. titul. de deſponſation. impuber. numer.* 1. videlicet, fœminam citiùs ob id pubeſcere, & concipiendi vim nanciſci, quòd calidior, & ingenioſior ſit viro. Sed cùm certius ſit, fœminam viro eſſe frigidiorem, & humidiorem, vt omnes Medici ac Philoſophi cõſentiunt, meritò hanc rationem impugnat, & reijcit Paul. Zachias *dict. quæſt. 6. num.* 51. duplicemque aliam adducit elegãtiſsimis verbis, quæ ideò vſurpare non erubuit.

10 Duplici ergo ex cauſa, inquit, ſi veram eius rei rationem quæramus, fœmina citiùs mare pubeſcit, ob naturalem nimirum eius imperfectionem, & ob innatam ſui temperamenti humiditatem; imperfectior enim eſt fœmina mare, vt cum Ariſtot. ſentit Galen. *lib.* 14. *de vſu part. corpor. human. capit.* 5. *claſſe* 1. Quatenus igitur fœmina reſpectu maris imperfectior eſt, minus ſpatium requirit, vt ſuam integram perfectionem aſſequatur, quàm requirat vir, cuius perfectio maior abſque dubio eſt. Tempora enim perfectionis, & imperfectionis, hoc eſt, augmenti, & decrementi, reſpondere ſibi debent, Ariſtot. *lib. de mort. & vit.* Patet autem in fœmina multò citiùs aduenire decremẽtum, citiùs enim generare deſinit, citiuſque ſeneſcit quàm vir: imperfectio verò ipſius ex debiliore emanat calore, & idcircò licèt citiùs conſeneſcat, citiùs etiam incremẽtum in ea abſoluitur, Gal. *in 6. de morb. vulg. comm. 2. text.* 45. *claſſe* 3. Hanc autem rationem in medium priùs adduxiſſe videtur Hippocrat. *in lib. de ſeptim. part. in fin.* & *lib. de natur. puer.* dicens, propter corporis imbecillitatẽ id euenire puellis, vt citiùs quàm mares pubeſcant, ſapiant, & conſeneſcant. Cui aſſentitur Ariſtotel. 4. *de gener. animal. cap. 6.* Hac ipſa quoque ratione vſus videtur Macrob. *loco citato*, comparando fœminas exilibus pomis, quæ multò celeriùs quàm robuſtiora matureſcunt. Ex quo prouenire arbitratur Stephanus Forcatul. *in Cupidine iuriſperito. cap.* 8. *numer.* 2. (liceat enim paurumper Zachiæ verba interſerere) quod ſi vna commoriantur coniuges, mulier præſumitur citius deceſsiſſe, *l. qui duo* 10. *§ ſi maritus. ff. de rebus dubijs*, quia debilior eſt, argumento *§. fin. eiuſdem l.* quod priùs edixerat apud noſtros *l. fin. tit. 33. p. 7.* ibi: *Otroſi dezimos, q̃ muriendo el marido è la muger en alguna naue, que ſe quebranta en la mar, ò en torre, ò en caſa que ſe encendieſſe fuego, ò que ſe cayeſſe à ſo hora, entendemos, q̃ la muger, porque es flaca, naturalmẽte moriria primero que el varon.*

Ac profectò in quouis rerum genere illud ipſum euenire apparet, vt ſemper perfectius, tardiùs quàm id, quod imperfectius eſt, augeſcat, & abſoluatur. Pro exẽplo ad hominẽ ipſum confuge, in quo primũ ea, quæ ad corpus ipſum pertinent, perficiũtur, dehinc ea, quæ ad animum, quia animus corpore multò perfectior eſt. 11

Sed non ſolùm, vt dixi, ratione ſuæ imperfectionis, ſed etiam ratione humiditatis ſuæ tẽperaturæ, & corporis ipſius mollitiei fœmina citiùs quàm mas cõcreſcit, ob id enim corpora in omnes dimẽſiones faciliùs, & citiùs ſeſe extendunt; teſte Galeno *in loco proximè allegato de morb. vulgar.*

Poteſt etiam hîc obijci, cur nam hæc ipſa fœminæ imperfectio, ac tẽperatura, quæ ipſam extra vterũ multò celeriùs quàm marem concreſcere facit, non idẽ etiam & cũ illa in vtero eſt, efficere valeat? Nã & experiẽtia, & omniũ magnorũ virorũ autoritate conſtat, marẽ in vtero citiùs abſolui, & ad debitã perfectionẽ peruenire, quã fœmina faciat. Hippoc. *in lib. de natur. puer. & 1. de diet. & morb. vulg. ſect. 2. tex.* 35. Ariſt. 4. *de gener. animal. c. 6. & ibi.* Auerr. Gal. 2. *de ſem. c. 5. claſ.* 1. Auic. 21. 3. *tract. 1. c.* 2.

Pro huius dubitationis reſponſione ad Ariſtot. eo loci lectorem remitterẽ, ſed vt præſentaneã habeat reſponſionem, dico, quòd in fœmina tanta dominatur humiditas in ſuo primò exortu (omne enim animal humidiſsimum cum exortui vicinum eſt, Hippoc. *lib. 1. de diet. non longe à fine*) vt calorem natiuũ obruat, ac eius actionem ita impediat, vt illum materiam ſuo libitu vegetare non permittat, humiditas enim caloris actionem infringit. Facit huic rationi ipſius Hippocr. autoritas *in lib. de natur. puer. non longè à fine*: extra vterum verò, quia & primogenia illa humiditas ſenſim deperditur, & calor indies inualeſcit, faciliùs in debitam molem, quàm primum libuerit, poteſt molliora ipſius fœminæ membra attollere, cùm ipſe nunc humido dominetur, nec ab eo, vt antea obruatur. Hæc Zachias, cui & in hoc priùs conſenſerat Petr. Gregor. *dict. lib. 9. ſyntagm. cap. 7. num. 6.*

SVMMARIVM.

Nec maſculus ante quartumdecimũ annum, nec fœmina ante duodecimum poſſunt perfectè naturaliter obligari. 1.

Naturalis obligatio, præſertim, vbi alienam fidem ſequimur, ex conſenſu proficiſcitur. 2.

Plenus conſenſus à firmo iudicio originem ducit. 3.

Pupillus re, & non conſenſu obligatur, cùm factus eſt locupletior. 4. *Et quomodò hoc ſit intelligendum.* 5.

Obligatio naturalis ex vtilitate proueniens, vinculum dicitur æquitatis. ibid.

Id quod paſſim in iure occurrit, nempe pupillũ, etiam ſine tutoris autoritate, naturaliter obligari, quem ſenſum habeat? 6.

Pupilli omnes, qui infantiam exceſſerunt, media quadam, & imperfecta naturali obligatione tenentur. 7.

Vt in naturalibus dantur media, quæ vtriuſque extremi participant, ita & in moralibus, necnon, & in naturali obligatione datur medium. 8.

Obligatio naturalis in pupillo quando producat, vel non producat effectus? 9. *&* 10. *vbi de hoc latè diſquiritur.*

QVÆSTIO VI.

Quo ætatis tempore minores ex proprio conſenſu naturali ſubdantur obligationi?

1 STatuo enim, nullum maſculum ante decimũquartum annum, & nullam item fœminam ante duodecimum, nec naturaliter perfectè obligari poſſe. Quod ſuadetur ex *l. quod pupillus* 41. *de condictione indebiti*, *l. Pupillus* 59. *de obligat. & actionib. l.* 1. *l.* 4. *titul.* 11. *part.* 5. & ex alijs ſexcentis, quæ ab omni obligatione etiam naturali pupillum ſine tutore contrahenrem eximunt. Probant expreſsiùs propoſitam enunriationem Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori*, *cap.* 5. *numer.* 32. Gaſpar Gilius Polus *in ſchola iuris aſſertione* 7.

2 Et non caret ratione, ſiquidem naturalis obligatio proficiſcitur ex conſenſu, maximè vbi alienam fidem ſequimur, vt non malè requirit Æmil. Ferret. *in rubric. de verbor. obligat. num.* 13. *l. cùm amplius* 84. *§. is natura debet, ff. de regul. iur.* ex qua id conſtituit Hector Richer. *in Rubrica, de verbor. obligat. num.* 76. Vaſquius *controuer. illuſtrium lib.* 1. *controuer.* 9. *num.* 19. Petr. Auguſtin. Morla *in emporio iuris, part.* 1. *titul.* 9. *num.* 70. *verſ. Sexto, & vltimo.* Et ſi abſolute neget Oſual l. *lib.* 12. *Donelli cap.* 2. *lit. B.* ex æquitate potiùs eam metiendam contendens: plenus verò conſenſus, non niſi à firmato ſatis, & maturo iudicio deſcendit argumento *l.* 2. *C. de contrahen. emption.* vbi furioſo vllum eſſe conſenſum ideo negaut Imperatores, quia iudicio caret. Vnde 3 appoſitè nimis Auguſtin. Morla *eodem titul.* 9. *num.* 69. iudicium in his conuentionibus deſiderari affirmar, quæ ſolo conſenſu peraguntur: ergo illi ſolùmmodò naturali obligationi erunt obnoxij, qui integro & perfecto iudicio pollẽt, vt ſunt puberes? Eſt enim velut à natura comparatum, nullum maſculum, & nullam fœminam ante hoc tempus firmo ſatis, & maturo eſſe iudicio, vt manifeſtè docet Iul. Paul. *recept. ſentent. lib.* 4. *titul.* 13. *§. ſeruus furioſi.* Et dilucidè confirmatur *ex l. vltim. ff. de manumiſſ. vindict.* illis verbis: *Namque per abſurdum eſt, firmum videri eſſe iudicium pupilli, cuius vt infirmum iudicium tutore autore regitur.*

Nec quidquam præiudicij noſtrę opinioni adferunt, *l. pupillus* 5. *§. pupillus, ff. de autor. tutor. l.* 1. *in fine*, cum duabus ſequentibus, *ff. commodat. l. naturaliter* 13. *§. vltim.* cum *l. ſequenti, ff. de condictione indebiti*, & alię ſimiles, quibus planè conuincitur: tunc obligari pupillum ſaltim naturaliter, etiam ſi ne tutoris autoritate, cùm factus ſit locupletior, cùm hoc caſu pupillus non conſenſu obligetur, ſed re, vt *in l. furioſus* 46. *ff. de obligat. & actionib.* 4

Quod non eſſe ita accipiendum rectè admonet eximius vir Gaſpar Gilius Polus *d. aſſertione* 7. vt ex contractibus, qui re celebrantur, vtpotè mutuo, depoſito, commodato, dicamus pupillum obligari contra Cõſulti reſponſum *in l. pupillus* 59. *de obligation. & action.* Necnon, & contra Iuſtiniani deffinitionem *in principio inſtit. de autorit. tutor.* ſed ſolùm intelligere debemus, re, ideſt, commodo, & vtilitate, quam pupillus reportauit, obſtrictum manere. Nam hoc natura ęquum eſt, inquit Pomponius *in l.* 14. *de condict. indebiti*: neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem: quare diſertè hanc obligationis naturalis ſpeciem, æquitatis vinculum eſſe ſcripſit Papinianus *in l. Stichum* 95. *§. naturalis*; *de ſolutionibus.* 5

Cuius

Cuius ſententiam iniquè ad omnem naturalem obligationem produxit Æmil. Ferret. *in l.1.§.adeo autem,num.3.de pactis*, Donellus,& poſt eum Oſualdus *loco vbi ſuprà*, eo ſentientes naturalem obligationem, non ex conſenſu, ſed abſolutè ex ęquitate fore æſtimandam.

6 Infeſtior tamen obex eſt, qui ex *dict. l. Stichum 95. §.aditio*, dictis opponitur, vbi creditor adeundo pupilli hæreditatem, cui ſine tutoris autoritate nummos crediderat, non enim quantò locupletior pupillus factus eſt, conſequitur, ſed in ſolidum creditum ſuum ex hæreditate retinet: ergo quia pupillus ſemper naturaliter obligatur, non ſolùm cùm vtilitatem ſentit, verùm & cùm ſine commodo aliquid accipit, vel promittit. Quod etſi ex hac *l.* planè non conſtaret, proculdubio veriſsimum redderent, *l. Marcellus 25. de fideiuſſoribus, l.1. in fine, ff. de nouatio. l. ſi pupillus 127. de verb. l. ſi pupillus 21. ad legem falcid. l. ſi eius 64. ad Trebel. l. in numerationibus 44. verſicul. Item ſi pupillo, de ſolution. l. cùm illud 25. §. hæres, ff. quando dies legati cedat, l. fin. in princ. de iure iurand.* quibus perſpicuis verbis conuincitur, pupillum ſine tutore ſaltim naturalem obligationem ſubire.

7 Tanta eſt huius difficultatis moles, vt ei meritò ſuccubuerint ex veteri ſchola Fulgoſius *in dict. l. quod pupillus, de condictione indeb.* & ex nouiori Duarenus *in l. is cui, de verbor. obligat.* Rebar. *in dict. l. cùm amplius, §. is natura, de regul. iur.* exiſtimantes, fruſtrà pacem quæri inter adeo pugnantia loca. Sed quidquid iſti vanè ſibi perſuaſerint, necnon & Accurſius *in dict. l. Marcellus*, Corraſ. *lib.6. miſcellan. capit.2.* Brunora Anticent. 1. *aſſertione 32.* Cuiac. Duaren. & Donell. *in dict. l. ſi pupillus*, Anton. Faber *lib.8. coniectur. cap.5.* P. Thom. Sanchez *de matrimonio, lib.6. diſputat.38.* Nicol. de Paſſeribus plures referens *in conciliatione ll. pagina mihi 337.* noſter Petrus Pantoja de Aiala *in titul. C. de alleatorib. l. fin. numer. 45.* Cabreros *de metu lib.2. cap. 33. num. 4. & ſequentib.* Antonin. Diana *reſolution. moral part.3. tractat.5. miſcellan. reſolut. 44.* qui in horum iurium interpretatione revera halucinatunt: pro eorum certiori concordia, cum Gaſpare Gilio Polo *vbi ſuprà* ſtatuo, pupillos omnes, qui infantiam iam exceſſerunt (qui verò intra infantiam conſiſtunt, nec cum tutoris autoritate naturaliter obligantur, vt idem autor rectè ſupponit) etſi non perfecta, quia id tantùm, vt initio conſtituimus, puberibus contingit, imperfecta ſaltim (& vt ita dicam) media quadam natutali obligatione teneri.

Et vt id faciliùs percipiatur, ſciendum eſt, quòd quemadmodū in naturalibus quædam ſunt media, quæ vtriuſque extremi participant, nec magis vni quàm alteri poſſunt referri, vt ſunt colores multi, qui interſunt inter candidum & nigrum; ſic etiam & in moralibus nonnullas res inueniri, quæ medię dicuntur, quæque eadem penitùs ratione ſe habent ad extrema. Quod cùm ita ſit, inquit Gilius Polus, licet nobis exiſtimare conſenſum aliquem poſſe reperiri, qui verè, & omninò conſenſus non ſit, ſed media quędam inter conſenſum, & non conſenſum voluntas. Ita ex Ariſtot. colligitur *3. Ethic. cap.1.* vbi cùm dixiſſet inuoluntaria illa eſſe, quæ vel per vim fiunt, vel per ignorantiam, ſtatim ſubnectit, id quod metu fit, nec voluntarium eſſe, nec inuoluntarium, ſed medium quoddam. Cuius ſententiam poſſumus & ad ea protrahere, quę per ignorātiam fiunt, in quibus media quædam inueniuntur, quæ neque omninò à ſciente, nec omninò ab ignorante fiunt. Hæc ſunt, quæ peraguntur ab illis pupillis ſeptennio maioribus, qui etſi intellectum habeant aliquem, *l. donatarum 3.* iuncta Gloſſæ explicatione, *C. de acquirend. poſſeſſ.* tamen non ita perfectū eſt, vt videri poſsit ſatis id, quod agunr, intelligere, *l.1. in fine cum ſimilibus, C. de falſa moneta.* 8

Cæterùm, cùm eodem Ariſtotele teſte *2. Ethic. cap.8.* mediorum ea ſit natura, vt licèt vtriuſque ſint extremi participia, poſſint modò vni, modò verò alteri exrremo magis imputari, vti ſi viride cum candido confetas, nigrum dices: ſi cum nigro, candidum. Ex quo mediorum id propriſsimum eſt, vt pro varietate noſtri iudicij, & rationis, ſecundùm diuerſos conceptus poſsint alia atque alia videri, affirmante hoc Conſulto *in l. Papinianus 8. §. ſed neque impuberis, ff. de inofficioſ. teſtament.* vbi cùm ſubſtitutio pupillaris neque omninò ſit teſtamentum patris, neque omninò teſtamentum filij, iudicat modò lex eſſe filij, modò verò eſſe patris teſtamentum: ita ſimiliter cùm à pupillis geſtum ſine tutorum autoritate, medium ſit quoddam inter voluntarium, & inuoluntarium, ſubiacet legis ciuilis arbitrio, vt propter diuerſas rationes id poſsit modò inuoluntarium, modò voluntarium exiſtimare: ideoque quantum pertinet ad hoc, vt pupilli naturali obligationi ita ſubdantur, vt contra eos naturalis obligatio illos producat effectus, quos de iure ſolet, ideſt, exceptionem, & compenſationem, lex ciuilis pupillorum actus in- 9

inuoluntarios exiſtimat, & nullam ex eis naturalem obligationē exiſtere arbitratur, quia ſcilicet perfecta in eis naturalis obligatio non agnoſcitur, quæ ſimiles operatur effectus, hicque certiſsimus eſt ſenſus, *l. quod pupillus* 41. *de condict. indebiti, & l. pupillus* 59. *de obligatio. & action.*

10 Sunt prætereà alia nonnulla, in quibus lex ciuilis pupillorum actus voluntarios reputat, & ex eis naturalem obligationem oriri exiſtimat, eo videlicet, quia ſunt in quibus ſufficit, ſi vel qualiſcumque conſenſus, & qualiſcumque exiſtat naturalis obligatio, vtputa cùm pupillus, aut maior factus, aut cum autoritate tutoris ei ſoluit, à quo aliquid inconſulto tutore accepit, ſiquidem vt hæc ſolutio abſque metu condictionis ſubſiſtat, ſat eſt, ſi qualisqualis, licèt imperfecta naturalis obligatio præceſſerit, *dict. l. in numerationibus* 44. *verſicul. Item ſi pupillo, ff. de ſolution. dict. l. ſi pupillus* 21. *ad l. falcidiam, dict. l. ſi eius pupilli* 64. *ad Trebellian. l. cum illud* 25. §. 1. *quando dies legati cedat*, quæ procul dubio ita ſunt intelligendæ. Deinde ſufficit imperfectam naturalem obligationem eſſe, vt ei poſsit fideiuſſor accedere, quod Vlpianum dixiſſe nulli dubium videri poterit, cùm tam in *l.* 1. quàm *in l. Græcè* 8. *in principio* generaliter ſcripſit, fideiuſſorem cuicumque obligationi adhiberi poſſe: ergo rectè in hanc cauſam pupillum naturaliter obligari iura ſubcenſent, *dict. l. fin. in princip. de iureiurando, dict. l. Stichum* 95. §. *naturalis, de ſolution. dict. l. Marcellus* 25. *de fideiuſſ. dict. l. ſi pupillus* 127. *de verb.* Quia etſi perfecta naturali obligatione teneri non poſsit, imperfecta ſaltem tenetur. Item quoad nouationem attinet, pupillus naturaliter obligari dicitur, *dict. l.* 1. *ff. de nouation.* ſiquidem nouationis ea eſt conditio, & natura, vt imperfecta, aut nulla obligatione naturali conſiſtat, §. *præterea*, quem ita accipi debere ibidem prædicat Cuiatius *inſtitut. quibus mod. obligat. toll.* Et tandem, vt aditio hæreditatis facta à creditore, qui pupillo ſine tutoris auctoritate mutuam pecuniam dederat, pro ſolutione cedat, impubes naturaliter obligatus à lege cenſetur, etiam in id, quo locupletior non fuit effectus, *dict. l. Stichum, §. aditio. de ſolution.* & meritò. Nam id proprium eſt aditionis hæreditatis, vt imperfectam, & inanem obligationem naturalem confirmet, vt ex eiuſdem §. verbis deprehenditur, ibi: *Aliquando euenit, vt inanis obligatio aditione hæreditatis confirmetur.* Ex quibus ita *dict.* §. interpretatur Guilielm. Ranchinus *variarum lection. lib.* 3. *capit.* 3. & Anton. Hering. *de fideiuſſoribus, capit.* 7. *numer.* 447. quamuis aliud placuerit noſtro Petro Pantoja *vbi proximè.*

SVMMARIVM.

M*Inor annis viginti & quinque, maior autem quatuordecim, curatore carens, ſi contrahat, an obligetur?* 1.

Pubes ita demum ex contractu ciuiliter obligatur, ſi ex illo nulla ſequatur propriæ rei alienatio. 2.

L. Puberes 101. *de verbor. obligat. explicatur.* 3.

Filiusfamilias ſine patre contrahens, obligatur. 4.

Impubes ſine tutoris auctoritate ſpondens, minimè tenetur. 5.

Votum poteſt validè à maiore quatuordecim annis emitti. 6.

Votum eſt promiſſio Deo facta inducens obligationem, ibid.

Curator bonis, & non perſonis deputatur. 7.

De interpretatione, l. obligari 43. *ff. de actio. & oblig. latè agitur* 8. *quæ nouiſsimè interpretatur.* 13.

Seruus, pater familias eſſe nequit. ibi.

Pater familias ob diſſolutos mores, bonis interdictus, ex nullo contractu obligatur. 9.

Prodigus ſimilis eſt minori curatorem habenti. 10.

L. is cui 6. *de verbor. oblig. intelligitur.* 11.

Pater familias, & non ſuæ poteſtatis, quis dicatur? ibid. & 12.

L. ſi quis 2. *verſ. Voto autem, ff. de pollicitat. illuſtratur.* 14.

L. neque 7. *C. de contrab. ſtipulat. enucleatur.* 15.

De iure noſtro pubes curatorem habens citra ipſius conſenſum nequaquam obligatur. 16.

Minor pubes pro debito neceſſario ſine curatore, & alijs ſolemnitatibus contrahens, inanet obligatus. 17.

Minor contrahens pro dote ſororis, quam vel maritare, vel religioni tradere debebat, ciuiliter obligatur. ibid.

Pubes minor, etſi non ex proprio facto, ex predeceſſoris poterit, excluſa omni ſolemnitate, vinculo obligationis irretiri. 18.

Ex delicto minor, vt quilibet maior, obligatur. 19.

Pubes in foro conſcientiæ ex omni cauſa, quãuis ſine curatore, obligatur. 20.

Prò exarcerando patre, pro ſe ipſo redimendo ab hoſtibus, necnon & vbi iuramento contraxit, minor obligatur. 21.

Pu-

Pubes ſine curatore alterum ſibi ciuiliter obligare poteſt. 22.

QVÆSTIO VII.

Quæ ætas ciuilem obligationem admittat?

1 FRequens eſt, & quotidiana de iure diſceptantibus hæc quæſtio, ſed cuius adhuc, ingenuè fateor, fides veri pendet: ſi enim priſcioris æui Conſultorum monumenta repetas, nil adeò apud ipſos exploratum reperies, quàm minores viginti & quinque annorũ, maiores verò quatuordecim, non aliter ciuili obligatione adſtringi, quàm ſi curatoribus deſtituti contrahant. Quod quidẽ clarioris diſciplinæ cauſa, adhibita diſtinctione exponũt. Aut enim inquiunt, minor curatorem habens contrahit ſine illo, & hoc caſu contractus eſt ipſo iure nullus: aut illo caret, & tunc contractus ſubſiſtit, licèt is reſtitutionis beneficio iuuetur, ita interpretantur, *l. 3. C. de in integrum reſtitut.* probat Iaſon *in l. videamus 17. ff. de in litem iurando*, Paul. de Caſtro, Alexan. & cæteri *in l. puberem 101. de verb. obligat.* Geminian. *conſ. 68. quia ſubtiliter, in principio*, Curtius iunior *conſ. 168. num. 17.* quos ſequuntur ex recentioribus Quint. Mandoſ. *de ætate minor. capit. 5. numer. 32.* Cardin. Tuſch. *practicar. concluſ. liter. M. concl. 252. num. 1. & ſequent.* vbi hanc ſententiam multipliciter propagat, & reſtringit, Anton. Gomez *tom. 2. variar. capit. 14. num. 1.* Ioannes Sichardus *in dict. l. 17. de in litem iurando* Duaren. & Donell. *in dict. l. puberes, & lib. 12. comment. cap. 22.* Ioan. Godæus *in l. princeps 21. ff. de verbor. ſignif.* Pyrrhus Maurus *tractat. de fideiuſſorib. ſect. 8. capit. 15. num. 4.* ſicque Rotam cenſuiſſe indicat Farin. *tom. 2. deciſ. nouiſſ. deciſ. 114. num. 1.*

2 At ſi nouioris ſæculi ſcripta reuoluas, Iacobi Cuiacij veſtigia inſectantes plurimos inuenies. Is enim *in dict. l. puberes 101. de verbor. & lib. 19. obſeruat. cap. 33. & lib. 21 cap. 23. & in l. neque 7. C. de contra ſtipulat.* in ea reſidet ſententia, vt exiſtimet, puberes ita demum ex omni cauſa ciuiliter obligari, ſi coniuncta obligatio alicuius rei alienationi non fuerit. Quam opinionem veriſsimam defendit Fachineus *lib. 3. controuer. cap. 9.* Philippus Matthæus *in l. 2. §. 1. numer. 15. & ſequentib. ff. de regul. iur.* Anton. Faber *de error. pragmatic. decade 11. error. 2. & in rationali ad l. de die 8. §. 1. ff. qui ſatiſdare cogantur, & in Iuriſprudent. Papin. titul. 11. princ. 3. illat. 8.* Vulteius & alij ab Oſuald. relati, & ſecuti *dict. lib. 12.* Donelli *cap. 22. liter. Q.* Anton. Heringuius *tractat. de fideiuſſor. cap. 7. numer. 87.* Nicol. de Paſſerib. à Genua *libellulo de confutation. opinionum numer. 33.* Scaccia *de commer. §. 1. quæſt. 7. part. 3. limitat. 17. numer. 5.* & ex eo Hermoſilla *in l. 4. gloſ. 2. numer. 6. titul. 5. part. 5.* qui aſſerunt, non valere obligationem à minoribus viginti & quinque annorum factam, quando ex tali contractu deueniendũ eſſet ad aliquam ſpeciem alienationis bonorum immobilium.

3 Cuius ſententiæ fulciendæ cauſa nonnulla ſupra ſcripti Autores adferunt, quæ, meo iudicio, admodum vrgent. Primò Iuriſconſulti reſponſum *in dict. l. puberes*, vbi puberes, inquit, etiam ſine curatoribus ſuis ex ſtipulatu obligari poſſe: igitur ſi ex ſtipulatu citra curatorum ſuorum autoritatem obligari poſſunt, ciuilis obligationis capaces exiſtunt, etiamſi curatorum poteſtati ſubiaceant. Nec refragantur prædictam legem de puberibus interpretantes, curatorem non habentibus: nam verbum, *ſuis*, quo Modeſtinus vtitur, de curatoribus loquens, prorſus ſimilem interpretationem retundit, ac neceſſariò de minoribus accipiendum eſſe euincit, quorum quilibet ſuo curatore inſtruitur. Ita excogitauit Cuiacius *in dict. l. puberes*, Philipp. Matth. & Anton. Hering. *vbi ſuprà num. 87.*

4 Accedit deinde, quòd patriæ poteſtatis effectus maior quàm curatoriæ eſt: ſed filiusfamilias minor obligari poteſt, etſi nullam bonorum adminiſtrationem habeat, ad hoc vt ſui iuris factus efficaciter conueniri poſſit, *l. filius familias 39. ff. de oblig. & action. l. tam 57. ff. de iudic. l. vltim. §. pupillus de verbor. oblig. l. 6. § ſi filius familias, de action. empti.* Igitur & minor curatori ſubiectus, eius auctoritate ſpreta, contrahendo ciuiliter abſque dubio obligabitur.

5 Et facit *l. 1. C. de inutilibus ſtipulat.* vbi ex ſtipulatione, in qua impubes ſine tutore autore ſpopondit, illum non eſſe obligatum Antonin. inquit, quia impubes erat: nam ſi pupillaris ætatis annos exceſsiſſet, & pubertatem fuiſſet ingreſſus, proculdubio etſi curatoris autoritate omiſſa contraxiſſet, ciuiliter eſſe obligatum non diffiteretur.

6 Cui etiam opinioni adſtipulatur quod ſcribit Conſultus *in l. 2. §. 1. ff. de pollicitation.* Sfor-

Sforcius Oddus *de reſtit. in integrum, q.60. art.6*. Vincen. Carroc. *deciſ.94. num.12. & 13*. nempe, puberes abſque curatorum conſenſu votum emittere, ex votoque obligari poſſe: vnde cùm votũ nil aliud ſit quàm promiſsio Deo facta inducens obligationem, vt apparet *num.30.* ibi: *Cùm ſe voto obſtrinxerit*, & Eccleſiaſ. 5. *Si quid voueris Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio*, probat Suar. *de religion. tom. 2. lib. 1. de voto in prooem. n.2.* neceſſariò infertur minorem iam pubertate conſtitutum ciuiliter ex contractu vel promiſsione adſtringi, veluti in nouatione à pubere ſine curatoris interuentu inita Conſultus fatetur in

7 *l.9. in princip. ff. de nouation.* Cæterùm & pro hac ſententia vrgere videtur, curatores bonis duntaxat, nõ verò minorũ perſonis fuiſſe deſignatos, *l. in copulandis 8. C. de nuptijs.* Ergo cùm obligationes perſonas duntaxat adſtringant, *l.3. in princ. ff. de obligation. & action.* Curatoriſque poteſtas nihil circa perſonas poteſtatis obtineat: conſequens eſt, quoad obligationes attinet, nullum cõſtitui poſſe diſcrimen inter puberes curatorem habentes, vel illo deſtitutos, cùm ſemper ad obligationes ineundas ſui iuris perſiſtant, qui curatore reguntur.

8 Verùm huic opinioni, quã veriorem puto, ſummoperè obſtrigilare videtur Conſulti reſponſum *in l. obligari 43 ff. de action. & obligation.* vbi ſuæ poteſtatis tantùm puberem obligari poſſe teſtatur. Igitur qui curatoris ſubiacet diſpoſitioni, quamuis pubes ſit, contrahẽdo nihil agit? Hanc difficultatẽ præſenſiſſe videtur in expoſitione huius legis antiquiſsimus Rainerius, dum verbũ illud *ſuæ poteſtatis* ad perſonam ſerui excludendã adiectum fuiſſe arbitratur, ita vt ſenſus eſſet, patrem familias dummodò liberum, & mentis compotẽ obligari poſſe. Quam interpretationem meritò reijciet quiſquis ſeruum patrem familias, eſſe non poſſe ſciuerit; tum quia ex numero ciuium Romanorũ non habetur, *§. cùm autem, inſtit. quib. modis ius patriæ poteſtatis ſoluit.* notat Anton. Faber *in Iuriſprud. tit.8. prin.1. illat.7. & prin.3. illat.3.* Tum quia etiam nec filios in poteſtate habere poteſt, qui alterius poteſtati ſubijcitur: ergo cùm de patrefamilias obligando Cõſultus ageret, adiectũ fruſtrà videri poterat quod de ſeruo improbè accepit Rainerius, cùm patrisfamilias dignitas, quaſi iuris ciuilis, conſiſtere in perſona ſeruili non poſſit, *l. quod attinet 32. ff. de regul. iur.*

9 Vnde Oſuald. *d. lib. 12. Donelli c.22. lit. Q.* prædicta verba *ſuæ poteſtatis* non ita exponenda meritò cenſet, vt ſignificent adoleſcentem à cura liberum: hoc enim abſurdũ fuiſſet, cùm ſiue ſit in curatoris poteſtate, ſiue illa deſtituatur, omni caſu ex propria perſona obligari poſsit, eo nimirũ, quia curatoria poteſtas nõ minoris perſonã, ſed illius bona reſpicit *d. l. in copulandis 8. C. de nuptijs.* Sed de quo autem accipienda ſint, nequaquã ipſe demonſtrat. Quare Iacobi Cuiacij argutæ interpretationi aquieſcendũ nonnulli putant, qui *lib.72. Pauli ad edictũ in d. l. & lib.21. obſeruat. cap.23.* illa verba de patrefamilias ob diſſolutos mores bonis interdicto intelligenda profitetur. Quiquidem, & paterfamilias, & non ſuę poteſtatis dicitur, *l.1. de curator. furioſi.* Quamobrem etiam conſtat, eum 10
ex contractu, ſeu alia ſimili cauſa obligari non poſſe, *l. is cui bonis 6. ff. de verbor. oblig.* Vnde vt paterfamilias obligetur, inquit Paulus, neceſſe eſt, vt omninò ſuæ poteſtatis exiſtat, ideſt, ne ſub curatoris poteſtate, ob res male diſsipatas degat; necnon vt pubes, & mentis compos ſit: nam pupillus niſi tutore autore obligari nõ poteſt: furioſus verò, aut mente captus, etiam curatore interueniẽte, minimè obligationis capaces inueniuntur.

Sed hæc Iacobi Cuiacij interpretatio ne- 11
quaquam mihi probatur. Primò, nam quemadmodum ex ipſius ſententia pubes etiã curatori ſubiectus ex omni contractu obligari poteſt, dũmodo propriæ rei alienationi obligatio cõiuncta non ſit, ita & prodigus obligationis capax cenſetur, quia is bonis tantùm interdictus eſt, curatorq; nõ perſonæ, ſed facultatibus deputatur, qua in re minorẽ curatorẽ habentẽ, ſimilem idem Cuiac. agnoſcit *in l. neque 7. C. de contrah. ſtipulat.* prodigo, cui prætor bonis interdixit, dato curatore, argumento *l.3. C. in integr. reſtit.* ergo prodigi perſona, quoad alias obligationes attinet, quę rerũ ſuarũ alienationem non reſpiciunt, ita ſuę poteſtatis exiſtet, vt non ſecus ac pubes obligari poſsit. Nec obſtat *d. l. is cui, §.6. de verbor. obligat.* vbi qui bonis interdictus eſt, promittendo obligari non poteſt. Nam poſtquam Vlpianus dixerat bonis interdictum, quaſi rerum ſuarum adminiſtrationi ſublatum tradere nõ poſſe, ſubijcit: *Vel promittendo obligari*, quaſi diceret, non ſolùm is, cui bonis interdictum eſt, res ſuas tradere prohibetur verùm nec ſi tradere promiſerit, tali promiſsione obligabitur (Argumento *l. ſi ad reſoluendam 7. C. de prædijs minor*) aut ciuiliter, aut naturaliter: ſiquidem cùm in iactatione bonorum furioſo æquiparetur, quemadmodum furioſi nulla voluntas eſt, ſic & ipſe nulla voluntate præditus eſſe exiſtimatur, *l. furioſi, ff. de regul. iur.* Ex quo fit, vt nec natura obligetur, vti & furioſus,

nec

nec pro eo datus fideiuſſor teneatur: ita egregiè Donellus *in dict. l. 6. n.* 15.

12 Deinde quia paterfamilias nõ ſuæ poteſtatis propriè minimè dicitur is, qui ob luxorioſas, & effrænatas rerũ ſuarũ iactationes curatore regitur; nec id *in d. l. de cur. furioſ.* apparet, cùm iſte quoad bona tantùm, non verò quoad perſonã alterius poteſtatem ſubeat. Pupillus autem, qui paterfamilias appellatur, *l. pronuntiatio* 195. *ver. Denique, de verbor. ſignif.* & ſui iuris non eſt, *l. nouare* 20. *ff. de nouation.* is & paterfamilias, & non ſuæ poteſtatis rectiſsimè dicetur.

13 Quapropter incunctanter affirmo Iuriſconſultũ *in d. l. obligari* accipiendũ eſſe, vt iacet; nẽpe, vt reſcribat, obligari poſſe patrẽfamilias ſuæ poteſtatis puberẽ. Ideò enim verbũ *ſuæ poteſtatis* adiecit, quoniam dari poterat paterfamilias, & pubes, qui tamẽ ex quo ſuæ poteſtatis nõ eſt, obligari nõ poſsit, ſiquidẽ, vt optimè excogitauit Cuiac. *d. lib.* 21. *obſeruat. c.* 23. patrisfamilias appellatione & matresfamilias includũtur; quæ cùm ſub perpetua tutela iure antiquo degiſſent, teſtãte Vlpiano *regularũ tit.* 11. etiã puberes, nec ſui iuris dici poterant, ac cõſequenter nec ſine tutoris auctoritate obligari. Vnde Cõſultus, vt nõ ſolũ pupillos, ſed etiã matresfamilias à generali obligationis regula excluderet, *ſuæ poteſtatis* verbũ *pubertatis* verbo ſubiunxit. Nã etſi ſuæ poteſtatis tãtũ dictione & pupillos, & matresfamilias aſtatim demõſtraſſet obligari nõ poſſe, quaſi non ſui iuris, nec omnis eſſe videatur eiuſdẽ ſignificationis vocẽ illã, *pubes* ſimul adſcribere. Attamẽ vt qualia qualia mẽtis ſuæ veſtigia apparerent, duorũ perſonas ab vniuerſali illo prolato excipere cogitãtis, duplici fuit dictione vſus, illam nimirum, *ſuæ poteſtatis*, vt matresfamilias demonſtraret, quæ principaliter ob nõ ſui iuris cuiuſcũque obligationis incapaces exiſtũt; necnõ & *puberis* nomen, vt excluſos pupillos ſignificaret, adiecit, quaſi hi maximè veluti impuberes, & non legitimæ ætatis minimè

14 obligari poſsint: ex quibus ſimiliter intelligi poſſe videbantur tenebricoſa, aliàs & inuoluta Vlpiani verba *in l. ſi quis* 2. *verſic. Voto autem, ff. de pollicitationibus*, ibi: *Voto autem patresfamiliarum obligantur, puberes ſui iuris*; ſed ſuperiùs *anno ſeptimo* ea aliter deberi intelligi planè oſtendimus.

15 Deprehenditur ergo ex ſuperioribus, *prædictam l. obligari*, nequaquam nos à curſu ſuſceptæ opinionis excutere, imò in eãdem ex eo concurrere videri, quòd puberes abſolutè inquit obligari poſſe nulla curatoris mentione habita. Quam vtique ſententiã vel eo ſolùm veriſsimã arbitrarer, quòd Imperatores ſcribunt *in l. neque* 7. *C. de contrahenda vel commit. ſtipul.* videlicet, fœminã minorẽ viginti & quinque annis abſente curatore ſtipulari poſſe, ideſt, interrogãdo acquirere, interrogare, aut promittere nequaquã, vt optimè *in d. l.* excogitauit Odofred. & deindè Cuiacius. Ideò autẽ fœminã dixit, quia marẽ minorem viginti & quinque annorum ſine curatore ſuo ex ſtipulatũ obligari poſſe pluſquàm certũ eſt, ita ex Cuiac. Anton. Herin. *d. tract. de fideiuſ. c.* 7. *n.* 93. cui nequaquam obſiſtere videtur *d. l.* 3. *C. de in integr. reſtit.* ibi enim nec verbum quidẽ de pubere, curatore neglecto, non obligando deprehenditur; puberem tantùm ea lege Imperatores decernunt habentẽ curatorem, & res ſuas abſque eo diſtrahentẽ, nihil agere, venditionemque nullã contrahere, & hoc quippe elegãti ratione. Quia vt ſuprà probauimus, quoad rerum alienationẽ attinet, minor curatorẽ habens prodigo ſimilis eſt, cui dato curatore bonis interdicitur: ergo vt iſte inutiliter alienat, & ille æquo modo alienãdo ipſo iure ineſſicaciter contrahet. Nã rerum adminiſtratio non pertinet ad minorem, etſi illarum rerum ſit dominus, ſed ad curatorem ſuum. Quod eleganter obſeruarunt *vbi proximè* Cuiacius, & Anton. Hering. *num.* 94.

Etenim hucuſque dicta, iure cõmuni inſpecto, procedere proculdubio cenſeo. Nam ſi Hiſpano iure noſtro perpenſo quæſtio terminanda eſſet, omni contentione ſecluſa, definiendum erat, minorem viginti & quinque annis curatorem habentem, citra ipſius curatoris autoritatem promittẽdo obligari nõ poſſe. Quod expreſſe verba, *l.* 4. *tit.* 11. *p.* 5. ſuadere videntur, vbi poſtquàm initio pupillum ſine tutoris autoritate inutiliter obligari edixit: *E lo que diximos del pupilo*, poſteà ſubnectit, *ha lugar en el mayor de catorze años, è menor de veinte e cinco que ha guardador. Ca el prometimiento que fizieſſe eſte à tal ſin otorgamiento del guardador, non valdria ſino de la manera que de ſuſo diximos del pupilo*, ſcilicet, quatenus ex tali promiſsione lucrum percepit: quod etiam in mutuo procedere ſcribit Cardinalis Mantica *lib.* 8. *de tacitis & ambig. conuent. tit.* 6. *n.* 6. Tuſchus *practic. concluſ. litter. M. concluſ.* 264. *n.* 1. notat Rebellus *de obligat. iuſtitiæ lib.* 1. *q.* 8. *ſect.* 2. *n.* 20. 16

Quæ quidem legis generalitas plurifariàm accipit reſtrictionem, & in primis nõn procedit, vbi minor abſque ſolemnitatibus pro debito neceſſario ſe obligauit. Ita definit Crauetta *conſil.* 213. *n.* 4. Caputaquenſ. *deciſ.* 199. *part.* 3. Gabriel *conſ.* 20. *num.* 13. *lib.* 2. Maceratenſis *variarum reſolutionum lib.* 17

lib.2.reſol.24.num.8. Vnde ſi pro maritanda ſorore, vel monachāda, quam minor nuptui, vel religioni tradere tenebatur, contraxiſſet ſine curatore, proculdubio obligaretur, vt ſenſit in propoſito Maceratenſis *vbi ſuprà*, & Tuſchus *practicarum concluſ. litera M. concl. 264. n. 7.*

18 Secundò, etiam ſine curatore ſuo minor poterit ex contractu efficaciter alligari, quoties non ex proprio facto, ſed tanquam hæres patris incidit in obligationem. Quo caſu poteſt etiam non adhibita ſolemnitate ſe obligare, *l. 1. in fin. C. quando decreto opus non eſt, l. fin. C. de rebus eorum*, Puteus *deciſ. 105. n. 2. p. 1. & deciſ. 153. n. 2. p. 3.* cenſuit Rota *apud Farinac. deciſ. 776. n. 6. tom. 2. nouiſſimarum.*

19 Tertiò, huius legis prohibitio vetantis minores viginti & quinque annorum ſine curatoribus ſuis obligatione adſtringi, ex communi Scribentium ſententia nequaquam ad illam obligationem protrahitur, quæ ex delicto, vel quaſi deſcendit. Nam etſi impubes doli capax, & proximus pubertati deliquerit, quaſi maior adſtrictus & obligatus manebit, *l. impuberem 23. ff. de furtis, l. excipiuntur 14. ad Senat. Conſult. Syllanian.* Ita pluribus congeſtis docet Tiraquellus *in l. 16. connubiali gloſſa 5. num. 155.* Hieronym. Bucar. *de different. inter iudicia ciuilia & criminalia, differen. 48. numer. 4. & differ. 50. in princip.* Petrus Caballus *reſolution. criminal. centur. 1. caſu 48. numer. 2.* vbi etiam ſubnectit reſtitutionem in integrum hoc caſu minoribus regulariter non concedi, *l. ſi ex cauſa 9. §. nunc videndum, l. auxilium 27. §. in delictis, ff. de minoribus, l. 1. C. ſi aduerſus delictum.*

20 Quartò, reſtringitur ſuperior reſolutiò quoad forum interius: nam licèt ſecundùm leges ex contractu ſine curatoris autoritate à minore inito nulla reſultet obligatio, in conſcientia tamen verius eſt, & obligationem oriri, & contractum ſubſiſtere. Ita latiſsimè tenent Anton. de Butrio, & poſt eum Abbas *in cap. quia plerique num. 31. de immunitate Eccleſiæ*, Felin. *in capit. 1. num. 40.* idem Boerius *deciſ. 1. num. 13. & ſequenti.* Gigas *de penſion. quæſt. 34. num. 8.* Syluester *verbo Alienatio. 13.* Tabiena *eodem verbo, num. 10. & verbo Lex, num. 28.* reſoluit pluribus congeſtis Magdalenus *de numero teſtium, p. 3. c. 3. n. 105. & 106.* Rebellus *de obligat. iuſtitiæ, lib. 1. q. 8. ſection. 2. num. 27.*

21 Quintò etiam hæc reſolutio coarctatur vbi pro excarcerādo patre minor ſe obligauit, Caſtrenſis *conſ. 52. in fin. lib. 2.* necnon & quando pro ſe ipſo à captiuitate redimendo contraxit, Romanus *conſ. 316. circa propoſitum, verſ. Quoad ſecundum.* Item & quoties contractus à pubere fuit iuramento firmatus: & alijs plurimis caſibus, de quibus cōſulendus erit Cardin. Tuſch. *practic. concluſ. dicta liter. M. concl. 264. per totam, & concluſ. antecedenti 252.*

Quibus pro coronide adijciendum eſt, 22
hactenus à nobis ſcripta dumtaxat locū habere, vbi minor alteri ſe obligare ciuiliter intendit. Quo caſu etiam ſeptempartiti iuris definitione certum eſt, minorem curatore præditum abſque illius autoritate efficaciter obligationis vinculo conſtringi non poſſe, ſecus atque ſi ad alium ſibi ciuiliter obligandum ageret: nam cùm hoc acquiſitionis ſit genus, ſiue curatorem habeat, ſiue illo deſtituatur, omni caſu ſtipulari minor, etiam pupillus, quemadmodum & acquirere poterit, *l. contra iuris ciuilis regulas 28. in principio, ff. de pactis, dict. l. neque 7. C. de contrah. & commit. ſtipulat. text. in l. 1. ſic intelligendus*, vt Cuiacius notat *in dict. l. neque, C. de autorit. præſtanda, princip. inſtitut. de autoritat. tutorum, §. pupillus 12. de inutilib ſtipulation.* ibi: *Nam alium ſibi obligare ſine tutoris autoritate poteſt.* & conſonat *dict. l. 4. tit. 11. part. 5.* ſubſcribunt Matheſilan. *ſingul. 155.* Aretinus *conſil. 128.* Tuſchus *practicar. concluſion. liter. M. concl. 249. n. 97.* Anton. Gomez *d. tom. 2. variar. c. 14. in princip.* Ferdinan. Rebellus *de obligat. iuſtitiæ lib. 1. q. 8. ſect. 1.*

SVMMARIVM.

Minores contractus liberos non habent. 1.

Minor infans, neque cum tutoris autoritate poteſt contrahere, ſed ipſius nomine ſolus tutor contrahit. 2.

Pupillus infantiæ proximus rectè cum tutore contrahit. ibid.

Infantiæ proximus alterum ſibi obligare ſine tutore poteſt. 3.

Qui contrahit, ignarus eſſe non debet conditionis illius, cum quo contrahit. 4.

Cum proximo infantiæ contrahens, etſi remaneat obſtrictus, poteſt tamen non adimplere contractum ex ſua parte, ſi minor priùs vel iuramentum, tutoris conſenſum, vel iudicis decretum non adhibuerit. 5.

Pubes curatorem habens, nullum abſque eo contractum celebrare poteſt, ſecus ſi à nullo curatore regatur, & bona ſua adminiſtret. 6.

Feu-

Feudatarium poſt decimumquartum annum, vt maiorem celebrare poſſe, quomodo intelligatur?7.
Cambium exercere quis poſſit?ibidem.
Contractus nullius eſt momenti, etiamſi celebretur à pubere, qui falſo negat ſe curatorem habere.8.
Minor curatorem habens bona caſtrenſia, vel quaſi, ex contractu ſine curatore alienat.9.
Minor procuratorio nomine rectè contrahit, niſi actus in præiudicium procuratoris geratur.10.
Iuramentum, niſi fraus, aut dolus interueniat, minorum contractus, etiam quoad ipſorum hæredes, confirmat.11.

QVÆSTIO VIII.

Ad contractus peragendos quot anni deſiderantur?

1 CONſultò prouida decreuit antiquitas, inquit, Caſſiodorus *variarum lib.4.c.35. minores contractus liberos non habere, vt & inſidiantium laquei fruſtrarētur, & lapſis ætas lubrica ſubueniret. Obrueretur quippe innocentia, ſi relaxaretur audacia: eſſet cũctis fallendi ſtudium, ſi fraus ſubreptitium lucraretur effectum.* Quapropter tam apud Conſultos, quâm apud Scribentes communi calculo approbatur, minores viginti & quinque annis nullum contractum celebrare poſſe, quod non ita ſimpliciter, ſed cum diſtin-
2 ctione accipiendum eſt. Nam ſi minor fuerit infans, non poterit cōtrahere etiam cum tutoris autoritate, ſed ipſe dumtaxat tutor cōtractum celebrare debet. Nullus enim infantis ſenſus eſt, aut rei affectus. *l.26.C.de donation.* quare furioſo meritò aſſimilatur. *l.5.§.2.ad legem Aquiliam, l.60. de regulis iuris, l.7.C.ad Trebellian. l.2.C.de annali except. §.10.inſtit.de inutilib.ſtipulat.* ſecus verò ſi infantiæ proximus ſit, vt Imperator docet *in §. pupillus inſtitut.de inutilib.ſtipulat.* quoniam imperfectio illius circa iudicium à tutore ſuppleri poteſt, & ideò eius interuentione rectè contrahit, *l.quamuis pupillus. 32. §. fin.ff.de acquirenda poſſeſſione,* tradit Scaccia *de commercijs, §.1. quæſt.7.part.3. limitat.*
3 *17.num.6.* Quod procedit, vbi de ſe alteri obligando agitur: nam ſi de acquirendo, aut alterum ſibi obligando contenditur, etiam ſine tutoris autoritate aduerſarium ſibi aſtrictum relinquet, *text. in l.contra iuris ciuilis regulas, ff.de pactis l.pupillus, ff.de actionib. & obligatio.l.in negotijs, ff.de regulis iuris, l. nec, C.de contrah. & commit. ſtipulat. l.1.C. de autor. præſtan. §.1.inſtit.de autorit. tutor. §. pupillus inſtitut.de inutil.ſtipulat. l.Iulianus.13.§.ſi quis à pupillo, ff.de action.empti,* quibus conuenit apud noſtros *l.4. tit. 11. part.5.* & licèt hoc nimis graue eſtimetur, vt notat Barrol. *in dict.l.Iulianus, §.ſi quis à pupillo,* quia claudicare contractus hoc caſu ex vno latere videtur. Mirabile quippe in horum contractum natura, qui vltrò citroque obligatorij dicuntur, ex quibus neuter agere poteſt, niſi priùs ex ſua parte adimpleuerit contractum, *dict. l. Iulianus, §. offerri, ff.de action.obligat.* attamen ex eo ſuſtinetur, quia is qui contrahit, non debet ignarus eſſe conditionis illius, cum quo contrahit, *l.qui cum alio.19.ff.de regulis iuris.* Ergo ſi quis inſcius conditionis eius, cum quo contrahit, damni quid ex tali contractu ſenſerit, iacturam illam nulli alij quâm ſibi adſcribet, cùm aduerſarij conditionem explorare meliùs debuiſſet, nec hoc illi curæ fuit, argumento *text.in l.quod te.5.ff.ſi certum petatur,* quod etſi in quibuſcumque perſonis adeò ex iure ſit, attamen in pupillis maximè locum obtinet, quorum ætas vix eſt, vt non facilè vultu prodatur, quare propriæ facilitati, aut ignorantiæ illius imputandum eſt, qui cum pupillis contrahit, cùm ſcire deberet pupillorum eam naturam eſſe, vt conditionem ſuam facere meliorem, deteriorē verò minimè poſſent, vt penè ijſdem verbis eruditè nimis cōſiderauit Anton. Faber *in Iuriſprud. Papin. tit.21. princip.1.illat.2.* 4

Sed licèt cum minore contrahens abſque curatore ita remaneat obſtrictus, vt à contractu minimè reſilire valeat: nihilominus poterit non implere contractum, niſi minor ante procuret, vel curatoris conſenſum, vel decretum iudicis, in caſu quo illud neceſſariò adeſſe debet, vel niſi iuramento contractum confirmet: quia alioquin manifeſto periculo ſe exponeret, & minor, ſi hoc recuſet, non videtur agere bona fide. Ita Leſſius *de iuſtit.lib.2.cap.17.dubio 8.num.62.* 5

Si verò minor iam ſit pubes, & decimiquarti anni metas exceſſerit, agaturque de contractibus, ex quibus aliqua alienatio ſubſecututa eſt: diſtinguendum eſt, an ſub curatoris poteſtate ſit, necne? Nam ſi à curatore regatur, nullum contractum ipſe abſque illius interuentu celebrare poterit, longè aliter, ac ſi ſui iuris propria bona adminiſtret, vt ex textu *in l.3.C. de in integrum reſtitutione* docent communiter Scribentes, præcipuè Geminian. *conſil.68.* incipient. *Quia ſubtiliter* Paul. Caſtrenſ. *conſil.343. conſideran-* 6

randum colum. 1. *in fine, verſic. Item ex alio lib.* 1. Curcius Iun. *conſil.* 168. *num.* 17. Alexand. *conſil.* 49. *num.* 4. *lib.* 1. Caldas *in repetit. d.l.* Anton. Gomez *variar. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 1. Donell. *commentario. lib.* 12. *c.* 22. & ibidem Oſuald. *litera Q.* Robert. *lib.* 1. *animaduerſ. c.* 12. Mercerius *lib.* 1. *opinione* 6. Gedeus *in l.* 21. *de verbor. ſignific. & de contrah. ſtipul. c.* 7. *concluſ.* 14. Val. Guil. Forſt. *de pactis c.* 5. *pag.* 103. Bertaçol. *de clauſul. clauſula* 8. *gloſ.* 5. *n.* 1. Leſius *de iuſtit. d. lib.* 2. *c.* 17. *dubitat.* 7. *n.* 60. Duarenus *ad titulũ, C. ſi tutor vel curator*, in princip. ſecus atque
7 ſi nullius curatoris diſpoſitioni ſubſit. Quẽadmodum ſubintelligẽdum puto quod nimis generaliter ex Andrea, & Federico noviter ſcripſit Ioan. Dominicus Taſſonus *obſeruat. iuriſdictionali obſeruat.* 3. *n.* 112. §. 17. *verſ. Quo fit*, nempe feudatarium poſt decimum & quartum annum, vt maiorem contrahere poſſe, & quod tradit Scaccia *tract. de commercijs* §. 1. *q.* 7. *part.* 3. *limitat.* 17. *n.* 6. videlicet, hac ætate maiorem cambium exercere, & cõtrahere poſſe. Sicque hac diſtinctione admiſſa, interpretandum docet Donel. *vbi ſupra textum in l. puberes.* 101. aliàs difficillimum *de verb. obligat.* quamuis ibidem Oſuald. *lit. Q* ab ipſo meritò diſſentiens Cuiacij potius *ad l. & lib.* 19. *obſeruat. c.* 33. *& lib.* 21. *c.* 23. ſententiæ libentiùs ſe ſubſcribat, aſſerentis ideò puberes *in d. l.* ex ſtipulatu obligari, quia præter cõtractus, & rerum ſuarum alienationem, ipſi rectè obligari, & alijs adſtringi poſſunt, cùm ipſis tantum rerum ſuarum alienatio, ideoque & contractus, dum ſub curatoris tutela ſunt, prohibiti cenſeantur: vt hac de re lat ùs agentes ſuprà *hoc eodem anno q.* 7. vbi quæ ætas ciuilem obligationem admittat, diſputantes, profusè nimis tradidimus.

8 Quod igitur procedit, etiamſi minor curatorem habens profiteatur ſe non habere, nec habere velle curatorem, cùm in illius poteſtate nõ ſit, poſtquàm à iudice ſub cura eſt, curatorẽ dimittere, vt docet Paul. de Caſtro *d. conſ.* 343. *circa principium*, & rurſus, *verſ. Item ex alio lib.* 1. Cardin. Tuſch. *pract. concluſ. iuris litera M. concluſ.* 252. *n.* 2.

9 Reſtringitur tamen ſuperior ſententia, quoties non illa bona contrahendo alienãt, quorum dominium etſi penes minores ſit, attamen eorum adminiſtratio ipſis denegata perhibetur, vt paterna, hæreditaria & ſimilia: ſed illa ſolùm, quæ caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia ſunt, cùm de eiuſmodi poſſint validè contrahere abſque autoritate eorum, quibus ſubſunt, cùm talium bonorum nec dominium tantùm, ſed & liberam adminiſtrationem ſortiantur. Leſius *de iuſtitia & iure dict. lib.* 2. *capite* 17. *dubio* 8. *numero* 62.

Similiter enim prædicta contractus prohibitio temperatur, cùm minor non proprio nomine, ſed procuratorio contrahit: quo caſu citra dubium exiſtit contractus omni ſuo robore & vi conſtare. Ita Fulgoſ. *conſ.* 75. *incip. ex facto propoſito n.* 4 Pariſius *conſ.* 98. *n.* 35. *& conſ.* 99. *n.* 35. Ruin. *conſ.* 53. *n.* 16. *vol.* 2. Cardinal. Tuſch. *pract. concl. iuris lit. M. concl.* 252. *n.* 29. *& concl.* 253. *num.* 66. quod tantundem locum habere docent ſingulariter Paul. Caſtrenſ. *in l. quicumque, §. ſi ab alio, ff. de inſtitut.* quem ſequitur Bertaçol. *d. clauſul.* 7. *gloſ.* 19. *n.* 13. vbi actus non geritur ad præiudicium ipſius procuratoris. 10

Rurſus etiam contractus à minoribus citra curatorum aſſenſum celebrati robur & firmitatem obtinent, quoties iuramento firmantur, vt egregiè profert Bald. *conſ.* 391. incipienti, *Quidam G. adultus, in principio lib.* 5. Couarru. *in cap. quamuis pactum, de pactis lib.* 6. 2. *part.* Seraphin. *de priuileg. iuram. multis in locis*, & præcipuè *priuileg.* 83. *num.* 96. Gail *obſeruatio. lib.* 2. *cap.* 41. Anton. Gabriel *lib.* 2. *commun. concluſ. titulo de minoribus concluſ.* 5. Curcius Senior *conſil.* 43. Vveſembech. *conſil.* 23. *& conſil.* 52. Bertaçol. *vbi ſuprà clauſula* 8. *& gloſ.* 1. *num.* 1. Afflict. *deciſ.* 322. Alexandr. Trentacinq. *variarum reſolut. titulo de minoribus reſolut.* 1. alijque quam plurimi ab ipſis relati, & præcipuè ab Oſualdo *in Donel. lib.* 21. *cap.* 13. *per totum*, Tuſch. *practicar. concluſ. concluſ.* 253. *per totam*, dummodò metus & dolus non adfuerit, Bald. *dict. conſil.* 391. Seraphin. multis relatis *priuileg.* 83. *num.* 63. Tuſchus *dict. concluſ.* 253. *à num.* 26. *cum ſequentibus*, vbi limitat ſuperiora, & extendit, ita vt iuratus talis cõtractus, nedum quoad adultum valeat, ſed etiam quoad ipſius ſucceſſores, ex Baldo *dict. conſil. in principio.* 11

SVMMARIVM.

Certam ætatem eſſe ad matrimoium determinatam, Spiritus Sancti teſtimonio confirmatur. 1.

Ætas matrimonij quatuordecim annorum eſt in maſculis, & duodecim in fœminis. 2.

Ad concubinatum eadem, quæ ad matrimonium ætas requiritur. 3.

In ſcientia ætatum ius Canonicum & Ciuile fundatur. ibidem.

Beneficium impuberis contrahentis matrimonium, aut puberis ducentis impuberem, non vacat. ibidem.

Pubertas creditur apta ad præſtandum cõſenſum, & ad vſum matrimonij. 4.

Ætas

Ætas nubilis quæ dicatur? ibidem.

Matrimonij ætas in vnoquoque ex contrahentibus completa eſſe debet. 5.

§. Et ſi quidem authent. de tempore non ſolutæ pecuniæ ſuper dote, collat. 7. explicatur. 6.

Reprobatur opinio exiſtimantium ætatem matrimonij completam eſſe non oportere. 7.

An ſufficiat, ſi vltima dies decimiquarti anni in maſculis, & duodecimi in fœminis ſit incepta? 8.

Nondum viri potentis, nec matrimonium, nec dos eſſe poteſt; & ſi contrahatur, quando valeat? 9.

Conſenſus ad matrimonium poteſt à minore ſine curatore præſtari. 10.

Maritus poteſt nondum viripotentem vxorem adulterij accuſare. ibidem.

Pater, qui non dolo, ſed deſiderio potiùs collocandi filiam, eam immaturè viro tradidit, excuſatur. 11.

Vbi malitia ſupplet ætatem, ipſius completio non deſideratur. 12.

Vt malitia ſuppleat ætatem, nec ſola diſcretio, aut habilitas ad copulam ſufficit, ſed vtraque ſimul requiritur. ibidem.

An quocumque tempore impubertatis poſſit malitia ætatem ſupplere? 13.

Pro bono pacis licet impuberibus contrahere ante habilitatem ad copulam. 14.

Inhabilitas ad copulam adhuc poſt pubertatem durans, an impediat matrimonij contractum? 15.

Præſcriptio ætatis ad matrimonium, non iure naturali, ſed poſitiuo eſt inducta. 16.

Sum. Pontifex, & vrgente aliqua iuſta cauſa etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, vt impuberes poſt vſum rationis matrimonialiter ſocientur. 17.

Contrahens matrimonium ante legitimam ætatem peccat mortaliter. 18.

QVÆSTIO IX.

De requiſita ætate ad matrimonium contrahendum?

1 CErtam ætatem eſſe præfinitam ad matrimonij contractum, probāt text. *in l. in ſponſalibus. 14. ff. de ſponſalib. & in c. 2. de deſponſat. impubert.* ſicque & à diuino Spiritu reuelatum obteſtatur S. Brigita *lib. 8. ſuarum reuelation. c. 9.* cùm refert, ita eam fuiſſe allocutum: *Attende, filia, & ſcias, quòd in omni coniugio Chriſtiano tenetur eſſe ætas, &*
2 *conſenſus legitimus.* Quę quidem iuris diſpoſitione ſtabilita ętas quatuordecim annorum eſt in maſculis, & duodecim in fœminis, *l. quæſitum 9. ff. de ſponſalibus, l. minorem 4. de ritu nuptiar. l. dotis. 68. l. ſi ſponſa. 74. de iure dot. l. hæc conditio. 10. ff. de condit. & demonſtrat. l. quod pupillæ. 30. ff vt legat. nomine caueat. l. 2. §. ſi ſponſalibus, ff. de priuileg. creditor, princip. inſtitut. de nuptijs,* à quibus nec Sacri Canones diſſentiunt, *c. continebantur 6. de deſponſa. impub. c. atteſtationes. 10. c. ex literis. 11. eodem tit.* & conducit de iure noſtro *l. 6. tit. 1. l. 9. tit. 2. part. 4.* docent expreſſe Gloſſa *in d. c. 2. de deſponſ. impuber. verbo Canonibus,* Syluester *verbo ætas n. 3.* Tiraquel. *in l. 6. connubial. gloſ. 1. n. 36. cum ſeqq.* Vveſembech. *in paratit. tit. de ritu nuptiar. n. 4.* Couarru. *in 4. 2. p. c. 5.* Iacob. Cuiacius *in c. puberes 3. & in d. c. atteſtationes,* Quintilia. Mandoſ. *de ætate minor. cap. 5. n. 49.* Barnab. Briſon. *de iure connubi. in principio,* ibidem ſubdens eandem ætatem ad ſimile concubinatus fœdus etiam fuiſſe deſideratam, *l. 1. in fine de cōcubi.* Cui ex noſtris conſentit *l. 2. tit. 14. part. 4.* Staphil. *de literis gratiæ pag. mihi. 74.* vbi inquit non vacare beneficium impuberis contrahentis matrimonium, aut puberis, ſi nondū viripotentem ducat: quia tunc demū vacat per contractum huiuſmodi, quādo matrimonium eſt legitimè contractum. Confirmant ſuperiorem ſententiam Thomas Sanchez *de matrim. lib. 7. diſputat. 104. à n. 1. cum ſeqq.* Anaſtaſ. Germon. *animaduerſ. lib. 2. cap. 6.* Ioan. Corraſ. *in l. arrogato. 40. §. non tantùm n. 4. de adoptionibus,* Ioan. Gutier. *de matrimon. c. 2. n. 17.* Baſil. *eodem tractat. lib. 12. c. 5. n. 3. & 4.* Leonard. Galganer. *de iure publico lib. 3. tit. 100. num. 93.* amicus noſter Gaſpar Hurtado *tract. de matrim. diſput. 12. difficult. 12. in princip.* Chriſtophor. Leçan. *in floribus Sacrament. de matrim. verſ. Matrimonium puerorum pag. mihi 69.* & antea Alphonſ. Venero *in Enchirid. tempor. pag. mihi 35. in vltima editione,* cuius verba hîc inſerere non grauabor, vtpote ex quibus vtilitas ſciendi ætates apertè colligitur: *Mas aunque parezca fuera de propoſito,* inquit, *no dexaré de dezir; no ſentir mucho los coſas los que tienen en poco ſaber eſtas edades en el hombre, y en la muger, pues el Derecho Canonico y Ciuil eſtà fundado en muchas partes en la noticia deſtas edades, por quanto para el deſpoſorio, ò caſamiento por palabras de futuro, ſe requiere en el hombre y en la muger edad de ſiete años, en la qual edad ſe cumple la infancia: pero para caſamiento por palabras de præſente no ſe requiere en el varon menos de catorze años, y en la muger doze, &c.* Qui omnes ea 4 ratione aſſerunt, prædictam ætatem ad matrimonium deſiderari, quia tunc tam viri,

quàm fœminæ habiles præſumuntur non ſolùm ad conſenſum, ſed etiam ad venereos amplexus, *dict. cap. puberes de deſponſ. impub. dict. l. 6. & 9. part.* vnde meritò hanc ætatis menſuram nubilem appellant poſt S.P. *in d. cap. puberes*, Ludouic. Roman. *ſingul.* 237. *n.* 3. Couarru. *vbi ſuprà num.* 2. Surdus *conſilio* 363. *num.* 8. *volum.* 3. Sanazar. *de matrimonio art.* 4. *num.* 7. & his relatis Paulus Zachias *Medicolegali lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 6 *n.* 21.

5 Et eiuſmodi ætatem ita neceſſariam tam ciuilia, quàm Pontificia iura arbitrantur, vt in vtroque contrahente illam exactam, & extremè completam omninò requirant, *tex. elegans in dict cap atteſtationes*, ibi: *Donec cõpleat puer annum decimumquartum*, *cap. ex literis*, *cap. fin. eod tit.* docet Baſilius *de matrimon. lib.* 7. *c.* 65. & nouiſſimè Hurtado *d. diſputat.* 22. *diffic.* 12. *n.* 45. ea nimirum ratione, quia hęc ætas iure præſcribitur, ſiue taxatur, ac proinde debet in indiuiſibili cõſiſtere, ſicut pretiũ iure pręſcriptũ in indiuiſibili conſiſtit.

6 Probaturque expreſſiùs ex *auth. de tempore non ſolutæ pecuniæ ſuper dote*, §. *& ſiquidem collat.* 7. vbi hac de cauſa quindecim annorũ eos eſſe traditur, qui etiã citiſſimè matrimonium contrahunt. *Nouimus enim*, inquit Imperator, *eos qui vehementer citius contrahunt nuptias, non minus quindecim annorum ad hoc procedentes*, idest, non anteà quàm decimoquarto anno iam elapſo, decimumquintum pertingant, argumento *text. in cap. cùm renuntiatur.* 32. *q.* 1. quo ſenſu ita cum Hoſtiẽſe hunc locum interpretatur Henriq. Boic. *in dict. cap. puberes num.* 8. *de deſponſat. impub.* & hùc fortè reſpexiſſe videtur Heſiodus *in Ergis*, cũ ſcripſit: *Virgo verò pubeſcens anno decimoquarto, nubat decimoquinto*, refert Petrus Gregor. *ſyntagm. lib.* 9. *c.* 7. *n.* 4.

7 Ex quibus infertur, parùm tutã videri opinionem Petr. Rebel. *lib.* 3 *q.* 16. *ſect.* 2. *num.* 16. aſſerentis ad valorem matrimonij non requiri, vt dicta ætas ſit mathematicè completa, ſed moraliter, vt quando contrahentes ab ea diſtarent per vnum, aut alterum menſem, qui vulgariter finis anni dicitur: quod enim parũ diſtat, nihil diſtare videtur: in hoc enim, vt optimè animaduertit Naldus *in ſumma, verbo ætas, n.* 1. & poſt eum nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral.* 5. *p. tractat.* 5. *reſolut.* 16. *in fine.* Nimis largè loquitur Rebellius, & quod deteſtabilius eſt, contra expreſſa iuris teſtimonia, quibus ætatem ad matrimonium perfectam, & omninò completam eſſe debere planè cauetur. Quare non alieni ab eiuſmodi cenſura videntur Hoſtienſ. *in d. c. puberes n.* 5. & Veracruz 1. *p. ſpeculi art.* 16. *verſic. Primò ſponſalia*, qui pro certo docent eam ætatem ad matrimonij valorem ſufficere, ex qua ſolummodò tres dies deficiunt, vel vt etiam placuit Martin. Ledeſma *in* 2. *p.* 4. *q.* 60. *art.* 1. cuius decem dies deſiderantur: quorum improbabiles ſententias meritò impugnat Thom. Sanchez *de matrimon. d. diſputat.* 104. *n.* 2. Veriùs credens vltimam diem 8
anni decimiquarti in maſculis, & duodecimi in fœminis cœptam ſaltim eſſe debere, vt legitimæ ætatis ad contrahendum cenſeantur, quod non omnino recuſo, imò cum Diana *loco relato* probabile indico, argumento *text. in l. qua ætate, ff. de teſtament.* eſt enim hæc temporis defectio reſpectu totius ætatis paruiſſima materia, quę, vt in alijs caſibus, ità & in ætate ad matrimonij contractum minimè attenditur, ex ſententia Antonini Dianę *vbi proximè.*

Hinc etiam fit, quòd ſi puella ante duodecimum annum ſit velut vxor in domum viri traducta, non priùs legitima vxor fiet, quàm apud virum duodecimum annum impleuerit, *l. minorem* 4. *ff. de ritu nuptiar.* Nec dos ipſius nomine promiſſa anteà à marito peti poterit, nam cùm dotis ſtipulatio illam ſemper includat tacitam conditionem, ſi legitimè nuptiæ fuerint ſecutæ, *l. dotis promiſſio ff. de iure dotium*, deficiente eiuſmodi conditione, nulla dos eſſe videtur, quæ peti poſſit, ſaltim donec pubertate accedente conualeſcat matrimonium, quo etiam quaſi per modum neceſſarij conſequentis & ſubſiſtere, & peti poſſe incipit, ex ſententia Briſ. nij *d. tract. de iure connubiali pag.* 5. quod ita eſſe intelligẽdum optimè aduertit Mandoſius *d. c.* 5. *n.* 50. dummodò noua ſuperueniat contrahentium voluntas, vel actus voluntatis, & conſenſus demonſtratiuus, *d. l. minorem*, *c. vnic. de deſpõſat. impub. lib.* 6. Licèt vtrumque ſine curatoris autoritate à minore exerceatur, quoniam cõſenſus matrimonio neceſſarius curatorum poteſtati non ſubiacet, *l. ſciendum* 2. *ff. de ritu nuptiar.* tradit Philip. Matthæus *in l.* 2. §. 1. *n.* 18. *ff de reg. iur.* ex quo fit, nihilominus illam poſſe à viro adulterij accuſari, licèt ante legitimum tempus, & ſuperuenientem cõſenſum iniuſta ſit vxor, *l. ſi vxor.* 13. *verſic. Planè, ff. de adulter.* quam de vxore nõ debitæ ætatis eſſe intelligendam admonet Forcatul. *in Cupid. iuriſperit. c.* 5. *n.* 9. nam cũ eiuſmodi coniugium poſſit accedente pubertate redintegrari, hęc ſpes ſufficit, vt marito aduerſus iniuſtam vxorẽ actio competat, quia nec ſpem cõiugij violare oportet. *d. l.* 13. §. *Diui.*

Quibus maximè congruit *text. in l. falſus* 11. §. *fin. ff. quod falſo tutore*, vbi decedente intra duodecim annos filia, quam dolo malo ita præmature nuptui pater tradiderat, ipſi dotis

dotis repetitio denegetur: quia hoc caſu nulla fuit dos, quæ repeti poſſet, cùm matrimonium non ſubſiſteret, & ſi quam ad intereſſe pecuniæ dotis nomine traditæ pater actiorē haberet, in pœnam fraudis, quam collocando filiam ſciēter ante legitimum tempus admiſit, omninò perdidit: ſolùm enim ab eiuſmodi, & ſimilibus pœnis pater excuſabitur, quā-
11 do non dolosè, ſed deſiderio potiùs collocandi filiam, eam licèt immaturā, nuptui tradidit, vt eleganter docet Conſultus *in dict.* §. his verbis: *Iulianus libro viceſimoprimo Digeſtorum tractat, an etiam in patrem debeat dari hæc actio, qui filiam minorē duodecim annis nuptui dedit? & magis probat patri ignoſcendum eſſe, qui filiam ſuam maturius in familiam ſponſi perducere voluit: affectu enim propenſiore, magis quàm dolo malo id videri feciſſe.*

12 Sed hæc omnia ſubaudienda erunt, niſi malitia ſuppleat annorum defectum: nam ſi ita diſcretus & habilis ad copulam puer inueniatur, vt matrimonio contrahendo ſufficiat, ſcrupuloſa hæc ætatis adimpletio ſpectanda non erit, cùm id propter quod deſideratur, iam adſit, *dict. cap. puberes 3. cap. de illis el 2. 9. in ordine, cap. fin. de deſponſat. impuber.* Dixi ad hoc diſcretum, & habilem ad copulam impuberem eſſe debere: quia vt malitia ætatis ſuppletiua dicatur, vtrumque copulatiuè requiritur, alioquin ſi ſola diſcretio, vel habilitas tantùm ad vſum matrimonij adfuiſſet, nil prodeſſet, vt ætatis defectus reſarciretur, ex doctrina P. Sanchez *dict. diſputat.* 104. *q.* 4. *num.* 21. quam ſequi videtur nouiſſimè Barboſa *in dict. cap. puberes num.* 3.

13 Ex quo prouenit, non quocumque tempore ante pubertatem poſſe malitiam ætatem ſupplere, ſed decimo tantùm exeunte anno, & vndecimo incipiente, argument. *text. in d. c. continebatur*, ex quo ita docet Hurtado *loco vbi ſuprà num.* 46. quoniam aptitudo ad copulam, quam ſimul cum diſcretione eſſe neceſſariam diximus, vt malitia ſuppleat ætatem, non niſi per annum ſolet pubertatem præcedere, quod inſinuat Panormitanus *in cap. de illis 9. num.* 4. *in fin. de deſponſat. impuber.* & probatur expreſsè apud noſtros *l.* 6. *tit.* 1. *part.* 4. ibi: *Mas para caſamiento fazer, han meneſter que el varon ſea de edad de catorze años, è la muger de doze*, & interiùs: *Fueras ende, ſi fueſſen tā cercanos à eſta edad, que fueſſen ya guiſados para poderſe ayuntar carnalmente, ca la ſabiduria, è el poder que han para eſto fazer, cūple la mengua de la edad*, vnde optimè Cuiacius *in c. iuuenis 3. ad finē de ſponſalibus, & in d. c. puberes 3. ad medium*, proximos pubertati, inquit, id eſt qui decimū annum cum dimidio excellerunt, vt ſuo loco oſtendimus, poſſe accedente malitia rectè matrimonium contrahere.

Solùm autem ex vrgenti aliqua cauſa, vt 14
puta pro bono pacis ante habilitatem ad copulam, ſed poſt eorum diſcretionem impuberum coniugium ſuſtinetur. *c.* 2. *de deſponſat. impuber.* docet Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 17. *n.* 6. vbi inquit, impuberes permitti pro bono pacis matrimonium contrahere, quando iudicio Epiſcopi probabile eſſet malitiam præuenire ætatem, quamuis de potentia ad copulam dubium eſſet aliquale: & ſi experientia facta comperiretur nondum adeſſe potentiam, eſſet illud matrimonium ſponſalia iuris interpretatione. Itaque ſubaudiendum erit, quod nimis generaliter tradunt Roman. *conſil.* 332. *num.* 13. Craueta *conſ.* 264. *n.* 6. & Cardin. Tuſch. *practic. concluſ. iuris lit. P. concluſ.* 173. *n.* 12. & 25. ſcilicet pro ſedandis inimicitijs, etiam inter puberes matrimonium iniri poſſe.

Et hanc igitur habilitatem ad copulam 15
adeò in contrahentibus neceſſariam plurimi arbitrantur relati à Thoma Sanchez *d. lib.* 7. *de matrim. diſputat.* 104. *n.* 14. vt pro certo affirment, ea deficiente, nec à legitimæ ætatis hominibus poſſe matrimonium contrahi. Sed licèt præfatam opinionem probabilē dicat Sanchez *d. loco*, tamen ipſe contrariæ, vt probabiliori, accedit & meritò, nam *text. in dict. c. de illis el 2. de deſponſat. impuber.* ſolùm requirit idoneitatē ad copulam reſpectu impuberum, vt ſic ipſorum ætas poſſit ad matrimonium ſuppleri: non verò etiam in puberibus eam expoſtulat: ergo cùm in ætate ſint, qua ſolet communiter hæc habilitas adeſſe, hoc ſufficiet, vt licèt per accidens deficiat, poſſit tamen ab ipſis validè matrimoniū celebrari: quod item de fœminis eſſe accipiendū, ſentit prædictus Autor, ita vt ſi poſt duodecimum annum perfectum ex diminuta corporis diſpoſitione non poſſint pati virilem congreſſum, nihilominus valeant matrimonialiter copulari. Sed hoc caſu quantum tempus ſit ſpectandum, vt experiatur, an prædicta inhabilitas ſit perpetua, vel temporalis, latè diſputat *ibidem* Sanchez *à num.* 16. & nos alibi explicabimus.

Conſtat ergo ex ſuperioribus, manifeſtè 16
decipi Catrerium *lib.* 5. *de ſponſalibus capit.* 15. exiſtimantem, iure naturæ fuiſſe præſcriptam ætatem ad matrimonium. Nam ſi hoc verum eſſet, nec habilitate ad copulam, nec malitia poſſet præueniri, cùm naturalia ſint incommutabilia, §. *ſed naturalia inſtitutione de iure naturali*, quod eſt expreſsè contra iuris diſpoſitiones quibus, vt iam conſtitit, planè cauetur, proximos pubertati doli capa-

capaces modo vt ſupra poſſe matrimonium contrahere. Ideò rectè concludit Sanchez *dict. diſputat. num.* 8. verius eſſe, menſuram ætatis ad matrimonium à iure poſſitiuo deſcendere, inde inferens Sum. Pontificem diſpenſare poſſe, vt quacumque pupillari ætate, dummodò poſt vſum rationis, liceat validè matrimonium contrahere, cum Nauarro, & Rodriguez, quos ibi refert, quod vrgente aliqua cauſa poſt longam diſputationem *num.* 12. etiam Epiſcopo licere ſatis probabile indicat: & hanc ſententiam tenent ſimiliter Henriq. *in ſumm. lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 12. Bonacina *de matrim. quæſt.* 1. *puncto* 4. *num.* 12. Valer. Reginald. *in praxi fori pœnitent. lib.* 31. *num.* 171. *verſic. Notandum eſt ſecūdo*, & alij relati nouiſſimè ab Auguſtino Barboſa *de officio & poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 35. *num.* 20. & rurſus *in collectan. ad tex. in dict. cap. puberes* 3. *num.* 5. *de deſponſat. impub.* vbi ex eo textu infert, Epiſcopum poſſe diſpenſare, vt impuberes matrimonio copulentur, ad illumque pertinere cognitionem, an cauſa ſit iuſta, vt matrimonium ineant? videlicet, quando ſunt prope ætatem, & dubium eſt, an malitia eam ſuppleat.

18 Sed ſiue naturali, ſiue poſitiua tantùm lege ciuili, & Eccleſiaſtica, nubilem hanc ætatem præſcriptam eſſe velis, illud certum eſt, mortaliter peccare, qui neglecto iuris præcepto, ſine iuſta cauſa ante legitimum tempus nititur matrimonium contrahere, vtpote qui in re graui legem tranſgreditur. Ita contra Sanchez *dict. lib.* 1. *diſputat.* 17. *num.* 6. tradunt Rebel. *de obligationibus iuſtitiæ lib.* 4. *quæſt.* 5. Ægidius *diſputat.* 21. *num.* 54. Baſilius *vbi ſupra*, & Hurtado *dict. loco num.* 47.

SVMMARIVM.

Procurator ad matrimonium, ad negotia dicitur deputatus. 1.

Procurator ad negotia decimum ſeptimum annum, ſecundum aliquos, habere debet. ibid. contrarium eſt verius. 3.

Nulla certa ætas eſt deſignata pro perſona procuratoris ad matrimonium, ſed qualibet rationis capax ſufficit. 2.

Eadem ætas, quæ in procuratore ad matrimonium ſufficit, etiam in eo eſt ſufficiens, qui ad profitendum nomine alieno conſtituitur. ibidem.

Procurator ad matrimonium, vel profeſſionē, nulla eget induſtria. 4.

Vbi matrimonium inter duos alienigenas diuerſi idiomatis cōtrahitur, puer, ſi linguas calleat, interpres adhiberi poteſt. 5.

Tutius eſt eius ætatis viros ad procuratores in matrimonium eligere, qui pro ſe rectè contrahere poſſint. 6.

QVÆSTIO X.

Procurator ad matrimonium, & profeſſionem, cuius ætatis eſſe debeat?

1 HAnc quæſtionem ita exactè eruditiſſimus P. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. diſputat.* 41. *num.* 8. diſcuſſit, vt meritò cuique otioſum videri potuiſſet, eādem iterum minùs fœlici calamo inculcare, niſi iſtius operis ratio, vel ſtudij noſtri cura, quæcumque ad ætatem ſpectantia diſperſa, & vbique exulantia, in vnum redigere compuliſſet. Quare vt ſuſceptum munus obeam, exſcriptioniſque vitium effugiam, breuiloque, & quaſi raptim diſputationem pertingam.

2 Etenim cùm procurator ad matrimonij contractum, ad negotia deputatus credatur, *cap. fin. de procurat. lib.* 6. ibi: *Et quamuis aliàs is, qui conſtituitur ad negotia procurator, alium dare poſſit, in hoc tamen caſu, &c.* notauit ibidem Gloſſa, & Domin. *§. quamuis num.* 1. Francus *in principio num.* 1. *notabil.* 2. procurator autem ad negotia non aliter, ſecundùm aliquos, quàm decimoſeptimo anno deſignari valeat, *cap. qui generaliter, § licet de procurator. eodem lib.* 6. *l.* 19 *titulo* 5. *part.* 3. cuius alibi plura concenturiabimus, conſequenter videbatur eandem ætatem & in procuratore ad matrimonium deſiderari, cùm etiam procurator ad negotia dicatur.

Sed nec eandem, nec vllam aliam ætatem in huiuſmodi procuratore exigi, præter illam, quæ naturali iure ad cōſenſus expreſſionem nomine alterius ſufficiens eſt, optimè docuerunt Sancius *dict. loco*, & *in ſumma lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 10. vbi id etiam ad ſpirituale matrimonialium extendens, in procuratore ad profitendum æquè reſoluit (etſi contrarium nouiſſimè defendat Antonin. Diana *reſolut. moral.* 3. *part. tractat.* 14. *Miſcellaneo reſolut.* 23.) docet poſt eum Ioannes Gutier. *de matrimonio cap.* 44. *num.* 98. & probatur vrgentiſſimis rationibus, præcipuè quòd nō- 3
dum liquet certam ætatem ad procuratorem negotiorum eſſe deſcriptam, imò pupillum eo munere fungi poſſe Conſultus demonſtrat *in l. ſed & ſi quis* 7. *verſic. Pupillus & l. ſequenti, ff de inſtitor. action.* vbi impuberes, qui vſu dumtaxat pollent rationis, tabernis præponuntur, & eos obligant qui illos pro-

po-

poſuerant,cuius proprio loco multa ſubſcri-
4 pſimus. Deinde,quia etſi in procuratore ad negotia certa ætas deſideratetur, nihilominus in procuratore ad matrimonij fœdus, & profeſſionem nulla opus eſt; cùm eius induſtria minimè ſit neceſſaria ad contrahẽdum, & vouendum nomine alterius,vti ad negotia requiritur : maximè cùm mutuus vtriuſque contrahentis conſenſus nutibus & ſignis exprimi validè poſſit : igitur ſat erit,ſi per pupillum rationis capacem nomine abſentis
5 proferatur. Rurſus,nam ſi matrimonium, adhibitio interprete, inter duos diuerſi idiomatis alienigenas contraheretur, nec vllus abnegaret puerum nondum puberem,vſu tamen rationis præditum, & linguæ gnarum, legitimum interpretem eſſe. Igitur cùm procurator nomine alterius matrimonium contrahens interpretis tantum munus obeat,nil obſtat, quominus pupillus tali officio fruatur. Denique,quia maximè alienum à iure & ratione fuiſſet affirmare,poſſe quemquã anno decimoquarto matrimonium celebrare : at verò illa ætate alterius contrahere volentis conſenſum exprimere nõ poſſe. Quapropter, quem ad matrimonium contrahendum cuiuſcumque ætatis deputari poſſe, dummodò vſu polleat rationis, nouiſſimè tenet Didacus de Cuellar *tractat. de manumiſſionibus* 2.
6 *part. num.* 72. Quamuis ad tollendam omnem ambiguitatem, tutius crediderim eos fore ad profeſſionem,& matrimonium alieno nomine contrahendum nominandos, qui eius ætatis exiſtant,vt ſuo poſſint contrahere, argument. notabilis *textus in l. ſi quis.* 13. *§. fin. ff. de oper. libert.* vbi impubes patronus, quia in ea ætate exiſtit,qua ipſe matrimoniũ contrahere nequit,nec alterius matrimonio, ſcilicet libertæ,conſentire poteſt.

SVMMARIVM.

A Tempore Apoſtolorum contrahentes matrimonia clandeſtina puniuntur. 1.

Minores quatuordecim annis, ſi maſculi ſint, aut duodecim ſi fœminæ, ſi matrimonium clanculò celebrent, pœnam non incurrunt. 2.

Impuberes ſunt inhabiles ad matrimonium. 3.

Pœna non habet locum vbi factum, propter quod fuit impoſita, nullitate laborat. 4.

Etiam poſt Tridentinum, qui ante legitimum tempus clandeſtinè contraxit, nullam pœnam incurrit. 5.

D. Didacus de Narbona.

QVÆSTIO XI.

Vt quis pœnis ſubiaceat contrahentium matrimonia clandeſtina?

ARmari leges contra eos,qui neglecta iuris ſolemnitate, & Eccleſiaſtica forma clam matrimonia celebrãt, apertius eſt quàm probatione indigeat,cùm ab ipſo tempore Apoſtolorum ad hæc noſtra tempora grauiſſimum hoc facinus, & prohibitum, & punitũ legamus in *cap. aliter, cap. nullum, cap. nullus.* 30. *quæſt.* 5. *cap. noſtrates*, *eadem cauſa & quæſtione cap.* 3. *de clandeſtin. deſponſat.* & pluribus Concilijs,quorum meminit eorum peritiſſimus Baſilius Poncius *tractat. de matrimon. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. demumque Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reformat. matrimon. capit.* 1. quibus congruunt patria iura *in l.* 1. *cum ſequentibus, tit.* 3. *part.* 4. *l.* 49. *Tauri nunc l.* 10. *tit.* 1. *lib.* 5. *Compilationis.* 1

Sed vel integras horum iurium pœnas, vel eas ſolummodò, quas in huius delicti punitionem iam praxis, vſuſque forenſis admiſit, non omnes indiſtinctè incurrere, docent ſingulariter Ioannes Lupus *in dict. l.* 49. *Tauri num.* 3. *&* 4. & Matienços *in ſimili l.* 10. *tit.* 1. *lib.* 5. *Compilat. gloſ.* 7. *num.* 5. ſed eos dumtaxat, qui cùm matrimonium abſque debita forma, & clanculò celebrare audacter tentarunt, iam puberes maioreſque quartodecimo anno viri, & duodecimo fœminæ proculdubio extitere, vt etiam ſentire videtur Thom. Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *diſputat.* 3. *num.* 7. affirmans, pœnam exhæredationis ita cõtrahentibus *ex dict. l.* 49. *Tauri* impoſitam non incurri, quoties ratione cuiuſcumque impedimenti matrimonium eſt irritum, vt ratione metus, vel defectu ætatis. 2

Quod egregia illa nititur ratione, ſiquidem huiuſmodi pœnæ validum ſupponũt matrimonium, licèt indebitè contractum, vt inde colligitur, quod non alia de cauſa ſub dictis pœnis interdicitur, quàm vt damnis & difficultatibus occurratur, quæ ex ita clandeſtinè celebrato cõiugio oriri iura obſeruant, & præſertim *dict. l.* 1. *&* 2. *part.* ibi: *E la razon porque es defendido de la Santa Igleſia, que los caſamientos non fueſſen fechos encubiertamente, es eſta: Porque ſi deſacuerdo vinieſſe entre el marido y la muger, de manera que non quiſieſſe alguno dellos viuir cõ el otro, maguer el caſamiento fueſſe verdadero, ſegun que es ſobredicho, nõ podria por eſſo la Igleſia apre-* 3

apremiar à aquel que ſe quiſieſſe departir del otro, è eſto es, porque el caſamiento no ſe podria prouar, iunctis verbis *l.* ſequentis, nec non & Concilij Tridentini *dict. ſeſſ. capit.* 1. vbi ita inquit, *Cùm ſancta Synodus grauia peccata perpendat, quæ ex clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua cõtraxerunt, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adul-*
4 *terio viuunt.* Quæ vt ratum & validum, plenum tamen periculis, matrimonium clandeſtinum auertere conantur. At impuberes ante prædictam ætatem matrimonio contrahendo ſunt inhabiles, *cap. vbi non eſt, cap. literas de ſponſalibus, cap. vnico de deſponſat. impuber. lib. 6.* cum alijs *ſupra hoc anno* plenius in id congeſtis: ergo licèt clàm illud cõtrahant, vel omiſſis tantùm denuntiationibus, minimè debent puniri, cùm ex tali coniugio, vti inualido, non ſequantur, nec timeri poſſint inconuenientia, quæ prohibitioni, & ipſius pœnis cauſam præbuerunt: eſt enim certiſſima iuris regula, diſpoſitionem pœnalem non habere locum quando contractus, propter quem interponitur, eſt de iure nullus, *iuxta text. in l. non dubium, C. de legibus, l. lapidem, l. fin. C. ſi mancip. fuer. alienat. vel mannm.* docent Segura Daualos *in directorio 2. part. cap.* 15. *num.* 24. & Sanchez id multis fundamentis confirmans *dict. diſput. 3. num.* 5.

5 Sed dices, hoc iuxta diſpoſitionem iuris communis rectè procedere: at verò poſt Cõcilij Tridentini decretum, quo præcipitur contrahentes inualidè abſque parocho & teſtibus, puniri nihilominus arbitrio ordinarij, præfata reſolutio haud locum habere poterit, cùm inualiditas matrimonij, quam impuberis eſſe excuſationem à pœnis committendis monuimus, iam illi parũ prodeſſe videatur: ex quo etiam qui inutiliter contrahunt, pro arbitrio ſaltim ordinarij plectuntur. Verùm tenendum erit, dictam ſententiam, adhuc exiſtente Tridentini definitione, vires obtinere: nam licèt inficiari nequeam co puniri contrahentes, nullo manente clandeſtino matrimonio, hoc procedit cùm ex ipſius Cõcilij diſpoſitione irritum exiſtit matrimonium, vtpote ab his celebratum, qui ex dicto decreto ad ſic contrahendum ſine parocho & teſtibus inhabiles ſunt effecti, quæ inhabilitas ſupponit aliàs contrahentes naturaliter habiles futuros: alioqui ſuperuacaneum eſſet illos iterum inhabilitare, & ipſorum crimen ipſa actus inualiditate punire, vt mentem fuiſſe Tridentinæ Synodi pleriſque placet: ergo cùm in minoribus impuberibus, hæc inhabilitas poſitiua locũ habere minimè poſſit, cùm ab ipſa natura ob defectum ætatis iam eandem obtineant, fatendum erit Concilium nequaquam de impuberibus ſenſiſſe, aut eos puniri ab Epiſcopo voluiſſe, caſu quo de facto clandeſtinè matrimonium celebrare niterentur.

SVMMARIVM.

VXores antiquitus à maritis ſuis Dominæ *appellabantur.* 1.

Damas, *vnde fœminæ dicantur?* 2.

Pro nominis illius, Doña, *quo frequenter mulieres inſigniuntur, origo aſſignatur.* 3.

Nuptæ tantùm antiquitus hanc honorificam appellationẽ à decimoquarto anno ſuæ ætatis, & non anteà, merebantur. 4. & 5.

Sponſa non ſtatim viro tradebatur ex antiqua conſuetudine, ſed ſaltim poſt annum à contractu. 5.

Sponſæ per integrum annum parabantur, vnguentis autem expolientes, & toto hoc tempore viri ab ipſarum concubitu abſtinebant. 6.

QVÆSTIO XII.

Vxores qua ætate Dominæ *ab ipſis maritis nuncuparentur?*

NEminem latere exiſtimo, quòd 1
permulti ex ipſius antiquitatis monumentis veriſſimè obſeruarunt, nempe, veteres illos maritos vxores ſuas *Dominas* frequẽter vocaſſe, cuius ineptiſſimæ, ne dicam peruerſæ, & irrationabilis conſuetudinis nonnulla in iure noſtro veſtigia deprehenduntur in *l. pater.* 38. *§. Iulius Agrippa, l. vxorẽ.* 41. *ff. de legat. 3. & in l. Titia.* 19. *§. qui Marco, ff. de annuis legat. l. Medico.* 40. *§. vxori ſuæ, ff. de auro & argent. legat.* ex quibus ita è noſtris notarunt Iacob. Cuiac. *obſeruation. lib. 3. cap.* 18. Andr. Tiraquel. more ſuo innumeris id confirmans *in l. 5. connubiali num.* 11.
12. & 13. inde *num.* 14. non improbabiliter 2
opinans proceſſiſſe cõſuetudinem, quæ etiam ad hæc noſtra tempora perdurat, nominandi non ſolum vxores, ſed quaſcumque alias fœminas, *Damas,* ſiquidem nomen hoc *Dama* Græco idiomate, *Dominam,* ſiue vxorem ſignificat, vt ipſe admonet, & poſt eum Sebaſt. Couarru. *in Theſauro linguæ Hiſpanicæ, verbo Dama,* proferunt inſuper ſupradictam obſeruationem Forner. *lib. 1. ſelectar. cap.* 11.

Dio-

Dionyſ.Gotofred.*in dict.l. pater.38.§ 3.litera A.* Petr.Rebuf. *in l. mulieris appellat. 13.verſic.Mulierem conſtat,de verbor. ſignificat.* vbi plura huiuſce rei congerit,& in eos meritò inuehitur, qui non ſolùm *Dominas* vxores vocant,ſed vt dominis illis ſubijciuntur, Lelius Viſciola *horarũ ſubſeſſiuar. lib.8. cap.4.* Oſuald. *lib.13. Donell.cap.21. liter. H.*

3 Vnde & ortum habuiſſe reor,quòd fœminæ paſſim *Dominæ* appellentur â nuptis,quibus hoc erat vulgare cognomentum,*dict. l. pater,§. Iulius Agrippa*, etiam ad innuptas vrbanitatis cauſa productum.

4 Sed quidquid hodie ſit, priſcis illis temporibus,quæ matrimonio erant ſociatæ, dominarum honorificam hanc appellationem tantùm metuerunt, vt ſentire videntur ſuprà ſcripti, præſertim Tiraquel. & Viſciola, & non quidem omni ætate,ſed ſolum à decimo quarto anno,vt autor eſt Epictetus *in Enchiridion cap.55.*vbi de officio & cura viri erga vxorem diſſerens;*Mulieres*,ait,*ſtatim à decimoquarto anno Dominæ vocantur*, & rationem ita ſubiungit:*His enim viri ob concubitum blandiuntur.*

5 At hæc ratio non leue dubium ingerit, ſi enim vt ad concubitum vxores allicerent, eas mariti tanto honore & reuerentia proſequebantur,quare potiùs à decimoquarto anno,quàm à duodecimo, qui concubendi initium eſt in fœminis, vt ſupra notauimus,ab ipſis eiuſmodi honos deferebatur? Verùm ſi coniectandi nobis ius eſt, ideò exiſtimarem ante initium decimiquarti anni,& egreſſum decimumtertium illo obſequio non fuiſſe decoratas, quoniam cùm illud à maritis ob faciliorem ſui copiam & congreſſum extorquerent,nondum hoc tempore tranſacto locum minimè habere poterit, ſiquidem antiquis in more poſitum erat,vt non ſtatim cõtracto matrimonio,ſed poſt aliquod non leue temporis ſpatium vxor viro traderetur, aut in ipſius domum traduceretur, *cap. ſi quis. 27.quæſt.2.*eo videlicet,quod ſcribit D. Auguſtin. *in cap.inſtitutum eſt,* ſequenti, *eadem cauſa & quæſtione,* his verbis: *Inſtitutum eſt, vt ſponſæ iam pactæ non ſtatim tradantur,ne vilem habeat maritus datam, quam ſuſpirauerit ſponſus dilatam.*Differebatur enim vxoris traditio per aliquod tempus,quippe per annum,veluti ex his ſuſpicari licet,quæ eximiè congeſſit Fortunatus Scachus *ſacrorũ Eleochriſmaton tom.1.cap.49.paulò ante finem,* vt oſtendat ſponſas per integrum annum parati ſolitas in mundo muliebri aromatibus, ac vnguentis,cutem expolientes,totoque eo tempore viros ab ipſius concubitu abſtinuiſſe,vti poſt alia his præclariſſimis verbis concludit:*Nec mirum id videri debet,cùm de Regijs nuptijs ibi ageretur, ad quas mulieres per anni ſpatium parabantur in mundo muliebri aromatibus, ac vnguentis cutem expolientes, quod etiam Reginæ Eſther contigit,cuius pulchritudine,quamuis Rex captus eſſet, ab eius tamen concubitu per annum abſtinuit,vt iuxta ſæculi conſuetudinem,thalamique Regij maieſtatem mundo muliebri pararetur. Nam & nunc quoque Hebræi per annum abſtinent ab his,quas deſponderint puellas.* Ergo quamuis eo ſæculo protinùs à duodecimo anno fœmina nuberet:tamen non anteà honorifica *Dominæ* appellatione maritus ei ſuppliciter ad concubitum blandiri poterat, quàm elapſo decimotertio anno,& ingreſſo decimoquarto, cùm per annum integrè completum, & exactum,ex more,ab ſponſæ amplexibus vir abſtinuiſſet,vt notauimus.

SVMMARIVM.

Maior quatuordecim annorum abſque vlla ſolemnitate pro reſtitutione dotis receptæ poteſt obligari 1.
Et qui contrarium doceant. 4.
Qui poteſt nuptias contrahere,& pro dote poterit obligari. 2.
Pubes licèt curatorem habens,etiam ſine ipſius autoritate,vbi nulla imminet alienatio,ciuiliter obligatur. 3.
Conciliantur opiniones, quæ circa propoſitæ quæſtionis reſolutionem inuicem contrariantur. 5.
*Facilior eſt obligatio perſonæ, quàm bonorum.*6.

QVÆSTIO XIII.

Vt quis poſſit pro reſtitutione dotis receptæ obligari?

QVartumdecimum annum in eo ſufficere, qui dotem recepit,vt ad ipſius reſtitutionem poſſit etiam ſine decreto iudicis,& curatoris autoritate ciuiliter obligari, communis docet Scriptorum ſententia, quam præter alios ſequuntur Corneus *conſil.354. num.7. lib.1.* Curc. Iunior *conſil.168. num.20.* Bald. Nouel.*de dote part.6.priuileg.58.* Gabriel *conſil.29.num.38.lib.2.* quibus relatis.idem docet Rota apud Farinac. *deciſion.vltimar.nouiſſim.tom.2.deciſ.511.num.5.* Barboſa *in l.ſi conſtante.25.num.128. ff. ſoluto*

ſoluto matrimon. Maceratenſ. *variar. reſolut. lib. 2. reſolut. 24. n. 1.* vbi inquit, veriorem eſſe opinionem, quòd minor poſſit obligari pro dote abſque aliqua ſolemnitate requiſita per ſtatutum, vel conſtitutionem.

2 Et ſtabilitur hæc ſententia primò, quia minor, cùm eſt pubes, & decimumquartum annum exceſſit, poteſt matrimonium contrahere, *cap. 1. & 2. de deſponſat. impuber. princip. inſtitut. de nupt.* cum alijs latè à nobis *ſuprà hoc anno* adductis. Sed qui poteſt nuptias cõtrahere, dotis nomine obligari poteſt, ex ſententia Conſulti *in l. mutus. 73. in princip. ff. de iure dot.* ibi: *Mutus, Surdus, cæcus, dotis nomine obligantur, quia & nuptias contrahere poſſunt*: ergo & poterit minor dotis nomine obligari.

3 Secundò pro ea vrget quòd, vt proximè multis oſtendimus, cùm de ætate ad ciuilem obligationem ſcripſimus, pubes, licèt curatorem habens, etiam ſine curatore, vt quilibet maior, ciuiliter obligatur, vbi ex illa obligatione nulla rerum ſuarum alienatio pertineſci poteſt. Sic Cuiac. *in l. puberes. 101. de verbor. obligat. & lib. 19. obſeruat. c. 33.* Fachin. *lib. 3. controuerſ. c. 9.* Philip. Matth. *in l. 2. §. 1. n. 15. & ſeqq. ff. de reg. iur.* At in hac obligatione de reſtituenda dote minor nihil alienat, cùm tantùm promittat reddere ſoluto matrimonio quod nõdum in bonis habet, ſcilicet dotem, cuius traditionem ſemper vel præcedit, vel comitatur hæc obligatio: ergo ipſius capax erit minor poſt decimum quartum annum.

4 Cæterùm his non obſtantibus, oppoſitum tenuere nonnulli, nempe de iure communi minorem non poſſe obligari pro dote, nõ interuenientibus ſolemnitatibus. Ita Accurſius *in l. promittendo. 41. in princip. verbo conditionis de iure dotium*, Gabriel *conſil. 80.* Roland. *de lucro dotis q. 45. n. 2.* Caualcan. *de tutor. & curator. n. 157.* Decius *conſil. 302.* Lambertang. *de contract. gloſ. 21.* quorũ meminit Maceratenſ. *d. reſolut. 24. n. 6.*

5 Sed diſſidentes has noſtrorum ſententias facili negotio componi poſſe arbitrabar, ſi diſcrimen conſtituatur inter perſonalem obligationem de reddenda dote, & realem, ſiue hypothecariam, qua nõ ſolùm promittit minor reſtituere, ſed bona etiam, ſiue tacitè, ſiuè expreſsè ad ipſam reſtitutionem obligat. Quoniam priori caſu, cùm pubes ciuilis obligationis ſit capax, nihil obſtat, quominùs & pro dote reſtituenda poſſit citra omnem ſolemnitatem obligari, vt prima fert opinio. At verò in poſteriori, cùm de obligatione bonorum agatur, cuius minor eſt incapax, meritò ab alterius opinionis ſectatoribus negatur, eum abſque debitis ſolemnitatibus poſſe obligari: quia omnis pignoratio, & hypotheca bonorum eſt minoribus interdicta *l. 1. §. ſi minor, ff. de rebus eorum, l. fin. C. de rebus alien. non alienand.* cum ſimilibus, etiam quæ tacitè ab ipſa lege inducitur, vtpote in bonis eius, qui dotem recipit, cuius noſter ſermo, veluti ex probabiliori ſententia id *infrà anno 25.* latè probabimus, vbi de ætate ad bonorum obligationem diſputatio inciderit.

6 Et hæc noſtra diſtinctio eleganter fulcitur ex doctrina Simõcelli *tractatu de decretis lib. 2. tit. 5. inſpect. 2. n. 11.* vbi argumento *l. ſi ſine hærede. 32. §. Lucius, ff. de administrat. tutor.* inquit, obligationem perſonalem faciliorem eſſe quàm bonorum, ideoque minori facilius eſſe obligare perſonã, quàm alienare, vel bona obligare, Bald. *in l. certi iuris in §. q. C. locati*, quod ex eo oſtendit. Nam minor, qui non habet curatorem (& qui habet etiam, vt ſuprà ex Cuiacio & alijs notauimus) poteſt ſe obligare, *l. ſi curatorem habens, C. de in integr. reſtitut.* & tamen bona ſua immobilia obligare nequit abſque decreto, *l. 1. ff. de reb. eorum l. 1. & 2. C. de his qui ven. ætatis impetrauer.* & diuerſitatis ea ratio eſt, vt in propoſito obſeruat Macerat. *variar. reſolut. d. lib. 2. reſolut. 24. n. 24.* quia per alienationem remouetur dominium à manibus minoris, ſed non per obligationem: igitur quamuis pro reſtitutione dotis minor bona ſua obligare minimè poſſit, perſonã tamẽ rectè obligabit.

SVMMARIVM.

Minoris & Eccleſiæ par cõditio eſt. 1.

Minor & Eccleſia rem ementes, pactum addictionis in diem poſſunt in continenti adijcere. ibidem.

Minor, ſaltim pubes, & quatuordecim annorũ eſſe debet, vt pactum adijciat. 2.

Pactum addictionis in diem, an contineat alienationem? 3.

Reſoluto contractu virtute pacti addictionis in diem, nulla gabella debetur. 4.

Vbi pactum addictionis fuit venditioni appoſitum, ſi alius meliorem conditionẽ attulerit, poteſt venditor ſtatim rem vindicare. ibid.

Puberibus licet his omnibus caſibus paciſci de addictione in diem, quibus rerum ſuarum alienatio ipſis permittitur. 5.

Poſt quartumdecimum annum maſculi, & poſt duodecimum fœminæ poſſunt ſtante hoc pacto, meliorem conditionem offerre. 6.

Etiam pupillo licet, conſentiente venditore, ſine tutoris autoritate meliorem conditionem adducere. ibidem.

Si pubes in eo fuerit deceptus, quòd meliorem conditionem attulerit, reſtituetur. 7.

QVÆST.

QVÆSTIO XIIII.

Pactum addictionis in diem à quo fieri poſſit?

1 MInorem Eccleſiamque (nā vtriuſque parem naturam eſſe indicat Sum. Pontifex in *cap. 1. de reſtitut. in integrum lib. 6.*) poſſe rem aliquam ementes cum venditore incontinenti paciſci, vt ſi intra certum tempus melior cōditio afferatur, res ſit inempta, docent eleganter Pinel. *in l. 1. part. 3. n. 52. verſic. Infertur quintò, C. de bonis maternis*, Cardin. Mantic. *de tacitis & ambiguis cōuention. lib. 4. tit. 28. n. 45.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. 2. tom. c. 242. n. 30.* & nouiſſime Hermoſilla *in additionibus ad gloſſam 1. l. 40. tit. 5. p. 5. n. 23.* ſed nō explicant an omnibus omnino minoribus, etiam pupillis, hoc ſit permiſſum, an verò illis ſolummodò, qui
2 iam fuerunt pubertatem aggreſſi? Mihi videtur, puberibus tantundem conuētionis iſtud genus licere: tum, quia huius ætatis emptiones, & cæteros contractus, ſi nullis curatoribus ſubdātur, rectè inire poſſunt, vt *ſupra hoc anno* nonnullis probauimus: ergo & ea facere poſſunt, quæ ad emptionis perfectionem deſiderantur, ſaltim à venditoribus; vt hoc pactum adijcere, & ſimile retrouendendi, veluti iam oſtendimus, argumento *l. 2. ff. de iuriſdictione omnium iudic.* Tum etiam, quia ſecundùm probabiliorem ſentētiam, quam ſuo loco multis adſtruemus, minor non niſi à decimoquarto anno propriè dicitur: igitur cùm ex ſuperiore doctrina minoribus ſit cōceſſum pactum addictionis in diem celebrare, neceſſariò pubetibus, & non pupillis permiſſum intelligetur.

3 Nec obſtat hoc pactū continere alienationem, cùm in id apponatur, vt ſi intra præfixū tempus melior cōditio fuerit ab alio allata, ſit res inempta, & à primo emptore, ſecundo quaſi vēdita, *l. 1. & 2. ff. de in diem addictionē* notat Couar. *lib. 3. variar. c. 8. n. 1.* Pereira *in l. ſi curatorem verbo ſua facilitate n. 54. C. de in integr. reſtit. & de emptione & vendit. c. 28. n. 2.* Felician. *de cenſibus lib. 1. c. 6. n. 1.* Morla *in emporio 1. p. tit. 9. q. 14. n. 3.* Mantica *vbi ſuprà*, Tuſchus *litera P. conſ. 20.* & his relatis Hermoſilla *loco vbi proximè n. 1.* Vnde cùm omnibus indiſtinctè minoribus rerū, quarum ſemel dominium fuerunt adepti, ſit interdicta alienatio, totus *titulus de minoribus, & de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt*, iūctis alijs, de quibus *infrà anno 25.* pleniùs conſtabit: nec hoc pactum adijcere poſſe videātur quo ad alienationem rei, cùm illius rerum dominium habuerint, adſtringuntur. Sed hoc non refragari meritò diximus, cùm pactū addictionis in diem in cōtinenti appoſitum, vt ſolummodò à minoribus fieri poſſe admo- 4
nuimus, non verò ex interuallo, nullam præferat alienationem: vnde ex eo reſoluto contractu nullam gabellā deberi, communis teſtatur, vt apud Hermoſil. *d. loco n. 25.* quia tātùm præcedentis emptionis reſolutionē continet, qua res ita in priſtinum ſtatum reponitur, ac ſi nulla fuiſſet emptio, aut venditio celebrata, abſcedente dominio rei à primo emptore, & non ad ſecundum, ſed ad venditorem ſtatim, & nulla requiſita traditione reuerrēti, *l. vbi autem 4. alias l. ſi ex duobus 5. §. ſed & Marcellus, ff. de in diem addictione*, adeò quidem, vt dicta conditione adueniente, & alio plus offerente, continuò poſſit venditor agere reivendicatione, vt verus dictæ rei dominus, velut ex *l. ſi quis hac lege. 41. ff. de reivēdicat.* obſeruat ibidem Gloſſa, & Couar. Pereir, Felician. *n. 2.* Mantica *n. 11. & 12.* Hermoſillà *n. 3.* omnes *locis vbi ſuprà*: nec enim ex hoc aliquo damno, vel alienationis incommodo afficitur minor, vti nec afficeretur non emendo, cùm parùm differant non emiſſe, aut ita reuocabiliter, aut ſub conditione emiſſe, vt neceſſariò adueniente conditione inanis futura ſit emptio.

Hinc patet, poſſe puberes in venditione 5
rei ſuæ, his ſcilicet caſibus, quibus vendere illis permiſſum eſt, etiam hoc pactum adijcere, cùm vtilitatem potiùs eorum, quàm iacturam reſpiciat. Quare vt conditionem ſuam meliorem quouis modo contrahendo facere poſſunt, *l. pupillus 5. §. pupillus, ff. de autorit. tutor. princip. inſtitu. eodem*, ita & hoc vtile pactum adijcere valebunt.

Quibus addendum erit, quatuordecim an- 6
nis maiores viros, & duodecim fœminas, non ſolùm apponendi prædictum pactum addictionis in diem, verùm & meliorem cōditionē afferēdi, ſi cutaroribus caruerint, ius habere, vt vel ex eo non malè colligitur, quòd etiā pupillo ſine tutoris autoritate, ſi venditor cōſentiat, permittitur *l. ſi venditor. 14. § ſed etſi pupillus, ff. de in diem addictione*, tradunt Mantica, & Hermoſilla vterque *vbi ſuprà*, ille *num. 30. & 31.* & iſte *num 20. & 21.* ergo à fortiori hoc magis iam puberi licebit curatore deſtituto, qui & alios actus per ſe vtiliter gerit, & naturali & ciuili obligatione tenetur, vt vtrumque pluribus locis *hoc eodem anno* docuimus, præcipuè vbi de ætate ad ciuilem obligationem, & ad contrahendum egimus.

Etſi fortè, ſiue in adiectione pacti, ſiue in eo 7
quod

quod plus iuſto pretio attulerint decepti puberes inueniantur, beneficium reſtitutionis in integrum conſequentur, quo quidquid ab ipſis imprudenter fuerit geſtum, retractabitur, vt in ſpecie probat Sforc. Oddus *tract. de reſtitutione 2. part. q. 57. art. 6. n. 52. & 53.* deducto argumento *ex l. etſi ſine, aliàs l. ait prætor 7. §. quæſitum, ff. de minoribus.*

SVMMARIVM.

Ditionis hæreditatis ætatem eſſe legitimam vigeſimumquintum annum, multis placet. 1.

Curatoris autoritas an ſit neceſſaria in aditione? 2. & 4.

Qui adit hæreditatem, quaſi contrahit cum creditoribus hæreditarijs. 3.

Quatuordecim annos ſufficere in maſculis, & duodecim in fœminis ad actum aditionis, veriùs traditur. 4. & 7.

Actus legitimus per curatorem expediri nequit. 5.

Minor curatore carens, poſt pubertatem ſolus poteſt hæreditatem adire de iure noſtro Regio. 6.

Curatoris autoritas in aditione, non ex neceſſitate, ſed ex vtilitate requiritur. 7.

Recuſante parente adire hæreditatem filij iam puberis, poteſt ipſe ſolus adire. ibidem.

Adire an ſit adminiſtrare? 8.

Stante ſtatuto, quòd minor non poſſit abſque certa ſolemnitate contrahere, poteſt nihilominus abſque ea patris hæreditatem adire. ibidem.

Text. in l. ſi infanti. 18. C. de iure deliberandi, explicatur. 9.

Puberibus rectè poteſt ex Senatuſcõſulto Trebelliano hæreditatis reſtitutio fieri. 10.

QVÆSTIO XV.

Adeundi hæreditatem quæ ſit ætas legitima?

1 CElebris eſt quæſtio iſta, & in cuius definitione magna contrarietate interſe diſſidēt Interpretes, Gloſſa *in l. is poteſt 18. in princip. ff. de acquir. hæredit.* & ibidem Robert. Maranta *in repetit. n. 131.* Alter Robert. *lib. 1. animadu. c. 12.* Goede. *in l. 21. n. 14. de verb. obligat.* & denique plures alij, vigeſimũquintum annum aditionis hæreditatis legitimam ætatem eſſe conſtituunt, pro ſuaque opinione hæc expendunt.

2 In primis *text. in l. 1. C. ſi tutor vel curator interuenerit, & text. in l. cùm quædã. 26. C. de adminiſtrat. tutor. l. fin. §. ſin verò pater, C. de bonis quæ liberis.* Quibus ſupponitur, puberibus ad hæreditatem adeundam curatorum autoritatem eſſe neceſſariam: ergo ſola ætas viginti & quinque annorum, quæ curatoribus non eget, ſufficiens erit, vt per ſe hæredes legitimè aditionis actum exerceant.

Deinde, quòd adiens hæreditatē quaſi cõtrahit cum creditoribus hæreditarijs, *l. apud Iulianum, §. fin. & l. ſequent. ff. quibus ex cauſis in poſſeſ. eatur, §. hæres, de obligatio. quæ ex quaſi contractu.* Sed ad contrahendum maior hæc ætas deſideratur, *l. 3. C. de in integr. reſtitut. minor.* ergo & ad adeundum, vt manifeſtè nobis probari videtur ex *l. 13. tit. 6. p. 6.* illis verbis: *Puede ganar, è entrar la herencia que le pertenece por teſtamento, ò de otra manera derecha, todo ome que no es ſieruo, è que no es en poder de padre, è que no es deſmemoriado, que es mayor de veinte y cinco años.* 3

Tamen Iacob. Cuiacius *in l. 101. de verb. obligat.* Hubert. Giphan. *in l. ſi infanti. 18. verſ. Quæro an maior pupillo, C. de iur. deliberand.* & Anton. Pichard. *in lectionibus ad titulum de acquir. vel amitten. hæredit. c. 24. n. 3.* vt certius arbitrantur, ad hæreditatis aditionem obeundam pubertatem in maſculis quatuordecim annorum, & duodecim in fœminis ſufficere: tum, nam ex eo quòd pupillis ſolummodò adeundi munus inhibitum agnoſcitur, *l. obligari 9. §. pupillus de auctor. tutor. l. ſi infanti, C. de iure deliberandi, l. potuit 5. C. eodem, §. neque, inſtitut. de aut. tutor.* puberibus conceſſum neceſſariò videtur. Tum etiã, quia ſi ex ſua perſona decimoquarto anno maiores non poſſent hæreditatem ipſis delatam agnoſcere, maximè quoniam adhuc ea ætate exiſtunt, qua curatorum auxilio egent. Sed curatorum autoritas ad effectum adeundi inutilis eſt, *l. cùm in vna. 17. ad finem de appellation.* cùm ad eam non ſpectent quæ aliquam iuris ſolemnitatem continent *l. curatorem. 19. ff. de autorit. tutor. l. vltim. C. de in litem dando tutore,* vel extra patrimonium noſtrum ſunt, vt additio. *l. pretia rerum. 63. ff. ad l. falcid. l. fin. in fine, C. de pactis,* ita obſeruat Eduard. Cald. *variar. lib. 2. cap. 1. verſic. Quidam dicebant,* & Schifordeg. in Anton. Fabr. *lib. 1. tract. 9. q. 1.* Igitur pubertatem adepti rectè ſine curatoribus adire valebunt. 4

Præcipuè, cùm aditio hæreditatis actus ſit legitimus, *l. actus. 77. de regulis iuris,* qui quidem per curatorem expediri nequit, *l. per curatorem* ſecundum Florentinam lectionem *90. de acquir. hæredit. l. nemo alieno. 123. aliàs 165. eodem tit. l. 15. tit. 6. p. 6.* fatentur poſt Cuiacium *vbi ſuprà, & lib. 1. obſeruat. c. 34.* 5

Hubert.

Hubert.Giphan.*d.loco,verſ.De bonorum autem poſſeſſione*, Donellus *in l.ſi infanti nu.*4. *C.de iure deliberandi*, Oſuald.*lib.*7. Donell. *cap.6.litera B.* Eduard.Cald.*ſup.numer.*4. Carrança *de partu cap.*2.§.1.*illat.*13.*num.*121. & Pichard.*vbi proximè*,etſi contrariũ teneat Duarenus *in titul.de acquir. hæredit. c.de perſonis quæ adire poſſunt,in fin.& lib.2. diſput.cap.*27.

Et demùm ex hoc confirmatur hæc ſententia,quòd pupillis ideò ſine tutoribus prohibita eſt hæreditatis aditio, quia obligari, abſque eorum autoritate non poſſunt,*l.more* 8.*ff.de acquir. hæred.* iunctis illis quæ tradit Spinus *in ſpeculo teſtamentorum,gloſ.*33. *in princip.num.*27.*&* 28. vt probet hac ratione, nec lucroſam hæreditatem ſine tutore pupillum poſſe adire. At adulti ſine curatoribus poſſunt tam naturaliter, quàm ciuiliter obligari, vt alibi multis oſtendimus: igitur,& poterunt ex ſua perſona hæreditatem adire.

6 Hæc opinionum manifeſta pugna Octaui Simoncelli diſtinctione *lib.* 2. *de decretis, tit.6. inſpectione* 5. ſedari, & componi poſſe videbatur: aſſerit enim prædictus Autor, minorem quinto & vigeſimo anno curatorem habentem ſine ipſius autoritate minimè adeundi ius habere, per *d.l. cùm quidam, C. de adminiſtr.tutor.* At verò decimoquarto maiorem nullo curatori ſubiectum, rectè ex ſua perſona, accedente tamen iudicis decreto, adire poſſe. Sed hæc diſtinctio noſtræ quæſtioni minimè adaptari valet,ſiquidem nullo membro ipſius conceditur ſolis minoribus aditio, vt ſecundæ ſententiæ propugnatores contendunt,ſed vno caſu cum autoritate curatorum, & altero interueniente iudiciali decreto, quod curatoriæ autoritati æquiualet, argumento eorum, quę idem Simoncel. notat *lib.*3.*tit.*7.*inſpectione* 2.*num.*28. Ideoque tantum in terminis illius controuerſię procedit, an requiratur decretum in aditione à minore facta? quam ipſe tractat. Huic enim, de qua noſter ſermo, aptiùs illa diſtinctio conuenire videtur, cuius fit mentio in *d.l.*13.*p.* ibi: *E ſi el que fue eſtablecido es menor de veinte y cinco años,y mayor de catorze,è non eſtà en guarda ni en poder de otro: è eſtonce bien puede por ſi entrar la heredad, y auerla.* Quam etiam diſtinctionem ſecutus fuit Gailiel.Mainer. *in l.in totum,n.*120.*de reg.iur.*Donel.*d.lib.*7.*comment.c.6.* & Franciſc.Duaren.*in tit.de acquiren. hæredit. c. de perſonis quæ poſſunt acquirere, in fine illius*, eam rationem ſubijciens, quòd adultus curatorem habens, ſimilis eſt pupillo, & impuberi, *totus titul. C. de in integr. reſtit.* atque ideò, ſi adultus curatorem habeat, nihilo magis adire poteſt,hęreditatem ſine curatoris autoritate,quàm pupillus, ſine tutore ſuo autore, *dict.l.cùm in vna,§.tutor,ff.de appellation.*

Verùm,etſi hoc de iure Regni obtineat, 7
ſecundùm ius commune mediam hanc ſententiam eſſe reſpuendam cenſeo, illamque ſequendam, quam ex Cuiacio retulimus, nempe pubertatem, ſiue in maſculis, ſiue in fœminis, ætatem eſſe congruam, ad adeundum. Nec aliud probari exiſtimo in *dict. ll.* pro prima opinione adductis. Nam licèt ex eis manifeſtè conſtet, curatorum conſenſum, & interuentionem requiri in aditionibus à puberibus obeundis, id quidem non tantum ex neceſsitate, quantum ex vtilitate,& commodo adoleſcentum procedit, vt ſcilicet, ſi fortè decipi in aditione contingat, & tempora reſtitutionis in integrum fuerint lapſa, habeant quos poſsint quaſi auctores & conſiliarios aditionum conuenire, veluti ex *dict.l.*1.*C.ſi tutor vel curator interuenerit*, planè intelligitur: alioqui curatore recuſante hæreditatem adire nullus eorum ſolus poſſet id facere, quod nemo dicet, cùm adhuc adire nolente patre, cuius maior poteſtas eſt, poſsit filius pubes adire, *dict.l.fin.* §.*ſin autem patre, C.de bonis quæ liberis*, abſque eo quòd in id curatorem petere teneatur, vt teneretur, ſi vti adire pater recuſat, ipſius hæreditatis adminiſtrationem detrectaret, *dict.* §.*ſin autem patre, verſic.Nolente autem,* nam adultus ſine curatore adeundi perſonam habet, non verò ſine curatore poteſt adminiſtrare: ergo ſiue curatorem habeat adoleſcens, ſiue non,vtroque caſu ſolus rectè poterit ſibi delatã hęreditatẽ adire, quia in eã ętate eſt, vt id poſsit,& quia ad eſſentiã aditionis minimè eſt neceſſaria curatoris autoritas.

Et confirmatur, nam aut conſenſus curatoris eo caſu,quo eum minor habet,requiritur ad reſarciendum perſonalem adoleſcentis defectum, vt tutoris autoritas deſideratur in pupilli aditione, aut ideò exigitur, quia adire quaſi contrahere & adminiſtrare eſt,quod minori nõ licet ſine curatore, *totus titulus de minoribus*. Priori ratione certũ eſt curatoris conſenſum non deſiderari, quia,vt etiã aduerſarij fatẽtur, adoleſcentis perſona quoad hũc effectum integra reputatur: vnde cũ nullius gubernationi ſubeſt,eũ adire poſſe teſtantur. Et minùs ſecunda ex cauſa deſiderari poteſt autoritas curatoris, quoniam ſi adire hæreditatem eſſet adminiſtrare,vt nolente patre adminiſtrare hæreditatis res,tenetur filius pubes curatorem petere, nec po-

teſt ſolus idfacere, ita cũ adire recuſaret, teneretur petere: quod negat Imperator *in d. §. ſin autem patre*, ergo adire nihil cum adminiſtratione habet commune.

8 Nec obſtat *dict. §. hæres, de obligation. quæ ex quaſi cōtractu*, cũ ſimilibus, vbi ex eo probari videtur, adire hæreditatem, adminiſtrare eſſe, quod quaſi contrahere dicitur, ſiquidem licèt ſit quaſi contrahere, non tamen inde ſequitur eſſe verè adminiſtrare, ſed quaſi, aliter nec curatore deſtituto adoleſcenti permitteretur aditio, ex regula *d. §. ſin autem patre* permittitur: igitur quia adminiſtratio non eſt. Præterea quòd, vt probauimus *hoc eodem anno*, adultus etiam curatorem habens, abſque ipſius autoritate ex contractu obligari poteſt, *l. puberes* 101. quæ ſic eſt accipienda, *de verbor. obligat.* igitur multò meliùs ex quaſi contractu, & hæreditatis aditione. Vnde rectè inquiunt Aretin. *in §. ſui autem hæredes numer. 7. inſtitut. de hæredit. quæ ab inteſtato deferuntur*, Bertazolus *de clauſulis, clauſul.* 10. *gloſ.* 16. *num.* 2. quòd ſtante ſtatuto, quòd minor ſine certa ſolemnitate non poſſit obligari, poteſt nihilominus abſque ea patris ſui hæreditatem adire, aut ei immiſceri. Nec mirum, cùm in *l. 1. C. ad Senat. Conſultum Tertylian.* apertè caueatur, liberos, qui fari poſſunt, ideſt, infantiam excedentes, matribus abinteſtato per ſe hæredes exiſtere.

9 Sed huius legis deciſio admodum difficilis redditur teſtimonio *dict. l. ſi infanti* 18. *C. de iure deliber.* vbi inquit Imperator, maiorem infante tam iure veteri, quàm hodie non aliter hæredem eſſe, niſi tutore autore. Quapropter, vt hanc contrarietatem componat Giphanius *loco iam repetito*, inquit verbum illud *per ſe, in dict. l. 1.* à Triboniano *ex dict. l. ſi infanti* interiectum eſſe: nam auctor *dict. l. 1.* in ſcripſerat, poſſe liberos matribus ita demum hæredes exiſtere, ſi fari poſſunt, ſubindicans à contrario ſenſu, ſi fari non poſſunt, non poſſe exiſtere: ita enim ius erat, vt infans non poſſet, ſed *ex dict. l ſi infanti*, infans non poteſt, etiam hodie per ſe, ideoque Tribonianum rectè interieciſſe illud verbum *per ſe*, in *dict. l. 1.* coniectatur Giphanius, cuius coniecturam minimè probare poſſum, cùm *dict. l. 1.* verba apertè ius antiquum proferant, quo erat ſtatutum, pupillum poſt impletos ſeptem annos ætatis, ipſum (hoc enim ibi ſignificat verbum *per ſe*) adire matris, aut cuiuslibet alterius hæreditatem; ſed non ita per ſe, vt ſolus adeat, imò conſentiente parente, ſi ſub eius poteſtate ſit, vel cum tutoris autoritate, ſi ſui iuris ſit, aut ſi non habeat tutorem, decreto prætoris id faciat, vt hæc omnia in *dict. l. ſi infanti*, referuntur.

Igitur cùm ex his omnibus perſpicuum 10 euadat, puberem tantũdem agnoſcendi hæreditatem eſſe capaces, & illud etiã non minùs conſequenter inferri videtur, quod ſubindicat Conſultus *in l. reſtituta 37. §. pupillus, & in l. ſeruo inuito 65. §. ſi pupillus, ff ad Trebell.* itẽq; Imperator *in l. penult. C. eodẽ*, ſcilicet poſſe adultis, & iam puberibus eodẽ modo ex S.C. Trebelliano hæreditatis reſtitutionẽ fieri: nã cùm pupillis ſolùm prohibeatur, tacitè adultis id conceſſum elicitur, maximè illis verbis, *dict. l. ſeruo inuito, §. ſi pupillo: ſiquidem eo quod fari non poteſt, non magis ea res impedietur quàm in muto. pubere volenti ſibi reſtitui hæreditatem.* Quibus planè ſupponitur puberi deſideranti poſſe fieri hæreditatis reſtitutionẽ ſine curatore. Nec mirum, ſiquidem hæc reſtitutio fit ex S. C. Trebelliano, quod eſt pars iuris ciuilis, & proinde reſtitutionis iſte actus ſolemnis eſt, & ciuilis, qui per alium exerceri nequit, vt ſentit G'phan. *vbi proximè.* Ergo quemadmodum hac ratione puberes per ſe, & ſine curatorum auxilio poſſunt hæreditatem adire, & ipſis reſtitutam optimè accipient.

SVMMARIVM.

Repudiare, alienare eſt. 1.

Minor annis viginti quinque alienandi ius non habet. ibid.

Puberes à decimoquarto anno, ſi maſculi ſint, & à duodecimo, ſi fœminæ, etiã ſine curatore repudiare hæreditatem poſſunt 2. & 6.

Pubes minor aduerſus hæreditatis repudiationem reſtituitur. ibid.

Contrariorum eadem eſt ratio, & diſciplina. 3.

Aditio, & repudiatio, iiſdem regulis conſtant. ibid.

Non alienat, qui dumtaxat omittit hæreditatem. 4. & 8.

Si maſculus minor repudiet hæreditatem, vt faciat locum fœminæ, an habeat reſtitutionis beneficium? 5.

Autoritas curatoris in repudiatione non eſt neceſſaria. 6.

Pupillus ſine tutore repudiando nihil agit. 7.

Pubes ex Senatus Conſulto Trebelliano poteſt ſine curatore hæreditatem fideicommiſſario reſtituere. 9.

QVÆ.

QVÆSTIO XVI.

Repudiare, vel omittere hæreditatem quibus liceat?

1 VIdetur maioribus vigeſimo & quinto anno tantúdem permiſſum, vt ipſis delatam hæreditatem repudiare poſsint, ſiquidē omnis repudiatio alienationē ſapit, vt ex pluribus obſeruat Tiraquell. *de retract.*§.1.*gloſ.*7.*num.*82. qui ideò reſoluit tutorem non poſſe hæreditatem pupillo delatam ſine decreto repudiare, Rebuff. *in l. alienationis* 28.*verſ. Decimò, de verbor. ſignific.* Octauian. Simoncel. *tract. de decretis lib.* 3.*titul.*8. *inſpectione* 9. *numer.*63. & planè probatur *ex l. magis puto* 5.§.*fundum, ff. de rebus eorum*: alienatio enim nō niſi huius ætatis hominibus indulgetur, *l.* 1. §.*ſi forte, ff. eodem, l.* 1. *ff. de minoribus, l.* 2. *l. prædia ruſtica, C. de præd. min.* cum ſimilibus infrà *anno* 25. ſuo loco adducendis. Ergo neque hæreditatis repudiatio, vt in ſpecie docet idem Simoncel. *lib.* 2. *titul.*6. *inſpectione* 5. *n.*56. & ante eum Ruinus *conſ.*101. *n.*4. *vol.*5. Bertazol. *clauſul.*10. *gloſ.*2. *num.*15. *ad finem.*

2 Nihilominus puberes, ideſt poſt decimum quartum annum maſculos, & poſt duodecimum fœminas repudiationis eſſe capaces, ex ſequentibus conſtituo. Primò, quia cùm repudiant hęreditatem, egent beneficio reſtitutionis in integrum, vt talis repudiatio ſubuertatur, *l. ait Prætor* 7.§.*ſed quod Papinianus, l. quod ſi minor* 24. *ff. de minoribus*, quam perperam de impubere loqui ex illis verbis arbitratur Genua *in conciliat. ll. fol.* 88.*n.*35. *l. neceſſarijs* 57. *in fine, de acquiren. hæredit.* iunctis his, quæ in propoſito notat Sforc. Odus *tract. de reſtitutione, p.*2.*q.*85. *art.* 3. Igitur cùm reſtitutio tunc ſolùm locum habeat, cùm actus, quo lęditur minor, ſubſiſtit, & valet, vt ex ſe patet, & indicat Morla *in emporio* 1.*p. titul.*5.*q.*1.*n.*22. neceſſariò dicendum videtur à puberibus factam repudiationem vires ſortiri.

3 Secundò, quoniam, vt ſuprà *hoc anno* diximus, in hac ætate conſtituti rectè hæreditatem adeunt: ergo cùm contrariorum eadem ſit diſciplina & ratio, *l. qui accuſare* 8. *ff. de accuſation. l.* 1. *ff. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris, l. fin.* §.*fin. de legat.*3.§.*furtorum, inſtitut. de obligation. quæ ex delict.* eam etiam repudiare poterūt, maximè cùm aditio & repudiatio eiſdem regulis procedat, *l. is poteſt* 17. *de acquir. hæred.* & *l. is qui hæres* 13. *ff. eodem.*

Tertiò, quia non alienat qui hæreditatem omittit, *l. alienationis* 28. *de verbor. ſignificat.* ergo nihil obſtabit quominùs puberi repudiare non liceat: nam quamuis hoc præiudiciale ſit ipſi (quòd etiam negat Caldas *in l. curatorem, verbo Læſis, num.*41. affirmans, minorem repudiantem hæreditatē nullò damno affici) minor ſolùm ab alienatione prohibetur, non verò à præiudicialibus, vt in propoſito docet Vvertinus Zuchardus *in rubric. C. de pactis n.*119. Qui ex hoc tenet puberem ſine curatore ſibi factam donationem poſſe repudiare. 4

Quartò, pupillis ſolummodò hæc hęreditatis repudiatio ſine tutore prohibetur, *l.* 1. §.*tutor.*4. *de ſucceſſor. edicto, l. ſi ad pupillum* 11. *de auctorit. tutor. l. tutor, de bonor. poſſeſſ.*

Vnde infert Baldus *in l. non pro numero, in lectura antiqua, ff. ad Orfician.* quem poſteà ſecuti ſunt Bartol. Socin. *conſ.*207. incipienti, *In cauſa, col.*2. *in fin. lib.*1. & eos allegans Ioan. Anton. Rubeus *in repetit. l. pater filium n.*9. *ff. de inoffic. teſtam.* Quòd ſi maſculus minor repudiet hæreditatem, vt faciat locum fœminæ, non poterit aduerſus huiuſmodi repudiationem in integrum reſtitui. Quorum doctrinam etſi in eo veriſsimam arbitrer, quòd puberem minorem repudiare hęreditatem poſſe ſupponere videtur, in eo tamen, quòd ſine ſpe reſtitutionis fieri docet, ſuſpectam, & prorſus improbabilem habeo, ſiquidem, vt patet ex *d. l. ait prætor* 7.§.*ſed quod Papinianus*, & ex *d. l. quod ſi minor* 24. puberi hæreditatem repudianti competit remedium reſtitutionis in integrum. 5

Et vt ad inſtitutum redeamus, ita certum exiſtit, iam puberes repudiandi hęreditatem integram habere perſonam, vt ſiue curatoribus careant, ſiue illis ſint præditi, vtroque caſu per ſe eiuſmodi repudiationem validè expedire poſſunt, vt innuit Anton. Faber *in iuriſpruden. tit.*12. *prin.*1. *illation.*12. nam licèt pubes curatori addictus, nihil à pupillo differat, vt argument. *l.* 3. *C. de in integr. reſtituend. minor.* paſsim notant Interpretes, & nos pluries obſeruauimus, pupilloque ſit repudiatio ſpecialiter prohibita, *dict. l.* 1.§.*tutor* 4. *dict. l. ſi ad pupillum* 11. *cum ſimilibus.* Tamen quia hæc repudiatio ex illis eſt, quæ ad curatoris prouidentiam & adminiſtrationem non ſpectant, cùm actus ſit legitimus, vt *ex l.* 1. §.*vltim. ff. vt in poſſeſſ. legat.* admonet Anton. Faber *in rationali ad dict. l. quod ſi minor.* §.*Scæuola*: qui quidem non per alium, nec al- 6

alterius autoritate poteſt expediri, *l. nemo alieno* 123. alias 165. *de regulis iuris*, quam ita interpretantur ibidem Philip. Matth. Petr. Faber, Briſſon. *lib.* 4. *formular.* Carrança *diſput. de partu c.*2. §. 1. *illat.* 13. *num.* 121. & Anton. Pichard. *in lectionibus ad titul. de acquir. vel amitt. hæred. c.* 24. *num.* 3. neceſſariò à minore, ſine curatoris ſui autoritate perfici debet, ex ſentẽtia Aretini *in l. per procuratorem, de acquir. hæred.* & Eduardi *ſup. num.* 5. Nec obſtat quòd pupillus non aliter quàm tutore autore hæreditatem repudiat, *dict. l. ſi ad pupillum* 11. *de autor. tutor.*
7 *dict. l. tutor, de bonor. poſſ.* Quoniam cùm tutor principaliter perſonæ pupilli, & ad ſupplendum eius defectum conſtituatur, *l. quia perſonæ* 14. *de teſtamentar. tutela, §. certe, qui teſtam. tutores dari poſſunt*, vnam eandemque perſonam cum pupillo efficit. Quare abſque ipſius tutoris interuentu actum legitimum repudiationis, qui ad perſonã ſpectat, ſolus pupillus exercere nequit, quia perſona ipſius, maximè quoad hunc effectum, ab illius autoritate & conſenſu dependet, adeò, vt ſine eo ſit imperfecta. Ita Vueſembec. *in §. neque, inſtitut. de auct. tutoris*, quod de curatore dici non poteſt, qui non perſonæ, ſed rebus præponitur, *princip. inſtitut. de curator.*

8 Dictiſque non repugnat vnicum fundamentum contrariæ ſententiæ decerptum ex *dict. l. magis puto, §. fundum, de rebus eorum*, quia, vt ipſius verbis deprehenditur, loquitur in legato, cuius longè diuerſa ratio eſt, vt infrà ſuo loco *anno* 25. exactiùs dicemus: quoniam hæreditatis delatæ, & nondum aditæ renunciatio, non eſt alienatio, vt multis probat Pat. Sanchez *in ſumma lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 51.

Vnde prouenit, quòd cùm vna, eademque ratio militer in repudiatione, ac in hæreditatis reſtitutione actiua ab aliquo facienda, cùm vterque actus ſit legitimus, ideoque ab ipſa perſona, non ab alia expediendus, vt de reſtitutione loquens ſcribit Giphan. *in l.*
9 *infanti* 18. *C. de iure deliberandi.* Conſequẽs eſſe videtur, vt quemadmodum ſolus pubes abſque miniſterio curatoris repudiare poteſt, ita & poſſit ex S.C. Trebelliano hæreditatem fideicommiſſario reſtituere, vt vel ex eo ſolo liceat coniectari, quòd dumtaxat pupillus prohibetur ſine tutoribus ex fideicommiſſo hæreditatem reſtituere, *l. reſtituta* 37. *§. pupillus ad Trebellian. l. ſancimus* 7. *in fine principij C. eodem*, niſi expreſſe vrgentiori caſu contineretur *in l.* 1. *§. fuit quæſitum, ff. ad Trebellian.* vbi poſtquàm pupillum tutori ſuo hæreditatem reſtituere ea ratione negatur, quia ſine tutore fieri nõ poteſt, ita proſequitur: *Curatori tamen adoleſcentis ab adoleſcente poterit reſtitui hæreditas, quoniam neceſſaria non eſt autoritas ad reſtitutionem.* Probat multis rationibus Morla *in emporio part.* 1. *titul.* 8. *numer.* 7. & Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, cap.* 22. *num.* 8.

SVMMARIVM.

Filio habenti patrem, in cuius ſit poteſtate, non datur tutor. 1.

Tutela, quare virile officium dicatur? 2.

Parentes & tutores poſſunt vſque ad pubertatem filios, vel pupillos ratione vtentes religioni offerre. ibi. & 9.

Text. in cap. addidiſtis, & in c. infans 20. *q.* 1. *explicantur.* 3.

Text. in cap. quicumque 20. *quæſt.* 1. *explicatur.* 4.

Duplex ablactationis tempus in pueris præſcribitur. 4.

Text. in c. 1. 20. *q.* 1. *exponitur.* 5.

Oblatio habet ſe ad profeſſionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium. 6.

Parentes, vel tutores non poſſunt filios, aut pupillos inuitos religioni tradere. 7.

Paternam deuotionem, aut propriam profeſſionem Monachum facere, quomodò accipiatur? 8.

Ingreſſum puberis in religionem, nec pater, nec tutor reuocare poſſunt. 10.

Poſt annum & diem ab ingreſſu Religionis, minimè licet parentibus, aut tutoribus impuberem à regulari diſciplina auocare. 11.

Ætas ad retrahendum conceſſa, malitia non ſuppletur. 12.

QVÆSTIO XVII.

Quando liberum ſit patri, aut tutori, filium, vel pupillum religioni offerre, aut ſpontaneum eorum ingreſſum reuocare?

Parentibus, ideſt, ſiue patri, ſiue matri, vt poſt longam diſputationem mauult Pat. Sanchez *lib.* 4. *ſummæ cap.* 18. *num.* 19. 1
quem ſequitur Diana *reſolutione moral* 2. *part. tractatu* 15. aliâs 1. *miſcellaneo reſolution.* 57. *in principio*, & tutoribus: nam & hi loco parentum ſunt, vt notat Anton. Faber *in iuriſprudent.*

Pa-

Papinian.tit.12.princip.1.adfinem. Quare filio habenti patrem, in cuius poteſtate ſit, tutor dari non poteſt, *l.muto 6.§.vltim.de tutel.* iunctis his, quæ idem Faber obſeruat *ibidem, illat.15.& 21.& ſupra tit.6.principio 7.illatione 10.in fine.* Et tandem, vt id obiter notem, forte hac de cauſa tutelam officium virile eſſe dicitur *in l. tutela 16.ff.de tutelis.* cùm abſurdum, & quaſi contra naturam videatur, per alium quàm virum geri officium poſſe, quo viri, ſiue patris perſona repræſentatur Parentibus ergo, vt ad inſtitutum reuertamur, & tutoribus hac de cauſa filios impuberes, & pupillos, ex quo gaudent vſu rationis, veluti interpretatur Sanchez *lib.5.ſummæ cap.4.num.24.* religioni offerendi ius eſt, nempe maſculos vſque ad quartumdecimum annum, & vſque ad duodecimum fœminas, ita vt toto impubertatis tempore contra parentum factum reſilire nequeant, colligitur *ex cap.2.de regularib. cap.puella 20.quæſt.2.* & expreſsiùs *ex cap.1.20.quæſt.2.* illis verbis: *Parentibus ſanè filios ſuos religioni tradere, non amplius quàm vſque ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit eſſe.* Conducit apud noſtros *l.4.& 5.titul.7.part.1.* docent D. Thom. *2.2.quæſt.189.art.5.in 4.* Paludan. *in 4.diſtin.38.quæſt.4.artic.3.num.36.* D. Anton. *2.part.tit.11.cap.2.§.8.notabili 4.* Carol.de Tapia *de relig.reb. c.6.verb.Ingreſſi num.46.* Sebaſtian. Medicis *in concordia Canonum Decreti, d. cauſa 20.q.2.* P.Thom.Sanch.*lib.4.eiuſdem operis c.18.n.8.9.& 27.*

3 Et licèt illud, quod ex Sanchez notauimus, videlicet ſolùm impuberes iam vſum rationis habentes poſſe à parentibus & tutoribus vſque ad duodecimũ, vel decimũquartum annum religioni offerri, in dubium reuocari videatur *ex cap.addidiſtis 2.20.q.1:* vbi dicitur infantes, ac per cõſequens vſu rationis carentes, vt alibi probauimus, validè à parentibus fuiſſe monaſticæ diſciplinæ traditos: & apertiùs *ex c.quicumque, eadẽ cauſa & quæſtione,* & *ex c.1.20.q.2.* quibus plane ſupponitur, quacũque minori ætate, etiam ablactationis, patribus filiorum oblationem eſſe permiſſam: tamen id certũ eſt, vt probat Sanchez, nec aliud conuincitur ex dictis locis. Non quidem ex *dict.c.addidiſtis,* quia vel infantia ibi impropriè accipitur pro pueritia, vt poſt Gloſſam ibidẽ communiter ſentiunt Interpretes, & præcipuè Turrecremata *n.2.* vel pro infantia reſpectu annorũ, ſed non reſpectu vſus rationis: nã licet iſte ſoleat finita infantia cõtingere, hoc nõ eſt in perpetuũ, quia multis anteà adueniat, vt pluriès diximus, & fatetur ibidẽ Sanch.*lib.6.eiuſdem operis c.16.n.6.* quomodo etiam accipiendus eſt text. *in c. infans, eadem cauſa & quæſtione,* licèt Paleæ ſit.

Nec ex *d. c. quicumque* infringitur noſtra ſententia. Nam quãuis ablactationis tempore ex eo conſtet Samuelem fuiſſe Deo à matre oblatum, vt *1.Reg.1.* refertur, non ideò apparet id ante vſum rationis accidiſſe, imò vt *d.c.Regum* exponit Nicol.de Lyra, multo poſtquàm ad diſcretionis annos perueniſſet, fuit Samuel cultui diuino à parentibus addictus: ait enim duplicem eſſe ablactationem; vna quæ eſt abſtractio à lacte mammillæ, & hæc fit circa principium tertij anni, vel circiter. Alia eſt, quando abſtrahitur puer à lacte pueritiæ, & incipit vti cibis cõmunibus, nec ampliùs lacticinijs nutritur, quod fit regulariter circa annum decimum, vel circiter. Et hac vltima ablactatione fuiſſe Samuelem à Matre Deo ſacratũ, teſtatur prædictus Auctor, quem ſequitur Cardinal. Turrecremata *in dict.c. quicumque:* ergò non fuiſſe ante rationis vſum oblatum ſatis colligitur. 4

Minuſque dictum *c.1.20.q.1.* eam turbat cùm illa verba *in qualibet minori ætate,* non ſint accipienda, vt etiam ætatem vſu rationis deſtitutam complectantur, imò iuxta ſubiectam materiam eam habere ſignificationem debent, vt omnem ætatem ab egreſſu infantiæ vſque ad pubertatem includant. Quaſi ſenſus ſit, poſſe puerum qualibet minori ætate à ſeptennio, vel vſu rationis à parentibus religioni mancipari, quæ noſtra ſententia eſt. 5

Et illam rationem habet, quia pater, aut tutor; quibus impuberum directio toto tempore impubertatis incumbit, nõ poſſunt eos inuitos, vel non aſſentientes religioni conſecrare, *l.ſi puellæ tutores 6. l.filio familias 13.ff.de ſponſalibus.* Cùm oblatio habeat ſe ad profeſsionem, ſicut ſponſalia ad matrimonium, ex doctrina Sebaſtiani Medices *in d. concordia, cauſa 20.q.1.art.1.verſ.Ad ſextũ reſpondetur,* & P. Sanchez *d.c.18.num.26.* Ergo quemadmodũ antequã ipſi impuberes conſentiant, & ad id ſufficientem vſum rationis fuerint adepti, à parẽtibus induci ad ſpõſalia nequeunt, ita nec ab ipſis religioni offerri, quia non conſentientes conſecrarẽtur; quod fieri merito negat S. Pontifex *in d. c.* & Sanchez *d.c.num.26.& 27.* 6

Ex quibus colligitur, parentes & tutores, abſolutè loquendo, non habere omnimodam poteſtatem offerendi impuberes religioni, ſed tantùm perficiendi infirmam eorum voluntatem, qua ſe Deo in religione dicare, minus perfectè ob naturalem ætatis defectum 7

exoptant: alioquin non expectato impuberum conſenſu, illos poſſent ſub regulari tradere diſciplina, vt minùs benè ſentire videtur Anton. Diana *vbi ſup.* Quod cùm minimè eis ſit permiſſum, vt propè oſtendimus, & ſuadetur argumento *cap. Puellæ* 20. *quæſt.* 1. neceſſariò fatendum erit, verum eſſe quod diximus, nempe ſtrictum ius oblationis, nec parentibus, nec tutoribus competere, ſed tantùm ius quoddam perficiendi puerorum voluntatem, & eam religioni offerendi.

8 Itaque ſubintelligendum erit quod ex noſtro Concilio Toletano 4. refertur *in cap. Monachum* 20. *quæſt.* 1. ſcilicet, monachum, aut paternam deuotionẽ, aut propriam profeſsionem facere, nam licèt his verbis indicari videatur ſolam paternam deuotionem, vel oblationem independenter à filij voluntate, eum Monachum facere, & conſequenter non eo modo, quo diximus, cùm etiam ſolam filij voluntatem, vel profeſsionem, abſque aliquo patris auxilio ipſum religioſum efficere inſuper affirment. Verus tamen dictorum verborum ſenſus eſt, Monachum facere aut paternam deuotionem ſimul cum impuberis filij voluntate, aut iam adulti ſolam profeſsionem, vt optimè cum Gloſſa *ibidem* interpretantur Turrecremata & alij.

9 Etenim cùm imperfectio hæc voluntatis ſolummodò ad pubertatem, tam in maſculis, quàm in fœminis protendatur, vt vel ex eo conſtat, quòd tunc matrimonium liberè poſſunt inire, necnon & inuitis parentibus religioſum habitum aſſumere, vt ex Gloſſa *in dict. cap.* 20. *quæſt.* 1. tradit Gomeſius *in cap. ſi ſi annum, num.* 3. *de iudicijs, lib.* 6. & notatur à DD. *in cap. conſtitutus, de reſtitutione in integrum.* Inde eſt, ad illud vſque tempus tantundem impuberes paterna, aut tutoria voluntate indigere, & conſequenter, non vlteriùs hac ratione poſſe parentes vel tutores illos religioni offerre, vt tot iura & Scriptores teſtantur, quorum initio meminimus.

10 Adeò quidem, vt non liceat parentibus, vel tutoribus, ſi poſt pubertatis annos abſque eorum conſenſu fuerint religionem ingreſsi, illorum ingreſſum reuocare. Nam quemadmodũ vltra eam ætatem nullum eos offerendi ius habent; & ſi inuitos offerant, excommunicatione innodantur, vt optimè docet Diana *dict. reſolut.* 57. ita nec reuocandi à religione tunc ſemel ingreſſos poteſtatem nanciſcuntur, argumento *textus*, qui ita debet intelligi *in cap. fin.* 19. *quæſt.* 3. *&* *cap.* 1. 20. *quæſt.* 2. *cap.* 2. *de Regularibus, &* *l.* 5. *titul.* 7. *p.* 1. inſinuant D. Thom. 2.2. *quæſt.* 189. *art.* 5. Gomeſius *in cap. ſi annum, in principio.* Carol. Tapia *dict. cap.* 6. *num.* 37. Pat. Sanchez *dict. cap.* 18. *num.* 10. pendet enim hæc reuocandi facultas ab illa poteſtate offerendi: ergo quanto tempore illa durauerit, & hæc durare debet. Quare communis omnium traditio eſt, veluti proximè adducti obteſtantur, parentes, aut tutores filiorum, vel pupillorum ingreſſum ad decimumquartum annum, ſi maſculi ſint, & ad duodecimum, ſi fœminę, reuocare poſſe, & eos à religione extrahere, non vtique propria autoritate, imò illius, qui in monaſterium habeat poteſtatem: vt non malè ex *dict. cap.* 2. *de regular.* colligitur, vbi tantùm conceditur illis poteſtas reclamandi, & adeundi ſuperiorem.

Quod ita intelligendum eſt, niſi expreſsè parentes, vel tutores ingreſſui conſenſiſſent, aut tacitè, ſi ipſis ſcientibus ab ingreſſu ad pubertatem annus & dies affluxiſſet: nam ſi tãtum tempus præceſsiſſet, etiam ante pubertatis aduentum illis eſſet reuocandi via intercluſa, *dict. cap. puella* 20. *quæſt.* 2. *&* *dict. cap.* 2. *de regular.* tradunt expreſsè ſupra relati, inter quos Sanchez *dict. loco numer.* 11. & id expreſsiùs notat dicens, hunc annum includi debere intra annos, quibus illi ſunt impuberes. Si enim filius, aut pupillus, prope pubertatem ingrediantur, parentibus inſcijs, aut tutoribus, non conceditur illis integer annus ad reuocandum, ſed id ſolùm, quod ſupereſt vſque ad pubertatem, qua adepta, ceſſauit id reuocandi ius. Quia deinceps, proſequitur prædictus Autor, integrum eſt illis contra parentum vel tutorum voluntatem ad religionẽ tranſire, vel in ea perſeuerare, ſi ante pubertatem fuerunt ingreſsi, vbi *numeris ſequentibus* cætera huc ſpectantia accuratiſsimè pertractat, eum vide. 11

Diximus ad decimumquartum annum licere parentibus, aut tutoribus maſculos impuberes, vel fœminas ad duodecimum à religione extrahere: & id quidem ita verum eſt; nunc ſubiungimus, vt licèt malitia ſuppleat autem, nilominùs reuocandi poteſtas duret vſque ad vltimum prædicti temporis punctum, ſiquidem cautum reperitur hanc facultatem perſeuerare ad quatuordecimũ, & duodecimum annum impuberum: & nullibi legitur præfiniri, ſupplente malitia dictam ætatem, vt vel hac ſola ratione aduerſus Paludanum *in* 3. *diſt.* 39. *quæſt.* 3. *quæſtiunc.* 2. ita concludit Sanchez *dict. capit.* 18 *num.* 14. 12

SVM-

SVMMARIVM.

SVperiores vtpote Pater, Tutor, & ſimiles, poſſunt quæcumque ſubditorum impuberum vota irritare. 1.

Tantùm vſque ad pubertatem ſubditorũ licere ſuperioribus illorũ vota infringere, multi docent. 2. *Sed contrarium eſt verius.* 4.

Impuberes an vltra pubertatem ſint in poteſtate ſuperiorum? 3.

Votum à principio reuocabile, ſemper manet eiuſdem naturæ. 4.

Votum à filio emiſſum cenſetur conditionale, ſi pater non contradixerit, & etiam poſt pubertatem durat conditio. 5.

Sacerdos etiam tranſacto Iubileo, habet poteſtatem commutandi vota illius pœnitentis, qui fuit Iubileum lucratus. 6.

Etiam filio emancipato poteſt pater ipſius vota reuocare. 7.

Quoad votum attinet, ius ſolum naturale inſpicitur. ibid.

Ante ratificationem filij iam puberis licet patri illius vota, etiam poſt trigeſimum ætatis annum, vel emancipationẽ irritare, quãuis filius huius remedij inſcius votum ſæpiùs ſeruauerit. 8.

Propoſitum ſeruandi votum, quod validum cenſetur, licèt poſt pubertatem contingat, illud non ratificat. 9.

Putans votum eſſe irritabile, ſed interim obligatorium, non tenetur, quamuis poſt pubertatem illud ſeruare propoſuerit. ibid.

Actus perſeuerantiæ, ſiue profeſſorum, ab eo, qui nulliter fuit profeſſus, facti, in confirmationẽ profeſſionis facti præſumuntur. 10.

Factum poſt votum, magis ex vi ipſius obligationis, quàm in eius confirmationem factum iudicatur. ibid.

Text. in cap. pueri 22. q. 5. explicatur. 11. *& ſeqq.*

Dictio, ſtatim, *licèt regulariter nullam dilationem admittat, plerumque tamen iuxta ſubiectam materiam longum tempus ſignificat.* 12.

QVÆSTIO XVIII.

Vota ſubditorum impuberum, an vltra eorum pubertatem valeant ſuperiores reuocare?

1 SVppoſita doctrina, quæ habet, ſuperiores poſſe quæcũque impuberum vota, ſiue realia, ſiue perſonalia, ſiue mixta irritare, vt de patre & tutore, *ex cap. 30. Numer. relato in cap. mulier 32. quæſt. 2. & ex cap. 1. & 2. 20. quæſt. 2.* docent D. Antonin. *2. part. titul. 11. cap. 2. §. 6.* Ioann. Friburg. *in ſumma confeſſ. titul. 8. lib. 2. q. 34.* Henric. Boich *in cap. Scripturæ num. 2. de voto*, Nauarr. *in ſumma cap. 12. numer. 70.* Carol. Tapia *de relig. rebus cap. 6. num. 29.* Stunica *tractat. de voto, quæſt. 3. num. 81. 93. & 95.* Paul. Comitol. *reſponſ. mor. lib. 2. quæſt. 7.* Azor *lib. 11. inſt. moral. cap. 17. quæſt. 8.* P. Suar. *2. tom. de Relig. lib. 6. cap. 6. num. 6. & 22.* Bonacina, vt teſtatur ipſius Compendium *verbo Votum, num. 57.* P. Sanchez *lib. 4. ſummæ cap. 35. num. 7.* vbi & *numer. 77.* de matre certis tantùm caſibus idẽ affirmat, & abſolutè de domino, hero, nutricio expoſiti infantis, cuius parentes ſunt incogniti, & magiſtro tenent Leſius *de iuſti. cap. 40. dubio 14. num. 82.* Suar. *dict. loco numer. 23.* Sairus *in claui regia lib. 6. cap. 10. num. 18. in fin.* Quorum opinionem, etſi non audeat approbare Sanchez *ibidem num. 84.* quia ſolido fundamento caret, eam tamen valde piam, & quam poſſet aliquis tantorum doctorum autoritate nixus, conſulere, & ſequi appellat.

Difficultas autem eſt, an ſolùm vſque ad pubertatem inferiorum his ſuperioribus liceat illorum vota retractare? Et quidem in hac difficultate aliquorum ſententia tenet, ad eam vſque ætatem ipſis fuiſſe irritandi poteſtatem conceſſam. Ita ex Mario de Andr. è Societate Ieſu, *in lectura de matrimonio, cap. de impedimento voti*, teſtatur Carol. Tapia *loco vbi ſuprà numer. 36.* & licèt non expreſſe Comitolus, & Stunica, & Sanchez etiam *dictis in locis*, ille *numer. 82.* iſte *num. 8.* vbi contra Ouandum *in 4. diſt. 38. diſput. vnic. propoſit. 34. in fin.* ait, hoc tempus irritandi ſuperioribus indultum, minimè poſſe dici prorogatum eſſe in maſculis & fœminis vſque ad decimumſextum annum completum, per Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 15.* quia id decretum de ſola profeſsione agit. Quare ad vota ſimplicia, de quibus nos agimus, vt notat Suarez *vbi proximè num. 6.* protrahi non debet. 2

Et ratione ſuaderi videtur hæc opinio, quia impuberes iure naturali & poſitiuo tantùm ſunt in poteſtate ſuperiorum, vt ipſorum voluntate regi debeant ante vſum rationis: ergo cùm ſolùm ante decimumquartum annum maſculi, & ante duodecimum fœminæ, perfecto vſu rationis careant, pro illo tempore dumtaxat, & non vltra, ipſorum vota, quaſi à iudicio carentibus facta, irritari poterunt. 3

Contrarium nihilominus vt probabilius de- 4

defendunt Caietan. 2. 2. *quæſt.* 189. *artic.* 5. & Victoria *ibidem*, & in *artic.* 9. *quæſt.* 88. a. 2. Nauarr. *cap.* 12. *numer.* 71. Viuald. *in candelabro* 3. *part. cap.* 14. *num.* 100. Azor *lib.* 11. *capit.* 17. *q.* 7. Leſius *lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 80. Ludouic. Lopez *capit.* 48. Stunica *dict. quæſt.* 3. *numer.* 84. Suarez *dict. cap.* 6. *num.* 8. & Martin. Bonacina *vbi ſuprà*, exiſtimantes parentes etiam vltra pubertatem irritare poſſe vota, quæ in impubertate filius emiſerat, cuius ſententiæ fundamenta hæc ſunt. In primis, quia votum filij impuberis à principio fuit infirmum, & irritabile, & nunquam fuit confirmatum, vt ſupponitur: ergo ſemper retinet illam imperfectionem, qua durante, ſemper irritari poterit.

5 Deinde, quia votum illud à principio includit eam conditionem, ſi pater non contradixerit: ergo ſemper votum manet conditionatum, & pendens à voluntate patris, & ratione illius poterit irritari, ſiquidem illa conditio non limitatur ad tempus pueritiæ, vt conditio ſit: *Si pater infra tempus pubertatis non contradixerit*, cùm nec à iure, nec à ratione talis limitatio deprehendatur. Non à iure, quia nulibi id cautum reperitur: non à ratione, quia ex ea potiùs elicitur abſque tali limitatione conditionem eſſe oportere. Nam cùm hæc poteſtas renocandi conceſſa ſit ad ſubueniendum indiſcretioni filiorum, quatenus durat obligatio ex ipſorum in diſcretione, & ea durare debet, argumento *cap. vltimi*, *de ſententia excommun:* vbi datam poteſtatem Epiſcopis abſoluendi pueros à ſententia canonis, etiã poſt pubertatem, ſi tunc abſolui poſtulauerint, exercere poſſunt. Ex quo ibidem notat Panormitan. *num.* 2. teſte Suario *dicto loco*, beneficium inductum ratione minoris ætatis, poſtquam cœpit habere locum, non extingui, licèt minor perueniat ad maiorem ætatem.

6 Pro qua ſententia vrget doctrina patris Henriquez *in ſumma lib.* 7. *de indulgent. capit.* 11. *numer.* 4. Sairi *in claui Regia lib.* 6. *capit.* 12. *numer.* 17. Sanchez *in ſumma tomo* 1. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 39. & 40. Leonar. Leſij *in vltima editione operis ſui de iuſt. & iure lib.* 2. *capit.* 40. *dub.* 16. *num.* 109. quàm probabilem, & in praxi tutam nouiſsimè exiſtimat doctiſsimus Antonin. Dian. *reſolution. moral. part.* 2. *tract.* 16. *reſolutione* 11. quæ habet, Sacerdotem etiam tranſacto Iubilæo obtinere iuriſdictionem & poteſtatem commutandi vota illius pœnitentis, qui Iubilæum conſequutus eſt: nam priuilegium commutandi talia vota non eſt alligatum tempori, ſicut ſunt opera ad conſequendum ſuptadictum Iubileum, vt etiam in noſtro caſu dici poteſt. Nam licèt neceſſario tempore impubertatis votum fieri debeat, vt poſsit à patre & tutore irritari: attamen poſtquam iam fuit factum, poteſtas irritandi tempori non aligatur. Quæ rationes cùm pariter in cæteris ſuperioribus militent, excepto tutore, qui accedente pubertate officium amittit, *princip. inſtitut. quibus modis tut. fin.* cum alijs propio loco congeſtis, idem de illis ac de parentibus dicendum videtur.

Quocircà, licèt hæc opinio diſplicuerit Soto *lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 2. *articul.* 3. *in fin.* Aragonio 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 9. Angel. *quæſt. de voto articul.* 7. *difficultat.* 12. *dubio* 7. tamen eorum fundamentis omnino ſubuerſis, in eadem ſententia perſeuerauit Suar. *dict. capit.* 6. *numer.* 11. vbi eam procedere ſubiungit, ſiue poſt pubertatem filius ſit in poteſtate, ſiue extra, per emancipationem, aut alio modo. Nam ſi vtroque caſu liberum eſſe patri arbitratur vota filio impubere emiſſa retractare; cùm, quia etiam poſt emancipationem, vt iure naturali (quod hac in re ſolum attenditur, vt ex Innocentio *in capit.* 2. *num.* 1. *de regularibus*, Angelo, Sylueſtro, Tabiena, Armilla, *verbo Patria poteſtas*, docet Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 19. & rurſus indicat *dict. capit.* 35. *numer.* 75.) ipſe pater remanet, & ille filius perſeuerat: vnde à Prætore perinde admittitur ad bonorum poſſeſsionem, ac ſi in patris familia manſiſſet, *l.* 1. *ff. de bonorum poſſeſſ. contra tabul.* Nam vt nimis appoſitè inquit Anton. Faber *in iuriſprud. Papin. titul.* 2 *prin.* 3. *illat. vltim.* emancipatio, quæ eſt iuris ciuilis, poteſt extinguere nomen ſui hæredis, quod itidem eſt ex iure ciuili, ſed non filij ius & nomen, quod eſt à natura. Tum quia conditio illa incluſa voto ſemper habet locum; ergo donec deficiat, vel adimpleatur, velut conditione poſitus vota poterit reuocare. 7

Vnde infert Stunica *dict. quæſt.* 3. *num.* 85. quòd non ſolùm cùm puer poſt quartumdecimum annum non ratificauit votum anteà factum, eo ſcilicèt modo, quo exponit Suarez *dict. cap.* 6. *num.* 12. & 13. Imò & cùm ex ignorantia poſt pubertatem, & annum quatuordecimum ſeruauit, putans ſe non habere remedium irritandi, quod peteret, ſi ſciſſet, pater poterit illud irritare, etſi vouens filius ſit triginta anno- 8

rum

rum, aut emancipatus, vt ex dictis colligitur.

Quod procedere item dicendum eſt, etiam vbi puer iſte, qui fecit votum caſtitatis, verbi gratia, veniens ad pubertatem, & putans iam votum non eſſe irritabile, ſtatuit perpetuò ſeruare illud, ſicut tenetur, quia vt inquit Suarez *dict. capit. 6. numer.* 13. non ideò voluit confirmare illud, ſed potiùs in ſua exiſtimatione, ſupponens eſſe firmum, ſeruare vult, & non confirmare: nam voluntas ſeruandi non eſt modus confirmandi votum; Carol. de Tapia *vbi proximè numer.* 35. etiam in eo, qui ſciens votum eſſe irritabile, ſed interim obligatorium ideò ſeruare elapſa pubertate propoſuit, ex ſententia eiuſdem Suarez *ibidem.* Igitur cùm non fuerit ratificatum, adhuc pendet à voluntate patris, & ab eo irritari poterit quocumque tempore in hoc ſtatu perſeuerauerit.

10 Quibus non aduerſatur text. *in dict. capit. puella* 20. *quæſt.* 2. vbi ſtatim accedente pubertate ex perſeuerantia, ſolemne religionis votum, quod in profeſsione emittitur, abſque alia ratificatione ita firmum manet, vt nec à pubere, nec ab ipſius parentibus, vel tutoribus, poſsit irritari, quia actus perſeuerantiæ, ſiue profeſſorum, facti poſt pubertatem ab eo, qui anteà inutiliter fuit profeſſus, neceſſariò in ratificationem & confirmationem nullæ profeſsionis facti debent intelligi, ſiquidem qui illos vult facere, cenſetur velle fundamentum illorum, nempe profeſsionem: quod de actibus in executionem voti poſt pubertatem dici non poterit: nam cùm votum, licèt in puerili ætate emiſſum fuiſſet validum, vt ſuo loco videbitur; quidquid illud reſpiciens poſtmodum fit, magis ex obligatione voti, quàm in eius confirmationem actum iudicatur, ex doctrina Patris Suarez *dict. cap. 6. num.* 13. *in principio.*

11 Sed vereor, nedum hanc difficultatem effugere contendimus, in grauiorem aliam incidamus ex *cap. pueri* 22. *quæſt.* 5. vbi ea ſolummodò vota impuberum ſimplicia, & non ſolemnia, vt profeſsionis, contradictione paterna irrita dicuntur, quæ pater ſtatim vt facta eſſe intellexit, contradixit. Quare ad tempus tantùm ſcientiæ, ſiue ante pubertatem, ſiue poſt, non verò vſque ad ratificationem filiorum in maiori ætate factam, vt monuimus, patri facultatem eſſe irritandi eorum vota, inferendum videbatur.

Huic enim obiectioni tantùm reſpondendum occurrit, Eliberitanum Concilium *in dict. capit.* ſolùm definiſſe, impuberis filiæ vota, quæ pater, vt audiuit, ſtatim contradixit, irrita eſſe. Non enim decreuit, oportere ad hoc, vt pater ea reuocet, quòd ſtatim ac facta intellexit, contradicat, velut innuens tunc ſolùm reuocandi impuberis filiæ vota patri ius eſſe, cùm facta cognouit, & non alio tempore. Nec enim dictio *ſtatim* id probat: quia licèt regulariter nullam dilationem admittat, *l. ſi finita*, §. *non autem ſtatim*, *ff. de damno infecto*, *l. cùm quidam*, *de legatis* 2. plerumque iuxta ſubiectam materiam accipitur, & longum tempus denotat, vt in *l. quod dicimus. ff. de ſolution. & in l. fin. C. de iudic.* probant poſt Gloſſam *in capit. quicumque* 77. *diſtinctio.* relati à Vulpello *tractatu de præpoſitionibus*, *dictione in continenti*, *in principio*, etiam Barboſa *de diction. dictione* 333. 12

SVMMARIVM.

Conſuetudo antiqua iurandi primogenitos Regum, ipſis viuentibus, in ſucceſſores Regnorum, etiam bodie apud noſtros viget. 1.

Pubertas deſideratur in Principe, vt fidelitatis homagium ipſi præſtetur. 2. & 6.

In feudis minimè cogitur vaſſallus domino impuberi præſtare homagium fidelitatis. 3.

Impubes vaſſallus non tenetur fidelitatem iurare. 4.

Princeps recipiens iuramentum fidelitatis, etiam vaſſallis obſtringitur. 5.

Qui vel à patre, tutore, vel Regni Proceribus gubernatur, poteſt quacumque ætate, etiam infantili, in Regem iurari, dummodò fuerit priùs per Baptiſmum in Eccleſiam receptus. 6.

Vtero exiſtens nequaquam iurari poteſt. 7.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

Princeps quando à ſubditis iurari poſſit, aut ipſis fidelitas, qua ætate homagij ſolemnitate apud noſtros ſpondeatur?

Cuius quæſtionis reſolutio & ad perſonas dominorum pertinebit, quibus vaſſalli ob inueſtituram feudorum ad fidelitatis promiſsionem tenentur, necnon & ad perſonas vaſſallorum, vt qua ætate fidelitatem præſtare teneantur appareat.

1 COnſuetudo illa antiquorum Regum, cuius meminit Abulenſis *Paralipomenon.* 2. *c.* 11. *in fine*, iurandi primogenitos eorum, ipſis viuentibus, in Principes, ſiue Regnorum legitimos ſucceſſores, iam diu apud noſtros inualuit, teſte Gregorio Lopez *in l.* 2. *verb. Eſto vſaron ſiempre, tit.* 15. *p.* 2. ſaltim ab anno 1276. quo Rex Sancius 4. cognomento *el Brauo* in Comitijs Segouiæ habitis ſolemni homagio fuit ad Regni ſucceſsionem admiſſus, vt ex vetuſtiſsimis rerum Hiſpanicarum Hiſtoriographis protulit huiuſce literaturæ peritiſsimus Doctor Petrus Salazar & Mendoça *in peculiari quodam tractatu, quem de Principis iuramento* ſcripſit, & poſteà pene ad literam, opere ſuo inſcripto, *Origen de las dignidades ſeglares de Caſtilla, lib.* 3. *capit.* 23. 24. & 25. incluſit.

2 Hoc enim perſpicuum exiſtit, quod verò dubitatione non caret, & ad inſtitutionem noſtram ſpectat, deſignatio ætatis eſt, quam neceſſariò Princeps habere debet, vt à ſubditis, & Regnũ, & fidelitas ſacramenti religione ipſi promittatur. Et cùm iuramentũ, quod Principibus præſtatur, nihil aliud ſit quàm promiſsio quædã fidelitatis iurata, vt ex ipſiuſmet iuramenti verbis, quæ refert Salazar *d. c.* 25. colligitur; dicendũ videtur ſecundũ iuris diſpoſitionem, non niſi puberibus fieri oportere, vt præcepiſſe apud noſtros Sanciũ huius nominis Tertium refert Caldas Pereira *in l. ſi curatorem verb. Hunc contractum, n.* 47. *verſ. Id igitur*, multoque magis, & luculentius è ſequentibus elucebit.

3 Primò, quia ante pubertatem non cogitur vaſſallus domino impuberi præſtare homagium fidelitatis, vt conſtat *ex c.* 1. *quo tempore miles inueſtiturã petere debet*, vbi cauetur, quòd ſi miles intra annum & menſem inueſtituram feudi à filio, vel ſucceſſore domini ſui non petat, feudum amittet, niſi iuſta cauſa interuenerit, quare non petierit: veluti infantia domini, ſcilicet, vel vaſſalli, vt interpretatur Iacobus de Belloniſu, *ibidem*, quem ſequitur Ægidius Bellamer. *conſ.* 48. *n.* 40.

Secundò, & ex eo coniectatur, quòd impubes & minor anno decimoquarto ad fidelitatis iuramentum præſtandum cogi nõ poteſt, *cap. Imperialem*, §. *præterea, de probibit. alienat. per Federicum, cap. ſi quis deceſſerit. ſi de feudo defuncti contentio ſit inter dominum & agnatos*, quibus id expreſſe definitur, & cõducunt tradita à Rolando Valle *conſ.* 64. *num.* 26. *lib.* 2. & Tuſcho *litera F. concl.* 126. *n.* 62. Ludouic. Peguera *de laudemijs* 2. *præludio n.* 6. *verſ. Secundò fallit*: ergo ſi impubes vaſſallus non tenetur præſtare, neque domino impuberi præſtandum erit, quia inter dominum & vaſſallum æqualitas ſeruanda eſt, *cap. vnic. qualiter dominus proprietate feudi priuetur.* 4

Tertiò, nam dominus, ſiue Princeps, etiã in receptione prædicti iuramenti, vel homagij obligatũr, verſa vice, vt de domino apparet in *c. vnic. de forma fidelitatis*, & de Principe ex verbis ipſius iuramenti relatis à Salazar loco *vbi proximè*, confirmantque verba Petri Gregorij *lib.* 3. *de Republica c.* 8. *n.* 5. vnde cùm pupillus perſonaliter obligari nõ poſsit, *l. pupillus* 59. *de action. & obligat. l.* 1. *in fine. de nouation.* cum alibi notatis: inde eſt, quòd nec ante pubertatem fidelitatis ſacramentum accipere, nec in Principem iurari queat. 5

His ergo rationibus ducti Ægidius Bellamera *dict. conſ.* 48. *n.* 40. & Cardinal. Tuſch. *practic. concluſ. iuris litera I. concluſ.* 118. *n.* 4. in ea ſunt opinione, vt exiſtiment vaſſallũ non teneri præſtare homagium domino infanti impuberi, aut proximo pubertati. Quibus & ego etiam adducor, vt profitear apud noſtros impuberes Principes cuiuſcumque ſexus ante pubertatis annos iurari non poſſe. Quod ita accipiendum eſt, ſi tutores non habeant, quibus ipſorum nomine præſtari iuramentum poſsit, aut Conſilium ſupremum, quod quidem magnis Principibus pro tutore eſt. Ægid. *dict. conſil. num.* 52. & 53. & 53. & Tuſchus *ibidem num.* 6. Nam ſi parentibus, tutoribus, aut Conſilio regantur, quacumque in ætate exiſtant, dummodò ſacra ablutione fuerint ad Eccleſiam admiſsi, iurari poterunt, vt comprobatur exemplo Caroli Quinti Imperatoris, qui cùm ſex annorum eſſet & ſeptem menſium, fuit ad 6

Reg-

Regni ſucceſsionem iuramento receptus, vt & Philippus Secundus, & ipſius filius Ferdinandus, cùm vix anniculus eſſet: & cæteri deinde Principes, veluti recenſet noſter Petrus Salazar de Mendoça *locis vbi ſuprà.* Quod & noſtris temporibus teſtimonio Principis Balthaſaris, Philippi Quarti filij obfirmari poteſt, qui nondum vnius anni extiterat, cùm in Diui Hieronymi Cœnobio prope Matritum publicè fuit vt Regnorum legitimus ſucceſſor ſolemni homagio à Proceribus Regni iuratus.

7 Vnde veniunt improbandi Bald. *in l. qui in vtero 26.* & Ioannes Orofcius *ibidem numer. 3. ff. de ſtatu hominis*, Gregor. Lopez *in l. 5. titul. 15. part. 2. gloſ. 1.* Mieres *de maioratu 3. part. quæſt. 2. numer. 13.* dum falſo ex illa *lege 26.* deducunt, mortuo Rege, vxore prægnante relicta, ſubditos fidelitatem & obſequium iurare debere ei, qui in vtero eſt. Nam cùm, vt requiri diximus, tunc nec baptizatus, nec ſub tutoris poteſtate eſſe poſsit, *l. ſi nemo 19. §. vltimo, de teſtament. tutel. l. 1. § ſi quis quaſi, ff de eo qui pro tutore*, & conſequenter nec à ſupremo Conſilio regi, inde eſt, ei fidelitatis hoc homagium, vel iuramentum præſtari non valere.

SVMMARIVM.

ANnus probationis neceſſariò profeſsionem præcedere debet. 1.

Maſculus poſt decimumquartum annum, & fœmina poſt duodecimum, debent ad annum probationis admitti, ibidem.

Pubertas adeò ad nouitiatum requiritur, vt nec malitia ſuppleatur, nec poſt Tridentinum maior ætas ſit neceſſaria. 2.

Impuberes caſtitatis difficultates experiri planè nequeunt. 3.

Nouitius an quis dicatur ante probationis annum? 4. & 5.

Nouitius gaudet priuilegio religioſorum, & qui illum percutit, incidit in Canonem, ibidem.

Profeſſio facta ab eo, qui ante pubertatem fuit ad annum probationis admiſſus, eſt nulla. 5.

In Societate Ieſu, nemo ante quindecim annos, vel poſt quinquaginta, poteſt ad nouitiatum admitti, niſi ex diſpenſatione Patris Generalis. 6.

QVÆSTIO XX.

Qua ætate religionem ingreſsi debeant ad nouitiatum admitti?

AD probationis vel nouitiatus annum, qui neceſſariò tam de iure communi, quàm ex noua Concilij Tridentini ordinatione, profeſsionem cuiuſcumque religionis, ſiue virorum, ſiue fœminarum, præcedere debet, *cap. ad Apoſtolicam 16. de Regularib. cap. non ſolum 2. cap. conſtitutionem 3. eodem titul. in 6. Concilij Tridentin. ſeſſ. 25. de regular. cap. 15.* pubertas præcisè deſideratur. Quare nec maſculum ante decimumquartum annum exactum, nec ante duodecimum fœminam ad nouitiatum poſſe admitti, *ex Clementin. vltim. iuncta Gloſſa verbo ætate, de Regular.* obſeruant Palud. *3. d. 39. q. 3. in quæſtiuncul. 2. fine.* D. Antonin. *3 p tit. 16. c. 3. §. 2.* Sylueſt. *verb. Religio 2. q. 3. q. 2. & religio 5. & religio. 5. q. 1.* Roſella *verbo Nouitius num. 9.* vbi Angel. *n. 1.* Tabiena *num. 1. q. 1.* Armilla *num. 1.* Gregor. Lopez *l. 3. verbo Vn año, titul. 7. part. 1.* Anton. Cuccus *lib. 3. inſtitut. maiorum, tit. 1. n. 66. & 67.* Azor *lib. 12. inſtit. mor. cap. 2. q. 4. & q. 7.* Auguſtin. Barboſ. *de iure Eccleſiaſtico, cap. 42. num. 1.* Pat. Sanchez *lib. 5. ſummæ cap. 4 num. 22.* vbi & inſuper circa hanc ætatem tria ſubiungit. Primùm, eam 2 malitiam non ſupplere, ſicut nec ſupplere dicemus ætatem ad profeſsionem requiſitã: Secundùm, complendam eſſe de momẽto ad momentum, & anno biſextili duplicem diem ad ipſius complementum pro vno reputari. Tertiùm per Tridentinum *dict. cap. 15.* non eſſe abrogatam, cùm ſolam profeſsionẽ ante decimum ſextum annum exactum irritam reddat, non verò interdicat nouitiatum incipi, aut compleri ante eam ſexdecim annorum ætatem, vt optimè docent Nauarr. *lib. 3. conſil. tit. de regular. in 1. editione conſ. 30. num. 1. in 2. conſ. 20. num. 1.* Azor *lib. 12. inſtitut. moral. cap. 4. quæſt. 9. in fine*, Emanuel Sà *in ſumma, verbo Religio. num. 11.* Henriquez *lib. 13. de excommun. cap. 40. num. 2. in fine*; Rodriguez *quæſtion. regular. tomo 3. quæſt. 15. articul. 2. in fine.* Sorbus *in priuilegijs mendicantium, verbo Nouitius notabili 4.* Qui licèt teneat hoc eſſe ſublatum per motumproprium Sixti Quinti, in hoc eum reprobat, his relatis idem Sanchez *hic*, & *lib. 4. cap. 18. in fin.*

Quæ præſcriptio pubertatis ad ingrediendum 3

dum nouitiatus annum, & vt quis propriè nouitius fiat, mira ea ſubnititur ratione, quia annus ille datur ad auſteritates religionis experiendas, inter quas potiſsimùm emi net caſtitatis obſeruantia, cuius difficultates impuberes experiri planè nequeunt, cùm nondum ad eam ætatem deuenerint, qua vt aptitudinem ad venerea, & concupiſcentiam habeant ad ea.

4 Nec inde ſequitur, ante pubertatis annos religioſum habitum induentes nouitios appellari non poſſe: quia licèt attenta rei proprietate ita ſit, alio tamẽ reſpectu, ideſt, quia adeò ſunt in religione noui, vt nondum anno probationis ei inſeruierint, ſic ipſi cognominari poterunt, argumento textus *in l. interdum 16. §. quoties*, ibi: *Nouitia autem mancipia intelliguntur, quæ anno nondum ſeruierint, ff. de publican. & vectigal.* quo ſenſu monachus nouitius dicitur *in cap. Monachus 9. in principio 77. diſtinct.* etiam qui ad acolytatum requiſitã duodecimi anni ætatem non expleuerat, & ingredientes religionem nouitij definiuntur *in l. 4. titul. 7. part. 1.* ibi: *Nouicios llaman à los que nueuamente entran en algun orden*: & meritò, nam & iſti priuilegijs illorum, qui magis propriè nouitij ſunt, gaudent & fruuntur, vt priuilegio Canonis conceſſo nouitijs, *cap. Religioſo 21. in fine de ſentent. excommun. lib. 6.* notat Card. Turrecremat. *in ſumma diſtinctionis 91. num. 14* Carol. Tapia *de religioſ. rebus verbo ſua, num. 12.* Emanuel Rodriguez *quæſtion. regul. lib. 12. quæſt. 1. articul. 10.* & ita eos percutiens erit excommunicatus ipſo iure, ex ſententia Paludani *in 3. diſtin. 39. quæſt. 3. in quæſtiuncula 2. in fine*, Angel. *verbo Nouitius num. 21.* Quod certum eſſe fatetur Sanchez *dict. cap. 4. numer. 24.* niſi ante vſum rationis fuerint ingreſſi, vel iuxta religionis conſtitutiones impuberes admitti nequeunt, ita vt admiſsio ſit irrita, quia cùm his caſibus admiſsio non valeat, nullo priuilegio admiſſus gaudebit.

5 Verùm quamuis iſti impuberes religionem ingredientes quoad nomen & priuilegia nouitij habeantur, quo ad profeſsionem tamen ſpectat, nouitij non erunt, cùm ſolus ille hoc reſpectu nouitius dicatur, qui cùm decimumquartum annum haberet, probationis annum inchoauit. Quapropter, ſi ante prædictum tempus aliquis ad nouitiatum fuiſſet admiſſus, profeſsio eius virtute facta nullitatis vitio laboraret: quia cùm talis nouitiatus non ſit validus, nec ſufficiens ad experiẽda religionis incommoda, perinde eſt, ac ſi eo non præmiſſo profeſsio emitteretur. Nec proderit, quòd prædictæ ætati antea religioſus & monaſterium renuntiauerit, quia vt hoc nõ ſufficeret, vt nouitiatus ante pubertatem poſſet legitimè haberi, nec ſufficiet, vt eius virtute profeſsio validè emittatur. Vt vtrumque docet idem Sanchez *dict. cap. 4. num. 23. & 25.* qui & *num. 26.* conſequenter notat, idem obſeruari debere 6
in Societate Ieſu, vbi nemo ante quindecim annos, aut poſt quinquaginta ad nouitiatum poteſt admitti, niſi ex diſpenſatione ſolius Patris Generalis, non verò Prouincialis. Quare ſi Prouincialis ante dictam ætatem expletam, vel poſt impletos quinquaginta annos quemquam admittat abſque Patris Generalis diſpenſatione, ita admiſſio erit irrita, vt eius contemplatione facta profeſsio ſit nulla, vt hæc & alia ad eiuſmodi Societatis inſtitutum conducentia, *ibidem* latiùs pertractat ipſe Sanchez.

SVMMARIVM.

Peccata impuberum contineri in generali reſeruatione, multi docent. 1.

Verius eſt, in generali reſeruatione ſolùm peccata eorum, qui decimumquartũ annum, vel earum, quæ duodecimum excedunt, venire. 2.

QVÆSTIO XXI.

Quoties ab Epiſcopo nonnulli caſus reſeruantur, an pueri ante annum pubertatis in tali reſeruatione includantur?

Maximè apud Moralis Theologiæ Scriptores controuerſa hæc quæſtio reperitur, in qua quidẽ & aſſerentium, & negãtium quã plurimæ ſunt ſententiæ. Homobonus *de caſibus reſeruatis, p. 1. c. 3. fol. 60.* quem ſequuti ſunt Lazarius *tractat. de blaſphemia q. 9. n. 42.* & nouiſsimè Floronius *de caſibus reſeruat. p. 1. c. 3. n. 3.* affirmat, peccata nondum pubeſcentium Epiſcoporum reſeruationibus omnino comprehendi, niſi contrarium vel ſtatuto, aut ipſamet reſeruatione exprimatur.

Alij autem, ex quibus Paludanus *in 4. ſentent. diſt. 34. q. 2. art. 1.* Iacobus de Grafis *tom. 1. conſ. lib. 5. de adulter. conſil. 3. numer. 13. & ſequentib.* Bellochius *de caſibus reſeruatis part. 2. quæſt. 1. numer. 203. & q. 17. num. 66.* Quibus nouiter ſubſcribit ele-

elegantiſſimus Antonin. Diana *reſolut. moral. 2. part. tractat. 11 Miſcellan. reſolut. 1.* negant huiuſmodi impuberum peccata, videlicet maſculorum ante decimumquartum annum, & fœminarum ante expletum duodecimum, Epiſcoporum reſeruationibus ſubiacere, & ea egregia ratione mouentur, quia ſicut minor ætas in foro exteriori excuſat à pœna ordinaria; ita & in animæ iudicio excuſationem operatur: quæ ſententia verior, & ſequenda mihi videtur.

SVMMARIVM.

Famulis puberibus merces, ſiue ſalarium præſtari debet. 1.
Infantis nullæ ſunt operæ. ibidem.
Adoleſcentium operæ, optimæ ſunt. 2.
Famulis pediſequis, quos vulgò Pages *nuncupamus, aut nullum, aut nimis exiguum ſalarium debetur.* 3.
Famuli pediſequi, ferè ſemper ſunt impuberes. ibidem.
Famulo artifici, licèt impuberi, debetur ſalarium. 4.
Famulo artifici, non tenetur magiſter de ſalario. ibidem.

QVÆSTIO XXII.

Famulis à qua ætate ſalarium debeatur?

1 DIcendum eſt regulariter famulis tantùm puberibus, maſculis ſcilicet à decimoquarto anno completo, fœminis verò à duodecimo ſalarium, famulatuſque mercedem, ſiue ſtipendium præſtari oportere, eo nimirùm, vt ratiocinatur Conſultus de infante *in l. arboribus 12. §. de illo 3. ff. de vſufructu.* Quia impuberis nullæ ſunt operę, quę ſalario debeant, aut ſtipendio remunerari, & è
2 contrario iam puberis, & adoleſcentis optimæ ſunt: vnde Geographus *lib.* 15. narrat quoſdam Indię populos ſeruis vti ſolitos validis adoleſcentibus, & quidem ſapienter profectò, vt ſubiungit Lelius Viſciola *horar. ſubſſeſ. lib.* 8. *cap.* 7. eſt enim illa ætas & viribus corporis & ingenij florentior, vt & ſciat, & poſſit ſeruire. Quare hanc ſententiam tutantur Didacus Perez *in l. 1. verſ. Quæritur vlterius, tit. 2. lib. 1. ordinament.* & expreſſius Georgius Cauedo *deciſion. 162. num. 5. part. 1.* vbi à Supremo Luſitaniæ Senatu ita iudicatum teſtatur, quem refert & ſequitur Emanuel Barboſa *in remiſſion. ad ll. Luſitaniæ lib. 4 tit. 31 §. 8.* innuit Carrocius *de locato part. 2. c. quibus locare liceat, vel nò, quæſt. 2. num. 4. & ſequentibus,* vbi impuberi nullum ſalarium deberi affirmat.

3 Indeque prouenit rectè ſcripſiſſe Flores Diez de Mena *variarum quæſtionum lib. 1. quæſt. 8. §. 2. num. 8.* & poſt eum Barboſa *loco vbi ſuprà, §. 5. num. 1.* famulis pediſequis, quos Hiſpano idiomate *Pages* nuncupamus, ſalarium nullum deberi præter victum & veſtitum: nam cùm eiuſmodi famuli ferè ſemper impuberes ſint, vt ipſa experientia commoſtrat, & non malè colligitur ex *textu in l. pueri appellatione 204. de verborum ſignificatione, cap. cùm paſtoris. 58.* iuncta explicatione gloſſæ *verbo pueri 2. quæſt. 7. cap. ſi quælibet, §. Abraham quoque 22. quæſt. 2.* quamuis hæc loca diuerſo ſenſu eſſe intelligenda alibi etiam probabimus, & ex his quæ perelegantèr ſcripſit Fortunatus Scachus *Eleochriſmaton tom. 1. cap. 41.* vt probet vnguenta pueris puelliſque pro miniſtris conuiuij fuiſſe porrecta; & colligi poteſt ex notatis à Lelio Viſciola *horarum ſubſſeſ. lib. 2. cap. 17.* obſequium illorum ex ſupra ſcriptis ſalarium non meretur, aut ſi meretur, adeò exiguum eſt, vt longè plus præſtitis alimentis recipiat, argumento *l. 2. tit. 23. lib. 4. fori ll.* ibi: *E ſi lo mas tuuo de diez años, no ſea tenudo de le dar las coſtas de alli en adelante por el ſeruicio que del recibio*, ſentit Carrocius *de locato num. 4.*

4 Quod vtrique ità ſubaudiri oportet, dummodò famuli iſti impuberes cuiuſcumque artis, aut miniſterij ſint expertes. Nam ſi librarij, nomenculatores, calculatores, vel hiſtriones fuerint, vt eſſe poſſe, etiam quinquennes reſpondit Conſultus *in l. fin ff. de operis ſeruor.* iuncta *l. vt iuriſiurandi 7. §. dabitur, de operis libertorum* cum ſimilibus à nobis ſuprà *anno* 5. congeſtis, ipſis ſalarium, aut merces à quinquennio, vel ab illa ætate, qua artem exercuerint, debebitur, ex ſententia Didaci Perez *in dict. l. 1. eodem, verſic. Quæritur & vlterius*, & Carroc. *dict. loco num. 4.* vbi hoc verum eſſe affirmat, niſi agatur contra proprium magiſtrum, qui docuit pariter & alimentauit, vel contra eum, cuius expenſa edoctus eſt, ab his nullum ſalarium conſequi poterit.

SVMMARIVM.

AN eadem ætas requiratur ad appellandum, quæ ad aſſiſtendum in iudicio eſt neceſſaria? 1. & 7.

Puberes omnes poſſunt appellare. 2. *& ſequentibus.*
Ceſſante curatore, an poſſit minor appellare? ibidem.
Appellationis tempora, etiam minoribus puberibus currunt. 4.
Nec pupillo, nec puberi curatorem habenti intimatio appellationis eſt facienda. 5.
Licèt minor poſſit appellationem interponere, maximè ceſſante curatore, illam tamen proſequi minimè poteſt. 6.
Actus appellationis, an ſit extraiudicialis, vel poſtiudicialis? 7.

QVÆSTIO XXIII.

De ætate appellantis, & eius cui appellationis intimatio fieri debet?

HVius quæſtionis pauci ex noſtris meminerunt, fortè quia citrà cōtrouerſiam eſſe arbitrabātur eos ſolos appellare poſſe, qui legitimam compatēdi in iudicio ætatem, nempe vigeſimumquintum annum expleuerant, veluti ſenſiſſe videtur Nicol. *tractat. de concord. gloſſ. concord. 6. fallent.* 110. *num.* 146. *in fine, tom.* 18. *fol.* 197. eoque relato Sigiſm. Scaccia *de appellat. quæſt.* 5. *art.* 1. *num.* 93. & ante eos Angelus à Gambilio de Aretio *in commentar. ad titulum, ff. de appellation. in l. ſerui appellare, num.* 1, cûm pro ſingulari in cauſis criminalibus admittit poſſe appellare, qui regulariter in iudicio ſtare nequeunt, quod etiam de iure noſtro ſuaderi videtur *ex l.* 2. *in princip. tit.* 23. *part.* 3. vbi reddens rationes, quare ſeruus appellare non poſſit, poſt aliam hanc ſubijcit: *E non ha perſona para eſtar en juizio.*

2 Sed vereor, ne ita ſentientes miſerè decipiantur, ex quo aperto iuris teſtimonio cauetur, puberes, & qui decimumquartum annum excedunt appellandi poteſtatem habere, vt patet *ex l. fin. §. fin. ff. de appellationibus,* vbi cùm tutores à ſententia contra pupillum lata prouocaſſent, & pendente cauſa appellationis pupillus adoleuiſſet, & pubertatem fuiſſet ingreſſus, quæſitum fuit, an executio ipſius prouocationis ad puberem pertineret, & an eam idoneè tueri poſſet? Et aliquibus interiectis reſpondit Conſultus eum, cuius tutela geſta eſt, ſi vellet appellationis cauſam exequi, non prohiberi. Quibus verbis probaſſe videtur legitimam appellationis ætatem pubertatem eſſe, vti & teſtatur Macer. Iuriſconſult. *in l. fin. ff. an per alium cauſa appellatio,* dum exemplo adoleſcentis, ſiue puberis, qui ceſſante curatore cauſam appellationis proſequi poteſt, id etiam in maiori reſpectu procuratoris reſpondit, quo modo intelligendum arbitror, quod ſcripſerunt Cothman. *conſil.* 35. *num.* 1. *& ſequentibus,* Beſeld. *tractat. de appellat. cap.* 5. *num.* 7. *&* 8. ex eiſque Oſuald. *lib.* 28. *Donel. c.* 6. *litera H.* videlicet minorem ſine curatore appellare poſſe, ideſt, ceſſante curatore, eoque nō appellante. Et ſi ratio ab illis tradita adeô generalis ſit, vt hanc reſtrictionem non admittat, cùm ideò ſine curatore minorem poſſe appellare affirment: quia interpoſitio appellationis verus actus iudicij non eſt.

Et confirmatur prædicta ſententia Imperatorum reſcripto *in l.* 1. *C. ſi ſæpiùs in integrum reſtitut. poſtulet.* vbi ita Imperatores, *Si poſt ſententiam Proconſulis contra vos latam deſideraſtis in integrum reſtitui, nec obtinuiſtis, fruſtrà rurſus, vt ea quæſtio in integrum reſtitutionis agitetur deſideratis: appellare enim debuiſtis, ſi vobis ſententia diſplicebat.* Etenim ſi minores appellationis compotes non eſſent, perperàm negligentia appellandi ipſis hac lege imputaretur, cùm nemini culpæ, vel ignauiæ adſcribi poſſit cur non fecerit, quod ei iure inhibitum eſt. 3

Hinc conſtat rectè ſcripſiſſe Paulum Caſtrenſ. *in l. properandum, §. fin. num.* 2. ibique Salicet. & Doctores communiter, *C. de iudicijs:* item & Imol. *in Clement.* 1. *num.* 12. *de reſtitut. in integrum,* Caſſan. *in conſuetudin. Burgundiæ rubric.* 3. §. 2. *verſic. Adde numer.* 12. 13. *&* 14. Menchac. *de ſucceſſion. creation. lib.* 1. §. 10. *num.* 52. & pro communi Turzan. *commun. opinion. num.* 125. Henric. Bohic. *in cap. Beneficio, num.* 7. *de in integrum. reſtit.* & his relatis: Sforcia Oddus *de in integrum reſtitut. quæſt.* 88. *ar.* 3. *n.* 47. & anteà *quæſt.* 69. *art.* 2. *num.* 10. Cardin. Tuſch. *practicar. concluſ. iuris litera A. concluſ.* 379. *num.* 3. appellationis tempora etiam minoribus currere. Quod nullam aliam rationem mihi habere videtur, niſi quòd minor ætas, quæ poſt pubertatem incipit, vt alibi probauimus, appellationis legitima eſt, etſi propter iudiciorum reuerentiam, & authoritatem id ita obtinere putauerit Sforcius *dict. quæſt.* 69. *num.* 10. 4

Quod cùm hoc verum eſſe agnoſceret Parlamentum Pariſienſe anno 1533. die 2. Maij, meritò pronuntiauit, vt teſtis eſt Petr. Rebuf. *in l. pueri.* 204. *verſ. Octauo,* nec puero, ſiue pupillo, nec alteri minori curatorem habenti intimationem appellationis eſſe faciendā, velut ſupponens minori ſine curatore 5

exi-

exiſtenti rectè fieri poſſe, vtpote ei, qui legitimam ætatem ad ea omnia nanciſcitur, quæ appellationem, & illius validitatem concernunt. Quod licèt etiam in eo minore verum ſit qui curatore regitur: attamen dum ipſius adminiſtrationi ſubijcitur, non procul à pupillo diſtat, vt ſæpiùs diximus, & probatur ex *l. ſi curatorem habens, C. ſi aduerſ. vendition.* Ideoque non magis ac pupillus aut appellare, aut ipſi appellatio intimari poterit, quare eſſe curatori intimandam Parlamentum cenſuit.

6 Igitur hac in quæſtione tenendum erit minorem viginti & quinque annis, maiorem tamen quatuordecim, ſi curatorem non habeat, aut ſi habeat, & appellare non potuerit, aut ab appellando ceſſauerit, ipſum per ſe poſſe appellare. *dict. l. fin. §. ſi de appellat. & dict. l. fin. ff. an per alium cauſæ appellatio.* ſed non proſequi appellationem, *l. ſi præſes 6. C. quomodo & quando iudex,* iunctis his quę tradit Mexia *in l. Toleti 2. part. fundamẽto* 10. *num. 3.* At verò curatorem habentem extra caſus proximè relatos minimè appellandi ius habere, ſed curatori hoc competere, *Authent. 23. de appellat. & intra quæ tempora, c. 1. c. anteriorem, circa principium 2. q. 6.*

7 Cui reſolutioni non refragatur id, quod in fulcimentum contrariæ opinionis vulgò adducitur, & colligi videtur ex *dict. l. 2. partitæ,* videlicet eos ſolos appellandi perſonam habere, qui & habent comparendi in iudicio. Quoniam reſpõdetur hoc minimè verum eſſe, cùm imò certius ſit appellandi actum propriè iudicialem non eſſe, ſed impropriè, vt ex Oſuald. & alijs *ſuprà* notauimus: vnde cum poſtiudicialem vocant Baldus *in rubrica decretali. de appellation.* & *ibidem* Ioannes Vvameſius *num. 4.* & meritò, cùm poſt iudicium potiùs & ſententiam latam, quàm in iudicio fiat. Nec aliud probatur ex *dict. l. 2. partitæ*, vbi cùm agatur de his qui ita poſſunt appellare, vt & appellationem proſequi poſſint, velut patet *ex fine dict. l.* ibi: *Eſtonce puede el ſeñor del pleito ſeguir ſu alçada, &c.* meritò vbi de ſeruo ſcripſit, eum hoc ſenſu appellare non poſſe dixit, quia non habet perſonam ſtandi in iudicio, vt requiritur ad proſecutionem appellationis.

SVMMARIVM.

OPtimorum Regni filij ab egreſſu infantiæ ſolent Regio famulatui mancipari. 1.

Magnatum filij à tenera ætate ad Principem ſunt euocandi, vt ibi quaſi paternæ fidei pignora exiſtant. 2.

Pueri ſeruiẽtes, quare Pages *nuncupentur?* 3.

Ad quam ætatem pueri in ſeruitiò Regum detineantur, etiam apud noſtros? 4.

Enſis decimooctauo ætatis anno cingi debet. 5.

L. 3. circa principium. ff. ad legem Iuliam, de vi publica, nouè intelligitur. ibidem.

QVÆSTIO XXIIII.

Pueri nobiles, quos vulgus Pages *vocat, ad quam ætatem in comitatum, & familiam Procerum & Regum adoptentur?*

Et de tempore cingendi enſem.

VEtuſtiſſimum eſt, Optimorum filios ab egreſſa infantia, vt coniectari poteſt, Regio famulatui & obſequio mancipari. 1 Vnde Arphaxat Rex, vt ſcriptum eſt apud Danielem *cap. 1.* cùm fortè illis ex more indigeret, iuſſit præpoſito eunuchorum, vt introduceret de filijs Iſrael, & de ſemine Regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla eſſet macula, & conſtituit eis annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis, poſteà ſtarent in conſpectu eius, id eſt, velut exponit noſter P. Ioannes Mariana *ibidem,* aſſiſterẽt quaſi famuli ea conſtantia, & corporis integritate, qua Regios miniſtros decet: eo videlicet, vt parẽtes eorum, quos fortè ſuſpectos habebat, in officio contineret, vt feciſſe memoratur magnũ Etruriæ Ducem; qui vt ani- 2 mos libertatis amiſſę nimis adhuc memores, & ſeruire indignantes, facili remedio domaret ſub honoris titulo, pluſquàm ſexaginta ſummorum Procerũ filios in aula aluit, & exerceri iuſſit, totidem paternæ fidei vades habere ſe ſciens, velut in Zofalenſium Æthiopum Regis aula Principum ſtipendiariorum filij nutriuntur, vt & parentes à rebus nouis abſterreant, & dominos à teneris diſcant venerari, vt ex Oſorio *lib. 4. rerum Emanuelis* docet Iacobus Zeuecotius *in obſeruatis politicis ad G. Suetonij Tranquilli, Iulium Cæſarem cap. 25.* vbi alia exempla memorat. Hac de cauſa nouiſſimè Marius Cutellius *in ll. Siculas ad ll. Martini Regis cap. 12. num. 4. pag. 326.* magnatum filios, inquit, tenera ætate ad curiam eſſe euocandos, vt quaſi obſides pignoraque apud Principem arctiſſimæ fidei ſeruandæ vincula maneant.

Eiuſmodi igitur pueri *Pages* dicti (ẽtſi 3
aliud ſomniarit Couarru. *in Theſauro linguæ* His-

Hiſpanicæ, verbo Pages, quod fortaſſis Pagani ſunt, rudeſque morum Aulicorum, & Caſtrenſium, cùm in Aulam deducuntur, vt Franciſc. Pollet. arbitratur *lib. 2. hiſtoriæ fori Romani cap. 7. paulò ante finem*, vel vt mauult Iacob. Cuiacius relatus à Dorleano *in Tacitum*, & *ibidem* Iuſtus Lipſius *lib. 15. annal. pag. mihi 181. ad finem*, Adrian. Turneb. *lib. 8. aduerſar. c. 9.* Pancirol. *lib. 2. variar. c. 88.* Amaia *obſeruatio. iuris lib. 3. cap. 6. num. 94. & 95.* quia pædagogi antiquitùs huiuſmodi pueri ſeruientes vocarentur, veluti ex Conſulto nō malè coniectatur *in l. quæſitum. 12. §. ſi inſtructum. 32. ff. de fundo inſtructo*, illis verbis: *Si inſtructum fundum legaſſet, & pædagogia, quæ ibi habebat, vt cùm ibi veniſſet, præ-*
4 *ſto eſſent in triclinio, &c.* Hi igitur, qui certa tenera ætate in familiam recipiebantur, vt diximus, & probat Tacitus *dict. lib. 15. annal. folio mihi 133.* ibi: *Decoraque ſeruitia & pari ætate habebat*, non niſi ad certam etiam, & adultam ætatem in ſeruitio erant, nempe donec ex ephebis excederent, teſtante Polleto *vbi proximè*, & puberes efficerentur, quod decimoquarto anno fiebat, vtpote alibi diximus: vnde cùm impuberes ſemper eſſent, pueri appellabantur, *l. pueri appellat. 204. de verbor. ſignificat. cap. cùm Paſtoris. 58.* iuncta explicatione Gloſſæ, *verbo pueri 2. quæſt. 7. cap. ſi quilibet, §. Abraham quoque. 22. quæſt. 2.* nam pubertate ipſa etiam pueritia finiebatur, vt ex dictis *hoc anno* affatim euincitur: quamuis in aula noſtrorum Regum non tantum vſque ad ſimplicem pubertatem, ſed etiam vſque ad plenam decem & octo annorum huiuſmodi pueri alantur, fortè quia tunc in ea ætate exiſtūt, qua militare poſſunt, & ab vrbano ſeruitio ad militare eorundem Principum gradum facere, vt vel ex eo coniectatur, quòd ſtatim ac à dicta plena pubertate egrediuntur, enſe ab ipſis Regibus donantur, & ad bellum munificentiſſimis ſtipēdijs mittuntur, veluti etiam ab antiquis Principibus factitatum coniector ex *l. filius. 43. ff. de teſtament. militis*, vbi ita ſcribitur: *Filiusfamilias equeſtri militia exornatus, & in comitatu Principum retentus, cingi confeſtim miſſus teſtamentum de caſtrenſi peculio facere poteſt.*

5 Ex quo facto obiter admonemur, legitimā ætatem cingendi enſem octodecim annorum eſſe, ſiquidem non anteà homines armari debent, quàm armis, & eorum vſui idonei exiſtant. Vnde nec ante prædictam ætatem ad certamen gignicum in Græcia admittebantur, vt inquit Petr. Faber *in agoniſticon lib. 3. cap. 9.* quia eo gladijs, & ſimilibus armis dimicabatur, quibus hac ætate minores non ſufficiunt, quò reſpexiſſe videtur Marcianus Conſultus ita intelligendus *in l. 3. paulò poſt principium, ff. ad legem Iuliam de vi publica*, cùm lege Iulia eum teneri ait, qui pubes cum telo in publico fuerit: quaſi ante eiuſmodi plenam pubertatem nemo, etſi telo armatus in publicum prodierit, teneri ex eo queat, quòd nondum armorum potens arbitratur: vnde licèt tunc illis, quamuis publicè vtatur, nullius criminis reus erit.

SVMMARIVM.

Grauiſſimè puniantur qui comitari negligunt Chriſti corpus, cùm ad infirmos defertur. 1.

Eodem modo, eademque ratione, qua quis tenetur ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, tenetur etiam ad ſuſpiciendum, & comitandum. 2.

Fideles poſt vndecimum annum adſtringuntur præceptis communionis. ibidem.

Omnes, etiam infideles, tenentur cùm ad decimumquartum annum peruenerint, comitatum, & reuerentiam Chriſto Domino exhibere. 3.

Aſſociatio Chriſto debita, ſimilis eſt aſſociationi, quæ Regibus terrenis debetur. 4.

Impubes aſſociationis eſt capax, ſed ad id cogi non poteſt. 5.

Impuberes, quæ corporis ſunt functiones rectè exercent. ibidem.

Pœna ſupponit delictum. ibidem.

Qui cùm vndecim annorum exiſtit, omittit communionem, peccat ſed cenſuris ante decimumquartum annum minimè innodatur. 6.

Famulus quis eſſe probatur, eo quòd ſeruit vt famulus. 7.

Etiam impuberes non comitantes Chriſti corpus, puniuntur, ſed leuiter, & extraordinariè. 8.

Senes an aliqua ætate excuſentur à munere aſſociandi Chriſti corpus? 9.

QVÆSTIO XXV.

Vt quis pœnam euadat non comitantis ſacrum Chriſti corpus, cùm ad infirmos defertur?

PIetas & religio, quam erga ineffabile & ſemper venerandum Euchariſtiæ myſterium, iamdiu Reges noſtri coluerunt, pœnas non leues in eos ſanxit, qui cum glo-

gloriæ hoc pignus charitatis emporium, & Chriſti verum corpus ad infirmos deferri vident, ipſum comitari irreuerenter negligunt. Sic probat *l.12.tit.4.part.1.l.3.tit.1.lib.3.Ordinament.*& demum *l.2.tit.1.lib.1.Recopilat.* vbi ilic ſanctitatis, necnon & deuotionis Regale exemplar Ioannes huius nominis Secundus ita affatur: *Mandamos y ordenamos, que quando acaeciere, que Nos, ò el Principe heredero, ò Infantes nueſtros hijos, ò otros qualeſquier Chriſtianos vieremos que viene por la calle el Santiſſimo Sacramento del cuerpo de nueſtro Señor, que todos ſeamos tenudos de le acompañar faſta la Igleſia donde ſalio, y fincar los inojos para le hazer reuerencia, y eſtar aſſi haſta que ſea paſſado, y que no nos podamos eſcuſar de lo aſſi hazer por lodo, ni por poluo, ni por otra coſa alguna. E qualquier que aſſi no lo hiziere, que pague ſeiſcientos marauedis de pena.* Digna quidem vox maieſtate Regnantis, his adeò Chriſtianis legibus alligatum ſe, Principem & chariſſimam Sobolem profitetur. *l.digna 4.C.de legibus*, refert Padilla *in legibus pœnalibus 2. part.cap.17.n.2.*

2 Sed quæſtionis eſt non vulgaris, an pœnales iſtæ ſanctiones, ſolùm ætate adultos, non verò impuberes complectantur? illudque dubium mouet, quod ex Gloſſa *in Clement. fin. verbo octauo, de hæretic.* D.Thoma *3. part. quæſt.25.art.1.& 2.* Concil. Tridentin. *ſeſſ.13.*& alijs docet Alphonſus de Azeuedo *in dict.l.2.num.14.* nempe eodem modo & ratione, qua quilibet fidelis tenetur ad ſuſcipiendum, & communicandum corpus Chriſti, teneri etiam ad illud ſuſpiciendum & comitandum. Vnde cùm regulariter obligatio accipiendi ſacram Euchariſtiam, non niſi poſt vndecimum annum fideles conſtringat, vt ex magis veriori ſententia cum Gabriele *in 4.quæſt.2.art.3.dubio 4.* D.Thom. *ibidem quæſt. vnic. artic.5.* Angelo *in ſumma, verbo Euchariſtia num.11.* Ledeſma *2.4.quæſt.5.art.5.dubio 9.* & alijs *ſuprà eodem anno* reſoluimus, conſectarium etiam apparet, nec ante eiuſmodi tempus teneri ad ipſius comitatum, vel ad pœnas non comitantibus noſtris legibus iuſtè irrogatas.

3 Ex contrario verò *dict.l.2.tit.1.lib.1.Recopilat.* potiùs ſuadere videtur huius obligationis aſſociandi Chriſti corpus ſolùm puberes ab ipſo decimoquarto ætatis anno perfecto eſſe participes: quoniam de Iudæis, & alijs infidelibus agens, quibus etiam ſub grauiſſimis pœnis exterior ſaltim cultus, ac reuerentia huius Sacramenti præcipitur, ita concludit: *Y queremos que eſta ley ſe entienda en los Iudios, y los Moros que huuieren edad de mas de catorze años, y no en los que fueſſen de menor edad*: ergo nec ante hanc ætatem Chriſtianus non defetens honorem & famulatum Chriſto iuſtè multabitur: tum quia hac in parte nulla conſtitui poteſt differentia inter Iudæum & Chriſtianum, vt iſte priùs quàm ille teneatur. Tum etiam, quia eadem ratio incapacitatis, quæ infidelem pupillum à pœnis excuſandum docet, in eiuſdem ætatis Chriſtiano idem proculdubio ſuadet: ergo vterque pari ætate obligabitur.

4 Etſi non diffitear hoc quodammodò inde ſcrupulo laborare, quòd aſſociatio hæc æterno cœleſtique Regi præſtanda, ad ſimilitudinem illius eſt inducta, quæ Principibus ſæculi debetur, vt indicat *dict.l.62.tit.4.part.1.* ibi: *Caſi los omes que ſe topaſſen con el Rey temporal, que fueſſe por algun lugar à pie, deſcenderian à el por fazerle honra, quanto mas lo deuẽ fazer à nueſtro Señor Ieſu Chriſto, que es Rey ſobre todos los Reyes, è ſeñor de los cielos, è de la tierra?* At noſtris Regibus terrenis etiam impuberes famulantur, vt vel ex illis ſatis conſtat, quæ ſuprà *hoc anno* de ætate diſputantes, ad quam pueri nobiles in comitatum, & familiam Procerum retinentur, congeſſimus: ergo & Regi cœlorum famulari debebunt?

5 Sed non difficulter reſpondetur, cùm aliud ſit impuberes famulari poſſe, aliud verò ad famulatum & aſſociationem neceſſariò conſtringi: hoc enim de impuberibus minimè dici poteſt, vt iam monuimus: at illud de ipſis rectè dicitur, quia autore Galeno *libro de fœtuum formatione cap.3 in fine, claſſe 3.* & Paul.Zach. *quæſt.Med.colegal.tom.1.quæſt.4.num.26.* optimè quæ corporis ſunt functiones exercent. Nec ideò ſequitur, ita eos ad aſſociandum compelli poſſe, vt contra facientes pœnis ſubdantur: nam cùm pœna ſupponat delictum, ex Syluestro *in ſumma verbo pœna num.25.* Couarru. *lib.2.variarum cap.8.in princip.& num.1.verſic.Tertio,* Menochio *conſil.626.num.16.* Gutier. *Canon. lib.2.cap.30.num.12.* & alij relatis à Barboſa *axiomatum iuris axiom.181.num.1.* eos nequaquam afficiet, qui ob impuberem ætatem delicti ſunt incapaces, maximè quoad merendam ordinariam pœnam, vt ſæpiùs diximus.

6 Vnde colligitur parum obſtare quod initio in oppoſitum expendimus de vna eademque ratione cõmunionis, & aſſociationis corporis Chriſti: nam etſi hoc verum ſit, cùm ad vtrumque ex fide & religione adſtringamur: non tamẽ & eodem tempore ad vtrumque ſub pœna tenemur, quinimò ſecundùm probabilem multorum ſententiam, quã ſupra

anno 7. probáuimus, dum ſcripſimus cuius ætatis fideles confeſſionis præcepto obligētur, & rurſus *anno* 11. in ſimili quæſtione de ætate ad ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum, nō ex eo quòd vndecimo anno quilibet communicare tenetur, ſi eo tempore præcepto obtemperare neglexerit, cēſuris, & pœnis contra non communicantes latas innodabitur, quoniam ad hoc decimuſquartus annus in maſculis, & duodecimus in fœminis ſaltim deſideratur, vt apertè docet Petrus de Ochagabia *de Sacrament. tractat.* 2. *de Euchariſt. quæſt.* 7. Mercerus *in* 3. *part. D. Thom. quæſt.* 6. *art.* 5. *num.* 7. Homobon. *in conſultation. caſuum conſcientiæ, vol.* 2. *part.* 5. *reſponſ.* 126. & tandem nouiſſimè Diana *reſolut. moral. part.* 4. *tractat.* 4. *Miſcellan. reſolution.* 207. Ergo licèt fateamur pariter, & ex eadem ratione, qua quis ad ſuſcipiendum corpus Chriſti obligatur, obligari etiā ad illud comitandum, cùm ad infirmos publicè defertur, vt verum eſſe arbitror (nam ex quo omnes ſerui & famuli Dei ſumus, neceſſariò ei ſeruire & famulari debemus, ſiquidē vt appoſitè nimis inquit Bartol. *in l.* 1. *§. fa-*
7 *miliæ, ff. de publician.* quem referr Bertachin. *verbo famulus*, famulus quis eſſe probatur, eo quòd ſeruit vt famulus, & dominum aſſociauit vt alij famuli) nihilominùs inde inferri nequaquam videtur, pœnas etiam eum ſubire debere, ſi, vt tenetur Chriſti corpus non aſſociauerit: etenim vt quid diſtinctum eſt obligatio ab ipſa pœna, ita non eandem, ſed diuerſas prærequirunt ætates.

8 Nec tamen indè placet, decimoquarto anno minores, iam doli capaces, & Chriſti corpus non comitantes, omninò impunitos manere, potiùs enim maximè & religioni, & ipſorum rectis moribus expedire arbitrarer, vt quamuis leui, aliqua ſaltim afficerentur pœna, cuius metu tanto obſequio à teneris aſſueſcerēt, vt in ſimili de ieiunio loquens ſentit Paulus Zachias *quæſt. Medicolegal. lib.* 5. *tit.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 14.

9 Sub hæc autem notare nō prætermittam, quod ſcribit Carraſcus *in interpretatione ad aliquas ll. Regni Caſtellæ cap.* 1. *de comitando Euchariſtiæ Sacramento num.* 16. ætate ingraueſcentes excuſari etiam à comitatu corporis Chriſti, argumento text. *in l. manifeſti iuris, C. qui ætate vel morbo ſe excuſant*, cum adductis à Ioan. Garſia *de nobilitate gloſ.* 48. §. 1. Quos eſſe quinquagenarios ex eo interpretatur, quòd hac ætate homines ad munera perſonalia inuiti vocari nequeunt, vt ex *dict. l. manifeſti iuris* colligitur: quod quàm abſurdum fuerit hoc probare, vel ex eo ſolo conſtabit, quòd licèt factum hoc aſſociandi Chriſti corpus munus perſonale dici queat, ex illis tamen non eſt, à quibus mediæ ætatis homines debent excuſari, cùm exigui ſit laboris, vel nullius, vt ipſa experientia docet: ergo niſi adeò ſint ſenio attriti ſenes, vt moueri nequeant, aut ſenſu careant, proculdubio ad hoc obſequium tenebuntur.

SVMMARIVM.

Filij in poteſtate, ſiue naturales, ſiue emancipati nullam in patrem regulariter habent actionem, vt emancipet. 1.

Iuſtis ex cauſis poſſunt filij parentes ad emancipationem compellere, & quæ ad id iuſtæ cauſæ dicantur. ibidem.

Adoptiuus ſi poſt decimumquartum annū probauerit adoptionem ipſi damnoſam fuiſſe, debet à patre emancipari. 2.

Text. in l. 3. *§. ſi quis minor, ff. de minoribus, de quo minore debeat accipi?* 3.

Ei qui ſtatum mutat, non datur reſtitutio. 4.

Minima capitis diminutio, omninò ſtatum non conſumit. ibidem.

Text. in l. 2. *ff. de in integr. reſtitut. de minima capitis diminutione eſt intelligendus.* 5.

Seruitus eſt mors, & extinctio perſonæ, ibidem.

QVÆSTIO XXVI.

Vt datus in adoptionem audiatur ex iuſta cauſa emancipari deſiderans?

Qvamuis enim ſcitiſſimum iuris axioma ſit, liberos neque naturales, neque adoptiuos, qui in patris ſiue naturalis, ſiue adoptiui poteſtate exiſtunt, cogere illum non poſſe vt emancipet, *l. non poteſt.* 31. *ff. de adoptio. §. illud inſtitut. quibus modis ius patriæ poteſt. ſoluit. l.* 17. *tit.* 18. *part.* 4. adeò vt neque ad id ſoleat principale reſcriptum indulgeri, *l.* 4. *C. de emancip. liberorum.* Tamen hoc non ita generale eſt, quin iuſta cauſa intercedente, vno vel altero caſu permittatur. Quod nec obſcurè ſubindicaſſe videtur Conſultus *in l. filiuſfamilias* 7. *ff. vnde liberi*, illis poſterioribus verbis: *Nec facilè pater emancipare filium cogi poterit*, non facilè dixit ad emancipationem patrem adſtringi: quia vt optimè *eodem verbo*, explicat gloſſa, non niſi quatuor caſibus pater compellitur; veluti ſi paternæ pietatis oblitus in filium ſæuiat, *l. Diuus* 5. *ff. ſi à parente quis manumiſ-*

miſ. ſit, ſi leno impure factus ſuis, vel filijs, aut filiabus peccandi neceſſitatem impoſuerit, *l. ſi lenones*. 13. *C. de Epiſcopali audien.* ſi agnouit id, quod ſibi relictum eſt hac contemplatione, vt liberos ſuos emanciparet, *l. ſi cui legatum*. 92. *ff. de condition. & demon-*
2 *ſtrat.* & demum ſi impubes, qui adoptatus, vel adrogatus eſt pubes factus, non expedire ſibi in poteſtatem eius redigi probauerit, *d. l. nonnumquam*. 32. *l. etſi pubes*. 33. *ff. de adoption.* Apparet enim impuberem, ſiue decimoquarto anno minorem, etiamſi ad rogationem ſibi damnoſam fueri expertus, patrem cõpellere nõ poſſe, vt emancipet: oportet igitur eum puberem, & decimiquarti anni ætatem habere, vt cauſa cognitâ, & probata cogatur patrem ipſum emãcipare, quod patrio iure noſtro expreſſiùs cauetur *in l.* 18. *dict. tit.* 18. *part.* 4. ibi: *La quarta es, ſi alguno prohijaſſe ſu antenado, que fueſſe menor de catorze años, que ſi eſte atal deſque paſſare por eſta edad ſe fallare mal de ſu padraſtro, porque el deſgaſte lo ſuyo, ò en otra manera qualquier, deuelo moſtrar à el Iuez: e ſi fallare el Iuez que aſſi es, deuelo apremiar que lo emancipe*: hincque Vlpianus ſcribit *in l.* 3. §. *ſi quis minor, ff. de minoribus*, quòd ſi minor viginti quinque annis adrogandum ſe dedit, & in ipſa adrogatione ſe circumuentum dicat (finge enim à prędone eum hominem locupletem adrogatum) debere eum audiri in integrum
3 ſe reſtituentem. Etenim licèt verbum illud *minor annis viginti & quinque* duplicem habeat ſignificationem, cùm & qui minor eſt decimoquarto anno, & eo maior, qui nõdum viceſimum & quintum expleuit; minor dici ſoleat, §. *nunc admonendi, inſtitut. quibus alienar. licet, vel non*, optimus text. *in cap. in præſentia* 8. *verſic. Præterea deprobation.* Tamen in ſpecie *dict. l.* 3. §. *ſi quis minor*, interpretetur, conueniens eſt pro eo minore, qui iam fuerat pubertatem ingreſſus, vt ſic locus iſte Papiniani, & Marciani communi reſponſo *in dict. l. nonnumquam*, & *in dict. l. etſi pubes* mirificè conſentiat.

4 Nec prædictæ *l.* 3. deciſionem impugnat beneficium reſtitutionis in integrum non cõpetere ei, qui ſtatum mutat, *l. ex cauſa*. 10. §. *Papinianus, ff. de minor.* Sed minor, qui ſedat in adrogationem, ſtatum mutat, §. 3. *inſtit. de capit. diminut. l. fin. C. de adoption.* ergo minori etiam in adrogatione circumuento reſtitutione non ſubuenietur. Quia reſpondendum, conſtituendum eſſe diſcrimen inter ſtatus mutationem ex minima, & ex maxima capitis dimioutione: capitis enim diminutio minima, qualis eſt adrogatio, vel emancipatio, ſtatum & inuertit, & commutat, ſed illum funditus non euellit, aut conſumit: inde eſt eos ciuitatem non amittere, §. *minima inſtitut. de capit. diminut.* habent enim, quoad ius ciuile attinet; adrogatus & emancipatus legitimam perſonam: quare aduerſus huiuſmodi minimam mutationem ſtatus reſtitutionem competituram Iuriſconſult. edixit ſic 5
interpretandus *in l.* 2. *ff. de in integr. reſtitut.* vbi poſtquàm *in l.* 1. ſcripſerat, ſub illo titulo pluriſariàm Prætorem hominibus, vel lapſis, vel circunſcriptis ſubuenire, ſiue metu, ſiue calliditate, ſiue ętate, ſiue abſentia inciderũt in captionem, *ſequenti lege* eandem reſtitutionem his etiam polliceri ſubiungitur, qui ſiue per ſtatus mutationem, ſiue per errorem fuerint decepti. At in capitis diminutione maxima, quæ ſeruitus dicitur, §. *maxima de capitis diminutione*, de qua Conſulto ſermo eſt *in dict. l. ex cauſa*, §. *Papinianus*, diuerſum obſeruatur, ſiquidem iſthæc non ſolùm ſtatum mutat; verùm & radicitùs ſtirpat & cõſumit; vt quàm eleganter in hanc rem expendit Caliſtratus *in l. cognitionum* 5. *ff. de varijs & extraordin. cognit.* ſic quidem vt & morti ſeruitus comparetur *in l. ſeruitutem* 209. *ff de regulis iuris*, & *in l. cùm hic*. 32. § *ſi donator, de donation. inter virum & vxorem*, a que ob eandem cauſam de iure ciuili ſeruus pro nihilo reputatur, *l. quod attinet* cum ſimilibus, *ff. de regulis iuris*. Vnde quaſi nulla ſubſit perſona, cui poſſit huiuſmodi beneficium indulgeri, maximè capite minutis aduerſus propriam ſtatês mutationem, vel, vt rectiùs dicam, amiſſionem, reſtitutio denegatur. Cuius ſententiæ extiterunt poſt Accurſium, Bartol. Bald. & reliquos in *dict. l* 2. & *in dict.* §. *Papinianus*, Mauricius *tractat. de reſtitutione in integrum cap.* 215. vbi de adrogato, & *cap.* 242. vbi de ſeruitute, Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, C. de in integrum reſtitut verbo hunc contractum num.* 29. Sforcius Oddus *eodem tractatu de reſtitutione in integrum q.* 55. *art.* 1. vbi & alia aduerſantia ſummouet Ameſcua *de poteſtate in ſe ipſum lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. Iulius Patius *legum conciliatarum centur.* 2. *cap.* 95.

SVMMARIVM.

Cauſa ſtatus impuberi petenti bonorum poſſeſſionem patris, vel aui, ſuſpenditur, ex Senatuſconſult. Carboniano, vſque ad pubertatem ipſius. 1. & 4

Carboniani beneficium, etiam in bonis maioratus locum obtinet, ſiue is fuerit per viam inſtitutionis in teſtamento, ſiue per viam contractus inter viuos factus. 2.

Text.in l.ei qui.17.ff.de tutoribus & curat. datis ab his,nouè explicatur. 3.

Vbi non poſſeſſio bonorum, ſed proprietas ab impubere petitur,cauſa ſtatus in pubertatem minimè ſuſpenditur.ibidem.

Cauſa pupilli,cauſa tutoris dicitur. 5.

Petri Rebuf.*lapſus notatur.6.*

Carboniana bonorum poſſeſſio pupillaris eſt.7.

Carboniana poſſeſſio vltra pubertatem extenditur, quando duobus eiuſdem hæreditatis impuberibus fuit conceſſa,& alter tantùm fuit factus pubes.ibidem.

QVÆSTIO XXVII.

Cauſa ſtatus impuberi mota, ad quam ipſius ætatem ſuſpendi debet?

1 FAcilis eſt huius quæſtionis reſolutio:nam,vt conſtat ex textu *in l.1.in princip.l.3. §.puberi. l.de bonis 6.§.ſi quis cùm ſtatus,ff.ad Tertullian.* toto tempore pupillaris ætatis ceſſat quæſtio ſtatus contra pupillum patris,vel aui bonorum poſſeſſionem petentem mota, ita vt data illi poſſeſſione petita,quæſtio ſtatus in tempus pubertatis, ſiue quatuordecim annorum, ex Carboniani edicti beneficio ſuſpendatur, vti etiam Regio noſtro iure cautũ legimus *in l.2.tit.14. part.6.l.7.tit.22.part.3.*& fatentur ibidem Gregor.Lopez,Molin.*lib.3.de primogen. c.13.à num.24.*Mieres *de maiorat. 3.part. in initio num.15.*& *in 2.editione num.78.*Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap.20.*
2 *num.41.* qui & *num.42.*cùm proximè relatis,tenet Carboniani hoc beneficium etiam in bonis maioratus locum obtinere, ſiue is fuerit iure inſtitutionis in teſtamento, ſiue per viam contractus inter viuos creatus,ex ſententia Chriſtophori de Paz *de tenuta 1.p. cap.37.num.20.*

3 Nec huic veriſſimæ ſententiæ repugnat *textus in l.ei qui.17.ff.de tutor.& curator. datis ab his*, vbi ſcribit Conſultus, ei qui de ſtatu ſuo litigat,tutorem dari poſſe,& conſequenter ſtatus cõtrouerſiam minimè in tempus pubertatis differri. Quoniam vel ſuſpicandum erit cum Gloſſa ibidem vtile fuiſſe, & expediens pupillo in caſu *dict.legis* quæſtionem ſtatus ſtatim in ipſa pupillari ætate diſcuti,vtputa,quia tunc aderant probationes,vel teſtes,qui dilata cõtrouerſia,aut mutarent cõſilium,aut decederent, aut propter temporis interuallum non eandem fidem haberent,aut alijs ex cauſis,de quibus *in dict.l.3.§. duæ autem,ff. de Carboniano edicto.*Vel etiam dici non improbabiliter poterit in *d.l.* non fuiſſe petitam bonorum poſſeſſionem ex Senatuſconſult. Carboniano, ſed proprietatem, dominiumque bonorum actione petitionis hæreditatis. Quo caſu quæſtio ſtatus non ſuſpenditur in pubertatem,ſed protinus agitatur, vt colligitur ex *dict.l.2. Partitæ*, ibi:*E eſto que diximos hà lugar quando el fijo, ò el nieto demanda tan ſolamente la tenencia de los bienes que quiere heredar: mas ſi el demandaſſe la propiedad de la herencia, eſtonce las coſas que diximos de ſuſo que puſieſſen cõtra el,deuelas el Iuiz oir,è examinar,è librar ſegun derecho ſin alongamiento ninguno, ante que lo entregue de la herencia que es aſſi demandada.*Notat ibidem Gregor.Lopez,*verbo propiedad.*

Citra hos vero caſus, quæſtio ſtatus, vbi agitur de conſequenda bonorum poſſeſſione ex Carboniano, in puberes annos differtur, vtpote in tempus,quo homines ſaniori conſilio & intellectu pollent,magiſque in curandis defendendiſque proprijs rebus ſolertes & perſpicaces exiſtunt,velut ratiocinatur *d.l.2.*ſeptem partiti noſtri iuris,ibi: *Ante deximos que deue ſer entregado en aquellos bienes,è criarſe en ellos faſta que ſea de edad de catorze años,è dende adelante le pueden mouer tales pleitos,ſi quiſieren:è eſtonce aurà èl mejor entendimiento, è amigos para amparar ſu derecho,lo que non podia auer ante deſte tiempo:* cu us ſimile habetur in *dict.l.7. tit.22. part.3.* in hæc verba: *E non es tenudo de reſponder al pleito faſta que ſea de la edad ſobredicha,criandoſe en los bienes de que fue entregado, è deſpues quando fuere deſta edad ſe podrà mejor amparar por ſi,ò por ſus parientes,ò por ſus amigos.* Nam licèt regulariter 5 impuberes,etiam qui de ſtatu litigant, tutores habeant,*dict.l.ei qui.17.de tutoribus datis ab his*, à quibus cauſæ eorum vt propriæ defendũtur,quia cauſa pupilli quo ad curam & ſolicitudinem attinet,propria cenſetur tutoris,vt ex Caſtrenſi *in l. peculium,§.præterea num. 2. ad medium,ff.de peculio*,docent Stephan.Gratian.*diſceptat. forenſ. tom.2. c.214.num.4.*Perez de Lara *in dict.cap.20.n.44.*vtilius tamen Prætori viſum fuit,quem à ſemetipſo,quàm ab alio defendi,maximè in cauſa ſtatus,quæ tanti ponderis & momenti exiſtit,cùm nulla ſolicitudo,& diligentia alterius ipſam vincat propriæ perſonæ: quare meritò libertatis,vel filiationis controuerſiam in illam ætatem retulit,qua commodiùs quàm in pupillari ſeipſum quis ab aliorum calũnijs,& impetitionibus defendere queat, vt in *dictis ll. Regijs* cauetur.

Vnde

6 Vnde conſequenter notãdus venit doctiſſimus aliàs Petr. Rebuf. *in l. pueri. 204. verſic. Quinto, ff. de verborum ſignificatione,* vbi non teneri puerum litigare ſuper cauſa ſtatus; inquit, nec alius pro eo ante viginti annos, vt probari ait *in titulo,* & per totum *de Carbon. edicto:* quod quantum à certo abſit, ipſe titulus *de Carboniano edicto,* quem pro ſe adducit contra producentem indicat, præſertim *in dict. l. 3. §. pueri,* vbi planè ſcribitur puberi, quamuis minori viginti quinque annis, Carbonianum non ſuccurrere, imò ſi cùm eſſet pubes, quis quaſi impubes obrepſiſſet, bonorumque poſſeſſionem accipere; Carboniana ei data nulla erit: nam etſi impubes eſſet, ſubiungit Conſultus, mox pubes factus finiretur bonorum poſſeſſionis emo-
7 lumentum, eſt enim, vt ibidem admonet Iacob. Cuiac. bonorum hæc poſſeſſio pupillaris, *dict. l. 2. §. ſed ſi quis cùm ſtatus, ad Tertullian. l. 1. §. Decretales, de ſucceſſorio edicto,* quare vltra pubertatem non extenditur, niſi quando duo ſunt impuberes, quibus ſimul data ſit Carboniana, quoniam eiuſdem ſunt hæreditatis, & ad eadem bona veniunt, & vnus effectus ſit pubes, alter verò non, propter impuberem durabit etiam Carboniana in perſona iam puberis, ne ſi finiretur, impuberi fieret præiudicium propter puberem, qui eius rei eſt conſors, *dict. l. 3. §. ibidem, de Carbonian. edicto,* veluti plerumque fit in iudicio, *l. cùm hæreditate 55. de acquirenda hæreditate,* vt quod per me non habeo, per ſocium habeam: ſecus verò ſi initio facta fuiſſet controuerſia puberi; & impuberi ſimul, ſiquidem propter impuberem non dabitur puberi dilatio; vt poſt longam antiquorum altercationem ita obtinuiſſe inquit Paulus *lib. 3. ſententiarum titulo de Carbonian. edicto,* & refert Iacob. Cuiacius *vbi ſuprà* Pauli locum proprio nitori reſtituens.

SVMMARIVM.

Decimoquarto anno maiores in grauiſſimis criminibus, niſi nimis ſint imberbes, poſſunt ad triremes damnari. 1.

Nobiles licèt fuerint triremium pœna affecti, remigare non debent, ſed pugnare tantùm. ibidem.

Ætas viginti annorum, quæ apud noſtros ad huius pœnæ inflictionem deſiderabatur, nouiori conſtitutione in annum decimumſeptimum reſtricta manet. 2.

Eadem ætas requiritur, vt quis poſſit in argenti viui fodinas, vulgò Minas del açogue *mitti; ac in triremium pœna efflagitatur. 3.*

QVÆSTIO XXVIII.

Qui poſſint ad triremes, vel in metallum damnari?

IN grauiſſimis criminibus decimoquarto anno maiores poſſe ad triremes condemnari, arbitratur Proſperus Farinacius *tom. 3. praxis criminalis q. 92. num. 171. verſic. Si verò delictum,* etſi nobiles ſint, non vt remigationi operam dent, ſed vt illi ad pugnam inſeruiant, iuxta Grammatici ſententiam *deciſ. 23. in fine,* quam idem Farinacius ſequitur: & in maioribus nobilibus Peguera *deciſ. 256.* & Giurba *conſil. criminal. 44. ante num. 1.* niſi eſſent adeò imberbes, ſubijcit; vt iudicibus conſultius videretur, hanc triremium pœnam in aliam commutare ob vitãdum periculum maioris ſcandali & peccati, quod ibidem contingere poſſet, & cum ipſis perpetrari. 1

Et fortè hac de cauſa noſtris legibus fuerat ſtatutum, neminem ante vigeſimum ætatis annum hac pœna affici debere, vt *l. 9. tit. 11. lib. 8. Recopilat.* continetur, quamuis poſteà creſcente hominum malitia, & ſcelerum numero; vt ſaltem tantæ punitionis formidine ab aſſidua, prauaque peccandi conſuetudine ipſi cohiberentur, *l. 9. eiuſdem tituli* prædicta ætas reſtricta ſit, & ad annum decimumſeptimum redacta, ita vt ante ipſius lapſum infligi dicta pœna minimè poſſit, veluti verbis *dict. l.* ſubindicatur, ibi: *Lo qual ſe entienda y execute, no embargante que los dichos ladrones no ayan la edad de los veinte años; como en la dicha Pragmatica ſe dize, ſiẽdo de tal diſpoſicion y qualidad, que puedan ſeruir en las dichas galeras, y auiendo alomenos diez y ſiete años,* vbi notat Azeuedus *ante num. 1.* 2

Vnde cùm pœna damnationis in metallum, vel in opus metalli eadem cum hac triremium ſit, cùm hæc illius loco ſucceſſerit, vt pluribus relatis notat Farinacius *tom. 1. praxis criminal. quæſt. 19. num. 14.* non anteà poterit quis tali ſupplicio coerceri, & in argenti viui fodinas, aut in opus ipſarum mitti, quàm dictam decimiſeptimi anni ætatem ſaltim expleuerit. 3

SVM-

SVMMARIVM.

Pœna priuationis feudi ob non petitam inueſtituram intra annum & diem, ſolùm in eo habet locum, qui decimoquarto anno maior exiſtit. 1.

Fœmina quoad feudi amiſſionem, ante decimum quartum annum non dicitur pubes. 2.

Text. in cap. 1. *quo tempore miles inueſtituram petere debeat in vſibus feudorum, explicatur.* 3.

Infans aliquando pro pupillo accipitur, maximè vbi vtriuſque idem ius eſt. ibidem.

Minor pubes, ſi intra tempus inueſtituram nō petat, aduerſus priuationem habet reſtitutionis beneficium. 4.

QVÆSTIO XXIX.

Vt feudo quis priuari poſſit ob non petitam inueſtituram intra annum & diem?

SVprà *anno* 1. probauimus infantē nulla habita diſtinctione infantilis ætatis, poſſe feudo inueſtiri: Vnde nunc diſcutiendum ſe offert, Vtrùm cadē infantili, vel pupillari ætate poſſit impubes feudi ſucceſſor ob non petitam eiuſmodi inueſtiturā intra annum & diem, vt iure cauetur, eo priua-
2 ri? Et quamuis hāc amiſſionem eum pati poſſe ex eo videretur, quòd, vt acquirendi habet perſonam, & amittendi habere debebat, iuxta Forcatuli ſententiam *commentario de iuribus feud. cap.* 4. *n.* 18. nihilominus ante quatuordecim ætatis ſuæ annos elapſos dictæ præſcriptioni locum non eſſe meritò leges voluerunt, *cap.* 1. *§ præterea, de prohibita feudi alienatione per Fridericū*, illis verbis: *Præterea ſi quis infeudatus maior quatuordecim annis ſua incuria, vel negligentia per annum & diem ſteterit, quòd feudi inueſtituram à proprio domino non petierit, tranſacto hoc ſpatio feudum amittat*, ex quibus ita obſeruat Gloſſa *in cap. ſi minoris, ſi de feudo fuerit cōtrouerſia.* Alex. *conſil.* 79. *num.* 11. *volum.* 1. Caſſan. *in conſuetud. Burgundiæ rubric.* 3. §. 2. *num.* 1. Iul. Clarus *in* §. *feudum quæſt.* 49. *num.* 4. *verſic. Item ſcias*, vbi idem eſſe in fœminis teſtatur, quamuis extra hanc cauſam pœnalem earum pubertas regulariter duodecimo anno incipiat: quam eſſe communem opinionem dicit. Sequitur Cardinalis Tuſch. *practic. concluſ. iuris litera F. concluſ.* 124. *n.* 64. Petr. Rebuf. *in l. pueri* 204. *verſic. Decimo, ff. de verb. ſignificat.* Forcatul. *vbi ſuprà*, Quintilian. Mandoſ. *in caſibus annalibus n.* 174. *verſ. Trecenteſimus octuageſimus*, Guid. Papæ *quæſt.* 435. *num.* 1. *in fine*, Corbulus *de priuatione emphyt. ob non ſolutum canonem ampliat.* 29. *num.* 2.

Nec obſtat *cap.* 1. *quo tempore miles inue- 3
ſtiturā petere debeat*, vbi non pupillaris ætas, ſed ſola infantia militem excuſat à petitione inueſtituræ intra annum & diem (non verò menſem, vt mēdosè legi notat Cuiacius *ibidem*) quia exploſa duplici Gloſſæ expoſitione *ibidem*, ex quo nec de milite ibi agitur, ſed de vaſſallo nomine militis frequenter hoc tractatu ſignificato: nec ſuperiori Federici cōſtitutione hæc extat emēdata, vt meritò aduertit Iacob. Cuiacius *lib.* 1. *de feudis tit.* 21. *in fine*, dicendum erit *in dict. cap.* non definiri ſolam infantiam à prædicta negligentia, vel incuria militem excuſare, ſed ſimpliciter infantiā excuſare. Quod ſine aliqua controuerſia eſſe fatetur Cuiac. nam & omnis ætas pupillaris excuſat, ex d. Federici cōſtitutione. Vel dici poterit infantiæ appellatione *ibidē*, non ſolùm primam ætatem, ſed etiam pupillarem ſignificari: nam vbi infantis & pupilli vnum idemque ius eſt, vno etiam infantis nomine ſolent contineri, non aliter ac pupilli item minor, *§. nunc admonendi, inſtitut. quibus alien. licet, vel non*, ex quo, aliiſque iuribus vtrumque ſæpiùs notauimus.

Ergo ſi toto pupillaris ætatis tempore vaſ- 4
ſallus intra annum & diem inueſtituram petere neglexerit, minimè priuationis pœnam ſubibit: ſecùs verò ſi poſt decimumquartum annū, ſiue vir, ſiue fœmina, intra debitum tēpus petere omiſerit, quia tunc feudi amiſſione punietur, vt in *dict. cap.* 1. *de prohibita feudi alienatione* continetur, quamuis ei competat reſtitutio ad beneficij recuperationem, vt omnes ſuprà relati docent, & præcipuè Iacob. Cuiac. *tit.* 13. *lib.* 4. *feudorum*, Forcatul. *d. n.* 18. latius Caſſaneus *d.* §. 2. *n.* 7. vbi inquit, quòd eo ipſo, quòd non petit minor inueſtituram intra tempus, cenſetur læſus, & debet reſtitui, *argument. l. interdum, de minoribus, & l. emptor, C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſar.* conſentit Quintil. Mandoſ. *vbi ſuprà*, Cardin. Tuſchus *d. conc.* 124. *num.* 16. *&* 85.

SVMMARIVM.

Refertur opinio exiſtimantium emphyteutam, vt non ſoluentis canonem pœnam ſuſſerat, ſaltim quatuor decim annorum eſſe debere. 1. *Quæ vti verior admittitur.* 5.

Omnem

Omnem minorem, etiam infantem, ex negligentia in ſoluendo caducitatem incurrere, alij putant. 2.

Aſſignatur ratio, quare adultus ob nō ſolutum canonem cadat à iure ſuo. 3.

Quilibet poteſt in traditione rei ſuæ, etiam minori factà pactum, quod voluerit adijcere. 4. *&* 8.

Caducitas lapſu temporis incurritur. 6.

Præſcriptio, qua caducitas inducitur, an ſit legalis, vel conuentionalis? 7.

Negligentia anni & diei ad feudi inueſtituram petendam, pupillo minimè nocet. 9. *& quare.* 10.

Pupillus licèt debita ſeruitia domino ſubtraxerit, non ideò feudo priuatur. ibidem.

In omnibus caſibus, in quibus olim reſtitutione opus erat minoribus contra præſcriptionem, hodie ipſo iure ſubueniuntur. 11.

Ad excuſandum commiſſum quælibet cauſa leuis, etiam beſtialis, ſufficit. 12.

Pupillus parùm à belluis differt. ibidem.

An ſolus pupillus, vel etiam pubes, minor tamen quinto & viceſimo anno à caducitate excuſetur? 13.

Pupillus, ſiue ipſe emphyteuſim acceperit, ſiue in ea patri ſucceſſerit, neutro caſu in commiſſum incidit. 14.

Adulto minori, ſi in commiſſum incidat, vtrùm ſolùm pateat regreſſus contra curatorem, vel etiam competat reſtitutio? ibidem.

L. ſi tutoris, C. de adminiſtrat. tutor, explicatur. 15.

QVÆSTIO XXX.

Emphyteuta vt iure ſuo priuetur ob non ſolutum Canonem?

1 ANceps nimis, & perplexa hæc quæſtio videtur, & quæ iamdiu noſtrorum ingenia validiſſimè torſit. Quidam enim proferunt puberem, & quatuordecim annorum emphyteutam eſſe oportere, vt ſi per biennium de iure Eccleſiaſtico, *cap. potuit.* 4. *in fine, de locato*, vel per triennium de iure ciuili, *l.* 2. *C. de iure emphyt.* à canonis ſolutione ceſſauerit, iure ſuo priuetur. Quam ſententiam primus defendit Martinus de Fano, quem refert Speculator *titulo de emphyteuſ. §. nunc aliqua quæſtione* 14. *num.* 24. ſequitur Bald. *in l. ſi tutoris, C. de adminiſtrat. tutor.* Sforcius *de reſtitut. quæſt.* 89. *artic.* 9. *num.* 88. Vaſquius *de ſucceſſ. creation. lib.* 1. §. 10. *num.* 46. Petr. Rebuf. *in l. pueri.* 104. *verſ. Vndecimo, de verbor. ſignificat.* Gigas *reſp.* 14. *de penſio.* Quintilian. Mandoſ. *de ætat. minor. quæſt.* 12. qui eam veriorem vocat, & Guid. Papæ, *quæſt.* 435. Curiam Parlamenti ita iudicaſſe teſtatur *num.* 3. ſentit Emanuel Barboſa *in remiſſionib. ad ll. Luſitaniæ lib.* 4. *tit.* 34. *num.* 11. Ioan. Garſia *de expenſis cap.* 20. *num.* 19. qui aſſerit tutorem canonem non ſoluentem, ſibi, & non pupillo nocere.

Alij verò magis iuri congruentius exiſtimarunt, omnem quippe minorem indiſtinctè, ſiue pupillum, ſiue infantem ex prædicta negligentia in ſoluendo caducitatem incurrere, & emphyteuſis iacturam pati docent expreſſe poſt antiquum Vbertum, cuius meminit Quintilian. *vbi ſuprà* Aretin. *conſil.* 18. Aymon *conſil.* 193. Aurel. Corbulus *de cauſa priuationis ob non ſolutum canonem ampliatione.* 29. *num.* 1. vbi hanc opinionem contra Guidonem *vbi ſuprà* mordicus defendit, quam etiam ſequi videtur Seraphin. *deciſ.* 313. *num.* 6. vbi his caſibus, in quibus caducitas introducta eſt, vel ex diſpoſitione legis, vel ex diſpoſitione hominis, tenet minorem emphyteutam illam non ſoluendo incurrere. 2

Et huius ſententiæ eam rationem adducit Corbulus *dict. loco*, quia adultus minor viginti & quinque annis ex eo priuatur emphyteuſi, quoniam lex, & conditio reſolutiua contractus fuit in conceſſione rei à domino appoſita, cùm hoc veniat ex natura contractus, & cenſeatur id actum, etiamſi non ſit expreſsè cautum, ex Bald. *in §. inde poteſt num.* 10. & Albaroto *ibidem, verſ. Quæro de alienatione feudi.* Sed hoc etiam datur in emphyteuſi pupillo, vel infanti conceſſa: ergo idem ius in eo ac in adulto debet obſeruari. 3

Deinde, nam liberum eſt cuicumque in traditione rei ſuæ quodcumque pactum apponere, etiam in præiudicium pupilli & infantis, argument. *l. in re mandata, C. mandati*, quod neceſſariò rem accipiens, non habita diſtinctione ætatis, ſeruare tenebitur. Nec enim poteſt, quiſquis ſit is, qui recipit, lucrum amplecti, & onus canonis annexum cōtemnere, vt inquit Ancharran. *conſil.* 217. *per l.* 1. *§. pro ſequendo, C. de caducis tollend.* cûm naturæ conſonum ſit, eum non recuſare incommoda, qui acceptat commoda, *Clementin.* 1. *de cenſibus*: ergo cûm ea conuentione ſit pupillo emphyteuſis conceſſa, vt ad dominum reuertatur vbicumque per legitimum tempus à ſolutione ceſſauerit, eo non ſoluente conuentioni locus erit, & pupillus commiſſum & caducitatem incurret. 4

Sed nihilominùs à priori ſententia non eſſe recedendum, ex ſequentibus arbitror. 5

Primò,

Primò, quia ea expreſſe confirmari videtur ex *l.2. C. de fundis patrimonialibus & ſaltuenſibus, & emphyteuticis lib.11.* cuius hæc ſunt verba: *Patrimonialis fundi pēſitationem, ſeu aurariam, ſeu frumentariam intra tempus omiſſam, minorum dominio non nocere præcipimus, nec ad fraudem iuris eorum accedere, ſi quod ſolemniter debetur, paulò ſerius inſeratur: ita tamen, vt permanente ſubſtantia paruulorum iudex tutorem vel curatorem, per quem differtur illatio negligentiæ ſuæ, & deſerti officij, pœnas exigat & damna deplorare compellat.* Ex quibus manifeſtè colligitur, pupillum nullo damno affici, dilata vltra debitum tempus ſolutione, ſed tutoris periculo id omne cedere; qui cùm pro eo ſoluere teneretur, negligens fuit.

6 Secundò, quia caducitas, vel commiſſum lapſu temporis incurritur, *dict.l.2.C.de iure emphyteutico cap.2.de locato.* Sed minoribus, præſertim pupillis, nulla tempora labuntur, *l.fin.C.in quibus cauſis in integrum reſtitut. non eſt neceſſaria*: ergo in commiſſum mini-

7 mè incidere poſſunt. Nec obſtat quod huic fundamento objjcere intendit Aurelius *vbi ſuprà num.2.* videlicet, hîc non agi de præſcriptione legali, ſed de conditione reſolutiua contractus, & tempore conuentionali, quod currit etiam minoribus, pupillo & infanti, quia hoc expreſſę falſitatis conuincitur ex *dict.l.2. & dict.cap.potuit,* vbi tempus cōmiſſi aſſignatur à lege: ergo eſt præſcriptio legalis, & non conuentionalis, vt in ſpecie tenet Sforcia *de reſtitut.quæſt.89.art.9.num. 78.verſic. Ad contraria,* alioqui vbi nihil de commiſſo incurrendo poſt triennium fuiſſet actum inter partes, caducitas minimè locum haberet, quod falſum eſſe conſtat, & ipſe Corbulus fatetur *num.1.*

8 Vnde etiam infertur, parum vrgere quod pro ſua ſententia expendit prædictus Autor de facultate, qua domini circa res ſuas potiuntur, & de arbitrio apponendi in ipſarum traditione pactum, pupillo etiam nociuum, quia licèt hæc vera ſint, tamen noſtræ quæſtioni minimè aptantur, qua commiſſum magis à legis diſpoſitione, etiam vbi de eo agitur inter partes, quàm ab hominis conuentione dependet.

9 Tertiò noſtra opinio confirmatur à ſimili, quoniam negligentia anni & diei in petenda feudi inueſtitura, maiori quatuordecim annis imputatur, *cap.1.§.præterea de prohibita feudi alienatione per Federicum*, cuius nos aliqua diximus ſuprà *hoc eodem anno* quęſtione, *vt feudo quis priuari poſſit ob non petitam inueſtituram intra annum & diem*, quæ quidem incuria & negligentia pupillo nequaquam officit, *cap. ſi quis deceſſerit, minorem non cogi fidem facere, eadem collatione*: ergo nec officiet non ſoluenti canonem, vt nec officit pupillo feudatario domino ſeruitia non exhibenti, qui ideò feudo minimè priuatur, *cap.ſi minori, cap.ſequenti, ſi de feudo defuncti controuerſia fuerit,* aliàs minorem non teneri fidelitatem facere tradit Guid. Pap. *dict.deciſ.435.num.4.*

Reſpondit Corbulus diuerſos eſſe caſus, 10 ideoque de vno ad alium non poſſe deſumi argumentum. Nam dies & annus in feudo ideò pupillo non currit, quia ea ætate ignorans dicitur, *l.1.C.de falſa moneta*: & ſolùm ſcientibus, non verò ignorantibus cedit. At tempus commiſſi etiam ignorantibus nocet, licèt ex cauſa ignorantiæ reſtituantur, vt multis docet Sforcius *de reſtitut. quæſt.89. art.9.num.68.* ergo & pupillo nocebit, vt pote ignoranti.

Sed hoc ex ipſamet reſponſione diluitur, 11 nam vt patet ex *dict.l.fin.C.in quibus cauſ. in integrum reſtitut.non eſt neceſſar.* in quibuſcumque caſibus damnum temporis curſu minoribus illatum poterat reſtitutionis beneficio reparari, in his omnibus eſt conſtitutum melius eſſe eorum iura intacta ſeruare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere: ſed in commiſſo ex cauſa ignorantiæ pupillo competebat reſtitutio, vt Corbulus fateri videtur: ergo nunc ceſſabit commiſſum contra pupillum, vt ita ſit ipſo iure tutus, quod vtilius videtur, quàm vt ope reſtitutionis illi poſt rei ſuæ amiſſionem ſubueniatur.

Et tandem vltimo loco dicta ſententia 12 fulcitur ex eo, quòd ad excuſandum commiſſum, vel caducitatem quælibet leuis cauſa, etiam minùs iuſta ſufficit, vt argumento *l. igitur, §.poteſt, ff. de liberali cauſa* probat Alex.Ludouiſ. *deciſ.388.n.4.* vel, vt inquit Maceratenſis *variar.reſolut.lib.1. reſol.57. num.3.* etiam beſtialis cauſa ſufficit: vnde cū pupillus à belluis vſque ad pubertatem non differat, vt Autor eſt Ariſtot. *de hiſtor.animal. cap.1.* & nos alibi id fusè adnotauimus, ipſius beſtialitas illum à commiſſo excuſare debebit, vt quemlibet maiorem.

Sed dices, has omnes rationes, aut ſaltim 13 maioré partē earū, æquè conuincere nō ſolū pupillū, ſed etiā puberē, quintò tamē & viceſimo anno minorē à caducitatis & commiſſi pœna eſſe immunē. Quapropter minùs rectè hoc priuilegiū pupillo tantū indulgere videmus, vt etiā Corbulus obijcit. Verùm reſpōderi poteſt, hoc ita eſſe conſtitutum; quia nō ita rationis expers eſt minor poſt decimumquartū annū, ac experitur pupillus ante prædictū tempus: & demùm, quia ſi minori etiam

hæc

hæc indemnitas concederetur, maximo damno afficerentur creditores, ſiue domini directi, ex quo per longũ tempus minoris ætatis nullis canonum largitionibus fruerentur, cùm veriſimiliter credi poſsit ſecuritate non incurrendi pœnam minorem á ſolutione canonis ceſſaturum: etſi non improbabiliter defendi poſsit, dictam ſententiam pariter in minore ac in pupillo procedere, veluti ſentire videtur Sforcia *dict. loco.*

14 Ergo pupillus, etiamſi per debitum tempus à canonis præſtatione ceſſauerit, nullum commiſſum incurret, ſiue ipſe rem in emphyteuſim à domino acceperit, ſiue in ea patri, aut alteri ſucceſſerit, veluti optimè animaduertit Guidon Papæ *vbi ſuprà num. 1. in fine*, cuius contrarium verius putant relati à Barboſa *in remiſsionibus ad ll. Luſit. lib. 4. titul. 39. num.* 11. minor verò poſt annos pubertatis licèt non ſoluẽs, incidat in commiſſum, à curatore tamen damnum recuperabit, *l. ſi tutoris, C. de adminiſtration. tutor.* à quo ſi id minimè conſequi potuerit, reſtitutionis beneficium velut in ſubſidium habebit, vt poſt Guidonem inquit Aurel. Corbulus *dicto loco numer.* 5. quamuis Sforcius *vbi ſuprà num.* 84. teneat, etiam exiſtente adminiſtratore ſoluendo, competere minori reſtitutionem, ex Speculatore & Fulgoſio, quos *ibi* citat, idem inſinuat Cardin. Mantica *de tacit. & ambig. conuention. lib. 22. titul. 27. num.* 42. vbi abſolutè minori reſtitutionem concedit.

15 Nec obſtat *dict. l. ſi tutoris*, quæ dum pariter de curatore ac de tutore loquitur, præcipiens vtrumque teneri ad reſarciendum minori damnum ex commiſſo ipſorum cauſa admiſſo, neceſſariò ſupponere videtur, etiam pupilli rem eſſe comiſſo ſubiectam: quia reſpondetur cum Bartolo, quem ſequitur Sforcius *dicto loco numer.* 88. procedere in rebus fiſcalibus, quarum tantus fauor eſt, vt omnem minoris ætatis fauorem ſuperet, *l. quæcumque* 5. *C. de fide inſtrument. lib.* 10.

SVMMARIVM.

Pater vtrùm indiſtinctè, nulla habita diſtinctione ætatis, teneatur perpetuò filijs alimenta præſtare? 1.

Liberi coniugati à patre alendi ſunt. 2.

Quidquid filius acquirit ex ſubſtantia patris, ipſi patri acquiritur, reliquum autem ſolùm quoad vſumfructum. 3.

Verius creditur, obligationem alendi filios ſolùm vſque ad pubertatem eorum patrem comitari. 4.

D. Didacus de Narbona.

Puer dicitur quis vſque ad decimumquartum annum. 5.

Pupillus propriè educari dicitur. 6.

Pater poteſt filium iam puberem è domo eÿcere, vt ſibi victum quærat. 7.

Filius, etiam maior, debet à patre alimentari, ſi nec facultates, nec vires ei ſuppetant, quibus ſine dedecore poſsit ſibi prouidere. 8.

Pater tenetur artem aliquam filios edocere, aut per ſe, aut per magiſtrum, aliàs perpetuò de alimentis tenebitur. 9.

Filius, qui ſua culpa parum in arte, cui fuit à patre deputatus, profecit, nullam habet contra partem alimentorum actionem, ibidem.

QVÆSTIO XXXI.

An filius vltra decimumquartum ſuæ ætatis annum debeat à patre alimentari?

SVpra *anno tertio* probauimus onus alendi filios primo vitæ triennio ſolam matrem reſpicere, dehinc verò patri tantùm incũbere. Nunc etenim diſcutiendum ſuccedit, an ita pater poſt primũ triennium filium alere teneatur, vt etiam puberem, & decimumquartum annum agentem, nutrire, ipſique neceſſaria ſubminiſtrare debeat? In qua quæſtione Mathias Colerus *tractat de aliment. lib. 1. cap. 2. num. 40. pagina mihi* 190. perpetuò inquit, hanc obligationem alendi filium patrem comitari, nec ab ea aliqua filij ætate eſſe liberum, aut immunem, cui ſubſcribit nouiſsimè Cárança *de partu capit. 3. §. 4. numer.* 22. mouetur ex ſequentibus. Primò, quia, vt ipſe oſtendit, autoribus Corraſio *de arte iuris part. 2. capit. 4.* & Rojas *in epithome ſucceſſion. cap. 21. numer.* 12. quibus conſentiunt Stéphan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 2. capit. 236. numer. 7.* & relati ab Emanuele Barboſa *in remiſsion. ad ll. Luſitaniæ, lib. 4. titul. 88. §. 1. numer.* 16. dum diſputant, an pater poſsit alimenta denegare filiæ, quæ ſine eius conſenſu nupſit? Liberi etiam coniugati alendi ſunt à parentibus: ergo hæc obligatio vltra pubertatem durat, cùm non niſi puberes poſsint matrimonio coniungi, *cap. 1. & 2. de deſponſat. impuber. princip. inſtit. de nupt.* cum alijs ſupra hoc eodem anno in eandem rem à nobis ſingulariter animaduerſis.

3 Secundò confirmatur, quia hoc maximè congruum, & rationi conſentaneum videtur, cùm plenum dominium rerum, quas liberi, cuiuſcumque etiam ætatis ij ſint, ex ſubſtantia patris adquirunt, ad patrem pertineat, cæterarum verò, quas ſuis laboribus adquirunt, vſusfructus, *§. quod nobis, inſtit. per quas perſon.* atque ita ante emancipationem nihil poſsint habere, excepta cauſa caſtrenſis, vel quaſi caſtrenſis peculij: ex quo ſequitur, vt etiam in ætate prouectiori à patre ali debeant, cùm aliàs nihil habeant, vnde vitam ſuſtentent.

4 Tamen contrarium, ſcilicet obligationem alendi in patre vſque ad filij pubertatem ſolùm vigere, magis placet doctiſsimo Conano *lib. 1. comment. c. 6. num. 7.* & Ferdinando Vaſquio *de ſucceſsion. progreſſu tomo 1. §. 20. num. 311.* Quod etiam reſpectu matris, vbi pater deceſsit, probat Thomas Sanchez *lib. 1. conſiliorum, cap. 6. dub. 6. numer. 2.* Idque non leuibus rationibus, quoniam iuſtitia naturalis, quæ dictat, vt liberos educemus, *l. 1. §. ius naturale, ff. de iuſt. & iure, princip. inſtit. de iure naturali*, tunc ſolùm obligat, cùm inbecillitas eorũ noſtro eger auxilio: at ſi ea ætate ſint liberi, & ijs viribus, ſibi vt vitæ neceſſaria parare poſſint, licet parentibus eos, non repugnante natura, negligere.

5 Quod iterum probatur ex *cap. ius naturale 7. 1. diſtinct.* cùm adſcribit iuri naturali non liberorum, ſed puerorum educationem, his verbis: *Ius naturale eſt commune omnium nationum, eoquòd vbique inſtinctu naturæ non conſtitutione habetur aliqua, vt viri & fœminæ coniunctio, liberorum ſucceſſio, & puerorum educatio*: ergo cùm pueritia ipſo decimo quarto anno terminetur, *l. fin. §. vbi autem puerilis ætas, C. de bonis quæ liberis*, & nos ſuprà *anno* 8. multorum teſtimonijs adſtruximus, non vlteriùs naturalis parentum obligatio, quæ pueros tantùm filios alere iubet, progredi poterit, vt nouiſsimè in *d. cap. num. 22.* ſubindicare videtur Auguſtin. Barboſ. ex quo inquit, neceſſarium fuiſſe matrimonium, vt parentes filio puero alimenta conferrent.

Nec quòd verbum *Puerorum* in nouioribus exemplaribus, vtputa Gregorianis, non legatur, veluti prolixè nimis demonſtrat Colerus *vbi proximè numer. 41.* ſatis erit, vt antiquam lectionem mẽdoſam, ideoque reſpuendam audacter proferamus, maximè cùm à tot, tantiſque viris ſapientiſsimis illam amplexam videamus.

6 Sed eſto quòd recentiorem ſcripturam *dict. capit. ius naturale*, vbi deeſt verbum *Puerorum*, magis veram fateamur, adhuc ex eo textu hæc ſententia elici manifeſtè videtur, cùm ſolam educationem liberorum ad patrem iure naturali pertinere affirmet, quod de impuberibus filijs dumtaxat poteſt intelligi, cùm propriè ſolus pupillus educari dicatur, *totus titulus, ff. vbi pupillus educari debeat*, & *C. diuortio facto, apud quem liberi morari, vel educari debeant*, ſentit Menchaca *vbi ſuprà*, & ſuadetur illo Terent. *Adel. 3. 4.*

Vna à pueris paruoli ſumus educati.

Necnon & ex eo Varronis *de liberis educandis*: *Educit enim*, ait, *obſtetrix, educat nutrix; inſtruit Pædagogus*, vnde Plinius *lib. 9. capit. 13. educare mammis fœtum*, dixit, & Cicero *3. de Oratore*: *Inſtitutus liberaliter*, inquit *educatione, doctrinaque puerili.* Quod quidem educandi verbum propriiſsimè pupillis ſolummodò aptatur, cùm ipſius ſignificatio vltra victum & veſtitum, curam etiam, tutelam, & ſolicitudinem eius complectatur, qui propter ætatem ſe defendere nequit, vt egregiè obſeruat Carrança *de partu c. 3. §. 4. num. 3. verſic. Et ab his fit*, quod tantùm pupillis conuenit, ex Iuſtiniani ſententia *in principio inſtit. de tutelis.*

Cæterùm propoſita ſententia non ſolùm ex *dict. textu*, ſed etiam ratione probatur: 7 quia ſi pater ſua induſtria & laboribus multa quæſiuit, poſtquàm filius eſt eius ætatis, vt poſsit ſibi victum quærere (quam pubertatẽ eſſe ſuprà *ipſo anno* definimus in illa quæſtione, *Famulis à qua ætate ſalarium debeatur?*) poteſt filio iuſtiſsimè dicere: Hucuſq; piè educaui te, quia per te non poteras victũ quærere, nunc autem quæras per te, ſicut & ego feci.

Et confirmatur vlteriùs quoniam naturale ius, à quo liberorũ educatio originẽ trahit, non magis hominem, quàm cætera animalia obligat, cùm æquè ſit omnibus cõmune, *d. l. 1. de iuſt. & iur. d. §. ius naturale, inſtit. de iure naturali, & d. c. ius naturale, eod. tit.* Sed animalia filios tantũ educant vſque quo eius ætatis ſint, vt per ſe viuere poſsint, ſicut patet in cane, aſino, tauro, & in ſimilibus: ergo non ampliùs homo filios alere tenebitur.

His ergo ita conſtitutis, rem definiamus 8 oportet, ne opinionũ varietate legentis animus miſerè fluctuare videatur. Quapropter ſit ſumma regula & concluſio, patrem teneri alimenta præſtare filio adoleſcenti, & maiori viginti & quinque annis, ſi facultates ei deſunt, vel induſtria, vel qualitas, vel cõditio impedimẽto ſit, vt victũ manibus opificiové quæ-

quærat, vt optimè reſoluit Carrança *vbi proximè*, & rationes conuincunt primæ opinionis, quæ ita eſt accipienda.

Et meritò quidem, nam ſi ea eſt qualitas filij, vt abſque dedecore & ignominia nequeat arte vel exercitio ſibi neceſſaria parare, nihil ita naturali rationi congruum exiſtit, quàm patrem teneri hoc caſu filio ſubuenire., ne illi fruſtrà vitam dediſſe videatur, quem ſtatim fame ſubtractis alimentis perimit, maximè cùm & patris interſit filium non laborare, ſeruire, aut vili aliquo opificio operam dare, ex cuius vſu, ipſius maiorumque ſplendor & nobilitas deturpetur.

9 Sin autem minimè indecens ſit, eum operari induſtriâ, aut exercitio aliquo vti, eoque pater, aut per ſe, aut per magiſtros inſtruere curauerit, vt ad id teneri docet Bartol. *in l. de bonis, §. non ſolum, de Carbon. edicto*, Surdus *de alimentis, titul. 6. q. 19. num.* 10. vbi de quibus artibus intelligatur, declarat Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 2. cap. 267. num. 43.* poſt legitimam pubertatis ætatem ipſe ſe alere tenebitur, etiamſi in arte, qua pater illum erudire procurauit, dolo ſuo parum profecerit, veluti ſecundæ opinionis aſſertores optimè ſentiunt, qui ita ſubaudiri debent: ſecùs verò ſi non ſua culpa, ſed patris incuria, aut negligentia, vel nihil, vel parum ſcierit: nam tunc velut in pœnam filium, quamuis maiorem, alere compelli poterit: argumento *textus in l. 2. in fin. tit. 7. p. 2.* quemadmodum & ſimili alia pœna eum Solonem multaſſe refert Stephan. Gratian. *d. loco num. 45.* videlicet, quòd non teneretur filius patrem alere, quem ipſe nullam artem edocuit, aut docere curauit.

SVMMARIVM.

Vnumquodque eo modo diſſoluitur, quo colligatum eſt. 1.

Tutela, naturali ratione exigente, fuit inuenta. ibid.

Tutela decimoquarto anno in maſculis, & duo decimo in fœminis abſoluitur. 2.

Tutor puberi per errorem datus, nec ad excuſationem, nec ex neglecta adminiſtratione tenebitur. 3.

Qui ad pubertatem accedunt, in ſuam tutelam venire dicuntur. 4.

L. ſi filio 6. ff. de confirmando tutore.
L. pater Seuerinam 101. §. *conditionum, ff. de condit. & demonſtr.* } *exponuntur.* 5

Diuus Paulus *explicatur.* 6.

D. Didacus de Narbona.

Quoad cauſas cœptas, tutela pubertate non finitur. 7.

Mulieres antiquitùs in perpetua tutela erãt. 8

L. hæc 5. §. *ait Prætor, ff. quibus ex cauſis in poſſeſ. eat. illuſtratur.* 9.

Tam viri, quàm fœminæ, poſt pubertatis initium, vſque ad vigeſimum quintum annum ætatis curatores accipiũt. 10. *& quare.* 11

Curatores tutorum ſucceſſores appellãtur. ibi.

Aliquibus caſibus etiam impuberibus curatores dantur. 12.

Nullo caſu impuberi infanti curator deputari poteſt de iure ciuili, ſecus de iure Canonico. ibi.

Actores aliquando, maximè ad procuratorem conſtituendum, infantibus dantur. ibid.

QVÆSTIO XXXII.

Vt finiatur tutela, & curatores minoribus dentur?

CVm irrefragabile ſit iuris axioma, vnũquodque ea vi & poteſtate diſſolui, qua colligatum & conſtitutum apparet, *l. nihil tã naturale 35. ff. de reg. iur.* vnde omnia, quæ iure contrahuntur, cõtrario iure perire, ſcripſit Gaius *in l. omnia 100. ff. eodẽ*, conſectarium eſt, tutelam ab ipſo iure ciuili, naturali ratione exigente, inuentam (vt non ineleganter excogitauit Vveſembech. *in paratitlis, ff. de tutelis num.* 5. quem explicat Oſuald. *lib. 3. Donelli c. 1. litera H.* & nos quondam in Toletano Lycæo publicè recitauimus) nõ niſi eodẽ iure diſſolui, ac perimi. 1 Quapropter certi ſunt à legibus modi præſcripti, quibus tutela finitur, quorum omniũ cùm Iuſtinianus *in tit. inſtitut. quibus modis tutela finitur*, agere decreuiſſet, initio, ex Cõſulto *in l. curatorem 25. ff. de tutoribus, vel curat. datis ab his*, ſubijcit tutelam pupilli, pupillæve, adueniente pubertate diſſolui, 2 ideſt, vt ipſe ibidem exponit, decimoquarto anno in maſculis, & in fœminis duodecimo tantùm, quo tempore ob vitandam priſcam illam, & inhoneſtam pubertatis indagationem, ſiue viros, ſiue fœminas pubeſcere, ſtatutũ eſt in *l. indecorã 3. C. quando tutores vel curatores eſſe deſinant.* Nec immutatũ extat iure Hiſpano, ſed cõuenit *l. 12. & fin. tit. 16 p. 6.* adſtipulãtur Vlpian. *in fragment. tit.* 11. *in fin.* Macrobius *lib. 1. in ſomn. Scipionis, cap. 6. fol. mihi 56. ad calcem*, Contius *lib. 2. ſubſeſſ. lection.* Reuard. *lib. 1. variar. capit.* 10. Donellus *commen. iuris ciuilis lib. 3. cap. 22.* Petr. Gregor. *ſyntag. iuris vniuer. lib. 12. c. 15. n. 2.* Menoch. *de arbitr. lib. 2.*

caſu 58. Fran. Hotom. *in partition. iuris ciuilis, titul. de tutelis, verſ. fin. fol. mihi.* 37. Ioachim. Hoperus *lib.* 10. *de vera iuriſprudentia cap.* 8. Baeza *de decima tutoris cap.* 2. *num.* 3. vbi inquit, impuberi cuicumque tutorem dari debere vſque dum decimumquartum annum pertingat, Ludolphus Schraderus *in ſelectiſſimis iuris quæſtion. tom.* 1. *tit.* 22. *num.* 2.

3 Adeò quidem vt ſi puberi per errorem, vel alio modo decreto prætoris ex inquiſitione datus ſit tutor, excuſatione non egeat, nec obligetur, etiamſi puberis negotia negligat, *l. ſiue* 26. *ff. de tutoribus vel curatoribus datis ab his.* Nam cùm ipſo iure, vt diximus, & omnes fatentur in *dict. princ.* pubertatis aduentu tutela finiatur, fruſtrà à pupillaribus annis egreſſo tutor deſignatur. Quinimò ſi deputaretur, quaſi inutiliter datus, magis eſt illum nec ad excuſationem, nec ex negligentia adminiſtrationis teneri.

4 Quod etiam conſtat, quia cùm ad puberem ætatem minores accedunt, in ſuam tutelam veniſſe dicuntur, *l. cùm filiofamilias* 50 *in principio, ff. de legat.* 3. *l. hæc* 5. §. *ait prætor, ff. quibus ex cauſ. in poſſeſſ. eatur,* quod etiam & in fœminis obſeruatur, *l. ſi filia* 51 *ff. de legat.* 3. docent Balduin. *in dict. princ. num.* 18. & *ibidem* Vueſemb. *num.* 1. Renatus Copinus *de priuileg. ruſticorum lib.* 2. *capit.* 3. *num.* 3. Ioachimus Hoperus *dicto lib.* 10. *veræ iuriſprudentiæ cap.* 6. Qui enim ſuæ tutelæ ſunt, alterius tutela non indigent: vnde quaſi extra omnem tutelam conſtituti, ſi illis quamuis per errorem tutor decernatur, non erit tutor: nam cùm in id, vt *ex l.* 1. *de tutelis* apparet deputetur, vt illum tueatur, qui propter ætatẽ ſeipſum ſatis defendere non poteſt, in perſona eius, qui ad ſe tuendam legitimam ætatem obtinet, tutoris datio, licèt erronea, conſiſtere non poteſt. Quapropter mirum non eſt, illum neutiquam ex tutela obligari.

Nec ſupradictis repugnat Conſulti reſponſum *in l. ſi filio* 6. *ff. de confirmando tutore*, ex quo (ſecundùm Florentinam, & Holoandri lectionem, quæ loco illius verbi *impuberi*, frequenter in vulgatis codicibus, *puberi* reponit, vt ibidem obſeruat Gloſſa marginalis, & aduertit Anton. Faber *in iuriſprudent. Papinian. tit.* 12. *prin.* 8. *illation.* 31.) manifeſtè deduci videtur, tutelam ipſa pubertate non finiri, alioqui iam puberi, & quartumdecimum annum agenti inutiliter tutor conſtitueretur: quod in *dict. l.* 6. diffitetur Papinianus, & fortiùs abnegat *in l. pater Seuerinam* 101. §. *conditionum, ff. de condition. & demonſtration.* vbi vbſque ad annum decimum & octauum filio à patre in teſtamento tutor validè aſſignatur: nam preterquàm quòd Holoandri ſcriptura, vt Anton. Fabro *dict. loco*, etiam mihi ex rationibus ab eo congeſtis ſuſpecta nimis videtur; reſponderi poteſt, cum eodem Anton. Fabro & Pichardo *in dict. principio, quibus mod. tutel. finiat. numer.* 2. verbum illud, *tutor*, *dict. l.* 6. & *tutelam*, *dict. l.* 101. non quidem in vim propriæ ſignificationis, ſed curæ appoſitum eſſe, quaſi teſtatores his nominibus ad curam, & curatoris officium demonſtrandum fuerint abuſi. Idque probatur, ſiquidem teſtantium voluntates non ſolùm legibus conuenire debent, verùm & ſecundùm eas interpretandæ ſunt, *l. nemo poteſt* 58. *ff. de legat.* 1. tradunt Scribentes communiter *in l. hæredes mei.* 57. §. *cùm ita, ff. ad Trebellian.* ſed ea eſt iuris diſpoſitio, vt puberibus tutores relinqui non poſſint, quia pubertatis aduentu neceſſitas tutelæ abſoluitur: ergo ſi teſtamento pater liberis ſuis puberibus tutores ſcripſerit, iuris ratio poſtulat, illos non in vim tutorum, ſed curatorum ſcriptos cenſeri. Nec obſtat, quòd eos tutores nominauerit, nam verba quandoque impropriantur ſecundùm ſubiectam materiam, *l. ſi vno anno* 17. *ff. de locato*, ſcilicet quoties non poſſunt ſtare ſecundùm propriam ſignificationem, vt in caſu noſtro, quia vt actus potiùs valeat, quàm pereat, magis eſt vt improprientur, *l. ſed & ſi poſſeſſori* 11. §. *item ſi iurauero, ff. de iureiurando.*

Sed à Diuo Paulo, quem iuris noſtri peritiſſimum fuiſſe pluries legi, & non ſemel; 6
nec obſcurè ipſius ſcripta demonſtrant, ſubuerti hæc omnia videntur, ſiquidem ad Galatas expreſsè teſtatur, tutores, vel curatores filijs à parentibus teſtamento relictos, ad vſque illud tempus durare, & filios in ſua poteſtate, & adminiſtratione retinere, quod ab ipſis teſtatoribus præſcriptum eſt. Hęc enim illius verba ſunt: *Dico autem, quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium; ſed ſub tutoribus, & autoribus* (vel curatoribus, vt non inconcinnè legit Batablus, non vtique procuratoribus, velut & aliàs doctiſſimo Ioanni Marianæ placuit) *eſt vſque ad præfinitum tempus à patre*, quibus ambigi vix poteſt, tutelã non ſemper pubertate finiri, ſed ad illud omne ſpatium protendi, quo parentibus finẽ accipiat, viſum fuerit. Quod etiam Dionyſius Carthuſianus *hoc eodem loco* fatetur, dum inquit, tutelam vſque ad annos diſcretionis, vel ampliùs, prout patri placuerit, durare:

Sc-

Solebant enim, ait, *antiquitùs patres morituri determinare, vt vſque ad illud, vel illud tempus, filij ſub tutorum, vel curatorum dominio eſſent*, vt factum à patrefamilias indicat Conſultus *in dict. l. pater Seuerinam* 101. *§. conditionum, de condition. & demonſtration.* cui adſtipulatur Cornelius à Lapide *ibidem, verſicul.* 2. ergo prædictæ legis deciſio, & ſimiles, vt iuri conueniant, nulla indigent interpretatione, ſi Pauli irrefragabilibus verbis, vti eorum expoſtulat fides, ſtandum eſt, ac conſequenter quæ à nobis ſuperiùs extat deſignata, quaſi impropria, & ſuperflua, reſpuenda venit.

Nihil enim hoc in diſsidio ſe offert, vt illius manifeſtam oppugnationem ſubterfugiamus, niſi quòd Apoſtolus non ſecundum Romanorum leges id protulerit, imò, quod veroſimilius eſt, ſecundùm ſanctiones, & ſtatuta Galatarum, quibus tali exemplo ad veram fidem perſuadere nitebatur: nam cùm Græci eſſent; vel; quod certius eſt, Gallo Græci, & propria iura habuiſſent, illud inter alia apud eos proculdubio obſeruabatur, vt tutela pubertate non finiretur, quoties à patre in longius tempus fuerat præfinita, ſecus atque Romanorum ordinationibus continebatur. Alioqui enim nec vllus credat virum vtroque in iure verſatiſsimum, & ſanctiſsimi Spiritus veridico afflatu; aut lingua prorumpentem, aut calamo exarantem, in re ita omnibus obuia defeciſſe.

7 Verùm licèt indubitati iuris ſit; tutelam ipſa pubertate adueniente finiri, nihilominùs ad damnum omne euitandum placuit, vt quoad cauſas in pupillari ætate à tutore cœptas, adeò ipſa tutela etiam pòſt pubertatem durare credatur, vt niſi adminiſtrationem ad curatores tranſtulerit, defenſioni cauſarum pupillarium aſsiſtere tutor neceſſariò teneatur, *l. vnic. ſimul cum rubrica, C. vt cauſæ poſt pubertatem adſit tutor*; ad pupillum ſcilicet in iudicio defendendum, vt optimè ipſo loco philoſophatur Hoperus.

8 De fœminis autem maior dubitatio eſt, quo tempore à tutorum poteſtate extrahantur. Nam ſi hac in re Ciceroni fides adhibenda eſt, *pro Murena* teſtatur, mulieres in perpetua tutela ſtare, nulliuſque ætatis beneficio ab ea liberari, cui accedit Boetius *in eius Topicis, Mulieres*, inquiens, *antiquo iure tutela perpetua continebat.* Quod probat Vlpianus *in fragmentis titul.* 10. Franciſc. Duaren. *in titul. qui teſtament. facere poſſunt cap.* 2. latè Franciſc. Connanus *commentar. iuris ciuilis lib. 9. cap. 4. fol. mihi* 673. *litera H.* ſicque intelligendum eſſe Pauli reſponſum *in l. tutor 36. de ritu nuptiar.* meritò admonet Iacob. Rebardus *variar. lib. 2. cap.* 10. quo etiam ſubiungit, vbicumque in Pandectis tribui mulieribus curatores videmus, iis in locis omnibus, pro *Curatores*, eſſe *Tutores* ex Prudentium intētione, & vera ſententia reponendum, vt puta in *l. 37. de ritu nuptiar. l. 60. & 61. de iure dotium, l. 7. de tutoribus & curatoribus datis ab his, l. 7. ad legem Iuliam de adulter.* fortaſsis antiquum ius ad ſui temporis rationem accōmodans Tribonianus, hæc reſponſa ſic deformauit. Et fortè illud de perpetua mulierum tutela indicare voluit Vlpian. *in dict. l. hæc 5. §. ait Prætor. ff. quibus ex cauſis in poſſeſsionem eatur*, vbi cùm eos, qui bona poſſidebant, de poſſeſsione decedere iuſsiſſet, ſimul atque pupillus in ſuam tutelam venerit, de pupilla loquens; non cùm in ſuam tutelam veniſſet, ſed cùm viripotens fuerit, decedendum admonet: quaſi tacitè ſentiens; nunquam mulieres in ſuam tutelam venire.

Quibus non refragari ſimiliter arbitra- 9
tur Rebardus *vbi ſuprà* Pauli teſtimonium in *l. ſi quis tutor. 60. §. quid ergo ſi cum ſe, ff. de ritu nuptiar.* vbi expreſſe continetur, fœminarum tutelam pubertate ſpirare, quia ibi Conſultus de pupillari tutela fœminarum loquitur; quæ non aliter atque virorum certum eſt pubertate finiri, non verò de tutela muliebri, quę ab ipſa pubertate incipiens, ad vltimum vſque vitę ſpiritum protenditur, niſi in manus conuentione expiret, vt ex pluribus docet Oſualdus *vbi ſuprà*. Sed vt vt fuerit, hodie ex noua Iuſtiniani Conſtitutione indubitatū eſt, tam maſculorum, quàm fœminarum tutellam pubertatis anno terminari, *dict. princip. inſtitut. quibus modis tutela finit.* à quo vſque ad legitimam, & maiorem ætatem viginti & 10
quinque annorum; omnes ſiue viri, ſiue fœminæ, non tutores, ſed curatores accipiunt, *princip. inſtitut. de curatorib. l. 1. ff. de minoribus*, facit apud noſtros *l. 12. titul. 16. part. 6.* quàmuis non malè Connanus *vbi ſuprà*, exiſtimet hoc etiam Iuriſconſultorum tempore fuiſſe obſeruatum. Vnde Imperator *in authentica vt matres*, etiam *in principio, collation. 9.* curatores tutorum ſucceſſores, & ſecundæ ætatis moderatores appellat, vt refert Pichard. *in dicto principio numer.* 1. Docent ſuperiorem ſententiam Caldas Pereira *in l. ſi curatorem in principio numer. 3. C. de in integrum reſtitution.* Rebard. *lib. 1. variarum cap.* 17. Donellus *commentar. lib. 3. cap.* 18.

Anton. Faber *in iuriſprudentia Papiniane,*
11 *titul.23.principio* 1. Vbi huius rei illam rationem adfert, quia licèt puberes ſint, ita vt ex eo pubertatis tempore deſinant eſſe in tutela, vt iam probauimus; adhuc tamen eius ætatis ſunt, vt ſua negotia bene ac commodè tueri non poſsint, *dict. l.1. ff. de minoribus.* Eſt enim eorum conſilium multorum inſidijs, & captionibus expoſitum: & quamuis ob eam cauſam Prætor eis polliceatur auxilium reſtitutionis in integrum, ſi quid ab illis geſtum eſt, in quo capti & decepti inueniantur, tutius enim & prudentius eſt, vt illis curator præponatur, ne ita facilè eueniat, vt egeant reſtitutionis ſuffragio: nam vt noſtris peruulgatum exiſtit, melius eſt intacta eorum iura ſeruari, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere, *l. vltim. C. in quibus cauſis non eſt neceſſaria in integrum reſtitutio*, ac per conſequens, & illis à pubertate ad maiorem ætatem cu-
12 ratores aſsignare, exceptis aliquibus caſibus, in quibus etiam pupillis, & impuberibus curatores dari poſſunt, vt in *l. 9. §. penult. & vltim. & l.24. de adminiſtrat. tutor. l. 3. & vltim. C. in quibus cauſis habenti tutor. l.13. de tutelis, l. cùm non ſolùm* 8. *§. ſin autem in ſecunda, C. de bonis quæ liberis*, iunctis alijs, de quibus latè agit Donellu. *d. cap.* 18. dummodò infantibus maiores exiſtant, ſiquidem cùm non poſsit curator dari niſi præſenti & poſtulanti, *l.3. §. ſi pupillus, ff. de tutelis, l.1. C. qui petantur tutores, §. inuiti, inſtitut. de curator.* infantibus, qui pro abſentibus habentur, & in iudicio ad eum petendum comparere nequeunt, vt ſupra *anno* 7. probauimus, dari non poterit, vt probat *dict. §. ſi pupillus*, ibi: *Itaque infanti non poteſt dari*, vbi etiam notat Gloſſa, & Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, in princip. num.* 31. *verſicul. Ex quo iam vtilis, C. de in integrum reſtitut.* Cacheran. *deciſion. Pedemontan.* 89. *numer.* 1. Afflict. *deciſio.* 261. *num.* 5. Marcus Anton. Genuenſ. *in practic. quæſtion.* 766. etſi eis aliquando actores dari, maximè ad procuratorem conſtituendum liqueat ex *textu in l. decreto* 24. *in principio, de adminiſtration. tutor. & ex §. fin. inſtitut. de curatorib.* vbi obſeruat Gloſſa eiuſmodi actores, aliàs dici curatores, iuxta quem ſenſum poſſe intelligi textum in *capit. fin de iudic. lib.6.* arbitratur Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 15. *numer.* 49. dùm de infantis curatore loquitur: ſed verius eſſe, inquit, de iure Canonico correctam eſſe deciſionem *dict. l.3. §. ſi pupillus, ex dict. cap. finali*, vt etiam tradit Genuenſ. *in pract. Eccleſiaſtica, d. q.* 766. vbi refert alios ita ſentientes, & præſertim Ioann. Baptiſtam Ferretum *conſ.* 107. *lib.* 1. qui omnes ideo concludunt hodie, attento iure Canonico, etiam infanti curatorem ad litem dari poſſe.

SVMMARIVM.

Curator non niſi petenti datur. 1.
Poſt decimumquartum annum, quilibet ad petendum curatorem in iudicio comparere poteſt. ibid.
Minor pubes ad curatorem petendum procuratorem nominare poteſt. 2.
Hi omnes procuratorem conſtituunt, qui perſonam habent ſtandi in iudicio. 3.

QVÆSTIO XXXIII.

Curatorem petere, vel ad illum petendum procuratorem conſtituere, quis poſsit?

HAc de re nonnihil præcedenti quæſtione diximus, dum notauimus, curatorem non niſi puberi 1
petenti & poſtulanti dari, *l. 3. §. ſi pupillus ff. de tutel. l.1. C. qui petant, tutor. §. inuiti, inſtit. de curator.* Vnde infertur, poſt decimumquartum annum cuilibet adoleſcenti ſui iuris licere curatorem poſtulare, & coram iudice illum petendi cauſa comparere, *l.2. §. curatores ff qui petan. tutores*, ibi: *Curatores autem minores ſibi ipſis petent*, quod nullus diffitetur, ex quo 2
deducit Angel. *in l. mutus, §. is qui curatorem n.3. ff. de procuratoribus*, minorem iam puberem per ſe ſolum procuratorem conſtituere poſſe ad petendum curatorem ſibi, vt ex *d. l. 2. §. curatores*, apertè colligitur illis verbis: *Si autem abfuerit aliquis eorum, petet per procuratorem.* Quo vltimo verbo rectè obſeruat *ibidem* Gloſſa.

Nec mirum quidem, inquit Angel. *dict. loco*, nam ſuper hoc habet pubes legitimam 3
perſonam exiſtendi in iudicio: ergo à fortiori habebit perſonam legitimam ad conſtituendum procuratorem; cùm regulare ſit, eos omnes poſſe procuratorem nominare, qui in iudicio comparere rectè poſſunt, *l. ſeruum* 33. *in princip. ff. de procurator.* cum ſimilibus.

SVM-

SVMMARIVM.

CIrca huius quæſtionis reſolutionem, in tres partes diuiduntur Interpretes. 1.

Ad Regni gubernationem optimo iudicio, & recto conſilio opus eſt. 2.

Rex minor, ſi fortè lædatur, an debeat reſtitui? 3.

Reges poſt pubertatem curatorem nullum accipiunt, ſed optimorum virorum conſilio, quæcumque Regni ſunt, adminiſtrant. 4.

Reges ab alijs regi, abſurdiſſimum videtur. 5.

L. 3. tit. 15. p. 2. exponitur. 6.

Rex noſter Philippus IV. anno decimoſexto ætatis ſuæ patri ſuccedens, fœliciter, & vltra ætatem ſine curatore regnauit. 7.

Rex, ex quo Rex eſt, præſumitur diſcretus, & non minoris ætatis. 8.

Fœmina minor, niſi fuerit coniugata, ſine curatore regnare nequit. 9.

QVÆSTIO XXXIV.

Quo tempore Principum, Regum, & Imperatorum, perſonæ à curatorum poteſtate, vel adminiſtratione eximantur?

1 HAnc quæſtionem profuſè nimis, vt aſſolet, diſputat noſter Ioann. Gutierr. *tractat. de tutelis 1. part. cap. 18. per totum,* præcipuè *vſque ad num.* 7. vbi tria Scriptorum agmina conſtituit, quorum vnumquodque pro ſua, & ab alijs diuerſa ſententia pugnat. Primum eſt aſſerentium Reges, & ijs ſimiles, vti quoſvis alios minores, viceſimo quinto ætatis anno, & non antea curatorum poteſtatem effugere, cuius veluti Dux, & Imperator exiſtit Oldradus *conſil.* 52. quem ſequuntur Albericus *in rubric. C. quando tutor vel curator eſſe deſinat,* Ioann. Andr. *in addition. ad Speculatorem, de tutoribus, in prima additione,* Iaſon Maynus *in notis ad Chriſtoph. Portium in princip. inſtitut. quib. modis tutela finitur, numer.* 2. Anton. Gomez *in l. 40. Taur. num. 8. & variar. tom. 3. cap. 1. num. 56.* vbi huius ſententiæ nonnulla fundamenta adducit, Tiraquel. *de primogen. q. 40. n. 207.* Caſtal. *de Imperat. q. 73. num. 25.* Syluelter *in §. item inuiti, inſtit. de curator.* Pelaez *de maierat. 2. p. q. 6. num. 3.*

Qui omnes ea ratione in hanc ſenten- 2
tiam adducuntur, quia ad Regni, vel Principatus moderationem, optimo iudicio, & recto conſilio opus eſt, vt *Exodi* probatur 18. & docet Ariſtotel. *lib. 5. Politicor.* quod cùm in huius ætatis minoribus deficiat, teſtè Conſulto *in l. 1. de minoribus,* æquum non eſt, illos ante vigeſimumquintum annum ſine curatorum auxilio Regni clauum tenere, & gubernacula Reipublicę tractare.

Secundùm verò agmen, quod ducit Ioan. 3
de Imola *in capit. grandi, de ſupplenda negligentia prælator. lib. 6.* defendit Reges puberes, ideſt, quartumdecimum annum agentes, nedum à tutela, verùm & à cura etiam liberatos, adeò vt quaſi iure proprio in Regno ſuccedentes omnia poſsint, quæ regulariter minoribus 25. annis curatores non habentibus permittuntur. Cui opinioni etiam nomina ſuadederunt Domin. à Sancto Geminiano *in dict. cap. grandi, num.* 13. vbi ſimul Franc. & Probus *num.* 12. Menchac. *de ſucceſſion. creation. §. 1. numer.* 13. Ludolphus Schraderus *in ſelectiſsim. iuriſquæſtio. tom. 1. titul. 22. num. 3.* ita vt nec læſi reſtituantur, vt de Regibus Francorum notat Bodin. *de Republic. cap. 8. num.* 104. & Oſuald. *lib. 21. Donelli cap. 11. litera C.* vbi inquiunt, Reges Francorum, etſi infantes ſint, nunquam ætatis beneficio reſtitui, ſed in omnibus iudicijs minores haberi, Caldas *in repetitione l. ſi curatorem, verb. Hunc contractũ, num. 46. C. de in integr. reſtitut.*

Terriùm tandem duobus ſupradictis op- 4
ponitur, & fœdere quodam diſtinctionis contendit, pubeſcentes Reges, & Imperatores, ea quæ ſunt ſimplicis iuriſdictionis, citra curatorum autoritatem exercere poſſe: quia ad ea, tranſmittens Regnum in minorem, videtur minori facultatem concedere, ſecùs verò ad ea, quæ concernunt Regni adminiſtrationem, nam horum vſus & exercitium minoribus curatore carentibus interdictus eſt, vt cum Bartolo primo aſſertore *in l. quidam conſulebant, num. 13. ff. de re iudicata,* docent Abbas *in cap. cùm viceſimum, in fine primæ columnæ, de offic. & poteſtat. iudic. delegat.* Corſet. *de excellentia & poteſtat. Regum quæſt.* 16. Iacob. de Sancto Georgio *in inueſtit. in verſic. Quid ſit Rex,* Guilielm. Benedict. *in repetit. capit. Rainuntius verbo Adiecta impuberi, num. 52. de teſtamen.*

Quibus omnibus exercitibus profliga- 5
tis, eorumque opinionibus meritò reiectis, & poſtrema vtique vrgentiori confutatione repulſa, vt veriſsimum tenet Guterrius *dict. loco num.* 7. puberibus Regibus curatores dari

dari non debere, nec tamen ſolos per ſe, & vt fragile ipſorum iudicium ſuadet, quæ ad Regni moderamen & gubernationem ſpectant, tractare poſſe, ſed adhibito Conſilio, & aſſenſu delectorum, prudentum, & fidelium virorum, ſiue eorum, qui in Senatum cooptati exiſtunt. Quam ſententiam illis rationibus iam docuerat Balduin. *in princip. numer.9.inſtit. quibus modis tutela finitur*, quia ſcilicet eſſet inuidioſa illa tutorum, & curatorum vis & poteſtas, & adoleſcens Princeps potiùs nitatur communi ſuorum Principum, & Optimatum conſilio, proque vno plures habeat tutores, ſed moderatiores, nec eo poteſtatis euectos, vt quicquid ijs iubeat, liceat. Quod quantum periculi habeat, exemplo Rufini, & Stiliconis conuincir, qui cùm Archadio, & Honorio relicti fuiſſent tutores, & diutiùs liberè dominarentur, ſua perfidia autores fuere euertendi populi Romani; nec alia quidem ex cauſa, quam quia Regni Primates, & Proceres malo animo ſuſtinent, vicarium, ſiue curatorem diuitiùs pro arbitrio regnare, veluti apud Lucanum *lib.*10. Cleopatra non fert Photinum Ptolemæi Regis fratris ſui tutorem, & apud Cæſarem de eius iniurijs conqueritur. Quapropter Galliarum Reges hanc fuiſſe opinionem ſecutos, idem obteſtatur Balduinus *num.* 13. poſtquàm Carolus V. qui Sapiens cognominatus eſt, decreuit, vt Regum Franciæ filij anno decimoquarto conſecrari, & coronari poſſint. Et hoc vtique, mea ſententia, conſultiſſimè prouiſum eſt, cùm iniquum ſit, vt in rem aliam exclamat Salluſtius *in Iugurt.* vt quem populus imperare iuſſit, is ſibi Imperatorem alium quærat. Ideo Reges ab alijs regi, & duces ab alijs duci, abſurdum ſibi videri, rectè aiebat Alphonſus Aragonum Rex: quod aſſerit Panormitan. *lib.* 2. *de rebus geſtis Alphonſi*, & recenſet Iacobus Zeuecotius *in obſeruatis politicis ad C. Suetonij Tranquilli Iulium Cæſarem, capit.*57. Quare hanc noſtram ſententiam confirmant plures relati & ſecuti à Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.*16. *num.*9. & ijſdem pene rationibus eandem opinionem ex nefando, impijſſimoque autore etiam

6 defenſitarunt Gregor. Lopez *in l.* 3. *verbo Veinte años, titul.*15. *part.*2. Gaſpar Baeza *tractat. de decima tutori Hiſpan. in iure præſtand. cap.*19. *num.* 3. vbi ſimul profert, dictæ opinioni non obſtare prædictam *l. Regiam* 3. *titul.*15. *part.*2. quæ viginti annorum ætatem in Regibus expoſcere videtur, vt curatorum poteſtatem effugiant, vt ex illis verbis liquidò apparet: *E que lo tengan en paz, è en juſticia*, de tutoribus loquitur, *Faſta que el Rey ſea de edad de veinte años*: quia contraria conſuetudine abolitam eſſe Ioannis II. Hiſpaniarum Regis teſtimonio monſtratur, qui decimoquarto anno ætatis, nullo curatore accepto, Regni gubernationem ſuſcepit. Idque Alphonſum Regem ſanctionibus Pintiæ editis anno 1363. præcepiſſe, communiter circumfertur: & tandem in Carolo Quinto Maximo orbis Imperatore hoc obſeruatum conſpicimus, qui cùm inuictiſſimo patre ſuo è vita decedente, vix annum decimumſeptimum ageret, ſumma laude regnauit. Sed quid inueterata ſubſidia ex antiquis 7

Hiſpaniarum monumentis quærimus? Præ oculis enim, imò ſupra omnium oculos, huius veritatis fœliciſſimum exemplar habemus, Philippum Regem noſtrum huius nominis Quartum, ita egregiæ indolis, & ſenilis iuuentæ, vt decimoſexto ætatis ſuæ anno pijſſimo Philippo Tertio patri ſuo hæres exiſtens, & Imperiali arce ſceptra tenens, procul ab omni cura, & tutela, adeò ſe verè Regem oſtendit, vt nemo (ingenuè fateor) eo extiterit in Regia functione dexterior: quare illum ſummè cōmendat Ioan. Dominic. Taſſonus *obſeruation. iuriſdict.* 1. *verſ. num.*15. *cum ſequentibus, fol. mihi* 4. & noſter Perez de Lara *vbi ſuprà n.* 11. Nec

8 mirum quidem, vt rem proſequamur, cùm Rex, ex quo Rex eſt, præſumatur diſcretus, & non minoris ætatis, *cap. tuæ de deſponſat. impub. cap. Monachus nouitius* 77. *diſtinct. l. vnicuique, C. de proxim. ſacror. ſcrin.* ex quibus ita docet *Schrader. d. tit.* 22. *num.* 3.

9 Quod itidem in fœminis obſeruari debere, eadem rationum congeries euincere videbatur: ſed ita inbecillum, & fragile muliebre iudicium, etiam poſt pubertatem experitur, vt niſi eorum & prudentum Conſilio aſſiduè ad Regni gubernationem illis concedi poſſe diiudicarem, vel niſi, vt prædicta *l. Hiſpaniæ* cauetur, fuiſſent in matrimonio collocatæ: ſic enim poſt verba ſuperiùs relata ſubijcit: *E ſi fuere fija la que huuiere de heredar, faſta que ſea caſada*: quia tunc ipſæ de conſilio maritorum adminiſtrabunt, vt *ibidem* notat Gregorius Lopez *litera A.*

SVMMARIVM.

Impuberes nequeunt tutores vt ſuſpectos accuſare. 1.

Pubes ſi in iudicio, quo remouendum curatorem vt ſuſpectum contendebat, ſuccumbat,

bat, tenetur, vel expenſas ei refundere, vel eas in calculo recipere. 2.

Aſſignatur differentiæ ratio, quare puberibus, non verò impuberibus permittatur ſuſpecti tutoris, vel curatoris accuſatio. 3.

Minor, licèt regulariter ſine curatore accuſare nequeat, tamen cùm ipſum curatorem accuſat, interuenientibus conſanguineis accuſatoris perſonam rectè ſubit. 4.

Conſanguinei minoris viginti & quinque annorum eſſe debent, vt ipſi curatorem ſuſpectum dicenti aſſenſum præſtent. 5.

QVÆSTIO XXXV.

Quibus competant, vel non, tutores, ſeu curtores ſuſpectos accuſare? & de ætate conſanguineorum, quorum conſenſus in id requiritur.

1 EX quo ſolummodò impuberibus prohibetur ſuſpectos facere tutores ſuos, conſequenter elicitur, iam puberibus, & decimumquartum annum agētibus id permitti. Sic velut neceſſarium fatetur, *l. impuberibus* 7. *in prin. ff. de ſuſpectis tutoribus, l. pietatis* 6. *in fine, C. eodem, §. impuberes, inſtitut. hoc etiam titulo*, necnon & his Regnis expreſsiùs, *l.* 7. *titul.* 18. *part.* 6. eiuſmodi verbis: *Pero el moço que fuere menor de catorze años, no podria acuſar a ſu guardador por ſoſpechoſo: mas ſi fuere mayor, poderlo bia fazer con conſejo de ſus parientes.* Quibus vltra antiquiores & Gloſſographos præfatis legibus, conſentiunt Hugo Donell. *Commentar. lib.* 3. *cap.* 16. *verſic. Accuſationem cum hic*, & Anton. Faber *in iuriſprudentia Papiniana, titul.* 25. *prin.* 2. *illation.* 3. Ioan. Gutierr. *de tutelis* 2. *part. capit.* 18. *num.* 5. Ludolph. Schraderus *in ſelectiſsimis*
2 *iuris quæſtion. titul.* 26. *num.* 9. noſter Perez de Lara *in compend. vitæ homin. cap.* 22. *numer.* 6. vbi etiā ſubdit, teneri puberes, ſi poſt accuſationem tutores, ſeu curatores obtinuerint, ne remoueantur, expenſas factas illis ſoluere, aut in calculo recipere, ex ſententia Carrocij *de locato, tit. de adminiſtr. tutor. q.* 3. *à num.* 13. & Eſcobar *de ratiocinijs. cap.* 25. *num.* 63.

3 Circa cuius propoſitionis veritatem nulla difficultas occurrit: omnis enim in aſsignanda diuerſitatis ratione poſita eſt, quare pupillis tutores in ſuſpicionem vocare inhibeatur, puberibus igitur nequaquam, imò aſſentientibus neceſſarijs, & cognatis curatores ſuos, iudicio ſuſpicionis arguere permitatur? Illam vtique reddit Donellus *vbi proximè*, quia impuberes, nec certo iudicio præditi ſunt, & ſæpè tutorum poteſtatem exoſi; hanc quāuis ratione libenter excuſſam velint, ſupponens hoc in adoleſcentibus ſecus eſſe: quod vix erit admittendum, cùm ita egrè minores curatorum ſubiugationem, & imperium ac impuberes ferant. Nec quod maiori diſcretione, & iudicio polleāt, in cauſa eſſe poterit, quandoque non ita firmum eſt, vt ſine propinquorum conſilio ad prędictam accuſationem admittantur, vt notat Antonius Faber *princip.* 2. *illat.* 3. qui rectiùs aliunde hoc prouenire arbitratur, eo nempe, quòd eùm tutor, vt perſonæ, ita moribus pupilli potiſsimùm detur, *l. cùm plures* 12. *§. cùm tutor, ff. de adminiſtr. & pericul. tutor.* abſurdum ſanè eſſet pupillum præſertim qui iudicio caret, inquirere in mores tutoris ſui, à quo regi ipſe debeat: cui vno verbo adſtipulari videtur, Ioann. Viſconte *in commentarijs ad priores duos libros inſtitution. tit. de ſuſpectis tutoribus, cap.* 3. *num.* 5. dum illam eſſe rationem putat, quia tutor patris loco eſt, non quidem curator, quia nō ſicut pupilli moribus tutor præponitur, ita & adoleſcentis moribus curator, ſed bonis eius tantùm, nō perſonæ: in quo enim Fabro libenter aſſentior, exiſtimo hanc eſſe certiſſimam differentiæ rationem, etſi non diſpliceat alia ab ipſo *eodem loco* exhibita, quam priùs excogitauit Vueſembec. *in dict. §. impuberes.*

Ergo meritò impuberes à tutorū accuſatione arcētur, & ſolùm puberibus maſculis poſt decimūquartum annum, & fœminis (quibus etiā hoc caſu accuſandi ius eſt *§. conſequens, inſtitut. de ſuſpect. tutoribus*) poſt duodecimū neceſſariorū, patrocināte Cōſilio, curatores ſuſpectos dicere conceditur. Nam licèt regulariter ſine curatoribus accuſare nequeant, *l.* 2. *C. qui legitim. perſon. l. clarum* 4. *C. de authorit. præſtanda, l.* 2. *C. de his qui accuſare nō poſſunt*; tamen quando ipſum curatorem accuſant, quia id exequi nō poſſunt, propinquorum interuentionem, & quaſi autoritatem, defectum curatoris ſupplere creditur. 4

Vnde infertur, cuiuſcūque ſexus agnatos, propinquos, ſeu neceſſarios, quorū cōſilium ad futurum puberibus hoc in caſu ll. preſcribūt, quinto & vigeſimo anno maiores eſſe debere, nam eū vice curatorū fungantur, hanc curatoribus requiſitā ætatem habere operę pretium erit, maximè cùm minori ętate nec in proprijs, nec alienis negotijs à nemine conſilium valeat exhiberi, vt *anno* 25. pluribus oſtendimus. 5

SVM-

SVMMARIVM.

C*Lauſula*, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, & gradus, *etiam habiles per ſonas comprehendit, quæ aliàs non comprehenderentur*. 1.

Vi horum verborum, ſolùm maſculi poſt decimumquartum annum, & fœminæ poſt duodecimum continentur. 2.

Pupillus è numero magis belluarum, quàm hominum & perſonarum eſſe videtur. 3.

Licèt pro dote omnes indiſtinctè obligari poſſint, tamen hæc generalitas ad legitimæ ætatis perſonas eſt reſtringenda. 4.

QVÆSTIO XXXVI.

Qualis ætatis quis eſſe debeat, vt illa clauſula, Cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, & gradus, *comprehenſus videatur?*

1 VErba illa, *cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, & gradus*, etſi ita latè pateant, vt etiam minores complectantur, Bald. *conſ.* 67. *lib.* 1. Aimon *conſ.* 294. Roland. *conſil.* 61. *n.* 54. *lib.* 1. Puteus *deciſ.* 204. facit quod ex multis obſeruat Hieronym. Gonçalez *in regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 38. *n.* 1. & ex eo nouiſsimè Barboſ. *in collectan. ad text. in c. quamuis de offic. ordin. lib.* 6. ſcilicet, hanc clauſulam ſui natura comprehendere perſonas, quæ aliàs minimè ob ipſarum defectum comprehenderentur, veluti Monachos, ſeruos, Iudæos, & plebeios: nō tamen ita vires
2 ſuas extendunt vt omnes, & cuiuſcūque ætatis minores indiſtinctè admittant, vel complectantur, ſed puberes tantùm, maſculos videlicet, poſt decimumquartum annū, & poſt duodecimum fœminas. Vnde meritò Rota apud Seraphin. *deciſ.* 679. *num.* 6. concluſit, ex vi horum verborum non videri cōprehenſos pupillos ſine curatoribus ſuis: & de infantibus loquens idem docet Pat. Thom. Sanchez *lib.* 6. *ſummæ cap.* 16. *num.* 3. & *c.* 17. *num.* 5.

3 Et iure meritò, cùm hæc clauſula homines, perſonaſque complectatur, quarum numero vix pupillus, ſiue infantiæ, ſiue pubertati proximus connumerari poteſt, ex quo magis belluis, quàm hominibus accedere ob rationis defectū videtur: ideò Ariſtot. 8. *de hiſtor. animal. c.* 1. eorum animam inquit non diferre ab anima belluæ: & Plato 4. *de Republica, verſ. fin. & lib.* 6. *de legib.* puerum omnibus beſtijs magis intractabilem, inſidioſam, acrem, ac procacisſimā beſtiam vocat, & idipſum firmat Galen. *lib.* 3. *de plac. Hippoc. & Platon c.* 7. *claſſ*... dicēs: *Pueri ratione minimùm vtuntur, & iræ, & cupiditatibus, vt beſtiæ ſeruiunt*. Quod & *lib.* 5. *c. vlt.* ita repetit: *Adulti ratione iracundiam refrænant, pueri autem nihil tale efficiunt, quemadmodum neque beſtiæ*. Et ne puerum his locis Galenū pro infante accepiſſe exiſtimes, ipſe ſe exponit *comm.* 3. *Aphoriſ.* 24. vbi pueros appellare pupillos vſque ad pubertatem, inquit: cui in propoſito accedit Paul. Zachias *medicolegali lib.* 1. *tit.* 1. *q.* 4. *n.* 16. idem docet Syluester *in ſumm. verb. Baptiſmus* 4. *n.* 5. inquiens, puerum ante vſum liberi arbitrij ſub parentum cura, ſicut ſub quodā ſpirituali vtero contineri, non differens ab irrationali animali: vnde ſicut bos, vel equus iure ciuili eſt alicui ſubditus, vt eo vtatur vt libet; ita filius iure naturali ante vſum rationis.

Ergo optimè illis verbis, *cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, & gradus*, pupilli cenſentur inclusi, vtpote qui nondum inter homines iuris cēſura adſcribi cœperunt: inde ait Gloſſa *in l. promittendo* 41. *verbo Conditioniſque, ff. de iure dotiū*, quòd licèt lex decernat, omnes 4
vtriuſque ſexus, & cuiuſvis conditionis perſonas promittendo dotem obligari, requiritur tamen, quòd ſint legitimæ ætatis. Conducunt tradita à Iaſone *in l.* 2. §. *Prætor ait, n.* 3. *qui ſatiſdar. cogan.* & à Iacobo de S. Georgio *in d. l. promittēdo*, vt teſtatur Seraphinus.

SVMMARIVM.

T*Ributum perſonale, & capitis, quale dicatur?* 1.

Tributa in recognitionem ſupremi dominij, & propter vrgētiſſimas bellorum, & pacis neceſſitates ſoluuntur. 2.

Ante duodecimum annum fœminæ, & quatuordecimum maſculi à tributo capitis excuſantur. 3.

Text. in l. ætatem 3. *ff. de cenſibus, nouè intelligitur*. 4.

Vlpianus *è Syrijs originem ducebat. ibid.*

Nulla ætas à tributis patrimonialibus excuſationem præſtat. 5.

Pupillus nullum in Republica caput habere creditur, & quare. 6.

Reipublicæ eſſe non præſumitur, qui Reipublicæ eſt inutilis. ibid.

Pupillus, vt inobedientiæ & contumaciæ, ita & recognitionis ſupremi dominij eſt incapax. 7.

Ex

Ex libris cenſualibus ætas ciuium probatur. ibidem.

QVÆSTIO XXXVII.

Vt teneatur quis ſoluere tributum perſonale, quod vocatur capitis?

1 NVllam determinatam ætatem ad hoc eſſe præſcriptam, imò omnem indiſtinctè, ſiue minorem, ſiue maiorem ad illius penſitationem teneri, vel ipſa ſola tributi ratio perſuadere videtur, quæ ideò perſonale, & capitis eſſe demonſtrat, quia à ſola perſona, non habita rei conſideratione, præſtatur, *l. fin. verſ. Perſonalia ſunt, ff. de muneribus & honoribus*: ergo etiam minores cuiuſcumque ætatis, vti perſonam habentes, ſoluent tributum, alioquin eſſet contra naturam ipſius, quia cùm ſit capitis, & perſonale, perſonas omnes, & capita, tã diuitum, quàm pauperum, tam minorum, quàm maiorum debet comprehendere.

2 Et probatur apertiùs, quoniam hoc tributum Regibus debetur in recognitionem ſupremi dominij, atque immenſę poteſtatis, propter vrgentiſsimas bellorum & pacis neceſsitates, quæ tuendo, conſeruando, & augẽdo Religionem Chriſtianam quotidie ſuſterunt, vt aduertit Otalora *lib. 1. de nobilitate c. 2. n. 7.* Ioan. Garſia *de nobilit. gloſ. 7. n. 5. & gloſ. 1. §. 1. n. 18.* Vveſembec. *in paratitl. ad titul. de cenſibus n. 1.* & probat text. *in l. in Luſitania 8 ff. de cenſibus, l. 1. titul. 23. lib. 9. nouæ Recopil.* ibi: *En reconocimiento del ſeñorio Real*, quò reſpicit Appi. *in Syriacos*, cùm inquit, Iudæis grauius capitis tributũ impoſitum à Romanis, quia ſæpiùs rebelles fuere. Hanc verò recognitionem, etiam minores præſtare tenentur, quia & ſubditi ſunt, *c. omnis anima 2. de cenſibus*, & vt tales à Regibus non ſine magno ſumptu, bello, & pace continuò defenduntur: ergo à tributo eiuſmodi nequaquam erunt immunes.

3 Verumtamen aliud hac quæſtione obtinere docet egregiè Conſultus *in l. ætatem 3. ff. de cenſibus*, vbi ita legitur: *Ætatem in cenſendo ſignificare neceſſe eſt, quia quibuſdam ætas tribuit, ne tributo onerentur: veluti in Syrijs à quatuordecim annis maſculi, à duodecim fœminæ vſque ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis obligantur*: ex quibus nouiſsimè, & meritò obſeruat Carrança *diſput. de partu c. 5. ſect. 3. n. 102. verſ. Et hoc ſanè*, capitationem apud Romanos ſemper vniformem fuiſſe, & ab omnibus viritim exſolutam, à viris ab anno decimoquarto, à fœminis ab anno duodecimo, vſque ad ſexageſimumquintum; Quapropter dicendum videtur, ante pubertatem, nec maſculum, nec fœminam, tributo capitis vel perſonali obligari, vt *dict. loco* aunotauit Raynerius, & Iuſt. Lipſius *de magnit. Rom. lib. 2. c. 2.* Buleng. *de vectigal. lib. 9. c. 16.* planeque roboratur ex *l. 6. C. Theodoſia. de cenſu ſiue adſcript.* vbi ita cauetur: *Nulla vidua, nemo pupillus ex vtroque ſexu, donec eos ingrediatur annos, qui iam tutoribus, curatoribuſque publicis nõ egeant, exactionem plebis cognoſcant.* Quis enim dubitet, pupillarẽ ætatem hanc eſſe quam à tributo immunem deſiderant imperatores? cũ ea tantùm tutoribus, vel illis dignitate, morbo, ſenio, vel alia iuſta cauſa impeditis; publicis curatoribus egeant pupilli, *l. decreto 24 ff. de adminiſtr. tutor. l. ſolet 13. ff. de tutelis.* Et ſi in contrariâ ſententia exiſtat nouiſſimè Fernãdez de Caſtro *in prælect. ad l. vnicã, C. de cap. ciuiũ cenſib. lib. 11. n. 14.* vbi nõ ſolùm pupillos, ſed omnẽ omnino minorẽ ad annũ quintum & viceſimum à capitis penſitatione liberũ contendit, ex *d. l. 6.* & *ex l 4. eiuſdem tit. & 6*; quæ eos tantùm impuberes à plebeia capitatione liberat, qui virilis ſexus, & viginti annorũ fuerint: ſed vt ipſe fatetur, huius legis ſcriptura ſuſpecta agnoſcitur, & ex impoſturis eſſe videtur, quibus liber iſte maximè ſcatet, vt alibi notabimus.

Vnde colligitur perperàm ſenſiſſe poſt Accurſium *in dict. l. 3. verbo in Syrijs*, Quintil. Mandoſ. *de ætate minori c. 5. n. 16. in fin.* diſpoſitionem Conſulti in *præcitata l.* ſpecialem eſſe, & ſolùm quoad Syrias procedere, non verò regulariter; nec apud Romanos, quorum legibus potiùs cauetur, nullam ętatem à tributo excuſationem afferre; vt *in l. reſcripto 6. §. ſciendum, ff. de muner. & honor. l. neque tempore ætatis 5. C. de muneribus patrim. lib. 10.* nam ſi *d. legis* verba attentè inſpiciãtur, ſtatim elucebit Vlpiani ſententiã non ſpecialem, ſed generalem eſſe, vt legis ſit oportet, *l. iura 8. cum ſimilibus, ff. de legibus*, ipſiuſq; ſenſum eſſe, ętatẽ in cẽſendo, ſiue inſcriptura (vulgò *padron*) qua ſinguli ad cenſum capitis ſoluendũ deſcribuntur, ſignificare neceſſum eſſe, quoniam quibuſdã perſonis ætas tribuit Romæ, veluti etiam in Syrijs, ne tributo onerẽtur, à quatuordecim annis maſculi, à duodecim fœminæ, vſque ad ſexageſimũquintum annũ tributo capitis obligãtur. Syriarũ igitur ibi meminit Conſult. non vt exemplũ ſimpliciter; quinimò vt exemplum regionis, qua idẽ ius circa numerum annorũ ad obligationem ſoluendi tributum, ac ciuitate ipſa Romana cuſtodiebatur, fortè, vt Sy- 4

Syrias, è quibus originē ſe ducere Vlpianus gloriatur in *l. 1. in princip. eod. tit. de cenſibus*, ſaltim in hoc Romanæ magnitudini æquaret, & pares eſſe oſtenderet.

5 Et huic interpretationi minimè obſiſtunt iura, quæ pro ſua Quintilianus adducit, cùm omnia non de tributo capitis, cuius noſter ſermo eſt, ſed de patrimoniali & reali loquātur, vt ex ipſis patet: verba enim *d. §. ſciendum* hæc ſunt: *Munera, quæ patrimonijs iniunguntur, vel in tributiones, talia ſunt, vt neque ætas ea excuſet, nec numerus liberorum, nec alia prærogatiua, quæ ſolet à perſonalibus muneribus excuſare.* A quibus non diſcrepant quæ in *d. l. neque* ſcribuntur, veluti hæc ipſarum ſeries demonſtrat: *Neque tempore ætatis, neque numero liberorum à muneribus, quæ patrimoniorum ſunt, excuſationem quis habere poteſt*: à tributis enim patrimonialibus certum eſt, vt in *d. ll.* cauetur, nullam ætatem immunitatem afferre, quia non perſonæ, ſed rebus principaliter iniunguntur, quæ etiam in paruulo dari poſſunt.

6 Minuſque refragantur quæ pro aduerſa opinione initio excogitauimus: nam ex eo quòd tributum capitis non rebus, ſed perſonis tantùm in ſignū recognitionis indicitur, neceſſariò infertur, pupillos ad ipſius præſtationē non adſtringi, vtpote eius ætatis, quæ nullū caput in republica habere creduntur; nō ſolū quia tunc ratione tutoriæ poteſtatis, cui maximè ſubduntur, potiùs ſerui quàm liberi exiſtimātur, *l. qui fundum 7. §. ſi tutor, ff. pro emptore*, iuxta illud Pauli *ad Galatas capit. 4. Quandiu hæres puer eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium*: ſed etiā quia ſenſu & intellectu carent, quo Reipublicæ vſui eſſe poſsint: qui enim Reipublicæ non proſunt, minimè in ea eſſe arbitrantur. Sic Viues *in 3. declamat. Syllana*. Quibus acce-
7 dit, vt ab eiuſmodi tributo recognitionis pupillum liberum oſtendamus, niſi tranſacta pubertate nondùm recognitionis eum eſſe capacem, quia nec inobedientiæ, aut contumaciæ tūc capax exiſtit, vt hæc fuſiùs infrà apparebunt. Alioquin ſi quacumque ætate, etiam infantili, omnes indiſtinctè ad hoc recognitionis ſignū exhibendū tenerentur, ex libris cenſualibus, nequaquam ętas ciuium probari poſſet, contra iuris regulam, quam ex *d. l. ætatē 3. de cenſib.* communiter omnes deducunt, & præcipuè Dion. Gotofred. *ibid. litera C.* Quoniā ſi huic contributioni, aut capitationi certa ætas non fuiſſet præſtituta, fruſtrà illius in libris fieret mentio, vt in *d. l. 3.* præcipitur. Maximè cùm in libris patrimonialium tributorum, à quibus nulla ætas excuſat, vt diximus, nunquam fiat.

SVMMARIVM.

Pueris ante decimumquartum annum ſanguis non eſt mittendus. 1.

Pœna miſſionis ſanguinis, antiquis noſtris legibus nobilibus inflicta, minores nequaquam comprehendebantur. 2.

Obeſa corpora, quæ ad vltimam creſcendi ætatem peruenerunt, minui debent. ibid.

QVÆSTIO XXXVIII.

Ad ſanguinis miſsionem?

NOn omnibus febre, aut morbo aliquo laborantibus ſanguinem eſſe mittendam ſcribit Galenus *lib. de ſanguinis miſſione c. 9.* nam quibus vires non ſuppetunt, venę minimè ſecantur. Hac igitur de cauſa idem Galenus *cap. 13.* proſequitur: *Neque pueris ſanguinem mittes vſque ad decimumquartum ætatis ſuæ annū, poſt tunc verò, ſi ſanguis multus coaceruatus appareat, ſanguinem auferes.* Vbi Leonat. Suſius hæc notat, contrà candidos, & tenera carne præditos, eoquòd exiguum habeant ſanguinē, parciùs vacuare conuenit. Hac igitur de cauſa, videlicet, quia carnem teneram, ac facilè perſpirabilem obtinent, pueris vſque ad decimum quartum annum ſanguis mittendus non eſt. Quibus conſentiens Doctor Laguna *in Dioſcor. lib. 6. capit. 32.* idem teſtatur & Doctor Ioann. Vazquez Toletanus *in controuerſia de ſanguinis miſſione*, Sanguinem, ait, mittimus in quolibet morbo magno, dummodò vires cōſentiant, qua de cauſa in ſene tali morbo correpto ſanguinē mittimus, ſi vires adſint, nullo modo in puero ante decimumquartum annum, cùm ex ſententia Galeni *lib. de curandi ratione c. 13. & 9.* ipſis nullatenus ſanguinem debeamus mittere. 1

Quò fortè reſpexit *l. noſtra 8. tit. 31. p. 7.* 2
cùm pœnam mittendi ſanguinem vetuſtiori ſeculo vſitatiſsimam, vt obſeruat Petr. Gregor. *lib. 37 ſintagm. c. 10. n. 4.* quam nobilibus vti honeſtiorem imponendā, irrogādamque pręſcribit, minoribus nequaquam infligendam docet, & text. *in cap. ne tales 29. in fin. de conſecratione, diſtin. 5.* dum ex Hippocrate, inquit, craſſa & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram compleuerunt, id eſt, quæ ad vltimam creſcendi ætatem peruenerunt, niſi citò ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſim, & peſsima morborum genera erumpere.

SVMMARIVM.

Virgines & impuberes ante decimumquartum annum balnea ingredi prohibeantur. 1.

Patri non licebat lauari cum filio pubere. 2.

Probibitum erat, ne maſculi cum fœminis vnà lauarentur. ibidem.

Vxor ex eo ſolùm repudiari poterat, quòd cùm viris lauaretur. 3.

Duplex erat balneum, quod vno igni, pariete interiecto, calefiebat, vnum fœminarum & alterum virorum. 4.

Nudari publicè inhoneſtum habebatur. 5.

Balnea nemini, aut nocte, vel ante auroram patebant. 6.

Ab hora octaua incipiebat lauatio. ibidem.

Alphonſus Sextus Hiſpaniarum Rex balnea ſuſtulit, quia eorum nimia aſſiduitate milites effœminari conſpexit. 7.

QVÆSTIO XXXIX.

Balnea quibus ingredi liceret?

1 MOribus Romanis virgines, & impuberes ante decimumquartum annum à lauationibus, & balneis publicis arcebantur, vt Autor eſt Iuſtus Lipſius *antiquam lection. lib. 4. cap.* 22. quò reſpexiſſe inquit Plautus *in milite* ibi.

Lautam vis, an quæ nondum ſit lauta?

Et Iuuenalis.

2 *Et pueri credunt niſi qui nondum ære lauãtur.* Coniectarique poteſt ex eo, quòd ex Valerio Maximo *lib. 2. cap.* 1. refert Lelius Viſciola *horarum ſubſeſſiuarum lib. 16. cap. 20. verſic. Tantus verò honeſtati*, ſcilicet apud Romanos patri non licuiſſe lauari cum filio pubere. Quod etiam recenſet Alex. ab Alex. *dier: genial. lib. 2. cap. 25. ad finem*, & fortè inde prohibebatur, ne maſculi cum fœminis vnâ lauarentur veluti ex Dione, & Ælio Spartiano *in Adriani vita* conſtat, & ex Alexand. ab Alex. *lib. 4. dierum genial. cap. 20. paulò ante finem*, ibique notatis à Tiraquel. Lelio Viſciola *vbi ſuprà, & in iure noſtro ex l. vlt. §. inter culpas, C. de repudijs*, vbi cauſas enumerans Imperator, quibus à marito repudiari
3 vxor poteſt, ſic ait: *Vel ita luxurioſa eſt, vt cõmune lauacrum cum viris libidinis cauſa habere audeat, cap. non oportet* 28. illis verbis: *Nõ oportet miniſtros altaris, vel clericos quoslibet, aut ſe continentes, & omnino Chriſtianum cum mulieribus lauacra habere communia. D. Didac. de Narbona.*

Hæc eſt enim apud Gentiles prima repreheſio 81. *diſtinct.* vbi etiam obſeruat Roder. Acunha *num.* 1. *poſt gloſſam vlt. in cap. omnis qui* 24. *quæſt.* 1. & Grafis *in deciſionib. aureis cap. 9. n. 2. lib. 3. part. 2.* ideoque bina fuiſſe ædificia lauãdi cauſa, vnum, vbi viri, alterum, vbi mulieres lauarentur, obſeruat Varrò *lib. 8. de lingua Latin.* nec immeritò, vt ſcribit Chariſius *lib.* 1. & Hothom. *de verb. iuris, verbo Balneum.* Nam parſimoniæ cauſa vno igni duplex balneum calefaciebant, pariete interiecto, vt pudor viris mulieribuſque conſtaret, docet Stephan. Forcatul. *in Cupidine Iuriſperito. c. 10. n.* 2. & forſitan inquam hæc communis lauatio inter dicebatur: quia cùm iam puberes eſſe debebant, ac per conſequens & libidinis capaces, qui balnea ingrediebãtur, inhoneſtum aliquid vereri poterãt, quod omnino iura auerſantur, argumento *l. cùm ſuprà* 12. *C. de re militari lib.* 12. ibi: *Ne ve abluendo equorum ſudores deproperãs publicos oculos nudatus inceſtet, ſed procul à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluminum hoc ipſum faciat*: vt enim Ennius aſſerit, *Flagitij principium eſt nudare inter ciues corpora*: quod etiam placet Forcatulo *in Cupidine Iuriſperito. cap. 8. num.* 1. 4 5

Nec ab hoc honeſtiſſimo fine alienum videtur quod recenſet Alex. ab Alex. *d. c.* 20. ſcilicet balnea apud maiores nocte, aut ante auroram nulli patuiſſe, vtque ſine metu cuiquam lauare liceret, à primis tenebris ad auroram ſequentem clauſa fuiſſe, ſiquidem nocte lauare veteribus interdictum erat, cuius etiã meminit Ælius Spartianus *in vita Adriani Cæſaris: ante octauam horam in publico neminem, niſi ægrum lauari paſſus eſt*, refert etiã Viſciola *dicto loco, verſic. Hora verò*, & Stephan. Forcatul. *vbi proximè* adducens illud Martial *lib.* 10. 6

Octauam poteris ſeruare, lauabimus vnà,
Scis quàm ſint Stephani balnea iuncta mihi.

Quis enim non coniectabitur, hoc nulla aliã ratione potuiſſe ſtabiliri, quâm ne aliqua iam pubeſcentium virorum & fœminarum turpis, & inhoneſta commiſtio ipſo obſcuritatis lenocinio celaretur? Quod vtinam nec poſtmodum ab Imperatore Alexandro Seuero, nec moribus noſtris eſſet abrogatum.

Illud enim, quod noſtris accidiſſe refert Franciſcus Tarraſa *de Regibus Hiſpanis in vita ipſius*, & ex eo Petr. Gregor. *lib.* 18. *ſyntagm. c. 26. n.* 7. ab hac aſſidua cum fœminis lauatione proueniſſe reor, & quidẽ cùm Rex Maurorum Toletanã noſtram ciuitatẽ amiſiſſet, & palantes milites eius adorti fuiſſent, & viciſſent ſeptem Comites Alphonſi noſtri huius nominis VI. in loco vulgò dicto *Alca-* 7

car de Conſuegra, Rex Alphonſus calamitates huius cauſam ſuorum animis nimia mollitie effœminatis imputans, balnea, aliaſque id genus illecebras, quas Mauri Toleti cōſtitue rant, ſuſtulit, & populum ad priſtinam virtutem, & ſeueritatem reducere eſt conatus.

SVMMARIVM.

Septimus annus an ſufficiat, vt filius patri ſuperſtes exiſtimetur? 1.
Argumentum à contrario ſenſu nullam vim habet, ſi iuri repugnat. 2.
Probatur ſolum puberem ſuperſtitem præſumi. 3.
Ætas impuberis repentino caſui magis videtur ſubiecta. 4.
Pillos ſub axilis alere indicium habebatur iam adeptæ fortitudinis. 5.
Pubertas an ſit ætas tenera? 6.
Imperfectè robuſtus tener dicitur. ibidem.
Credens imperfectè, incredulus & credulus ſimul vocatur. ibidem.
Aliquando efficit pietas, vt filius pubes priuſquam pater mortuus credatur. 7.
Filius pubes æqualis quodammodò patri dicitur. 8.
Inter æquales ſimul obeuntes neuter ſuperuiuens coniectatur. ibidem.
Si non vna, ſed diuerſis cladibus, eodem tamen inſtanti pater & filius decedant, an ſit huic præſumptioni locus? 9.

QVÆSTIO XL.

Vt filius vnà cum patre moriens patri ſuperuixiſſe credatur?

1 AEtatem ſeptem annorum in filio
ad hoc ſufficere, elegans Conſulti reſponſum in *l. inter ſocerum 26. in principio, ff. de pactis dotalibus*, à contrario ſenſu innuere videtur, ibi: *Quia veriſimile videtur ante matrem infantem periiſſe*. Ergo ſi infans non fuiſſet, imò infantilem ætatem iam exceſſiſſet, quæ ſeptimo anno clauditur, matri ſuperſtes
2 haud quaquam præſumeretur. At cùm eiuſmodi argumentum manifeſtis hac de re iuris teſtimonijs planè aduerſetur, quæ apertè ſtatuunt, non niſi puberem filium, ſcilicet quatuordecim annorum, & filiam duodecim in communi clade, vel momento patri ſuperuixiſſe arbitrari, vtpote iuri aduerſum, & contrarium reijciendum venit, *l. 2. C. de condit. incertis, cap. cùm virum, de regular. cap. à nobis 2. de ſentent. excommun.* cum multis nouiſſimè adductis per Auguſt. Barboſam *in locis communibus argumento. loco 27. n. 5.* nullum
enim coniecturis aditum patere verba per- 3
mittunt, *l. qui duos 10. §. ſi Lucius, ff. de rebus dubijs*, qua ita noſtram quæſtionem definiunt: *Si Lucius Titius cum filio pubere, quem ſolum teſtamento ſcriptum hæredem habebat, perierit, intelligitur ſuperuixiſſe filius patri, & ex teſtamento hæres fuiſſe, & filij hæreditas ſucceſſoribus eius defertur, niſi contrarium approbetur: quòd ſi impubes cum patre filius perierit, creditur pater ſuperuixiſſe: niſi & hìc contrarium approbetur.* Conſentit *l. cum pubere 23. ff. eodem: cum pubere filio*, inquit, *mater naufragio perijt, cùm explorari non poſſit vter prior extinctus ſit, humanius eſt credere filium diutius vixiſſe*, & *l. ſequenti* dicitur: *Si mulier cum filio impubere naufragio perijt,*
priorem filium necatum eſſe intelligitur. Quæ 4
omnia eleganter confirmans ius noſtrum humaniſſimè huius præſumptionis veram rationem aſſignat, his verbis: *E aun dezimos, que ſi el padre, è el hijo que fueſſe mayor de catorze años, murieſſen en alguna lid, ò en la mar, por el quebrantamiento del nauio, ò en alguna otra manera ſemejante, que ſi ſe non pudiere ſaber qual dellos murio primero, que es de entender, que el padre murio primeramente: eſſo miſmo dezimos de la madre, que murieſſe a ſobora con ſu fijo, por alguna ocaſion ſemejante de eſtas, que les acaecieſſe de conſuno. Mas ſi el fijo fue menor de edad de catorze años, deue ome ſoſpechar que murio primero por la flaqueza que es en el, porque es niño*: exhibet eandem rationem Gloſſa *in dict. l. ſi mulier*, & Dionyſ. Gotophred. *in dict. §. ſi Lucius* inde, vt certiſſimam regulam conſtituens ætatem impuberis repentino caſui magis videri ſubiectam. A quo nec diſſentit Iacob. Cuiac. *in dict. l. inter ſocerum lib. 4. reſponſor. Papiniani*, inquiens, omnem pupillarem ætatem tenerrimam, & infirmiſſimam eſſe, vt non poſſit diu colluctari cum morte, quibus accedit Stephan. Forcatul. *in Cupidine Iuriſperito cap. 8. num. 2.* vbi docet, quòd imbecillimus quiſque priùs
veriſimiliter intercidit. Ergo cùm hæc ratio 5
in pubere, ſiue maſculo, ſiue fœmina omnino deficiat, ex quo iam robuſtior eſſe incipit, & vt talis pilos tunc ſub axilis erumpat, vt tradit Zachias *Medicolegal. lib. 1. tit. 1. quæſt. 6. num. 3.* quos fortitudinis manifeſtum indicium obſeruauit antiquitas, veluti *ex notatis ad Tertullian. lib. 1. de pallio cap. 4. num. 139.* docet Ludouic. de la Cerda proculdubio affirmandum erit illū ſuperſtitem, aut ſaltim paululum ab ipſo parēte occubuiſſe, quoties vtriuſque mors vno caſu, vel cōflictu accidit.

Qui-

6 Quibus non repugnat Albericus *in dictionario verbo tenera ætas*, vbi hanc pubertatis ætatem teneram appellat, & Celſus *ſuæ Medicinæ lib.2 cap.7.* teneras ætates vocat iuuentutem præcedentes, quod nomen licèt magis ſuperioribus ætatibus conuenire putet Paul. Zachias *dict. loco num.* 14 pubertati tamen & iuuentuti aptari poſſe contendit. Sed hoc, inquàm, non obſtat, tum quia de veritate huiuſmodi ſententiæ non ſatis liquet. Tum etiam, quia licèt vera eſſet, impropriè tantùm deberet accipi, ita vt ex quò tunc vigor incipit, qui vigeſimoquinto anno ætatis completur, *l. 1. ff. de minoribus*, adhuc tenera, & robuſta ſimul ætas quatuordecim annorum in maſculis, & duodecim in fœminis dici poſſet, vtpote quæ ſit imperfectè robuſta, argumento celebris text. *in cap. cùm ſanctam. 15 verſic. Si enim, de pœnis diſtinct. 2.* vbi D. Gregorius explicans illud *Matthæi 9. Credo, Domine, adiuua incredulitatem meã: Vno, eodemque tempore*, inquit, *is qui nondum perfectè crediderat, ſimul & credebat & incredulus erat.*

7 Non tamen diffitear, aliquando æquitatem ſuggerere, aut fingere, matrem, aut patrem ſuperuixiſſe filio puberi; vt *in dict. l. qui duos, §. ſi cum filio, l. ex facto 17. §. ſi quis, ff. ad Senatuſconſult. Trebellian.* ne ſcilicet in re dubia & ſubincerta temerè hæreditate legitima, aut fideicommiſſaria, patronus vel ſubſtitutus excludatur, quæ illis defertur, mortuo hærede, ſiue liberto abſque liberis, vt in propoſito animaduertit Cuiac. *loco vbi ſuprà*, eſt enim quâm maximè fauendum patrono, & voluntati teſtantis, vbi id vrgentiùs expoſtulauerit humanitatis ratio, quam ſolam hac in re eſſe ſpectandam, ex Conſulto *in dict. l. cum pubere* 22. obſeruat meritò Cuiacius.

8 Habet enim iam pubes filius naturalẽ quandam æqualitatem cum parentibus, quoniam ea exiſtit ætate, quâ & ipſe pater eſſe poteſt: ergo niſi humanitate ſuadente, nulla ratione præſumi poterit ipſum in communi naufragio patri ſuperuixiſſe, ſiquidem inter æquales ſimul decedẽtes, neuter creditur alteri ſuperſtes, *l. ſi qui inuicẽ 26. ff. de mortis cauſa donat.* ex qua ita docet Accurſius *in d. l. inter ſocrum, verbo infantem.*

9 Vtrùm autem hæc præſumptio locum habeat, vbi non eodem conflictu, ſed diuerſis, vno tamen tempore pater & filius deceſſerunt? diſputat eleganter Coſta *in d. §. cùm in bello à n. 1. cum ſeqq.* ipſum conſule.

SVMMARIVM.

IN delictis carnis nemo antè decimumquartum annum punitur. 1.

D. Didacus de Narbona.

Pupillus ſtuprum in virginem committens poteſt compelli, vel vt eam ducat, vel vt congruè dotet. 2.

Referuntur nonnulli, qui admodum pueri mulieres cognouerunt, illaſque grauidas reddiderunt. 3.

Ad ea, quæ communiter accidunt, iura ſemper adaptantur. 4.

C. de illis el 2. } *de deſponſat. impub. explicã-*
C. atteſtationes } *tur. ibidem & 5.*

Conſenſus & habilitas ad copulam ſunt requiſita neceſſaria ad matrimonium. ibidem.

Conſenſus, & potentia ad copulam frequenter ſimul in pubere ſolent concurrere. 6.

Impubes, ſiue vir, ſiue fœmina, licet habilis ad copulam, luxurioſè delinquens non punitur, etiamſi adulterium, aut aliud crimen committat ibidem & 7. 11. & 12.

L. auxilium 37. §. ſed vt ad legis, ff. de minoribus, verè explicatur. 8.

Impubes, licèt ſodomiæ crimen admiſerit, puniri non debet. 9.

Peccata impuberum, qui muliebria patiuntur, non cadunt ſub reſeruatione Epiſcopi. ibid.

Qui ante pubertatem inceſtum perpetrauit, à pœna excuſatur. 1.

QVÆSTIO XLI.

Ad punitionem pro delicto carnis?

COmmune Scribentium placitum eſſe alibi aſſeruiſſe recordor proximum pubertati, ac per conſequens & doli capacem haud impunè, haud liberè delinquere, ſed vindicta, etſi non acri, ſcelus vel erratũ expiare: quod vtrùm in libidinoſis, impuris, & intẽperatis pueris locum habeat, qui in luxuriam ſoluti libidine exardeſcẽtes coitu omnifario delinquunt? nec ſemel abdubitare contingit. Sed cũ nulla ſit adeò perpetua in iure definitio, quin plurimas reſtrictiones patiatur, vniuerſa Interpretantium ſchola ſuperius prolatum coercetur, & minimè in his delictis procedere arbitratur, quæ ad libidinem ſpectãt, cũ ad ea perpetrãda maior ætas deſideretur, nec præſumatur quis ea cõſummaſſe, niſi poſt annum decimumquartũ, quo minimè exacto, nec pro eis poterit rectè pœna ordinaria puniri, iuxta deciſionẽ *l. ſi minor. ff. ad legẽ Iuliã, de adulterijs*, quã cõfirmat expreſsè *text. in c. 1. de delictis puerorũ, & l. fin. tit. 1. p. 1. l. 9. tit. 1. p. 7.* notãt Gloſſa *in d. c. 1.* Hoſtienſis *ibidẽ n. 2.* Anton. de Butr. *n. 1. & 3.* Abbas *n. 1. & 2. in ſecundo notabili*, Cardinal. Zabarel. *in Clement. 1. n. 6. de homicidio, & ibi etiam*

Ancharran. *num.*7. Guilielm. Mainer. *in l. ferè in omnibus, num.* 5. *& num.*7. *verſic. Interdum & ſecundo, ff. de regulis iuris*, Iacob. de Arena *in l.* 1. *verſic. Interdum defectu, C. ſi aduerſus delictum*, Alberic. *in l. auxilium, §. in delictis num.*4. *poſt medium, verſic. Sed quare, ff. de minori.* Aretin. *in §. in ſumma num.* 1. *verſic Et eſt clarum, inſtitut. de obligat. quæ ex delicto naſcuntur*, Cinus *in l.* 2. *in fine, C. ſi aduerſus delictum*, Igneus *in l.* 1. *§. impubes num.*8 *verſic. Quamuis, ff. ad Sillanian.* Gandin. *in titulo de pœnis reorum, num.* 30. *verſic. Sed fallit*, Carrer. *in practic. criminal. in* 2. *tractat. de homicid. §. circa quartum, num.*4. Iul. Clar. *lib.* 5. *receptar. ſentent. §. fin. quæſt.* 60. *num.* 3. Anton. Gomez *de delictis cap.* 1. *num.* 59. *verſic. Similiter*, Petr. Plaça *in epithome delict. d. cap.* 32. *num.*8. Franciſc. Caldas *in repetitione l. ſi curatorē, verbo vel aduerſarij dolo, num.* 55. *C. de in integrum reſtitut. minor*, proſequitur latè Farinac. *tom.* 3. *praxis criminal. quæſt.* 92. *num.* 79. Pater Molina *de iuſtitia & iure, tom.*4. *tractat.* 3. *diſputat.* 36. *num.* 5. *verſic. Secundò excipitur*, vbi inquit hanc ſententiam locum habere, vt hac ætate minor propter delictum non puniatur, ſecùs verò vt matrimonium ab eo conſummatum iudicetur, & ad cogendum

2 eum dotare virginem, aut eam ducere. Pro qua etiam facit Ariſtotelis autoritas, qui *lib.* 5. *de natura animal. cap.* 14. hominem ante annos bis ſeptem copulæ inhabilem exiſtimat, & quòd in ea ætate incipiat moueri vis generationis in maſculis, dicit Macrobius *lib.* 1. *de ſomnio Scipionis cap.*6. probat Tiraquellus *in leg.* 6. *connubial. gloſ.* 1. *part.* 6. *n.* 36. Iure ergo optimè pueri ante prædictum tempus pubertatis puniri prohibentur.

3 Sed hanc limitationem nō leuiter impugnat text. ſingularis in *cap. de illis el* 2. *& in cap. atteſtationes, de deſponſat. impuberum*, in quibus iuribus etiam ab eo, qui per ſex menſes à pubertate diſtat, matrimonium contrahi, & conſummari poteſt: ergo idem poterit luxurioſè delinquere, & per conſequens puniri. Et quòd mares ante hos annos pubertatis liberos genuerint, fœminæ pepererint, vltra prædicta iura apertè comprobat Gloſſa *in ſumma* 20. *q.* 1. vbi teſtimonio Diui Gregorij tradit puerum nouem annorum ſuam nutricem grauidam reddidiſſe, quod etiam refert Emanuel Coſta *in cap. ſi pater de teſtament. lib.*6. 1. *p. verbo impuberes n.*10. Couar. *in* 4. 2. *p. c.* 5. *n.*4. Guilielm. Bened. *in c. Raijnuntius de teſtam. verbo ſi abſque liberis moreretur*: quamuis hoc in Dialogo Gregorij, quē citat Gloſſa, nō reperiri teſtentur Cardinal. & Ioan. de Anania *in d. c.* 1. *de delictis pueror.* & poſt eos Gregor. Lopez *in d. l.* 9. *tit.* 1. *p.* 7. *verbo, Que lo podria cumplir.* Sed aliud ſimile tradit D. Hieron. *in epiſt. ad Vitalem* in hæc verba: *Domino teſte non mentior, quædam muliercula, cùm expoſitum nutriret infantem, & inſtillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretque cum ea paruulus, qui vſque ad decimum iam peruenerat annum: accidit, vt pluſquam pudicitia patitur, ſe mero ingurgitaret, accenſaque libidine, obſcænis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas, & cæterarum deinceps fecit conſuetudinem, nec dum duo menſes fuerant, & ecce fœminæ vterus intumuit, &c.* In eadem quoque epiſtola planè & dilucidè oſtendit ex annorum computatione Salomonem, & Achaz Reges, cùm eſſent vndecim, aut etiam decem annorū, filios genuiſſe, illū ſcilicet Roboam, hunc Ezechiam, & ipſos Reges: cuius rei etiā meminit Ioan. Andr. *in cap. fin. de eo qui cog. conſang. vxor. ſuæ*, Igneus *in l.* 1. *§. impubes poſt n.*7. *& in l. excipiuntur, poſt n.* 16. *ff. ad Sillanian.* Guiliel. Mainer. *in d. l. pupillus qui, n.* 3. *ff. de reg. iuris*, Nauar. *conſil.* 39. *num.* 13. *lib.*4. Tiraq. *in d. l.* 6. *connubial. n.* 37. Farinac. plurimos referens *d. q.* 92. *n.*80. Thom. Sanch. *de matrimon. lib.* 7. *diſputat.* 104. *n.*19. Ludouic. Caſſanate *conſ.* 4. *n.* 185. Bened. Ægid. *de priuileg. honeſtat. art.* 14 *n.*8. Alphonſ. de Lara *in compend. vitæ hominis c.* 20. *n.* 92. ergo poterunt etiam ante tempus pubertatis puniri.

Hanc difficultatem vt componant Interpretes, omnem, vt dici ſolet, mouēt lapidem, 4
ſed eam facilè ſolues, ſi aduertas ad ea, quæ frequentiùs accidere ſolēt, ferè ſemper iura adaptari, ex vulgaris legibus. Vnde cùm regulariter contingat, vt qui ad pubertatē nondum acceſſit, inhabilis etiam ſit generationi, vt quotidie experimur, & Philoſophus aſſerit *d. lib.* 5. *de natur. animal. c.* 14. & Deo dante alibi latiùs probabimus, ideò *d. l. ſi minor. & d. c.* 1. & qui ex illis notant in hoc flagitij genere, cuius impuberem incapacem præſumunt, ante prędictum annum decimumquartum, eum omninò puniri vetant,

Nec obſtat, quòd hæc regula quandoque 5
deficiat, vt in exemplis ſuperiùs à nobis adductis videre poſſumus, de quibus dici poteſt illud Satirici.

Rara auis in terris, nigroque ſimilima Cygno.

Nā cùm hæc adeò inuſitata, & inſolita ſint, in iuris conſideratione non habentur, argumēto text. *in l. Papinian. ff. qui, & à quibus*, nec ex his, quæ fortè vno aliquo caſu accidere poſſunt, iura conſtituuntur, vt *Celſus lib.* 5. *Digeſt.* ſcripſit: adhuc non obſtant, text. in *d. c. de illis*, & *d. c. atteſtationes de deſponſat. impub.* in quibus matrimonium ante pubertatē celebra-

bratũ firmum remanet, & reſcindi nõ poteſt. Nã reſpõdeo ea procedere quando ante præfinitũ à legibus tempus vir, aut fœmina doli capaces & viripotẽtes exiſtũt (quod licèt rato, vt diximus, cõtingere tamẽ aliquando ſolet) & ſic nil mirũ ſi impubes eo caſu cõtrahere poſſit, cùm illa duo requiſita, quæ principaliter in contractu matrimonij deſiderantur, ab eo præſtentur. Quorum primùm eſt conſenſus, *l. nuptias de regulis iuris, cap. cùm apud, cap. tuæ, cap. tua nos, de ſponſalibus, cap. ſufficiat* 27. *quæſt.* 2. Alterum, & quod magis Canonum conditores conſiderarunt, eſt habilitas ad cohabitandum, *cap. puberes* vbi Gloſſa final. *dict. cap. de illis el* 2. *cap. continebatur, de deſponſ. impub. cap.* 1. *eodem tit. lib.* 6. quibus & addi poteſt text. ſingularis *in cap. fin. de eo qui cognouit conſang. vxoris ſuæ*, vbi fœmina decem annorum matrimonium contraxiſſe, & conſummaſſe dicitur. Vnde ſi aliquando contigerit, vt in impubere hæc duo ſimul inueniantur, ſcilicet conſenſus ad contrahendum, & habilitas ad coeundum, dicendum eſt, matrimonium eſſe perfectum, non habita ætatis conſideratione, vt patet in dictis iuribus, & de iure noſtro probat *l.* 6. *tit.* 1. *part.* 4. latiſſimè diſputat Calcaneus *conſil.* 121. *ſpectabilis, num.* 16. *&* Menoch. *dict. lib.* 2. *de arbitr. caſu* 57. *num.* 31.

6 Quia tamen hæc duo frequentiùs concurrunt in eo, qui iam eſt ingreſſus pubertatem, ideò leges noſtræ Cęſareæ, & Pontificiæ eam ætatem maturam ad contrahendum tradiderunt, & ſimiliter in noſtra ſpecie Legumlatores reſpicientes ad id, quod frequenter, & in pluribus vſu euenit, in his luxuriæ criminibus non iudicant minorem puniendum, niſi cùm ad eam peruenerit ætatem, in qua ad illud perpetrãdum habilis regulariter eſſe ſolet; ſcilicet ad annum decimumquartum completum in viro, & duodecimum perfectum in fœmina. Nã cùm ſit materia odioſa, luxurioſè delinquentes ante prædictam ætatem pœnã luere, aut ſupplicio mancipari minimè poterunt, argumento *cap. licèt canon, de elect. lib.* 6. *text. in cap. commiſſa*, vbi notat Philip. Franc. *numero* 1. *eodem tit. & lib.* tradit Didacus Perez *in l.* 2. *verbo: Doze años acabados*, per *illũ text. tit.* 15. *lib.* 8. *Ordinam.* Azeued. *in l.* 3. *n.* 16. *&* 17. *tit.* 20. *lib.* 8. *Recopilat.*

7 Quod vtique non ſolùm in ſimplici carnis delicto procedit, verùm & in adulterio, *dict. l. ſi minor* 36. *l. ſi vxor* 13. *§. ſi minor, ff. ad legem Iuliam, de adult.* & probatur ex generalitate *d. cap.* 1. *de delictis puer or.* quibus locis communiter Scribentes notant *dict. l.* 9. *tit.* 1. *part.* 7. & notabiliter *in l.* 3. *tit.* 21. *lib.* 8. *Recopilat.* probant Cardoſus *in praxi lit. M. D.* Didacus de Narbona *verbo minor num.* 18. *pagina mihi* 233. Briſonius *lib. ſingulari de adulterijs, folio mihi* 95. Didacus Perez *vbi ſuprà*, Quintil. Mandoſ. *dict. tractat. de ætate minori cap.* 5. *num.* 45. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 1. *n.* 59. Farinac. plures referens *d. q.* 92. *n.* 77.

Nec pugnat à Triphonio reſponſum *in l. auxilium* 37. *§. ſed vt ad legis, ff. de minoribus*, ſcilicet nullam deprecationem adulterij pœnæ eſſe, ſi minor annis ſe adulterum fateatur, nam Sforcij interpretatione omiſſa 2. *p. de in integr. reſtitut. quæſt.* 81 *num.* 10. & Anton. Fabri. *in dict. l. lit. I.* dicendum exiſtimo prædictam legem loqui in minore 25. annis; maiore vero 14. in cuius perſona carnis delicta ex ſupra relatis, & cadunt & præſumũtur, vt nec obſcurè ex Iuriſconſulti verbis elicitur, loquitur enim de minore, qui, vt alibi adſtruam, in iure frequẽter pro maiore quatuordecim annorum, minore verò viginti & quinque vſurpatur, quod vel illo ſolo Rubricæ teſtimonio ſuadetur, *ff. de minoribus*, quæ de minoribus viginti & quinque annis hac loquendi formula ſeruata inſcribitur. Alioquin Papiniani ſentẽtia in *dict. l. ſi minor*, qua cauetur, adulterij crimen poſt pubertatem incipere, ſuperuacanea & nullius roboris eſſet? quod vtique nemo dicet: ſubintelligẽdus igitur erit Triphoninus *in dict. l. auxilium* de minore 25. annis, ſed iam pubere, qui ob rationem ab Sforc. Oddo *vbi proximè* aſſignatam adulterij pœnæ nullam deprecationem mereri debet. 8

Quam ſuperiorem regulam, & in ſodomiæ præpoſtera libidine omnes communi placito admittunt, vt in ſpecie ſcripſit Anton. Gom. *d. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. vbi ſe liberaſſe dicit, quamuis cum difficultate, puerum vndecim annorum, qui contra naturam ad canem accedens ſemen emiſſit, ſubſcribit Petr. à Plaça *in epithome delictorum cap.* 33. *num.* 8. *in fine*, Iulius Clarus *in practic. §. fin q.* 60. *in principio*, & Farinac. *d. loco num.* 84. *cum ſeqq.* conſentit nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. tom.* 2. *tractat.* 1. *Miſcellan. reſolut.* 1. vbi cum Paludano *in* 4. *diſtinct.* 34. *q.* 2. *art.* 1. Iacob. de Grafis *tom.* 1. *conſil. lib.* 5. *de adulterijs conſil.* 3. *n.* 13. & Bellochio *de caſib. reſeruat. part.* 2. *q.* 1. *n.* 203. *& q.* 17. *n.* 66. reſoluit peccata impuberum, qui muliebria patiũtur, vt maſculorum ante 14. annum, reſeruationibus Epiſcoporum non ſubdi; quia ſicut minor hæc ætas in foro exteriori excuſat à pœna ordinaria: ita & in animæ iudicio, licèt contrarium ſenſiſſe Homobonum *de caſibus reſeruatis p.* 1. *c.* 3. *fol.* 60. affirmet. 9

Sed vtrùm in crimine inceſtus idem locum habeat? nec rectè inter noſtros cõuenit, gloſſa 10

Z 3 in

in l.auxilium,§.in delictis,verbo nec ſi quid, ff.de minoribus,& ibidem Fulgoſ.*num.*4.Decius *in l.ferè in omnibus num.*4.*de reg.iuris, vbi&* Cagnol.*n.*1.*verſic.Facit text.* Maur. *de reſtitut.cap.*155.*num.*5.Menoch.*de arbitrar. lib.*2.*caſu* 329.*num.* 3.Roland. *conſil.* 77.*num.*7.*lib.*3.quos Farinac.refert *vbi ſuprà num.*89. minorem nondum puberem ab huiuſmodi flagitij vindicta excuſari vno ore fatentur,illudque expreſſe caueri contendũt in *l.ſi adulterium.* 38.§.*fratres*,*ff.ad legem Iuliam,de adulter.*ibi:*Fratres denique Imperatores Claudiæ crimen inceſti propter ætatem remiſerunt*:& inferiùs: *Inceſtum autem, quod per illicitam matrimonij coniunctionem admittitur,excuſari ſolet ſexu, vel ætate*: & expreſſiùs apparet in *l.qui contra.*4.*C.de inceſtis nuptijs.*Cui quidem opinioni ex animo quidem aſſentior,nec enim in nondum pubere,cuius noſter ſermo, Sforcij argutiſſima diſtinctio,*vbi ſuprà num.*14.quam ex *dict.l.ſi adulterium,§.fratres,ff.de adulterijs*, ex Cagnolo & Decio *in l. ferè,ff. de regulis iuris*, Paulo Grilando *de pœnis omnifar. coitus n.* 6.*quæſt.*2,deducit, locum habere poteſt: iſte enim,ſiue inceſtum iure gentium,vel ratione naturali prohibitum, ſiue ciuili tantùm admiſerit,omni caſu impunitus remanebit,cùm hac ætate haud ſcelus dici poſſit ab illo patratum,qui nec iudicio,vel recta ratione pollet.Vnde merito Donellus *lib.*1.*comment. c.* 22.*verſic.In delictis*, ſuperiorem diſtinctionem amplectens,dubitationis tollendæ cauſa ſe loqui fatetur de hominibns, nec furioſis,& qui puberes ſint,in quos ſolos delictum cadere poſſe antè dixerat.

11 Cæterùm vt ad prolatum initio propoſitũ redeamus, ſcrupulus vtique reſtat, nempe, quid dicendum ſit,ſi aliquando liquido conſtet minorem ante annum decimumquartum circa libidinẽ deliquiſſe? Compertũ etenim eſt prædicta iura in præſumptione fundari, vt ex *dict.cap.*1.*de delictis puerorum*, & *ibidem* communiter notatis expreſsè patet, & conuincitur *ex dict.l.*9.*tit.*1.*part.*7.in illis verbis: *Non deue ome aſmar que lo podria cumplir*:vnde hac præſumptione ceſſante,quia liquidò conſtat impuberem deliquiſſe (vt in exemplis nuper relatis accidiſſe deprehenditur) videtur dicendum, eo caſu omnino puniendum eſſe,vt tenuit Iacob.de Rauena relatus ab Alberico,& Angelo *in dict.l.minor, ff.ad legem Iuliam de adulter.*Gofredus *in l. excipiuntur in fine*, *ff. ad Sillanian.* quibus accedit Igneus *in l.*1.§. *impubes* 2.*ad finem, ff.ad Sillanian.*vbi hos impuberes viripotentes mitiùs puniendos affirmat,ex *dict.cap.*1. *de delictis puero r.in fine*, quam communem opinionem teſtatur Franciſcus Caldas *in l. ſi curatorem in verbo aduerſarij dolo,C. de in integrum reſtitut.*Sforc.Oddus *de reſtitutione in integrum part.*2.*quæſt.*81.*num.*23.Farinac.*dict.quæſt.*92.*num.*93.plures cumulat Cenedus *in collectanea ad dict.cap.*1.*de delictis pueror.*

Quæ ſententia, licèt communi iure perpenſo,vera, aut magis probabilis ſit : attamen, iure noſtro attento,contraria longè verior eſt,ſcilicet puerum, etiamſi verè potens delictum huiuſmodi commiſerit,ante prædictam ætatem puniri non poſſe, quod manifeſtè comprobat *dict.l.*9.*Partitæ*,quæ ad huius difficultatis ſolutionem verbis *ſuprà* relatis,hæc ſubnectit: *E ſi por auentura acaeicſſe que lo cumplieſſe, non auria entendimiento cumplido para entender,nin ſaber lo que fazia, è porende non puede ſer acuſado, nin le pueden dar pena por ende.* Cui ſimilis eſt *dict.l.fin.tit.*1.*part.*1. per quas ita tenet Gregor. Lopez *vtrobique*, quibus iuribus ſuffultus Anton.Gomez *dict.lib.*3.*variarum cap.*1.*num.*60. eandem ſecutus eſt opinionem, & nos ſuprà *anno* 10. *cum dimidio*, vbi de ætate ad pœnam ſuſtinendam in atrocioribus ſcripſimus: quare immeritò à Calda & Farinacio *vbi ſuprà* reprehenditur. 12

SVMMARIVM.

Decimumquartum annum agẽtes, prætextu minoris ætatis à tortura non excuſantur. 1.& 2.

Torturam pati eſt, ſupremas anguſtias ſuſtinere. 3.

*Tortura,etiam vt pœna infligitur.*4.

Pupillus ſemper mendacij ſuſpicione laborat. ibidem.

*Impubes poſt ſeptimum annum terreri, & ferula cædi poteſt.*5.

*Impuberes an poſſint ſaltim illis caſibus torqueri,quibus lege vel ſtatuto in teſtes admittuntur?*6.

*In criminibus exceptis, etiam minores torquentur, & quare.*7.

Curator vtrùm dari debeat minoribus viginti & quinque annis,maioribus tamen quatuordecim,dum quæſtioni ſubduntur, & quid hac de re in tribunali Sanctæ Inquiſitionis obſeruetur? 8.

*Curator,an torturæ præſens eſſe debeat?*9.

Reſtitui vtrùm poſſit minor contra confeſſionem in tormentis curatore autore factam? remiſſiuè,ibidem.

QVÆST.

QVÆSTIO XLII.

Vt torqueri quiſvis poſsit?

1 POſt decimumquartum annum legitimis vrgentibus indicijs, neminem prætextu minoris ætatis à tortura excuſari, vtpote indubitatum præmittunt, multis congeſtis, Petr. Plaça *in epith. delictorum lib. 1. cap. 32. num. 12.* Anton. Gomez *variarum reſolut. tom. 3. cap. 1. rubric. de delictis num. 67. & cap. 13. Rub. de tortur. reor. num. 3.* Iul. Clar. *in practic. §. fin. quæſt. 64. verſic. Quæro numquid minores?* Bertazol. *conſil. 116. num. 28. lib. 1.* Flamin. Cartar. *in praxi interrog. reo. lib. 4. cap. 1. num. 49. verſic. Minores quatuordecim annorum*, & ex his & alijs communem pluries teſtatur Proſper. Farinac. *tom. 2. prax. criminal. quæſt. 41. num. 16.* Paz *in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. num. 50. verſic. Quo fit*, Hortenſ. Caualcan. *de brachio Regio part. 3. num. 58. & 126.* & ex relatis ita ſenſiſſe videtur Barboſa *in remiſſionibus ad ll. Luſitaniæ lib. 5. tit. 134. num. 7.* docuit ante eos Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap. 5. num. 48.* Rojas *in ſingularibus fidei ſingulari. 130.*

2 Quorum omnium vulgare prolatum ex iuris hac de re manifeſtis definitionibus originem trahit, nempe ex *l. de minore 10. in principio, ff. de quæſtionibus*, illis verbis: *De minore quatuordecim annis quæſtio habenda non eſt, l. ex libero. 15. ff. eod.* penè ijſdem verbis: *De minore quoque quatuordecim annis in caput alterius quæſtionem habendam non eſſe D. Pius Mæcilio reſcripſit, l. 1. §. impuberi ad Senatuſconſult. Sillanian.* ibi: *Impuberi autem vtrùm in ſupplicio tantùm parcimus, an verò etiam in quæſtione, & magis eſt vt de impubere, nec quæſtio habeatur*: & apud noſtros ex *l. 2. tit. 3. part. 7.* eo tenore: *Otroſi dezimos, que non deuen meter à tormento à ninguno que ſea menor de catorze años.*

3 Eamque æquiſſimam rationem habere videtur, quia vt inquit Boſſius *in praxi titulo de tortura num. 12.* & latiùs Pariſ. de Puteo *de ſyndicatu verbo tortura cap. 1. poſt princip.* & Petr. Caual. *reſolution. criminal. centur. 1. caſu 28. num. 10.* torturam pati eſt ſupremas anguſtias ſuſtinere: ergo tormento afficiendi non erunt, qui in pupillari ætate ſunt, qua corporis partes ita debiles, & imbecilles exiſtunt, vt tenera meritò ab omnibus vocitetur.

4 Deinde, quia aut tortura eſt infligenda, vt ſupplicium. & pœna (datur etiam & hoc modo, vt teſtatur Caual. *dict. centur. 1. caſu 29.*) ſiue ad inueſtigationem veritatis. Priori caſu difficile eſt pupillos torqueri poſſe, cùm vix aliquam corporis afflictiuam pœnã patiantur, vt alibi dicemus. Et minus ſecundò, cùm quidquid ea ætate protulerint, aut confeſſi fuerit, mendacij, & falſitatis ſuſpicione laboret. *Nam ætas*, inquit Conſultus *in dict. l. ex libero, quæ aduerſus aſperitatem quæſtionis eos interim tueri videtur, ſuſpectiores quoque eos facit ad mentiendi facilitatem.* Igitur nullo ex capite impuberes erunt torquendi antequàm annum decimumquartum maſculi, & duodecimum fœminæ exceſſerint, cum pubertateque aliqualem membrorum ſoliditatem fuerint aſſecuti.

Poterunt tamen ſi ſeptimo anno maiores 5
exiſtant, ex Ludouic. Bolognin. *in addition. ad Guidon. de Suzza tract. de indicijs & tort. num. 13.* Follerio *in praxi verbo rei indurati torqueantur num. 20.* & Farinacio *d. quæſt. 41. num. 20.* terreri, corrigia, aut ferula cædi, vt expreſſe docet Conſult. *in dict. l. 1. §. impuberi, ff. ad Senatuſconſult. Sillanian.* cui penè omnes ſuprà ſcripti conſentiunt cum Farinacio *num. 17.* & nouiſſimè accedit Marius Giurba *conſil. crimin. 73. num. 6.* & Martinus Delrius in crimine hæreſis loquens *diſquiſition. magicar. lib. 5. ſectio. 9. §. quoad perſonas.*

Itaque ſubaudiendi erunt Brunus *tract. de* 6
indicijs & tort. 2. part. quæſt. 4. num. 16. in fine, Carrer. *in praxi eod. 2. tractat. §. circa tertium num. 37. in fine*, Corrad. *in praxi tit. de negat. crim. & tormen. num. 34.* Baiard. *in addition. ad Clarum quæſt. 64. num. 67.* & alij aſſerentes, tunc impuberes torqueri poſſe, cùm lege vel ſtatuto in teſtes recipiũtur, alioqui non, tantùm hæc opinio ex rationibus à Farinacio aſſignatis *ſuprà num. 23.* eſſet abſurda, verùm & ea, quia ſupponere videtur, naturale impedimentum, quo veluti indicauimus, pupillus à tormentis ſit immunis, poſſe vi legis, vel ſtatuti amoueri, quod perquã ineptum eſt, argumento *l. 3. de interdictis & relegat. §. naturalia, inſt. de iure naturali gent. & ciuil.* cum ſimilibus.

Verumtamen eſt adhuc impubertatis na- 7
turali hoc impedimento durante, in caſibus exceptis, vtputa læſæ Maieſtatis diuinæ & humanæ, falſi, aſſaſſinij, incantationis, & ſimilium, quorum meminit Farinac. *dict. quæſt. 41. num. 100.* minores torqueri, vt exprimitur *in dict. l. de minore 10. ff. de quæſtion.* vbi poſtquàm de minore quatuordecim annis edixerat quæſtionem non eſſe habendam, ſtatim ſubnectit: *Sed omnes omnino in maieſtatis crimine quoad perſonas Principum attinet,*

pronoscentur, cùm res exigit torqueantur: confirmaturque ex generalitate *l. ſi quis alicui 3. l. nullus omnino 4. C. ad legem Iuliam Maieſtatis*, necnõ & autoritate eorum omnium, quos idem ſentientes fideliſſimè recenſet Farinac. *dict. num.* 100. Quorum nomina, & loca hîc tranſcribere, calami potiùs labor, à quo abſtinemus, quàm ingenij eſſet. Quibus addendi erunt Alphar. *de officio fiſcalis gloſſa* 2. §. 10. *num.* 1. Simancas *de Catholicis inſtitution. cap.* 63. *num.* 26. Ioſeph. Seſſe *deciſ.* 476. *num.* 20. *tom.* 4. Caſtro Palaus *in opere morali tom.* 1. *tractat.* 4. *diſputat.* 8. *puncto* 9. *num.* 14. Villadiego *in Politica cap.* 3. *num.* 322. & 323, Guazzinus *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30 *cap.* 9. Eymeric. Rosbach. *in tractat. criminali tit.* 5. *cap.* 21. *num.* 10. Qui in crimine læſæ Maieſtatis diuinæ id eſſe ſpeciale aſſirmant, etſi hoc non placuerit Simanc. *in Catholic. inſtitut. tit.* 65. *num.* 45. Delrio *in diſquiſitionibus magicis lib.* 5. *ſectio.* 9. § *quoad perſonas*, Pegnæ *in director. Inquiſitor. part.* 3. *comm.* 110. §. *minores verò*, Miranda *in ordine iudiciario tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 13. *concl.* 7. Suar. de Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 12. *num.* 50. Sanchez *in ſumma tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. necnon & alijs cumulatis nouiſſimè ab Antonin. Diana *reſolut. moral.* 4. *part. tractat.* 6. *de tortura in S. Officio reſolut.* 29. Idque ſingulari ea de cauſa fieri exiſtimo, quia his omnibus delictis quodammodò ipſa natura læditur. Vnde æquum non eſt naturæ beneficio potiri, qui aduerſus naturam delinquit, veluti nec legis iuuatur auxilio, qui contra legis nititur voluntatem, *l. auxilium* 37. *in fine*, *ff. de minoribus*.

8 Extra hos verò caſus nõ niſi puberes quæſtioni ſubduntur, quibus tunc neceſſariò curator aſſignari debebit ſecundùm Bald. *in l.* 1. *C. de confeſſis*, *in l. clarum*, *C. de autor. præſtanda*. & *in cap. item Sacramenta*, *de pace iuramento firmanda in vſib. feudor.* Paris de Puteo *vbi ſuprà cap.* 20. *verſic. An confeſſio adulti*, Monticel. *in praxi criminal. regul.* 10. *num.* 17. Placa *in epitho me delictor. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 12. Et ita obſeruari debere in tribunali S. Inquiſitionis docent Rojas *de hæretic. part.* 2. *num.* 318. Pegna *in director. part.* 3. *comment.* 18. Vmbert. locatus *in praxi Inquiſitor. verſic. Curator*, Guazzinus *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſion.* 30. *cap.* 4. *num.* 21. niſi conſuetudo ſit in contrarium, Eymeric. à Rosbach. *in practicar. crimin. tit.* 5. *cap.* 21. *num.* 3. nouiſſimè Antonin Diana *reſolut. moral. part.* 4. *tractat.* 6. *reſolut.* 31. vbi etiam contra Canteram *quæſt.* 6. *num.* 3. notat curatorem de

9 officialibus S. Officij eſſe non debere. Non quidem vt torturæ executioni aſſiſtat, hoc enim minimè requiritur, imò ridiculum dicere arbitratur Angel. *tractat. de malefic. verbo comparent dicti Inquiſit. quæſt.* 3. quia non poteſt adaptari: quem ſequuntur Anton. Gomez relatus ab Anton. de Ballis *variar. lib.* 2. *quæſt.* 13. *num.* 17. Cartharius *de interrogatione reorum lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 49. Villadiego *in Politica cap.* 3. *num.* 325. & de cauſis fidei loquens, ita Inquiſitoribus admonet Paul. Garſia *in ordine procedendi S. Officij fol.* 29. cui conſentit Anton. Diana *vbi ſuprà*, *verſic. Notandum eſt*, qui omnes concludunt tantùm requiri curatorem interueni-re in proceſſu, & in interlocutoria, qua pronuntiatur minorem torquendum, ex eodem Baldo *in dict. l.* 1. & *in dict. l. clarum*, vbi inquit, quòd ſi curator adfuit proceſſui, & ſententiæ, qua ad torturam minor condemnatur, non requiritur in executione illius, quòd ſit præſens, nec minus cùm poſt tormenta educitur apud acta ad ratificandum, vel negandum, cùm ſimiliter hoc ſit dependens à ſententia interlocutoria, & ſequela, & executio eius, quamuis hoc Bald. ſpecificè non declaret. Vtrùm autem aduerſus confeſſionem tormentis, aut eorum metu extortam, etiam aſſiſtente curatore, poſſit minor reſtitui? optimè diſputat Cinus *in dict. l. clarum*, & Angel. *vbi ſuprà* Sforcius Oddus *tract. de reſtitut. in integrum part.* 2. *quæſt.* 65. *art.* 9.

SVMMARIVM.

Ante decimumquartum ætatis annum nemo habere amicos præſumitur. 1.

Amicis patris cur petendi tutorem pupillo, aut illum ſuſpectum accuſandi facultas concedatur? 2.

Amicitia, quare forma viri, & iuuenili facie depingatur? ibidem, & 10.

Amor, contractus eſt nominatus. 3.

Iudicio opus eſt ad amicorum electionem. 4.

Pupillus iudicio caret, etſi aliquod habet cùm pubertati approximat, ſemiplenum eſt. ibidem.

In iure obſeruatur, tantùm de puberum amicis fieri mentionem. 5.

Amicus alter ipſe dicitur, & inter ſuos computatur. 6.

Pro amici vita conſeruanda licet propriam vitam exponere. ibidem.

Voluntas amici dicitur propria voluntas. ibidem.

Amicorum omnia ſunt communia, etiam vxores. ibidem.

Amicus qualiter in iure definiatur? 7.

L. latæ culpæ 223 §. 1. *ff. de verbor. ſignific. lux adhibetur. ibidem.* & 9.

Filius

Filiusfamilias pubes, amicorum eſt capax. 8.
Amici cur parentibus aſſimilentur? ibidem.
Pupillorum notitia leuis dicitur. 9.
Puberes omnes apud Scythas, plurimos ſibi quærere amicos tenebantur. 10.
Is fœlix inter Scythas iudicabatur, qui affluebat amicis. ibidem.
Ephebi, qui dicantur. ibidem.
L. hæc autem 5. §, *non defendi, ff. quibus ex cauſis in poſſeſſion. eat. intelligitur.* 11.
Inter fœminas cur raræ, aut nullæ ſint amicitiæ? 12.
Fœminæ ſemper pupillæ, ideoque in perpetua tutela detinebantur. 13.
Fœminarum genus mutabile. ibidem.
Senes amicis carent. 14.

QVÆSTIO XLIII.

Amicos qua ætate quis habere credatur?

1 APud noſtros ſingularis, parumque nota extat huius inueſtigationis definitio *in l. 2. tit. 14. part. 6.* vbi cùm de protrahenda quæſtione ſtatus ex Senatuſconſulto Carboniano agatur: *Faſta que ſea de edad de catorze años,* differendam eſſe ſtatuitur, quoniã, *Eſtonce,* inquit, *aura el mejor entendimiento, è amigos para amparar ſu derecho, lo que non podia auer ante deſte tiempo,* conducit ſimilis *l. 7. tit. 22. part. 3.* ex quarum verbis apertè deducitur, decimumquartum annũ ætatem eſſe, qua homines aliquos ſibi arctiſſimo neceſſitudinis, & amicitię vinculo coniunctos habere creduntur, quod licèt nullo ita manifeſto iuris ciuilis teſtimonio mõſtretur, aliquibus tamen, nec obſcure confirmatur, præſertim *ex l. 2. in principio, ff. qui petant tutores, l. is qui 44. ff. de negot. geſtis.* Quibus ea fortè de cauſa, niſallor, amicis, non pupilli, ſed parentis ipſius petendi,
2 & ſuſpectum accuſandi tutorem facultas datur, quia pupillus nullos ea ætate amicos habet, aut ſaltim habere præſumitur, cùm inter puberes ſolummodò vera contrahatur amicitia, quam forſan hac de cauſa, quidquid aliud ſentiat Petr. Rebuf. *de priuileg. ſchol. priu.* 104. *num.* 26. & Matienço *in Dial. rel. 3. part. cap. 22. num. 8. & ſequentibus,* forma viri, & iuuenili facie ab antiquis fuiſſe depictam cenſeo. Et iure quidem, ſi Forcatulo
3 credimus *in Cupidine Iuriſperit. cap. 3. num.* 1. aſſerenti amorem (à quo amicitiæ nomen ductum, vt ſentit Petr. Rebuf. *in l. 224. §. fin. verſic. De iſto loquitur, de verborum ſignificat.*) contractum eſſe nominatũ vltrò citroque obligatorium, qui non niſi à puberibus perfici poteſt, *l. puberes. 101. de verbor. obligat.* cum alijs *hoc anno* ſuo loco adductis. Quibus accedit ad amicitiam, amicoſque deligendos, ſummo iudicio eſſe opus, vt inquit 4
Plutarchus *de amicitia & adulat.* ita: *Primũ ad deligendos amicos iudicio eſt opus,* quod in pupillis rarò inuenitur, vt communiter ſentiunt Doctores cum Archidiacono *in cap. ex eo num. 2. de electione, &* Paulo Zachia *quæſtion. Medicolegal. lib. 1. tit. 1. quæſt. 4. num. 21.* & ſi fortè aliquando contingit, cùm pubertati accedũt, aliquod habere, ſemiplenum eſt ſolummodò teſtante Pileo *quæſtione iuris.* 13.

Hinc eſt, in libris noſtris nullam de amicis 5
pupillorum occurrere mentionem, ſemperque de puberum amicis ſermonem eſſe, vt *in l. 1. in principio, ff. de poſtul.* qua maiori annis ſeptendecim pro ſe, vel pro amico poſtulare conceditur, & in *l. Pamphilo. 39. §. propoſitum de legatis 3.* vbi de eo ſcribitur, qui accerſitis amicis fuit teſtatus, quod eum puberem ſupponit, *l. qua ætate 5. ff qui teſtam. facer. poſſunt.* Idem colligitur *ex l. is qui 44. de negotijs geſtis,* cuius ſpecie qui patris, ac per conſequens iam puberis amicitia ductus pupillo tutorem petijt, nulla actione tenetur. Nec aliud euincitur *ex l. 1. §. quia enim, ff. de obligationibus & action.* qua ſibi imputare debere ait Conſult. qui negligenti amico cuſtodiendum aliquid tradidit, quod minimè reſpondiſſet, ſi deponens impubes eſſet, cùm eius inſcitiæ, & ætati perperàm imputaretur, cur ita negligẽti amico propriam rem commendauit, cùm illius ætatis proprium ſit ignorare quidquid agit, & videt, *l. 1. C. de falſa moneta.* His conſentit text. *in l. 3. § ſed quod* 6
diximus, ff. de penu legata, vbi celebris illa ſententia refertur, quæ illam veterum Philoſophorum confirmat, nempe amicum, alterum ipſum eſſe: comparatum proprij vſus cauſa intelligatur, quod & amicorum etiam vſu paratum eſt, nec mirum, cùm inter ſuos amicus computetur, vt inquit Lorca *2. 2. q. 26. art. 5. ſect. 3. diſputat. 28. membro 3. num.* 55. vnde licere pro conſeruanda amici vita, propriam vitam exponere, multis probat nouiſſimè Antonin. Dian. *variar. reſolut. part. 5. tractat. 4. reſolut. 28.* facit elegans textus *in cap. ægrotantes,* iuncta ibidem Gloſſæ explicatione *de conſecrat. diſtinct. 4.* vbi propria dicitur voluntas, quæ eſt amici. Igitur hac lege cùm de amicis patris, qui familiam habebat, & teſtamentum condidit, agatur, dubium non eſt de puberis amicis ſermonem eſſe, vt & in *cap. delectiſſimis 2. 12. quæſt. 1.* vbi dicitur,

tur amicorum omnia eſſe communia etiam vxores,& *in l.4.in principio,de manumiſſionibus*, cuius ſpecie de amico donante agitur, alijſque in locis, quæ hîc recenſere laborioſum eſſet, cùm dixiſſe ſufficiat, nullibi in toto iure amicorum fieri mentionem, niſi habita relatione ad puberes, quibus tantùm adeſſe præſumitur.

7 Et forſan præ oculis hoc habens Conſult. *in l.latæ culpæ 223.§.1.ff.de verbor.ſignific.* amicos eſſe ait, quibus fuerũt iura cum patre familias ex iuſtis cauſis,& honeſtis familiaritatis quæſita rationibus. Quid enim patris opus erat hac definitione meminiſſe Paulũ, ſi etiam impuberis eſſe amicos agnouiſſet? Rectiùs enim dixiſſet amicos eſſe omnes, cũ quibus fuerunt iura ex iuſtis cauſis familiaritatis,& honeſtatis quęſita, nec *Patris* verbum
8 addere oportebat. Maximè cùm ad id non requireretur, vt filiosfamilias ab amicitia excluderet, quos iam puberes nihil prohibet illam contrahere poſſe, *l.quidam cùm filium 46.ff.de hæredib. inſtit.* argument. *l. filiusfamilias 39.de obligat.& action.* Ergo illa tantùm de cauſa patris meminiſſe Conſultum in definitione tenendum erit, vt non niſi eius, qui ætate & aptitudine pater ſit, amicos eſſe oſtenderet, quandoque eos patribus comparari, vel hac ſola ratione, vt ſuſpicor, ſentiat Lucas de Penna *in l.1. C. de caſtrenſi peculio milit.lib.12.* Rebuffus *in dict.§.1.d.l.223.*& ductus argument. *d.l.is qui 44.de negot.geſtis,* Ioan.Matienz. *in Dialog. relator.3.part. c. 15.num.2.*

9 Et fulcitur hæc interpretatio ex eo quod in dict.definitione profertur amicos eſſe debere non leui notitia coniunctos, quo puberes eos eſſe oportere Paulus oſtendit, cùm pupillorum quæuis notitia leuis ſit, nec poſſit non leui notitia eſſe cõtractam amicitiam illorum, qui natura leues ſunt, *l.quòd ſi minor 24.ff. Scæuola,ff.de minoribus,* vnde Terentius *in Hecyra actu 3.ſcen. 1.* dicebat eos eſſe leui ſententia, refert Zachias *vbi ſuprà num.25.*

10 Quod cùm Scythas, quibus amicitiæ ſingularis cura fuit, non lateret apud eos moribus receptum fuiſſe, puberes omnes multos ſibi amicos comparare debere, Autor eſt Alex.ab Alex. *dier. genial.lib.2.c.25. ferè ad medium,* his verbis: *Scythis verò à patribus traditur mos non improbandus, vt iuuenes ephebos plurimos ſibi amicos comparare, velut firmiſſima vitæ præſidia iuberent: is enim habebatur affluens, & beatus, qui pluribus familiaritatibus fultus foret, pro certo arbitrati in rebus deploratis, & afflictis nulli vnquam ſatis fuiſſe amicorum.* Notiſſimũ eſt enim, iuuenes ephebos eſſe iam puberes, vt ex Cagnolo,& Calepino probat Paul.Zachias *quæſtion. Medicolegal.lib.1.tit.1.q.6.n.24.* vbi ita ſcribit: *Cæterùm qui impube ſunt, & ad annos pubertatis peruenerunt, dicuntur ephebi*, de quibus ſubaudiẽdum erit illud Terentij *in Adelphis,* ſcilicet, amicus nobis iam inde à puero, ideſt à finita pueritia, quæ decimoquarto anno terminatur, vt iam probauimus. A qua item Ciceronis illa ſententia *in Lelio* accipienda eſt, quæ illis verbis continetur: *Serpit, neſcio quomodò, per omnem vitam amicitia, nec vllam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui, vt velij, qui ſe totos tradiderunt voluptati, ſine amicitia vitam eſſe nullam ſentiant.* Quæ poſteriora verba iuuentutem, quæ voluptatum eſt ætas, primam amicitiæ Oratorem ſenſiſſe demonſtrant, vt etiam ſubindicat Ariſtoteles *Ethic.8.c.1.* ibi: *In paupertate, cæteriſque calamitatibus vnicum eſſe confugium amici putantur. Iuuenibus etiam conferunt ad compeſcenda peccata, & ſenibus ad obſequium, atque ad eos actus perficiendos, quos ob imbecillitatem ipſi peragere nequeunt:* & expreſſiùs Tzetzes *Hiſtor. Chil. 5. cap. 15.* *Iuuenem autem*, inquit, *pingunt ſimul & formoſum, veluti quòd amari, & amare debeat iuuenilem ætatem*, refert Tiraquellus, quem nihil latuit in *l.6.connubial.gloſ.1.n.9.* quoniam puerorum nõ perfecta, ſed adumbrata quædam amicitia eſt.

Quibus minimè repugnat *text.in l.hæc au-* 11
tem 5.§.non defendi.ff.quibus ex cauſis in poſſeſ.eat. vbi inquit Conſultus, euocandos eſſe ad defenſionem pupilli cognatos, affineſque ipſius,& ſi quos habeat, de quibus veriſimile credi poſſit defenſionem pupilli pupillæque non omiſſuros, vel propter neceſſitudinem, vel propter charitatem, quo loquendi genere pupilli amicos comprehendiſſe videtur Conſultus, vt Bartol.& Doctores *ibidem* notant, & poſt eos Matiençus *in dict.Dialog.3.part. cap.20.num.1.* argumento *l. hæreditate, ff.de caſtrenſ.peculio,* ibi: *Niſi commilitonum charitatem auxiſſet,* quia, vt optimè *ibidem* exponit Accurſius, *verbo neceſſitudinis,* parentela in infinitum ſignificatur,& verbo *Charitatis* extranei omnes, qui amore Dei pupilli defenſionem ſuſcipere velint. Niſi dicamus, de amicis patris dictis verbis ſenſiſſe Cõſultum vti,& in alijs locis, de quibus *ſuprà.*

Nunc intellexiſſe puto, cur fœminas ad 12
amicitias inhabiles appellaret Plutarch. *lib. de claris mulier.* hac verborum ſerie: *Graue, inquit, eſt omnino pronuntiare ad ſolam amicitiam eſſe parùm idoneas* præſertim inter ipſas: nam, vt optimè obſeruat Vincent. Turturet. *in Paratitl.ethicis, & iuridicis diſſertation.*

tion.48.*in principio*, virorum amicitias non paucas fuiſſe notas poſteritati ſcimus, fœminarum verò, nullas extitiſſe legimus: quod, ni coniectura mea fallitur, ex infantili pupillarique earum natura prouenit, quam cùm veteres cognouiſſent, perpetua illas tutela etiam adultas, detinebãt, vt pluries diximus, & refert Oſualdus *lib.3.Donelli cap.14.lit.*
13 *C.& lib.12.cap.22.lit.V.* Quocirca pupillorum cùm tantam eſſe imperfectionem iam præſtiterimus, vt ſanctum, perfectumque amicitiæ fœdus nequaquam coeant, quidni & fœminis hoc idem contingat, quibus & ſimilis natura, eademque imperfectio naturaliter contingit, & ea inſuper inconſtantia laborãt? *cap. fratres, de verbor. ſignificat.* ibi: *Fœminarum mutabile genus*: at inconſtantia faſtidit amicos ex ſententia Plutarch. *vbi ſuprà*, & Turtureti. qui, licèt diuerſis rationibus, meritò cõcludit: *Hæc omnino ex fœminarum natura proueniunt, quantum tamen patitur conditio muliebris, poteſt inter fœminas adumbrata quædam amicitia conſiſtere, ſi amicitiam velimus vocare charitatem neſcio quàm mutuæ, ſed non perfectæ beneuolentiæ, beneficijs excultam.*

14 Ad quod etiam principium referri poteſt quod probat Tiraquel. *in l.6.connubial. gloſ. 1.num.24.* ſcilicet ſenes ob naturæ deficientis imbecillitatem amicis carere, efficit enim naturalis hæc imbecillitas, vt pueris aſſimilentur.

SVMMARIVM.

Impuberes iure ciuili à teſtificando arcentur. 1.

Furioſus teſtis eſſe non poteſt. 2.

Impubes quidquid videt ignorat. 3.

Teſtis debet intelligere quod deponit. ibidem.

Impuberes vtpote faciles ad mentiendum, iurare prohibentur. 5.

Teſtibus abſque iuramento deponentibus nulla, vel exigua fides adhibetur. 6.

In ciuilibus teſtes puberes eſſe debent maſculi ſaltim quatuordecim annorum, & duodecim fœminæ. 7.

Senecæ *opinio exiſtimantis nil puero teſte eſſe certius reprobatur. 8.*

De illo noſtrorum prouerbio Los niños, y los locos dizen las verdades, *quid ſentiendum? ibidem.*

Infans, vel impubes, aliquando ex magna cauſa interrogantur, ſaltim vt indicium faciant. 9.

An debitum duobus impuberibus probetur, ſi de eo aliter conſtare non poſſit? ibidem.

Impuberis teſtimonium, etiam parte non opponente, eſt ipſo iure nullum. 10.

Etiam non præcedente proteſtatione ante publicationem poteſt contra teſtes, iam publicatis atteſtationibus, de impubertate obijci, & quomodo hoc accipiatur? ibidem.

Proximus pubertati an indiſtinctè tam in ciuilibus, quàm in criminalibus teſtis recipiatur? 11.

Iam pubes de his, quæ cùm eſſet proximus pubertati, vidit, rectè deponit. 12.

Nemo de his quæ in infantia, vel ætate huic proxima vidit, legitimus teſtis eſt, ſiue id in tam teneris annis didiciſſe ipſe fateatur, ſiue per neceſſarias conſequentias poſſit deduci. 13.

Teſtis deponens de his, quæ tempore infantilis ætatis vidit, probat, ſi ea tantum fuerunt, quæ tunc in ſenſum infantis cadere poterant, & quæ hæc ſint? 14.

Text. in cap. placuit. 111. de conſecrat. diſt. 4. intelligitur. ibidem.

In probanda poſſeſſione valet dictum de his, quæ teſtis vidit in ætate octo annorum, & quare? 14.

Teſtimonium de his, quæ captum pupillarem excedebant, etiam in pubertate emiſſum, nullius eſt momenti. 16.

Adultus deponens tempore pupillaris ætatis ſe vidiſſe fabricare adulterinam monetam, nullam fidem facit, & quæ ſit ratio? 17.

QVÆSTIO XLIIII.

Ad teſtificandum in ciuilibus?

Non omnes teſtari, nec cogi ad teſtimonium ferendum lege Iulia cauetur, nam ex lubrico ætatis, & fragilitate cõſilij impuberes iure ciuili à teſtificando arcẽtur, *l.3.§.lege Iulia, l.inuiti.19.ff.de teſtibus, l.qui teſtamento 20.in principio, ff.qui teſtament. facere poſſ.§.teſtes, inſtitut.de teſtament. cap.teſtes*, quem de cauſis ciuilibus eſſe intelligẽdum docet *ibidem* Gloſſa *4.quæſt.3*. Quibus & aſſentitur *l. Regia 9.tit.16.part.3.* quod non ſine ratione ſancitum extat, cùm perpetuò furioſi & impuberis par iudicium ſit, *l.cùm prætor 12.verſic. Natura, ff.de iudic.* furioſus verò in teſtem non admittatur aſſerentibus Specul. *de teſte, §.1.n.88.* Barr. *in l.ad teſtiũ 22.de teſtam.* & alijs adductis per Vueſembechium *in Paratitl. ad tit. ff. de teſtibus num.3.* quibus accedit noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c.20.n.16.* & ante eum Donel. *commun. lib.25.c.8.* 1 2

Nec

3 Necnon quia impuberum ætas adeò eſt rerum omnium inſcia & ignara, vt quidquid videt ignorare dicatur, *l.1.verſic. Impuberes, C. de falſa moneta, §. prætereà, inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtam. l. fin. circa fin. ff. rem pupilli ſaluam fore, l. fin. de iuris & facti ignorantia*, quod vtique ſatis haberi debet, vt poſſit à teſtificando excludi: nam teſtis intelligere debet id quod dicit veluti pluribus comprobat Cardinal. Tuſch. *practic.*
4 *concluſ. lit. T. concl.* 172. vnde prouenit, eos ferè ſemper ad mentiendum faciles eſſe, *l. ex libero. 15. ff. de quæſtion.* & ideò illos iurare leges non permittunt, *l. qui iuraſſe. 16. ff. de iureiurand. l. 4. ff. de in litem iurando, c. 1. 4. quæſt. 3. cap. paruuli, & cap. pueri 22. quæſt. 4.* cum alijs ſuprà *anno decimo* cum dimidio *quæſt.* 11. congeſtis: ergo nec teſtificari, quia ſine iuramento, quod vtique vt dixi, præſtare
5 impuberes non poſſunt, nulla aut exigua teſtibus adhibetur fides, *l. iuriſiurandi 8. C. de teſtibus l. ſolam, C. eod. c. nuper, c. tuis, de teſtibus*, proſequitur Cardin. Tuſch. *practic. concluſ. lit. T. concluſ.* 166. per totam, Fornerius *vbi ſuprà*, Hortenſ. Caualcan. *in pract. de teſtibus 1. p. n.* 18. Alex. Trentacinq. *variar. reſolut. lib. 2. tit. de teſtib. reſolut. 5. per totam*, & Petr. Gil Kenius *in d. l. 8. à n. 1. cum ſeqq.*

6 Igitur puberes ſaltim neceſſariò eſſe debebunt, qui in ciuilibus cauſis teſtes adhibendi ſunt, ſcilicet, quatuordecim annorũ maſculi, & fœminæ duodecim, vti ex prænotatis ſufficienter elicitur, & in ſpecie probatur de iure Canonico ex text. in *c. teſtes 1. 4. q. 2.* his verbis: *Ad teſtimoniũ autem intra annũ decimumquartum ſuæ ætatis conſtituti non admittantur*, ſequuntur Decius *conſ.* 448. *n.* 25. Pariſ. *conſil.* 88. *lib.* 3. Crotus *tractat. de teſtibus p. 3. num.* 7. Nep. de Montealbano *eod. tract. de teſtibus num.* 51. *&* 52. Campeg. *regul.* 112. Nellus *n.* 21. Iul. Clar. *§. fin. quæſt.* 24. *verſic.* 24. *Vidi quandoque*, Maſcard. *de probat. concl.* 1246. Cardin. Tuſch. *practic. concluſ. iuris, lit. T. concl.* 183. *n.* 2. Didacus Cantera *q. criminali de plena probatione n.* 40. *ad finem pag. mihi* 308. Donel. *comment. lib.* 25. *c.* 8. Proſper. Fariuac. plures referens *tract. de teſtibus q.* 58. *de oppoſitionibus cõtra perſonas teſtium n. 1. & conſil.* 32. *n.* 26. *& conſ.* 29. *n.* 1. Guilierm. Forner. *in l. pueri.* 204. *de verb. ſignificat.* Villadiego *in ſua Politica c. 1. n.* 30. vbi hanc ætatem completam eſſe debere admonet P. Thom. Sanch. *lib. 6. conſilior. c. 5. dubio* 14. *n.* 4. Curia Philippica *p. 1. §. 17. num.* 12. Eman. Barboſ. *in remiſſionibus ad ordination. Regias Luſitaniæ lib. 3. tit.* 86. quibus nouiſſimè adſtipulantur colendiſſimus frater D. Alphonſ. de Narbona *in commentar. ad 3. p. nouæ Recopilat. legum Hiſpaniæ lib. 8. tit. 21. l. 2. gloſ. 5. n.* 22. Hieron. Buccaron. *de different. inter iudicia ciuilia & criminalia different.* 78. *num. 1. & ſeqq.*

Ex quibus irridendus venit Lucius Æneus Seneca, qui *cõtrouerſiar. lib. 7. cap.* 5. inquit: 7
Nihil puero teſte certius, vtique quinquẽni, nã & ad eos peruenit annos, vt intelligat, & nondum ad eos, quibus fingat, vnde fortè originem duxit apud noſtros vetus, & tritum illud prouerbiũ, nẽpe, deliros & pueros veritatẽ detegere, quo nihil incertius excogitari potuit, quia vt ll. profitentur, omnis impubes mẽdax creditur *d. l. ex libero.* 15. ideoque à teſtificãdo repellitur, iuxta ſuperiorẽ communẽ ſententiam, quã nuſquã cõtradictorem habuiſſe teſtãtur Farin. *vbi proximè*, quod multò vehementiùs & in infante, minore videlicet ſeptẽnio, indubitatũ cenſendũ erit, vt poſt Bald. *in l. teſtium, C. de teſtibus* explanarunt Marſil. *in l. infans n.* 41. *ff. ad legem Corneliã de ſicar.* Aufrer. *de reprobat. teſt. n.* 51. Grammat. *deciſ.* 40. *n.* 15. Maſcar. *de probat. d. concl.* 1246. *n. 2. lib.* 3. Farin. *d. q.* 58. *n.* 5. Hieron. Buccaron. *d. different.* 78. *n.* 2. ac conſequenter nequaquã audiendus Seneca contrarium affirmans, qui meritò, vt autor eſt Duarenus *tit. de teſtibus* à multis hac in parte reprehẽditur 8
quamuis benè verũ ſit, ex magna tamẽ & graui cauſa aliquando infantem, ſeu aliũ impuberẽ interrogari, *l. de minore* 10. *in princip. ff. de quæſtion.* etſi non ad plenam fidem (quidquid dicat Marſil. *in pract. criminal. §. diligenter n.* 80. *& ſeqq.* cui ſubſcribit Caualcan. *d. loco n.* 21. Quibus placet debitũ duobus impuberibus plenè probari, ſi aliter de eo conſtare nõ poſſit) ad aliquod ſaltẽ indiciũ faciendum, ex doctrina Gloſſæ final. *in d. l. inuiti n. 2. de teſtibus*, quã ſequũtur Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. c. 4. n.* 46. & Duaren. *d tit. de teſtibus* paulò poſt princip. Farinac. *d. loco n.* 18. qui id ſolũ in proximis pubertati aliqua ratione præditis meritò admittit, & expreſſè probãt ſeptempartiti noſtri iuris conditores *in l. 9. tit. 16. p.* 3. illis verbis: *Pero ſeyendo de buen entendimiento, à tales menores farian grande preſuncion al fecho ſobre que fueſſe el teſtimonio*, ad ſtipulatur Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap. 20. num.* 9. & ante eum Hortenſ. Caualcan. *in dict. pract. de teſtibus 1. p. num.* 21. & Villadiego *loco vbi ſuprà.*

Plenã autẽ fidẽ, vt dixi, minimè faciet, quia 9
impuberis teſtimoniũ eſt ipſo iure nullũ, etiã parte nõ opponẽte, veluti docuerũt Angel. *in authent. de teſtib. §. 1. n.* 3. Marſil. *in d. l. de minore, poſt n.* 22. Decius *in l. 2. §. item impuberes, num. 9. verſic. & licet non opponatur, ff. de reg. iuris*, Lanfranc. *de teſtibus n.* 2. Butrigar.

eodem tractatu numer. 1. Monticul. *in ſuo repertorio de teſtibus, verbo Minor, fol.* 50. *verſic.* 2. Roland. *conſ.* 3. *num.* 27. *vol.* 3. & alij relati per Farinacium *dict. q.* 58. *numer.* 12. vbi etiam ex Angelo *vbi proxim:* ſubdit, ea ratione, licèt non fuerit proteſtatus ante aperturam, vel publicationem teſtium contra ipſorum dicta, aut perſonas, vt de conſuetudine fieri debet, tamen aduerſus impuberis perſonam, ſeu depoſitionem obijcere publicatis iam atteſtationibus poſſe, ſiquidem illius teſtimonium magnifeſtam nullitatem præſefert. Ita in ſpecie etiam docet Hortenſ. Caualcan. *d.* 1. *part. de teſtib. num.* 20. niſi communi opinione pubes fuerit exiſtimatus, quia tali caſu ipſius teſtimonium vtile, & validum erit, licèt poſteà detegatur inhabilitas, reſpectu pupillaris ætatis, vt poſt Dinum, Barto. & Malet. concludit idem Caualcanus *num.* 19. ſecùs verò ſi ſeruus eſſet & minor: nam licèt communiter liber, & maior reputaretur, eius dictum ſuſtineri non poſſet, quia eſſet ſimul duo ſpecialia concedere, contra diſpoſitionem *l.* 1. *C. de dotis promiſſion.* quare ſic ex alijs reſoluit Caualcan. *d.* 5. *p. n.* 22.

10 Vndè manifeſtè deprehenditur illorum lapſus, ne dicam inſcitiam, qui vti veriſſimum obteſtantur, proximum pubertati non ſolùm in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus ad teſtificãdum admitti, eo vtique, quia doli capacem illum iura profitentur, *l. excipiuntur, ff. ad Syllanian. §. in ſumma, inſtitut. de obligation: quæ ex delicto*, cum alijs à nobis alio loco accuratiùs cõcenturiatis. Quapropter prædictam ſententiam veriſſimam contendunt Ioann. Andreas *in addition. ad Speculat. tit. de teſte n.* 34. *litera G. verb.* 20. *annorum*, Alb. de Malet. *de teſtib. cap.* 5. *num.* 20. Maſcard. *de probation. lib.* 3. *concl.* 1246. *num.* 4. Nam ſi, vt ex prænotatis conſtat, impuberum teſtimoniũ, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus fragile; & nullius ponderis exiſtit, proximi pubertati, qui etiam impubes eſt, æque inutile, & imbecillum erit. Qua re meritò vt falſam horum exiſtimationem reijcit Farinac. *d. q. n.* 17.

11 Sed licèt impuberes, quantumuis pubertati accedentes, ad proferendum teſtimonium minimè recipiantur; attamen iam puberes non prohibentur de his, quæ in ipſa ætate pubertati proxima viderunt, teſtificari videlicet, cùm maſculi decimum annum cum dimidio, & fœminæ, nonum & dimidium habebant: imò ſi de ipſis depoſuerint, plenam fidem facient, vt ex Claro *in praxi §. fin. q.* 24 *verſ. Vidi quandoque dubitari* ad finem, Cephal. *conſ.* 98. *n.* 40. *lib.* 2. Viuio *in comm. opinion. verb. Teſtis eſſe non poteſt pupillus. verſ. Et iſtud procedit*, Maſcard. *dict. concluſ.* 1246. *n.* 11. & alijs quampluribus reſoluunt Farin. *vbi proximè n.* 61. *&* 62. Card. Tuſchus *practic. concluſ. iuris lit. T. concl.* 188. *n.* 1. & Hortẽn. Caualcan. *d.* 1. *p. n.* 26.

De viſis etenim, cùm infantes erant, aut infantiæ proximi obteſtantes, audiri non debent, nec vllam fidem facere, ſiquidem veriſimile eſt, eos ea tenera, & infantili ætate, etiam quod ante oculos ipſorum verſabatur, ignoraſſe *d. l.* 1. *verſ. Impuberes, C. de falſa moneta.* quocirca hanc eſſe, communem opinionem affirmat Albert. Malet. *dict. tract. c.* 5. *n.* 21. cui ſubſcribunt Campeg. *eodem tract. regul.* 250. *verſ. Quod intelligas, ad finem*, Decius *in dict. l.* 2. *§. item impuberes, n.* 11. *verſ. Et ad hoc eſt verum; ff. de regul. iuris*, Clarus Viuius, & Maſcard. *locis relatis*, Farin. *d. n.* 62. accedit Tuſch. *d. concl.* 183 *n.* 7. & rurſus *concl.* 206. *n.* 13. vbi ex Roman. *conſ.* 157. *in princ.* id procedere inquit, ſiue teſtis expreſſerit illud, de quo deponit, in ipſa infantia didiciſſe, ſiue eliciatur per neceſſarias cõſequẽtias 12

Niſi ea, de quibus deponunt, talia ſint vt dicto 2. tempore infantilis ætatis caderent inſenſum & intellectum pupilli, veluti de recordatu patris, matris, & de his, quæ vt ſcholaris fecit: tunc enim optimè poterit pubes factus de illis teſtificari, vt rectè voluerunt Ioan. Andr. *in addit. ad Speculat. tit. de teſte*, §. 1. *n.* 35. *liter.* K. *verſ. Saluò quod dixi*, Igneus *per illum textum in l. excipiuntur n.* 36. *&* 38. *ad Silanian.* Malet. *d. n.* 22. Maſcard. *dict. n.* 11. Hector Æmil. *tractat. de teſtibus, p.* 1. *verb. Teſtis adductus num.* 7. & nonnulli alij, quibus adhærent Farinac. *dict. quæſt.* 58. *&* 64. vbi ponit exemplum in probatione ætatis ſui ſocij in ſcholis, cùm eſſet annorum ſex, & Cardin. Tuſch. *adducta concluſ. num.* 4. iuxta quę intelligi debet text. *in cap. placuit* 111. *de conſecrat. diſtinct.* 4. dum inquit, quem poſſe de traditis ſibi Sacramentis in infantia teſtificari. 13

Propterea inquit Alex. *conſ.* 88. *incip. quoniam n.* 20. *& ſequentibus lib.* 5. vbi etiam apoſtil. quem refert Tuſchus *numer.* 3. quòd in probanda poſſeſsione valet dictum teſtis de his quæ vidit fieri in ætate octo annorũ, eo vtique, quia actus quibus poſſeſsio acquiritur, conſiſtunt in facto, quæ enim mere facti ſunt, etiam ab infantibus percipi, & intelligi poſſunt: atque ideo inſuper affirmat idẽ Alex. valere teſtimonium puberis dicentis ſe in octauo anno cũ aſello portaſſe ligna de vno loco ad alium, quia talis actus cadit in puerum illius ætatis, veluti etiam confirmat Farinac. *num.* 61. 14

15 Secus verò ſi pupillarem captum excedebant, quæ primis illis annis in conſpectu ipſorum fuerunt executa, aut perfecta: quia tunc horum atteſtationes, licèt in pubertate, exigui erunt momenti, ex doctrina Albert. de Malet. *dict. cap. 5. num. 22.* Campegij *regul. 112. in 6. fallen. & reg. 250. verſic. Quod intelligas*, iuncto *verſic. Secundò*, latiſsimè *Cagnol. in d. l. 2. §. item impuberes, num. 10. ver. Modò pupillus, ff de regul. iuris*, Clar. *in pract. dict. §. fin. q. 24. verſicul. Vidi quandoque dubitari*, Hector Æmil. *de teſtibus, dict. n. 7. & 11. & 14.* Dec. *conſ. 448. num. 25.* Pariſij *conſil. 88. lib. 3.* quibus congeſtis ita docet Farinacius *loco ſæpius repetito, numer. 59.* Cardin. Tuſch. *dict. concluſ. 183. num. 7.*

16 Ex quibus inferunt Ioann. Andreas *loco vbi ſuprà num. 35. litera K. prope finem*, Albert. de Malet. *d. cap. 5. num. 22. verſ. Et hoc modo intelligitur*, Hector Æmil. & Farinac. vterque *vbi proximè*, iſte *num. 60.* ille *n. 12.* Quod ſi adultus deponat ſe vidiſſe in pupillari ætate fabricari falſam monetam, eius teſtimonium non nocet, quia etſi viderit monetam tunc fuiſſe fabricatam, non tamen habebat facultatem, ſeu intellectum cognoſcendi, an illa moneta fabricata ſit ex reproba materia, necne.

SVMMARIVM.

Minor qui ob defectum ætatis, in criminalibus teſtis eſſe nequit, receptus indicium & præſumptionem facit. 1.

Minor, niſi iam pubes, aut ſaltim pubertati proximus, in criminalibus nullam inducit præſumptionem. 2.

Ex dicto vnius teſtis minoris octodecim annorum, capturam fieri ſolitam in Tribunali S. Inquiſitionis, deteſtatur Cantera. 3.

Nondum ad pubertatem accedens, quidquid videt ignorat. 4.

Infans pro inſipienti accipitur. 5.

Defectus naturalis, lege ſuppleri, aut diſpenſari nequit. 6.

L. excipiuntur 14. ff. ad Syllanian. L. de minore 10. de quæſtionibus. } *De proximis pubertati ſunt accipiendæ. 7.*

Impuberem eſſe indicium ſufficiens ad torturā, quo modo intelligatur? ibid. & 8.

Dictum duorum impuberum an faciat indiciū in criminalibus? 9.

Impubes tenetur ad iudicis mandatum teſtificari, quia ſaltim ad leuiorem pœnam ipſius dictum ſufficit. 10.

QVÆSTIO XLV.

Vt teſtis in criminalibus receptus ſaltim faciat indicium?

Minorem, qui ob defectum ætatis in criminalibus ad teſtificandum admitti nequit, receptum, indicium ſaltim & præſumptionem facere communis omniū ſententia docet, quam multis comprobat more ſuo diligentiſsimus Farinacius *de teſtibus, q. 58. limit. 8. à n. 44.* qui & *num. 47.* prædictam concluſionem non in omnibus, & cuiuſcumque ętatis minoribus eſſe indiſtinctè accipiendam monet, ſed in illis dumtaxat, qui decimumquartum annum exceſſerunt, vel ita parum ab eo diſtāt, quòd proximi pubertati dici valeant, vtpote ſenſit Decius *in l. 2. §. item impuberes num. 10. verſ. Secundò fallit*, & *ibid.* Cagnol. *num. 21. verſ. Quod adhuc intelligo, ff. de reg. iur.* Lanfran. *de teſtib. num. 2. verſ. Aut ſi doli capax ſit*, Brun. *de indicijs 2. p. q. 4. poſt n. 18.* Corrad. *in practic. §. 2. de offic. prætor. in cauſis ciuil. tit. de teſtibus, rubric. perſonas teſtium aggrediendo, verbo Minor n. 70.* Boſsius *in tit. de Inquiſitione, n. 62 verſ. Et hoc vbi tamen dictus minor ſit proximus pubertati*, Ludou. Carrerius *in praxi criminali, tit. de indicijs, cap vltimo, num. 15. pagina mihi 67.* vbi inquit, dictam ſententiam procedere in adulto, non verò in impubere, ſentit Cantera *in quæſtionib. criminal. c. 2. de probat per teſtes, q. 1. n. 31.* qui durum eſſe ait, quod in Conſilio ſupremæ Inquiſitionis aliquando practicari vidit, ſcilicet, quòd ex dicto vnius teſtis minoris 18. annis nonnulli fuerunt rei capti, refert & ſequitur Antonin. Dian. *reſolut. mor. 4. p. tract. 6. reſolut. 25.*

Quod ſummam habet rationem, nam qui nondum pubertati accedit, adeò intellectu, & iudicio caret, vt etiam quæ videt, veluti inuiſa ignoret, *l. 1. in fine, C. de falſa moneta*: ergo nec plenā probationē, vt alibi dicemus, nec quidē indiciū illius aſſertio, aut teſtimoniū operabitur, cū vix credi poſsit eum verū dicere, qui an certū ſit, quod vidit, nondum intelligit: quare multoties apud Homerū infans pro inſipienti accipitur, vt *Iliad. 2.*

Certe iam pueris ſimiles loquimini infantibus.

Et *6. eiuſdem.*

Filium in ſinu geſtans infantem animo, infantem item corpore.

Et

Et *Odiſſ.* 16. *in fin.* ſub perſona Penelope loquens, inquit:

Filius autem meus quouſque quidem fuit infans, & demens.

Et ipſe Telemachus Penelope filius de ſe ipſo loquens *Odiſſ.* 2.

Iam enim intelligo, & ſcio ſingula, bonaque & peiora,
Anteà autem infans eram.

Refert Paul. Zachias *medicolegal.* 1. *p. tit.* 1. *q.* 3. *num.* 26.

6 Cui & illud accedit, quòd ſi leges paterentur impuberem ad teſtificandum admiſſum, ſua depoſitione indicium, & ſuſpicionem generare, eſſet vtique ſupplere impubertatis naturalem defectum, quod nec à lege, nec ab ipſo Imperatore valet ſuppleri, vel diſpenſari, vt docent egregiè Alexan. & alij *in l. fin. C. de milit. teſtam.* quos ſequitur Hieron. Cagnol. *in d. §. impuberes num.* 26. Nã vt Philoſophus inquit, omnia que fiunt, repugnante natura, irrita ſunt. Ita Zachias *vbi ſup. tit.* 2. *q.* 3. *n.* 35.

7 A quo minimè diſſentiunt Conſulti *in l. excipiuntur* 14 *ad Sillanian. & in l. de minore* 10. *ff. de quæſtion.* vbi impuberis teſtimonium ſpeciali legis diſpoſitione admittitur: quoniam de eo impubere loquuntur, cuius ætas proxima pubertati exiſtit, vt conſtat expreſſe *ex dict. l. excipiuntur*, ibi: *Nam is puer nec multum à puberi ætate aberat*, &c. iuxta quam etiam *dict. l.* de minore debet intelligi, quæ pene ſimilis eſt quæſtionis: quòd vero pubertati proximus interrogetur, & indiciũ faciat, minimè dictis repugnat, cùm adid ipſius, & iam puberis perſonã æquè habilem, & legitimam, *ſuprà* ex communi omnium ſententia conſtituerimus: itaque accipiendum eſt quod ex Syluestro *in ſumma, verbo teſtis, q.* 1. docet Thom. Sanchez *lib.* 6. *conſilior. c.* 5. *dub.* 14. *num.* 4. videlicet, quòd licèt impubes non ſit teſtis integer, at poteſt eſſe indicium ſufficiens ad torturam, cum alijs.

8 Quibus illud etiam annectendum ſequitur, videlicet non tanti momenti hoc indicium ex puberis, aut proximi pubertati teſtimonio reſultans haberi, vt ad puniẽdum, vel torquendum ſufficiat. Hoc enim meritò obſeruant innumeri à Farinacio congeſti *d. quæſt.* 58. *num.* 48. aſſerentes tantummodò ad iudicis inſtructionem, & ad inquirendam veritatem prodeſſe. Quod etiam de teſtimonio infantis tenet noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, cap.* 18. *num.* 85. ſed improbabiliter quidem, vt ex dictis patet: etſi contrarium magis placuerit aliquibus, quorum ſententiam optimè refellit Farinacius *ibid. numer.* 51. illam ſolummodò vt veriorem amplectens, vbi cum dicto impuberis concurrerent aliqua alia adminicula, & præſumptiones; quaſi tunc omnibus ſimul iunctis non ſit inconueniens oriri ſufficiens indicium ad torturam, ex Marſilio, Floriano, Cattertio, Gomeſio, & alijs, quibus ipſe ſubſcribit *num.* 52. Idemque tenendum do- 9 cet Matt. Delrius *diſquiſit. Magicarum appen.* 2. *lib.* 5. *quæſt.* 5. *litera F.* quem ſequitur nouiſsimè Antonin. Diana *dict. reſolut.* 25. *in fine*, vbi duo teſtes minores ſimul de aliquo crimine deponerent, nam tunc dictum vnius teſtis minoris, alterius dicto adminiculatur.

Et de his teſtibus inhabilibus, qui ſal- 10 tim legitimam ætatem habent, vt indicium faciant, ſubaudienda erit elegans illa doctrina, quam ex Nauarro *in ſumma cap.* 25. *num.* 51. *& in cap. inter verba corol.* 65. *numer.* 818. Soto *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 1. *ad* 3. Caietano 2.2. *quæſt.* 68. *artic.* 1. & ex Syluestro *verbo Denuntiatio. q.* 2. Angel. *numer.* 3. docet Thomas Sanchez *conſilior. moral. lib.* 2. *c.* 2. *dubio* 13. *num.* 15. *& dub.* 18. *num.* 17. ſcilicet, eos, qui ob defectum ætatis ſunt facti inhabiles ad teſtificandum, non excuſari ob ſuam inhabilitatem, vt ad mandata ſuperiorum teneantur denuntiare, vel teſtificari: quia licèt inhabiles, non ſint in cauſis omnibus legitimi teſtes ad integram pœnam infligendam: tamen in aliquibus cauſis ſunt ſufficiẽtes ad aliquam pœnitentiam, vel leuiorem pœnam, vel ad indicia.

SVMMARIVM.

Teſtamento nil eſt grauius in rebus humanis. 1.

Impubes nullum habet animi iudicium. ibid.

Maſculi poſt quatuordecimum annum, & fœminæ poſt duodecimum, habent teſtamenti factionem. 2.

Nobiles, ex antiquo iure Gothorum, ſeptimo anno teſtari poterant. 3.

Pubes, licèt minor, etiam ſine curatoris autoritate, vel eo contradicente, teſtamentum condere poteſt. 4.

Minor pubes, an poſſit teſtamento iubere, vt bona ſua ſine curatore vendantur? 5. *&* 6.

Ætas ad teſtandum requiſita, malitia non ſuppletur. 7. *&* 8.

Cautela refertur, qua poſſit impubes in morte de ſuis rebus diſponere. ibid.

Princeps an poſsit cum impubere diſpenſare, vt teſtamentum condat? 9. *& ſeq.*

Statuto caueri poteſt, vt impuberum teſtamenta vim ſortiantur. 10.

Factum à Principe, etiam cum minimo partis præiudicio, nihil valet. 12.

Diſtinctio aliquorum circa huiuſmodi quæſtionem refertur. 13.

Si ius eſt quæſitum venientibus abinteſtato ad pupilli hæreditatem, cum ipſo Princeps diſpenſare nequit, vt teſtamentum faciat. 14.

Teſtamentaria diſpoſitio an ſit ſpecies alienationis? 15.

Fœminis quare citiùs quàm viris teſtamenti confectio permittatur? 16. *& ſeq.*

Fœminæ antiquitùs ſub perpetua tutela erant. ibid.

Fœminæ inteſtabiles erant. ibid.

Ætatem ad teſtandum completam eſſe debere, quomodò accipiatur? 18.

Minor aduerſus teſtamentum à ſe factum non reſtituitur. 19.

QVÆSTIO XLVI.

Cuius ætatis quis eſſe debeat, vt teſtamenti factionem habeat?

1 TEſtamento nihil in rebus humanis grauius ſcripſit Cicero *Philippica* 2. quocirca in eo, qui teſtatur, eius temporis, quo teſtamentum facit, integritas mentis exigenda eſt, *l. in eo* 2. *ff. qui teſtamentum facere poſſunt.* Vnde cùm impubes ita mentis ſit expers, vt nullum eius animi iudicium eſſe Iuſtinianus teſtetur *in §. præterea, inſtit. quibus non eſt permiſ. facere teſtamen.* Quod ſic interpretatur *ibidem* Viglius, quaſi non habeat certam voluntatis ſuæ ſententiam, meritò à libera arcetur teſtamenti factione, cùm nec integram mentem, animi iudicium, nec certam, quod idem eſt, voluntatis propriæ habeat ſententiam, qua veram teſtamenti rationem inniti Conſulti teſtãtur *in l.* 1. *& ſimilibus, ff. de teſtam.*

2 Ergo qua ætate vel maſculi, vel fœminæ teſtamentum facere poſſunt, videamus. Et verius eſt in maſculis quidem quartumdecimũ annum ſpectandum, in fœminis verò duodecimum, vtrumque completum, ſi Vlpiano credimus *in l. qua ætate* 5. *ff. qui teſtam. facere poſſ.* cùm illa iam ętate iudicio rectè calleant, *l. ſi frater, eod. l.* 2. *C. quando prouocare non eſt neceſſe, §. cùm ergo, inſtit. quibus ex cauſis manum. non licet, l. fin. C. de teſtam. militis, l. ſi filiusfamilias, ff. de teſtament. l.* 1. *§. planè, de ſuis & legitimis*, Caius *inſtit. lib.* 7. *cap.* 2. Vlpianus *in fragmentis titul.* 20. & ex noſtris *l.* 13. *& ibi Gregor. titul.* 1. *part.* 6. facit *l.* illa antiqua fori, cuius autoritate probat Otalora *de nobilitate* 5. *part. cap.* 5. *num.* 13. nobilitatis fauore antiquitus fuiſſe

inductum, vt qui ea fruerentur, ſeptimum 3

annum agentes teſtari poſſent, ſiquidem hoc ita ea correctum exiſtit, vt niſi decimumquartum expleuerint, nihil teſtando fecerint: cui opinioni omnes conſentiunt, & præcipuè Gloſſa *in l. omnis definitio, verſic. Item minor, ff. de regul. iuris*, Dinus *de præſcription.* vbi de præſcript. 14. annorum, Hoſtienſ. *in ſumma titul. de ſepulturis, §. & apud quem, verſic. Impubes ergo*, Viuius *tom.* 1. *commun. opinion. lib.* 5. *titul.* 27. *de autor. præſtand. num.* 7. Anton. Gomez *in l.* 3. *Tauri num.* 12. Iulius Clarus *in §. teſtamentum, quæſt.* 5. *num.* 3. Connanus *lib.* 9. *commentar. cap.* 4. *num.* 9. Duarenus *ad titulum de teſtamentis, C. de his qui teſtamen. facere poſſ.* Caldas *in l. ſi curatorem, verb. Sine curatore, numer.* 61. *C. de in integrum reſtitut.* Azeb. *in l.* 1. *num.* 6. *titul.* 4. *lib.* 5. *nouæ Recopilat.* Matienz. *ibidem, gloſ.* 8. *num.* 4. Craſſus *in §. teſtamentum, q.* 17. *num.* 5. Spinus *in ſpeculo teſtam. gloſ.* 31. *n.* 17. Flores *variar. lib.* 1. *q.* 1. *n.* 23. P. Leſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 4. *num.* 37. P. Molina *eodem tractatu, tract.* 2. *diſp.* 136. *verſ. Præterea impuberes*, Negrei. *in introductione vltimar. volunt. lib.* 1. *c.* 7. *num.* 10. Benedictus Ægidius *in repetitione l.* 1. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Donell. *commen. lib.* 6. *cap.* 5. & ibidem Oſuald. *liter. P.* Quintil. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 5. *num.* 41. Simoncellus *de decretis lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 32. Flamin. *de reſign. beneficior.* plures referens *lib.* 12. *q.* 8. *num.* 19. *&* 26. P. Thom. Sanchez *de matrimonio lib.* 2. *diſput.* 24. *quæſt.* 4. *num.* 22. Gutierr. *de tutelis* 2. *part. capit.* 14. Coninch. *de Sacramentis diſput.* 21. *dubit.* 5. *numer.* 51. *ad finem*, Auendañ. *in l.* 5. *Tauri, gloſ.* 3. *num.* 1. Tiraquell. *in l.* 6. *connubiali gloſ.* 5. *num.* 72. Sairus *de cenſuris lib.* 2. *capit.* 9. *verſic.* 9. Azor *inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 1. *capit.* 6. *litera D.* Portoles *de conſortibus eiuſdem litis capit.* 40. *num.* 5. Menchaca *lib.* 5. *controuer. §.* 10. *numer.* 88. Benedict. Pinel. *ſelectar. iuris, lib.* 2. *c.* 10. *num.* 50. Quam niſi expleuerint ætatem, teſtamentum inefficax, & nullius roboris erit, *dict. l. qua ætate, dict. l.* 1. *§. plane, & dict. l.* 4. quod & *ſuprà* relati omnes vnanimiter fatentur, etiamſi tutoris interueniat autoritas, *l.* 1. *§.* 1. *de tutelis, & rationibus diſtrab.* Corneus *in l.* 4. *C. qui teſtam. facere poſſ. num.* 12. Iaſon *n.* 1. Alberic. *n.* 1. Ludouic. Roman. *n.* 4. Gil Ken.

num.

num. 8. idque duplici ex cauſa; & quòd extrema voluntas ex alieno arbitrio pendere non debet; *l. illæ, inſtitutiones, ff. de hæredib. inſtit. l.* 1 *ff. de legat.* 2. & quòd in illud tempus diſpoſitio confertur, quo tutores non erunt, cùm morte pupilli finem ſuſcipiat tutela, *§. ſimili modo, inſtit. quib. modis tutela*
4 *fini. cap. ſi vxor, de ſepulturis.* Quare minor ſine licentia ſui curatoris rectè teſtari poterit, Bartol. Angel. & Imola *in l.* 1. *§. fuit quæſitum, ff. ad Trebell.* & probatur *ex l. cùm pater, §. curatoris; ff. de legat.* 2. *& ex l. Aurelius, §. Caius. ff. de liberat. legato.* Gloſſa *in l. ſi curatorem habens, verbo Abſimilis*, ibi: *Quia adultus teſtatur, C. de in integrum reſtit. minor.* quam ſequitur Iaſon. *in l.* 2. *num.* 13. *de legat.* 1. *& in l. quæ dotis num.* 38. *ff. ſoluto matrimonio*, vbi hoc procedere aſſerit, etiam contradicente curatore, Alexan. Trentacin. *variarum lib.* 2. *titul. de minoribus.* Quæ
5 quidem contradictione non obſtante poteſt iubere in teſtamento minor, quòd res immobiles vendantur ſine autoritate ipſius curatoris, vt tenet Bald. *in l. prædium, C. quando decreto opus non eſt,* & *in l.* 2. *in princip. ff. de rebus eorum.* Quam opinionem communem appellat Anton. Gomez *in l.* 3. *Tauri num.* 5. quæ probatur *ex l.* 13. *tit.* 1. *part.* 6. tenet Caldas Pereira plures referens *in dict. l. ſi curatorem habens, verbo Hunc contractum ſeruari non oportere num.* 20. Alexand. Trentacin. *lib.* 2. *reſolution. tit. de minorib. reſolutione* 1. *numer.* 4. Ioan. Gutierr. *de tutel.* 2. *part. cap.* 14. *numer.* 16. qui etiam ex Iaſone *vbi ſuprà num.* 14. aſſerit: minorem ſine curatoris interuentu, ſimiliter & mortis cauſa donare poſſe. Cuius etiam opinionis antea fuit Bald. *in c.* 1. *§. item ſacramentum col.* 6. *de pactis iur. firma.* Alexan. *in l.* 2. *de legat.* 1. & ibidem Ripa *num.* 10. Aretin. *in dict. l. ſi curatorem habens*, Fulgoſ. *conſil.* 88. Capic. *deciſ.* 73. Tiraquel. *in ll. connubial. gloſ.* 5. *nu.* 71. *&* 83. Cremenſis *ſingul.* 117. *ad finem.*

6 Sed prædictam ſententiam meritò reprehendit Trentacinc. *dict. loco num.* 5. & à contraria non eſſe recedendum ex eo contendit; quia ratio prohibitionis, ne minor ſine curatoris autoritate contrahat, ſcilicet ne propter ſenſus fragilitatem à contrahentibus decipiatur, etiam in mortis cauſa donationibus, quæ per viam contractus fiunt; æquè procedit: ideoque huiuſmodi opinionẽ, vtpote tutiſsimam tenuerunt ex antiquiorib. Guiliel. Benedict. *in cap. Raimuntius, de teſtamen. verb. Teſtamentum n.* 34. Pariſius *conſ.* 97. *num.* 5. *vol.* 3. Cotneus *conſ.* 129. *n.* 7. *vol.* 2. Guiliel. Mainer. *in l. in teſtamentis n.* 2. *ff. de regul. iur.* Caſan. *in conſuetud. Burgund. tit. de ſucceſſion. rubr.* 7. *§.* 13. *n.* 9.

Verùm, vt quo egreſsi ſumus, reuertamur, animaduertendum eſt, ſuperiorem ſen- 7
tentiam, videlicet, impuberem nullatenus teſtamentum condere poſſe, veriſsimam eſſe; cùm pubertas neceſſariò ad teſtandum deſideretur; quæ ſi non adfuerit, licèt impubes, ita doli capax ſit, vt ipſius ætas malitia ſuppleri, & reſarciri poſsit, teſtamentum nihilominus ordinare non poterit, vt docet Caſtrenſis *in dict. l.* 4. *num.* 2. Alexan. *numer.* 1. *&* 3. Decius *num.* 3. Bartol. *in l.* 1. *C. de ſacroſan. Eccleſ. q.* 2. Bald. *ibidem.* Andr. Tiraquel. plures referens *de priuileg. piæ cauſæ, priuil.* 9. *verſic. contrarium tamen*, Gilkenius *in dict. l.* 4. *numer.* 9. etiamſi ad pias cauſas ordinauerit, vt ex Bartol. *in l.* 1. *§.* 2. *de tutel.* tradit Aſsinius *de executionibus cap.* 326. *num.* 14. & repetit *cap.* 327. *num.* 8. vbi & illam cautelam ſubijcit, ad hoc vt pupilli vltima diſpoſitio vires obtineat, ſcilicet, vt de bonis ſuis in euentum mortis donãdo diſponat, ſub ea conditione, ſi deceſſerit in pupillari ętate, & huiuſmodi diſpoſitionem iureiurando confirmet: nam tunc talis diſpoſitio effectum habebit, ex doctrina Bartoli & Alexandri *in l. qui iuraſſe, ff. de iureiurando.* Quod quidem tantùm procedit, & ſubaudiẽdum erit, vbi ius commune obligat, quoniam, vbi eius obſeruantia non viget, impubes doli capax nihilominus teſtari poterit, ex rationibus à Benedicto Pinello congeſtis *d. lib.* 2. *ſelectar. c.* 10. *n.* 50.

Et licèt prædictæ reſolutioni obſtare 8
videatur textus *in §. præterea, inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtam.* quo præcipitur, ideò impuberem teſtamentum facere nõ poſſe, quia illius nullum, vel perexiguum animi iudiciũ eſt, vnde inferri videbatur, quòd cùm ex præmatura malitia diſcretio & iudicium in impubere reperiatur, neceſſariò fatendum erat teſtamẽtum ordinare eum poſſe; cuius ętas malitia perficitur, cùm ceſſante ratione legis, & etiam eius diſpoſitio ceſſare debeat, *cap. cùm ceſſante, de appellat. l. ita diſpoſitioni, ff. de autoritat. tutor. l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patron.*

Pro expeditiori tamen propoſitæ difficultatis diſſolutione, ſciendum erit, iura nõ ſemper referri ad vnum vel alterum caſum, qui rarò poſsit contingere, ſed ad ea, quæ communiter, & frequenter ſolent accidere, *l. iura, ff. de legibus.* Vnde licèt aliquando accidere poſsit, vt non pubes rectum animi ſortiatur iudicium, attamen, quia id pręter conſuetudinem, & non ex aſſuetis fit, infirmari propterea lex non debet.

Rurſus, quoniam licèt iudicij cauſa, prædicta ætas in teſtate deſideretur, vtpote quæ ſolet frequenter accidere, nam vt Tertullianus inquit *lib. de anima capit.* 10. pubertas animalis cum carnali dicitur conuenire, pariterque, & illa ſuggeſtu ſenſuum, & iſta pro ceſſu membrorum exurgit, nihilominùs præfata ætas ad reſtãdum neceſſariò requiritur, ita vt niſi adfuerit, nulla, licèt præmatura, valeat diſcretione ſuppleri, *l. nemo poteſt, ff. de legat.* 1. *l. neque ex Prætorio, ff. de regul. iur. l. qui per ſalutem, ff. de iureiurando*, cum ſimilibus in huius rei fulcimẽtum à Gil Kenio adductis *in d. l.* 4. *num.* 10. *C. qui teſtam. facere poſſ.*

9 Sed vtrùm cum impubere iſto iam proximo pubertati poſsit Princeps diſpenſare, vt validè teſtetur? non leuis difficultas eſt, circa cuius explicationem animaduertendum erit, noſtros Interpretes hac de re in partes diſceſsiſſe. Quidam enim affirmatiuæ ſententiæ, vt veriori, ex ſequentibus fundamentis ſubſcribunt. Primò, quia prohibitio, qua impubes à teſtamenti factione arcetur, iuriſgentium, vel ciuilis eſt, ac per conſequens & poſitiui: ſed Princeps ſupra ius eſt poſitiuum, *capit. propoſuit, de conceſsion. præbendæ*, Craueta plures referens *de antiquit. tempor.* 1. *p. ſect.* 1. *n.* 38. ergo in tali prohibitione diſpenſare poterit.

10 Secundò, nam ſtatuto caueri poteſt, vt impuberum teſtamenta vim ſortiantur, ex doctrina Bartoli *in l. ſi quæramus num.* 6. *ff. qui teſtament. facere poſſ.* Decius *in l fin. numer.* 10. *C. de teſtam. milit. & in l. pupillum in fine ff. de reg. iur.* Andr. Siculus *in cap. cùm vigeſimum num.* 12. & *ibidem* Felinus paulò poſt principium *de offic. delegati.* Barboſa *ad l. cùm prætor.* 12. *§ fin. num.* 53. *ff. de iudicijs.* Igitur ſi ab vniuerſitate ius ciuile ſtatuto emendari poteſt, à fortiori & Principe licebit, penes quem & totius populi poteſtas reſidet, *l.* 1. *de conſtitution. Princ.* vt in propoſito tenet Caſtrenſis *in l. reſcripta, numer.* 3. *C. de precib. Imperator. offerend.* aſſerens, tale diſpenſationis reſcriptum impuberi conceſſum valere, etiamſi abſque clauſula *non obſtante*, &c. expediatur.

11 Contrariam verò ſententiam, ſcilicet, quòd Princeps non poſsit cum impubere diſpenſare, vt contra leges teſtetur, quamplurimi defendunt, qui nec fundamentis carent. In primis mouentur, quoniam licèt hęc prohibitio iuris ciuilis ſit, & ſic iuris poſitiui, vt aduerſi fatentur; attamen naturali rationi innititur, cùm impubes ideò teſtari ne queat, quia iudicio & intellectu caret, qui eſt naturalis defectus, diſpenſationi minimè obnoxius, vti ex Baldo colligitur *in l. bonorum n.* 4. *C. qui admitti, & in l. vnic. n.* 85. *C. de confeſſ.* Iaſ. *in l. reſcripta num.* 12. *C. de precib. Imper. offeren.*

Secundò facit pro eadem ſententia, ratio Imperatoris *in l. fin. C. de teſtamen. milit.* vbi noluit facultatem teſtandi pupillis, etiam militibus, concedere, ne præiudicium parentibus & propinquis fieret: ergò cùm in propoſita ſpecie de tertij prǽiudicio agatur, nempe venientium abinteſtato, diſpenſari non poterit: nam Princeps cum partis etiam minimo præiudicio aliquid ſtatuendo, vel diſponendo, nihil agit, *l. nec auus, C. de emancip. liberor.* vbi obſeruat Gloſſa & Bald. *in c. ſuper eo, de officio delegati*, Pelaez de Mieres *tractat. de maiorat p.* 1. *q.* 3. *n.* 7. & alij à Theſauro relati *deciſione Pedemon.* 87. *num.* 7. 12

Sed in hac opinionum conflictatione quid ſecurè quis amplectatur, non facile fuerit digeſsiſſe: quare nonnulli putant diſtinctione rem expediendam. Quoniam aut pupillus eſt proximus pubertati, & talis, à cuius malitia ætas ſarcimentum accipere poſsit; & tunc rectè Princeps diſpenſare poterit, cùm ipſius poteſtati, & iuriſdictioni naturalis aliquis defectus non obſiſtat. Aut verò pubertati nõ eſt proximus, nec doli capax, & tunc diſpenſare Principi nullatenus licebit. Ita Angel. Alex. & Decius *in d. l fin. C. de teſtam. milit.* Iaſon *in d. l. reſcripta num.* 12. Magdalen. *de numero teſtium in teſtam. requiſito p.* 2. *c.* 4. *n.* 73. & 79. & *p.* 1. *c.* 22. *n.* 77. verùm hęc diſtinctio vt Theſauro *vbi ſup. num* 9. nec mihi aliquatenus placuit, tum propter rationem Iuſtiniani in *dict. l. fin.* quæ licèt ſub verbo *fortè* prolata, ſucco minimè caret: tum etiam, quia vt proximè reſoluimus, malitia impuberum parum, vel nihil conducit ad facultatem teſtandi ante pubertatis annos. 13

Vnde in hac Scribentium repugnantia Antonij Theſauri opinioni adhęrens *n.* 10. aliter diſtinguendum puto. Nam ſi ex maiorum diſpoſitionibus, & ſubſtitutione pupillo facta, erat ius quæſitũ venientibus abinteſtato, hoc in caſu, ob ipſorum præiudicium ex *d. l. fin.* ratione Princeps cum illo diſpenſare non poterit, vt eleganter Caſtrenſis docet *in d. l. reſcripta*, cùm hîc non tantùm leges reſiſtant, verùm & prædeceſſorum diſpoſitio: ſecùs verò ſi nõ ipſis fuerit aliquod ius ex ſubſtitutione, vel alio modo quæſitũ, aut non ita proximiores de familia exiſtant, vt quaſi euidenti quadam ratione ad eos pupilli hęreditatem deferendã ſperare poſsint: nam tunc ſi impubes doli ſit capax, cũ illo rectè Princeps diſpenſare nõ poteſt, vt in ſpecie cenſuit Senatus 14

natus Pedemontan. teſte Antonio Theſauro *d. deciſ.* 87. *n.* 10. vbi & *n.* 7. & 8. oppoſitæ ſententiæ fundamentis veriſsimè reſpondet.

15 Manet ergo certiſsimum, puberem ſaltim eſſe debere nō ſolùm malitia, ſed & numero annorū, qui teſtamentum condit. Nec quidquā obſtat, quòd adhuc huius ętatis hominibus omnis rerum ſuarū alienatio interdicitur, cuius ſpeciē teſtamentariam diſpoſitionē eſſe conſtat: vnde alienare prohibitus, nec legare, nec hæredē inſtituere poteſt: celebris textus *in l. ſi quis prioris* 8. *§. certū eſſe ſancimus, C. de ſecundis nuptijs, l. peto, § fratre, de legat.* 2. ſiquidem omnis actus, per quē dominiū transfertur, alienatio dicitur, *l.* 1. *ff. de fundo dotali*: & per inſtitutionem hæredis transferri dubiū non eſt, *l.* 1. *de bonorum poſſeſſ. tit. generali, l. cùm hæredes* 23. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Quare alienationem eſſe, ex Bartolo, Paulo, Fulgoſio, & alijs tenet Menchaca *controuer. lib.* 1. *§.* 10. 1. *partis n.* 90. Quia licèt hæc doctrina aliàs veriſsima ſit, in pubere tamen minore locum habere nequit, cāſu de quo loquimur: nam licèt is regulariter ſit alienationis expers, teſtamētum nihilominus condere poteſt, ſiquidē ratio, quæ ipſum ab alienatione ſummouet, non itaque à teſtamento repellit: non enim poteſt qui teſtatur, ab hærede, & legatarijs decipi, ſicut & qui cōtrahit, ab illis, cum quibus negotium gerit: cùm ea ſit teſtamenti natura, vt à ſolo teſtante, abſque hærede, & legatarijs poſsit perfici, vt in propoſito conſiderauit ex Baldo, Mēchaca *vbi proximè, verſ. Diſputationis gratia, circa finem.* Vnde cùm vnica ſit ratio prohibitionis reſpectu legati, & inſtitutionis hæredis, qui prohibetur legare, vel fideicommittere ante certam ętatem, prohibitus etiā teſtari cēſetur, ex ſingulari doctrina Gallin. *de verbor. ſign. lib.* 7. *c.* 7. *n.* 4.

16 Sed vt colophonem addamus, veramque huius quęſtionis reſolutionem, ſcilicet maſculum poſt decimumquartum annum, & fœminam poſt duodecimū teſtabiles eſſe, funditus ſcrutemur, inueſtigandum ſupereſt, quare autē citiùs fœminis, quàm viris teſtamenti confectio indulgeatur, cùm etiā maiori ætate ſint viris iudicio, & intellectu inferiores, ſemperque pupillis ſimiles? vnde ſub perpetua tutela antiquitus extitiſſe, ex Cicerone *pro Murena* apparet, & ex Vlpiano *in fragment. tit.* 11. probarique videtur *ex l.* 3. *C. de legit. tutel.* docet Pichard. *in d. §. præterea n.* 9. ideoque teſtandi incapaces fuiſſe, refert Viglius *in princ. inſtitut. quibus non eſt permiſſ. facer. teſtam. num.* 4 exceptis Veſtalibus quæ honeſtatis cauſa ſtatim ac in arcē Veſtæ ducebantur, à paterna poteſtate liberæ, ius teſtandi à certo ætatis anno cōſequebantur, quoniam ſexto anno minores, vel decennio maiores, in tantum faſtigium prouehere nefas putabatur, teſte Agellio *noct. Attic. lib.* 1. *cap.* 12. & Conano *comment. lib.* 9. *c.* 4. *n.* 10.

Verùm quidquid hæc ſuadeant, non ſine ratione hanc ętatis diſparitatem inter maſculos & fœminas fuiſſe receptam exiſtimo. 17
Nam poſtquàm certis de cauſis immutata ſeueritate iuris antiqui, etiam fœminis fuit teſtandi facultas conceſſa, oportuit, vt hac, etſi non eodem annorum numero, eadem ſaltim ætate cum viris, ideſt, ipſa pubertate permitteretur, quæ cùm citiùs fœminis quā maſculis adueniat, duodecimo ſcilicet anno, vtpote ſępiùs diximus, hinc eſt, hac & nō maiori quatuordecim annorum ætate, fœminis conceſſum teſtamentum condere.

Hæcque eſt legitima ætas, cuius apud noſtros meminit, *l.* 5. *Tauri* relata in *l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 5. *nouæ Recollectionis*, dum filiūfamilias, inquit, cùm ad legitimam ætatem peruenerit, poſſe teſtamentum ordinare, aliter ac de iure communi obſeruabatur, *l. qui in poteſtate, ff. de teſtam. l. tam is, §.* 1. *ff. de donation. cauſ. mortis, l.* 3. *§.* 1. *C. qui teſtam. facere poſſ. l. penult. eod. l. fin. §. filijs autem, C. de bonis quæ liber. §.* 1. *inſtit. quibus non eſt permiſſ. facere teſtam.* 18

Quę quidem legitima ætas licèt impleta deſideretur, vt probatur ex *dict. l. qua ætate in principio*, attamen non ita exacta & completa exigitur, vt quartumdecimum annum maſculum, & duodecimum fœminam exceſſiſſe oporteat: cùm Kalendis Ianuarijs natus, non ſolùm ipſo Kalendarum natali die decimiquarti anni, verùm & pridiè Kalendarum poſt ſextam noctis horam teſtamentum ritè, & ſecundùm leges ſtabilire poterit, *d. l. qua ætate, §. vltim.* vbi frequenter Scribentes.

Ex quibus edocemur, puberes ad teſtamenti factionem illos dici, qui vltimum tantùm pubertatis diem attigerint, qua ætate ſi quis teſtamentum condiderit, valide, & ſecundum leges conditum cenſebitur, adeò vt nec reſtitutionis in integrum beneficio, vtpote à minore factum ſubuerti minimè poſſit. Nam licèt poſsit ex ipſo teſtamento lædi, via tamen ordinaria, ideſt ſecundo alio teſtamento ſibi proſpicere debet, vt in propoſito docet Tiraquel. *in repetit. l. ſi vnquā, verbo Donatione largitus, nu.* 254. *cum ſeq.* Andr. Fachin. *conſil. lib.* 1. *conſ.* 25. *num.* 31. GilKen. *in l. ſi frater* 4. *num.* 13. *C. qui teſtamen. facere poſſ.* 19

SVMMARIVM.

Electio ſepulturæ, pars dicitur vltimæ voluntatis. 1.

Eadem ætas requiritur ad eligendam ſepulturam, quæ ad teſtamenti factionem eſt neceſſaria. ibid.

Filiusfamilias pubes habet ſepulturæ electionem. 2.

Filiusfamilias mortis cauſa donare poteſt, & quare? ibid.

Seruus legitimæ ætatis, eſt capax electionis ſepulturæ. 3.

Electio, & ſepultura ipſa, iuris naturalis cenſetur. ibid.

Seruus, quoad ſepulturam attinet, perſonam habere dicitur. 4.

L. Prætor ait 3. §. ſi ſervus fin. ff. de ſepulchro violato, intelligitur. ibid.

Monachus nequit, etiamſi longè à monaſterio decedat, ſepulturam ſibi eligere. 5.

Quæ nobis iure naturæ competunt, ex honeſta cauſa poſſunt renuntiari, ibid.

Impuberes in ſepulchro maiorum, vel in parochiali Eccleſia, aut vbi pater, vel dominus elegerint, ſunt ſepeliendi. 6.

QVÆSTIO XLVII.

Ad ſepulchri electionem?

1 ETenim cùm ſepulturæ electio pars ſit vltimæ voluntatis, vt non obſcurè comprobatur ex *cap. placuit* 7. 13. *quæſt*. 2. & fatetur Sebaſtian. Mediceus *tractatu de ſepulturis, quæſt*. 8. *n*. 2. hinc eſt, eiuſdem ætatis eſſe debere, qui ſibi monumentum deligit, ac ille qui teſtamentum ordinat, vnde cùm teſtamenti factio, non niſi puberi, & decimumquartum annum agenti iure ſit permiſſa, *l. qua ætate* 5. *ff. qui teſtam. facere poſſunt*, cum alijs, quas in vnum congeſsimus; vbi de hac ætate *hoc eodem anno* ſcripſimus; ita & ſepulturam eligere decimoquarto anno minori non conceditur, *capit. licet de ſepultur. lib*. 6. quo loco notant omnes, quibus accedunt Hoſtienſ. *in ſumma, titul. de ſepultur*. §. *& apud quam Eccleſiam, verſ. Si pubes num*. 5. Abbas *in capit. ex parte num*. 11. *de reſtitutione ſpoliator*. Gomeſius *in capit. ſi annum num*. 3. *de iudicijs lib*. 6. Sebaſt. Medic. *vbi proximè num*. 3. Lancellotus *inſtitution. Canonicar. lib*. 2. *titul. de ſepultur*. §. *de filiofamilias*, vbi *litera C*. Id etiam in fœmina pubere, ideſt duodecimò anno maiore, obſeruat. Ioan. Parladorius *tom*. 3. *quotidianar. differentia* 66. §. 1. *num*. 14. Anton. Cardoſ. *in praxi aduocatorum, verbo Sepultura, num*. 4. Federic. Scotus *tom*. 1. *conſil. lib*. 3. *conſ*. 20. *num*. 4. latè Genuenſis *in praxi Curiæ Archiepiſcop. Neapolitanæ, cap*. 61. *num*. 4. Qui omnes fatentur, puberes vtriuſque ſexus poſſe ſibi ſepulturam eligere, vt etiam inſinuare videtur Auguſtin. Barboſa *de officio & poteſtate Paroch. cap*. 26. *n*. 19. dum nonnullis adductis probat electionem ſepulturę omnibus adultis eſſe liberam.

Quod vtique etiam in his locum habet, qui paternæ ditioni, & poteſtati ſubiacent: nam licèt hi, quantumuis puberes ſint, & legitimam teſtandi ætatem obtineant, quia in ſacris paternis detinentur, condere teſtamentum non poſsint, *l. filiusfamilias* 16. *de teſtamentis*: tamen ſepulturam eligere rectè valent, non quidem eo ſolùm, vt vulgò circumfertur, & ſentit Lancellotus *dict. loco, litera G*. quia talis electio refertur ad id tempus, quo futuri ſunt liberi à patria poteſtate, argumento *capit. de vxore* 7. *in principio, de teſtamentis*, hac enim de cauſa & teſtamentum ordinare ipſis permittendum erat: ſed quia lex duodecim tabularum, quæ tantùm patribusfamilias legitimę ætatis teſtandi facultatem indulſit, in teſtamentis locuta eſt: circa ſepulturæ verò electionem, aut alias vltimas voluntates, quæ extra teſtamentum perfici poſſunt, nihil decreuit, vnde filiusfamilias, qui non poteſt facere teſtamentum, inquit Marcianus *in l. tam is* 25. *de donation. cauſa mortis*, nec voluntate patris: tamen mortis cauſa donare patre permittente poteſt, quamuis talis donatio vltima ſit voluntas, *l. Marcellus* 15. §. *fin. l. illud generaliter* 37. *in princip. ff. de mortis cauſa donat. l. fin C. eodem*. Circa cuius explicationem, ne longiùs diuaguemur, videndi ſunt Corraſius *in l. qui liberos à num*. 15. *ff. de ritu nuptiar*. Anton. Faber *errorum tom*. 2. *decade* 43. *error*. 7. *& decade* 45. *error* 5. Petr. Faber *lib*. 2. *ſemeſtr. capit*. 23. *fol. mihi* 306. ergo & ſepulturam eligere rectè poterit, quamuis hæc vltima ſit voluntas, quia non eſt teſtamentum. 2

3 Deinde ſuperius pronuntiatum ſimiliter in ſeruis puberibus procedere docet Ioannes Andreas *in dict. cap. de vxore*, quem ſequitur Sebaſtian. Medic. *tract. mors omnia ſolu't vbi ſup. n*. 9. expreſſè affirmans ſeruum puberem, ſibi poſſe ſepulturam eligere. Cuius ſententię etſi illa ratio reddi poſsit, quia talis electio in illud tempus dirigitur, quo neceſſariò à ſeruitutis vinculo erit ſolutus,

cùm mors, quæ omnia ſoluit, & ſeruitutem etiam perimat, teſte eodem Sebaſt. Mediceo *dicto tract. p. 2. con. 102. n. 286*. Alijs enim, & vrgentioribus rationibus hancopinionem aliquãdo publicè defenſitaui, videlicet, quia electio, vt actus voluntatis eſt, & naturalis, & perſonalis dicitur, ideoque & ſeruili perſone cohærens, *l. ſi ita ſtipulatus fuerim 76. l. ſi ſeruus, aut filius 141. de verborum obligat.* Necnon etiam, quia vt optimè excogitauit Petr. Faber *ſemeſtrium lib. 2. capit. 1. fol. mihi* 8. ſepultura iurisgentium, aut naturalis eſt: quapropter locum, in quo ſeruus ſepultus eſt, religioſum eſſe Ariſt. ait in *l. 2. in principio, ff de relig. & ſumptib funer.* ſed expreſſiùs hoc mihi probari videtur ex Vlpiano *in l. ſcriptus 4. ff. eodem*, ibi: *Naturaliter enim videtur ad mortuum pertinere locus, in quem infertur, præſertim ſi in eum locum inferatur, in quem ipſe deſtinauit.* Ergo ſi tam electio quàm ſepultura ipſa naturalis eſt, ſeruus pubes, qui quoad ius naturæ pertinet, nihil à libeꝛi hominis conditione diſtat, *l. quod attinet 32. de reg. iur. §. ius autẽ gentium*, vbi communiter Scribentes *inſtituta de iure naturali*, cur enim ſepulturæ electionem non habebit?

4 Et roboratur, ſiquidem nec ſolùm inſpecto iure naturæ, verùm & ciuili attento, ſeruus, quatenus ad ſepulchra pertinet, vt perſona, & quidem libera conſideratur, adeò vtique, vt quamuis regulariter nulla cum eo actio eſſe poſſit, *l. cum ſeruo 107. de regul. iuris*, videlicet quia quoad ea, quæ iuris ciuilis ſunt, ſeruus pro nihilo reputatur, *dict. l. quod attinet* 32. ſi tamen ſeruus in ſepulchro habitet, vel ædificet, noxalis actio ceſſat, & in eum Prætor ſepulchri violati actionem pollicetur, *l. prætor ait 3. §. ſi ſeruus fin.* alioqui dificillimus, *ff. de ſepulchro violato*, cuius nulla alia ratio inueniri poteſt, niſi quam nuper tradidimus, nempe, quòd vbi de ſepultura agitur, tam naturali quàm ciuili iure ſerui pro liberis habentur. Nam veluti mors ipſa omnes ad æqualitatem redigit, ita & ſepultura, quæ eius cauſa paratur, perſonarum diſtinctionem reſpuit.

5 Nec his refragatur quod de Monachis ſcriptum eſt *cap. religioſi 5. de ſepultur. lib. 6.* & refert Diana *reſolution. moral. part. 5. tractat. 3. reſolution.* 110. ſcilicet, Religioſos niſi à proprijs monaſterijs adeò forſitan ſint remoti, quòd adea, cùm moriuntur, commodè portari non poſsint, nequire (cùm velle vel non velle non habeant) ſibi eligere ſepulturam: quod igitur, ſi iuris naturalis eſt, vt proximè indicauimus, ipſis prohiberi non debuerat. Quia reſpondetur, hoc ideò in religioſis peculiari ratione ſtatutum eſſe, videlilicet, ea, quia velle vel nolle non habent, ex abſoluta eius reſignatione, quam cùm profiterentur, fecerunt, & in qua præcipua religionis perfectio, & merendi cauſa conſiſtit, *cap. non dicatis 11. 12. quæſt. 1.* Vnde cùm omnem penitus voluntatem à ſemetipſis abdicauerint, conſequens eſt, vt nec eligere poſsint, ſiquidem electio abſque voluntate perfici non poteſt, cùm actus ſit voluntatis. Quibus minimè obſiſtit, quòd voluntas vnicuique libera eſt à iure naturæ, veluti *ſuprà* probauimus. Quod autem naturale eſt, vt mutationem non recipit, *§. ſed naturalia, inſtitut. de iure naturali*, nec renuntiationem admittere poteſt. Nam verius eſt, ea omnia, quæ nobis à iure naturali permittuntur, reſignari, & renuntiari ex honeſta cauſa poſſe. Exemplo ſint defenſio, & iniuriæ propulſatio, quæ non minùs ab illo naturali fonte promanant, *l. vt vim 3. de inſtit. & iur.* Quibus tamen ob charitatem erga D̃num, vnicuique renuntiare non ſolùm liberum, verùm & ſanctiſsimum eſt, vtputa cùm quis ab infideli, ex eo ſolùm quòd fidelis eſt, offenditur, aut lethaliter vulneratur. Quo caſu licitum eſt ſeipſum non defendere, ſed illatam ab illo iniuriam, vel mortem libenter accipere, *c. non eſt noſtrum 23. quæſt. 5.* Ergo & ſimiliter monachis licebit religionis cauſa propriam voluntatem, eiuſque arbitrium, licèt naturale, deponere, ſuperiorum voluntati ſe ſubmittentes.

Ex quibus omnibus deducitur, non ſolùm ſui iuris homines, verùm & filiosfamilias, & ſeruos liberam ſepulturæ electionem habere, quod ita intelligendum eſt, ſi pubertatis legitimos annos attigerint: nam ſi impuberes extiterint, in ſepulchro maiorum, vel in parochiali Eccleſia ſepelientur, aut vbi pater, vel dominus elegerint, ſi loci conſuetudo id ferat *dict. cap. de vxore 7. § fin. de ſepult. dict. capit. licet 4. eodem tit. lib. 6.* quod proſequitur late Sebaſtian. Mediceus *dict. loco à num. 3.* Genuenſis *dict. cap. 61. num. 4.* Auguſt. Barboſa *dict. capit. 26. num. 2.* & nouiſsimè Antonin. Dian. *reſolution. moral. tract. 3. reſol. 107. & 108.* vbi more ſuo id doctè pertractat, & diuerſas huius rei ſententias congerit. 6

SVM-

SVMMARIVM.

AN qui executor teſtamento poteſt deſcribi, poſſit etiam ad illud faciendum commiſſarius deputari? 1. & 5.

Minor viginti & quinque annis, commiſſarius eſſe poteſt. 2.

Maior quatuordecim annis, cōmiſſarius eſt eligendus. 3.

Commiſſarius teſtamenti, procuratori negotiorum ſimilis exiſtit. 4.

Pupillus poteſt eſſe procurator ad negotia. ibidem.

Minori Commiſſario an competat reſtitutio aduerſus lapſum temporis commiſſioni à lege præſcriptum? 6.

QVÆSTIO XLVIII.

Commiſſarius ad teſtandum pro aliquo cuius ætatis nominari debeat?

1 VIdetur enim commiſſarium non niſi quinque & viginti annorum eſſe oportere, quoniam executor eiuſdem ætatis eſſe debet, vt infrà *anno* 25. pleniùs monſtrabitur: & is ſolus commiſſarius deputari poteſt, qui & executor valet nominari. Sic docent Ioannes Lupus *in l.* 31. *Tauri, num.* 36. Cifont. *num.* 3. Anton. Gomez *ibidem num.* 4. Tell. Fernandez *in fine*, quos ſequitur Ioann. Matiençus *in l.* 5. *gloſ.* 8. *num.* 5. *titul.* 4. *lib.* 5. *Recopilat.* dum reſoluunt, ideò fœminam commiſſariam ad faciendum teſtamentum diſcribi poſſe, quia executrix eſſe non prohibetur.

2 Contrarium tamen verius eſt, quapropter Anton. Gomez *in l.* 33. *Tauri num.* 4. & P. Gabriel Vazquez *in opuſculis, tractat. de teſtamen. cap.* 9. §. 2. *dubio* 2. *circa dict. l.* 33. *Tauri num.* 57. planè fatentur minorem viginti & quinque annis rectè commiſſarium eſſe poſſe, ſed à qua ætate? id non explicant.

3 Mihi verò à decimoquarto anno maſculis, & à duodecimo fœminis placet hoc eſſe permiſſum, vti & teſtamenti factionem quam ante hanc ætatem nullus obtinet, *l. qua ætate* 5. *ff. qui teſtament. facere poſſ.* cum ſimilibus *ſuprà* à nobis congeſtis, etiã vt alterius nomine teſtetur, cùm regulare ſit, illud poſſe me pro alio, & nomine ipſius, quod pro me, & nomine meo exequi poſſum, argumento tutoris, curatoris, & procuratoris ad iudicium, qui non anteà alterius res & negotia gerere poſſunt, quàm ſuis proprijs ſupereſſe queant, veluti ſuis locis affatim dicetur. Nam licèt cōmiſſarius iſte procurator negotiorum cenſeatur, vt poſt 4
alios animaduertit Ioann. Matienzus *dict. l.* 5. *gloſ.* 8. *num.* 2. cuius tale officium, & munus exiſtit, vt etiam à pupillo poſsit exerceri, *l. ſed & ſi quis* 7. §. *pupillus, cum l. ſequenti, de inſtitoria actione, l.* 1. §. 1. *in fine, de exercitoria actione, l. cum mandato* 24. *ff. de minoribus.* Ex quibus hanc ſententiam tenendam eſſe docet Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo Hunc contractum numer.* 40. *C. de in integr. reſtitut. minor.* Noſque eandem *alibi* probauimus. Tamen cùm procurator exiſtimetur ad teſtandi negotium, talis eſſe debebit, vt negotio ipſi congruat, & ſit ſufficiens. Vnde cùm teſtamentum puberem teſtatorem requirat, conſequenter etiam cōmiſſarium eiuſdem, & non minoris ætatis deſiderabit.

A qua ſententia non deterret quod pro 5
contraria initio expendimus, quoniam vt meritò obſeruat idem Matienzus *in l.* 7. *gloſ.* 2. *num.* 1. *d. tit.* 4. non modicum diſcrimen agnoſcitur inter commiſſarium ad conficiendum teſtamentum pro alio deputatum, & inter executorem teſtamentarium: quapropter cùm diuerſa ſint officia, non rectè de vno ad aliud infertur, *l. Papinianus* 20. *ff. de minoribus, l. fin. ff. de calumniatorib. l. neque natales, C. de probation.* cum ſimilibus, de quibus per Euerard. *in loco à ſeparatis & differentibus, pag. mihi* 151. & nouiſsimè per Auguſtin. Barboſa *in locis communibus loco* 37.

Vtrùm autem ſi minoris commiſſarij negligentia tempus, quod in *dict. l.* 33. *Tauri*, 6
ad diſponendum præſcribitur, fuerit elapſum, ipſi concedi debeat reſtitutio? optimè diſputat Anton. Gomez *vbi ſuprà*, & poſt eum Gabriel Vazquez *dict. loco* qui reſoluũt minimè fore reſtitutioni locum, quia in ſuũ commodum & vtilitatem ſolummodò, non verò in alienam minor reſtituitur: imputet enim ſibi hoc caſu, qui minus ſolicito, & induſtrioſo amico negotia ſua commiſit gerenda.

SVMMARIVM.

PVpillaris ſubſtitutio pubertate ſiue maſculi, ſiue fœminæ abſoluitur. 1.

Text. in l. qui habebat 47. *ff. de vulgar. nouè explicatur.* 2.

Fœminæ ſtatim ac ab ephebis excedebant, maritari conſueuerant. ibid.

Pupillaris ſubſtitutio eſt portio patriæ poteſtatis,

tis, quæ vltra pubertatem poſt mortem patris minimè protenditur. 3.

Pupillaris ſubſtitutio ideò fuit inducta, ne filius intempeſtiuè moriens ſine hærede decederet. 4.

Etiamſi vltra pubertatis annos ſubſtitutio pupillaris à parentibus extendatur, ipſo pubertatis euentu finitur, nec in vim fideicommiſſariæ vlterius valet 5. *& quæ ſit ratio?* 6.

Libertas, quæ vt directa valere non poteſt, vt fideicommiſſaria ſuſtinetur. 7.

Si initium pubertatis lege municipali, vel ſtatuto producatur in annum vigeſimum quintum, vtrùm in totum tempus liceat ſubſtitutionem pupillorum prorogare? 8. *&* 9.

Extante ſtatuto, quo ante decimumquartum annum doli capax pubes reputetur, pupillaris ſubſtitutio ſtatim euaneſcet. 10.

Facultas teſtandi à Principe pupillo conceſſa, facit deficere ſubſtitutionem.

Quartusdecimus annus inceptus ſufficit, vt ſubſtitutio pupillaris expiret. 11.

Excedere, aut egredi pubertatem in fauorabilibus is dicitur, qui prope extremum pubertatis exiſtit. ibid.

QVÆSTIO XLIX.

Quandiu, & ad quod vſque tempus ſubſtitui pupillariter poſsit.

1 CVm pupillaris ſubſtitutionis baſsis & fundamẽtum ipſo impubertatis ſtatus ſit, *l. moribus 2. in principio, l. 3. & fere per totum titulum de vulgari & pupill. princip. & §§. ſequentes, inſtit. de pupillari.* iſque duodecimo anno in fœminis, & decimoquarto in maſculis finiatur, *princip. inſtitut. quibus modis tutela finiatur, l. 3. C quando tutores eſſe deſinant,* iunctis illis *hoc ipſo anno* in eandem rem congeſtis, ijſdẽ etiam temporibus pupillarem ſubſtitutionẽ concludi & euaneſcere conſentaneum eſt, *l. verbis ciuilibus 7. l. in pupillari 14. §. maſculo, inſtitut. de pupillari,* quibus & ius noſtrum conſentit *in l. 5. & 10. tit. 5. p. 6.*

2 Vnde lucem accipit ea ſubſtitutionis pupillaris formula, cuius meminit Scęuola *in l. qui habebat 47. ff. de vulgari,* cùm filiæ ſi antequam nuberet deceſsiſſet, ſororem, itemq; & vxorem ſuam ſubſtituiſſe teſtatorem ſcribit. Nam cùm legitimum & naturale nubendi tempus pubertatis ſit, *princip. inſtitut. de nupt.* cùm vulgatibus alibi, *ſup. hoc anno* adductis, mulieresque frequenter ſtatim ac ab ephebis excedebant, matrimonio iungerentur ob vitandas pœnas illius legis quam recenſet vetus ille Scholiaſtes Horatij, & ex eo poſt Lypſius *lib. 3. annali. Taciti,* his verbis: *Lex marita dicitur, quæ de maritandis ordinibus lata erat, quæ & Iulia dicta eſt: Cæſar enim poſt bellum legem tulit, ne quis aut cœlebs eſſet, aut vidua nubilis, quo poſſet iactura iuuenum reparari, quæ bellis ciuilibus contigerat* idem eſſe videbatur, ſi ante quâm nuberet, diem ſuum obiret, filiæ ſubſtituere, ac ſi intra pupillares annos deceſsiſſet, cũ vtroque caſu vſque ad pubertatem ſolummodò ſubſtitutionem protendi certiſsimi iuris erat.

Et meritò quidem, tum, vt Hothomanus & Pichardus notant *in dict. §. maſculo,* quoniam hæc ſubſtitutio patriæ poteſtatis pars eſt, quæ poteſtas poſt patris mortẽ vltra pubertatis tempus non extenditur, *l. ex facto 43. §. 1. ff. de vulgari.* Tum etiam, quia moribus ideò pupillaris ſubſtitutio introducta fuit, vt filius, qui propter pupillaris ętatis vitium hæredem ſi fortè intra illam ætatẽ mori contingeret, ſibi ſcribere non poterat, abſque hærede ignominiosè non decederet, ſed quem pater ipſi ſubſtituiſſet, haberet quaſi à ſemetipſo inſtitutum, vnde pupillarem ſubſtitutionem pupilli teſtamẽtũ eſſe iure proclamant, *dict. l. 2. ff de vulgari, §. liberis autem 6 de pupillari,* quod cùm pubertate adueniente omnino ceſſet, ex quo ea ætate quilibet ſui iuris effectus condendi teſtamenti facultatem nanciſcitur, *l. qua ætate 5. de teſtamen.* ipſam quoque pupillarem ſubſtitutionem tunc ceſſare conſectarium erit. 3 4

Quod locum obtinet etiam vbi in longius tempus pupillarem ſubſtitutionem, ſiue teſtamẽtum filij pater produxerit, ſiquidem tunc decimoquarto anno, quo incipit pubertas, euaneſcet, adeò vt poſt id tempus, nec iure fidei commiſsi efficax ſit, *dict. l. verbis. d. §. maſculo,* cuius hæc ſeries: *Maſculo igitur vſque ad quatuordecim annos ſubſtitui poteſt, fœminæ vſque ad duodecim annos; & ſi hoc tempus exceſſerint, ſubſtitutio euaneſcit.* Non enim euaneſceret, finiretur, fruſtravè fieret, ſi lapſo eo tempore veluti fideicommiſſum ſtaret adhuc. 5

Et habet rationem, nam ſi pupillorum fauore, qui ſibi hęredem ſcribere nequeunt, vt expendimus, ſubſtituẽdi hæc poteſtas defenditur, in damnũ eorũ retorqueretur, permittendo parentibus pro filijs teſtari eo tempore, quo rectè ipſi id facere poſſunt. Deinde, 6

quia

quia et philoſophorum & noſtrorũ commune placitum extat, duo contraria in vno, codemque ſubiecto dari non poſſunt, *l. 1. C. de furtis*; ergo nec in vna ſubſtitutione ius directum & obliquum, qui ſunt diuerſi & contrarij ad hæreditatem tramites, *l. fin. C. de codicillis*: quidquid aliter voluerint relati à Oſualdo *lib. 6. Donelli c. 28. liter. G.* Quod ita accipiendum eſt, niſi ex alijs verbis vel coniecturis appareat teſtatorem voluiſſe ex cauſa fideicommiſsi poſt pubertatem valere, veluti docet Fran. Duaren. *ad titulum de vulgari c. 10. & c. 23.*

7 Hiſque nequaquam reſiſtunt libertatis exempla à Iuliano Vlpianoque mutuata ex *l. ſi ei qui 2. §. Codicillorum, ff. de iure codicill. l. cogi 16. §. ſed ſi ſeruo, ff ad Trebellian. l. generaliter 24. §. ſi quis ſeruo de fideicommiſſ. libertat.* cum ſimilibus, vbi libertas, quæ directò valere non poterat, obliquatur, & ex fideicommiſſo deberi ſcribitur. Quia preterquàm quòd in libertatibus diuerſa ratio militat, cùm multa contra iuris rigorem pro libertate ſint conſtituta, vt fatetur Conſultus *in dict. l. generaliter*, his omnibus acutè ſatisfacit Ioann. Marcus Aquilin. *in l. Centurio 4. part. à num. 41. cum ſequentibus*, vbi etiam reſpondit vulgari obiectioni, *l. Sceuola, ad Trebell.* de cuius interpretatione item videndi ſunt Forcatul. *in Necyomantia dialog. 25. num. 6.* Anton. Faber *coniectur. lib. 15. cap. 12.* Oſuald. *lib. 7. Donelli cap. 17. liter. E.*

8 Illud autem, quod Bartol. quærit *in l. moribus* ſuperioribus conſequentiſsimum eſt, vtrùm ſcilicet, ſi produceretur tẽpus pubertatis à lege municipali vſque ad vigeſimumquintum annum liceret, etiam in id tempus pupillariter ſuſtituere? Et poſſe fieri negat Bartol. eo vtique, quia minor quatuordecim annorum generare non poteſt, minor viginti & quinque ſuprà quatuordecim poteſt.

9 Sed profectò hæc ratio Bartoli tanto viro indigna videtur, nam cauſa pupillaris ſubſtitutionis non pendet à ratione generationis, vt optimè expendit Æmilius Ferretus *in d. l. moribus n. 3.* ſed ex eo quòd impuberes teſtari non poſſunt, veluti diximus. Nec enim conſequens eſt eos nõ generare, qui teſtari non poſſunt, cùm mentecaptus pubes liberos poſsit procreare, & tamen teſtamenti factionem non habet, *l. in aduerſa 17. ff. qui teſtam. facere poſſ.* Ergo non obſtante ratione Bartoli tenendum erit, extante prædicto ſtatuto pupillarem, ſiue directam ſubſtitutionem vſque ad vigeſsimumquintum ætatis annum produci poſſe: nam licèt naturaliter qui decimumquartum annũ exceſsit, pupillus non ſit, ideoque & teſtari poſsit: Attenta tamen legis diſpoſitione, cui in teſtamentis & reliquis actibus ciuilibus præcipuè ſtandum eſt toto illo tempore, quo pubertas differtur, decimoquarto anno maior pupillus reputabitur, adeo quidem, vt quaſi non pubes à factione teſtamenti repellatur, ac per conſequens, vt ipſi pupillariter poſsit ſubſtitui, licèt hanc ſubſtitutionem pupillarem, immeritò neget Æmilius Ferretus *præcitato loco*.

E contrario verò, ſi lege municipali, aut 10
Principis reſcripto, minori quatuordecim annorũ, cui dolus ineſſet, vti puberi teſtandi facultas permitteretur, dubium non eſt ſubſtitutionem pupillarẽ huic factam ſtatim euaneſcere, nec ad decimũquartum annũ extendi, etiamſi pater ad huiuſmodi vſque ætatem ſubſtituere expreſſe cauiſſet: quia pater eò vſque filio pupillariter ſubſtituere, ac teſtamẽtũ ordinare poteſt, quo ipſe filius teſtari prohibetur, vt ex dictis conſtat, & manifeſte probatur ex his quæ adducit Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c. 20. ex n. 85.* vbi oſtẽdat factã à filio impuberi ſubſtitutione pupillari, valere facultatem teſtandi ei à Principe conceſſam in præiudicium ſubſtituti.

Extra quos igitur caſus, regulariter, vt 11
initio conſtituimus, pupillaris ſubſtitutio pubertate finitur, hoc eſt ſimul ac vltimus decimiquarti anni dies ingruit, quia hac ætate incipit ius teſtandi, *dict. l. qua ætate.* Nec obſtat *d. §. maſculo*, quo ſignificari videtur non finiri ſtatim pupillarem, vbi poſtremus dies decimiquarti anni tractus eſt, ſed integrum diem labi oportere, vt verbum *Exceſſerit* indicat, quo ibidem vtitur Iuſtinian. ſiquidem ad effectum teſtandi, & ſimiliter, vt deficiat pupillaris ſubſtitutio, veluti in fauorabilibus, tunc egredi, aut excedi pubertas dicitur, cùm ita eius fini aliquis à proximat; vt in vltima ipſius die ſit conſtitutus. Hinc eſt, vt pubertatis ætas, quæ ad teſtandum completam ſolummodò deſideratur in *dict. l. qua ætate 7.* egreſſa expoſtuletur *in l. ſi frater 4. C. qui teſtamen. facer. poſſ.* & quem poſt pubertatem eſſe debere pronunciauit Imperator *in l. pretibus 8. C. de impuber. & alijs ſubſtit.* vt pupillarem ſubſtitutionem euerteret, factum puberem, ideſt ingreſſum quartumdecimum annum, veluti ex alibi ſcriptis licet interpretari, ſufficere prædixit Conſultus *in l. quod fideicommiſſum 93. ff. de legat. 1.*

SVMMARIVM.

PVpillus etiam cum tutoris autoritate, nec mortis cauſa donare poteſt. 1.
Pupillus & piæ cauſæ, & venientibus ab inteſtato, rectè mortis cauſa donat. ibidem.
Pubes curatore carens, & mobilia, & quæ ſeruando ſeruari nequeunt, cauſa mortis donare valet. 2.
Minor curatorem habens, vtrùm poſſit abſque eo, vel ſaltim iuramento mortis cauſa donare? 3. & ſeqq.
Prohibitus donare inter viuos, prohibetur etiã id cauſa mortis facere. 4.
Vſurarius manifeſtus, & filiusfamilias, qui teſtari nequeunt, mortis cauſa nihilominus donare poſſunt. 5. & 14.
Pubes ad teſtandum non indiget curatoris autoritate. 7.
Mortis cauſa donationes inſtar legatorum ſunt. 8.
Autoritas curatoris non ſpectat ad donationes. 9. & quomodò hoc accipiatur? 18.
Minus læditur minor ex donatione cauſa mortis, quàm ex teſtamento. 10. & 19.
Fabri diſtinctio quoad propoſitam quæſtionem admittitur. 11.
Opiniones Cuiacij, Donelli, & Antonij Fabri, an poſſint tuta conſcientia in iudicando & conſulendo admitti? 12.
Text. in l. filius 7. verſic. Pari autem ratione, ff. de donat. verè explicatur. 13.
Filiusfamilias nuda ſtipulatione, non verò traditione mortis cauſa donare poteſt. 14.
Text. in l. non ſolum. 4. C. de prædijs minorum, exponitur. 16.
Illum poſſe mortis cauſa donare, qui & teſtari poteſt, quomodò accipiatur? 17.

QVÆSTIO L.

Ad donandum cauſa mortis?

PVpillis etiam cum tutoris autoritate mortis quidem cauſa donationes permiſſas non eſſe, vt conſtantiſſimum definit Vlpianus *in l. 1. §. 1. ff. de tutel.* & *rationibus diſtrahendis*, idque confirmat Petr. Nicolaus Mocius *in amphitheatro contract. tractatu de donation. cap. de perſonis, inter quas cadere poſſit donatio, vel non? num.* 4. & acutiſſimus D. Didac. de Narbona, Anton. Faber *errorum tom. 2. decade* 43. *errore* 4. vbi illam rationem aſſignat, quia pupillus teſtamentum facere non poteſt, nec conſentiente tutore: alius autem donare mortis cauſa non poteſt, quàm qui & teſtari poteſt: quod aſſertum reſtringit Cardinàl. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris litera D. concluſ.* 682. *num.* 10. in pupillo, qui ad pias cauſas mortis cauſa donat, id probans autoritate Romani *conſil.* 199. *num.* 11. vbi apertè fatetur, & *num.* 9. aliam prædictæ regulæ limitationem ſubijcit, ſcilicet, vt non procedat quoties pupillus mortis cauſa venientibus ab inteſtato donat: cui etiam ſubſcribit ipſe Tuſchus *vbi ſuprà n.* 9. Extra quos caſus indubitatũ eſt, pupillos, etiam amentibus tutoribus donare neque mortis cauſa poſſe: idcircò de puberibus tantùm diſcutiendum nobis erit, an eis liceat huiuſmodi cauſa mortis liberalitates exercere? Et quidem circa puberes, qui curatores non habent, aut qui venia ætatis rerum ſuarum adminiſtrationem nanciſcuntur, dubium non eſt eos liberè poſſe, ſaltim bona mobilia, & quæ ſeruando ſeruari commodè non valent, titulo donationis mortis cauſa in quoſcumque transferre, vt ſenſit Ludouic. Molina *tom. 2. de iuſtit. & iure tract. 2. diſput.* 288. *num.* 27. & Anton. Faber *errorum tom. 2. decade 46. error. 9.* Difficultas verò quoad perſonas eorum verſatur, quæ licèt annum quattuordecimum exceſſerint, ſi maſculi ſint, duodecimũ verò ſi fœminæ, ſicque & in pubertate conſiſtant: ex quo tamen curatoribus adeò ſubijciuntur, vt illis incõſultis, nec vllam rem diſtrahere poſſint, anceps redditur, vtrùm ſine eorum aſſenſu mortis ſuſpicione, aut cauſa donare queant? In qua quæſtione varij varia dixere: quidam ergo, vt ſunt Bald. *in cap. 1. §. item Sacramenta num. 16. de pace iuramento firmanda*, Alex. *in l. 2. num. 15. de legat. 1.* & *ibidem* Ripa *num.* 10. Aretin. *in l. ſi curatorem habens num. 3. C. de in integrum reſtitut. minor.* Riminald. *in princip. inſtitut. de donation. num.* 60. Roder. Suarez *allegat.* 20. Guilielm. Benedict. *in repetit. cap. Rainuntius verbo teſtamentum in 4. num. 35. de teſtament.* & alij quamplures, quos refert & ſequitur Caldas Pereira *in d. l. ſi curatorem, verbo hunc contractum num.* 22. Ioan. Aquilinus *in l. 2. num. 39. de verb. oblig.* Ludouic. Molina *vbi proximè*: quibus accedit Ioannes Gutierrez *de tutelis 2. part. cap. 14. num. 18. & de iuram. confirmat. 1. p. cap. 13. num. 6.* enixè contendunt eos citra curatorum interuentionem, etiam mortis cauſa donare non poſſe, neque iuramẽto accedẽte, ſecũdum Gutier. *de iuram. d. c. 13. n.* 10. Palador,

dor. 2. *part. lib. 2. rerum quotidianarum cap. 4. num.* 40. & Perez de Lara, qui tantum pupillis maioribus concedit cum iuramento mortis cauſa donare, *in compend. cap. 27. n.* 27. idem docet P. Thomas Sanchez *lib. 1. conſil. c. 6. dubio 4. num. 2. in fine.*

4 Quorum ſententia aliquibus nititur fundamentis. Primò, quia nulla iuris parte cauetur, adultum poſſe ſine curatoris ſui autoritate ita donare. Secundò, quia prohibitus donare inter viuos prohibetur etiam velut in conſequens donare cauſa mortis. *l. filius* 7. ibi: *Pari autem ratione qua donare filiusfamilias prohibetur, etiam mortis cauſa donare prohibetur, ff. de donation.* Sed puberibus interdicta eſt omnis donatio inter viuos, vt alibi dicemus: ergo & donatio cauſa mortis.

5 Tertiò, iſtorum opinio iuuatur ex eo, quòd vſurarius manifeſtus, cui lege Pontificia teſtamenti factio inhibetur, *cap. quamquam, §. fin. de vſuris lib. 6.* vbi notant omnes, ob id tantum mortis cauſa donare poteſt, vt ſentit Menchaca *quæſtion. forenſ. cap. 60. num. 1. & 2.* Couarru. *rubric. de teſtament. part. 3. num. 11.* Riminald. *dict. princip. de donation. num. 615.* & Pereira *vbi ſuprà num. 22.* quia ſcilicet contrahere non eſt prohibitus, quod etiam in filio familias procedere expendit Pereira *num. 23.* ergo cùm adultus curatorem habens ſit contrahere prohibitus ſine curatoris ſui autoritate, *dict. l. ſi curatorem, C. de in integrum reſtit.* inde eſt, nec mortis cauſa donare poſſe.

Et ſuaderi poteſt quartò, Imperatorum Valeriani & Galieni reſcripto *in l. non ſolum* 4. *C. de prædijs minor.* vbi poſtquàm adoleſcentibus, ſimul & ipſorum curatoribus, cuiuſcumque prædij ruſtici, vel ſuburbani alienatio, ſine tranſactione, permutatione, & multò magis donatione prohibetur, illud ſubnectitur: *Vel alio quocumodo ea transferre ſine decreto à dominio ſuo poſſunt*, quibus generalibus prohibitionis verbis mortis cauſa donationem fuiſſe comprehenſam, ex Gloſſa refert Nicol. Gratia. *in dict. l. 2. num. 109. de legat. 1.* quod cùm ita ſit, conſectarium euadit puberibus, quamuis curatorum ſuorum autoritate munitis, ſimiles mortis cauſa donationes abſolutè eſſe interdictas.

6 Quibus non obſtantibus, oppoſitam ſententiam frequentiori calculo approbatam inuenio, quam mordicus defendunt Corraſius *in l. qui liberos 2. part. num. 33. ff. de ritu nuptiar.* Tiraquel. *in l. ſi vnquam verbo donatione num. 204. C. de reuocand. donation.* Menchac. *controuerſ. vſufrequent. lib. 1. cap. 11. num. 3.* Nicolaus Gratian. *in l. 2. numero 105. de legat. 1.* Petr. Nicolaus Mocius *dict. cap. num. 4.* Octauius Simoncellus *tractat. de decretis lib. 1. tit. 1. num. 16.* Andr. Fachin. *controuerſiar. lib. 5. cap. 65.*

Argumenta, quibus hæc opinio defendi poſſe videatur, ex ſequentibus cauſis & legibus depromi poſſunt. Primò, quòd pubes citra curatoris ſui conſenſum teſtamentum condere poteſt, vt innuit Iuriſconſult. *in l. Aurelius, §. Caius, & §. Titius teſtamento, de liberatione legata, l. cùm pater, §. curatoris ff. de legat. 2. l. 1. §. ſi quis autem, ff. de ſecund. tabul.* & Imperator *in §. præterea*, vbi notant omnes *inſtitut. quibus non eſt permiſſum facer. teſtament.* & nos *hoc eodem anno* latius admonuimus: ergo & poterit mortis cauſa donare: eodem modo conſequentia vires aſſumit ex *deciſ. l. cùm hic ſtatus, §. ſimiles, ff. de donation. inter*, ibi: *Nam & mortis cauſa donare poterit cui teſtari permiſſum eſt*, & confirmatur ex *l. Marcellus, ff. eodem*, & *ex l. filiusfamilias in fin ff. de donationib. l. diſertis, C. qui teſtam. facere poſſ.* 7

Vrgetque pro hoc argumento receptiſſima omnium ſententia, qua cauetur mortis cauſa donationes inſtar legatorum & vltimæ voluntatis haberi; *l. 2. ff. de public. in rem action. l. 1. §. 1. ff. ſi quid in fraud. patron. l. Marcellus* 15. *l. etſi debitor* 17. *l. illud* 37. *ff. de mortis cauſa donat. l. vltim. C. eodem princip. inſtitut. de donat.* vnde etiam ratione æqualitatis conſtat illos rectè donare mortis cauſa debere, qui teſtamenti factionem obtineur. 8

Secundò pugnat pro hac ſententia, quòd autoritas curatoris non ſpectat ad donationes, vt indicat Conſultus *in l. curator* 17. *ff. de curatore furioſo & prod. dando*, ſcribit Alexander *in l. 1. in princip. num. 15. ff. de verborum obligation.* ergo ad mortis cauſa donandum ſola puberis perſona, non verò ipſius curatoris deſiderabitur, ſiquidem quoad donationem paria ſunt habere curatorem, vel non habere, vt ſentit Paul. *in dict. l. 1. num. 2.* quocirca reſoluit Aretin. *in dict. l. curatorem colum. 2.* Corneus *conſil. 96. ad finem lib. 2.* omnem omninò donationem ab adoleſcente factam ſine curatore tenere. 9

Tertiò confirmat quæ dicta ſunt ſequens conſideratio, nam ſi propter aliquam rationem adultus, qui teſtari non eſt prohibitus, ab huiuſmodi donationibus reuocaretur, maximè propter periculum læſionis: ſed minus læditur minor donando mortis cauſa, quàm teſtamentum ordinando, ſiquidem donationem ſola pœnitentia diſſoluit, 10

l. non

l. non omnis in princip. ff. ſi certum petatur, dict. l. Seia, ff. de donat. cauſa mortis, vnde reſtitutionis beneficium minori hoc caſu neceſſarium non eſſe reſoluit Sforc. Oddus *de reſtitution. part. 2. quæſt. 58. art. 7. num. 38.* teſtamentum non ſic, quia aliud æquè perfectum requirit, *§. ex eo autem, inſtitut. quibus modis teſtament. infirment*, ergo multò magis mortis cauſa donare, quàm teſtari poterit.

11 Verùm nec huius, nec alterius opinionis fundamentis adduci potuit Anton. Faber, vt vni earum ſubſcriberet, ſed in nouam ſententiam proſiliens *tom. 2. error. decade 46. errore 9.* diſtinguendum eſſe affirmat de qua donatione cauſa mortis loquatur, an de ea, quæ per traditionem fit, an de ea, quæ per ſtipulationem? Nam ſi de ea, quæ ſtipulatione perficitur, valere aſſerit, quamuis nulla intercedente curatoris autoritate fiat, non quidem ea ratione, qua vulgò mouentur Interpretes ſcilicet, quia is donare cauſa mortis poteſt, qui teſtari non eſt prohibitus: ſed quia ſtipulatio hæc dicenda eſt, quæ animum cauſa mortis donandi pro cauſa habeat potiùs quàm mortis cauſa donatio, argumento *l. cùm enim 7. iuncto §. l. præcedentis ff. de nouationibus*; etenim certiſſimi iuris eſt puberes, quamuis curatores habentes, ſine curatoribus ſuis obligari, vt alibi diximus, & probatur *ex l. puberes* 101. *de verborum obligation.* maximè ſi obligationis effectus illud tempus reſpiciat, quo ipſi in rebus humanis non erunt, vt euenit in ſtipulatione, quæ interpoſita ſit iure donationis cauſa mortis, *l. mortis cauſa donatio. 34. de donat. cauſa mortis*, ſiquidem obligatio perſonæ adoleſcentis, quid longè diſtinctum eſt ab adminiſtratione facultatum ipſius, quæ tantummodò curatori demandata eſt. Non enim ius aliquod circa perſonam adulti curator habet, ſed tantùm circa bona & res illius: in quo differt à tutore, qui non tam bonis, quàm perſonæ pupilli principaliter datur, *l. quia perſonæ 24. ff. de teſtament. tutel. l. cùm in vna 17. §. 1. de appellat.* At verò ſi de ea mortis cauſa donatione agatur, quæ ſola traditione conficitur, non valere ſine curatoris autoritate exiſtimat. Mouetur ex eo, quòd traditio bonorum adulti pertinet ad adminiſtrationem, ſiue ita fiat, vt ſtatim dominium ex ea transferatur (quo caſu minor difficultas eſt, nam cùm dominij translatio propriè ſit alienatio, *l. 1. C. de fundo dotali*, non ſolùm adminiſtratio, ſed plus quàm adminiſtratio eſt, *l. ab agnato 12. ff. de curatore furioſ. iuncta l. Lucius 46. §. vltim. de pericul. & adminiſtratione tutor.*) ſiue ita vt translatio dominij in tempus mortis reſeruetur, ſiquidem traditio nulla fieri poteſt abſque alienatione ſaltim poſſeſſionis corporalis, quæ cùm in bonis ſit, non poteſt extra adminiſtrationem bonorum alienari. Qua diſtinctione in concordiam redigendas eſſe arbitratur oppoſitas Interpretum ſententias, quarum *ſuprà* meminimus, ita vt in ea donatione cauſa mortis, quæ traditione fit, eorum ſententia procedat, qui putant ſine curatoris autoritate inutilem eſſe factam ab adulto huiuſmodi donationem, & de ea, quæ nuda ſtipulatione fit, accipiendi ſint qui communem ſequentes aſſerunt abſque curatore validam eſſe celebratam ab adulto mortis cauſa donationem, cuius exiſtimationem veriſſimam probo, neque in iudicando & conſulendo ab ea eſſe diſcedendum puto, quamuis ſatis controuerſum eſſe apud aliquos ſciam, vtrùm iudex, ſeu aduocatus poſſit ſequi tutò ſententias Antonij Fabri, Donelli, Cuiacij, & ſimilium iuris Conſultorum, vt videre eſt apud Sancium *in practicis diſputationibus diſputat.* 44. *num.* 63. & nouiſſimè apud Antoninum Dianam *reſolution. moral. tom. 2. tractat. de opinione probabili reſolutione* 5. ſiquidem, vt vterque optimè reſoluit, horum opiniones magis quàm aliorum Scribentium, qui minùs attentè & ſpeculatiuè veritatem intuentur, recipi poſſunt & debent. 12

Cui certiſſimæ Antonij Fabri opinioni minimè aduerſantur argumenta pro prima & ſecunda ſententia ſuperiùs expenſa. Non vtique quæ pro priori adducuntur, nam ad primum, expreta ſolutione Fachinæi *dict. c.* 41. reſponderi commodè poteſt ſatis in iure expreſſum videri adultum per ſtipulationem, nulla interueniente traditione, mortis cauſa donare ſine curatore poſſe, ex quo legibus cautum reperitur, cum ex ſtipulatione, aut alio contractu, ex quo alienatio non ſequatur, obligari, licèt curatoris aſſenſus non accedat, veluti cùm de requiſita ætate ad ciuilem obligationem *hoc eodem anno* diſcepranimus, ſufficienter adſtruximus.

Quod ſecundo loco ex *dict. l. filiusfamilias 7. verſ. Pari* adfertur, facilè refelli poterit, ſi ipſum contextum intueamur, quò nihil de eo cōtinetur, quod in argumēto proponitur, ſed tantū aſſeritur, quòd pari ratione qua donare inter viuos filiusfamilias prohibetur, etiam mortis cauſa donare prohibetur, quod in bonis profectitij peculij, de quibus tantùm eo loco Vlpianus loquitur, vt rectè interpretatur Anton. Faber *d. tom. 2. decad. 43. errore 4. & 7.* veriſſimum eſſe fateor: nā cùm ſint patris, nō magis inter viuos, quàm mortis cauſa donati poſſunt à filio ſine patris ſui volūtate, 13

cùm vtroque caſu ipſi, vel inuito, vel ignorãti auferantur, quod vt rationi contrarium ll. non admittunt, nec enim ex hoc inferri poteſt, illum dumtaxat mortis cauſa donare, qui inter viuos donat.

14 Tertij argumenti diſſolutio petenda erit ab illius celebris quęſtionis reſolutione, vtrũ ſcilicet vſurarius manifeſtus, quem non poſſe teſtari palam eſt, niſi præſtita priùs cautione de reſtituendis vſuris ex deciſione *dict. cap. quamquam, §. vlt.* poſſit tamen mortis cauſa donare? In qua cõtrouerſia licèt plurimi ſenſenſerint ei liberum eſſe eiuſmodi donationes efficere, quaſi cõtractus magis, quàm vltimæ voluntatis naturam ſortiatur, quos refert Andr. Fachineus *d. lib. 5. controu. c. 62.* ex quibus & illi ſunt in argumento adducti, nihilominus receptior, & quæ magis iuri & Summi Pontificis menti conſentanea ſentẽtia videtur, ea eſt, quę negat mortis cauſa donationem vſurario ante pręſtitam cautionem eſſe licitam, quam validiſſimis rationibus fulcit Nicol. Gratian. *in d. l. 2. n. 97. de leg. 1.* idem Fachineus *vbi ſuprà*, cuius etiam opinionis exiſtit Anton. Faber *d. decade 46. errore 8.* vbi meritò ab huiuſmodi prohibitione illam donationem cauſa mortis excipit, quæ ſtipulatione vel traditione ita fit, vt ſtatim ex ea dominium in accipientem trãsferatur, quia ſcilicet hæc potiùs inter viuos, quàm mortis cauſa donatio eſt, vt *ibidem* oſtendit, & nos *proximè* dicemus: qua reſolutione admiſſa, nihil refragari videtur prædictum argumentum.

15 Nec magis vrget quod de filiofamilias *ibidem* adducitur. Nam omiſſa Antonij Fabri interpretatione, quam *d. decade 43. errore 4. & 5.* expreſſit, velut ipſius ſupra ſcriptæ ſententiæ aduerſa dicendum eſt, filium familias, quia contrahere non eſt prohibitus, *l. filius familias 39. cum vulgaribus, de actionibus & obligat.* eas dumtaxat donationes mortis cauſa facere poſſe, quę ſtipulatione, aut ea traditione, ex qua ſtatim dominium transfertur, perficiuntur, quia hæc potiùs contractibus quàm vltimæ voluntati adſcribuntur, vt ſubtiliter nimis probat idem Anton. Faber *d. decade 46. errore 8.* in quibus tunc demum cõſenſus patris neceſſarius erit, cùm de bonis profectitijs fiũt, ne ſcilicet dominium harum rerum, quod ad patrẽ reuera pertinet, ab eo ignorãte vel inuito decedat, quemadmodum intelligendum eſſe Conſultum *in l. tam is 25. §. 1. de mortis cauſa donat.* & *in l. filius familias 7. §. pari autem, ff. de donation.* admonet Anton. Faber *d. decade 43. errore 7.* At verò illas mortis cauſa donationes, quas traditione ita fieri poſſe ſcribit Vlpianus *in l. 3. de mortis cauſa donat.* vt rei donatæ dominium non illico transferatur, ſed ſubſecuta morte donantis à filijs familias, quibus nec ſolùm teſtamenti factio inhibetur, *dict. l. tam is 25. §. filiusfamilias*, ſed alia quælibet vltimæ voluntatis ſpecies, veluti ex traditis à Fabro *d. errore 4.* euincitur, confici neutiquam poſſunt: ſiquidem inſtar legatorum, & vltimæ voluntatis capiuntur, quod tantum abeſt vt noſtræ reſolutioni obſiſtat, quòd imò expreſſe ei conuenit, cùm puberibus ſine curatoribus ſuis non ſint interdicti abſolutè contractus, vt falsò in argumento dicitur: ſed ij tãtum qui coniunctam alienationem habent, veluti *hoc eodem anno* oſtendimus, vnde ipſis illas mortis cauſa donationes concedimus, quæ ſtipulatione fiunt, illas verò minimè quę traditione, & dominij translatione exercentur, quia eorum contractuum naturam conſequuntur, qui alienationem inducunt, quæ cùm prorſus puberibus non interuenientibus curatoribus interdicatur, inde eſt illis concedi non poſſe.

Iuxta quam diſtinctionem interpretãdum erit Imperatorum reſcriptũ *in dict. l. non ſolũ* quarto loco pro eadẽ ſentẽtia adductum. 16
Nam etſi fateamur illis generalibus verbis mortis donationes eſſe incluſas, quod vix eſt vt credam, attamen eas dumtaxat eſſe affirmare oportet, quæ alienationis ſpeciem obtinent, vtputa traditione factas, nam cùm ibi ſolummodò agatur de prohibenda omnimoda alienatione, cuiuſcumque prædij ruſtici, vel ſuburbani, conſequens eſt, nõ quamcumque mortis cauſa donationem clauſula ea generali fuiſſe comprehenſam, ſed illam dumtaxat, quæ ſola alienatio eſt.

Non enim maioris ſunt roboris quotquot 17
rationes pro ſecunda ſententia pugnare videntur. Nõ prima ex illa vulgari regula deſumpta, qua cauetur illum donare poſſe, qui & teſtari poteſt, nam hæc ſolùm in illis donationibus procedit, quæ legatis & vltimis diſpoſitionibus æquiparantur: non verò in illis, quas contractus eſſe docuimus, quemadmodum & ſubaudiendæ ſunt ll. in argumenti confirmationem adductæ, quamuis etſi de quacumque donatione eſſet accipienda, in eorum tantùm perſonis locum haberet, vt optimè excogitauit Nicol. Gratian. *vbi ſuprà num. 101.* & Pereira *in dict. l. ſi curatorem, verbo hunc contractum, num. 23. verſic. Nec obſtat etiam text.* quæ non ſolum teſtandi, ſed & contrahendi ius haberent, vtputa in pubere, licèt curatorem habente, qui ſine ipſius autoritate & teſtari, & contractus inire licitè valet, extra eum tantum caſum, ex quo alienatio ſubſequitur,

quo

quocirca ei omnes mortis cauſa donationes permittimus, his ſolummodò exceptis, quæ traditione, & ſimultanea dominij translatione fiunt, quia hæ magis inter viuos alienationes, quàm mortis cauſa donationes ſunt.

18 Quæ ſecundò de autoritate curatoris non pertinẽte ad donationes aſſeruntur, colorem quidem negotio illinire videntur: ſed tamen ſi conferantur cum deciſione *dict. l. finalis de curatore furioſo*, nihil impetrabunt, cùm illius tantùm ſententia ſit, curatorem furioſi tradẽdo, ita res furioſi alienare, ſi ad adminiſtrationem negotiorum pertineat: & ideò infert ſi donandi cauſa alienet, neque traditio quidquam valebit, niſi ex magna vtilitate furioſi hoc cognitione iudicis faciat: vnde potiùs deducendum videbatur curatoris autoritatem etiam ad donationes ſpectare, cùm vbi in vtilitatem furioſi fiunt, Conſultus aſſerat à curatoribus iudicis aſſenſu confectas valere.

19 Tertia difficultas ſummouebitur negando minùs lædi puberes donando cauſa mortis quàm teſtando: nam licèt inſpecta facilitate reuocandi minùs lædi videantur, hoc verum eſt in donationibus, quæ præter obligationẽ nihil habent incommodi, vt quæ ſtipulatione efficiuntur, quas rectè puberes ſine curatoribus facere poſſe non ambigimus: ſed in illis, quæ alienationis detrimentum continent, quas meritò puberibus abſque curatoribus denegamus, certum eſſe non poteſt, ita donãdo minùs lædi puberes, quàm teſtamentum ordinando, ſiquidem ex teſtamento nihil alienant, ex contractu verò donationis traditione facto alienatio ſequitur, quæ neutiquam à non adminiſtrante bona ſua ſine curatore, vt diximus, fieri poteſt.

SVMMARIVM.

Conditio ſi ſine liberis, vel illa, ſi decedat antequàm ad probatum vitę genus venerit, *non poteſt cedere, aut deficere in pupillari ætate.* 1.

Hæc conditio reſpectu pupillaris ætatis eſt impoſſibilis. 2.

Priuatio præſupponit habitum. 3.

Ea eſt vera conditio, quæ habet ſe ad eſſe, & non eſſe. 4.

Inteſtatus ille propriè dicitur, qui cùm legitimæ ætatis eſſet ad teſtandum, nullum teſtamentum fecit. 5.

Diſpoſitio aliquid præſupponens, intelligi debet de perſona & caſu, in quo verificari poſſit præſuppoſitum. 6.

Conditionẽ ſi ſine liberis, *etiã in pupillari ætate habere locum multi defendunt* 7. *Et ſe- D. Didac. de Narbona, ſe-quentibus, ſed contrarium eſt probabilius.* 10.

Conditio ſi alieno hærede moliaris, *à tempore tantùm, quo quis facere poſſit teſtamentum, adiecta cenſetur.* 11.

QVÆSTIO LI.

Subſtitutio, aut quælibet alia diſpoſitio, ſub illa cõditione ſi ſine liberis de*cedat, à qua ætate facta cenſeatur?*

CONditionem hanc *ſi ſine liberis*, vt & illam, *ſi decedat ante quàm ad probatum vitæ genus venerit*, non conuenire pupillari ætati, 1 poſt Accurſium ſcribit *in l. credendum verbo ex alieno, verſic. Tu dic, ff. qui petantur tutores*, Politus *tractat. de compendi. ſubſtitut. num. 25. in fine*, & Oldradus *conſil. 99.* nouiſſimè Ioan. DecKcherus *diſceptatio. iuris lib. 1. diſceptat. 12. num. 18. verſic. Nec aliquis dixerit*, ac proinde reijci in ætatem puberem, vt ex tunc facta ſubſtitutio credatur, & non antea, veluti patet ex ſequentibus.

Primum, quia hæc conditio reſpectu pupillaris ætatis eſt impoſſibilis, 2 ſi ordinarium naturæ curſum intueamur: ergo neceſſariò ad pubertatem erit referenda, quæ ſucceſſioni liberorum eſt congrua, vt alibi diximus.

Secundum, nam certum eſt priuationem 3 præſupponere habitum, *l. decẽ, ff. de bon. obligat. l. manumiſſiones, ff. de iuſtitia & iure, §. ſeruus autem, inſtit. de capit. diminutione*: ergo cùm adiectione prædictæ conditionis conſideretur defectus filiorum, ad illud tempus erit reducenda diſpoſitio, quo liberi haberi poſſunt.

Tertium, quòd illa eſt natura conditionis, 4 vt referri debeat ad caſum, qui poſſit eſſe, & non eſſe, *l. ex facto, §. fin. ad Trebellian.* ſed hæc conditio *ſi ſine liberis* non poteſt quoad vtrùmque in pupillari ætate verificari: ergo præcisè erit ad pubertatem trahenda.

Quartum facit *l. 1. in principio, ff. de ſuis* 5 *& legitimis hæredibus*, vbi ille dicitur inteſtatus decedere, qui cùm potuit teſtamentum facere, teſtatus non fuit, non verò qui teſtari ratione ætatis minimè potuit, inteſtatus habetur: ergo & conditio *ſi ſine liberis* de eo intelligenda erit, qui natura filios habere poteſt. Nam qui in ea ætate decedit, qua generare non valuit, non propriè ſine filijs deceſiſſe videbitur.

6 Quintum ſuffragatur, quia vbi diſpoſitio loquitur aliquid præſupponendo, intelligi debet de perſona & caſu, in quo verificari poſſit præſuppoſitum, ex doctrina Gloſſæ *in l. mancipia, C. de ſeruis fugitiuis*, quam *ibidem* Salicetus, Fulgoſius, & Alexander ſequuntur. Atqui fideicommiſſum ſub hac conditione relictum *ſi ſine liberis* præſupponit eum, à quo relinquitur, poſſe habere liberos: ergo ad illam ætatem erit retrahēdum fideicommiſſum, qua poſſit præſuppoſitum verificari.

7 Nihilominus contrariam ſententiam plures non contemnendæ autoritatis viri defendunt, quos refert Vincentius Fuſarius *tractat. de ſubſtitut. quæſt.* 240. *à num.* 15. præcipuè Oddus *de compend. part.* 5. *quæſt.* 3. *de compendioſa à pagano facta, art.* 1. *num.* 10. Menchaca *de ſucceſſion. progreſſu lib.* 2. §. 18. *num.* 75. Alexand. Trentacinq. *de ſubſtitutione part.* 4. *cap.* 9. *num.* 23. vbi hanc communē dicit Spino *in ſpecul. teſtament. titulo de compend. ante num.* 23. Peregrinus *de fideicommiſ. art.* 34. *num.* 60. quibus accedere videtur idem Fuſarius *dicto loco*, vbi pro hac opinione ſequentia fundamenta adducit.

8 Primò, *l. centurio.* 15. *ff. de vulgari & pupillari*, vbi cùm facta fuiſſet ſubſtitutio ſub dicta conditione *ſi ſine liberis*, inquit Conſultus, etiam pro pupillari ætate locum habituram ſubſtitutionem.

9 Secundò expendit textum *in cap.* 1. *de teſtamentis lib.* 6. vbi ſimiliter pupillæ erat facta ſubſtitutio *ſi ſine liberis* moreretur, & nihilominus valet intra tempora impubertatis.

10 Vtraque hæc opinio valdè probabilis eſt, licèt mihi prima lōgè probabilior videatur, nam vt optimè conſiderauit DecKcherus *dicta diſertatione* 12. *num.* 19. ex eo quòd teſtator appoſuit conditionem ſoli pubertati congruam, ſubſtitutionem in ea tantum habere locum voluiſſe videtur, niſi aliud, aut militare priuilegium, aut pauperum fauor ſuadeat, vt *in dict. l. centurio.* & in *dict. cap.* 1. *de teſtamentis lib.* 6.

11 Pro qua ſententia expreſſe facere videtur *dict. l. ex facto* 17. §. *ſi quis ita, ff. ad Trebellian.* vbi conditio illa *ſi alieno hærede moriaris*, & hæc: *Si ſine liberis deceſſerit*, idem importare dicuntur, ſed illa ab eo tantùm tempore adiecta intelligitur, quo poſſit teſtamētum condi, & in eo hæres ſcribi, vt vel ex eo pater, quod ab inteſtato ſuccedentes non faciunt dictam conditionem deficere, veluti in eadem probatur: ergo ſimiliter de iſta *ſi ſine liberis* ex paritate rationis dicendum erit, ita vt ante pubertatis aduentum nec vulgaris, nec pupillaris aliqua ſubſtitutio facta credatur, vt Polito, & DecKchero *vbi ſuprà* meritò placuit, etſi hoc neminem dixiſſe præter Politum teſtetur Vincent. Fuſarius *d. quæſt.* 240. *num.* 9. & 10.

SVMMARIVM.

PVbes, quamuis minor quinque & viginti annis, an filijs ſuis teſtamento tutorem dare poſſit? 1. & 4.

Iudex tenetur ſequi nominationem tutoris à pubere minore filijs ſuis factam, niſi minùs recto conſilio minor eam fecerit. 2. & 6.

Poteſtas dandi tutores teſtamento à l. 12. *tabularum originem trahit.* 3.

Nominatio tutoris à patre filio teſtamento facta velut legatum eſt; ibidem.

An eadem ſaltim ætas in nominante requiratur, quæ in nominato eſt neceſſaria? 5. & 7.

Parochus non Sacerdos, licèt matrimonijs aſſiſtere valeat, nominare tamen vt aſſiſtat, niſi Sacerdotem non poteſt. ibidem.

Sæpè ex aliqua perſona quis conſequitur quod nec ipſa habet, nec habere poteſt. 8.

QVÆSTIO LII.

Quis poſsit tutorem filijs ſuis teſtamento relinquere?

VI notem vigintiquinque annis, ſed iam puberē, filijs ſuis tutorem poſſe teſtamento deſignare, vt pote ſingulariſſimū, & nunquam obliuiſcendum tradidere Bartol. *in l. quæro*, §. *fin. ff. de teſtament. tutela*, & repetit *in l. ſi plures* 3. §. *quamuis, de adminiſtrat. tutor.* Aretin. *in* §. *furioſus num.* 2. *inſtit. qui dari tutor. in teſtament. poſſunt*, Ludouic. Roman. *ſingular.* 171. Andr. Tiraquel. *in præfatione l. ſi vnquam num.* 25. *C. de reuocand. donat.* Borgnin. Caualcan. *de tutore & curatore cap.* 1. *n.* 8. Sebaſtian. Ximen. *in concordan. iuris ad d.* §. *quamuis dict. l.* 3. Ludolphus Scraderus *in ſelectiſſimis iuris quæſt. tom.* 1. *tit.* 14. *num.* 6. Ioſeph. Ramonius *conſil.* 4. *num.* 18. vbi inde infert teneri neceſſariò iudicem minoris voluntatem circa tutoris electionem exequi. 1

Et hanc ſententiam fulciunt autoritate *l.* 2. §. *quamuis, ff. de adminiſtratione tutor.* quæ cùm prætori tunc poteſtatem elargiatur recedendi à tutoris nominatione per minorem viginti & quinque annis parentem facta, quoties minus perpenſo conſilio illam feciſſe appareat, planè ſupponere videtur cæteris in caſi- 2

caſibus adeò firmam tutoris electionem, etſi à minore patre ſcriptam videri, vt ab ea nec prætori diſcedendi ius ſit.

3 Meritoque, nam ſi verum eſt, vt eſt & fatetur Anton. Faber. *in Iuriſprudentia Papinianea tit.* 12. *princip.* 1. *illatione* 26. patētes ex illa *lege duodecim tabularum*, quæ habet: *Pater familias vti ſuper ſua re, pecuniave legaſſit, ita ius eſto*, facultatem nanciſci relinquendi teſtamento tutores, ambigi non poterit, talem nominationem vti legatum eſſe, quæ fortè ex eo non niſi teſtamento fieri poteſt, *l.* 1. *ff. de confirmand. tutore*, legandi autem quis iam puberi & decimumquartum annum excedenti poteſtatem negauit? Quandoque & teſtamentum ordinare non prohibetur, *l. qua ætate* 5. *ff. qui teſtamentum facere poſſ.*

4 Porrò in diuerſam opinionē diſceſſit Odofredus *in dict. §. quamuis*, & expreſſiùs Guilielm. Benedict. *in repetit. cap. Rainunt. verbo adiectæ impuberi num.* 83. & quidem per eādem *l.* 3. ideò forſitan, quia poſtquàm non recto iudicio datam tutelam prorſus inutilem, nec à prætore ſequendam dixiſſet, minùs penſo conſilio eam tutelam delegatam inſinuat, quam minor delegauit.

5 Eoque ipſorum pronunciatum non leuiter roborari poteſt, quod ſæpiùs ſcripſimus, videlicet eandem ætatem requiri in nominante, quæ in nominato deſideratur, argumento procuratoris ad iudicia, qui cùm viginti & quinque annorum eſſe debeat, vt *ex l. minor* 51. *de procuratoribus, l. exigendi* 12. *C. eodem*, & alijs ſuo loco probabimus, non niſi ab eiuſdem ætatis homine conſtitui poteſt, *l. neque* 11. *§. pupillus, l. non eo minus* 14. *C. de procurat.* cum ſimilibus alibi traditis. Igitur cùm eiuſdem ætatis viginti & quinque annorum tutor præcisè ſit eligendus, *l. quæro* 32. *§. Lucius de teſtament. tutel. l. fin. C. de legit. tutel.* hac ætate minor illum eligere non poterit.

6 Quocirca in re adeò ancipiti, velut media via nobis incedendum erit aſſerendo abſolutè verum eſſe, minorem viginti & quinque annis, quatuordecim iam agentem, filijs ſuis impuberibus teſtamento tutores dare poſſe: ſed ita, quidem vt ſi minùs penſo, & deliberato conſilio dederit, quod fortè, & aliquo caſu non ſemper in minore poſſibile arbitratur Conſultus in *dict. l.* 3. ipſius voluntatem iudex minimè ſequi teneatur, imò loco teſtamentariorum alios ſubſtituat tutores, qui impuberum defenſionem, & adminiſtrationē ſuſcipiant, vti *ex dict. §. quamuis*, cuius hîc proculdubio verus ſenſus planè colligitur.

7 Nec in contrarium vrget, quod de æquali ætate nominati, & nominantis *ſuprà* expendimus, cùm id non ſemper vigeat, aut perpetuum ſit, vti videre eſt in electionibus, in quibus vigeſimum ſecundum annum excedens ad Presbyteralem præbendam eum eligere poteſt, qui viginti & quinque annorum eſſe debet, non aliter ac in Capellanijs collatiuis & Sacerdotalibus, quarum ſeptimo anno maiori patronatus ius competit, minor maiorem nominat, vt hæc omnia ſuis locis latiùs patent. Alioqui minor, qui ad Paroquialem obtinendam, non verò ad ordines ſuſcipiendos fuit diſpenſatus, alium nominare nequiret, qui eo impedito Parochianorum matrimonijs aſſiſteret; cùm neceſſariò Sacerdotem, ideoque maiorem nominare, ex Concilio Tridentino *ſeſſione* 24. *de reformatione matrimon. cap.* 1. teneatur, annuentibus Pat. Ledeſma *in ſumma de Sacrament. matrimon. cap.* 6. *concluſ.* 4. *verſic. Siguese lo ſegundo*, P. Sanchez *lib.* 3. *diſputat.* 34. *num.* 10. noſter Zeuall. *quæſt.* 604. *num.* 58. Gutierrez *de matrimon. cap.* 62. *num.* 22. & his relatis Barboſa *in dict. cap. Concilij*, quod nemo dicet: ergo vt in propoſito ratiocinatur Ioan. Viſconte *lib.* 1. *inſtitut. titulo qui teſtamento tutores dari poſſ. cap.* 1. *num.* 8. cùm plus ſit operari quàm iudicare, & plus eligi idoneum ad regendos alios, quàm eligere, argument. *§. vltim. inſtit. quibus ex cauſis manumittere non licet*, dicendum videtur minorem, etſi tutor eſſe nequeat, dare tamen filijs ſuis tutorem rectè poſſe, cùm ſæpè fiat, vt ex aliqua perſo- 8
na quis conſequatur quod nec ipſa habet, nec habere poteſt; *l. ſi poſt mortem* 10. *§. vltim. ff. de bonorum poſſeſ. contra tabulas*, ex qua ita docet expreſſe Iaſon *in l. ſi emancipati, C. de collation.* & Simoncel. *tractat. de decretis lib.* 3. *tit.* 8. *inſpectione* 4. *num.* 32. *circa finem.*

SVMMARIVM.

Parentes non tenentur reſeruare filijs prioris matrimonij, quod ab eo obtinuerunt, quando ipſi ſecūdis illorum nuptijs expreſsè conſenſerunt. 1.

Vt filius conſentiendo ſecundo parentes coniugio ſibi præiudicet, pubes eſſe debet. 2.

Iuſta cauſa requiritur in filijs, vt conſentiendo ſecundis parentis nuptijs, illum ab obligatione reſeruationis liberent. 3.

Autoritas curatoris nil proficit, vt abſque iuſta cauſa poſſit minor ſecundis parentis nuptijs conſentire. ibidem.

QVÆSTIO LIII.

Cuius ætatis filius eſſe debeat, vt ſecundis nuptijs parentis conſentiens ſibi præiudicet?

1 PArentem tranſeuntem ad ſecundas nuptias non teneri reſeruare filijs prioris matrimonij bona quæ ex eo habuit, quando ſecundis ipſius nuptijs dicti prioris matrimonij filij conſenſerunt, ferè omnes docent, præſertim Cifuentes *in l.* 15. *Tauri n.* 2. *limitat.* 1. *ibidem*, Caſtillo *num.* 15. *verſic. Vnum tamen*, & Anton. Gomez *num.* 6. *verſ. Idem etiam eſt*, Matienç. *in l.* 3. *gloſ.* 2. *num.* 43. *tit.* 1. *lib.* 5. *nouæ collectionis*, Azeued. *in l.* 4. *num.* 36. *eiuſdem tituli* Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſputat.* 89. *num.* 43. Menoch. *conſil.* 626. *num.* 1. *cum ſequentibus, volum.* 7. Marc. Anton. Peregrin. *conſ.* 78. *num.* 9. quibus alijs etiã adductis ſubſcribit Ioan. Gutierrez *de matrimon. cap.* 109. *num.* 50. vbi contra Sarmientum & Fachinæum hanc cõmunem opinionem, & veriorem dicit, dummodo filiorum conſenſus non tacitus, & præſumptus, ſed expreſſus ſit, Sanchez *vbi ſuprà num.* 44. & Peregrin. *num.* 11. *&* 17.

2 Quæ omnia eo tantùm caſu locum habere poſſunt, quo filij ſecundo parentis matrimonio conſentientes puberes ſunt quatuordecim ſaltim annorum, ſi maſculi & duodecim, ſi fortè fœminæ tunc enim, & non anteâ tanti facti certiores eſſe poſſunt: quod ita neceſſariò præ requiritur, vt aliter filiorum conſenſus nil parentem ab eiuſmodi reſeruatione releuet ſecundum Boerium *deciſ.* 185. *num.* 23. Baeza *de non melior. ratione dotis filiab. cap.* 10. *num.* 57. Peregrin. & Sanchez vterque *vbi ſuprà*, quos refert, & meritò ſequitur Gutierrez *d. loco num.* 52. *&* 56.

3 Quod ſic intelligendum eſt, dummodò iuſta ex cauſa ducti filij ſecundas parentis nuptias probauerint, ex Angelo *conſil.* 396. *num.* 4. Menoch. *conſ.* 237. *num.* 21. *lib.* 3. Fachin. *lib.* 3. *controuerſ. cap.* 65. *verſic. Tertia concluſio*, quibus etiam ſubſcribit Gutierrez *vbi proximè num.* 53. ſubdens quòd ſi nulla ad id iuſta impellente cauſa aſſenſum accomodauerint, reſtituentur, vti in quolibet alio caſu, quo fuerint decepti, etiamſi autoritate curatoris illum præſtiterint, quoniam vt ex Garron. *rubric. de ſecundis nuptijs remedio* 2. *ad euitandas pœnas in noua editione num.* 122. contra Anton. Gabriel. & Bertrandum aſſerit Gutierrez *num.* 53. licentia tutoris vel curatoris hoc caſu minimè proficit, ſiquidem infert graue præiudicium minoribus.

SVMMARIVM.

DEcimumquartum annum de iure communi eſſe neceſſarium ad obtinẽdum ſimplex beneficium, multi, ſed improbabiliter dixerunt. 1.

Septennium ſufficiens fuiſſe ad inferiora beneficia, longè certius eſt. 2.

Etiam poſſeſſio ſimplicis beneficij poteſt obtineri ab eo, qui vltra ſeptimum annum exiſtit. ibidem.

Non eſſe obediendum Pontifici, qui ſcienter beneficium infanti contulit, nimis audacter inquit Selua. 3.

Antiquitus prima tonſura, quæ ſeptenni dabatur, non niſi beneficium habenti conferri poterat. 4.

Hodie ex decreto S. Concilij Trident. nemo ante decimumquartum annum poteſt ſimplex beneficium obtinere. 5.

Præbendæ Eccleſiarum Metropolitanarum, licèt regulariter debeant quatuordecim annos habentibus conferri, à Rege tamen iure Regaliorum, etiam ſeptenni conferri poſſunt. 6.

Commenda, Prioratus conuentualis, vel Abbatia, decimumquartum annum agentibus dari poteſt. ibidem.

Ætas ex Concilio ad ſimplex beneficium requiſita, inchoata deſideratur, ſaltim tempore inſtitutionis. 7.

Solus Pontifex, & non Epiſcopus circa ætatem ad beneficia diſpenſare poteſt. 8.

Decretum Concilij de ætate ad ſimplex beneficium, an etiam procedat in beneficio iuris patronatus & Capellania? 9.

Vbi in fundatione continetur, quòd poſſit beneficium ſeptenni conferri, non habet locum Concilij decretum. 10.

Lex fundationis ſtrictè debet obſeruari, aliàs factum erit nullum, niſi id vſus iam admiſerit. 11.

Collatio beneficij ei, qui non eſt legitimæ ætatis facta, etiam in foro interiori ipſo iure eſt nulla. 12.

Illegitimæ ætatis ad beneficium dicitur is, cui ad requiſitam ætatem vel vna tantum hora deficit, 13.

QVÆST.

QVÆSTIO LIIII.

Pro beneficijs ſimplicibus & inferioribus conſequendis, quænam ætas ſit ſtatuta?

1 DVæ fuerunt opiniones olim in hac controuerſia vna eorum, qui enixè contẽdebant ſufficere ſeptennium inceptum: altera verò aliquorum, quibus magis arriſit decimumquartum annum neceſſariam ætatẽ eſſe ad quodcumque ſimplex beneficium obtinendum. Hanc autoritate *textus in cap. indecorum, de ætate & qualitate, text. in cap. ſuper inordinata, de præbend. cap. de his* 28. *diſtinct.* necnon & *text. in cap. in ſingulis, cap. quicumque* 77. *diſtinctione* perperam defendit Maiolus *de irregular. lib.* 1 *cap.* 30. *num.* 10. *verſic. Hæc autem*, refert Moneta *de commutatione vltimarum voluntat. cap.* 20. *n.* 121. & Azorius 2. *tom. lib.* 6. *cap.* 5. *verſic. Septimò quæritur*, Flaminius *de reſignat. benefic. lib.* 3. *quæſt.* 7. *n.* 7. dum inquit maiorem quatuordecim annis beneficium acceptare poſſe.

2 Illamque vti magis probabiliorem amplectuntur Beroius *conſil.* 5. *num.* 3. & 24. *tom.* 1. Caualcanus 1. *part. deciſ.* 29. *num.* 1. Ojeda *de incompatibilitate benefic.* 1. *part. c.* 24. *num.* 23. Gonçalez *gloſ.* 5. *num.* 94. Anaſtaſ. Germonius *de indultis Cardin. §. quibuſvis num.* 2. vbi ſeptennio minoribus, nec vigore indulti Cardinales beneficia conferre poſſe ſcribit: tenet ſuperiorem ſententiam Farinacius *deciſ.* 194. *num.* 2. *tom.* 2. Puteus *deciſ.* 339. *num.* 3. *part.* 1. & *deciſ.* 46. *part.* 2. vbi ampliat etiam quoad acquirendam poſſeſſionem, quam ampliationem defendit Miles *in ſuo repertorio verbo minor.* 14. *annis, maior tamen infante*, Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 4. *num.* 2. Maceratenſ. *variarum reſolut. lib.* 1. *reſolut.* 4. *num.* 9. & *reſolutione* 112. *caſu* 51. Riccius *in praxi deciſ. deciſione* 187. *num.* 184. Leſius *de iuſtitia & iure lib.* 2. *cap.* 34. *dubio* 20. *num.* 109. Moneta *d. cap.* 10. *num.* 121. Filiucius *de ſtatu Clericorum tractat.* 41. *cap.* 5. *num.* 27. & fortè hanc opi-
3 nionem fuit ſequutus Ioannes Selua *tractat. de iure iurando* 4. *part. num.* 16. dum ex Baldo & Felino nimis audacter docuit, non eſſe obediendum Pontifici ſcienter beneficium infanti conferenti: indeque ſuadetur hęc opinio, quia antiquitus prima tonſura, quæ ſeptenni conferebatur, vt ſuperiùs notauimus, niſi beneficium habenti dari non poterat, *c.*
4 *neminem, c. Sanctorum* 70. *diſtinct. c. cùm ſecundùm Apoſtolum* 16. *de præbendis*, docet ita expreſſe Gloſſa *in cap.* 2. *eiuſdem tit.* Nauar. *conſil.* 14. *num.* 1. *de tempor. ordinand.* Quintanadueñas *Eccleſiaſtic. lib.* 3. *num.* 4. & 17. Suarez *de cenſuris diſputat.* 31. *ſectio.* 1. *num.* 33. Garcia *de benefic. part.* 2. *c.* 5. *num.* 3. Filiucius *dict. num.* 27. Roderic. Acunha *in dict. cap. neminem num.* 3. vbi hodie ex conſuetudine ſecus obſeruari probat teſtimonio ſuperiorum, necnon Flaminij Pariſij *de reſignat. beneficij lib.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 4. Salced. *ad praxim crimin.* Bernard. Diaz *cap.* 18. *num.* 5. quam ex Concilio Tridentino confirmari poſſe, dum ad ſacros ordines ſolummodo titulum requirit, obſeruat præter Nauarum & Quintanam *vbi ſuprà*, Hugolin. *de irregular. cap.* 61. *num.* 2. Emanuel Rodriguez *tom.* 2. *ſummæ cap.* 15. *num.* 16. Petr. Ledeſma *in ſumma* 1. *part. tit. de Sacram. ordin. cap.* 7. *in fine*, & manifeſtiùs probari videtur ex ſequenti loco eiuſdem Concilij.

Aduerſæ tamen opinioni Tridentina Sinodus accedit *ſeſſ.* 23. *de reformatione cap.* 6. definiens vt nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in Minoribus Ordinibus conſtitutus, ante decimumquartum annum beneficiũ poſſit obtinere, cuius autoritate idem obteſtantur Quintil. Mandoſ. *vbi proxmè*, Ojeda *dict. num.* 23. Maiolus *eodem cap.* 30. *num.* 1. Gonçalez *vbi ſuprà num.* 95. inſinuat Petr. 5
Gregor. *ſyntagmat. iuris lib.* 17. *cap.* 8. *num.* 14. dum inquit, quòd etſi quatuordecim annis natis tantùm præbendæ Metropolitanarum Eccleſiarum conferantur: tamẽ iure Regaliorum vacante Eccleſia à Rege ſeptenni poſſunt cõferri, Aloyſius Riccius *deciſ.* 187. *num.* 185. Ioan. Gutier. *Canonic. quæſt. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 33. P. Azorius *inſtitut. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *verſic. Septimò quæritur*, vbi id meritò à Concilio ſtatutum inquit, quia ante illam ætatem ſapienter ſe gerere nemo poteſt, ſicut ante talem ætatem teſtari nequit, *l. vltim. C. de teſtament. milit.* nec poteſt per ſe, vel per procuratorem agere, vel defendere, *cap. ſi annum, de iudicijs in* 6. Caualcan. *dict. deciſione num.* 1. Leſius *loco adducto* Lucarin. *de fiduciaria tutel. c.* 6. *num.* 23. Moneta *de conſeruat. cap.* 5. *num.* 159. vbi inquit commendam, Prioratus Conuentuales, vel Abbatiã poſſe dari decimumquartum annum agentibus, quia huiuſmodi commendæ hodie habentur pro ſimplicibus: idem docet *tract. de diſtribut.* 2. *part. quæſt.* 19. *num.* 15. & repetit *de commutat. vltim. volunt. cap.* 10. *num.* 121. P. Sanchez *lib.* 4. *ſummæ cap.* 35. *num.* 10. P. Vazquez *de beneficijs cap.* 3. §. 2. *dubio* 3. *num.* 20. Viuian. *in praxi iuris patronatus lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 191. Filiucius *d. loco*

loco, Alcedus *de præcellend. Epiſcop. part. 2. c. 9. num. 33.* latè Anton. Diana *reſolut. moral. part. 3. tractat. 6. Miſcellan. reſolut. 64.* & ante eum Auguſt. Barboſa *in paſtoral. 2. tom. allegat. 60. num. 73.*

7 Quem vtique quartumdecimum annum completum non deſiderari, ſed inchoatum ſufficere, eodem Concilij loco Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit, his verbis: *Hoc caput non prohibet quin ille, qui iam decimum quartum annum ſuæ ætatis attigit, licèt nondum expleuerit, poſſit beneficium ſimplex obtinere*, quare meritò ita arbitratur P. Azorius *loco iam relato*, P. Henriquez *in ſumma lib. 10. cap. 19. §. 2.* P. Leſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 34. dubio 20. num. 109.* Aloyſius Riccius *vbi ſuprà*, & *in collectan. collect. 860. verſic. Limita ſecundò*, Cenall. *quæſt. 523. num. 4. & quæſt. 593. num. 18.* Thomas Valaſ. *tom. 1. allegat. 8.* Auguſtin. Barboſa *in remiſſion. ad dict. cap. 6. Concilij litera B.* Antonin. Diana *part. 3. reſolut. moral. tractat. 6. Miſcellan. reſolut. 64. in fine*, Alcedus *de præcellentia*

8 *Epiſcop. cap. 9. n. 33.* vbi etiam inquit Epiſcopum diſpenſare non poſſe, vt hac ætate minores beneficium ſimplex poſſint obtinere: quod itidem prædixerat Garſia *vbi ſuprà n. 8. &* Filiucius *num. 27.* addens hoc ſoli Pontifici licere, quibus ſubſcribit Barboſa *vbi ſuprà num. 76.* vbi etiam ex Farinacio & Câpanil. tenet ſufficere, quòd ante inſtitutionem beneficij dicta ætas ſit impleta, licèt tempore præſentationis non fuerit.

9 Et procedit dicti Concilij Tridentini decretum non ſolùm in beneficijs liberis, vt voluit Rota Romana *in nouiſſima deciſione* 482. Maceratenſ. *dict. reſolut. 4. num. 9.* Nouarius *quæſt. forenſ. part. 1. quæſt. 71. num. 5.* ſed etiam in beneficijs iuris patronatus electionis, aut alterius cuiuſcumque prouiſionis veluti ſibi contrarius meliùs ſentit idem Maceratenſ. *dict. reſolut.* 112. *caſu* 51. vbi ita ſe vidiſſe obſeruari, & impetrari diſpenſationes pro obtinendis eiuſmodi beneficijs teſtatur Riccius *dict. deciſ.* 187. *num.* 186. vbi etiam de communi praxi affirmat Caualcanus *loco allegato num. 1.* Viuianus *in praxi iuris patronatus lib. 1. cap. 1. num. 191.* & alij relati per Auguſt. Barboſ. *dict. loco num. 78.* Antonin. Dianam *reſolut. moral. part. 3. tract. 6. Miſcellan. reſolut. 74.* Et ratio eſt ſecundum prædictos, quia dictus textus Concilij loquitur generaliter de beneficio, cuius appellatione venit etiam beneficium de iure patronatus, vt reſoluit Lafredus Lanfranc. *deciſ.* 193. Anton. Faber. *deciſ. 17. C. de Epiſcop. & Cleric.* Ferrer. *lib. 1. obſeruat. 123.* Rebuffus *in praxi beneficij, verſic. Sæculare beneficium num. 15.* Nicol. Delphin. *in tractat. iuris patronat. lib. 1. num. 26.* Gonçalez *gloſ. 5. num. 32.* etſi contrarium probabile dicant Garſia *de benefic. tom. 2. part. 7. cap. 4. num. 10.* Rota *in vna Gerundenſ. benefic. 12. Iulij* 1579. coram Lancelloto, & plures, quos tradit Diana *tractat. 6. Miſcellan. dict. reſolut. 64. in 5. editione*, Rota *deciſ. 482. num. 3. 1. part. diuerſ.* quam allegat Riccius *in praxi reſolutio. Eccleſiaſtic. reſolut. 187. num. 186.* etſi alibi ipſe contrarium defendat, Barboſa *in collectanea Bullarij, verbo ætas, verſic. Ætas quatuordecim annorum poſt Concilium fol. 25.* & *in collectan. ad S. Concil. Tridentm. dict. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6. num. 3.* docens hoc verum eſſe in capellanijs, quæ fundari ſolent, maximè in Hiſpania, abſque ſuperioris autoritate, in quibus ſuccedunt clerici de parentela. Sed quicquid iſti voluerint, in capellanijs iuris patronatus, quas collatiuas vocant, priorem opinionem ſemper veriorem duxi, quia beneficia ſunt non diſtincta à cæteris beneficijs liberis.

Quod ita accipiendum eſt, niſi aliter in 10
fundatione fuiſſet diſpoſitum, nam tunc decimoquarto anno minores præſentari poterût, non obſtante dicto decreto Concilij, veluti declaraſſe Cardinales refert Rota *diuerſorum deciſ. 482. part. 1.* Riccius *d. collectanea* 860. & latiùs *in d. deciſ. 187. num. 187.* vbi allegat Sà *in aphoriſmis confeſſarior. verbo beneficium num. 30.* confirmat Filiucius *eodem capit. 5. num. 27.* & ante eum Garſia *de benefic. 2. tom. part. 7. cap. 4. num. 10.* & alij relati ab Auguſtino Barboſa *dict. allegat. 60. num. 77.*

Cuius limitationis eam rationem aſſignat 11
Riccius *dict. deciſ. num. 188.* quia lex fundationi adiecta ad vnguem debet obſeruari, argument. *l. à teſtatore* 109. *de condit. & demonſtrat.* Crecent. *deciſ. 7. de iure patronatus* Nauar. *conſil. 3. de clericis non reſidentibus*, quapropter collatio beneficij cötra tenorem fundationis præſtita nullius eſt momenti, ex ſententia Nauar. *in manuali cap. 25. n. 117.* niſi eo tantùm caſu, quo diſpoſitum in fundatione non eſt vſu receptum, vt voluit Sâ *verbo ius patronatus num. 4.* cui adhæret Riccius *dict. loco num. 189.*

Cæterùm ſi huius rei nihil in fundatione 12
ſit expreſſum conferri beneficium ſimplex nô habenti prædictam pubertatis ætatem nequaquam poterit, & ſi fiat, nullius momenti erit collatio ipſo iure, etiam in foro interiori, quemadmodum ex Flaminio, Rodrig. Vega, & Azorio, reſoluit Nicol. Garſia *dict. cap. 4. num. 82. & 83.* contra Ioannem Quintinum *in repetitione cap. de multa de præbendis num. 66.* probat etiam Leſius *dict. n. 109.*

licèt

licèt contrarium niſus fuerit defendere Nouarius *vbi ſuprà num.* 5.

13 Idque ſubaudiendum admonet idem Garſia *n.* 84. etiamſi ad prædictam ætatem modicum tempus deficiat, vtputa vnius diei, vel horæ, ſiquidem in his, quæ certo numero ſunt à iure præſcripta, non licet arbitrari, ſecundùm tradita à Thom. Sanch. *de matrimonio lib.* 1. *diſputat.* 16. *num.* 4.

SVMMARIVM.

Multis placuit pro canonicatibus integris, vel dimidijs portionibus in Eccleſia Collegiata, ſeptimum annum fuiſſe ſufficientem. 1.

Verius eſt de iure communi ad Canonicatus, & alias præbendas Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ etiam inſignioris, decimumquartum annum fuiſſe neceſſarium. 2.

Concilium Tridentinum nihil immutauit circa ætatem ad Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ, ſed eam in terminis iuris communis reliquit. 3.

Etiamſi Eccleſia Collegiata curam habeat animarum, in Canonicis non maior quatuordecim annorum ætas requiritur, niſi actu cura ipſa penes ſingulos Canonicos, aut aliquem eorum exiſtat. ibidem.

Si alicui præbendæ Collegiatæ ſit annexus ſacer ordo, illius ætatis præbendatus eſſe debet, quæ ad ordinem deſideratur. ibidem.

Notantur qui affirmant tantùm poſt Concilium dictam ætatem quatuordecim annorum ad Canonicatus in Collegiata requiri. 4.

Decimumſeptimum annum ad dictas præbendas eſſe neceſſari. m qui ſenſerint? 5.

Ætas ad Canonicatus in Collegiata, extremè expleta eſſe debet. 6.

Epiſcopus diſpenſare nequit, vt ante debitam ætatem Canonicus, etiam in Collegiata admittatur. 7.

Canonicus Collegiatæ, qui ſaltim Subdiaconus non eſt, vocem in capitulo nō habebit. 8.

Canonicus, licèt non Subdiaconus, integras quotidianas diſtributiones percipit. 9.

QVÆSTIO LV.

Quota ætate eſſe de iure debeant, qui Canonicatus integras, vel dimidias portiones in Collegiata Eccleſia ſunt adepturi?

1 Antiquitus circa huius ætatis præfinitionem longa extitit inter iuris noſtri profeſſores altercatio, nam aliquibus videbatur ætatem ſeptennij ſufficientiſſimam eſſe, vt argumento *cap. ex eo de electionlib.* 6. ſentit Abbas *in cap. prætereà num.* 5. *& 6. de ætate & qualitate*, Rota *deciſ.* 1. *eodem titulo*, Mandoſ. *in regula* 18. *Cancellar. quæſt.* 1. *num.* 3. Ludouicus Gomeſius *tractatu de gratijs ſpectatiuis num.* 86. refert P. Azor *inſtitut. moral.* 2. *part. lib.* 6. *cap.* 5. *quæſt.* 6. Gonçalez *in regula* 8. *Cancellariæ gloſ.* 5. *num.* 94. Rodericus Acunha *in cap. nullus* 1. *num.* 5. 60. *diſt.*

Quæ ſententia cùm ferè ab omnibus improbabilis crederetur, vt certius obtinuit, de iure communi decimumquartum annum ſufficientiſſimam eorum omnium ætatem eſſe, qui ad Canonicatus, & quaſcumque portiones Cathedralis Eccleſiæ ſunt promouendi, vt generalitate *cap. ſuper inordinata* 35. *de præbendis* ſuadetur, vbi pueri, ideſt qui 14. annum non exceſſerunt, vt alibi oſtendimus, & in propoſito contra Gloſſam optimè interpretatur Azorius, *vbi proximè*, à quibuſcumque beneficijs arcentur: ergo & à Canonicatibus, vt expreſſiùs conuincitur ex deciſione *cap. indecorum* 3. *de ætate & qualitate ordinand.* ita docet poſt alios Moneta *de diſtribut. part.* 2. *quæſt.* 19. *num.* 17. Piaſec. *in praxi part.* 2. *cap.* 5. *titulo quomodo ſint beneficia conferenda*, Viuian. *in praxi iuris patronatus lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 191. Armendar. *in addition. ad recopilat. ll. Nauarræ lib.* 8. *tit.* 21. *l.* 1. *de ætate num.* 8. Galet. *in Margarit. caſuū conſcient. verbo Canonicus* 3. *in fine, in* 2. *editione*, Roderic. Acunha *in cap. nemo.* 2. *num.* 2. 78. *diſtinct.* Auguſtin. Barboſa *in Paſtorali* 2. *tom. allegat.* 60. *num.* 71. quod in Canonicatibus, & portionibus cuiuſcumque Eccleſiæ Collegiatæ, etiam inſignis, & præclaræ ſimiliter obtinet, vt ex Mandoſio *conſil.* 20. Zerola *in praxi verbo Canonia*, §. 9. Henriquez *lib.* 10. *ſummæ de Sacramento ordinis cap.* 19. §. 2. Cechus *de republic. Eccleſiaſtic. cap.* 24. *num.* 3. *verſic.* 2. *& num.* 6. *verſic.* 5. & Azorio *vbi ſuprà* reſoluit Nicol. Garſia *de benefic.* 7. *part. cap.* 4. *num.* 39.

Qua in re cùm nihil à Tridentina Synodo fuerit immutatum, vt eiuſdem Concilij Sacra Congregatio declarauit, his verbis: *Concilium nihil innouat ſuper ætate promouendorum ad Canonicatus Collegiatarum Eccleſiarum*, cui infra omnes referendi aſſentiuntur, & præcipuè Riccius *in praxi deciſion. deciſ.* 735. *num.* 3. & Barboſa *vbi ſuprà*, reliquiſſe videtur in terminis diſpoſitionis iuris communis, veluti, eadem Congregatio expreſſit hoc modo: *Nullo Concilij decreto ſtatutum eſt, quæ in eis ætas requiratur, qui Canonicatus in Eccleſijs Collegiatis conſequi volunt, ſed id relictum eſt intra illos termi-* 3

nos,

nos, qui ante idem Concil. Trident. præſcripti ſunt, & pluribus aliis declarationibus enarratis comprobat Nicol. Garſia *loco vbi ſuprà n. 37.* ideoque ipſammet ætatem quatuordecim annorum, etiam poſt Concilium ſufficiētiſſimam eſſe ad prædicta beneficia conſequēda, meritò reſoluunt Filiucius *de ſtatu Clericor. tractat. 41. cap. 5. n. 28. ad calcem*, etiam inquit noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c. 29. n. 14.* ex Gonçalez *in regul. 8. in princip. n. 92.* ſi Eccleſia ipſa Collegiata curam habeat animarum: quia talis cura non pertinet ad ſingulos Canonicos, ſed ad totū Capitulum: ſecus verò ſi actu penes Canonicos, vel aliquem eorum exiſtat, licèt habitu ſit penes Capitulum, quia tunc 25. annorum eſſe debent, vt probat Barboſa *dict. allegat. 60. n. 71.* vel ſi dictis Canonicatibus, aut portionibus ſtatuto, vel conſuetudine ſit aliquis ordo ſacer annexus, nam tunc qui adepturi ſunt, in ea ætate eſſe debent, vt infra annum poſſint ad huiuſmodi ordinem requiſitū promoueri, ex ſententia Concilij *dict. ſeſſ. 22. c. 4.* quam amplectitur Moneta *dict. q. 19. n. 9.*

4 Ex quibus apparet quantum à certo deuiauerint Gonçalez *loco nuper allegato num. 95.* Azor *dict. cap. 5. quæſt. 6.* Riccius *in praxi variarum reſolut. reſolut. 238. num. 1.* & *reſolut. 239. num. 2.* & *in praxi rerum quotidianar. reſolut. 120. num. 2.* Quamuis hîc de Canonicatu Cathedralis loqui videatur, qui conſtanter aſſeuerant eiuſmodi quartumdecimum annum ad prædictos Canonicatus, & portiones tantùm poſt nouam Concilij Tridentini diſpoſitionem *in cap. 6. ſeſſionis 23. de reformatione* deſiderari, ante ipſius promulgationem neutiquam: nam etſi verum (quod non eſt) diſputationis gratia fateamur *eo cap.* ætatem pubertatis dictis Canonicatibus & portionibus, vt & cæteris beneficijs præſcribi: attamen diffiteri oportebit hanc nouam conſtitutionem eſſe, ſed iuris communis repetitiuam, & confirmatoriam: quod ex dicta declaratione Eminentiſſimorum Cardinalium conſtat, qua cauetur nullo Concilij decreto ſancitum eſſe, quæ ætas in eis requiratur, qui Canonicatum in Eccleſijs Collegiatis conſequi velint: ſed id relictum eſſe intra illos terminos, qui ante dictum Concilium præſcripti ſunt: ergo apertè falſum conuincitur ex *dict. cap.* Concilij nouiter fuiſſe inductam huiuſmodi ætatem quatuordecim annorum ad Canonicatus, & portiones Collegiatæ Eccleſiæ, cùm tantum abſit hoc ita eſſe, quòd imò nec iſto, nec alio Concilij loco quidquam de Canonicorum Collegialis Eccleſiæ requiſita ætate decernatur, ſed hoc totum in terminis iuris communis fuit ab ipſo relictum, vt eam Concilij mentem fuiſſe declarauit dicta Cardinalium Congregatio *vbi ſuprà*, & alijs in locis à Nicolao Garſia *dict. cap. 4. num. 37.* fideliter enarratis.

Nec diuerſam cenſuram meretur quod ex Riccio & Barboſa docet nouiſſimè Alcedus *de præcellentia Epiſcopi cap. 9. num. 34.* ſcilicet poſſe Epiſcopum conferre dignitatem, aut Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ habentibus decimumſeptimum annum, cùm ex proximè dictis ſufficienter conſtiterit, quatuordecimum dumtaxat agentibus optimè dari poſſe. 5

Qui quidem decimuſquartus annus ad Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ neceſſarius, plenè exactus, & completus eſſe debebit, vt nonnulli ex ſupra ſcriptis fatentur, & cōprobatur, quia vt cenſuit Rota, teſte Aloiſio Riccio *in collectaneis deciſionum collect. 2444. verſic. Tertiò*, annus inceptus de ætate Canonici non habetur pro completo, quamuis cōtrarium ſentiat Garſia *loco proximè allegato num. 39.* Nec ad id prodeerit Epiſcopi diſpēſatio, ſiquidem ad hoc vt aliquis ante decimumquartum annum ad Canonicatum, vel portionem, licèt Eccleſiæ Collegiatæ, admittatur, ille diſpenſare non poteſt, vt voluit Rota apud Thom. Tribiſ *p. 2. deciſ. 42.* cui adſtipulantur Thoming. *deciſ. Rotæ Lipſien. 91. part. 2.* Aloiſ. Riccius *in collect. deciſion. collectan. 860. & collectan. 1272.* vbi eam ſubdit rationem, quia Epiſcopi conſtitutio non tollit conſtitutionem Pontificiam, qua dicta ætas quatuordecim annorū ad prædictos Canonicatus, vel portiones exigitur: quocirca neceſſe habebit qui ad eiuſmodi beneficia promoueri deſiderat, tot annorum eſſe, vt decimumquartum excedat. 6 7

Qua vtique ætate Canonicus eſſe poterit, ſed ita imberbis, vt verbis vtar Zerolæ *in praxi verbo Canonia*, quòd vocem non habeat in Capitulo, ſiquidē ex diſpoſitione Cōcilij Tridentini *ſeſſ. 22. de reformat. c. 4.* quicumque in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia diuinis mancipatus officijs, in Subdiaconatus ordine ſaltem cōſtitutus nō ſit, vocem in eiuſmodi Eccleſiarum Capitulo non habebit, vt etiam conteſtatur Moneta *de diſtribution. p. 2. q. 19. n. 17.* qui tamen aduerſus Zerolam affirmat, integras quotidianas diſtributiones eum, quamuis in minori ætate, conſecuturum, ſedem verò in dicto Capitulo, aſſiſtentiam, vel cōſultiuam vocem, nequaquam, vt cenſuerunt Eminentiſſimi Cardinales interpretes dicti Concilij ſuper *dict. c. 4.* cuius declarationis tenorem ibidem refert Ioan. Gallemart. *num. 3.* 8 9

SVM-

SVMMARIVM.

IDem dicendum eſt de parte, quod de toto. 1. & quomodo procedat. 7.

Magis, aut minus, non mutant ſpeciem. 2. & 7.

Ætas quatuordecim annorum pro conſequendis dimidijs portionibus Cathedralis Eccleſiæ, ſufficiens eſt. 3.

Appellatione portionariorum, dimidij portionarij non ſubaudiuntur. 4.

Sacer ordo ex præſcripto Concilij integris tantùm, non verò dimidijs portionibus eſt annexus. 5.

De iure communi, etiam ad Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ, non maior ætas quatuordecim annorum requiritur. 6.

QVÆSTIO LVI.

Dimidij portionarij Cathedralis Eccleſiæ, an eiuſdem ætatis eſſe debeant cũ portionarijs ipſius, an verò diuerſæ?

1 QVòd eiuſdẽ ætatis eſſe debeant, ſuaderi videtur ex eo, quod à noſtris in axiomate, & velut in prouerbio eſt, videlicet, idem dicendum eſſe de parte, quod de toto dicitur, *l. quæ de tota 76. ff. de rei vend. l. ſi duo 51. ff. de adminiſtratione tutor.* ergo quam ætatem portionibus Cathedralis Eccleſiæ ſuprà neceſſariam diximus, eandem & dimidijs earum requiri aſſerendum erit.

2 Et confirmatur, quia ſi hæc in parte differentia inter integras, & dimidias portiones conſtitueretur, illud reſultaret abſurdum in iure, quod magis, aut minus mutarent rei ſpeciem, aut naturam, contra diſpoſitum *in l. fin. ff. de fundo inſtructo*, & notata à Zeuall. *de cognitione per viam violẽtiæ, q. 162. n. 56.* & à chariſsimo Fratre noſtro Doctore D. Alphonſo Narbona *in comment. ad 3. p. collect. legum Hiſpaniæ lib. 4. tit. 21. l. 15. gloſſa 1. n. 13. in fin.* Sed hoc dicendum non eſt: ergo nec illud.

3 At his obſtrigilantibus parum, tenendum erit non eandem ætatem ad dimidias portiones Cathedralis Eccleſiæ deſiderari, quæ ad integras expoſcitur, imò quatuordecim annorum ſufficientiſsimam eſſe, vt poſt alios defendunt Hieronym. Gonçalez *in regul. 8. Cancellariæ, gloſ. 5. num. 93.* Nicol. Garſia *de beneficijs part. 7. c. 4. num. 40.* Roder. Acunha *in cap. nullus 1. num. 5. verſ. in Eccleſia 60. diſt.*

Idque probatur ex ſequentibus. Primò, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 12.* portionarijs tantundem neceſſariam ætatem præſcribit; portionariorum verò appellatione, dimidij portionarij non comprehenduntur, maximè in materia odioſa, & reſtrictiua iuris communis, textus optimus in *capit. cùm de non Sacerdotali 27. verſicul. Similiter, de præbend. lib. 6.* 4

5 Secundò, nam dimidiæ portiones annexum ſacrum ordinem non habent, vt integris portionibus adiunxit Tridentin. Synodus *dict. cap. 12.* & ita declarauit Congregatio Eminentiſsimorum Cardinalium his verbis: *Licèt portiones habere debent annexum ordinem ſacrum, dimidiæ tamen portiones huic ordini non ſunt ſubiectæ.* Igitur cùm ætas ad portiones requiſita illa ſit, quæ ſuſceptioni annexi ſacri ordinis deſideratur, dimidiæ portiones, quibus nullus ſacer ordo eſt connexus, talem ætatem non requirent, vt manifeſtè dicta Cardinalium Congregatio expreſsit hoc modo: *Quo ad dimidias portiones non requiritur ætas requiſita ad ordinem ſacrum.* Cuius declarationis ſimul & ſuperioris meminit Hieronym. Gonçalez *vbi ſup. n. 93.*

6 Tertiò, quia vt notauimus, Concilium nihil quò ad dimidias portiones decreuit: ergo illas dereliquit in terminis iuris communis; ſed iure communi attento, ſecundùm veriorem opinionem, quam alibi probauimus, tam ad Canonicatus, quàm ad integras, & dimidias portiones Cathedralis Eccleſiæ quatuordecim annorum ætas ſufficiebat: igitur hæc etiam hodie obtinendis dimidijs portionibus erit ſufficiens, non verò quæ ex diſpoſitione dicti Concilij nunc ad integras portiones deſideratur, illis neceſſaria erit.

7 A cuius opinione, vel ab ipſius ſuſceptæ defenſionis curſu nequaquam nos depellent, in contrariæ ſententiæ munimentum adducta. Non vtique primum, quia vt *in dict. l. 76.* notat Gothofred. illius textus regula procedit, vbi eadem ratio militat in parte, ac in toto, at hic vtriuſque par ratio non eſt, vt ex præmiſsis liquet: ergo æqualis diſpoſitio eſſe non debet. Nec ſecundum vrget, ſiquidem non reſpectu valoris diuerſa ætas in dimidijs portionibus ac in integris conſtituitur, ſed ob rationes ſuperiùs expreſſas: ergo falſum erit aſſerere, magis aut minus hac ſpecie in cauſa eſſe, vt ius mutetur.

SVMMARIVM.

1 Maior quatuordecim annis propria beneficia reſignare poteſt. 1.
2 Minor viginti & quinque annis, maior tamen quatuordecim, in beneficialibus habetur pro maiori. 2.
3 Poſt quartumdecimum annum quilibet poteſt ad reſignandum procuratorem conſtituere. 3.
Minor an ſit aduerſus reſignationem reſtituendus, ſi poſt pubertatem reſignauerit? ibidem.
4 Regula de triennali, etiam in beneficijs puberum, ſed minorum viginti & quinque annis, locum ſortitur. 4.

QVÆSTIO LVII.

Quis reſignare beneficium, & triennali præſcriptione ex regula Cancellariæ amittere, ad reſignandumque procuratorem conſtituere poſsit?

1 NIl eſt ita in iure expeditũ, quàm minorem viginti & quinque annis, maiorem verò quatuordecim propria beneficia reſignare poſſe. Ita fere omnes Eccleſiaſticarum rerũ Scriptores proferunt, & accuratiùs Armilla *verbo Minor, num.* 2. Guillielm. Bened. *in cap. Rainunt. verbo Adiectæ num.* 62. *de teſtam.* Rebuffus *in praxi beneficiorum, titul. de cauſ. reſignan. §. ratione perſonæ & rei, numer.* 1. Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. capit.* 5. *num.* 57. & latius pro vtraque parte diſputans *quæſ.* 33. Puteus *deciſ.* 161. *lib.* 2. Craueta *conſil.* 90. Burſatus *conſ.* 411. Boerius *deciſ.* 350. *num.* 1. Flaminius Pariſius qui alijs relatis, *de reſign. benefic. lib.* 3. *quæſt.* 7. *numer.* 2. hoc veluti ſine dubio in Curia practicari affirmat, Sarnenſis *in reg. de triennali quæſt.* 15. Rophinial *de beneficijs cap.* 17. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 1. *num.* 5. Coſta *in §. & quid ſi tantum numer.* 62. Caldas Pereira *in l. ſi curatorem habens, verbo Læſis num.* 38. *G. de in integrum reſtit.* Menochius *de recuper. remed.* 10. *num.* 104. Sahagun *in cap. at ſi Clerici, §. de adulterijs num.* 17. & 43. *de iudicijs.* Flechilla *in cap. admonet, de renuntiat. num.* 40. Petr. Gregor. *ſyntagm. lib.* 17. *c.* 17. *n.* 17. Garſia *de benefic. part.* 1. *c.* 3. *num.* 59. id remiſsiuè tradens, Cardoſus *in praxi iudicum, verb. Minor. n.* 48.

Et rectè quidem ita obſeruari ſcribit Flaminius *vbi proximè num.* 3. nam minor viginti & quinque annorum, maior tamen quatuordecim, in beneficialibus habetur pro maiori, *cap. fin. de iud. lib.* 6. Quocirca, cùm maiori regulariter quælibet renuntiatio ſit permiſſa, vti inferiùs *anno* 25. elucebit, qui tantæ ętatis exiſtit, vt ſaltim quoad beneficiales caſus maior cenſeatur, neceſſariò beneficium poterit reſignare, aut per ſe, aut per procuratorem, ad id ſpecialiter conſtitutum: nam etſi Puteus *dict. deciſ.* 161. Rotam cenſuiſſe referat, vigeſimoquinto anno minorem, licèt à quartodecimo exeuntem, abſque cauſæ cognitione, & iudicis decreto ad reſignandum procuratorem inſtituere non poſſe: certius tamen eſt, nulla requiſita ſolemnitate puberem hunc procuratorem nominare, eo vtique, quia maioribus in concernentibus ſpiritualia æquiparatur. Vnde ita Quintil. Mandoſ. *dict. quæſt.* 34. & autoritate Rotæ defendit Flaminius Pariſius *dict. lib.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 9. & 10. numeris ſequentibus latè diſputans, an ſi prædicta ętate quatuordecim annorum minor renuntiauerit beneficium, ſit aduerſus reſignationem reſtituendus? qua de re etiam videndi erunt Marc. Anton. Peregrin. *de iure fiſci lib.* 5. *tit.* 2. *numer.* 45. Rebuff. *loco vbi ſuprà,* Garſia *d. cap.* 3. *num.* 61.

Et hanc ſententiam non ſolùm in expreſſa beneficij renuntiatione procedere arbitror, ſed etiam in tacita, & quę diſpoſitioni iuris ex aliquo temporis curſu inducitur, veluti ex regula Cancellariæ *de triennali*, cuius tanta vis eſt, vt beneficium renuntiaſſe, vel deſeruiſſe illum præſumat, qui per triennium ab alio pacificè poſsideri permiſit, ideoque ſi decimumquartum annum agens, alterum in proprio beneficio, ex collatione, electione, vel nominatione legitima per dictum tempus patiatur, iure ſuo priuabitur, & in poſterum ad beneficium nullum regreſſum habebit: & quod magis eſt, nec ſi reſtitutionẽ petat, audiri debebit, vt expreſsè docet Rebuffus *de pacific. poſſeſſ. num.* 307. cuius opinionem probabiliorem vocat Pat. Thom. Sanchez *conſil. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *capit.* 1. *dub.* 22. *numer.* 3. *in fine*, licèt contrariam, quam adhibita diſtinctione damni vitandi, & lucri captandi, defendunt Coſmas *pragmat. ſanction. titul. de pacific. poſſeſsion. verbo Impedimenti*, & Gomeſius *in dict. regula de triennali quæſt.* 15. etiam probabilem appellet.

SVMMARIVM.

MAior quatuordecim annis, vt confidentiarius poteſt puniri. 1.

Puberes ob delictum puniuntur. 2.

Confidentia, eſt delictum. ibid.

Maior quatuordecim annorum in beneficialibus, & ipſis annexis, etiam ſine curatore maior reputatur. 3.

Etiam impuberes, diſpenſati tamen ad beneficia, poſſunt ob confidentiam puniri. 4.

De ſtylo Curiæ nemo ad beneficia diſpenſatur, niſi qui per modicum tempus à pubertate diſtat. ibid.

Spatium duorum, vel trium menſium, modiciſſimum tempus cenſetur in materia confidentiæ. ibid.

Minores negligentes in publicandis reſignationibus beneficiorum ſibi factis, puniuntur. 5.

Qui beneficia recipiunt, vt infantibus reſeruent, quomodò puniantur? remiſſiuè. 6.

QVÆSTIO LVIII.

Vt quis comprehendatur ſub pœnis impoſitis contra confidentiarios?

1 HÆc quæſtio ſingularis eſt, & quam nemo ex his, qui de confidentia beneficiorum ſcripſerunt, diſputat, excepto Flaminio Pariſio; vtpote qui rem hanc cæteris excellentiùs diſcuſsit: is ergo perelegnti ſuo *tractatu de confidentijs beneficialib. q.* 20. poſt latam indagationem, *num.* 19. concludit maiorem quatuordecim annis, & minorem viginti & quinque committentem confidentiam, vel recipientem beneficia in confidentiam, comprehendi ſub conſtitutionibus Pij IV. & Pij V. aduerſus confidentiarios editis, & conſequenter ipſarum pœnis & cenſuris ligari.

2 Primùm, quia huius ætatis puberes; vt delictum admittere poſſunt, ita & illius pœnis affici, *l. pupillum, ff. de regul. iuris, l. infans, ff. ad l. Cornel. de ſicar.* cum alijs à nobis adductis *ſuprà anno* 10. ea ætate: *Vt ex quocumque delicto poſſit alicui ſaltim leuis, & extraordinaria pœna infligi*, necnon, & illa, qua *doli capaces culpæ & peccati compotes pueri exiſtunt.* At confidentia in beneficijs crimen eſt, vt Flaminius probat *numer.* 25. ergo & committi à pubere quatuordecim annorum, & in eo plecti poterit.

3 Secundùm, nam qui tot annorum exiſtunt, quo ad beneficialia, & ipſis annexa, pro maioribus habentur, *capit. vltimo, de iudicijs, lib. 6.* Boer. *deciſ.* 350. *num.* 1. *& ſeqq.* Flamin. *de reſignat. lib. 3. quæſt. 7. num. 3. cum ſequentib.* Srephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 74. *num.* 11. adeò, vt nec curatore indigeant, Molin. *de iuſtit. & iure, tract. 2. diſput.* 220. *numer. 6.* Flamin. *dict. quæſt.* 20. *de confidentijs numer.* 21. & nouiſsimè Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad dict. cap. fin. numer.* 2. *&* 3. quod ex alijs etiam ſæpiùs hoc anno indicauimus: ergo nihil obſtat, quo minus ex confidentia in beneficijs admiſſa, pubes vti quilibet alius maior veniat plectendus.

4 Quòd non ſolùm locum habere contendimus in decimoquarto anno maioribus, vt conſtitit, ſed etiam in minoribus, diſpenſatis tamen ad beneficia obtinenda, veluti egregie obſeruat Flamin. *dict. quæſt.* 20. *numer.* 12. Et ratio eſt, quia ex ſtylo curiæ non ſolet cum huiuſmodi diſpenſari, niſi pauci menſes legitimæ ætatis deficiant, & tunc etiam rarò, vt idem Flaminius teſtatur *numer.* 24. quo caſu eos iam exiſtere doli capaces credi poteſt, cùm non ſolùm pubertati approximent, verùm & quaſi puberes cenſeantur: præſertim in hac materia confidentiæ beneficiorum, vbi ſpatium duorum, vel trium menſium; vt modiciſsimum non habetur in conſideratione, vt ſentit Fillincius *tract. de beneficijs, cap.* 11. *num.* 4. *verſ. Quantus.*

5 Et conducit prò hac ſententia, quia ſi prædicti minores fuerint negligentes in publicandis reſignationibus beneficiorum ſibi factis, incidunt in pœnas non publicantium, ex *deciſione Rotæ*, quam adducunt Puteus *deciſ.* 453. *lib.* 1. S. Thom. de Tan. *deciſ.* 54. Aquil. de Graſsis *deciſ.* 10. *tit. de reſtitut. in integrum*, & Flamin. *vbi proximè numer.* 27. *& de reſignat. benefic. lib.* 11. *q.* 4. *n.* 43. Igitur, & in pœnas recipientium beneficia confidentiaria incurrere poterunt.

De his autem, qui recipiunt beneficia in confidentiam, vt infantibus, & naſcituris reſeruent, & vtrùm infantes eo caſu cùm ad legitimam ætatem peruenerint, ſiue rem deprehenderint, ſiue ignorauerint, confidentiarij ſint habendi? agit latè Flaminius *d. q.* 20. *à n.* 28. cum pluribus ſequentibus, quem omnino videas, mihi tamen non libet ipſius ſcripta hîc tranſcribere.

SVMMARIVM.

Penſio an beneficium, vel quid temporale ſit? 1. & 9.
Penſio an ab irregulari, maximè poſt Tridentinum poſsit obtineri? 2.
Septem annos ad penſionem ſufficere, qui doceant. 3. & 7.
Penſio vtrùm à laico poſsit haberi? 4.
Puer in beneficialibus, quomodo accipiatur? 5.
Concilium Tridentinum quid circa ætatem ad penſiones diſponat? 6. 8. & 13.
In reſeruatione penſionis an ſit mentio infantilis ætatis facienda? 7.
Pater exigendo penſionem, adquirit filio minori quatuordecim annis poſſeſsionem exigendi, ad effectum manutentionis. ibid.
Penſionarius gaudet priuilegio fori. 10.
Penſionarius tenetur quotidie recitare officiũ Beatæ Mariæ. 11.
Penſionarÿ tonſuram, & habitum Clericalem deferre tenentur. 12.
Penſio reſeruata Clerico infanti abſque diſpenſatione, eſt nulla. 13.
Infans, niſi de conſenſu ordinarÿ, non poteſt ad conſentiendum penſioni procuratorem conſtituere. 14.
Ætas quatuordecim annorum inchoata ſufficit ad penſionem obtinendam. 15.

QVÆSTIO LIX.

Ad penſionem abtinendam?

1 CVius ætatis eſſe debeat is, in cuius fauorem penſio reſeruanda eſt, nec ſatis inter Autores liquet: quidam enim ius commune ſecuti, ſeptennẽ ad penſionem admittendum ex ſequentibus adſtruunt.

2 Primùm, quia penſio beneficium Eccleſiaſticum nõ reputatur, nec beneficij appellatione comprehenditur, ſed potiùs quid temporale exiſtimatur, ex Felini ſententia *in cap. ad audientiam 31. de reſcript.* Domin. Franch. *in cap. quamuis, de præbendis lib. 6.* argumento dictorum iurium, Staphil. *de literis grat. & iuſt. in noua forma ſpectatiuarũ n. 27.* Selua *de benefic. 1. par. q. 3. n. 11.* quam etiam ſecuti ſunt Cacialupus *de penſion. q. 12. in fin.* Gigas *de penſion. q. 2.* vbi plures refert & *in conſil. 30.* alioquin 139. Nicol. Delphin. *de iure patron. lib. 1. n. 74.* Duardus *de benefic. lib. 3. cap. 4. & lib. 6. c. 4.* Paleot. *de nothis & ſpurijs cap 58. num. 4.* Mandoſ. *in reg. 8. Cãcellariæ q. 11. n. 11. & conſ. 55. n. 18. & conſ. 139.* Couar. *practic. cap. 36. n. 10. verſ. 4.* Guerrero *in ſuo theſauro c. 61.* Nauarr. *conſ. 11. de conſtitution. n. 8. & conſ. 8. de iure patron. n. 8. & conſ. 66. de ſimonia, n. 30.* Ojeda communem dicens *de incompatibilitate beneficij, in præfatione numer. 30. & in 2. p. q. 7.* Borrel. *in ſumm. deciſ. tit. 30. n. 2. 3. 85. 111. & ſequent. vbi & num. 112. & 117.* ſubijcit, tunc ſolùm penſionem beneficium haberi, quoties datur in titulum Eccleſiaſticum, ex Gimontio *in inchirid. benefic. titul. 1. c. 10. n. 7.* Gigas *vbi ſup. n. 20.* probat ſuperiorem ſentẽtiam Iacob. de Graffis *lib. 1. deciſ. 50. n. 12.* Azeuedus *in l. 1. tit. 4. lib. 1. Recop. n. 5.* Laſarte *de gabellis c. 19. num. 24.* Quintanadueñas *in Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 3. num. 13.* Pariſius *de reſignatio. benefic. lib. 1. q. 10. num. 69. & lib. 2. q. 15. num. 11. & lib. 11. q. 4. num. 32.* Suarez *de cenſuris 5. tom. diſput. 13. ſect. 1. num. 7.* Gonç. *ad reg. 8. Cancellar. gloſ. 5. §. 5.* Nicol. Garſia *de beneficie. 1. p. cap. 2. num. 5.* Zeuall. *de cognit. per viam violentiæ q. 62. num. 16.* Filliucius *de ſtatu Clericorum tractat. 42. de penſionibus, c. 1. n. 8.* vbi etiam poſt Concilium Trident. affirmat, omnino certum videri penſionem beneficium non eſſe, *ex c. 2. § 21. & cap. 15. ſeſſ. 25. de reformat.* quibus penſiones à beneficijs diſtinguuntur, indeque cum nonnullis aſſerit contra Nauarrum & Pariſium *c. 3. n. 11. verſ. Denique*, penſionem ab irregulari, vtpute homicida, rectè obtineri poſſe: ergo ad obtinendam penſionem ſeptem anni ſufficient, vt Congregatio cẽſuit in vna Venetapenſionis coram reueren. domin. Robuſterio, meminit Garſia *de beneficÿs p. 1. c. 5. n. 128.* & probant Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 504. n. 17.* Riccius *in praxi penſionum deciſ. 430.* noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c. 16. num. 71.* & diximus ſuprà *anno primo*, indicareque videtur Filliucius, dum infantem ſolummodò ab obtinenda penſione excludit *dict. tract. c. 3. n. 3.* 3

4 Secundùm, nam ex quo penſio non quid ſpirituale, ſed profanum iudicatur, ab infante laico obtineri poteſt, Baldus *in cap. ad audient. el 2. de reſcript.* Gigas *de penſionibus q. 7.* ergo per conſequens, quando Clerico reſeruatur, ſufficiet ętas ſeptennij, quam ad primam tonſuram ſufficientem omnes fatentur, argum. text. *in c. nullus*, à contrario ſenſu, vbi etiam Gloſſa *de tempor. ordinat. lib. 6.* Cardinalis *in Clement. vltim. de ætate & qualit.* & nos alibi fuſiùs.

5 Tertiùm conducit plurimum Cardinalis opinio in *Clemẽtina 2. q. 9. de offic. ordin.* aſſerentis,

rentis, penſiones pueris abſque dubio aſsignari poſſe: & tamen in beneficialibus puer intelligitur, à ſeptennio ſcilicet vſque ad decimumquartum annum, vt docuit Abbas *in in c. ſuper inordinatà, verſic. Et dicitur puer, de præben. & dignit.* ergo ſeptennium ſufficiet ad obtinendam penſionem.

Quartum ex eo, quia Concilium Tridentinum, quod exigit ætatem decimi & quarti anni, tantùm loquitur in beneficijs, & nihil quoad penſiones innouat, nec earum meminit, cùm non ſint Eccleſiaſtica beneficia, quare remanſerunt in diſpoſitione iuris communis diſponentis ſeptem annos ſufficere pro obtinenda penſione; Stephan. Gratian. *diſcept. foren. cap.* 387. *n.* 17.

6 Ex quibus prædictam opinionem tenuerunt Vincentius relatus à Cardinali *in dict. Clementin.* 2. *quæſt.* 9. *de offic. ordinar.* Gigas *de penſ. dict. quæſt.* 3. *per totam*, Ioan. Selua *de beneficijs* 3. *part. quæſt.* 5. Quintil. Mandoſ. *de ætat. min. quæſt.* 23. *num.* 2. Farinac. *deciſ.* 549. *tom.* 2. *vltim. nouiſsima*, qui

7 ideo aſſerit in reſeruatione non eſſe neceſſariam expreſsionem infantilis ætatis, quia penſionis, etiam infantes capaces ſunt, Stephanus Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 397. *num.* 17. & priùs indicauerat *cap.* 365. *num.* 41. *& ſequentibus*, aſſerens, patrem exigendo penſionem acquirere filio penſionario, & minori quatuordecim annis, poſſeſsionem exigendi, quoad effectum manutentionis, non verò acquirere filio prædicta ætate maiori, quia tunc filius per ſe debet penſionem exegiſſe, vt in poſſeſsione exigendi ritè conſtituatur, ex rationibus ab eo adductis *ibidem numer.* 9. docet ſuperiorem ſententiam Leſsius *de iuſtit. & iure, lib.* 2. *capit.* 34. *de benefic. dub.* 38. licèt anceps exiſtat Lelius Cecchus *de benefic. & penſion. capit.* 1. *num.* 7. & exprimi debere, nouiſsimè tenuerit Viuian. *in praxi iuris patro. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 189. Roder. Acunha *in cap. nullus Epiſcopus* 1. *num.* 5. 60. *diſtin.* Minori autem ſeptennio niſi præcedente diſpenſatione reſeruari non poſſe, Gigas indicat *de penſion. dict. q.* 13. *ad fin.* Selua *de benefic.* 3. *p. q.* 5. *num.* 27. Pariſ. *de reſign. benefic. lib.* 8. *cap.* 2. itaque pluries declaratum fuiſſe, quàm multis alijs relatis tradit Garſia *de benefic. d.* 1. *p. c.* 5. *n.* 127.

8 Sed licèt ſuperior ſententia probabiliſsima ſit, diuerſa tamen mihi, nec minus arridet, ſcilicet quòd in decimoquarto anno conſtitutus quis eſſe debeat ad penſioné obtinendam, ex mére Concilij Tridentini *ſeſſ.* 23. *de reformation. c.* 6. cuius eam eſſe teſtatur Leſius *vbi ſuprà.*

9 Et fulcitur mea ſententia, quia penſio æquiparatur beneficio, *c. quamuis de præbendis in* 6. Creſcencius *deciſ.* 14. *de ſententia & re iudic.* Riccius *in praxi variar. reſol. reſolut.* 445. Nec ſolùm aliqui beneficio aſsimilant, ſed ipſam penſioné beneficiũ nuncupant Eccleſiaſticum, beneficijq; appellatione cõplectuntur, vt docet Barbacia *in d. c. ad audientiam el* 2. *de reſcript.* vbi beneficium eſſe fatetur, quia ex fructibus beneficij depẽdet; ita Redoanus *de ſpolijs Clericorum*, §. *ex his n.* 6. Flores *q.* 21. *num.* 159. Cęlius *cap.* 11. *n.* 9. Vega *in ſumma caſu* 37. & cenſuit Rota, vt refert Flamin. *de reſignat. beneficij lib.* 6. *q.* 4. *num.* 54. Garſia *d.* 1. *p. cap.* 5. *num.* 19. & 21. quibus accedunt Paul. Roman. *in tractat. de penſion. cap.* 6. *n.* 34. & *c.* 7. *n.* 16. Gambarus *de poteſtat. legati, lib.* 6. *à n.* 309. Maior *in* 4. *q.* 5. *c.* 25. Ergo quemadmodum ſacroſancta Triden. Synodus decimũ & quartum annum ad beneficia deſiderat, & ad penſiones requiſiſſe dicẽdum erit, cùm beneficij appellatione etiam penſiones contineantur.

Secundò circumuallatur ſuperior opinio, 10
quia obtinens penſionem habetur pro Clerico beneficiato, quoad fori attinet priuilegium, quemadmodum Congregatio cenſuit Cardinal. *dict. ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 6. quæ habetur inter pretermiſſas, quas adducit Ioan. Galematt. *in vltima editione dicti Concilij*, ibi: *Congregatio Concilij cenſuit obtinentem penſionem haberi pro Clerico beneficiato, ad effectum priuilegij fori*, tenet Hieron. Gonçalez *in reg.* 8. *Cancellariæ gloſ.* 5. §. 5. *n.* 6. vbi latè diſputat, & Zeuallos alios referens *dict. loco n.* 31. Marta *de iuriſdict.* 2. *part. c.* 32. *n.* 45. vbi affirmat habentem penſionem beneficij Eccleſiaſtici gaudere priuilegio fori, & eſſe remittendum ad iudicem Eccleſiaſticũ, ſicque pluries fuiſſe Neapoli iudicatum. Igitur tamquam beneficium penſio debet regulari, & conſequenter eadem ætas neceſſaria erit ad penſionem quæ ad beneficium.

Tertiò ſimiliter roboratur, nã ſi penſio be- 11
neficium Eccleſiaſticum non eſſet, aut minus quid ſpirituale, vtique nec penſionarius ad recitandum compelleretur, cùm illud onus tantùm ſubeant qui Eccleſiaſtica beneficia obtinent: ergo cũ ex *Conſtitutione Pij Quinti* 138. quam refert Nicolaus Garſia *de beneficijs* 1. *p. c.* 5. *n.* 17. Filiucius *vbi ſup. c.* 13. *num.* 2. penſionarij ad horas ſeu officium B. Mariæ quotidie recitandum adſtringantur, abſque dubiò penſionem beneficiũ Eccleſiaſticum eſſe fateri oportebit, quãuis ex eo hoc inficietur Iacob. de Graſ. *vbi ſup. n.* 10. quòd tantum officium B. Virginis, & non horas Canonicas recitare tenetur, quas omnes beneficiarij indiſtinctè dicere quotidie debẽt.

12 Quartò, nam penſio abſque Clericali ordine poſsideri non poteſt, vt probant Redoanus *dict. §. ex his à numer. 6.* Nauarrus *conſil. 63. de ſimonia num. 5.* Marqueſan. *de commiſ. 2. part. cap. 4. de commiſſ. appellationis, num. 60. & 61.* Rota *deciſ. 139. lib. 3. part. 3. diuerſ.* Nicol. Garcia alios referens *dict. 1. part. cap. 2. num. 10.* Zeuallos *de cogn. per viam violent. dict. q. 62. num. 12.* & ideò nouiſsimè Viuianus aſſerit *vbi ſup. num. 189.* ad penſionem ſeptimum annum completum requiri, quia illa ætate primam tonſuram ad illam obtinendam neceſſariam, recipere poteſt: & tandem ſuperiores omnes tenent prædictos penſionarios, vt beneficiarios deferre habitum & tonſuram debere, refert Garcia pluribus relatis *vbi ſuprà num. 11.* ex quo apparet, penſionarios Eccleſiaſtica beneficia poſsidere: nam alioquin ad ea non tenerentur: & licèt non ignorem veriorem opinionem eorum, qui affirmant penſionem beneficium non eſſe, vt oſtendit Garſia, & refert Zeuallos vterque *vbi ſuprà.* Attamen ſubſcripta edocebunt, non procul à beneficio penſionem diſtare, maximè quoad ætatè, de qua lis vertitur, præſertim, ſi quintum fundamentum inſpicias, ex quo indubitabilis opinio redditur.

13 Quintò & vltimò fortius corroboratur, ſuperior ſententia, nam cùm per S. Concilium *dict. ſeſsion. 23. de reformat. cap. 6.* decerneretur neminem poſſe ante decimumquartum annum Eccleſiaſtica beneficia obtinere, Congregatio Concilij declarauit, vt refertur inter declarationes illius *numer. 3.* in vltima editione, idem eſſe in pēſione, ibi: *Congregatio idem cenſuit in penſione,* quare hanc ſententiam defendit Sà *in ſumma, verbo Beneficium num. 30.* Garſia *dict. 1. part. cap. 5. num. 129.* Nauarrus *conſ. 11. num. 2. de tempor. ordinan.* Pariſ. *de reſign. benefic. lib. 6. q. 2. numer. 83.* qua ſententia retenta Rota cenſuit apud Paulum Æmilium *2. par. deciſ. 218.* penſionem reſeruatam Clerico infanti abſque diſpenſatione, eſſe nullam, propter ſubreptionem: ita docet Borrellus *in ſumma deciſ. tom. 3. numer. 66.* & rurſus *deciſ. 11. p. 3.* Decreuit infantem niſi de conſenſu ordinarij non poſſe ad conſentiendum 14
penſioni procuratorem conſtituere, probat Borrel. *vbi ſup. num. 78.* & ſuperiori ſententiæ ſubſcribit ex Ricio *in praxi deciſ. 430.* & *reſolutione 367. n. 2.* Stephan. Gratian. *diſceptationum tom. 3. c. 397. n. 17.* Auguſt. Barboſ. *in paſtorali p. 3. alleg. 60. numer. 79.*
Vnde cùm eadem ętas ad penſionē obtinendam quæ ad beneficiũ deſideretur, obſeruandũ erit, quòd quemadmodũ dicti quatuordecim anni ad beneficia inchoati ſufficiũt, quã uis nõ expleti, vt docet P. Enriquez *in ſum. lib. 10. cap. 10. §. 2.* P. Leſius *de iuſtit. & iur. lib. 2. c. 34. dub. 20. num. 109.* Aloiſius Ricius *in collect. deciſ. collect. 860. verſ. Limita ſecundò,* Zeuallos *q. 523. n. 4. & q. 593. nu. 8.* Thom. Vall. *tom. 1. alleg. 8.* Gracian. *deciſ. 32.* ita & ſimiliter ad penſionem ſufficere, cùm vt hucuſque aſſeruimus, penſio & beneficium pari tramite menſurentur. 15

A N-

ANNVS DECIMVSQVINTVS.

SVMMARIVM.

Q Vintum & viceſimum annum requiri ad agendum executiuè cõtra aliquem, plerique exiſtimant. 1.

Verius eſt quindecim annos ſufficere vt executio contra debitores in iudicio petatur. 2.

Vbi proceditur ſine figura iudicij, minor in iudicio ſine curatore eſſe poteſt. 3.

In cauſis executiuis ſummariè, & abſque figura iudicij proceditur. 4.

Idem eſt ſummariè, & ſine iuris ordine, ac ſine figura iudicij procedere. ibid.

Elapſo decennio ita minori poſt pubertatem intercluditur via executiua de iure noſtro, vt nec beneficio reſtitutionis poſſit ea vti. 5.

QVÆSTIO I.

Vt creditor contra debitorem executionem intendat?

V Igeſimum & quartum an-
1 num neceſſarium, vt creditor aduerſus debitores ſuos abſque tutoris, vel curatoris interuentu executiuè experiatur, tãquam certiſsimum ſcripſerunt Paz *in praxi tom.* 1.*p.*4.*c.* 2.*n.*17. Ioann. Parlador. *lib.*2.*rer. quotid. c. fin.*3.*p.*§.1.*n.*9. & eius aſſecla Amator Rodericus *tract. de executione, c.*3.*n.*4. Mathias Collerus *tract. de proceſsibus executiuis p.*2.*c.*2.*n.*98. *in vltima editione*, illa vulgari ſententia nixi, quæ certiſsimi iuris eſt, ſcilicet, minorem in iure, non niſi tutore, aut curatore autore ſtare poſſe, *l.*1. 2. & 3. *C. qui legitim. perſonam*, §.1. *inſtit. de curatoribus*, de quà agemus latiùs vbi de ætate ad comparendum in iudicio præcipuus ſermo ſe obtulerit.

Oppoſitum, imò quòd quindecim anni 2
ſufficiant (vel vt ego interpretor, quatuordecim, ſaltim iam tranſacti) vt ſine tutoris vel curatoris autoramento minor executionem intendat, ex doctrina Aretini *in l. cùm & minores, C. ſi aduerſus rem iudicatam* Natæ *in Clement. ſæpè, § quæ omnia, col.*25.*q.*5. *principali, de verbor. ſignif.* Iacobi à Sancto Georgio *in l.*1.*C. qui admitti*, Barbac. *conſil.* 86.*col.*2.*lib.*3. Corn. *conſ.*217.*lib.*1. quos ſecutus eſt Ioan. de Neuiçanis *conſ.*18.*num.* 11. tenuit Franciſcus Milanenſis *in deciſ. Siciliæ, deciſ.*23.*n.*6.

Sed etſi in hac doctorum conflictatione 3
non facile fuerit ſecurè pronũtiaſſe, quæ opinio, cui preferenda ſit, ſtatuo tamen hanc vltimam ſententiam Franciſci Milanenſis veriorem ex dict. Aretini, & Ioannis Neuiçani doctrina ab ipſo allata, qua aſſeritur, regulã illam, quę habet, quòd minor non poteſt eſſe in iudicio ſine tutore, non procedere quando agitur ſine figura iudicij, quia tali in caſu remiſſæ cenſentur omnes ſolemnitates quæ
iuris ciuilis ſunt. At in executiuis proceditur 4
abſque figura iudicij, quia ſummariè, & ſine iudiciario ordine cauſę peraguntur, Bartol. *in l. creditores, verſ. Aduerte tamen, C. de pignori*, Maranta *de ordine iudicia* 4.*p. diſt.*9.*n.*175.*& ſeq.* Card. Tuſch. *practic. concluſ. iuris lit. E. concl.*473.*n.*9. idemque eſt ſummariè procedere, & ſine iuris ordine, quod abſque figura iudicij, vt tenet Maranta *vbi ſup. n.*11. probat Collerus *dict. tract. in præfatione num.*22. *vbi ſup.* ideò, inquit, quòd in executiuis proceſsibus ordo iuris eſt ordinẽ nõ ſeruare. Igitur ſi iuris ciuilis ſolemnitates in executiuis de neceſsitate non ſunt, neque curatoris autoritas exequẽte minore erit neceſſaria, quæ vti ſolemnitas in minorũ cauſis fuit iure inducta, *totus titulus de autor. tutor.* eſt enim, vt probauimus, executionis iudiciũ ſum-

ſummarium, in quo procedi poteſt omiſsis omnibus ſubſtantialibus iudiciorum, & omiſſo omni ordine iudicij, ita vt dumtaxat ſolemnitas iuris gentium ſeruari debeat, ex Oldraldo *conſ.* 115. Corneo *conſ.* 54. *col.* 2. *verſic. Illa etiam verba, volum.* 2. Bartol. *in extrauagan. ad reprimendam, in verſic. Et figura*, Cardinalis & alij relati à Roberto Maranta *vbi ſup. num.* 11. licèt contrarium in filiofamilias tenuerit ex pluribus Menoch. *de interdicto recuperandæ remed.* 15. *à num.* 372.

Itaque verum eſt, puberem minorem non aliter ac quemlibet maiorem exequendi poteſtatem habere, vt etiam elapſo decennio, quo regulariter iure Regio via executiua intercluditur, *l.* 63. *Tauri, l.* 6. *titul.* 15. *lib.* 4. *Recopilat.* nec reſtitutione quidem poſtulata poſsit executionem petere, & præſcriptionis exceptionē repellere, doceat Parlador. *rerum quotidian. lib.* 1. *cap.* 1. §. 13. *num.* 15. Quapropter ſi decimoquinto anno maior fuerit, ab exequendo exceptione minoris ætatis repelli non poterit, vt repelleretur ſi minor eo fuiſſet, ex ſententia Anton. de Canario *tract. de executione inſtrum. quæſt.* 15. *num.* 35.

SVMMARIVM.

Conditionem nubendi, aut religionem ingrediendi impuberi adſcriptam, eſſe triennio poſt legitimam ætatem ad matrimonium, vel profeſſionem adimplendam, multis placet. 1. *& ſeqq.*

Nullam determinatam ætatem implemento huius conditionis eſſe præſcriptam, probabilius habetur. 3.

Quod nullum habet tempus præfinitum, quocumque vitæ ſpatio poteſt fieri. 4.

Conditio, ſi nupſerit, ad tempus infinitum extenditur. 5.

Benedicti Ægidij *ſententia refellitur exiſtimantis, non ita in infinitum huius conditionis implementum debere protrahi, vt in ſenectute adimpleatur.* 6.

Text. in c. lectores 8. 32. *diſtinct. verus ſenſus traditur.* 7.

Text. in c. quicumque 3. *in princip.* 77. *diſtin. explicatur.* 8.

Conditioni non nubendi obtemperat, quæ ante legitimam ætatem nupſit. ibid.

Præceptum nubendi non per viam modi, ſed conditionis maioratibus adſeriptum, ſpatio anno breuius debet adimpleri. 9.

Qui ſine temporis præfinitione promiſit aliquā ducere, aut votum emiſit, tenetur ſtatim vbi fuerit interpellatus id adimplere. 10.

Ducens puellam ante nubiles annos non ſatiſfacit obligationi. 11.

Matrimonium id ſolum dicitur, quod fuit intra legitimam ætatem celebratum. ibid.

QVÆSTIO II.

Vtrùm aliqua ætas ſit à lege præſtituta, intra quam conditio illa, ſi nupſerit aut religionem ingrediatur, *teſtamento ſcripta debeat adimpleri?*

HÆc quæſtio admodum controuerſa eſt. Affirmatiuam partem tuentur plerique è pragmaticis, & triennio poſt requiſitam ætatem ad matrimoniū, vel profeſſionē eſſe adimplendā quoties impuberi adſcribitur, contēdunt Bartolū ſequentes *in l.* 2. §. *ad filiorum num.* 1. *C. quando & quibus quart pars debeat. lib.* 10. & Ioan. de Platea *ibidem in prin. verſ. Nota ſingulariter*, è quorum numero ſunt Fran. Marcus *deciſ. Delphin. tom.* 1. *q. mihi* 863. Muta *ſuper conſuetud. Panorm. c.* 47. *n.* 95. Lucas de Pena *in d. l.* 2. *col.* 8. *ad fin verſ. Ad filiorum*, Thobia *conſ.* 25. *n.* 6. Guilliel. Benedict. *in repetit. c. Raintintius in* 2. *p. verb. Cuidam Petro tradidit. n.* 4. *&* 5. vbi id abſque vlla purgatione moræ procedere ait, Gabriel. *conſ.* 131. *n.* 15. *ad medium lib.* 1. Menoch. *de præſumpt. præſumpt.* 199. *n.* 19. *in princip. lib.* 4. Simon de Prætis *de interpret. vltim. volunt. lib.* 4. *dubit.* 12. *n.* 65. Stephan. Gratian. qui latè diſputat, & plures pro ſua opinione adducit, *diſcept. forenſ. tom.* 1. *c.* 137. *à n.* 10. & latiùs *tom.* 2. *c.* 254. *à n.* 1. *vbi & n.* 11. id etiā ſeruandū eſſe affirmat, in legato relicto ſub conditione ingrediendi monaſterium, ita vt poſt tranſactā ætatem legitimā ad profitendū in triennio proximo debeat adimpleri; quod etiam ſentit Carol. de Tapia *de religioſis rebus c.* 1. *n.* 3. & tandem Gratian. *n.* 18. ſuperiorem ſententiam dumtaxat in legatis admittit, non vero in hęredum inſtitutionibus.

Fundamentum verò huius opinionis deſumitur ex *dict. l.* 2. §. *ad filiorum, C. quando & quib. quart. pars debeat, lib.* 10. vbi filiæ impuberes curialium, vt quartæ præſtationē ab innuptis tēpore paterni obitus Curiæ debitā effugiant, poſt triennium à pubertatis ingreſſu, debent curialibus matrimonio copulari: ex quo vulgò circumfertur, idem temporis ſpatiū eſſe præfinitum implemento cōditionis *ſi nupſerit, vel monaſterium ingrediatur*,

quo-

quoties aut fœminæ, aut viro ſub ea legatum, vel quid ſimile relinquitur.

3 Cæterùm hac ratione nõ obſtante, contraria ſentẽtia longè eſt verior, nẽpe huius conditionis implemẽtum nullã habere determinatã ætatẽ, ſed quòd poſsit toto vitæ ſpatio adimpleri, abſque aliqua tẽporis præfinitione, vt aduerſus ſuprà relatos optimè defendunt Coſta *in l. cùm tale, §. ſi arbitratu, verſ. Vltimò legis ſententia n.29. de condit. & demonſtr.* Craſſus *de ſucceſsion. §. legatũ, q.46. n.18.* Vazq. *controuerſ. illuſtriũ lib.3. c.94. n.6.* Runnus *in d.l. hæc conditio 10. n.2.* Fontanel. *de pact. nuptial. clauſul. 6. gloſ. 3. p.4. à n.12.* Cardin. Mant. *de coniect. vltim. volunt. lib.11. tit.18. n.23. & 24.* vbi licèt ſuperiorẽ doctrinã propter autoritatẽ tãtorum Doctorum in foro obtinere teſtetur; tamen in puncto iuris hãc oppoſitã veriorẽ exiſtimat, & pluribus cõprobat, tradit etiam Lender. Galganet. *de conditionibus p.2. q.49. n.2. &* 3. Spinus *in ſpeculo teſtam. gloſ. 14. n.20. & 21.* Ioan. Gutier. *conſ. 17. n.13.* Azebed. *conſil. 4. n.36. & 42.* Parlador. *in ſexquicentur. differen. 142. § 4. n.2. & 3.* & D. Ioann. del Caſtillo quem poſt hęc ſcripta vidimus, *lib. 5. quotid. controuer. c.115.* vbi poſt longã diſputationẽ de vtraque conditione nubẽdi, & monaſteriũ ingrediendi loquens, idẽ concludit *n.6. & 7.* niſi aliter ex volũtate expreſſa vel præſumpta teſtatoris cõſtaret; ſiquidẽ in cõditionibus teſtãtis voluntas primũ locum obtinet, *l. in conditionibus primum locum, ff. de condit. & demonſtr.* vt ex Anton. Ripol. *in l.2. n.75.* ſubiungit idem Caſtill *n.8.*

4 Pro qua opinione hęc adduci ſolent fundamenta. Primũ ex *l. hæc conditio 10. de condit. & demonſtr.* vbi legitur, quòd hæc cõditio, *ſi nupſerit*, talis eſt, vt qui eam teſtamẽto ſcripſit, impleri ſolùmodò voluerit, non etiã ſollicitus fuerit quando: ergo quandocũque etiã poſt trienniũ à pubertate poterit adimpleri. Nã cùm ex natura, aut iuris diſpoſitione nullũ habeat tẽpus præfinitũm, in perpetuũ ei poſſe obtẽperari certũ eſt, vt notatur *in l. ſine præfinito 23. ff. de pœnis.* & probatur *argument. text. in l. qui fundũ, ff. de contrah. empt. l. in vendit. §. de tempore, ff. de bonis autorit. iudicis poſsiden.* iunctis alijs, quę tradit Caſtillo *vbi ſup. n.6.*

5 Secundũ, quod hanc rem manifeſtiùs confirmat, in deciſione poſitũ eſt, *l. conditionum, quæ in futurũ 91. eod. tit.* qua expreſſum extat, huiuſmodi conditionẽ *ſi nupſerit* ad tempus infinitum extendi, ideoque & quandoq; impleri poſſe: igitur non debet ad triennium pubertati, aut viri potentiæ proximum reſtringi.

Ad argumentũ verò contrariæ opinionis reſpõdetur, *d.l.2. §. ad filiorũ*, loqui in diuerſa ſpecie, vt rectè expendit Socin. *in d.l. hæc conditio. n.2.* ex qua ad noſtrã queſtionẽ velut è re diſsimili nihil inferri poteſt, ſi verũ eſt quod dicitur, illationẽ à diuerſis nõ fieri, *l. vlt. de calumnia, l. Papinian. exuli, ff. de minoribus, l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquir. poſſ.* maximè cùm caſus *d.l.2.* ſit caſus ſpecialiſsimus, qui quidem ex vulgaribus iuris regulis ad conſequentias non eſt trahẽdus, vt *ad dict. l. ſolutionem* latiùs conſiderat Mantica *vbi proximè n.24.* quo loco noſtræ reſolutioni minimè *d.l.2.* obſtare euidentiſſimè oſtendit, quod cùm apud eũ videri poſſit, libenter prætermitto.

Ex quibus meritò licèt colligere, quantũ à certo deuiauerit Benedict. Ægid. *in repet. l. Titiæ ſi non nupſerit 1. p. n.55. de cond. & demonſt.* cùm ab vna & altera prope relatis ſententijs diſcedens, arbitratur, conditionem hanc non ita in infinitum eſſe trahendam, vt pro illius implemento quinquagenariam, vel etiam ſexagenariã expectare debeamus ætatem, ſiquidẽ credibile nõ eſt, teſtatorem, qui puellæ ſub tali nubendi conditione quidquã reliquit, de nuptijs ea ætate contractis cogitaſſe, qua ſecũdùm naturæ regulas fruſtrà cõtrahuntur. Quocirca concludit, mulierẽ conditione defectam cenſeri, cùm ad eã peruenerit ætatem, quæ contrahendis nuptijs inepta cẽſetur. In quo quidẽ fallitur prædictus Autor. Nam, vt iam inſinuauimus *ex d.l. hæc conditio. 10. de condit. & demonſtrat.* teſtatori, qui ſimilẽ nubendi conditionẽ adijcit, nulla temporis, quo exequi conditio debeat, cogitatio eſt, ſed tantùm implementi ipſius conditionis, id eſt, vt cõtrahatur matrimonium: ergo inito matrimonio qualicumque ætate, etiã prouectiſsima, conditioni, quæ nubendi tantùm fuit, paritum videbitur: quia finis, & ſcopus voluntatis ſub tali conditione legantis matrimonium fuit, vt ſic, non vt congruo tempore contractum. 6

Et licèt cõtrarium probari poſſe videatur ex ſingulari deciſ. *text. in cap. lectores 8. 32. diſtin.* vbi Lectores, quibus ordo ſub illa tacita conditione collatus intelligitur, ſi continentiã profiteãtur, aut vxores duxerint, cùm ad annos pubertatis venerint, velut congruo tempore, coguntur, vel continere, vel matrimoniũ inire: attamen parùm propoſitæ reſolutioni refragari videtur, ſiquidẽ omiſſa literæ emendatione, qua huius textus difficultatẽ effugere nititur Acunha *ibid. n.3.* potiùs cũ Turrecremata *eodem loco* dicendum erit verbum *Cogantur*, quo textus vtitur, non in ſtricta ſignificatione, ſed in laxiori accipi debere, 7

bere, ita vt potiùs interpellationem, ſuaſionem, & ſalutarem quandam monitionem denotet, ne aliàs dicamus cogendum aliquem vllo tempore ab Eccleſia, vel ad matrimonium, vel ad votum continentiæ.

8 Maiorem autem difficultatem ingerit quod dicitur *in cap. quicumque 3. in principio 77. diſtin.* nempe, eum qui ſe vouit miniſterijs Eccleſiæ à ſua infantia, ante pubertatis annos, ideſt ante finitam pubertatem, vt rectè exponit hîc Rodericus Acunha *numer.* 2. baptizari, & Lectorum debere miniſterio ſociari. Vnde infertur, obligatum ad aliquid, quod certam ætatem requirit, ad id teneri ſtatim ac neceſſariam ætatem attingit (anteà enim etſi nupſiſſet, conditio pro non adimpleta haberetur, *l. hæc conditio. 10. ff. de condition. & demonſtrat. l. penultim. ff. quando dies legati cedat*) cùm & baptizari, & ordinari *in dict. cap.* accedente pubertate obſtringatur qui id facere vouerat. Sed reſpondetur, eiuſmodi vouentem ſe Eccleſiæ, non teneri baptiſmum in ipſo pubertatis initio, vt in ætate ad id preſcripta, ſuſcipere, quia baptizari vouerat. Alioqui daretur obligatio, aut præceptum accipiendi baptiſmum certo tempore, quod non eſt, vt docet Caietanus *3. part. quæſt. 68. artic. 3.* Suarez *tom. 3. de Sacrament. diſput. 31. ſect. 2. §. ſecundò ex hoc principio*, & Acunha *in dict. capit. 3. numer. 7.* ſed quia ordinari vouerat. Nam pręcipit Eccleſia nullos ad ordines eſſe admittendos, qui intra impubertatis tempus baptiſmum ſuſcipere neglexerint: non quidem per modum pœnæ, ſed per modum conuenientis cuiuſdam diſpoſitionis ſuorum beneficiorum & miniſteriorum, vt conuenienti modo eos induceret ad præceptum diuinum exequendum, vt in ſimili explicat Suarez *vbi proximè*, & ex eo Acunha *dict. loco num. 10.* Quocirca cùm Eccleſiæ miniſterijs ſe ab infantia ille *in dict. cap.* vouiſſet, ideſt, ordinari promiſiſſet, facere ratione voti tenebatur id, ſine quo votum adimpleri non poterat. Nec obſtat, quòd etiam ſtatim poſt ſuſceptum baptiſmum ad gradum, & ordinem Lectoratus aſſumendum compellitur: quia verbum illud ſtatim *in dict. text.* non eam habet ſignificationem, vt illicò fieri denotet, imò illam, vt obſeruat Acunha *num. 12.* quod ſine magna dilatione, & temporis interuallo exequatur, ex multis, quos *ibi* allegat, videlicet, vt ſuprà reſoluimus, poſt biennium à dicta ætate.

Vnde cùm nihil ſit quo meritò poſsimus à propoſita ſententia dimoueri, illam debere admitti, iterum admonemus, etiamſi de implenda conditione nubendi agatur, quæ in maioratibus Hiſpaniç ſolet adſcribi. Nam ſi generaliter ſucceſſoribus nubendi, aut vxorem ducendi onus iniungatur, idē quod in ſuperiori caſu dicendum eſt. Secus verò ſi non generaliter, ſed ſpecialiter, & cum certa & determinata perſona matrimonium præcipiatur. Nam ſi per viam conditionis id fiat, ante maioratus apprehenſam poſſeſsionem debet contrahi, ne in ſuſpenſo contra inſtitutoris voluntatem ſit maioratus, qui niſi adimpleta conditione deferri non poteſt: ſi verò tantùm per viam modi tale grauamen adijciatur, vt fieri ſolet, & in dubio præſumitur, vti probat ex Molina pluribus locis Caſtillo *num. 15.* tenebitur ſucceſſor poſtquàm fuerit à proximiori interpellatus (vt interpellari debet, argumento eorum quæ in propoſito tradit D. Ioan. de Larrea *deciſione Granatenſi 59. à numer. 25.*) intra tempus anno breuius, quod ex officio iudex deputauit, ex placito fundationis matrimonij contractum cū deſignata perſona celebrare, vt hęc omnia prolixè nimis ſcribit Caſtillo *dict. cap. 115. à num. 9. vſque ad finem capitis.* 9

Quibus rectè conſenrit quod ex multis docent Thomas Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſput. 28. num. 1.* & Ioann. Gutierr. *eodem tractatu cap. 15. numer. 3.* ſcilicet, eum qui votum Deo emiſit, aut ſponſalia nullo præfixo termino contraxit, teneri ſtatim cùm fuerit interpellatus, habita commoda opportunitate adimplere, argumento text. *in l. in omnibus, ff. de regul. iur. & l. eum qui, §. quoties, de verbor. obligation.* Non enim ſatiſfaciet obligationi promittens fœminæ illam ducere, ſi paulò ante mortem contrahat, quia hæc promiſsio ex natura ſua inuoluit indiuiduam quandam & perpetuam cohabitationem per totum vitæ tempus: vti nec ſatisfaceret, ſi illam ante nubiles annos duxiſſet, quia non eſſet matrimonium. Viuius *deciſ. 220. numer. 12.* Boher. *deciſion. 22. numer. 37.* Tobias Nonius *conſil. 51. numer. 10.* ex quibus reſoluit nouiſsimè D. Ioann. de Larrea *allegation. Fiſcali 49. numer. 43.* quæ iam typis mandatur, tunc ſolùm cenſeri matrimonium contractum ad effectum obligationis, quando fuit intra nubiles vtriuſque contrahentis celebratum. 10 11

ANNVS

ANNVS DECIMVS SEXTVS.

SVMMARIVM.

Plurimæ fuerunt antiquorum opiniones circa ætatem ad profeſſionem, & receptior quatuordecim annos in maſculis, & duodecim in fœminis aſsignabat. 1

Text. in cap. puella 2. 20. q. 2. dilucidè exponitur. 2. *& ſeqq.*

In monaſterijs inſularum profeſſio minimè poteſt ante decimumoctauum ætatis annum emitti, quod etiam Carthuſienſes, Minimos, & Prædicatores obſeruare aliqui teſtantur. 5.

Hodie ex noua Concilij Tridentini diſpoſitione profeſsio nequaquam poteſt, ſiue à viris, ſiue à fœminis, ante decimumſextum ætatis annum expletum fieri. 6.

Anni ſexdecim quomodò debeant computari, vt expleti ad effectum profeſſionis dicantur? ibid.

Non obſtante Conſilij decreto, dari poteſt, & valet tacita profeſſio, ſi legitima ſexdecim annorum ætate fiat. 7.

Ratio aſsignatur, quare Concilium hanc potiùs quàm aliam ætatem ad profeſsionem exegerit. 8.

Ætatem ſexdecim annorum nec ſagacem, nec induſtriam præſumi, quomodo accipiatur? ibid.

Magis iuxta Concilij mentem, quàm contra illam videntur ſtatuta quarundam religionum, quæ ante decimumoctauum annum neminem ad profeſsionem admittunt. 9.

Valet profeſsio poſt decimumſextum annum emiſſa, etiam in religione, quæ ad id annum decimum octauum ex poſtulat. ibid.

In religionibus Militaribus profeſsio ſolet decimotertio ætatis anno fieri, quia in illis nõ ſeruatur, nec intelligitur Cõcilij decretũ. 10

Maior nec contra profeſsionem, nec contra matrimonium reſtituitur. 11.

Minor contra præceptum teſtatoris, vel inſtitutoris maioratus matrimonium cõtrahens non reſtituitur. ibid.

QVÆSTIO VNICA.

Ad profeſsionem emittendam?

Hviuſce rei, variæ priſciori æuõ extitere cõſtitutiones, vt autor eſt Iacob. Ferrer. *in annotationibus ad quæſtiones Stephani Durant. q.* 3. ſed quæ magis in vſu fuere, referuntur *in c. ad noſtram* 8. *c. ſignificatum* 11. *c. cùm virum* 12. *cap. poſtulaſti* 21. *de regular. c.* 1. *eodem tit. lib.* 6. *& in c. illud autem* 20. *q.* 5. *c. ſi in qualibet minori* 20. *q.* 2. *& in Clement.* 1. *de regular.* nouiſque *in l.* 4. *titul.* 7. *p.* 1. quibus cauetur, neminẽ ante plenè exactos pubertatis annos, videlicet ante decimumquartum annum elapſum maſculũ, & ante duodecimũ pariter expletum fœminam debere ad profeſsionẽ admitti, etiamſi malitia poſsit ætas ſuppleri, aut præueniri, vt ex Gloſſa *in d. c. poſtulaſti, & in d. c. ſignificatum,* & D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *artic.* 9. *in fine corporis, & q. vlt. art.* 5. *corpore,* tam noſtri quàm Theologi omnes profitentur, quibus accedit Carol. de Tapia *de Relig. reb. c.* 6. *n.* 5. vbi innumeros ita ſentientes refert, Stunica *tract. de voto q.* 3. *n.* 9. Sebaſt. Medices *in concordia Canonũ decreti cauſa* 20. *q.* 1. *artic.* 1. *verſ. Ad ſecundũ reſpondetur.* Aſinius *de executionibus cap.* 326. *n.* 3. P. Sanchez *lib.* 5. *ſummæ c.* 4. *n.* 2. Nam licèt aliud in ordine & matrimonio obſeruetur, *c. puberes, c. fin. de deſponſat. impuber. l.* 6. *tit.* 1. *p.* 4. tamen cùm hæc à iure poſitiuo dependeant, eoque ita ſit in profeſsione, fortè propter religionis auſteritatẽ, & non in ordine & matrimonio ſtatutum, ſic erit irrefragabiliter exequendum. 1

Sed ex Concilio Tiburienſi relato *in cap. puella* 2. 20. *q.* 2. id nonnihil turbari videtur, quo planè probatur profeſsionem ante duodecimũ ætatis annum à puella emiſſam, ita eſſe validã, vt propria, aut paterna irritatione intra annum indigeat, ad hoc vt ipſa profeſſa 2

feſſa liberè ad ſeculum poſsit commigrare, quod neceſſariò validitatẽ profeſsionis ſupponit, ex vulgari illa ſententia, quæ habet, nullum nec rumpi, nec irritari poſſe, *l. nã etſi* 5. §. *rumpendo cũ ſimilibus. ff. de iniuſto rupto*, & conſequenter, impuberem, ſiue doli capacem, ſiue non, vt *ibidem* exponit Gloſſa verbo *Puella*, validè profiteri poſſe.

3 Cuius textus difficultatem non effugiet, qui communem interpretationẽ amplectẽs, quam ſequitur Carolus de Tapia *vbi proximè n. 37.* eum non de profeſsione, ſed de ingreſſu religionis & ſuſceptione habitus intellexerit, quo etiã impuberes rectè indui poſſe alibi diximus. Nam ſi deciſionis verba attentè inſpiciantur, omnia puellã fuiſſe profeſſam demonſtrant, vt poſt hęc ſcripta inueni ita ſentientẽ vno verbo Maiolũ *de irregularitate lib. 1. c. 29. n. 39.* Tum in eo quod ſacrũ velamen aſſumptũ dicitur ante duodecimũ annũ, quæ cùm ætas ſit profeſsionis, & non ſuſceptionis habitus perperã notaretur, ſi non de profeſſione eſſet quęſtio. Tũ etiam & in eo quod velamẽ aſſumpſiſſe fatentur. Nã vt obſeruant Palud. *in 4. diſt. 38. n. 1.* Syluest. *verbo Cõſecratio virginũ n. 1.* Emanuel Rodrig. *tom. 1. quæſtion. Regul. q. 64. art. 1.* & ex eis Roderic. Acunha *in cap. placuit* 5. *n. 2. 77. diſtin.* quinque vela nigri coloris dari conſueuerant fœminis, quę Deo dicabantur. Et primũ erat profeſsionis, etſi cõtrarium ex Innocentio minùs benè voluerit Fuſcus *de viſitat. lib. 2. c. 18. n. 31.* & tandem illud etiã arguit puellã fuiſſe profeſſam, quòd vltra annũ exire prohibetur. Nã ſi tantùm ſuſcepiſſet religionis habitũ, non ſolùm intra annum, verùm & quocũque tẽpore ante profeſſionem egredi poſſet, *c. conſulti* 20. vbi notant omnes *de Regular.* maximè cùm non fuiſſet à parentibus religioni oblata, vt ex Gloſſ. *in d. c. ſignificatum*, Innocentio, Abbate, Cardin. & Gregorio Lopez *l. 4. verb. Non puedẽ, tit. 7. p. 1.* docet P. Sanchez *lib. 4. ſummæ c. 18. n. 9.*

4 Ergo dicendum erit, puellam in ſpecie *d. c.* vel ipſa die receptionis habitus, vt fieri conſueuerat, teſte Sanchez *d. c. 4. n. 8.* fuiſſe profeſſam, ſed non validè ob defectũ ætatis. Nec obſtat irritationis neceſsitas, cuius ſuprà meminimus, quia hæc nõ ſupponit neceſſariò valorẽ in profeſsione, ſed tantùm formã, vel nudũ factũ ipſius, argumento eius, quod de bonorũ poſſeſsione cõtra figurã teſtamenti dicitur *in l. quod vulgò* 19. *ff. de cõtra tabul.* quod cùm in *d. c.* inueniretur, illud eſt, quod ipſam, vel patrẽ intra annũ poſſe irritare in eo dicitur, vt cõſtat ibi: *Poſſunt ſtatim parentes eius, vel tutores id factũ irritum facere*, ſiquidem vt notat ex Speculatore Bertachinus *in repertor. verbo Irritum*, irritum ipſo iure interdũ petitur irritari, vt in *l. ſi dolo, C. de reſcinden. vendit.* probatur, vbi cõtractus dolo irritus, & ideò ipſo iure nullus, irritatione indiget: ſecùs verò vbi annus & dies fuerit elapſus. Nã cùm hoc ſolummodo tẽpus puellæ ad pubertatem defuiſſet, & vt annũ duodecimum expleret, vtpotè non incongruè ex eo licet coniectari, quòd tunc ſolùm integer annus patri ad retrahendum filium à religione conceditur, cùm tantũ tẽporis ſupereſt vſque ad ipſius filij pubertatẽ, ex ſententia Archidiaconi, Ægid. Beilam. & aliorum, quã ſequitur Carol. de Tapia *vbi proximè n. 38.* & Sãchez *d. lib. 4. c. 18. n. 12.* eo exacto, ipſa velaminis geſtione, ſtatim inualidã profeſsionẽ tacitè ratificaret, quod fieri poterat ante nouas cõſtitutiones *c. 1. de regular. lib. 6. & Clement. fin. eiuſdem tituli*, cuius meminit Sanchez *d. lib. 5. c. 3. n. 31.* vt apertè colligitur ex *d. c. ſignificatum* 11. iuncta ibidem Gloſſ. *verbo Ratam, de Regularibus*, & ex *cap. firma, verſ. Si virginitatis 20. q. 1.*

Etenim vt cœptum iter proſequamur, ex dictis apparet, nil eſſe quo retrahi à propoſita illa ſententia poſsimus, cùm tã ex Pontificum decretis, quàm ex communi Scribentiũ aſſenſu conſtet, pubertatẽ legitimum profeſsionis tempus omnibus extitiſſe, exceptis religioſis inſularũ, quorum profeſsionibus, eo quòd aſperior ſit ibi religionis obſeruatio, decimioctaui anni ætas præſcribitur *in cap. quia in inſulis 6. de regularibus, c. quia autem* 5. 20. *q. 1.* Qua ratione idem Carthuſienſes, Minimi, & ſecundùm aliquos Prædicatores obſeruãt, vt latè id teſtantur relati à Carol. de Tapia *dict. cap. 6. num. 11. cum ſeqq.* & P. Sanchez *d. lib. 5. c. 4. num. 3.* qui hac conſtitutione non obſtante, tenet validam futuram profeſsionem, ſi ab inſulanis ante decimumoctauum annum, dummodò poſt exactã pubertatem fiat, quia in dictis locis nullum eſt verbum irritãs reddens profeſsionem anteà factam. 5

At hodie ex nouiori diſpoſitione Concilij Tridentini *ſeſſione* 25. *de regularib. cap.* 15. In quacumque tam virorum quàm fœminarum religione, vt profeſsio valida ſit, ſexdecim annorum ætas completa deſideratur, his verbis: *In quacumque religione, tam virorum, quàm mulierum profeſsio nõ fiat ante decimumſextum annum*, itaque tenent Quintil. Mandoſ. *de ætat. minor. cap. 5. numer. 52.* Stunica *tractat. de voto q. 3. num. 89.* Fuſcus *de viſitatione dict. lib. 2. c. 18. num. 29.* Azor *par. 1. lib. 12. cap. 2. & lib. 13. cap. 9.* P. Sanchez *de matrimon. lib. 2. diſput. 24. num. 22. & d. lib. 5. ſummæ c. 4. num. 4.* vbi & *num. 3.* præ- 6

prædixerat huic requiſitæ ætati à nouitio renuntiari non poſſe, quod repetit poſtea *num.* 23. Ioan. de la Cruz *de ſtatu religion. lib.* 1. *cap.* 6. *dubio* 4. Zerola & Ledeſma relati ab Auguſtin. Barboſ. *in remiſſionib. ad dict. cap.* 15. *Concilij*, Carol. Tapia *vbi ſuprà numero* 24. Stephan. Durant. *dict. quæſt.* 3. Anaſtaſ. Germon. *de immunitat. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 20. *&* *cap.* 10. *num.* 6. Leonard. Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 41. *dubio* 7. *num.* 58. P. Rebellus *de obligat. iuſtit. lib.* 3. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. *num.* 2. Antonin. Diana *reſolut. moral.* 3. *part. tract.* 2. *de dubijs regul. reſolut.* 57. *ad finem*, & ante eum Franc. Euſeb. de Herrei. *deciſione moral.* 3. *num.* 8. & Medicis *vbi ſuprà*, Aloiſ. Riccius *in praxi rerum fori Eccleſiaſtic. deciſ.* 656. *num.* 1. *& in praxi rerum quotidianar. reſolut.* 322. *num.* 5. vbi etiam inquit hanc ætatem ita exactam eſſe debere, vt non ſufficiat vltimam diem ſexti anni eſſe cœptam, Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tractat.* 15. *diff.* 20. *num.* 1. Gratian. *diſceptat. tom.* 3. *cap.* 413. *num.* 31. Diana *vbi ſuprà*, & nouiſſimè 5. *part. tractat.* 5. *reſolut.* 18. vbi cum Baſilio reſoluit, quòd ſi tantùm ſex horæ deficiant ad legitimam ætatem, profeſſio nequit validè emitti: & ita Rotam declaraſſe teſtatur, idque ob rationes quas expendit Sanchez *dict. lib.* 2. *de matrimon. diſputat.* 44. *num.* 22. *qui & dict. cap.* 4. *num.* 4. addit complendam eſſe de momento ad momentum, & quando annus eſt biſſextilis, reputari duplicem diem pro vna, vt in exemplis ab ipſo allatis *dict. num.* 4. nec ideò ei diſplicet *num.* 5. quod tradit Henriq. *lib.* 3. *de excom. cap.* 40. *num.* 2. *in comment. litera O. in ſumma* 2. *part. lib.* 10. *titulo de Sacrament. ordin. cap.* 19. *num.* 2. Emanuel Rodriguez *tom.* 3. *Quæſtio. Regular. quæſt.* 15. *art.* 5. nempe annum 1582. ex quo dies decem abſtulit Gregorius XIII. reputari annum integrum ad ætatem profeſſioni petitam, nec ſupplendas eſſe dies illas decem ex alio anno, quia iſte verus & integer annus eſt, etſi non tot dierum quot anni præcedentes: ſed contrarium reſoluit Rota apud Farinac. *deciſ.* 175. *num.* 4. *tom.* 1. *nouiſſimarum.*

7 Et procedunt hæc omnia æqualiter in profeſſione expreſſa, & in tacita: nam licèt aliquibus placuerit ex Tridentino ſublatam fuiſſe profeſſionem tacitam, contrarium eſt verius, concurrēte ſcilicet hac legitima ætate, & alijs conditionibus, de quibus per Sanchez *dict. cap.* 3. *num.* 14. *&* 18. vt ipſe teſtatur *ibidem num.* 37. *&* 38. tradidit ante illum Tuſchus *vbi ſuprà num.* 30. & ita declaraſſe Cardinales S. Concilij Tridentini interpretes affirmat Bellar. in *dict. loco Concilij*, his verbis: *An profeſſus taciti iam dudum ſit verè profeſſus, ſicut qui expreſſe poſt annum profeſſus, & tacita profeſſio ſit per hoc cap. ſublata? Congregatio cenſuit eſſe verè profeſſum, ſi modò cætera adſint, quæ ius requirit ad inducendam tacitam profeſſionem? Et reſpondit, hanc non eſſe excluſam per dictum decretum, ſeruato tamen ibi tempore præfixo.* D. Didac. de Narbona.

Cuius requiſitæ ætatis etſi aliqua ratio aſſignari poteſt, ea certè erit, vt profitentes eſſent ſanioris iudicij. Nam licèt regulariter qui decimumquartum annum exceſſerunt, iudicium & diſcretionem habeant, vnde matrimonio, & alijs rebus apti cenſentur, & vt ſuprà conſtitit, de iure communi etiam profeſſioni: nihilominus, vt hæreticorum quorundam prauis aſſertionibus & malitijs obuiaretur, qui perfectiſſimum religionis ſtatum graui odio inſectantes, maleuolè in vulgus iactitabāt, nec monachos, nec moniales futuras, ſi pueri nō eſſent, ſacratiſſima hac Synodo ſtatutum fuit, niſi diu poſt elapſam pueritiam, & pubertatem, quę decimoquarto anno terminatur, vt dictum extat, comprobat que Balzaranus *de feudis lib.* 2. *tit.* 26. *num.* 8. & ſic niſi poſt ſextum & decimum annum expletum neminem, ſiue maſculum, ſiue fœminam perpetuo vinculo profeſſionis poſſe religioni mancipari, vt vel ſic illa hæreticorum ſacrilega impudentia cohiberetur, non aliter ac in alia Synodo, de qua *in c. oportet* 20. *quæſt.* 2. ſtatutum obſeruat Carol. Tapia *dict. tractat. cap.* 6. *num.* 39. infantes voluntate & conſenſu parentum recipiendos eſſe, vt omnis occaſio maledicti gratia peſſimorum hominum excluderetur. Nec obſtat hanc ætatem ſexdecim annorum, adhuc imbecillem, & negotiorum imperitam, ideoque captionibus & circunuentionibus obnoxiam appellet Ioannes Griuellus *deciſione Dolana* 150. *num.* 9. quia hoc reſpectu adminiſtrationis bonorum ſubaudiendum eſt, cuius intuitu ante quintnm & viceſimum annum omnes imbecilli, & parum induſtrioſi præſumuntur. 8

Vnde infertur, noua hac Concilij definitione minimè derogatum videri, quod de non admittendis ad profeſſionem decimooctauo anno minoribus aliquarum religionum ſtatutis continetur. Nam cùm mens & intentio Tridentini fuerit, pueros ob ſupradictam rationem à religione arcere, ne aliquo tempore queri poſſint, quòd ex ignorantia magis, & indiſcretione, quàm Dei, & perfectioris vitæ amore fuerunt minori ætate profeſsi, potiùs laudabile hoc ſtatutum aliquarum religionum approbaſſe, quàm improbaſſe videtur, ex quo magis illius mentem, & intentionem explet. Probat hanc ſen- 9

ſententiam Riccius *dict. deciſ. 656. num. 5. in fine*, & expreſſius P. Sanchez *dict. cap. 4. num. 6. & 52.* vbi tenet etiam â ſene profeſſionem factam valere, demumque *dict. n. 6.* ſubijcit, vt proximè notauimus, non eſſe irritam profeſſionem poſt ætatem â Concilio, & ante requiſitam ex dicto ſtatuto emiſſam, quia talis conſtitutio non annullat profeſſiones ante prædictum tempus factas, vt in ſpecie cenſuit Congregatio Cardinalium teſte Bellarmino *in obſeruationibus ad dict, cap. 15. Tridentini.*

10 Quæ quidem Congregatio item cenſuit, dictum Concilij decretum non habere locum in Ordinibus Militaribus Equitum D. Iacobi, Alcantarę, Calatraųę, & D. Ioannis quoad ætatem profitendi, & annum nouitiatus, ſecluſo peculiari ſtatuto, ſi quod habent, vt ex Nauarro *lib. 3. conſil. tit. de regular. in prima editione conſil. 23. num. 10. in 2. conſ. 10. num. 10.* Azorio *lib. 13. inſtit. moral. cap. 4. quæſt. 2.* docet Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſput. 44. num. 8. & dict. lib. 5. ſummæ cap. 4. num. 17.* vbi hac de cauſa ſolere eos profiteri ſtatim ac decimumtertium annum excedunt, affirmat.

Sed ſiue hac, ſiue alia, dummodo legitima & requiſita ætate fuerit profeſſio emiſſa, adeò ſubſiſtet, vt nec reſtitutionis ſuffragio poſſit retractari, ex Turreto *conſil. 139. per totum*, quem nouiſſimè ſequitur D. Ioannes de Larrea *deciſione Granatenſi 59. num. 13.* eſt enim profeſſio matrimonium, licèt ſpirituale: at verô minor poſt decimumquartum annum ætatis, quoad matrimonium ſpectat, pro maiori habetur, & omni caret reſtitutionis ſolatio, vt ipſi fatentur poſt Couarru. *in epithome de ſponſalib. 1. part. cap. 3. §. 7. num. 1. 2. & 3.* & *lib. 1. variar. cap. 5. num. 1.* Lapum *allegat. 53.* Ex quo infert D. Ioan. de Larrea *vbi proximè*, puberem minorem cõtra præceptum teſtatoris, aut maioratus fundatoris matrimonium ineuntem reſtitutionem non mereri. 11

ANNVS DECIMVSSEPTIMVS.

SVMMARIVM.

Nemo ante decimumſeptimum annum ex communi ſententia poteſt ad Doctoratum admitti. 1.

Doctor licèt creari quis poſſit à decimoſeptimo anno, niſi poſt quintum & viceſimum Doctoris iuriſdictione vti non poterit. 2.

Doctor poſtulandi ius habet. 3.

Nullam determinatam ætatem ad Doctoratus gradum eſſe iure præſcriptam, vt certius traditur. 4.

Ioannes & Ildephōſus *Autoris Fratres, vnus poſt decimumnonum, & alter poſt vigeſimum annum fuerunt Doctores creati.* 5.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ætas ſeptemdecim annorum, aut qualibet alia requiratur pro Doctoratus gradu aſſequendo?

INterea quæ â noſtris vt certiſſima paſſim decantantur, etſi non præcipuum, nec inferiorem locũ obtinet ſententia illa de nullo aſciſcendo ad Doctoratus faſtigium ante decimiſeptimi anni lapſum, cuius meminerunt Cardinal. *in Clementin. 2. quæſt. 2. num. 14. de Magiſtris*, Bartol. *in l. 1. §. initium 2. notabil. ff. de poſtulando*, Felinus *in cap. cùm vigeſimum num. 11. de offic. & poteſtat. iudic. delegat.* & melius *in rubrica de magiſtris in principio*, Selua *de benefic. part. 3. quæſt.* 1

quæſt. 5. *num.* 30. *in ſecundo caſu*, Bertachinus *in repertorio, verb. Doctor, verſic. Doctor creari non poteſt, & verbo minor tutor. verſic. Minor* 17. *annis*, Bolognet. *in repetit. authent. habita, C. ne filius pro patre*, Petr. Lenauderius *tractat. de Doctoribus* 1. *part. quæſt.* 15. Sylua nuptialis quæ id etiam ſentire videtur *lib.* 5. *num.* 14. Franciſcus Viuius *commun. opinion. lib.* 1. *opin.* 199. *num.* 1. Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 5. *num.* 63. Anton. Gomez *tom.* 3. *variarum cap.* 1. *num.* 57. Anton. Faber *in rationali ad l.* 1. §. *pueritiam, ff. de poſtul.* Alphonſ. Modicius, §. *prudentum reſponſa, dubitat.* 11. *num.* 17. & noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hominis cap.* 28. *num.* 97. & ante eum Petr. Plaça *de delictis lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 11. *verſic. Et primò*, in quam ſententiam inclinari videntur relati à Rudolpho Schradero *in ſelectiſſimis iuris quæſtionibus tom.* 1. *tit.*
2 2. *num.* 20. etſi Nicaſius *in* §. *eadem lege num.* 19. *inſtit. quibus ex cauſis manumit. non licet*, dicat neminem ante decimumoctauum annum Doctorem creari poſſe, nec ante vigeſimumquintum Doctoratus iuriſdictionem exercere, ita vt toto illo tempore à decimooctauo anno ad vigeſimumquintum Doctor ſit tantùm ad legendum & poſtulandum, non verò ad exercendam iuriſdictionem, ſi quam ratione gradus in Scholaſticos habet.

3 Eſtque illius receptiſſimæ opinionis vnicum fundamentum *dict. l.* 1. §. *initium, ff. de poſtulando*, cuius verbis continetur neminem ante decimumſeptimum annum eſſe ad poſtulationis officium admittendum: vnde inferunt, nec ad Doctoratum recipi debere fortè ea de cauſa, licèt non exprimant, quia Doctoribus poſtulandi ius permittitur.

4 Sed verius eſt ad hoc nullam de iure præſcriptam eſſe ætatem, etſi præſcriptum ſit tempus, quo neceſſariò quis ſtudijs incumbere debet, vt in ſupremum Doctorum ordinem legitimè cooptetur. *Præfat. Imperatoris ad anteceſſores*, §. 6. *cap. fin. de Magiſtris, cap. licèt de præbend. cap. de cætero de Cleric. non reſident.* Bertachin. *verb. Doctor, verſic. Doctor vt fiat.* Petr. Gregorius *ſyntagmat. iuris vniuerſ. lib.* 49. *cap.* 6. *num.* 20. vnde meritò ſcripſit Cardinal. *in proœmio Clementin. verſic. Ioannes*, quem ſequuntur Felinus *in dict. cap. cùm vigeſimum*, Quintilian. Mandoſ. *vbi ſuprà*, & Campanil. *in rubrica* 7. *cap.* 6. *num.* 135. quòd in quacumque ætate quis poteſt Doctorari, dummodò habeat alia requiſita: & ſuadetur ne dum ex eo, quòd nullo iuris teſtimonio contrarium probatur, ſed etiam ipſa experientia, qua quotidie docemur, cuiuſcumque ætatis viros ad eiuſmodi gradum aſcendere, etſi non diffitear vix accidere poſſe, ita celeriter quem ſtudiorum neceſſarium iter abſoluiſſe, vt ante decimumſeptimum ætatis annum queat Doctoratus lauream promereri: cùm etſi decimo anno fuerit à primordialibus Latinitatis rudimentis ad altiora ſtudia translatus, adhuc ante decimumoctauum vel nonum nequaquam hunc honorem conſequetur, vtpote ſatis illuſtri teſtimonio Ioannis & Ildephonſi chariſſimorum Fratrum, quibus inferior omnis laus glorioſè euincitur: nam cùm ab ipſa infantia legalibus diſciplinis exquiſitè, & plus quàm per ætatem licebat, non ſine admiratione continuò operam nauaſſent: nec ante decimumnonum ætatis annum Ildephonſus, nec ante vigeſimum Ioannes potuerunt tantum faſtigium conſcendere: quod an merenter fecerint, iudicent qui iſtius tractatum de appellatione à Vicario ad Epiſcopum optimè elaboratum, & illius acutiſſima commentaria in 3. *part.* noſtræ Recollectionis euoluerint opera; ita ex amuſſim perfecta, & ad ſummum abſoluta, vt ne à liuore quidem iure valeant reprehendi.

SVMMARIVM.

Aduocationis munus exercere nemo poteſt ante decimumſeptimum ætatis annum completum. 1. *& quæ ſit ratio.* 2.

Antonij Fabri *ſententia impugnatur exiſtimantis huius requiſitæ ætatis nullam poſſe reddi rationem.* 3.

An quis poſſit elapſo decimoſeptimo anno ætatis, vt pro alio, & pro ſe poſtulare. 4.

Magis alijs, quàm nobis ſapimus. 5.

Minori ætate alienis rebus, quàm noſtris proſpicimus. 6.

Impubes licèt matrimonij ſit incapax, alterius nomine illud poteſt contrahere, ibid.

Aliena negotia adminiſtrat minor, qui proprijs non ſufficit. ibidem.

Text. in l. 1. *in princip. ff. de poſtul. noua explicatur.* 7.

Aduocandi & poſtulandi diſcrimen conſtituitur. ibid. & 10.

Fœmina aduocati officio vti non poteſt. 8.

Nonnullæ fœminæ referuntur, quæ in iuris ſcientia mirè profecerunt. 9.

Fœminæ antiquitùs erudiebantur. ibidem.

Aduocato minori, etiamſi poſt decimumſeptimum annum in propria cauſa allegationem omittat, datur reſtitutio. 11.

QVÆSTIO II.

De neceſſaria ætate Aduocatorum.

1 NEminem poſſe aduocare, ſeu litigantibus operam ſuam, vel defenſionem ad iudicium, aut gratis exhibere, aut mercede, ſiue honorario recepto commodare, niſi poſt lapſum decimiſeptimi anni, inſita iamdiu plurimorum animis ſententia eſt, quam à ſimili, & per argumentum confirmat *text. in l. 1. in princip. ff. de poſtulat.* & expreſsè, vel, vt aiunt in terminis apud noſtros, *l. 2. tit. 6. part. 3.* ibi: *Todo ome que fuere ſabidor de derecho, ò del fuero, ò de la coſtumbre de la tierra, porque lo aya vſado de gran tiempo, puede ſer abogado por otro, fueras ende el que fueſſe menor de diez y ſiete años.* Notat *ibidem* Gregorius hoc vltimo verbo, vbi etiam perfectam, & extremè completam hanc ætatem eſſe debere ſubiungit *ex dict. l. 1. verſic. Pueritiam, de poſtul.* conſentit Felinus *in cap. cùm vigeſimum, de officio delegat.* Bertachin. *verbo minor procurator, verſic. antepenult.* Viuius *commun. opinion. opinione* 199. *num. 1. tom. 1.* Didacus Perez *lib. 2. Ordin. tit. 2. l. 7. gloſ. 2. verbo, Que aya edad cumplida,* & *lib. 3. tit. 4. l. 1. gloſ. 1. verſic. Debet ad hoc,* Ioan. Matienç. *in Dialogis 2. part. cap. 1. num. 3.* qui & *1. part. Dialogo 1. cap. 9. num. 2.* etiam ad capitulares ſenes id extendit, vtpote qui iam repuereſcunt, Iacob. Cuiac. *lib. 11. Pauli ad edictum in l. minor, 23. ff. de minor. & obſeruat. lib. 22. cap. 16. ad calcem,* Thadæus Piſſon *in commentarijs ad Pandectas titulo de poſtulando,* Guilielm. Rouil. *in deſcriptione iuſtitiæ & iniuſtitiæ, pag. mihi 24. colum. 3. in princip.* Anton. Faber *in rationali ad dict. l. 1. de poſtulando,* Franciſc. Pollet. *hiſtor. fori Roman. lib. 2. cap. 7.* Petr. Gregorius *ſyntagm. iuris vniuerſi lib. 49. cap. 6. num. 21.* vbi & Quintilianum de legitima ætate prodeundi & agendi cauſas diſputantem *lib. 12. cap. 6.* allegat, Philip. Matthæus *in l. 2. §. 1. num. 5. ff. de regulis iuris,* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap. 5. num. 64.* Guiliel. Ranchin *in edicto ſalui Iuliani lib. 3. tit. 1.* Hugo Donel. *commentario. lib. 18. cap. 3.* vbi etiam Oſuald. *litera S.* Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap. 28. num. 100.*

2 Et ratio eſt, vt refert Conſultus *in dict. l. 1. quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum,* ideſt vt interpretor, quia antiquitas hunc annorum numerum conuenientem putauit, vt quis in forum deduceretur, reſpexit proculdubio hac ratione Vlpianus ſolemnem illum morem deponendi anno decimoſeptimo puerilem prętextam, ſumendique virilem togam, vt ex tunc tyrocinium cauſarum agendarum publicè, & in foro auſpicaretur, veluti Autor eſt Franciſcus Pollet. *hiſtoriæ fori Romani lib. 2. cap. 7.* quem ſequitur Oſuald. *lib. 18. Donel. cap. 3. litera S.* etſi in eo à conſuetudine, & ſolemni illo ritu Conſultus diſcrepet, quòd prædictos annos in totum ad poſtulandum vult eſſe completos, cùm olim ſatis fuerit attigiſſe, nō exegiſſe, ſed id fortaſſis edicto fuit immutatum, ne ita tyrones pertractandis negotijs ſe ingererent.

Vnde infertur non rectè ſenſiſſe Anton. 3 Fabrum *in rationali ad dict. l. 1. §. pueritiam,* nullam legitimam, & propriam rationem reddi poſſe, cur decimumſeptimum potiùs quàm decimumoctauum annum Prætor ad poſtulandum expreſſerit, quaſi hoc iuris ſit conſtituti, vt ipſe ait, & ex eorum genere, quorum ratio certa & concludens reddi non poteſt, *l. non omnium 2. de legibus,* cum ex proximè dictis aliud manifeſtè euincatur.

Sed an quemadmodum qui dictam ætatem exceſſit, aduocandi ius habet pro alio, habeat etiam & pro ſe aduocandi poteſtatem? ingens dubium eſt: & vtrumque ei licere *ex dict. l. 1.* probari videtur, vbi decimoſeptimo anno maiori permittitur pro ſe, vel amico poſtulare, cuius teſtimonio, ita apud omnes vt veriſſimum circumfertur, & communem eſſe opinionem ſupraſcripti omnes teſtantur.

At nihilominus contrarium duce Accur- 4 ſio defendo, qui in *dict. l. verbo compleuit in fine,* tenet minorem vigeſimoquinto anno, etiamſi decimum & ſeptimum compleuerit, pro ſe in iudicio aduocare, vel in propria cauſa patrocinari non poſſe, argumento totius tituli, *C. qui legitimam perſonam, & l. clarum, C. de auctoritat. præſtand.* nam tali patrocinio, inquit Gloſſa, ipſius cauſa, vel lis proculdubio periclitaretur.

Et ſuadetur manifeſtè hæc ſententia ex 5 *dict. l. 2. part.* vbi cuicumque literis, vel experientia prædito, annumque ætatis decimumſeptimum excedenti indulgetur, vt in aliena tātùm lite aduocati munere fungi valeat, veluti ipſius verbis planè cōtinetur, quę hîc repetere non grauabor. *Todo ome que fuere ſabidor de derecho, ò de fuero, ò de la coſtumbre de la tierra, porque lo aya vſado de gran de tiempo, puede ſer abogado por otri, fueras ende el que fuere menor de diez y ſiete años:* ergo hac ætate maiori ſolùm permittitur, iuxta

iuxta legis tenorem, quòd alterius, non ſui ipſius aduocatus eſſe poſſit.

5 Et quidem meritò, vt ſuſpicor, cùm illud ſit proprium noſtræ humanæ naturæ (quamuis aliud non rectè ſentiat Matienςus cum Alciato *in Dialogis Relator. 3. part. cap. 6. num. 4.*) vt magis in alienum, quàm in proprium bonum, magiſque alijs quàm nobis ſapiamus, iuxta illud Homericum.

Omnes in diſcernendis & leuandis calamitatibus
Proximorum plus ſapiunt, quàm domeſticis fortunis.

Cuius rei egregiam rationem adfert Vincent. Turturetus *in parallelis ethicis & iuridicis extra ordinem, diſſertatione* 7. idque confirmat exemplo medici, qui cùm alios optimè medeatur, ſeipſum mederi minimè poteſt, vt adnotauit Ariſtoteles *lib. 3. Politicor. cap. 12.* his verbis: *Atqui*, inquit, *ægrotantes medici alios ad ſe medicos vocant, & magiſtri palæſtræ alios magiſtros, quaſi nequeant verum diſcernere, qui de proprijs iudicant, & in affectu conſiſtunt.* Inde eſt, neminem etiam, qui meliùs aliorum lites, & contentiones deffinijt, in propria cauſa ius ſibi dicere poſſe, vt probat *text. & rubrica, C. nequis in ſua cauſa iudicet, vel ius ſibi dicat, l. 1. ff. quod legat. l. extat, ff. de eo quod metus cauſa, l. qui iuriſdictioni, ff. de iuriſdictione*: ergo nec aduocare. Quocirca praxi obſeruatum refert Petr. Gregor. *vbi ſuprà num. 36.* ne quis orare cauſam propriam in iudicio poſſit. Nam vt ait Dio Caſius *lib. 32. Longè aliud eſt, pro alijs verba facere, quàm pro ſe conſulere. Nam quæ pro alijs dicimus, ea cùm à recta, & integra ratione proficiſcantur, vtique vim ſuam obtinent: verùm animus vbi quis morbus eum occupauerit, obtunditur, caligoque offunditur, ita vt nihil idoneum excogitare poſſit: itaque illud dictum vetus rectè dictum eſt, facilius eſſe alios adhortari, quàm ſe ipſum contra aduerſas res obfirmare.* Tradit ſimilem rationem idem Petrus Gregorius *ibidem num. 36.* cui conſentit Anton. Faber *in dict. l. 1. §. 5.* dum inquit, ſolere homines, etiam prudentiores, in rebus ſuis agẽdis minus ſibi imperare, quàm in tractandis alienis. Quam ob cauſam benè moribus conſtitutum eſſe ait, ne quis pro ſe ipſo poſtulare poſſit, ſed quantæcumque ſit probitatis, & doctrinæ, aduocatum quærere, & ſi non inueniat, petere cogatur.

6 Nec ſolùm plus alijs, quàm nobis ſapere videmur; imò & citius aliorum commodis, & vtilitatibus, quàm noſtris ſapimus, vt vel ex eo ſolo apparet, quòd impubes, qui nondum malitia, & iudicio pollet, ad vxorem ſibi ducendam, & matrimonium contrahendum, pro alio, & alterius homine rectè contrahit, veluti optimè docet P. Sanchez *de matrimonio lib. 3. diſputat. 41. num. 8.* Ioan. Gutier. *eodem tractatu cap. 44. num. 98.* nouiſſimè Didac. Cuellar *tractat. de manumiſſio. part. 2. num. 72.* cui & illud conuenit, quod ad rem noſtram propiùs accedere videtur, nempe, minorem viginti & quinque annis, qui proprijs rebus gerendis ineptus, & parum induſtrius cenſetur, *l. 1. & ferè per totum titulum, ff. de minoribus*, alienis rebus gerendis, & adminiſtrandis poſt decimumſeptimum annum idoneum reputari, *l. ſi collactaneus. 13. ff. de manumiſſis vindicta, §. iuſtè autem, in fine, inſtit. quibus ex cauſis manumitt. non licet*; vbi dicitur decimoſeptimo anno maiorem poſſe ad negotia procuratorem conſtitui, & conſequenter antea quem alienis negotijs, quàm proprijs ſapere; vt in aduocatis ſentimus.

7 Quod minimè euertit *dict. l. 1. in principio, ff. de poſtul.* vbi eadem ſeptemdecim annorum ætate quis pro ſe, & amico poſtulandi facultatem nanciſcitur, ſiquidem ibi de poſtulatione, & non de aduocationis munere principaliter agitur, vt tam legis verba, quàm tituli prodeunt: eſt enim poſtulare minus quàm aduocare. Nam vt rectè inquit Anton. Faber *in rationali ad d. l. 1. §. 4.* & poſt eum Oſuald. *lib. 18. Donelli cap. 3. litera M*: quiſquis aduocatus eſt, poſtulat, ſed non quiſquis poſtulat, aduocatus eſt. Vnde ipſi concludũt, licèt pro ſe quis poſtulandi habeat facultatem, aduocandi tamen in propria lite nullam ſortitur, cùm aduocatus ille propriè ſit, qui non pro ſe, ſed pro alio poſtulat: ex quo intelligitur quare in edicto de poſtulãdo ſe daturum aduocatum Prætor pollicebatur his omnibus, qui in propria cauſa poſtulandi ius non habent. Non quidem (vt perperàm nonnulli interpretantur) quia cùm poſtulare & aduocare idem ſit, conuenientiſſimum videbatur, vt ei aduocato ſuccurreretur, qui pro ſe aduocandi vel poſtulandi nullam obtinet poteſtatem, ſed potiùs quoniã, vt propè notauimus, his qui cùm non poſtulent, poſtulatore indigent, aduocatus neceſſariò aſſignandus erit, cuius id officium eſt, vt non pro ſe, ſed pro alijs poſtulent, & aduocentur.

8 Et probatur apertiùs ex ipſius verbis dictã *l. 1.* nõ de aduocatione, ſed de poſtulatione, quod multò minùs eſt, neceſſariò ſubintelligi debere: quia ſi de aduocatione illa acciperetur, vel poſtulationis nomẽ in ea, etiã aduocationẽ, prout iuridicã litiũ defenſionẽ importat, contineret, eliceretur fœminas aduocationis munere ſaltim pro ipſis fungi poſſe;

cũ ſolũ pro alijs poſtulare illis ſit à Prætore interdictũ, vt velex hoc rectè obſeruat *ibidẽ* Anton. Faber, quod nemo citra abſurdum dicet. Tum quia aduocationis officium virile eſt, argumento *l. alienam. 18. C. de procuratoribus dict. l. 2. tit. 6. part. 3.* ibi: *Todo ome que fuere ſabidor de derecho, &c. puede ſer Abogado*, necnon & publicum *dict. l. 1.* ibi: *Quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum.* At vero à publicis officijs fœminæ penitus arcentur, *l. 2. ff. de regulis iuris cum ſimilibus.* Tum etiam, quia ad eiuſmodi muneris exercitium iuris ſcientia deſideratur, *l. nemini. 11. C. de aduocatis diuerſor. iudic.* vbi ita cauetur, *Iuriſperitos etiam eorum Doctores iubemus iuratos ſubgeſtorum teſtificatione deprômere eſſe eum* (de aduocato loquitur) *qui poſthac ſubrogari debuerit peritia iuris inſtructum*: facit *dict. l. 2. tit. 6. part. 3.* cui ſcientiæ nemo dubitat fœminas nequaquam incumbere, aut operam date.

9 Sed vereor, ne hoc planè ſubuertatur exẽplo Aphraniæ, quæ Bructionis vxor fuit, & quam falſo Calphurniam, vel Carphaniam appellant *in dict. l. 1. §. & ratio quidem, ff. de poſtulando*, quæ cùm Iuriſprudentiæ cultrix eſſet, poſtulare ſolita erat: ſed ita procaciter, & inuerecundè, vt meritò edicto cauſam dederit: cui nec abſimilis videtur Plotiana illa fœmina, cuius fit mentio in *l. Plotiana. 18. ff. de iure Codicillorum*, quam Iuriſprudentiæ fuiſſe ſtudioſam refert Tiraquellus *in ll. connubialibus*, vti & filiam eximij Gloſſatoris Accurſij, quam adeò profeciſſe memorant in ſtudio Iuriſprudentiæ, vt Bononiæ ius publicè docuerit, teſtante etiam Vincentio Turtureto *in parallelis ethicis, & iuridicis diſertat. 47.* vbi eam iuridicè confirmat; quod præſertim antiquis illis temporibus mirum videri non debet, quibus vſitatiſſimum erat fœminas erudire, & ſcientijs omnibus inſtruere, vt ex Iuliano deprehenditur *in l. 4 ff. vbi pupill. educari debeat*, dum inter alimenta pupillæ præſtanda præceptorum mercedes numerauit, his verbis: *Et mercedes, vt liberalibus artibus inſtrueretur, pupillæ nomine præceptoribus dare.* Idem diſertis verbis Imperator Gordianus poſteà expreſſit in *l. ſi paterno. 15. C. de negotijs geſtis*, hoc modo: *Si paterno affectu priuignas tuas aluiſti, ſeu mercedes pro his aliquas magiſtris expendiſti, eius erogationis tibi nulla repetitio eſt*: probant etiam innumeris alijs teſtimonijs Tiraquel. & Vincent. Turturetus locis *vbi ſuprà*.

10 Verùm quidquid hæc ſuadere videantur, indubitatum exiſtit, fœminarum proprium Iuriſprudentiæ ſtudium non eſſe, cui etſi aliquando nonnullæ operam dederint, eximieque in eo profecerint, vti raræ minimè erunt ad conſequentiam trahendæ, argumento *l. ea quæ. 64. ff. de regulis iuris, l. nam ad ea, ff. de legibus, & cap. quæ à iure communi exorbitãt, ſ. de regulis iuris lib. 6.* Nec ideò affirmandum fœminas aduocationis officio idoneas eſſe, velut in *dict. l. 1.* vbi poſtulare illis ſaltim in propria cauſa permittitur, etiam & aduocare licere, vtpote nulla ſit inter poſtulationis, & aduocationis munus ſpecifica differẽtia, cùm certius ſit hæc officia prout ad defenſionem, proſecutionemque cauſarum tendunt, nonnihil interſe conuenire, & ſimilia eſſe, quandoque non alia ratione exemplo Neruæ filij, decimoſeptimo anno de iure reſpondentis vtatur Conſultus *in dict. l. 1.* ad ſimilem poſtulationis ætatem præfigendam. At verò in quantum poſtulatio deſiderij, ſiue actionis explicatio, vel propoſitio tantùm eſt, vt ex *dict. l. verſic. Poſtulare eſt*, colligitur, & aduocatio non ſolùm actionis, ſed etiam iuris expoſitio, & peroratio, maximè diſtinguuntur: vnde merito dixit Anton. Faber, & poſt eum Oſuald. *vbi proximè*, poſtulare minus eſſe quàm aduocare, nam quiſquis aduocatus eſt, poſtulat: ſed non quiſquis poſtulat, aduocatus eſt.

Ex quibus inferri videtur parum tutam eſſe opinionem eorum, qui tenent minorem viginti & quinque annis, maioremque ſeptendecim, nequaquam eſſe reſtituendum aduerſus allegationẽ pro ſe in propria cauſa omiſſam, vt expreſſe docent Scribentes *in l. 1. C. qui & aduerſus quos*, Angel. *conſil. 93. num. 4 in princip.* Iacob. Mandel. *conſil. 46. cum præſens articulus num. 5.* quam communem opinionem appellat Boherius *deciſ. 35. num. 6.* Guilielm. Rainer. *in l. nihil, §. non capitur num. 5. ff. de regulis iuris*: ſiquidem cùm ex ſupradictis affatim conſtet in propria cauſa neminem ante maiorem viginti & quinque annorum ætatem idoneum aduocatum eſſe, nihil obſtat quominus illam nondum attingentibus, vti minoribus, & vel imperitia, vel negligentia in propria cauſa læſis reſtitutione ſuccurratur. Nec refragantur rationes, quibus oppoſitam ſententiam communiter defendunt Interpretes; quia vt ex ipſis patet, ſolummodò generaliter euincunt, aduocatum, licèt minorem, poſt decimumſeptimũ annum fruſtrà reſtitutionem contra omiſſam vel friuolam allegationem poſtulare; quod minimè debet ad proprias cauſas extendi, in quibus nemo ante quintum & viceſimum annum legitimus defenſor exiſtit, vt iam probauimus. 11

SVM-

SVMMARIVM.

Mvlti exiſtimant Concilij Tridentini ſolemnitatem in ea renuntiatione non eſſe neceſſariam, quæ à maiore decimiſexti anni fit. 1.

Dictio quoque *copulat ſequentia cum præcedentibus*. 2.

Magis probatur ſententia eorum; qui affirmant nullam, quamuis maiorem renuntiantis ætatem Concilij ſolemnitatem excludere. 3.

Verba illa Concilij nulla quoque renuntiatio *aperiuntur*. 4.

QVÆSTIO III.

An ſolemnitas Concilij Tridentini requiratur in renuntiationibus factis à maioribus 17. annorum?

1 Menochius *de arbitrarijs lib.* 2. *centur*. 5. *caſu* 436. *num*. 8. Lelius Zechius *de Republica Eccleſiaſtica tit. de regularib. cap*. 3. *num*. 14. *limitat*. 8. & Aloiſius Riccius *tom*. 3. *praxis rerum quotidianar. reſolut*. 327. qui id etiam indicare videtur, licèt in renuntiatione loquatur ante ingreſſum religionis facta à puella 23. annorum, negant prædictam Concilij ſolemnitatem eſſe neceſſariam, vbi renuntians decimumſextum annum ætatis ſuæ exceſſerit. Mouentur ex eo, quòd decretum *cap*. 16. *ſeſſ*. 25. *de regularib*. eſt connexum præcedenti, & ipſi continuum, veluti prioribus iſtis ſuis verbis oſtenditur: *Nulla quoque renuntiatio anteà facta, &c*.
2 Dictio enim quoque illam habet naturã, vt copulet ſequentia cum præcedentibus, argumento §. *prætorum quoque inſtitut. de iure naturali, &* §. *poſthum. inſtit. de legatis*.

Sed in capite præcedenti decernit Concilium, nullam profeſſionem validã fore emiſſam ante decimumſextum annum: ergo *caput* 16. continuãs deciſionem cum decreto capitis præcedentis, & decernens nullam renuntiationem anteà factam validam fore, intelligendum quoque eſt de renuntiatione facta ante decimumſextum ætatis annum, non de facta poſt dictum tempus.

3 Potiorem tamen affirmatiuam ſententiam contra prædictos meritò arbitrantur Zenedus *in collectan*. 50. *ad decretum num*. 5. & rurſus *quæſt*. 6. *num*. 10. Ioan. Gutier. *Canonicar*. *lib*. 2. *cap*. 1. *num*. 34. Molinus *de ritu nuptiar. lib*. 3. *quæſt*. 99. *num*. 41. *cum ſequentibus*, Valaſcus *de partition. cap*. 16. *num*. 27. Morquechus *de diuiſione bonorum lib*. 4. *cap*. 5. *à num*. 34. Manuel Rodriguez *in ſummã tom*. 2. *cap*. 7. *num*. 7. & *Quæſt. Regular. tom*. 2. *quæſt*. 47. *art*. 3. & à ſuperiori ſentẽtia diſcedens; Aloiſius Riccius *dict. tom*. 3. *praxis rerum quotidianar. reſolut*. 355. P. Sanchez *in ſumma lib*. 7. *cap*. 5. *num*. 7. nouiſſimè Hermoſilla *in additionibus ad gloſſam* 4. *l*. 1. *tit*. 4. *part*. 5. *num*. 19. Qui omnes vno ore fatentur, ſolemnitatem à Tridentina Synodo præſcriptam in quibuſcumque renuntiationibus, ſiue à minoribus, ſiue à maioribus ſedecim annorum ante profeſſionem confectis eſſe adhibendam.

Hiſque rationibus adducuntur, quia ità Eminentiſſimi Cardinales S. Concilij Interpretes declararunt, teſtibus Marcil. Ioanne Gallemart. & Roberto Bellarmino *in dicto cap*. 16. *Concilij*. Deinde quia ratio iſtius decreti fuit, quæ in fine *eiuſdem cap*. refertur, vt conſuleretur libertati nouitij egredi volentis, ne ea occaſione diſcedere nequeat, quòd totam vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ donarit, nec facilè ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit, quæ ratio pariter procedit etiã in his, qui decimoſexto anno ſunt maiores: ergo eodem etiam iure teneri debebunt, *ex regula l. à Titio, ff. de verbor. obligat. l. illud ad legem Aquiliam, & cap. tranſactio de conſtitutionibus*.

Nec in contrarium vrget ratio connexionis *dict. c*. 16. cum antecedenti, ſiquidem vt ſupraſcripti omnes teſtantur; continuatio huius decreti cum præcedenti tantùm ſtat in eo, vt quemadmodum profeſſio, de qua in *c. ſuperiori*, abſque ſolemnitate in eo præſcripta emiſſa eſt nulla: ita quoque renũtiatio ante dictam profeſſionem non ſeruata forma *dict. cap*. 16. ſit irrita, qui verus ſenſus eſt illorum verborum, *Nulla quoque renũtiatio antea facta, &c*. nam vt expendit P. Sanchez *num*. 8. non oportet in omnibus ſeruari continuationem, & pariformitatem in decretis continuatis, ſed ſufficit ſaltim in aliquo eſſe retentam. 4

Et probatur, quoniam ſi reſpectu ætatis continuatio horum capitum eſſet intelligenda, ex ea ſenſus eliceretur contrarius verbis & menti *dict. cap*. 16. nam colligeretur inualidam eſſe renuntiationem à nouitijs cuiuſcumque ſexus factam ante decimumſextum annum expletum, quemadmodum & profeſſionem eſſe debere ſuperiori decreto continetur, quod repugnaret manifeſtè verbis & ſententiæ *dict. cap*. 16. quibus manifeſtè præ-

cipitur renuntiationem eſſe peragendam bimeſtri profeſſioni proximo, ideſt, duobus menſibus ante ſedecim annos, quos ad profeſſionem ſuprà præſcripſerat: ergo continuatio horum locorum minimè erit ætati commodanda, ſed profeſſioni, veluti iam monuimus, ita vt firma ſit huius quæſtionis diffinitio monachum, vel monialem minorem, vel maiorem ſedecim annorum teneri ſeruare formam inductam à Sacro Concilio Tridentino in renuntiationibus ante profeſſionem faciendis, alioqui & renuntiatio & obligatio nulla erit, vt *in dict. cap. 16.* ſtatuitur.

SVMMARIVM.

Sententia eorum refertur, qui tenent procuratoris ad negotia ætatem ſeptemdecim annorum eſſe. 1.

Alijs autem vt verius placet vſu rationis pollentem, licèt impuberem, ad negotia poſſe procuratorem deputari. 2. *& quæ ſit ratio.* 3.

Minor poteſt conſtitui procurator ad poſſeſſionem capiendam. ibidem.

Text. in l. ſi collectaneus. 13. de manumiſſis vindicta, vera ratio traditur. 4.

Text. in cap. qui generaliter. 5. §. fin. de procuratorib. lib. 6. explicatur. 5.

Procurator ad negotia validè, ſed non licitè, ante decimumſeptimum annum conſtituitur, ibi, & num. ſeq.

Leges Partitæ ex legibus iuris communis maiori ex parte fuerunt tranſcriptæ. 6.

Minor procuratorio nomine pro alio contrahens de rato cauere, aut pro illo fideiubere non poteſt. 7.

QVÆSTIO IIII.

De numero annorum procuratoris ad negotia.

1 IN quæſtionis inueſtigatione quænam ætas in procuratore ad negotia deſideretur, diuerſas ſententias Autores perſequuntur, & vix cui acquieſcendum apparere poteſt. Quidam enim, nec infimæ autoritatis viri, ſeptimodecimo anno minores ab hoc munere arceri, nonnullis Iuriſconſultorum locis ſuffulti profitentur: & probari eorum ſententia primo intuitu videtur *in l. ſi collactaneus. 13. ff. de manumiſſis vindicta, & in §. eadem*, ibi: *Et ſeruus, qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem & ſeptem annis manumittatur, inſtit. quibus ex cauſis manumittere non licet*; & ex optimo *text. in cap. qui generaliter. 5. §. fin de procurat. lib. 6.* ſub illis verbis: *Licet autem qui post decimumſeptimum annum procurator ad negotia licitè deputetur, &c.* & ſuadetur noſtro ſeptempartito iure *in l. 19. tit. 5. part. 3.* hoc verſiculo: *E aun dezimos, que los perſoneros que ſon dados para recaudar coſas fuera de juizio, que cumple que ſean de edad de diez y ſiete años*, ſubſcribit Gloſſa *in dict. §. eadem, verbo decem & ſeptem annis*, & *in l. 1. §. pueritiam, verb. Sed ad negotia, ff. de poſtuland.* Alberic. *in l. exigendi num. 5. C. de procurat.* Paulus *ibidem num. 9.* Iaſon *num. 19.* Ioannes de Graſſalibus *de ſubſtantialibus procuratorũ, verbo prouidos, diſcretos viros, num. 4.* D. Antonin. *3. part. tit. 6. cap. 3. §. 7.* Syluester *verbo procurator num. vnic. verſic. Sed nota*, Gregor. Lopez *dict. l. 19. verbo diez y ſiete*, Didac. Couar. *in cap. ſua de teſtamentis num. 4.* Marcus Mantua *in rubric. titulo de procurat. num. 13.* Montal. *in l. 9. tit. 10. lib. 1. fori*, Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap. 5. num. 65.* Cardin. Tuſchus *practic. concluſ. litera P. concluſ. 810. num. 1.* Ioan. Gutier. *de iurament. 3. part. cap. 11. num. 1.* Rebell. *de obligat. lib. 17. quæſt. vnic. num. 11.* Alexand. Trentacinq. *variarum reſolut. lib. 2. tit. de procurator. reſolut. 3. num. 35.* Ludolphus Scraderus *in ſelectiſ. quæſt. tom. 1. tit. 6. num. 6.*

Alij enim nullam certam ætatem in procuratore ad negotia deputato requiri præter illam, quam ad vſum rationis naturale ius expoſcit, eo ſibi perſuadent, quia pupillus, aut ei proximus, adminiſtrationi præfici, & inſtitoriam obire poteſt, *l. ſed etſi quis 7. §. pupillus. ff. de inſtitor. action. Pupillus autem inſtitor*, inquit Cõſultus, *obligat cũ qui eũ præpoſuit inſtitoria actione, quoniã ſibi imputare debet, qui eum præpoſuit*, & in l. ſequenti: *Nam plerique pueros, puellaſque tabernis præponunt*, necnon & in *l. 1. §. magiſtrum nauis, verſic. Cuius autem*, ibi: *Sed nec cuius ætatis ſit, intererit ſibi imputaturo, qui præpoſuit, ff. de exercitatoria actione*, conducit plurimum *l. denique 3. §. ſeruus autem, ff. de minoribus*, illic: *Quare etſi per impuberem contraxerit; idem erit dicẽdum*, cuius ſimile Paulus reſpondit *in l. 1. §. cæterum, verſic. Quòd ſi impuberem, ff. de acquirenda poſſeſſione, quod ſi impuberem*, inquit, *miſeris ad poſſidendum, incipies poſſidere*: & rurſus *in §. pupillus*, vbi hæc ſeries: *Pupillus per ſeruum, ſiue puberem, ſiue impuberem, acquirit poſſeſſionem, ſi tutore autore iuſſerit eum ire in poſſeſſionem.* Ex quibus docet nouiſſimè Ludouic. Poſtius

tract.

*tractat.de manutentione obſeruat.*67. *ad finem*, minorem poſſe procuratorem conſtitui ad poſſeſſionem capiendam, necnon & *text. in l.commodato* 24.*ff.de minorib.*. quam ſententiam vri veriſſimam tuentur Bald.*in dict. l.exigendi num.* 4. *C. de procurator. ibidem* Alexand.Iacob.de Aretio dicens eſſe communem *num.*13.Petrus de Bellapertic.*num.* 4.*verſic. Sed opponitur*, Salicetus *num.*13. Paulus *in l.minor.ff.de procurator.* & *in l.*1. §. *pupillus, ff. de acquirenda poſſeſ.* Francus *in dict.cap.qui generaliter*,§.*licèt num.*1.tenent ibidem Ioan.Andr.*num.*2..Ancharran. *num.*4.Domin.*eodem num.* Iacob.Cuiac. *obſeruat lib.*22.*cap.*16. Caldas Pereira *in l.ſi curatorem verbo hunc contractum num.* 40. *C.de in integrum reſtitut.* pluribus congeſtis Thomas Sanchez *de matrimon. lib.*3.*diſput.* 41.*num.*8.Philip.Matthæus *in l.*3.*num.*26. *ff. de regulis iuris.* Anton. Cardoſ. *in praxi aduocatorum litera M. num.* 47. doctiſſimè Anton.Faber.*in Iuriſprudent.Papinianea titulo* 9.*princip.*7.*illa* 14. Donellus *lib.*18. *com.cap.*3.*vbi etiam* Oſualdus *litera F.* Hieron.Bucar. *de different. inter iudic. ciuil. & crimin.different.*142.*num.*29. Cuellar *tractat. de manumiſ.*2.*part.num.*70. & nouiſſimè Hermoſilla *in addit.ad gloſſ.*1.*l.*7.*tit.*1. *part.*5.*num.*5. qui hanc ſententiam veriorem, tenendam, & communiter approbatam vocat.

3 Cuius rei rationem optimè excogitauit Bald. *vbi nuper* relatus, & refert Sanchez *dict.num.*8. ideò enim ſcribit, ætatem viginti & quinque annorum in procuratore ad forenſia iura expoſcūt: in procuratore verò ad negotia nec certam vllam ætatem præſcribunt, quia iudicia ex ſui ratione inter contradicentes & reluctantes peraguntur. Negotia etenim, ſiue contractus non niſi conſentientes ſimultanea voluntate perficiunt. Quæ voluntas cùm proculdubio quacumque ætare reperiatur, dummodò rationis expers non ſit rectè infertur impuberem, aut pupillum cuiuſcumque ætatis negotia adminiſtrare, ad eaque procuratorem deputari poſſe.

4 In hac opinionum varietate vltimam ſententiam ſecuriorem eſſe puto, etſi primam etiam probabiliſſimam exiſtimem. Nec refragantur in contrariæ opinionis fulcimentum adducta. Non primum *ex dict.l.ſi collactaneus, & ex dict.§.eadem*, quia licèt verum ſit non aliter minori 25.annis ſeruum manumittere procuratoris habendi gratia permitti, quàm ſi decimumſeptimum ætatis annum ſeruus impleuerit, decimumoctauumque attigerit. Hoc quippe non ex eo prouenit, quòd ante huiuſmodi ætatis implementum procuratorium munus exerceri prohibetur, ſed quia ante illud tempus iuſta cauſa manumiſſionis non inuenitur, quæ ex Lege Ælia Sentia ad libertatis præſtationem in minore deſideratur, *dict.§.eadem inſtit.quib. ex cauſ.manum.non licet*, cum ſimilibus, notat Anton. Faber *vbi proximè princip.* 6. quamuis enim procurator ad negotia conſtitui poſſit ætatis cuiuſcumque, etiam pupillus & ſeruus, vt proximè oſtendimus, & probatur ex *l.ſeruus quoque* 33.*in princip.ff.de procuratorib.* At vix credi poteſt minori vtile proficuumque eſſe illum procuratorem habere, qui ſeruus ſit, & decimumſeptimum ætatis annum non expleuerit, cùm ante huiuſmodi ætatem fragile imbecillumque ſit hominis iudicium, rerumque adminiſtrationi inſufficiens, & ea impleta in ſeruitute exiſtentem haud quaquam vtile eſt procuratorem habere: expedit enim minori negotia procurari per liberum, cum quo liberius homines contrahant. Ita ſubtiliter vno verbo excogitauit Petr. de Bellapertica *ſuprà n.* 4.*ad finem*; Caldas Pereira, Anton. Faber, Philip. Matthæus *num.*33.& Oſualdus *vbi ſuprà.*

5 Secundo loco motum ſcrupulum *ex dict. cap.qui generaliter* 5.§.*vltim.de procurator. lib.*6.eximemus, ſi memoria complectamur, quod omiſſa ibidem Franc. interpretatione *num.*1.tradit Thom. Sanchez *dict.lib.*3. *de matrimon.diſputat.*41.*num.*8.*verſic.Nec obſtant*, nempe Summū Pontificem in eo textu dumtaxat expreſsè definire procuratorem ad litem, ſiue iudicia, niſi viginti & quinque annorum conſtitui non poſſe, cùm verò de procuratore ad negotia ſermonem inſtituit, diuerſo loquendi modo vtitur, videlicet procuratorem ad negotia licitè conſtitui, qui decimum & ſeptimum annum iam expleuerit: quaſi clarè ſignificans, illum ante prædictam ætatem validè nominari non poſſe. Hūc autem anno decimoſeptimo non exacto poſſe validè, ſed non licitè, ideſt honeſtè, & vriliter vt proximè expendebamus. Quare ſibi imputandum iura proclamant: qui ita teneræ ætatis adoleſcenti ſua commiſit negotia, *dict.l.ſed etſi quis* 7.§.*pupillus, l.*3.§.*vltim. l. cum mandato*, 23. *in finalib. verbis, ff.de minorib.* Iacob.Bonieur *in ænigmat. legum cap.*17.Caldas & Anton. Faber *dictis in locis.*

Quæ interpretatio egregiè corroboratur ex verbis *dict.l.*19.*partitæ* tranſcripta proculdubio ex decil. *dict.§.licèt*, vt harum legum conditoribus moris fuiſſe probatur Partitarum procemio, ibi: *E tomemos de las palabras* 6

bras de los dichos de los Sabios, è de los Derechos,& *l.* 1. *Tauri, Porque fueron tomadas de los dichos de muchos Sabios, è de los Derechos*, & facillimè ſibi hoc perſuadebit quiſquis illius legis verba attentè luſtrauerit: *E aun dezimos*, hæc ſunt, *que los perſoneros que ſon dados para recaudar coſas fuera de juizio, q̃ cumple que ſean de edad de diez y ſiete años, como quier que los otros que ſon pueſtos para demandar, ò reſpõder en juizio, deuen ſer alomenos de edad de veinte y cinco años.* Cùm enim procuratoris ad iudicia ætatem deſignare lex voluiſſet, verbo illo, *Deuen*, vtitur, quaſi præcisè & neceſſario hîc annorum numerus in eo deſideretur. At verò de conſtituto procuratore ad negotia loquens, *Cumple que ſean* ſcripſit *de edad de diez y ſiete años*, prout ſi diceret expedire maioris vtilitatis cauſa huius ætatis homines negotiationi præponere, licèt minoris etiã ætatis validè deputari poſſint, quibus etiam dictæ legis partitæ obſtaculum manet ſublatum.

Quo loco minimè prætereundum cenſui eiuſmodi minorem ita demûm procuratorio nomine alterius negotia gerere poſſe, ſi nullum inde detrimentum, aut damnũ ipſe paſſurus ſit. Nam ſi aliquam obligationem in ſe ſuſcipiat, aut fideiubendo pro domino, aut de rato promittendo, quidquid ab eo geſtum fuerit proculdubio nullitatis vitio laborabit, vt poſt Speculatorem *lib.* 1. *part.* 2. *titulo de actore in principio num.* 10. docet Simoncellus *tractat. de decretis lib.* 2. *tit.* 6. *inſpectione* 9. *num.* 91. vbi ideò concludit, minorem pro alio procuratorio nomine contrahendo de rato cauere non poſſe. 7

ANNVS DECIMVSOCTAVVS.

SVMMARIVM.

Pubertas diſtinguitur, ſecundùm aliquos, in ſimplicem, plenam, & pleniſſimam. 1.

Conditio, cùm pubes erit, *ei adſcripta, qui decimumquintum annum agit, intelligitur de pleniſſima pubertate viginti & quinque annorum. ibidem.*

Verius tamen eſt in ſimplicem tantùm & plenam diuidi. 2.

Simplex pubertas, minus plena, & vita noſtræ aurora appellatur. ibidem.

Plena pubertas in maſculis decimoctauo anno, & in fœminis decimoquarto incipit. ibid.

Text. in l. cum filio 50. *ff. de legat.* 3. *verè declaratur.* 3.

Plena pubertas quando finiatur? 4.

QVÆSTIO I.

Plena pubertas quando contingat?

1 Qvamuis aliquibus, vt *Zaſio in Par. de adoptionib.* Balzarano *de feudis lib.* 2. *tit.* 26. *num.* 8. & Oſuald. *lib.* 3. *Donel. c.* 14. *lit. B.* trifariam placuerit pubertatem diſtinguere, veluti in ſimplicem, plenam & pleniſſimam, à quibus parum diſſentit Anton. Faber *in Iuriſprudentia Papinianea tit.* 22. *princ.* 2. *paulò ante finem*, necnon & Emanuel Coſta *lib.* 1. *ſelector. cap.* 12. Spino *in ſpeculo teſtam.* 1. *part. gloſſæ rubric. num.* 44. Paul. Durand. *de condit. & modis impoſſibil.* 3. *part. cap.* 7. *num.* 4. ideò affirmantes conditionem *cùm pubes erit* ei appoſitam, qui impleuit decimumquintum annum intelligi de pubertate pleniſſima vigintiquinque annorum *ex l. cum filio* 5. *verſic. Interdum, & verſic. Ego quidem, ff. de legat.* 3. certius tamen eſt in ſimplicem, & plenam diuidi. De ſimplici, quam 2 alio nomine ſemiplenam appellauit Hoſtienſis *in ſumma titulo de deſponſat. impub. num.* 2. primam, & minùs plenam Anton. Faber *vbi proximè*, & tandẽ ceu vitę noſtrę aurorã, Lorin. *in Eccleſiaſt. c.* 11. *verſ.* 10. *ſupra anno* 14. ſatis diſcumſſius. De plena nunc incidit diſputatio, in qua quidẽ conſtituendũ erit, pubertatem, quã plenã nuncupamus, in maſculis decimooctauo anno, & in fœminis decimoquarto exordiri. Hoc probant Conſulti *in l. adrogato* 40. *§. non tantũ, ff. de adoption. l.*

Mela ait 14. §. 1. *de alimentis, & cibar. legat. & in l. quidam conſulebant* 57. *de re indicata*, & Iulius Paul. *lib. 3. ſententiar. tit.* 4. §. 1. Imperator etiam *in §. minorem de adoption. & in §. fin. quibus manumit. licet, vel non*, & non diffitentur noſtræ ſcholæ inſigniores viri, Guilielm. Mainer. *in l. pupillum num.* 4. *ff. de regulis iuris*, Hugo Donel. *commentar. iuris ciuilis lib.* 3. *cap.* 14. vbi etiam notat Oſualdus *litera B.* Hoſtienſis *vbi ſuprà*, Corraſius *in dict. l. arrogato, §. non tantum num.* 4. Iacob. Cuiac. *lib.* 11. *Pauli ad edictum in l. cum mandato* 21. *ff. de minor. verſic. Vis ſeruum* aſſerens finito anno decimoſeptimo, & incepto decimooctauo incipere, Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 5. *num.* 5. Franciſc. Hothoman. *in commentario de verbo. verbo pubertas plena*, Franciſc. Conſtan. *commentar. lib.* 2. *cap.* 15. *ad medium*, Petrus Barboſa *in l. cum Prætor* 12. *§. fin. num.* 103. *ff. de iudicijs*, vbi ex *authent. ſi capti.* & ex Baldo *ibidem num.* 3. *C. de Epiſcop. & Clericis* ſubijcit huius ætatis homines à cæteris minoribus diſtingui, Petr. Gregor. *ſyntagmat. lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 10. Proſper. Farinac. *prax. criminal. tom.* 3. *quæſt.* 92. *num.* 20. Caluinus *in Lexicon iuris verbo ætas, verſic. Ætatem in quinque*, Benedict. Pinel. *ſelectar. iuris lib.* 2. *capit.* 4. *num.* 25. Anton. Faber *in Iuriſprudent. Papiniana tit.* 22. *princip.* 2. *ad calcem*, Petr. Franciſc. Linglois *deciſ.* 34. *quæſt.* 2. *num.* 17. & ex Medicis hoc etiam confirmat Petr. Garſia *in Auicennam fen.* 1. *lib.* 1. *doctrin.* 3. *cap.* 3. *diſputat.* 16. *cap.* 3. *verſic. Secunda ætas.*

3 Hanc licèt tot tantiſque Iuriſconſultorum & Scribentium ſuffragijs communitam definitionem in dubium vertit deciſio *dict. l. cum filio* 5. *ff. de legat.* 3. vbi legatum relictum, cùm pubes erit quando teſtator ſciebat legatarium eſſe puberem, niſi adueniente vigeſimoquinto anno non debetur: ergo quia plena pubertas, quæ vltima eſt, vt diximus, illa maiori ætate incipit, alioqui decimooctauo anno prædictum legatum ei, cui relictum eſt præſtari deberet.

Sed reſpondetur cum Benedicto Pinello *vbi ſuprà num.* 26. ideò viginti quinque annorum ætatem legato in *dict. l.* fuiſſe præſtitutam, licèt in tempus pubertatis eſſet relictum, quia plena pubertas, quæ decimooctauo anno contingit, tunc ſolum attenditur quoties dubium eſt, an quis ſit pubes, necne? quia licèt decimoquarto anno fuerit à Iuſtiniano ſtatutum pubertatem aduenire: attamen illud ad ſedandas lites fuit inductum, quæ ex pubertatis incertitudine ſæpiùs oriebantur, ſiquidem ſecundùm naturæ regulas alij citiùs, alij tardiùs pubeſcunt: ergo cùm *in dict. l.* 50. ſupponatur teſtatorem ſciuiſſe legatarium puberem fuiſſe inde eſt, pubertatis plenæ rationem non haberi, vt in pubertatis annos dimiſſum legatum ipſi præſtaretur, ſed illius tantùm pubertatis, quæ nondum legatario aduenerat, ætatis ſcilicet viginti & quinque annorum, quâ etiam homines puberes vocantur, *l. ſi furioſo* 16. quæ id expreſſe probat in principio, *iuncta gloſſa verbo annorum, ff. de curatore furioſo*, quaſi voluiſſe teſtatorem coniectemur ea ætate legatum deberi, qua illud liberè adminiſtrare poſſet, vt non ineleganter mecum exiſtimat Benedict. Pinel. *dict. loco.*

4 Quod non ita ſimpliciter accipiendum eſt, vt intelligatur viginti & quinque annis maiores ea ratione puberes vocari in dictis legibus; quia plena hæc pubertas vſque ad illud tempus protrahitur, vt falsò exiſtimauit Gloſſa *in l. impuberibus* 11. *de acquirenda hæredit.* vel quia eo tempore pleniſſima pubertas contingit, vt alijs non minus malè viſum fuit. Aduerſus quorum ineptam exiſtimationem meritò inuehitur Benedict. Pinellus *num.* 28. ſed quia vt ipſi placet, egreſſi ſunt decimoquarto, & decimooctauo anno, quibus ſemiplena, & plena accidit pubertas, & terminatur, vt dixit Medicorum doctiſſimus Petr. Garſia *loco vbi ſuprà* ſcribens, pubertatem incipere à decimoquarto, quo tempore pubeſcere incipiunt pueri, vſque ad decimumoctauum, quod dixerat Cuiacius *lib.* 1. *differentiarum Modeſtini in dict. l.* 40. dum hac ætate octodecim annorum, ad extremum, etiam qui tardiùs, pubeſcere inquit.

SVMMARIVM.

Eadem certa ætas inermi, & armatæ militiæ fuerat communis. 1.

Variæ opiniones circa præfinitionem huius ætatis referuntur. 2. *& ſeq.*

Vera ſententia traditur. 4. *&* 5.

Pupillus an potuerit militare? 6.

Pupillus ad iurandum cogi non poteſt. ibidem.

Ex noſtris legibus ætas octodecim annorum ad militiam deſideratur. 7.

Vbi de qualibet familia vnus deducitur ad bellum, quod vulgò Quintar *dicitur, cuius ætatis is eſſe debeat?* 8.

Corpus & ingenium decimooctauo ætatis anno firmantur. 9.

QVÆSTIO II.

Qua ætate milites legi, & ad bellum admitti debeant?

1 APud Scæuolam *in l. his verbis.* 102. *§. alumno, ff. de legat.* 3. ſic legitur: *Sempronio alumno meo illud, & illud, & cùm per ætatem licebit, militiam illam cum introitu comparari volo.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, certam aliquam ætatem militaturis eſſe præſcriptam: nam licèt de inermi, & ciuili tantùm militia hoc loco meminerit Cōſultus, quoad ætatem pertinet, nullum inter illam & armatam, cuius noſter ſermo, eſſe diſcrimen obſeruat Anton. Auguſt. *libro ſingulari ad Modeſtin. in l. ſed & miles, §. iam verò militi, ff. de excuſationibus.* Igitur cùm certam deſignatam ætatem ad militiam requiri certo certius appareat, quæ hæc
2 eſſe debeat, videamus. Perez de Lara *in compēdio vitæ hominis, cap.* 16. *num.* 3. infantiam ſufficere affirmat, *ex textu in cap.* 1. *quo tempore miles inueſtituram petere debeat*: ſed longè aliter Tubero apud Agelium *lib.* 10. *cap.* 28. hac de re ſcribit: *Seruius*, inquit, *ab anno decimaſeptimo, quòd idoneos iam eſſe Reipublicæ arbitrabatur milites ſcripſit*, & hoc apud Romanos diu obſeruatum ex Liuio coniectari, licet *decade* 3. *lib.* 2. vbi ita legitur: *Ex autoritate Patrum dictus M. Iunius, & T. Sempronius magiſter equitum delectu edicto iuniores ab annis decem & ſeptem, & quoſdam prætextatos ſcribunt*: & *lib.* 5. *paulò poſt initium*, cùm vrgente neceſſitate ſecundo bello Punico hoc ſemel violatum refert, illud regulariter admiſſum confirmat: *Tribuni plebis* ſcribit, *ſi ijs videretur, ad populum ferrent, vtiqui minores ſeptem & decem annis ſacramento dixiſſent, ijs proinde ſtipendia procederent, acſi ſeptem & decem annorum, aut maiores milites facti eſſent.* Conſentit Lipſius *de Militia Romana lib.* 1. *Dialogo* 2. *Ecce in iuuentutis inopia quidam, tunc etiam prætextati milites capti, id ne fraudi ijs eſſet, & quia præter Serui, aut vetus inſtitutum lege ſubuentum fuit, & anni illi in ſtipendia venerunt haud ſecus, quàm ſi à decimoſeptimo cœpiſſent*: quod quidem vetus Serui Tullij militare ſtatutum, cùm æuo ſubſequente ambitione obſoleſceret, & multi vt citius ad Tribunitios peruenirent honores, nondum decreta ætate abſcriberētur, à Caio Gracho lege ſancitum fuit, iuniorem annis ſeptem & decem militem non legi. Id ita Plutarchus *in Grachis*, & Alexand. ab Alexand. *dierum genial. lib.* 1. *cap.* 20. vbi & Tiraquel. *litera A.* Iuſtus Lipſius *vbi ſuprà, & in exemplis Politicis cap.* 9. *monitione* 2. *exempl.* 1. Claudius Cothereus *de iure militum lib.* 1. *cap.* 14. Petr. Faber *in Agoniſtic. lib.* 3. *cap.* 18. *in fine, & cap.* 9. *prope initium*, Spiguiel. *in lexico iuris verbo ætas militaris.*

Diuerſa tamen & minori ætate apud Romanos milites legi conſuetum, & Vegetio 3
probatur *lib.* 1. *cap.* 4. *Si antiqua conſuetudo ſeruanda ſit*, inquit, *incipientem pubertatem ad dilectum vocari*, cui conſentit *l. noſtra* 3. *tit.* 19. *part.* 2. vbi minor decimoquarto anno, ac per conſequens impubes ire ad bellum prohibetur, & vt propriùs dicam, ab eo excuſatur. Refert parum ſibi conſtans Liuius *vbi proximè*, & expreſſius Silius *lib.* 2. *ibi.*
Pubeſcit miles caſtris galeaque teruntur,
Nondum ſignatæ flaua lanugine malæ.
Idque etiam apertè ex Modeſtino conſtat *in dict. l. ſed & miles.* 8. *§. iam verò & militi, ff. de excuſation. Iam verò & militi impuberi curator dabitur*, ait, vbi obſeruat Gloſſa *litera Q.* etſi non immeritò legis ſeriem Anton. Auguſtin. inuertat *lib. ſingulari ad Modeſtin. titulo de excuſationibus in dict. §. puberique*, legendum admoneat, quæ ſcriptura ex *ipſius* §. verbis luculenter euincitur, quoniam impuberi curator minimè decernitur, ſed tantùm puberi, *princip. inſtitut. de curatorib.* Donel. *comment. lib.* 2. *cap.* 18. vbi & Oſualdus, Anton. Faber *in Iuriſprud. Papin. tit.* 23. *princip.* 1. Sed vt vt ſit, impuberes ad militiā antiquitus fuiſſe admiſſos certo certius iure probatur *in l. fin. C. de teſtament. militis*, ex qua & ſuperiori ita obſeruarūt Bart. *in l.* 1. *in fine, C. de munerib. & honorib. non contin. lib.* 1. *& in l.* 1. *verſic. ex prædictis patet, C. de dignitat. lib.* 12. Matth. de Aſflictis *in conſtitut. Siciliæ* incipienti, *terminum vitæ in fine*, Tiraquel. *de nobilitat. cap.* 6. *num.* 28. *& de iure primogenij quæſt.* 40. Quintil. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 3. *num.* 13. Redinus *de Maieſtate Principis verbo non armis num.* 42. Benedict. Pinel. *ſelectar. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 51. & habetur *ordinatione Luſitana lib.* 4. *tit.* 83. *§.* 3. ibi: *Porque ſe algun menor de catorze años foſe ſoldado, ou tibeſſe na militia algun officio, ou dignidade, naõ podera por iſſo teſtar*, quam erudite idem Pinellus interpretatur *vbi ſuprà num.* 57.

In hac quidem opinionum repugnantia 4
non abſurdum fuerit mediam viam inſtituiſſe, ſiquidem inficiari minimè poterit, quin puberum ætas maiorum legibus, & conſuetudine fuerit militiæ addicta: cauſa autem hæc erat, vt Alexand. ab Alexand. memorat, quòd citra eam ætatem, aut ſupra velut imma-

immaturi, aut præduri, & effeti militiæ rudimentis minimè idonei iuuenes putabantur; ideoque vetus conſtitutum erat iuuenes, niſi poſt pubertatem, dum per ætatem laborem militarem ferre poſſent, florentes viribus, & eos ex vrbana ſæpiùs agreſti iuuentute ruſticis operibus duratos militari ſacramento & munere adigere: ſingulosque militiæ per numerum in iuniorum tabulis adſcribere, qui catalogi dicti, illosque ex corporis habitudine, ſi apri militiæ, ſi lato pectore, ſi ceruice erecta, ſi fortis & ſtrenuus: quæ ſpecies, qualisvè vigor, & quod robur virium foret, internoſcere. Nam antiquitùs pubertas non ætate, ſed corporis habitu deffiniebatur, quod cùm inhoneſtum Iuſtiniano videretur, is primum in maribus quatuordecim annos conſtituit, vt & fœminis anteà duodecim fuerunt, quibus vtroque in ſexu pubertas dignoſceretur. Quæ cùm plena eſſe incipiebat, ideſt cùm decimum & ſeptimum annum pueri attingebant, honeſtiores prætextati incedebant, ſumebantque virilem togam, & Tyrones nominabantur, indeque ad militiam aſſumebantur, vt ex Vegetio appaper *vbi ſuprà*, & notauit Anton. Auguſtin. *dicto lib. ſingulari, ad Modeſtinum*, & Alphonſus Villadiego *in rubrica, numer. 35. titul. 4. libro 8. fori iudicum.*

5 Verùm poſteà ſucceſsiuis temporibus, prout neceſsitas exigebat, vt in ſecundo bello Punico factitatum Liuius teſtatur *vbi ſuprà*, vel prout Principi placuerat, qui quandoque reſcriptis erga impuberes nobilium liberalis oſtendebatur, veluti in *dict. l. ſed & miles, §. iam verò, & in dict. l. fin.* quas ita interpretatur Albarotus *in capit. 1. numer. 6. titul. quo tempore miles, in vſibus feudor.* & Anton. Auguſtin. *vbi proximè*, nequaquam certæ, & legitimę militaris ætatis fuit habita ratio. Vnde inquit Balthaſar de Ayala *tractatu de iure & offic. bel. lib. 3. capit. 4. numer. 14. verſicul. Reliquum eſt*, quem refert Petrus Caballus *reſolution. criminal. centuria 3. caſu 294. numer. 47.* quòd licèt Federicus Imperator ſtatuerit aptam eſſe militandi ætatem ab anno vigeſimoquinto ad ſexageſimum, *in §. conſtitutionem, de qualitate, & ætate pupilli in fine, in vſibus feudor.* (quem inuenire mihi nequaquam contigit) tamen antiquis & modernis temporibus multò iuniores viginti & quinque annis, & longè ſeniores ſexagin-

D. Didacus de Narbona.

ta ſecundùm temporum occaſionem fuiſſe receptos.

Nec pedem retrahunt à Reſtauro notata *tractatu de Imperatore quæſt. 73. numer. 23. & 24.* ſcilicet, pupillum militare non poſſe, ex eo nimirum, quia eùm miles iurare vbi nomen dediſſet teneatur, & ſacramentum emittere pro Republica eſſe facturum, neque niſi completis ſtipendijs diſceſſurum: quemadmodum intelligendam eſſe, *l. miles. penultim. ff. ex quibus cauſis maiores*, ibi: *Qui ſignis diſcedere ſine periculo non poſſunt*, docet Cotereus *dict. lib. 1. de iure militum, capit. 6.* notatur à Tiraquell. in Alexand. ab Alexand. *dict. capit. 20. litera M.* & à Briſonio *ſelectar. lib. 2. capit. 6.* vbi latè de hoc iuramento: quibus conſentit nouiſsimè Garſias Toletanus *in Lucerna Rubricarum 3. poſterior. libro Codicis, titul. de his qui non impletis ſtipendijs numer. 2.* (etſi hodie iuramenti hæc ſolemnitas ſit militibus Hiſpanorum legibus ſublata, vt profert Gregor. Lopez *in l. 14. titul. 21. part. 2. verbo Iurar*, & probat *l. 6. titul. 1. lib. 6. nouæ Recopilationis*, vbi Azebedus obſeruat, & Garſias Toletanus *vbi ſuprà numer. 8.*) Quod cùm ita fuerit, & pupillus à iuramento ſit immunis, iurareque propter rationis imbecillitatem minimè cogatur, *capit. paruuli 22. quæſt. 5. l. qui iuraſſe 26. in principio, ff. de iureiurando*, ideò ex hoc & alijs fundamentis concludit Reſtaurus, pupillum, ac per conſequens impuberem militiæ omnino incapacem eſſe. Sed hæc (vt prædixi) minimè obſtant, nàm etſi abſolutè prolata dicta ſententia ſit vera; attamen vbi neceſsitatis caſus, aut priuilegium ſe obtulerit, omnino deficit, ſiquidem delatio ipſa iuramenti à Principali lege originem ducit, & lex in neceſsitatibus, aut contraria Principis voluntate minimè viget. 6

Apud noſtros verò Regali, & vetuſtiſſima ordinatione militiæ adſcribendus in plena pubertate eſſe debet octodecim annorum, *l. arrogator, §. non tantum, ff. de adoption. cum ſimilib.* licèt hodie non ita obſeruatum plures militares viri teſtentur, quibus ſemper conſtitit ſextumdecimum annum militaturis ſufficientem ętatem fuiſſe habitam; ſed quare? prorſus ignoro, cùm Regia ordinatione Philippi III. anni 1609. 15. Auguſti ita caueatur: *Se acordò, que los hombres que huuieſſen de ſeruir en eſta milicia, fueſſen de diez y ocho à veinte.* 7

Ee Quod

8 Quod an procedat quoties à Rege præcipitur, vt de qualibet familia vnus educatur ad prælium, quod vulgò *quintar* dicitur? inſignis eſt quæſtio. In qua quidem Ludouic. Roman. *ſingulari* 123. extractum, & de familia electum decem & octo annorum eſſe debere Scribit, eo videlicet, quia plena pubertas legitima bellandi ætas à Gloſſa præfinitur in *capit.* 1. *verbo à decimooctauo, de pace iuramento firmandæ, in vſibus feudorum*, ſequitur Guilielm. Benedict. *in repetitione capit. Raimuntius, verbo Adiectæ, numer.* 4. *de teſtament.* Rebuff. *de in integrum reſtitution. gloſſa* 4. *numer.* 19. *& in l.* 204. *de verborum ſignificat.* nouiſsimè Lara *in compendio vitæ hominis, capit.* 18. *numer.* 99. Et non ſine ratione, quoniam hac ætate firma corporum affectio, & ingenium conſpicitur: ex quo vt teſtis eſt Dion Caſſ. *libro* 52. ſuadebat Mæcenas Octauiano, ne ad equeſtrem dignitatem minores decem & octo annis deligeret, refert D. Garſias Maſtrill. *de Magiſtratibus, libro* 2. *capit.* 5. *numer.* 12. & ſtat pro hac ſententia Cabedus 2. *part. deciſion.* 29. *numer.* 3.

SVMMARIVM.

Venatio omnibus indiſtinctè, præſertim nobilibus, certis caſibus permittitur. 1.

Venator iuuenis eſſe debet. ibid.

Non niſi iuuenes in ludum venatorium ſolebant damnari. 2.

Venatoris ætas octodecim annorum propria videtur. 3.

Venatio, vt belli imago, maximè Principibus conuenit. ibid.

Militiæ ætas, plena pubertas dicitur, ibidem.

Phaſianarij qui fuerint? 4.

Pedeſtres taurorum agitatores cuius ætatis eſſe debeant, vt nec ipſi, nec ſuperiores, qui illos in plateis permittunt, grauiter peccent? 5.

Pueri nomen quibus competat? 6.

Serui, quamuis maioris ætatis, pueri vocabantur. ibid.

QVÆSTIO III.

Venationi, & taurorum agitationi quæ ſit aptior ætas?

Licèt venationis triplex illa 1
ſpecies, venatio ſcilicet, aucupium, & piſcatio, certis caſibus omnibus, preſertim nobilibus indiſtinctè permittatur, vt ex Petro Gregorio *lib.* 39. *ſyntagm. cap.* 10. *num.* 7. *& ſequentib.* & Auendaño *tractat. de caça, duda* 9. *verſic. La primera manera es*, optimè colligitur. Non tamen cuiuſcumque ætatis conuenit, ſed illis dumtaxat, qui iuuenes ſunt. Nam Xenophon *lib. de venat. & lib.* 1. *Cyrip.* Pollux *de ſuo venatore* ſcribens, & qualem optabat graphicè depingens, illum eſſe vult iuuenem, agilem, promptum, velocem, acrem, amantem periculorum, operoſum, laborioſum, amantem laborum, certatorem, confidentem, peruigilem, inde fatigatum, non tergiuertentem, non fugientem ad ventum ferarum. Quæ omnia, niſi hac virenti & robuſta iuuenili etate vix inueniri poſſunt. Vnde nouiſsimè Cabreros *in ſua methodica delineatione de metu lib.* 2. *c.* 37. *n.* 9. iuuentam propriam ætatem venatorum eſſe inquit, vtpote que ardentioribus & præſtantioribus viribus pollet.

Hinc non niſi iuniores in ludum venatorium ſolere damnari, reſpondit Conſultus *in l. aut damnum* 8. *§. quicumque, ff. de pœnis*, quia vt *ibidem* notat Gloſſa, iſti poſſunt 2
bene currere per montes, nam ſenes non ita currunt ac iuniores; & Nicolaus Papa in *capit.* 1. 34. *diſtinction.* Lanfredum Epiſcopum iuuenem nominatum meritò ita dici inquit, quia venationi erat nimio plus deditus, his verbis: *Quorumdam relatione fidelium noſtris auribus intimatum eſt, quòd Lanfredus Epiſcopus, qui & iuuenis dicitur, venationi ſit deditus*: & inferiùs: *Verùm iſte (ſi ita eſt, vt audiuimus) meritò iuuenis dicitur, quia iuuenilibus deſiderijs occupatus, nulla grauitate conſtringitur, &c.*

Quam iuuentutem non minorem octodecim annorum futuram inde conijcio, quòd 3
belli, & venationis pene eadē natura & cōditio eſt. Quandoq; non alia ratione Principibus omniūmaximè venationē cōuenire *l.* 20. *tit.* 5. *p.* 2. & innumeri à Cabreros relati *n.* 2. teſtan-

teſtantur; niſi quia belli ſimillima quædam imago exiſtit, qua qui exercentur, neceſſariò inſtructiores redduntur ad prælium. Vnde non immeritò venationis & belli eadem veſtimenta erant, vt idem Cabretos *ex Polluce* obſeruat *num.* 8. Atqui bellum ſiue pugnam ſubire minor decem & octo annorum, nec debet, nec cogitur, vti ex Bertachino *in repertorio verbo minor conuenitur, verſic. minor.* 18. *annorum, pagina mihi* 163. alijſque multis *ſuprà hoc eodem anno quæſtione* 2. probauimus, de quibus pueris accipiendum erit quod ſcribit Ariſtoteles *lib.* 9. *hiſtor. animal. capit.* 39. nempe eſſe pueros circa Thraciam, qui cum accipitribus ſocietatem ineuntes auicularum aucupium exercebant.

4 Et ſi ariolari licet, fortè huius ætatis erant Phaſianarij illi ſerui, quos auium legato contineri negat Conſultus *in l. auibus* 66. *de legatis* 3. & quorum artificium fuiſſe aues capere ibidem admonet Gloſſa, & poſt eam Sebaſtian. Medic. *tractat. de venat. piſcatione, & aucupio part.* 1. *in præfatione numer.* 30.

5 Hinc ex dictis infertur, eiuſdem ſaltim ætatis pedeſtres etiam eſſe oportere, qui lanceis, aut pallio tauros inuadunt, cùm non minus robur & celeritas in eiuſmodi agitatione, quàm in ferarum venatione ſit neceſſaria. Alioqui ſi minori ætate tanto vitæ periculo ſe expoſuerint, & ipſi, & qui eos in plateis adeſſe permiſerint, grauiter peccabunt, ex quo illis ex officio curare incumbit, ne in platea ſint pueri, vel ſenes, mulieres, vel claudi, &c. quibus imminere poteſt mortis periculum: & ſi hoc non caueatur, inquit eruditiſsimè P. Thomas Sanch. *lib.* 1. *conſilior. moral. c.* 8. *dubio* 31. *n.* 2. illicita erit taurorum agitatio.

6 Nec aliud probatur ex illo Poetæ eclog. 1

Paſcite vt ante boues pueri, ſubmittite tauros.

Quo indicari videtur pueris, ac per conſequens nondum quartumdecimum annum agentibus, quibus propriè puerorum nomen competit, vt *ſuprà anno* 7. *q.* 27. latè oſtendimus, & multis reſoluit Paul. Zachias *Medicolegali lib.* 1. *titul.* 1. *q.* 4. *num.* 7. ea omnia ineſſe, quæ naturaliter taurorum agitatione deſiderantur: quia vt egregiè explicat Lelius Biſciolia *Horarum ſubſeſſiuarum lib.* 2. *cap.* 17. *verſ. Nunc, pagina mihi* 138. pueri eo carmine ſerui dicuntur, quo ſenſu non tam ætas quàm conditio exprimitur, *l. pueri appellatio.* 204. *de verb. ſignif.* ibi: *Pueri appellatio tres ſignificationes habet, vnam cùm omnes ſeruos pueros appellamus.*

D. Didac. de Narbona.

SVMMARIVM.

A*Nte vigeſimumquintum annum nemo, quamuis vxoratus, rerum ſuarum ad miniſtrationem habere poteſt.* 1.

Matrimonio an quis maior efficiatur, vel à cura liberetur? 2. *&* 4.

Tutelam matrimonio finiri, quoties illud ab eo, cuius malitia ætas ſuppletur, contrahitur, multi docent. ibid.

Minor, qui aliquo modo fuit à curatore liberatus, an poſsit ab eo rationes exigere? 3.

Adoleſcens poteſt tutorem interpellare ad reddendas rationes. ibid.

Regibus ab anno vigeſimo Regni adminiſtratio committitur, nõ verò Reginis, niſi priùs nupſerint. 5.

Muliebre iudicium gubernationi eſt impar. ibid.

L. 6. *tit.* 17. *p.* 7. *explicatur.* 6.

Hodie nouiori iure, vxorẽ ante decimumoctauum annum ducens, & propria, & vxoris minoris bona poteſt adminiſtrare, etiam à curatoribus rationes exigendo. 7.

Minor, qui à curatore ſuo rationes exegit, tenetur ei quitationem & liberationem præſtare, aliàs poterit ad id compelli. 8.

QVÆSTIO IV.

Quis poſsit adminiſtrationis rationem à curatore ſuo exigere?

HOc nemini ante vigeſimũquintum ætatis ſuæ annum eſſe permiſſum, inde coniectari poteſt, quòd rationes exigere, adminiſtrare eſt. Adminiſtrandi vero ius, & poteſtas ſolum præfinito tempore maioribus competit, *l. fin. ff. de condition. & demonſtration.* cum alijs ſuo loco adſcriptis. Quod adeò verum eſſe arbitrantur, Paul. Caſtrenſ. *in l.* 2. *numer.* 2. *C. ſi ſæpius in integrum reſtitut. fuerit poſtul.* Gregor. *in l.* 3. *titul.* 15. *part.* 2. *verbo, Fecha que ſea caſada,* Roderic. Suarez *in l.* 9. *titul.* 11. *lib.* 1. *fori,* Parlador. *lib.* 2. *rerum quotidian. cap.* 12. *per totum,* & indicat Ioann. Gutierrez *de tutel.* 1. *part. cap.* 21. *num.* 31. vt etiam coniugatis, ſiue maſculis, ſiue fœminis minoribus, nequaquam licere obteſtentur, quia adhuc ea ætate ſunt, qua curatore indigeant, & rebus ſuis præeſſe non poſſunt, veluti diſſertiſsimis verbis ſubindicat Imperator *in l. maritus* 2. *C. qui dare tutores, vel curator. poſſ.* 1

§. *idem reſcripſerunt, inſtitut. de excuſation.* dum negat maritum, etſi rebus vxoris affe-ctionem debentem, curatorem ei creari poſſe; ex qua paſſim omnes (excepto Vueſem-bec. *in dict.* §. *idem*, & Anton. Fabro *in iuriſpruden. Papinian. titul.* 12. *prin.* 3. *illatione* 5. qui in muliere furioſa loqui arbitrantur) & præſertim ſuprà relati meritò deducunt,
2 neminem matrimonio maiorem effici, vel à cura liberari, vti etiam ſuadetur ex *l.* 1. *iuncta l. ſequenti, ff. de minoribus, l. non eo minus* 14. *C. de procurat.* & expreſsiùs apud noſtros ex *l.* 3. *titul.* 17. *part.* 6. cum alijs notatis à Muñoz de Eſcobar *tractat. de ratiocinijs cap.* 6. *à num.* 17. probant Giurb. *deciſ.* 129. *num.* 10. & Perez de Lara *in compend. vitæ homin. capit.* 20. *numer.* 94. etſi tutellam matrimonio finiri tenent cum Montano, quoties ſupplente malitia ætatem ab impubere contrahitur, Cancer. *variar.* 3. *part. capit.* 2. *numer.* 16. & ante eos Mexia *ad l. Toleti* 6. *fundament.* 2. *part. numer.* 10. Peguera *deciſion.* 34. *numer.* 1. Parlador. *lib.* 1. *rerum quotidian. cap.* 12. *numer.* 1. Azebed. *in l.* 8. *numer.* 49. *titul.* 1. *lib.* 5. *Recopilat.* Caſtillo *lib.* 4. *controuer. cap.* 18. *numer.* 54. Hermoſilla alios referens *in l.* 4. *gloſ.* 2. *n.* 8. *tit.* 5. *p.* 5.

3 Aliud autem, & non improbabiliter multi voluerunt, nempe eos omnes ante quintum & viceſimum ætatis annum poſſe à curatoribus rationes exigere, qui ſecundùm iuris diſpoſitionem ab eorum cura liberantur, & bonorum ſuorum adminiſtrationem ſuſcipiunt. Non ſolùm vt ſuprà prędiximus, quia adminiſtrandi & exigendi rationes facultas, pari paſſu ambulant: ſed etiam quia exolutus curatoria poteſtate aliquo modo legitimo, vtputa venia ætatis, ius habet extorquendi bona à curatore, argumento *l.* 1. *C. de his qui, veniam ætatis impetrauer.* ergo & eorum rationem? alioqui, res ſuas proprie accipere non videretur, qui nulla facta calculatione receptarum, conſumptarum, & traditarum, illas recipit. Vnde cùm matrimonio copulatum, ſaltim de iure noſtro patrio, curatoris ſubiectionem effugere certius exiſtiment ex *l.* 3. *titul.* 15. *part.* 2. vbi de tempore agens, quo filij Regis à curatoribus eximuntur, ſic ait: *E ſi fuere fija la que huuiere de heredar, faſta que ſea caſada*, ſtatim, & ante viceſimumquintum annum, eum & res ſuas adminiſtrare, & à curatore rationes expoſcere poſſe conſtituunt, auctoritate *l.* 6. *titul.* 17. *part.* 7. ibi: *Eſto es, porque el huerfano deſpues que es caſado, trae ſu muger à ſu caſa, è non recibe embargo ninguno en demandar cuenta à ſu guardador de todos ſus bienes*, ex quibus cum Didaco Perez *in l.* 3. *verbo Todos los ſolares, verſicul. Ex qua lege* 65. *tit.* 11. *lib.* 4. *Ordinament.* Monterroſo *tractat.* 6. *de eſcrituras, columm.* 1. Molina *de iuſtitia & iure, tractat.* 2. *diſputat.* 221. *numer.* 17. Baeza *de inope debitore, capit.* 4. *numer.* 4. vtrumque docet Muñoz de Eſcobar *dict. cap.* 6. *num.* 25. licèt numeris ſequentibus iudicis arbitrio relinquendum putet, quibus in caſibus vxoratus, aut nupta liberentur à curatoribus, & ab eis rationes exigant. Cui in omnibus aſſentiri videtur Caſtillo *vbi proximè*, maximè in eo, quòd putat officium tutoris finiri per matrimonium, ſi fœmina contrahat cum viro 25. annorum: ſi verò vir minor contrahat matrimonium, non finiri.

Mihi tamen magis probatur poſtrema hæc ſententia, dum his omnibus minoribus exigendi rationes à curatoribus poteſtatem indulget, qui aliqua ex cauſa in iure præſcripta ab illis liberantur, & rerum ſuarum liberam adminiſtrationem ſortiuntur, cùm hi maiores habeantur, præſertim quoad ea, quæ patrimonium & facultates reſpiciunt, quam etiam inſectatus fuiſſe videtur Anton. Sola *in conſtitut. antiqua Sabaudiæ lib.* 3. *capit.* 44. *gloſ.* 3. *numer.* 2. & 3. cùm non ſolùm affirmat tutorem debere adultum ad rationis redditionem ſuſcipiendam, vrbanè interpellare, ſed etiam ipſum minorem interpellandi tutorem ius habere. Nec ideò huius opinionis ſectatoribus, etiam in eo aſſentior, quod de minoribus vxoratis præfantur: imò rectiùs exiſtimo, neminem ſiue maſculum, ſiue fœminam de iure communi, aut ſeptempartito matrimonio eximi à curatoris ſubiectione, aut ab eo exigere rationes poſſe; vt ex locis in primæ opinionis confirmationem adductis licet expreſſe colligere: & probat latè Pater Sanchez *libro* 4. *ſummæ, capitul.* 35. *numer.* 57. *cum ſequentibus*, vbi alios ita ſentientes refert. 4

A quibus non diſſentiunt quæ ex iure noſtro in contrarium recenſentur. Non vtique *dict. l.* 3. *tit.* 15. *part.* 2. quia ſolùm probat, quòd licèt filij Regis ex quo ad annum viceſimum peruenerint, curatoribus non indigeant, cùm per ſe regere, & gubernare poſsint; hæc tamen in filiabus locum non habet: nam etſi prædictam ætatem exceſſerint, non ante eis Regni adminiſtratio committitur, quàm nupſerint. Et quidem optimè, eſt enim muliebre conſilium Imperio, & Regali modera- 5

tioni,

tioni, impari. Vnde Ariſtotel. 1. *politic. c.* 8. *Quidquid maſculum,* inquit, *natura magis factum ad imperandum fœmineo.*

6 Nec plus negotij faceſſit *dict. l.* 6. *titul.* 17. *part.* 7. quæ cùm ex *l. libertum* 64. *l. non ſolum* 67. §. *ſed videamus, ff. de ritu nuptiar. l. Curatorem* 5. *l. ſi tutor* 7. *C. de interdicto matrimonio* ſit deducta, idem cum illis probare videtur, nempe ideò tutorem, ſeu curatorem, pupillo, vel adoleſcenti ſuo filiam collocare poſſe, quia cùm gener non ita reuereatur ſocerum, vt nurus: timeri non poteſt ipſius verecundiam in cauſa futuram, ne à ſocero adminiſtrationis ſuæ exigat rationes. Non quidem ſtatim, & quandiu minor extat, vt falsò ſubaudiunt aduerſarij, ſed poſt annum quintum & viceſimum, cùm liber à curatore res ſuas adminiſtrare incipit, vt optimè poſt hæc ſcripta, ſic interpretantem inueni P. Sanchez *vbi ſup. num.* 59.

Et licèt hoc omne turbari videatur deciſion. *l.* 207. *ſtili*, qua cauetur, *Ca el caſamiento, è la malicia, ſuple la edad*, eius tamen ſententia parum officit, cùm ſolùm reſpectu obligationis loquatur, qua minores coniugatos teneri definijt, non verò reſpectu aliarum rerum, vti ipſius ſequentibus verbis planè conuincitur, ibi: *Y el hombre menor de edad, desque caſado es, ſerà tenido en todo empreſtido, è obligamiento de deuda que faga; pero en las otras coſas donde es otorgada reſtitucion à los menores, podrà demandar reſtitucion.* Igitur nullo ex capite probatur iure communi, aut antiquo Hiſpano, matrimonij eam vim eſſe, vt minores non ſolùm à curatoribus liberet, ſed etiam exigendis rationibus idoneos reddat.

7 Dixi enim ex antiquo iure Hiſpano hoc minimè conſtare, quia nouiſſima lege & pragmatica ſanctione anni 1623. id expreſſe conſtituitur, illis verbis: *Y ſi ſe caſare antes de diez y ocho años, pueda adminiſtrar entrando en los diez y ocho ſu hazienda, y la de ſu muger, ſi fuere menor, ſin tener neceſſidad de venia.* Quibus non tantùm ſupponitur, maſculum, ſiue fœminam matrimonio à curatoribus eximi: itemque maritum, etſi non legitimæ ætatis, mulieris curatorem eſſe, non tantùm de facto, vt in matre voluerunt Bald. & Paul. relati à Tello Fernandez *in l.* 6. *Tauri numer.* 29. imò ex iure. Verùm & indubitanter præcipitur, vxoratis minoribus, ſcilicet illis, qui ante decimumoctauum ætatis annum matrimonium contraxerint, prædicto anno accedente, liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem eſſe concedendam, ac per conſequens, vt inde inferri licet, & facultatem exigendi rationes à curatoribus, vti & Luſitaniæ ſtatutum ex Molina *de iuſtitia & iure, tractat.* 2. *diſput.* 224. *numer.* 25. refert Muñoz de Eſcobar *vbi proximè num.* 28.

Cui etiam finitimum eſt poſſe, & teneri hac ætate, aut alia, licèt minori, qui liberam rerum ſuarum moderationem fuerit conſecutus, poſt exactas, & plenè abſolutas rationes, reliquaque accepta, tutori, quitationem, ſeu liberationem pręſtare, quã ſi dare recuſauerit, ad ipſius præſtationẽ per iudicem compelli debebit, vt argumento *l. plures apochis* 18. *C. de fide inſtrum. & l. ſicut datam, C. de liberal. cauſa*, docent Decius *conſil.* 90. *circa finem*, Danauder. *de tutore capit. de tutorum, & curatorum liberatione, numer.* 9. Muñoz de Eſcobar *dict. tract. de ratiocinijs, cap.* 40. *numer.* 4. vbi ex Rolando *conſil.* 49. ſubiungit, quòd detrectante minore quitationem ſuo adminiſtratori tradere, iudex prouidebit vt reuideantur rationes, & ſi abſque fraude vel errore inueniantur, dereliquis ſolutis minori, ipſius nomine tutori quitationem pręſtabit, quæ velut à parte facta proderit, quia factum iudicis partis factum cenſetur, *l. ſi ob cauſam* 13. *C. de euiction. l.* 2. *C. ſi in cauſam iudicati pignor. capta ſint.* 8

SVMMARIVM.

Triennium experientiæ computatur à decimooctauo anno perfecto in maſculis, & à decimoquarto in fœminis. 1.

Ante plenam pubertatem, impoſſibilitas coeundi, magis præſumitur prouenire à debili ætate, quàm à frigida natura. 2.

Triennium experientiæ incipit à tempore quo ceſſauit prius impedimentum propter quod matrimonium dicebatur, licèt ex errore, nullum. 3.

Pat. Thomas Sanchez, *qui ſibi hac in re contrarius videtur, planè componitur.* 4.

Matrimonij ſeparatio ob impotentiam viri nõ poteſt ante decimum octauum annum viri peti, nec minùs ob fœminæ arctitudinem ante decimumquartum, niſi impotentia ſit manifeſta. 5.

QVÆSTIO V.

Cuius ætatis coniux eſſe debeat, vt triennium experientiæ præſcriptum in cap. laudabilem de frigid. & maleſic. computari incipiat? Et qua ætate peti poſsit matrimonium ob impotentiam diſſolui?

1 HAnc quæſtionem eleganter, vt ſolet, examinat doctiſsimus P. Thom. Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſput. 110. à num. 8. cum ſequentib.* vbi nonnullis opinionibus relatis, randem *num. 10.* eam ſibi valde arridere, inquit, quam amplectitur Cardinalis *in capit. puberes, num. vnico, de deſponſation. impuber.* nempe, triennium hoc incipere, & computari debere ab eo inſtanti, quo fuit coniux plenam pubertatē adeptus, ideſt à decimo octauo anno perfecto in maſculo, & à decimoquarto in fœmina, vt in propoſito ipſemet explicat *dict. lib. 7. diſputat. 108. n. 4.* & Couar. *in tract. de frigid. & malefic. q. 4. verſ. Cæterum.*

2 Et ratio eſt, quia vſque ad eam ætatem magis præſumitur impotentiam prouenire ab ætatis debilitate, quā ex frigida natura. Vnde cùm hæc præſumptio adepta plena pubertate ceſſet, ex tuncque incipiat frigiditatis ſuſpicione laborare, qui coire nequit, cùm in ætate ſit natura ſua perfecta, & ſucci plena, veluti poſt Hoſtienſem aduertit Couarr. *vbi ſup. verſ. Tertium vbi non aliter*, meritò hoc tempus erit ſpectandum, vt iure optimo præſumatur impotentia, ſi eo non potuerit vxorem coitu carnali cognoſcere, ac per conſequens ex tunc numerari debet triennium iure præſcriptum ad experiendum, an impedimentum ſit perpetuum, necne?

3 Quod etiam ſequenti ratione confirmat P. Sanchez *dict. diſput. 110. num. 10.* quia vt ſentiunt plures DD. quos alibi ipſe congerit, triennium experientiæ incipit à tempore quo ceſſauit prius impedimentum, ob quod declaratùm erat ex errore matrimonium irritum, & illo inſtaurato vacant coniuges nouæ copulæ: ergo cùm in noſtro caſu adueniente plena pubertate ceſſet impedimentum debilis ætatis, à quo impotentiam prouenire putabatur, exinde neceſſariò erit inchoandum triennium. Quod mihi valde probatur, etſi poſt Hoſtienſem, Ioannem Andream, Henricum, & alios, quorum etiā meminit Sanchez *dicto loco num. 9.* contrarium mordicus defendere niſus fuerit Couarruu. ſi fortè is eſt, qui præfatum tractatum ſcripſit *de frigid. & maleficiat. q. 4. verſic. Ex his conſtat.*

Nec ſibi contrarius videtur Thom. Sanchez *diſputat. 104. numer. 18.* ex quo in illa quæſtione, quanto tempore expectandum ſit, quando puer decimoquarto anno completo, aut fœmina duodecimo, adhuc inueniuntur impotentes ad copulam, ad experiendum, an ea impotentia ſit perpetua, ac matrimonium irritum? poſt dicta aliorum veriſsimè concludit, expectandum eſſe vſque ad plenam pubertatem, ſiquidem ibi minimè ſentit ſtatim adueniente plena pubertate abſque aliquo triennij experimento irritum poſſe matrimonium declarari, ſed imò neceſſarium eſſe plenæ pubertatis aduentum, vt certò ſciri incipiat impotentiæ ſuſpicionem non ex ætatis debilitate, ſed potiùs ex frigiditate ſuboriri. Vnde ſtatim *num. 19.* illam mouet quæſtionem, vtrùm adueniente plena pubertate, ſi adhuc deficiat potentia, ſit ſtatim ſeparandum matrimoniū, vel ex tunc concedendum ſit triennium? quā vt ibi pollicetur, poſtmodum *d. diſput. 110. n. 8.* reſoluit eo modo quo diximus.

Ex quo ſingulariter deducitur cum eodem Thom. Sanchez *dict. diſputat. 104. numer. 18.* non poſſe peti ſeparationem matrimonij ratione impotentiæ viri, niſi vir ſit maior decem & octo annis: quia cùm vſque ad id tempus nondum fuerit plenam pubertatem ingreſſus, dubitari poteſt, an impotentia illa magis ab ætate quàm à debili & frigida natura proueniat, vt ad matrimonij diſſolutionem requiritur? Sic poſt alios docet expreſſe Suplementum Piſanæ, *verbo Diuortium, num. 2.* & ibi Roſella *num. 1.* Sylueſtr. *num. 21.* quod ita intelligi oportere admonet *ibidem* Sanchez, niſi apertè appareat impotentia ad oculum, vt ſi habeat puer virilia amputata, vel careat vtroque teſticulo. Nam cùm euidens ſit impedimentum, & eius qualitatis, vt quacumque ætate etiam maiori virum impotentem efficiat, nulla temporis mora opus eſt, vt poſsit hac de cauſa matrimonium irritum accuſari. 9

Et ob eandem rationem diſſolutio matrimonij ob arctitudinem puellæ, quæ ad oculum non patet eſſe talem, vt ex ætate imbecilli conſurgat, non poteſt peti, donec puella expleuerit decimumquartum annum, in quo ei plenam pubertatem accidere nuper oſtendimus. Quia vt de puero notauimus, nondum adueniente hac ætate, præſumi poterit arctitudinem potiùs ab ætate, quàm

quàm à frigida complexione deſcendere, vti idem Sanchez *ibidem* aduertit.

SVMMARIVM.

Calculatoris officium exercere an poſſit infans poſt quintum annum ætatis? 1.

In calculatorem, ſeu partitorem quilibet de mundo, licèt minoris ætatis, eligi poteſt. 2. *& quo modo hoc accipiatur?* 3.

Partitor decem & octo annorum ſaltim eſſe debet. ibid.

Partitor habet iuriſdictionem delegatam. ibidem.

Text. in l. iuris iurandi 7. §. dabitur, ff de operis libertor. explicatur. 4.

QVÆSTIO VI.

Calculatoris, ſeu partitoris officium exercere quis poſſit?

1 CVm impuberis dari poſſe aliquod miniſterium Vlpianus certo caſu oſtendere voluiſſet, in *l. vt iuriſiurandi* 7. §. *dabitur de operis libertor.* eiuſmodi exemplis probauit: *Si fortè vel librarius, vel nomenculator, vel calculator ſit, &c.* Ex quibus verbis manifeſtè conijcitur calculatorem, quem I. C. rationarium vocat in *l ſpadonem* 15. §. *neque* 5. *ff. de excuſationib.* & nos vulgò, partitorem, aut computatorem nuncupamus, impuberem eſſe poſſe, eum ſcilicet, qui ætatis ſuæ quintum annum exceſsit, vt ex Iuliano *in l fin. ff. de operis ſeruor.* ſupplendum apparet, quia ab eo tempore, & non anteà poſſunt infantis operæ eſſe quędam, veluti *anno* 5. prædiximus.

2 Cui vtique deductioni fauere videtur Muñoz de Eſcobar *tractat. de ratiocinijs adminiſtrator. capit.* 8. *numer.* 1. vbi agens de perſonis, quæ rectè ad calculandum eligi & nominari poſſunt, *Et quidem*, inquit, *ad huiuſmodi calculandi, ac diſpungendi rationes miniſterium quilibet de mundo eligi poteſt, etiamſi in minori ætate vigeat.*

3 Verùm quidquid hæc perſuadere nitantur, certius eſt quod in propoſito exiſtimauit Ayora *de partitionib.* 1. *part. cap.* 4. *numer.* 2. nempe minorem viginti & quinque annorum partitorem, ſeu calculatorem optimè eſſe poſſe, maiorem tamen decimooctauo neceſſariò eſſe debere, ſaltim de iure noſtro, quo attento ex diſpoſitione *l.* 2. *titul.* 15. *lib.* 2. *Ordinamen.* tranſcriptæ *in l.* 3. *titul.* 9. *lib.* 3. *nouæ Recollectionis*, qui hac ætate maior non eſt, iuriſdictione delegata, quam partitores exercere dicunt nonnulli relati ab eodem Ayora *cap. antecedenti*, vti prohibetur, iuxta cuius doctrinam ſubintelligenda erit illa Muñoz de Eſcobar *ſuperius* tradita, ita vt quemlibet de mundo calculatoris munere fungi poſſe, verum ſit, dummodò prædictæ ætatis decem & octo annorum exiſtat.

Parumque faceſsit *dict. l. vt iuriſiurandi* 7. §. *dabitur*, qua minorem ætatem ſufficere indicatur: quia non loquitur de calculatoribus, ſeu partitioribus hæreditatum, aut aliarum rerum, in quibus preter numerandi ſcientiam, iudicium etiam, & intellectus deſideratur, vt nos loquimur; ſed de illis tantùm, qui numerandi, ſiue calculandi artem docebant, vt interpretatur Dionyſ. Gothofredus *in notis ad dict. l. ſpadonem*, §. 5. *litera I.* & accipitur *in l.* 1. §. *ludi quoque* 6. *ff. de varijs & extraordinar. cognition.* & *in l.* 4. *C. de profeſſoribus & medic.* quorum miniſterium, cùm in adæquata & veridica numerorum computatione ſolummodo conſiſtat, mediocri iudicio expediri poteſt, nec maiorem capacitatem quinquennis pueri exoptat. 4

SVMMARIVM.

Maior octodecim annis tenetur obligatione redimendi ab hoſtibus patrem, teſtatorem, vel cognatum. 1.

Decimum & octauum annum agens, licèt quinto & viceſimo minor, aduerſus negligentiam redimendi patrem minimè reſtituitur. 2.

Etiamſi filius exiſtente patre in captiuitate decimumoctauum annum expleuerit, ad redemptionem obligabitur. 3.

Fœmina poſt decimumquartum annũ hac obligatione conſtringitur. 4.

Numerus decimusoctauus ſignificat libertatem à captiuitate. 5.

D. Didac. de Narbona.

QVÆSTIO VII.

Cuius ætatis filius, ſi negligat patrem ab hoſtibus redimere, poſsit exhæredari?

1 HAnc quęſtionem planè dirimunt verba Imperatoris *in Authent. ſi captiuis, C. de Epiſcop. & Cleric.* vbi cùm exhæredationis pœna ſceleſtiſsimis, & de natura male meritis filijs infligeret: *Excipitur*, inquit, *minor octodecim annis*, qui ob lubricum ætatis, vt à cæteris, & ab eiuſmodi etiam crimine immunis præſeruatur. Vnde apud noſtros *l. 6. tit. 7. p. 6.* ita concipitur: *E la pena que diximos en eſta ley, è en la que fabla del furioſo, deuen auer tan ſolamente los parientes è los herederos, que ſon mayores de diez è ocho años.* Ex quibus inſuper deducitur quod etiam communiter notatur ab Interpretibus, videlicet, immaniſsimi huius delicti pœnam hæredes quoque captiui & propinquos ſubire, ſi fortè deſidioſi, & negligentes in redimendo fuerint. Adeò quidem,
2 vt licèt quinque & viginti annis maiores non exiſtant, omni tamen reſtitutionis in integrum auxilio poſt dictam octodecim annorum ætatem deſtituantur, veluti poſt Bald. *in dict. Authentic.* notat Gregor. Lopez *in dict. l. 6. Part.* Sforc. Oddus *tractatu de reſtitut. quæſt. 54. articul. 4. numer. 19.* Mauricius *eodem tractatu; capit. 207. numer. 3.* Anton. Gomez *tom. 2. variarum capit. 13. numer. 19.* Leſius *de iuſtitia lib. 2. capit. 28. dubitat. 2. num. 18.* & alij infrà *anno 25.* referendi. Nam vt appoſitè nimis inquit Imperator *in dict. Authen.* maiores octodecim annorum pro maioribus viginti & quinque hîc accipiuntur.

Et hoc quidem indiſtinctè locum habebit, ſiue filius, hæres, vel cognatus, exiſtente patre, teſtatore, vel cognato in captiuitate dictam ætatem expleuerit, ſiue 3
non: quoniam, vt egregiè obſeruat Bald. & ex eo Gregor. Lopez, vterque *vbi proximè*, quocumque tempore adfuerit ætas octodecim annorum, incipiet redimendi obligatio; habet enim, vt ſubiungit Gregorius Lopez, obſequium filij erga patrem, tractum ſucceſsiuum, non inſtantaneum.

Quod vtique de maſculis tantùm ſubaudiendum admoneo, nam de fœminis 4
proculdubio tenendum erit, eas ſtatim poſt quartumdecimum annum hac obligatione teneri, cùm plena pubertas, quæ hoc caſu in maſculis deſideratur, poſt dictam ætatem in fœminis ſemper accidat, *l. Mela 14. ff. de alimentis & cibar. legat.* iunctis alijs, quæ in huius rei comprobationem ſuprà *hoc eodem anno, quæſt. 1.* adduximus. Niſi credamus ſignificationem numeri decem & octo annorum (ſignificat enim hic numerus libertatem à captiuitate, vt tenet Petrus Bungus *de myſterijs numerorum, numer. 18.*) qua fortè moti Legiſlatores hanc ætatem, vt redemptioni congruam, præfixerunt, efficere, quòd eadem, tam in maſculis, quàm in fœminis requiratur; ſed hoc non probo.

ANNVS

ANNVS VIGESIMVS.

SVMMARIVM.

PRæcox ſapientia puerorum non ſolùm odioſa, ſed inſaniæ & intempeſtiuæ mortis ſignum habetur. 1.

Reipublicæ nihil intereſt pupillos tutores habere, & quare. 2.

Venia ætatis ſolùm maſculis viginti annorũ, & fœminis octodecim conceditur. 3.

Vigeſimo anno ætatis nemo res ſuas adminiſtrare poteſt. 4.

Ratio aſsignatur, quare veniæ petitioni vigeſimus annus fuerit deſignatus? 5.

Leuitas iuuenilis vigeſimo anno firmari incipit, & ideò hæc ætas firmata dicitur. ibid.

Minores licèt ſupra ætatem ſapiant, prudentia tamen ſemper deſtituuntur. ibid.

Proceritas corporis poſt annum ætatis vigeſimum frequenter accidit, & perficitur. 6.

Vicenarius numerus ex ſui natura ſcientiam denotat. 7.

Qui vigeſimum annum expleuit, ſagax & induſtrius præſumitur. ibid.

Pubertas fœminarum ſaltim biennio virorum pubertatem præcedit. 8.

Vſque ad annos octodecim mulier infirmæ naturæ præſumitur. ibid.

QVÆSTIO I.

Ad ætatis veniam conſequendam?

1 MVlti enim pueri ſunt, vel adoleſcentes ætate immaturi, qui optimam indolem, ſolidamvè eruditionem vſque ad miraculũ oſtendunt, ex ſententia Vincentij Turtureti *in parallelis ethicis, & iuridicis, diſertatione* 24. vbi præcocem hanc ſapientiam non ſolùm odioſam ex illo veteri prouerbio: *Odi pueros præcoci ſapientia*, cuius etiam meminit Paul. Zachias *quæſtion. medicolegali, tom.* 1. *titul.* 1. *quæſt.* 3. *numer.* 26. ſed intempeſtiuæ mortis, aut inſaniæ, velut indubitabile ſignum eſſe contendit, fultus in primis Catonis Cenſorini, his verbis: *Senilem iuuentam prematuræ mortis eſſe ſignum*, & demum ſimilibus alijs Plinij *lib.* 7. *cap.* 51. Hanc intempeſtiuam puerorum, & adoleſcentium ſapientiam, cùm Cæſares reſpexiſſent, aliquo illam priuilegio gratulandam cenſuerunt, quaſi indignum putantes irremuneratam prudentiam relinquere, qua non ſine diſcrimine breuioris interitus ad publicam feſtinauit vtilitatem. Idcircò decreuerunt, pręcoces hos adoleſcentes ętatis venia ad potiorem annis ætatem admittere, vt Caſsiodorus ait *lib.* 7. *variarum capit.* 41. qua deponentes curatorum ſubiectionem, & res ſuas adminiſtrare, & contrahere poſſent, publicumque ſic augere commercium, ſiquidem dum curatoribus alligantur, nullum Reipublicæ commodum afferre videntur, cùm nec contrahendo ditiorem, nec induſtria eam politiorem reddant: adeò vt hac ſola de cauſa rectè Vlpianum
dixiſſe appareat *in l.* 2. *ad finem, ff. ad muni-* 2
cipalem, Reipublicæ nihil intereſſe, maximè quoad rem pecuniaram attinet, pupillos tutores habere. Quod beneficium non omnibus indiſtinctè minoribus, quibus ante legitimum tempus ſcire contingit, à legibus
indulgetur, ſed illis ſolummodò, quorum ho- 3
neſti mores, & congruens ætas id exigit, quæ in maſculis viginti annorum eſſe creditur, & in fœminis octodecim, *l.* 2. *C. de his qui veniam ætatis impetrauer.* vbi tradunt communiter Gloſſographi. & Beroius *conſil.* 22. *numer.* 40. *tom.* 2. Gomeſius *in capit. ſi annum, numer.* 7. *de iudicijs lib.* 6. Mantua *in gloſſario claſſe* 10. *capit.* 21. *numer.* 3. Conſtantin. Armenopol. *in promptuario iuris ciuilis lib.* 4. *titul.* 2. §. *de impetranda ætatis venia.* Iacob. Cuiac. *ad tractatum de minoribus*

bus in fine principij, Donellus *lib.* 21. *commentario. capit.* 12. vbi etiam Oſualdus *litera X.* Petr. Gregor. *in Decretales lib.* 1. *capit.* 22. *num.* 1. *&* 6. Anton. Gomez *variar. tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 12. Sforc. Oddus *de reſtitut.* 1. *part. quæſt.* 2. *art.* 3. *num.* 27. *&* 38. Vveſembec. *in paratitlis ad C. hoc titul.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo Hunc contractum, num.* 42. *verſicul. Quæ ſententia,* Cardoſus *in praxi, verbo Minor, numer.* 21. *fol.* 283. Quintil. Mandoſ. *de ætate min. cap.* 5. *numer.* 86. noſter Perez de Lara *in compendio vitæ homin. capit.* 25. *num.* 82. Vincent. Turturet. *vbi ſuprà*, & plerique alij, à quibus ſimul ea omnia vberrimè tractantur, quæ ad huiuſmodi veniæ conſecutionem præter dictam ætatem deſiderantur, à quarum diſputatione abſtineo, cùm illa ſolummodò inueſtigationis noſtræ exiſtant, quæ ipſam ætatem principaliter concernunt. Et præſertim qua ratione adductus Imperator vicenarium iſtum annorum numerum potiùs quàm duodenarium, quindenarium, aut alium veniæ petitioni accommodauerit, cùm ea moueri non potuerit, quia hoc tempus bonorum adminiſtrationi conueniens, vel
4 ſufficiens eſt, nam iure cauetur, neminem ea ætate bona ſua adminiſtrare poſſe, *l. fin. ff. de condition. & demonſtrat.* vbi cùm filius rogatus fuiſſet à patre, ſi ante quàm res ſuas adminiſtrare poſſet, deceſſiſſet, hæreditatem Titio reſtituere, & egreſſus è viginti annis deceſſiſſet, reſcriptum eſt fideicommiſſum deberi.

5 Nullum quippe verbum hac de re apud noſtros Scriptores ocurrit, ſed non ideò caſu magis quàm ratione ſtatutum haberi debet, cùm tantum abſit vt in hoc conſentiam, quòd imò pluribus rationibus tempus hoc potiùs quàm aliud fuiſſe veniæ deſignatum crediderim, & in primis, eò viginti annorum ætatem præſcriptam arbitror, quia regulariter hoc vitæ termino iuuenilis leuitas, quæ adoleſcentes ſuis rebus gerendis inhabiles, & reſtitutionis miſeratione dignos efficit, *l. quod ſi minor* 24. §. *Scæuola, ff. de minoribus,* firmari proculdubio incipit: vnde meritò hanc ætatem firmatam Conſtantinus appellat *in l.* 1. *Codicis Theodoſiani, de his qui veniam ætatis impetrauer.* Opportunum etenim erat, vt qui Imperiali beneficio liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem, & tantam in contrahendo firmitudinem conſequebantur, vt poſtmodum nec læſionis prætextu poſsit ab ipſis geſtum reſtitutione vitiari, *l.* 1. *C. eodem,* ea ætate talem indulgentiam mererentur, qua illorum prudentia non adumbrata, ſed firma quodammodò naturaliter videretur, alioqui nō tam beneficium, quàm exitium adoleſcentibus venia hæc fuiſſet: nam vt inquit Decius *in l. ſi frater numer.* 3. *C. qui teſtam. facere poſſ.* quem ſequitur Zachias *vbi ſuprà*, minores licèt iudicium & intellectum habeant ſupra quē ferat ætas, nullam tamen habent prudentiam, etiamſi ex actibus habere videantur.

6 Cui rationi & illa ſubiungitur, Imperatorem voluiſſe adoleſcentem, cui tanquam iam viro rerum ſuarum adminiſtrationē ex venia committit, non ſolùm moribus & ſapientia, ſed ipſa etiam corporis proceritate & præſentia virilitatem referre. Vnde cùm hæc proceritas vnicuique poſt vigeſimi anni metas frequenter contingat, vt late probabitur *anno ſequenti*, vbi de his, qui ad ieiunia tenentur, inciderit ſermo, & ex eo oſtenditur, quòd ad bellum, vbi corporalis hæc validitas maximè prærequiritur, viginti annorum iuuenes deſiderabantur de iure diuino, vt habetur *Numeror. capit.* 26. in principio, ibi: *Numerate omnem ſummā filiorum Iſrael, à viginti annis, & ſuprà, per domos & cognationes ſuas*: nam velut ex hoc, & alijs locis infert Quintil. Mandoſ. *de ætate min. cap.* 5. *numer.* 98. hoc iure viginti annis maiores viri nuncupantur. Quod, inquam, cùm ita ſit, nil mirum hanc potiùs quàm aliam ætatem ad veniam impetrandam Cæſarem præſcripſiſſe.

7 Quibus item accedit, vicenarium numerum ex ſui natura ſcientiam ſignificare, ſapientiæque ſymbolum eſſe, quare ſanctis Doctoribus aptari poſſe, qui mirabili veritatis conſenſu, completa in Euangelio legis arcana, & præfigurata in lege Euangelij Sacramenta manifeſtant, docet qui myſteria numerorum optimè nouit, & ſcripſit, Petrus Bungus *num.* 20. *fol. mihi* 434. vbi ideò præfiguratos fuiſſe DD. viginti tabulis Tabernaculi, columnis atrij, & totidem baſsis & capitibus columnarum ſubijcit. Vnde ſuaderi poſſemus, ea ratione vicenarium hunc annorum numerum, qui ſapientiam denotat, ad veniam alijs numeris præpoſuiſſe Imperatorem, vt quidquid in eo eſſet, qui veniam habiturus eſt, eum ſapientem, & venia dignum commendaret. Maximè cùm huius ætatis adoleſcentes ſagaces & induſtrios appellet ex nefando quodam Autore, & Gotofredo Ioannes Griuellus *deciſione Dolana* 150. *num.* 11.

8 Nec quod aliud in fœminis diſponitur, harum rationum vim infringit, cùm prematura ſit earum pubertas, & ætatis perfectio ſaltim biennio, vt ſæpiùs oſtēdimus, & in propoſito inquit Conſtantinus Imperator *in d. l.* 1.

l. 1. Codicis Theodoſiani, de his qui veniam ætatis impetrauerunt; his verbis: *Fœminas quoque, quarum ætas biennio viros non ſera pubertate præcedit, ſeruato etiam in hoc temporis interuallo, decem & octo annos egreſſas, iis ætatis legitimè mereri poſſe ſancimus.* Sentit idem vltra alios Ioan. Matienzus *in repetit. l. 1. numer. 99. ff. de minoribus.* Nam poſt eiuſmodi annorum numerum eundem mentis & iudicij ſtatum illas obtinere conſtat; quem vicenarij adoleſcentes regulariter conſequuntur, & è contrà, vſque ad prædictam ætatem octodecim annorum ita infirmum, & fragile muliebre iudicium, ac iuuenum ante vigeſimum annum præſumitur, vt vel ex eo ſatis euincitur, quòd cùm populi Iudaici inſcitiam Chriſtus denotare voluiſſet, qui terrena magis, quàm cœleſtia nouerat operari, à ſuæ mentis rectitudine curvatus, ſub ſpecie mulieris, quæ per annos octodecim inclinata permanſerat, *Lucæ cap. 13.* id ſignificat, vt optimè interpretatur D. Ambroſius *lib. de Salomone, capit. 5.* & Petrus Bungus *dict. tractat. de myſterijs numerorum, numer. 18.* etſi hanc fuiſſe natu grandiorem, & velut quinquagenariam coniectetur Guillelmus Ader. *in enarrationibus de ægrotis, & morbis in Euangelio enarratione 3. in principio.*

SVMMARIVM.

Delegatus ordinario comparatur. 1.
Viginti annorum ætas in delegato deſideratur. 2.
Pubes cuiuſcumque ætatis poteſt à Principe delegari. 3.
Princeps eligens ſcienter inhabilem, cum ipſo diſpenſare videtur. 4.
Impubes ſi à Principe fuerit delegatus, tenetur aſſeſſorem aſſumere. 5.
Minor ad dignitatem electus per Principem, licèt quo ad dignitatem cenſeatur in ætate diſpenſatus, ad hoc vt delegatus eſſe poſſit, minimè diſpenſatus habetur. 6.
Minor ex eo, quòd eſt ad Cathedralē diſpenſatus, non poteſt eligi in Iudicem Synodalem. 7.
Licèt partes in minorem viginti annis conſentiant, non poteſt niſi poſt decimumoctauum annum delegatus deputari. 8.
Collector, vel ſub collector ſubſidij, vel decimæ Papalis, octodecim annorum eſſe debet. ibid.
Ætas delegati completa eſſe debet. 9.
Vbi attingentia ſolùm ætatis requiritur, ſufficit quòd vltimus annus ſit inceptus. 10.
Si in reſcripto illa verba apponātur: Tibi annorum octodecim, vel cùm ad talem ætatem perueneris, *ætas cōpleta eſſe debet.* 11.
Ætas ad delegatum præſcripta, vtroque iure requiritur. 12.

QVÆSTIO II.

Ad delegatum Principis, ſeu alterius?

EAndem ætatem ad delegatū requiri quæ in iudice ordinario deſideratur; inde ſuſpicari poteſt, quòd ferè ſemper in omnibus delegatus ordinario comparatur; 1
teſte Pereira *in l. ſi curatorē verb. Implorandum n. 18. C. de in integr. reſtitut.* Sed cùm ſimile non ſit idē, licèt in pleriſque delegatus ordinario aſsimiletur, non tamen ita quo ad omnia pari paſſu ambulāt, vt nec maior ætas in vno quàm in altero exigi videatur. Nam 2
cùm maior ætas ad ordinariū ſit neceſſaria, viginti tantùm annorum ad delegatum ſufficit, *c. cùm vigeſimum 41. de officio & poteſtate iudicis delegat.* ibi: *Cùm vigeſimum annum peregeris, dari potuiſti in ætate huiuſmode delegatus.* Ex quo ita docent communiter Scribentes, præſertim Ludouic. Gomeſius *in repetit. c. ſtatutū, n. 26. de reſcriptis lib. 6.* Ioan. Rojas *ſingulari fidei 106. in princip.* Quint. Mādoſ. *de ætate min. c. 5. n. 88.* Ant. Blanc. *de compromiſ. q. 2. num. 22.* Viuius *lib. 2. commun. opinion. opin. 179.* Zaſius *lib. 2. ſingul. intell. c. 22.* Petr. Barboſa *in l. cùm Prætor. §. fin. n. 90. ff. de iudic.* Petr. Moneta *de conſeruat. c. 5. n. 159. ad finem.*

Quod vtique intelligendum erit in delegato ab alio quàm à Principe, ſiquidem cuiuſcumque ætatis pubes, ſi talis à Principe cognoſcatur, poteſt ab ipſo iuſtè delegari, *d. c. cùm vigeſimum, d. l. cùm prætor, § fin. ff. de iudic.* tradit Ludouic. Gomez. *vbi ſup. n. 27.* de Pontificis delegato loquens, Barboſa *d. loco n. 109.* Moneta etiam *loco iam relato n.* 3
161. Quia quando habita ſcientia & notitia minoris ætatis alicuius, nihilominus eum Princeps eligit, erga illum ita liberalis præſumitur, vt ex tunc cum ipſo in defectu minoritatis diſpenſaſſe credatur, ex doctrina Ancharrani *in d. c. cùm vigeſimum num. 2.* & Innocentij *ibidem n. 1.* quam ſequuntur Barboſa & Moneta, vterque *loco vbi ſuprà*: & quidem meritò, cùm data ius dicendi poteſtate, ſimul ea omnia cōſecutiuè data intelligātur, ſine quibus iuriſdictio ritè, & validè exerceri nequit, *l. 2. cum ſimilibus, ff. de iuriſdict. omnium iudic.* Si verò adeo fuerit minor electus à Principe, quòd naturaliter ſit incapax 4 5

in-

iuriſdictionis, vt infans, vel pupillus: tunc enim habitu, & non actu iuriſdictionem ipſi delegaſſe videbitur: & ideò aſſeſſorem aſſumere debebit, vt in ſimili deputato à Principe conſeruatore tradit Moneta *de conſeruatoribus cap.5 num.161.* & latiùs *cap.8. q. 8. & c.9. q.2.* Itaque accipi oportet, quod nimis generaliter tradunt nonnulli, ſcilicet, Principem poſſe puero ſeptenni, & impuberi iuriſdictionem delegare.

6 Cæterùm, ſi non iuriſdictionem, ſed Canonicatum, verbi gratia, vel aliam dignitatem minori Princeps contulerit, etſi cum eo etiam ad dignitatem diſpenſare videatur, non tamen diſpenſando ita longè proceſſiſſe creditur, vt ipſum habilem ad delegatum efficiat: ita Barboſa *vbi proximè num. 60.* & alter Barboſa *in colectanea ad Concil. Tridentini, ſeſſion.25. de reformatione, capit.10.num.10.* vbi ideò cum Maſobrio

7 concludit, minorem ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ ſuper ętate per Papam diſpenſatum, non poſſe eligi in iudicem Synodalem.

8 Si tamen in minorem viginti annis partes conſentiant, vt ab alio quàm à Principe delegatus deputetur, valebit delegatio, dummodò non ita ſit minoris ætatis, quòd annum octodecimum non excedat, *dict. capit. cùm vigeſimum*, ibi: *Niſi partes ſcienter conſentirent in eum, qui annum decimum & octauum tranſcendiſſet*: conducit *l. quidam conſulebat 57. ff. de re iudicata*, iunctis his quæ in eandem ſententiam expendit Barboſa *dict. numer. 109.* Itaque accipiendum eſt quod vulgò circunfertur de collectore ſubſidij, ſiue decimę Papalis, ſcilicet tranſcendere debere ętatis ſuæ decimumoctauum annum, niſi Papa ex certa ſcientia deputaſſet exiſtentem in inferiori ætate, aliâs deputatio cenſeretur ſubreptitia, Bellencin. *tractata charitati. ſubſidi, quæſt. 108. in princip.* argumenro à contrario ſenſu in *cap. cùm vigeſimum, de offic. delegati*, vbi Abbas, & Immol. Moneta *de decimis cap.9.q.5.n.200.* qui *num. 203.* idem in ſubcollectoribus reſoluit.

9 Quæ igitur ætas ſiue octodecim, ſiue viginti annorum, licèt in hoc maximè diſſentiant Interpretes, extremè completa eſſe debet: ſic enim probat S.P. *in dict. capit. cùm vigeſimum*, quo de vtraque ætate loquens vſus fuit verbis, *Peregeris*, & *tranſcendiſſet*, quorum ea natura eſt, vt omnimodam expletionem, & actus perfectionem denotent. Quare noſtram ſententiam vt probabiliorem defendunt Gloſſa *in dict. cap. cùm vigeſimum*, & ibi Ioannes de Imola *num.2.* Anton. de Butrio *eodem numero*, & Ancharran. *n.1.* autoritate text. *in cap. cùm in cunctis, de electione, cap. ad noſtram, de regularib. cap. ſignificatum eodem, capit. 1. cap. illud 20. q.1.*

Si verò dixiſſet S.P. quòd delegatus eſſet in vigeſimo ætatis anno, ſufficeret, ſi vltimi anni primos dies ille attingeret, ſecundùm Bartol. *in l. nec putabam, ff. de condition. & demonſtrat.* Abbas *in Clement. fin. de ætate & qualit.* quos ſequitur Felinus *in d. cap. cùm vigeſimum, num.7. ad finem*, vbi & inſuper docet requiri perfectam & abſolutā ætatem, ſi in reſcripto apponantur illa verba, *Tibi annorum decem & octo*, quia hæc clauſula idem importat, ac ſi diceretur: Cùm ad decimmumoctauum annum peruenerit, quam dubium non eſt inducere neceſsitatem completæ ętatis, ex vi illius præpoſitionis *ad*, cuius ſignificatio denotat extrinſecam qualitatem. 10

Quę omnia non ſolùm attento iure Canonico, ſed etiam iure Ciuili perpenſo, locum habere, vt probabilius exiſtimo cum Mandoſio *vbi ſuprà*, qui aſſerit *dict. capit. cùm vigeſimum* fuiſſe latum ad declarationē text. *in d. l. quidam conſulebat, ff. de re iudicata*, ex Imola *ibidem*, & Sarnenſi *in d. cap. ſtatutum, num.26. de reſcriptis lib.6.* quibus accedit etiam Barboſa *in dict. l. cùm Prætor, §. fin. num. 109. ff. de iudicijs.* 11

SVMMARIVM.

Romanorum legibus erat præſcripta ætas, qua Senator eligi debebat. 1.

Quidam putant niſi exacto viceſimoquarto anno ætatis neminem poſſe in Senatum admitti. 2.

Alij quintum & viceſimum huic honori præſcribunt. 3.

In honoribus annus cœptus pro completo habetur. ibid.

Viceſimumſeptimum annum Senatoris ætatem eſſe, putat Carol. Sigon. 4.

Alij vt verius trigeſimum deſignant etiam ad Valdolitanū & Granatenſem Senatum. 5.

Ætas triginta annorum perfecta dicitur, & in qua homo, vel probus, vel improbus cognoſcitur. 6.

Carolus Quintus *ſtatuit Senatores Regni Aragonū triginta annorū neceſſariò futuros. ibi.*

Ad Senatum ſolùm ætate graues, & ſeniores admittebantur. 7.

Senatus vnde ſic dictus? 8.

Athenienſes ad publica conſilia tantum recipiebant ſenes quinquagenarios. ibid.

Quoties Reſpublica meliùs per iuuenes quàm

per

per ſenes regitur, ad ipſius regimen non ſenes, ſed iuuenes ſunt eligendi. 9.
Senatores iudiciarij iuniores eſſe debent. 10.
Senatores, quos vulgò de Eſtado *dicimus, ſenes ſint oportet.* 11. *Saltim quadraginta vel quinquaginta annorum.* 13.
Conſilium ſenis eſt optimum. 12.
Quadraginta annorum ætas eſt prudentiſſima. ibidem.
Mens & intellectus quinquageſimo anno in pleriſque viget. ibidem.
Nonnulli exiſtimant Senatoris ætatem arbitrariam fuiſſe. 14.
Verius eſt Senatoris iudiciarij ætatem non minorem viginti annorum eſſe debere. 15.
Senatoria ætas antiqua fuit per Conſtãtinum reducta. 16.
Noſtris legibus ſenectus in Conſiliario deſiderabatur. 17.
Iuuenes gubernationi præponere eſt periculoſum. 18.
Hodie apud noſtros Conſiliarij ætas viginti & ſex annorum eſt. 19. *& ſeqq.*
Ætas Senatoris incepta ſufficit. 21.
Ætas Senatoris ſuppletur per liberos. 22.
Decurio liberos habens præfertur antiquiori in congreganda vniuerſitate deficiente ſuperiore. 23.

QVÆSTIO III.

Ad Senatoris, vel Regij Conſiliarij dignitatem.

1 SEnatoriam ætatem, ſiue illã qua deligi Senator oporteret, Romanorum legibus fuiſſe præſcriptã facilè ex Cicerone *de Pompeio in Maniliana* agẽte, cõiectare eſt. *Quid tam*, inquit, *præter cõſuetudinem, quam homini adoleſcenti, cuius à Senatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium, atque exercitum dari?* ex quo etiam probat Carolus Sigonius *lib. 2. de antiq. iure Roman. c. 2.* & vno verbo indicat Petrus Gregor. *lib. 47. ſyntagmat. c. 25. n. 12.* Sed quæ autem iſta ætas? diſceptatio eſt, vt cum Gelio loquar *lib. 14. c. 2.* multiiugæ & ſinuoſæ quæſtionis, multaque & anxia cura & circunſpectione indigens, vt ex varietate opinionum, quas ſuo ordine proferat, cuique deprehendere non difficulter licebit.

2 Et vt gradatim procedamus, Ioannes Coraſius, vir quidem mea ſententia diſciplinarũ omnium ſcientia præditus *in commentarijs ad l. 2. §. deinde quia difficile n. 8. ff. de origine iuris*, nõ niſi exacto ætatis anno vigeſimoquarto, in Senatum quempiam admitti potuiſſe defendit, & ſi qui ante admiſſi ſunt, inquit, ijs ob egregiam virtutis indolem benignè Senatus indulſit. Sed mirum eſt verſatiſſimũ virũ ſuam ſententiam nullius boni Autoris teſtimonio firmaſſe. Quapropter veluti ex proprio marte deductam illam meritò reſpuit Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cent. 6. caſu* 540. *n.* 10. At quamuis ipſe neminem ſuæ opinionis aſſertorem offenderit: ego enim fideliſſimum Alex. ab Alexand. eiuſmodi ſentiẽtem reperi *lib. 4. dierum Genial. c. 11.* poſtremis his verbis: *Ac niſi exacto quarto & viceſimò ætatis anno in Senatum quempiam admitti nõ licere præter admodum paucos, quibus ob egregiam virtutis indolem hoc à Senatu indultum fuit.*

3 A qua ſententia parum recedens Dio *lib. 52.* Senatoriæ ætati quintum & viceſimũ annum adſcribit, quam etiam hodie ad Tholoſanum Senatum requiri, pluribus in hãc rem congeſtis rationibus docet Gerardus Mainardus *lib. 1. deciſ. 76. per tot.* ſubſcribit etiã Dion. Iuſtus Lypſius *in notis ad 3. librum annalium Taciti fol. mihi 66. in princip.* & comprobari videtur Vlpiani reſponſo *in l. ad Rempublicam 8. ff. de muneribus & honoribus*, vbi ad Rempublicam adminiſtrandam eos ſolos admittendos ſcribit, qui viceſimum & quintũ annum etſi non adimpleuerint, tetigerint, ſiquidem in honoribus cœptus annus pro completo habetur, vt rectè explicat Guidon Pãcirol. *de magiſtrat. municipalib. c. 2. in princ.* & de Senatoribus loquentes P. Marquez *in Gubernat. Chriſtian. lib. 1. c. 5.* & ex Quintil. Mandoſ. D. Garſ. Maſtril. *de magiſtrat. lib. 2. cap. 5. n. 41.* qui & *n. 52.* ita in Regno Siciliæ obſeruari teſtatur, nouiſſimè Domin. Taſſonus *obſeruat. iuriſdict. 3. verſ. 3. num. 80.* affirmant illos ad Senatum promoueri debere, qui ætatis ſunt quinque & viginti annorum. Nam, vt ſcribit Seneca *epiſt. 109.* *Quemadmodum ex amphora primum quod eſt ſynceriſſimũ effluit, grauiſſimumque turbidiſſimum ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod eſt optimum, primum eſt.*

4 Ætatem Senatoriam eandem prope ac quæſtoriam fuiſſe, Carolus Sigonius *loco ſuprà citato* Valerij autoritate ſuffultus conijcctatur. Vnde cûm viceſimumſeptimum annum quæſturæ capiendæ legitimam ætatem fuiſſe definiat, eundem annorum numerum ad Senatoriam dignitatem conſequendam neceſſarium fuiſſe arbitratur.

Aliter enim Traianus Plinio ſcribens *lib. 10. epiſtolarum* iſtam quæſtionem decidit,

his verbis: *Interpretationi tuæ mi ſecunde chariſſime, idem exiſtimo hactenus edicto Diui Auguſti nouatam eſſe legem Pompeiam, vt Magiſtratum quidem capere poſſent ij, qui non minoris duorum & viginti annorum eſſent, & qui accepiſſent in Senatum cuiuſque ciuitatis peruenirent. Cæterùm non capto Magiſtratu, eos qui minores triginta annorum ſint, quia Magiſtratum capere poſſint, in Curiam etiam*
5 *loci cuiuſque non exiſtimo legi poſſe*, quod etiam ipſe Plinius alibi *eodem lib.*10. memorat, *Cautum eſt enim domine*, inquit, *Pompeia lege, quæ Bithinis data eſt, ne quis capiat Magiſtratum, neve ſit in Senatu minor annorum triginta*: cui opinioni adhærens Iacobus Simancas *lib.6. de Republica cap.9. num.*792. aſſerit, ad Hiſpanos Conuētus, vel Senatus ad Valdolitanum ſcilicet, & Granatenſem, quos *Audientias*, & *Cancellarias* vulgò appellant, trigeſimum annum idoneam ætatem eſſe: idque probat D. Ioannis Chryſoſtomi authoritate *in Euangelium Marci homilia poſtrema*, vbi illa verba leguntur, *Hominibus perfecta ætas triginta annorum eſt.*
6 Et alia ſimili Theophylacti *in Euangelium Lucæ cap.*3. *Ætas triginta annorum perfectiſſima eſt, & illa homo, vel probus, vel improbus cognoſcitur.* Quibus fortè rationibus ductus prudentiſſimus Imperator Carolus V. anno 1528. Cæſarauguſtæ *in foro Aragonum cap.*2. ſtatuit, vt illius Regni Senatores triginta annorum eſſent, vt etiam teſtis eſt Dominicus Taſſon *vbi ſuprà*.

7 A quibus omnibus diſſentiūt Salluſtius *in Catilin. coniuration.* Cicero *in Catone*, Quintilian. *lib.*1. *inſt. orator. cap.*6. Plutarchus *in libello, Num ſeni regenda ſit Reſpublica*, Lucius Florus *Geſtor. Roman. lib.*1. *cap.*1. & è noſtris Archidiac. *in cap. Senatuſconſultum diſtinct.*2. Alberic. *in rubric. ff. de Senator.* Tiraquel. *de iure primogen. in præfat. num.*168. Petr. Gregorius *dict. lib.*47. *cap.*25. *num.*12.
8 vbi contendunt, Senatores olim ætate graues, & in ſenectutem delapſos fuiſſe promotos, hincque Senatum ſic dictum autumant, quod in eum cooptarentur ſeniores. Cuius etymologiæ etiam teſtis eſt Cicero *vbi ſuprà*, his verbis: *Nec enim excurſione*, inquit, *nec ſaltu, neque minus haſtis vteretur*, de Scipione loquitur, *ſed conſilio, ratione, ſententia, quæ niſi eſſent in ſenibus, non Summum Cōſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum*: & Ouidius *lib.*5. *Faſtorum.*

Nec niſi poſt annos (canit) *patuit tunc Curia ſeros,*
Nomen & ætatis mite Senatus habet.
Iura dabat populo ſenior, finitaque certis
Legibus eſt ætas, vnde petatur honos.

Quorum opinioni ſubſcribit Iuſtus Lypſius *Politicor. lib.*3. *c.*4. *& in notis ad eundem locum verbo Conſilia ſenū pag.*64. P. Ioan. Marquez *in Gubernat. Chriſtian. lib.*1. *c.*5. §.2. vbi id etiam exemplo Athenienſium confirmat, qui eos tantùm ad publica conſilia admittebant, quos annus quinquageſimus commendabat. Et confirmatur Platonis teſtimonio *lib.6. de legib.* cuius meminit Ioan. Garſia *de nobilit. gloſ.*48. *n.*5. *verſ. Alij verò*, & nouiſſimè Dominicus Taſſonus *obſeruationum iuriſdictional. verſ.*1. *obſeruat.*1. *n.*17. dum Regios Conſiliarios definiunt ſenes eſſe debere, quibus ex Salluſtij ſentētia *Corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum ſit*, nam adoleſcentum quidem animi plerumque parum prouidi, iíque molles & ætate fluxi, quapropter arceri à Senatu videntur, vt Poeta ſuccinit:

Nā malè conſcripti tractāt decreta Senatus,
Qui nondum primas deſeruere nuces.

Sed huiuſmodi ita munitæ opinioni, quoad 9
noſtros Senatores, ſiue Auditores pertinet, optimè inficias ijt Iacob. Simancas *d. lib.6. de repub. c.9. n.*790. ſic enim ait: *Ad onera huius officij ſubeunda viribus opus eſt, quamobrem aptiores erunt huic muneri iuuenes, quàm ſenes, vetus quidem dictum eſt hæc officia ſenū eſſe: verùm præ nimio labore à ſenibus nō ſat commodè adminiſtrari poſſe*, cui expreſsè fauere videtur communis Scribentium traditio, qua cauetur, quòd ſi munus per iuniores commodiùs aptiùſque tractari, & exerceri poteſt, quia fortè magis conſtant robore, viribuſque corporis quàm animi, certè ſunt ad id magis iuniores aſſumendi, quàm ſeniores, vt in expreſſo tenent Aretin. *in l. cùm quid, ff. ſi certū petatur, & in l. cùm prætor, §. penult. ff. de iudic.* Florian. *in l. vlt. in fin. ff. de fide inſtrum.* quos ſequitur Andr. Tiraquel. *d. loco n.*174.

Quod eleganter fœdere diſtinctionis expli 10
cat in terminis Alphonſ. Modit. *dubitationū iuris, §. Senatuſconſultum dubit.*1. *n.*16. vbi reſoluit, quòd quāuis Senatores, vt plurimū eligātur ætate ſeniores, ex lege Romuli, nihilominus vbi de Senatoribus iudiciarijs tractatur, ſufficit vt ſint ſenes, non ætate, ſed moribus: quia, vt inquit Philoſophus, quantò iuniores, tantò perſpicatiores, argumēto *l. præcipiunt, ff. de ædilit. edicto*, ideoque cōcludit: *Conuenit vt iuniores admittantur, quia longiori tempore honori & oneri Senatorio vacare poterunt*, cuius non poſſum non probare ſentētiam, maximè dum inter Senatores, vel Conſiliarios ad iuſtitiæ cauſas, & illos qui principali directioni immediatè præſunt, quos vulgò *del Conſejo de Eſtado* dicimus, diſcrimen agnoſcere videtur. Iſti enim, quorum

rum præcipuum munus eſt rectis conſilijs prudentiſſimiſque monitis, rerum vſu, & experientia conquiſitis Regem dirigere & adminiculari, de quibus intelligenda erit *l. verum* 11. §. *ex facto, de minoribus*, ibi: *Vel ij, qui circa Principem ſunt occupati, vt in Conſiliarij Menandri Arrij perſona eſt indultum*, nec minùs *l. iuriſperitos* 30. *ff. de excuſationibus*, vbi de Principũ Conſiliarijs hæc verba inueniuntur: *Quoniam circa latus eorum agerent, ætatis prouectæ eſſe debent*, ſic egregiè *è noſtra familia* Politiſſimus vir D. Eugenius de Narbona docet *in ſua doctrina Politica & Ciuili aphoriſm.* 127. his verbis: *La edad ſe deue aduertir mucho en los Conſejeros, no que ſean viejos ſolo (que realmente lo han de ſer) ſino que los años, y las coſtumbres ſean de vna edad.* Nam vt Autor eſt Plutarchus, *Conſilia ſenum haſtas iuuenum eſſe oportet*: vnde Cicero *in Catone maiore*, *Mens ratio*, inquit, *& consilium in ſenibus eſt, qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino ciuitates eſſent*, ſiquidem ij varia fortuna exerciti, quale quid optimum ſit longo tempore didicerunt, vt appoſitè de ſe ipſo Mithridates *apud Salluſt. in fragmentis* teſtatur: *Mihi fortuna multis rebus ereptis vſum dedit benè ſuadendi*: cui ad ſtipulatur amantiſſimus Patrus Eugenius de Narbona, *vbi proximè, aphoriſmo.* 129. Nec mirum, cùm rerum viciſſitudines adeò homines inſtruant, & erudiant, vt inde prudentiores euadant, ſi Platoni credimus *lib. 3. de Republica*: prudentum enim hoc proprium maximè munus arbitramur, inquit Ariſtotel. *6. Ethicor. Nicom. cap.* 7. rectè conſulere: ergo huiuſmodi Regij Conſiliarij quadrageſimum ſaltim annum, vel quinquageſimum annum exceſſerint, conuenientiſſimum erit: nàm ex ſententia Dionyſij Halicarnaſei *lib.* 2. quadraginta annorum ætas eſt prudentiſſima, & mentem, & intellectum in pleriſque maximè circa quinquageſimũ annũ vigere, docet Ariſtot. *lib. 7. Politic. c.* 16.

12

13

14 Et tandem, vt ad inſtitutum reuertamur, Senatores à Romulo, & deinde à cæteris Regibus, Conſulibus, & Cenſoribus, nulla habita ætatis ratione, ſed pro arbitrio fuiſſe electos, poſteriori loco veriſſimum arbitramur, Feſtus *de magiſtr. Romanor.* quem memorat, & ſequitur Petrus Gregor. *vbi proximè num.* 8. Menoch. *de arbitrar. dicto caſu* 540. *num.* 1. quam opinionem tot tam Romanorum, quàm noſtri ſæculi Scribentium diſſidentes ſententiæ, nec malè ſuadere videntur.

15 Ex his ergo ſatis apparet, quàm nimis operoſum, & inexhauſti laboris ſit in tanta opinionum diuerſitate certum aliquid ſtatuere, maximè cùm præmanibus habere Zamoſ. nõ contingeret, quem *lib. 1. de ſenatu pag.* 17. *& ſeqq.* hanc quæſtionem diligenter ſcripſiſſe tradit Oſualdus *lib. 17. Donel. cap. 24. lit. L.* verùm vt poſſimus, & prout Iuriſconſultũ decet, rem iſtam digerere conabimur autoritate Imperatoris *in l. 2. §. ſed Senatores, C. de his, qui veniam ætatis impetrauer.* ex cuius verbis apertè deduci videtur, Senatoriæ dignitatis fuiſſe capaces qui annum dumtaxat viceſimum egerant. Ita enim legis initio Conſtantinus decernit: *Omnes adoleſcentes, qui honeſtate morum præditi paternam frugem, vel auorum patrimonia gubernare cupiunt, & ſuper hoc Imperiali auxilio indigere cœperint, ita demum ætatis veniam impetrare audeãt, cùm viceſimi anni metas impleuerint, &c.* quo ſic conſtituto poſtmodum *in §. ſed Senatores*, ita proſequitur: *Sed Senatores quidem clariſſimi viri in hac Regia vrbe commorantes, apud Sublimitatem tuam, cæteri verò apud Prætorem, in prouincijs autem apud earum Rectores de ſuis moribus, & honeſtate procedant.* Hucuſquè Conſtantinus. Ex quorum verborum ſucceſſiua ſerie planum fit ætatis veniam, quæ viginti annorum natis concedebatur, Senatoribus etiam viris clariſſimis eadem ætate probata fuiſſe indultam. Ergo vt hæc rectè cohæreãt, certiſſimum fuerit opus eſt vigeſimo ſaltim anno iuuenes in Senatum cooptari potuiſſe, quod non obſcurè ſubindicat Aurelius Caſſiodorus *lib. 3. variar. c. 6. Senatus enim ampliſſimus*, ipſe ait, *ad quem vix maturis ætatibus peruenitur*: quã ſententiam velut probabiliorem amplexati ſunt Accurſius *in d. l. 2. verbo ſublimitatem*, Reſtaur. Caſtal. *de Imperatore q. 73. num.* 39. Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. cap. 5. num.* 85. & in eam inclinari videtur Menoch. *dict. lib. 2. de arbitrar. centur. 6. caſu* 540. *n.* 11. quamuis aliter hodie in Mediolanenſi Senatu obſeruari teſtetur.

Nec his refragatur *d. l. ad Rempublicã* 8. *ff. de munerib. & honorib.* ex qua probari videtur minores annis viginti & quinque ad Reipublicæ moderationẽ nullo munere, vel honore fuiſſe admiſſos, ſiquidem prædicta ætas, quæ illa tempeſtate proculdubio ad Senatum, & cæteras publicas functiones requirebatur, Conſtantini temporibus minuta, & ad annum viceſimum reducta fuit, vt ex *dict. l.* 2. non difficile coniectari eſt. 16

Quid autem noſtris legibus quoad præſentem diſputationẽ ſit cautũ? hîc ſubijcere libet, & quidem priſcis cõſtitutionibus Reges apud Toletanam noſtrã vrbẽ anno 1480. ſenes in Conſiliarios, ſeu Auditores, quos vocant, eligendos decreuerunt, vti in proœmio legi- 17

legitur *tit. 3. del Conſejo del Rey, lib. 2. Ordinam.* his verbis: *Iten deuẽ ſer elegidos para el Cõſejo de los Reyes los ſabios viejos, y Doctores, porque ſegun dize la Eſcritura, en los antiguos es la Sabiduria, y en el mucho tiempo es la prudencia, y en ellos es la autoridad y pericia de las coſas agibles, &c.* Quæ ſanè verba illa Platoniana redolent, *lib. 3. de Republica, Non iuuenem,* hæc ſunt, *ſed ſenem iudicem bonum eſſe oportere, qui ſerò qualequid iuſtitia ſit didicerit, tanquam qui non propriam in animo ſuo eam ſenſerit, ſed alienam in alijs animis longo tempore nouerit, atque idcirco eiuſmodi ſit malum diſcernat, ſcientia potiùs quàm propria experientia iudicat, vbi* Auerroes *dict. lib. 3. tract. 1. Reipublicæ gubernacula,* inquit, *ſenioribus deberi, qui præter quod ſcientias ſpeculatiuas adepti ſunt, obtinent præterea experimentum longo tempore acquiſitum,* quæ pene Caſſiodori, *lib. 6. de anima* ſententia eſt, & Claudiani
8 *de officio iudicis lib. 1.* Nam ſemper omnibus periculoſum viſum fuit iuuenes gubernationibus, & Reipublicæ adminiſtrationi præponere, vt ex noſtris docuerunt Oldrad. *conſil. 51.* Bald. *in l. cum antiquioribus columna penultima, C. de iure deliber.* Corſetus *tractatu de poteſtate Regia 5. part. quæſt. 86.* Lancellotus Conradus *in templo iudicum lib. 1. cap. 2. de Rege num. 13.* Azeuedus *in l. 6. tit. 3. num. 10. in fine, lib. 3. Recopilat.* Paz *in l. 2. Tauri num. 57.* Rebuf. *de pacific. poſſeſ. limitat. 4.* Petrus Gregor. *vbi ſuprà* P. Emanuel Rodrig. *tom. 3. Quæſt. Regular. quæſt. 34. art. 2.*

19 Sed prædicta Ordinamenti deciſio, quæ ad Senatum prouectam ætatem deſiderat, in viridi obſeruantia non exiſtit, imò correcta reperitur à Catholiciſſimis Hiſpaniæ noſtræ Ferdinando & Eliſabetha Regibus Barcinon. anno 1493. 6. Iulij, vt habetur *in l. 2. tit. 9. lib. 3. nouæ Recollectionis,* ibi: *Y que aya edad de veinte y ſeis años,* ſiquidem iſtius ætatis homines optimæ & ſufficientis rationis ad iudicium exiſtimauit, vt etiam *l. ſequenti* Ildephonſus Rex illis verbis inſinuare videtur: *Mayor de veinte años deue ſer aquel à quien ſe otorgare poderio para juzgar, à quien llaman juez ordinario, y es de præſumir, que hombre de tal edad aya entendimiento complido para juzgar los hombres que ante el vinieren.*

20 Quæ vtique verba dum maiorem vigeſimi anni tantùm ad iudiciale munus expoſcunt, minimè ſuperiori reſolutioni obſtare videntur, nam ſecundùm præcedentia, & in *dict. l. 2.* ſcripta interpretanda ſunt, ita vt *dict. l. 3.* ſenſus ſit, quòd ad iudicis officium eligatur maior vigeſimi anni, ideſt, qui vigeſimum ſextum expleuerit, *ex dict. l. 2.* vt non ineleganter interpretatus eſt Azeuedus *in dict. l. 2. verbo veinte y ſeis años,* & Paz *in praxi tom. 1. part. 1. 1. tempore num. 61.* cuius rei plura congeſſimus, cùm de iudicis ætate ſcripſimus, & notant Auiles *in proœm. cap. Prætor, verbo qualeſquier, verſic. Sed iam iſta num. 7.* Didacus Perez *in l. 4. titulo 15. pag. 594.* expreſſiuſque Bobadilla *in Politic. lib. 1. cap. 7. num. 19.* Ceruant. *in l. 2. Tauri num. 30. & 31.* Segura *in directorio iudic. part. 1. cap. 1. num. 4.* quibus ſubſcribit D. Garſia Maſtrillus *de magiſtrat. lib. 2. capit. 5. num. 44.* vbi pariter hoc in Gallia ſeruari *ex deciſione nouiſſima Tholoſana 76. lib. 1.* obſeruat.

Et tandem pro complemento ſciendum 21
eſt, huiuſmodi ætatem, ſiue vigeſimi anni ex iuris communis diſpoſitione, ſiue ſexti & vigeſimi ex iure patrio completam eſſe non debere, ſed ſufficere, poſtremum ipſius ætatis annum attingere, argumento *dict. l. ad rempublicam 8. ff. de munerib. & honorib.* alioqui enim hoc tempore minores neutiquam ad Senatum admittentur, niſi liberorum numerus annorum defectum ſuppleat, vt ſingulariter fatetur Vlpianus *in l. 2. ff. de minoribus,* ita: *Nec per liberos rem ſuam maturius à curatoribus recipiat, quod enim legibus cauetur, vt ſinguli anni per ſingulos liberos dimittãtur ad honores Diuus Seuerus pertinere ait, non ad rem ſuam recipiendam.* Quod vtique in quibuſcumque honoribus lo 22
cum habere ipſius loci generalitate docemur, & facit *l. de his 12. C. de autor. tutorũ, l. 2. C. de in integrum reſtitut. minor.* & eleganter Plinius *lib. 7. epiſtol. Caleſtriũ,* inquit, *tyronem familiariſſimè diligo, ſimul Quæſtores Cæſaris fuimus, ille me in tribunatu liberorũ iure præceſſit, ego illum in prætura ſum conſequutus, cum mihi Cæſar annum remiſiſſet,* quæ verba de remiſſione annorum propter liberos egregiè, & nouiſſimè Iuſtus Lipſius accipit ad Tacitum *lib. 3. cap. de præmijs maritorum fol. mihi 63.* quod ex lege Iulia & Papia prouenire notat Petrus Broſſeus *in indice antiquæ & nouæ legum interpretationis dict. l. 2.* cuius rei plura, vbi de priuilegijs conceſſis liberos habentibus apud Petr. Gregorium *in ſyntagmat. iuris vniuerſi lib. 9. cap. 6. num. 38.* Auiles *in cap. prætorum cap. 2. verſic. Ni confederacion,* vbi *num. 7.* aſſerit, Decurionem poſſe liberos habentem vniuerſitatem deficiente ſuperiore congregare, licèt alius ſit antiquior, dummodò filijs careat.

SVM-

SVMMARIVM.

Rector Scholaſticorum viginti ſaltim annorum eſt eligendus. 1.
Hermaphrodita Rector eſſe nequit. 2.
Rectores vniuerſitatum habent iuriſdictionem. 3.
Maiores octodecim annis ex humanitate iuriſdictionem exercere poſſunt. ibidem.

QVÆSTIO IIII.

Rector Vniuerſitatis Scholaſticorum, cuius ætatis eligi debeat?

1 Hac in re nulla Scribentium diſſenſio eſt, imò omnes in vnam eandemque ſententiam conſpirantes vti certum definiunt, viginti ſaltim annorum eſſe debere qui ad Rectoratus culmen eſt promouendus: ſic duce Saliceto *in l. fin. ff. de iuriſdictione omnium iudic.* docent Bartol. Bologn. *in repetit. authent. habita num. 364. & ibidem* Baldus *num. 87. C. ne filius pro patre,* Ioan. Bertachin. *in repertorio verbo minor tutor, verſic. 2.* Ioan. Firman. *de Epiſcopis lib. 2. quæſt. 31. ante num. 57. verſic. Item minor viginti annis,* Alexand. *in* additio ad Bartol. *in l. fin. de Colleg. illicitis, verſic. Fieri Rector,* Quintil. Mandoſ. *de ætate minor. c. 5. n. 87.* & Iacob. Menoch. *lib. 2. de arbitrar. centur. 6. caſu 540. n. 9.* Gaſpar Bahuinus *de hermaphroditorum, monſtroſorumque partuum natura lib. 1. c. 40. verſ. 9.* vbi etiam tenet her-
2 maphroditum Rectorem eſſe non poſſe.

3 Ea ratione inquit Bald. *vbi proximè,* quia tunc capax iuriſdictionis exiſtit, *l. cum lege 41. ff. de arbitris, c. cùm viceſimum 41. de offic. & poteſt. iudic. deleg.* quam ferè ſemper Rectores Vniuerſitatũ in Scholaſticos exercent, *d. authent. habita,* vbi omnes, præcipuè Donellus *n. 20. cum ſeqq.* Matth. Stephan. *lib. 3. de iuriſdict. p. 2. c. 12.* multis relatis latè Oſuald. *lib. 17. Donel. c. 20. lit.* K. & de Rectore Vniuerſitatis Complutẽſis probat Anguianus *tractat. de legibus, & conſtitut. lib. 3. controuerſ. 33. à n. 5.* Verùm cùm etiam in decimooctauo anno maioribus ius dicendi poteſtas conſiſtere poſſit, vt patet ex *d. c. cùm viceſimum, & ex l. quidam conſulebat, 57. ff. de re iudicata,* iũcta Donelli interpretatione *ibidem lib. 27. commentar.* cuius & *infra anno 25.* vbi de arbitri ætate diſputabimus, iterũ fiet mentio: non admodum cõgruens propoſita ratio eſſe videbatur, ſed non ita eſt, quia iuriſdictio in illis, qui tãtùm decimumoctauum annum excedunt, pòtiùs ex humanitate, quàm ex iuris rigore ſuſtinetur, vt patet ex *dict. l. quidam conſulebat,* ibi: *Et æquiſſimum eſt tueri ſententiam ab eo dictam, niſi minor decem & octo annis ſit.*

SVMMARIVM.

Et antiquis Romanorum, & noſtris legibus, debitor, qui non habebat vnde ſolueret, addicebatur creditori vt ſeruus. 1.
Minor annis viginti & quinque curatore carens, non poteſt pro debito ciuili in carcerem mitti. 2. & 11.
Cùm lex antiqua continet aliquid vltra ius commune, ipſius diſpoſitione non includitur minor. 3.
Ius commune non patitur prætextu non ſoluti debiti debitores creditoribus ſeruire. 4.
Perſonæ non debent pro rebus affligi. 5.
Pœna ſtatuta contra non ſoluentes, non habet locum contra minorem. 6.
Lucius Papirius cauſam dedit legi, qua fuit hac ſeruitus debitorum abrogata. 7.
Ætas debitoris nõ infringit ius creditoris. ibi.
Pubes accedente iudicis decreto poteſt bonis cedere. 8.
Exemplo T. Veturij monſtratur, etiam adoleſcentes fuiſſe creditoribus traditos. 9.
Verius eſt poſt vigeſimum annũ minores curatore carentes poſſe creditoribus addici. 10.
Fundamentis contrarijs reſpondetur. 11.

QVÆSTIO V.

Vt debitor, qui non habet vnde ſoluat, poſſit creditori ſuo addici?

Antiquas illas leges Romanorũ, 1
de quibus Liuius *lib. 6. Itaque,* inquit, *cùm iam ex re nihil dare poſſent, fama & corpora iudicati, atque addicti creditoribus ſatisfaciebant pœnaque inuicẽ fidei ceſſerat,* & Varro *lib. 6. de lingua Latina, Liber,* ait, *qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quã debet, dat dũ ſolueret;* & veteris Teſtamẽti, quarum fit mẽtio *Exod. c. 22. verſ. 3. Si nõ habuerit quod pro furto reddat, ipſe venundabitur,* & *lib. 4. Reg. cap. 4. Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendũ ſibi,* nec non & *Matth. 18. verſic. 25. Cùm autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum dominus venundari, & vxorẽ eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi,* liquerque ex eadem ſacra pagina, *Prouerb. c. 22.* vbi ſcribitur, *Diues ſapiens pauperibus imperat, & qui accipit fœnus, ſeruus eſt fœne-*

D. Didac. de Narbona. fœne-

fœneratoris. Has ergo leges in Hiſpania quodammodò reductas, & denuò introductas conſpicimus *in l.* 1. *tit. de los peños, lib.* 5. *fori iudicum, & l.* 2. *tit.* 4. *eodem lib. l.* 2. *tit.* 8. *lib.* 3. *fori Regalis l.* 2. *& l. fin. tit.* 20. *lib.* 4. *eiuſdem fori, l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 3. *Ordinam. l.* 4. *l.* 5. *tit.* 13. *lib.* 5. *eiuſdem Ordinam. l.* 4. *cum quinque ſequentibus, tit.* 16. *lib.* 5. *Recopilat.* quibus debitor qui ſoluendo non eſt, creditori addicitur, vt ei ſeruiat, veluti exactè docet noſter Couarru. *lib.* 1. *variarum reſolut. cap.* 1. *num.* 1. Burſat. *conſ.* 204. *num.* 17. *lib.* 2. Petrus Barboſa *in l. alia, §. eleganter num.* 53. *ff. ſoluto matrimon.* Hotoman. *quæſt. illuſtr.* 24. Franciſc. Poletus *lib* 5. *hiſtor. fori Roman. cap.* 18. Rebardus *ad ll. duodecim tabular. cap.* 8. *&* 4. *variarum cap.* 18. Petrus Gregor. *ſyntagm. lib.* 22. *cap.* 6. *num.* 7. *& ſequentib.* Menoch. *de arbitrarijs caſu* 183. Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 1. & alij relati à Baeça *de inope debitore cap.* 1. *à num.* 56. ita Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo ſua facilitate num.* 52. *C. de in integrum reſtitut.* qui apud noſtros addictionem debitorum in ſeruitutem denuo vigere, & paſſim in foro obſeruari teſtatur, cui conſentit Parlador. 2. *rerum quotidian. cap. fin. part.* 5. §. 7. *num.* 4. Oſuald. *lib.* 27. *Donel. cap.* 3. *duplic. HH.* Toletanus à Meſcua *de poteſtate in ſeipſum lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 24.

Vnde diſcutiendum occurrit, an generalis harum legum diſpoſitio, etiam cuiuſcumque ætatis minores adeò complectatur, vt nec vllum excipiat? Hanc quæſtionem latè examinat Gaſpar Baeça *dict. tractat. cap.* 8. *per totum*, vbi poſtquàm vtriuſque partis acerſitis fundamentis meritò reſoluit impuberem, inopemque debitorem minimè ad hoc ſeruitium obſtringi, à *num.* 12. requirit, an pubes minor vigintiquinque annis ſit creditori addicendus? In qua quæſtione dicentium & negantium diuerſas ſententias conſtituit, quas huc rationibus inſtructas trãsferre operis noſtri, & ratio, & finis expoſtulat, vt earum conflictu, & comparatione, quæ ſit potior, & ſequenda clariùs eluceſcat.

2 Etenim pro negatiua illa parte, quæ aſſerit adoleſcentem, niſi poſt vigeſimumquintum annum ſolutionis cauſa nequaquam eſſe creditoris ſeruitio mancipandum, ſequentia validiſſimè pugnant. In primis, quod qui non poteſt pro debito in carcem duci, non addicendus creditori, cùm hoc ad effugiendam carceris moleſtiam ſit inuentum *dict. l.* 4. *& ſequentib. tit.* 9. *lib.* 5. *Recopilat.* Minor verò quinque & viginti annis pro nullo debito pecuniario poteſt in carcerem mitti, vt poſt antiquiores à Baeça enominatos *dict. cap.* 8. *num.* 12. teſtantur Stephanus Gratianus *diſceptat. forenſ. cap.* 327. *num.* 17. Bobadilla *in Politica lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 29. Parlador. *rerum quotidian.* 5. *part.* §. 6. *num.* 15. Amator Rodericus *tractat. de executio. cap.* 5. *num.* 53. Matth. Coller. *de proceſſib. executiu. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 261. & alij ſupra *hoc eòdem anno* proprio loco enumerati.

Prætereà cùm lex aliqua præcipit, aut vetat aliquid, quod de iure communi nec præcipitur, nec vetatur, ipſius diſpoſitio non includit minorem, argumento *cap.* 2. *de delictis pueror.* tradit Roman. *ſingular.* 816. incipienri: *Tu audiſti titulum*, aliàs *eſt ſingul. vltimum*, Bald. *in l. ſi ex cauſa, §. fin. de minoribus*, Cremenſ. *ſingul.* 30. & Baeça *dict. cap. num.* 5. At certum eſt iuris communis conſtitutiones nequaquam permittere debitorem prætextu non ſoluti debiti in ſeruitio eſſe creditoris, *l. fin. ff. de libero homin. exhibend. l. ob æs.* 12. *C. de action. & obligation. authent. vt nulli iudic.* §. *quia verò, cap.* 2. *de pignorib. & patria l.* 2. *tit.* 11. *part.* 1. cuius hæc verba: *Por el debdo que deuieſſe non deue ſeruir, nin ſer preſo de ninguno.* Idque optimè, vt ſentit eleganter Stephan. Forcatul. *in ſphæra legali num* 25. ne perſonæ pro rebus affligantur, §. *oportet de mandatis Princip. collat.* 3. cuius rei autorem fuiſſe Bochoridē Ægyptijs ius dantem, notat Diodor. Sicul. *lib.* 2. & Petr. Gregor. *ſyntagmat. lib.* 22. *c.* 14. *num.* 4. ne corpora, quibus pace, & bello opus eſſet, pro ære alieno detinerentur: ergo vel hac ſola ratione affirmandum erit minorem, quamuis ſoluendo non exiſtētem, à ſeruitio creditoris omnino eſſe liberum, & inmunem. 3 4 5

Et confirmatur vlteriùs ex *l. quicumque* 4. *C. de ſeruis fugitiu.* vbi eo caſu, quo pœna corporalis debtiori infligitur, qui vnde ſoluat non habet, minor etiam pubes etſi non ſatisfaciat, minimè plectitur, vt patet ibi: *In minorum perſona tutoribus vel curatoribus pœna ſimili imminente.* Igitur idem erit in noſtro caſu obſeruandum, quo ſimiliter de irroganda inopi debitori pœna ſeruituris agitur. 6

Roboraturque ex eo, quòd inhumanum, & ab omni pietate alienum Romanis viſum fuit, adoleſcentem debitorem vitio magis ætatis, quàm fraude ad inopiam redactum, iniquo creditori addicere, veluti exemplo Lucij Papirij Romani cuiuſdam adoleſcentis monſtrarur, quem refert Liuius *lib.* 8. Foreſt. *de ſucceſſione inteſtat. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 57. Rebard. *dict. cap.* 8. *in fine*, expreſſiùs Franciſc. Pollet. *loco vbi ſupra*, & Oſuald. *dict. l.* 27. *cap.* 3. *liter. HH.* vel hac ſola ratione, 7

tione, quòd in eum nulla habita ætatis miſeratione creditor ſæuierit, Cõſulari legi cauſam dediſſe, quæ hanc debitorum flendam ſeruitutem pœnitus abrogauit.

Sed hæc tanti habenda non eſſe aliquibus placet, vt veritas oppoſitæ, & affirmatiuæ ſententiæ deſpiciatur, quam enixe defendit Roderic. Suarez *in repetit. l. 2. titulo de los gouiernos, ad finem*, vti certius proferens adultum debitorem tunc poſſe ſeruituti creditoris mancipari, cùm eo ceciderit, vt vnde aliter ſoluat ei non ſuppetat.

8 Quod inde ſuadetur, nam ætas debitoris non infringit ius creditoris, vt argumento *l. ſub prætextu* 4. *C. de hæreditar. actionibus*, docent communiter Interpretes, & præcipuè relati ab Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad dictam l. num.* 1. Deinde quoniam, qui poteſt cedere bonis, poteſt etiam cùm bona nõ ſufficiunt, creditoribus addici, pubes autem maximè iudicis decreto interueniente, cedendi haber poteſtatem, vt ipſe teſtarur; & poſt eum Octau. Simoncel. *tract. de decretis lib. 2. tit. 6. inſpectio.* 15. *n.* 129. ergo & addici poterit creditori, præſertim cùm hoc non niſi mandato & autoritate ius dicentis fiat.

9 Cui ſuffragatur quod ſcribit Valerius Maxim. *lib. 6. cap.* 1. & refert Caldas Pereira *in dict. l. ſi curatorem, verbo ſua facilitate num.* 52. *circa initium*, de T. Veturio, Veturij filio, his verbis: *Cùm propter domeſticam ruinam, & graue æs alienum, Cœlio Plotio nexum ſe dare adoleſcentibus admodum coactus eſſet, ſeruilibus ab eo verberibus, quia ſtuprũ pati noluerat affectus*. Ex quibus deprehenditur ſecundùm priſcas populi Romani leges, quas noſter aliquo modo denuo introducit, etiam adoleſcentes fuiſſe creditoribus addictos.

10 Cæterũ ab his omnibus diſſentiens Gaſpar Baeça *dicto loco num.* 14. potiùs arbirratur vigeſimum annum agentem, ſuaque ſine curatore adminiſtrantem in ea ætate eſſe, vt optimè poſſit invicem ſolutionis operas creditori exhibere, & meritò inquit prædictus Autor, cùm iniquum non ſit, quòd adultus nõ ſoluat, ſi debiror exiſtit; nec quòd ad hoc vt ſoluat, ſeruiat crediroriः ſi enim non parcimus quinquegenario, cui ſaltim propter ætatem debetur reuerentia, cur parcemus iuueni agenti annum vigeſimum, qui robore corporis valet ad ſeruitium maxime apto? Si non parcimus ei, qui liberos habet, cur parcemus ei, qui ab omni cura ſolutus eſt, & cuius calorem coërceri oportet, dum eum ceſſare, & oriolum eſſe non ſinimus. Quod adeò verum eſt, vt ab hac certiſſima opinione recedendum non duxerim, niſi vel eo caſu quo minor curatorem habeat, & locus ſit priori ſententiæ: vel quo dolo, aut malitia minoris bona ſua perierunt, vt ſi boues muloſque occidit, veſtes rupit, aut pecuniam ne ſolueret, in flumen, ſeu alio modo proiecerit, quoniam tunc ſecunda opinio procedet, & non ſolùm pubes minor annis viginti, ſed etiam impubes, dummodò capax doli, addicetur creditori, vt rem ſeruitio refundat, & bona fraude amiſſa operis reſarciat, veluti idem Baeça ex Bartulo, Aretino & alijs docet *ibidem num.* 16. *verſic. Illud autem*.

11 Nec nos à curſu ſuſcepræ opinionis excutiunt fundamenta, quibus contrariæ ſententiæ ſtabiliuntur. Non prioris, quia tantùm in eo minore procedunt, qui ſubeſt curatori: is enim nec incarcerari pro debito ciuili poteſt, quia non per eum, ſed per procuratorem ſtare videtur, quominus ſoluat: ſecus in eo qui per ſe, & ſine curatore bona ſua adminiſtrat, vt ſuprà propria inſpectione oſtendimus. Nec poteſt ita generali ſtatuto contineri, etiamſi id prohibeat, quod iure communi permittitur, quia vt in pleriſque, & in hoc pupillo æquiparatur, cuius iſtud ſingulare priuilegium eſt, vt Interpretes pro hac parte adducti indicant, qui tantùm de impuberibus loquuntur. Itaque ſubintelligenda erit *dict. lex quicumque* 4. vt ex verbis illis colligitur: *Tutoribus vel curatoribus pœna ſimili imminente*, quæ aliàs ſupponunt deficientibus curatoribus ipſam minoris perſonam eſſe puniendam, ſcilicet ſi doli ſit capax, & doloſè egerit, vt feciſſe adoleſcentem illum Lucium Papirium, cuius exemplum vltimo loco adduximus, ſuſpicari oportet, qui ideò rectè potuit abſque vlla reprehenſione creditori addici, ſed in id tantùm, vt habita ætatis miſeratione ſeruitio, & operis eius vteretur. Nam vt egregiè in propoſito inquit Baeça *dict. cap. num.* 16. *in principio*, ſi debitor addictus ſit pubes curatore carens, qui decimumquartum ſolummodò, vel decimumquintum annum agat, videtur cum illo mitiſſimè agendum: nam & in delictis huic ætati parcitur, ſaltim quoad minuendam pœnam, vt alibi ſatis conſtabit.

Nec plus negotij afferunt pro ſecunda opinione adducta fundamenta, cùm ſolùm euincant minorem addici, quod & nos fatemur, licèt non ita abſolutè, quoniam vigeſimum ſaltim annum eum agere debere exigimus. Cui accedit ex illis tantundem probari poſſe, minorem ſeruitio tradi creditori iudicis decreto interueniente, & alijs ſolemnitatibus, quæ ex iuris diſpoſitione maiorem adoleſcentem efficiunt: in quo nullus hæſitationi locus manet.

SVMMARIVM.

IN ciuilibus puberes teſtes eſſe poſſunt. 1. Ad teſtificandum in criminalibus vigeſimo anno maiores teſtes eſſe debent. ibid.

In cauſis criminalibus de maiori præiudicio agitur, quàm in ciuilibus. 2.

Ætas viginti annorum firma dicitur. 3.

Qui hanc habet ætatem, manumittere poteſt, ibidem.

Reipublicæ intereſt, non niſi probos, & honeſtos ciues habere. 4.

Sententia eorum reijcitur, qui putant, non niſi quinque & viginti annorum teſtes in criminalibus eſſe oportere. 5.

In crimine læſæ Maieſtatis omnes indiſtinctè minores in teſtes recipiuntur. 6.

Vt conſtet quis dominum interfecit, omnes de familia, etiam impuberes ad teſtimonium vocantur. 7.

Vbi veritas aliter haberi non poteſt, pupilli teſtimonium fidem facit. 8.

Clerici antè vigeſimum ætatis annum admittuntur teſtes in omnibus criminalibus cauſis, in quibus de iure poſſunt teſtificari. 9.

De iure noſtro poſt decimumſextum annum quilibet teſtis legitimus habetur in criminalibus. 10.

Ad probationem nefandi criminis patrio iure admittuntur teſtes vigeſimo anno minores, ſi puberes ſint. 11.

An de iure communi teſtes, qui nondum viceſimum annum exceſſerunt, probent in crimine ſodomiæ, vel aliquale indicium faciant, maximè ſi deponant à reo fuiſſe de iſto crimine attentatos? 12. & ſeqq.

Teſtimonia eorum, qui ante legitimam ætatem in criminalibus depoſuerunt, ſunt nulla, ſaltim quoad plenam probationem. 14.

Fœminæ de iure Canonico, an à teſtificando in criminalibus repellantur? 15. & ſeqq.

Mulier mendax, fallax, periura, doloſa, & mutabilis dicitur. 16.

Fœmina ſecundum ius ciuile nulla in cauſa, ſi legitimæ ſit ætatis à teſtificando repellitur. 18.

Ex legibus Platonis, non erat fœminis teſtimonij dictio, niſi poſt quadrageſimum ætatis annum. 19.

QVÆSTIO VI.

Ad teſtificandum in criminalibus?

LIcèt in cauſis ciuilibus puberes in teſtes recipiantur, & ipſorum teſtimonium firmum irrefragabileque habeatur, vti iam iam *anno* 14. *quæſt.* 43. multorum ſuffragijs comprobauimus, in criminalibus tamen nequaquam admittuntur, ſed prorſus à teſtificando arcētur, niſi vigeſimum annum peregerint, *l. in teſtimonium* 20. *ff. de teſtibus, cap. ſi teſtes, §. item in teſtimonium* 4. *quæſt.* 3. *l.* 9. *tit.* 16. *part.* 3. quibus ferè omnes ſubſcribunt, præcipuè poſt antiquiores Roland. *conſil.* 24. *num.* 66. *lib.* 1. Bertazol. *conſ.* 3. *num.* 5. *lib.* 1. Claud. *ad eund.* Bertazol. *conſil.* 351. *litera B. verſic. Imò in criminal.* Burſatus *conſil.* 201. *num.* 143. *lib.* 2. & *conſilio* 346. *num.* 15. *lib.* 4. Montizellus *in repertor. de teſtibus, verbo minor fol.* 50. *colum.* 1. *verſic. penult.* Farinac. qui plures alios recenſet *de teſtibus q.* 58. *num.* 9. 10. 14. *& ſequentib.* Duaren. *tit. de teſtib. ad medium,* Vvelembec. *in Paratit. ad eundem titulū Digeſtorum n.* 3. Villalobos *in antinomijs iuris huius Regni lit. M. num.* 16. Donel. *commentar. lib.* 25. *cap.* 8. Gregor. Lopez *in l.* 2. *gloſ.* 4. *circa finem, tit.* 1. *part.* 7. vbi idetiam in crimine publico procedere affirmat, Anton. Gomez *variarum tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 13. Federicus Scotus *tom.* 1. *reſponſ. lib.* 3. *reſponſ.* 3. *num.* 10. Hortenſ. Caualcanus *in ſua practica de teſtibus* 1. *part. num.* 20. Pater Rebellus *de obligatio. iuſtit.* 2. *part. lib.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 7. P. Thomas Sanchez *lib.* 6. *conſil.* 3. *cap.* 5. *dubio* 14. *num.* 4. doctiſſimus Frater noſter D. Alphonſus Narbona *in commentar. ad.* 3. *partem nouæ Recollect. ll. Hiſpan. lib.* 7. *tit.* 25. *l.* 2. *gloſ.* 5. *num.* 18. Hieron. Bucar. *de different. inter iudicia ciuil. & crimin. different.* 78. *num.* 5. 1

2 Illaque huius diſparitatis ratio aſſignari poteſt, quia in criminalibus de maiori præiudicio agitur, quàm in ciuilibus, ideoque magis idonei teſtes ad criminum probationem deſiderantur, vt non ineleganter ratiocinatur, Farinac. *dict. quæſt. num.* 9. cui concinit illud Lucani.

Ardua quippe fides robuſtos exigit annos.

3 Quapropter, cùm huic viginti annorum ætati tantùm ſtabilitatis, & firmitudinis in iudicando & intelligendo tribuatur, vt ei fuerit conceſſum, l. Ælia Sentia, abſque aliqua cauſæ cognitione proprios ſeruos manumittere, *§. eadem lege inſtitut. qui & ex quibus cauſ.*

manu-

manumit. non poſſit, totus *ferè titulus de manumiſſ. vind. l. minor* 4. *de ſeruis exportand.* cum alijs à nobis alibi adductis: in quo ma-
4 ximum Reipublicæ negotium verſatur, ſiquidem ea intereſt nullos niſi probos, & vitæ honeſtæ cooptari in numerum ciuium, ne indigniſſimis habitatoribus vrbs inquinetur, veluti egregiè obſeruauit doctiſſimus Franciſcus Conanus *commen. lib. 2. cap. 5. ad medium.* Inde eſt, non immeritò vigeſimo anno maioribus proferendi teſtimonij in criminalibus, ac per conſequens & maximi momenti negotijs eſſe permiſſum.

5 Quocirca audiendi non ſunt, Baldus *in l. ſeruos in principio, C. de teſtibus*, Iacob. de Sanct. Georg. *in dict. l. in teſtimonium notabili* 1. Marſil. *in practic. §. diligenter num.* 80. *& conſil.* 28. *num.* 14. Alberr. de Malet. *de teſtib. cap.* 5. *num.* 19. *verſic. Si autem ſit pubes*, Grammaticus *conſil.* 45. *num.* 19 *in fine*, Roland. *conſil.* 3. *num.* 26. *lib.* 3. *& conſil.* 73. *num.* 27. *lib.* 1. Maſcard. *de probat. lib.* 3. *concluſ.* 1246. *num.* 14. Oſaſcus *conſil.* 65. *num.* 11. *& conſil.* 66. *num.* 17. *in fine*, & alij relati à Farinac. *vbi ſuprà num.* 20. quibus addendi ſunt Iacob. Cuiac. *in ſumma tituli, ff. de teſtibus*, Bernard. Diaz *regul.* 465. Alexand. Trentacinq. *variarum reſolut. lib.* 2. *titulo de teſtibus reſolut.* 11. *num.* 2. qui omnes mordicus defendunt quinto & vigeſimo annò minores, etſi vigeſimo maiores exiſtāt, in criminalibus à dicendo teſtimonio fore repellendos, aduerſus quos meritò inſurgit Proſperus Farinac. *loco ſæpiùs repetito num.* 21. illorum ſententiam inconſideratam, & inaduertenter prolatam exclamans, ex quo expreſſe deciſioni *dict. l. in teſtimonium* manifeſtè contrariatur, quæ in eiuſmodi teſtibus vigeſimum tantum annum præſcribit.

6 A qua quidem dictæ legis definitione minimè recedendum erit, niſi in caſibus, in quibus ſpecialis aliqua ratio id ſuadeat, veluti in crimine læſæ Maieſtatis, in quo nedum impuberes, verùm & omnes indiſtinctè admittuntur in teſtes, *l. de minore* 10. *ff. de quæſtion.* cuius autoritate ita reſoluunt Gigas *de crimine læſæ Maieſt. lib.* 2. *rubric. quomodo, & per quos crimen læſæ Maieſtatis probetur*, Maſcard. *de probatio. lib.* 3. *conc.* 1246. *num.* 3. *lib.* 1. *& concluſ.* 462. *num.* 4. *&* 5. *lib.* 1. Farinac. qui innumeros refert *dict. quæſt.* 58. *num.* 22. 23. *&* 24. P. Rebellus *num.* 7. Frater noſter *dict. gloſ.* 5. *num.* 24.

7 Et quando dominus occiſus reperitur, nam tunc ad detegendam veritatem omnes de familia, etiam impuberes recipiuntur, *l. excipiuntur* 14. *ad Sillan.* vbi notant Gloſſographi, Aufrerius, Nellus, Maſcardus cum alijs ab eodem Farinacio congeſtis *num.* 25. *& ſequentibus.*

Tandemque vbi veritas aliter haberi non 8 poteſt, ſiquidē vt delicta nō maneāt impunita pupillorū teſtimonia fidem faciunt, vt poſt adductos à Farinacio *num.* 29. & pluribus ſequentibus, vbi hanc limitationem multipliciter ampliat, & reſtringit, docet Alexand. Trentacinq. *loco vt proximè num.* 2. amantiſſimus Frater D. Alphonſus de Narbona *in commentar. ad* 3. *part. Nouæ Recopilat. dict. gloſ.* 5. *num.* 25. Marius Giurba *conſil. criminal.* 43. *num.* 28. vbi ex Marſil. *in l. infans n.* 37. *de ſicarijs*, & Decian. *lib.* 9. *criminal. cap.* 14. *num.* 7. refert duos pueros ad vxoricidij probationem fuiſſe ſatis.

Citra hos verò caſus, & nonnullos alios, 9 de quibus latè more ſuo diſcutit Farinac. *eadē quæſtione*, & à quibus meritò abſtinemus, ne in recenſendis aliorum ſcriptis infeliciter tempus conteramus, in concuſſum apparet viginti annis minores de iure communi ad teſtimonium proferendum, ſaltem in criminalibus inhabiles reputari, niſi clerici ſint, qui etiam vigeſimo anno minores in illis cauſis teſtes admittuntur, quibus de iure poſſunt teſtificari. Ita Hortenſius Caualcan. *in practic. de teſtibus part.* 1. *num.* 43. & Carol. de Graſſis *de effect. cleric. effectu* 10. *num.* 39.

Dixi enim de iure communi, quia de iure 10 noſtro patrio ex diſpoſitione *leg. fori*, quam expreſſe confirmat *l.* 1. *verſic. E preſentados, tit* 4. *lib.* 3. *ordinam.* is ſolummodò idoneus teſtis non eſt in criminalibus, qui vix annum decimumſextum exceſſit, nam ab hac ætate omnes admittuntur, & plenam integramque fidem faciunt, vt ex ea optimè tradiderunt Auendañ. *reſpon.* 31. *à num.* 8. *verſic. Ex ſupradictis*, & eruditiſſimus Frater meus D. Alphonſus Narbona *gloſſa vbi ſuprà num.* 19. qui & *num.* 21. *& deinceps* illius legis
definitionem temperat in crimine ſodomiæ, 11
ad cuius probationem etiam minores anno decimoſexto Regio iure eſſe admittendos eo profert, quia *l.* 2. *tit.* 21. *lib.* 7. *recollect.* quam ipſe explicat, diſponit, nullam aliam exceptionem in hoc delicto teſtibus obijci poſſe, præter inimicitiam capitalem: ergo exceptio minoris ætatis (dummodò impubertatis nō ſit, vt idem exponit *num.* 22.) teſtem à dicendo in cauſa ſodomitica nō repellet, cùm id ſolum inimicitiæ capitali tribuatur, contra diſpoſitionem iuris commu-
nis. Qua attēta reſoluunt Hippolyt. de Mar- 12
ſil. *conſ.* 28. *num.* 13. Pariſius *conſil.* 163. *lib.* 4. Grammaticus *deciſ.* 40. *num.* 14. Auend. *dict. reſponſo num.* 8. Ioſeph. Maſcard. *de probat. concluſ.* 1313. *num.* 9. *volum.* 3. Andr.

Fachineus *conſ.63.num.1.& 2.lib.2.*etiam ad probationem nefandi criminis minores anno vigeſimo nequaquam inteſtes fore recipiendos,nec aliquale indicium facere,quã-uis deponant à reo de iſto crimine fuiſſe attentatos,vt inquit Tribiſius *deciſ.14.part.* 2.Matta Piſan. *deciſ.*138.Riccius *in praxi Archiepiſcop.Neapolit.deciſ.*80. Theſaurus, & Hortenſius Caualcanus relati à Manuel Barboſa *in remiſſion.ad leges Luſitan.2.tom. lib.5.tit.13.in principio,verſic. An dictum:* licèt oppoſitum verius crediderim,adductus rationibus à doctiſſimo Fratre congeſtis *ibidem num.23.24.25.26.& 27.*

14 Si verò nulla præcedente ſpecialitatis ratione,aut noſtro, aut communi iure requiſitam ætatem non agentes prædictis in cauſis à teſtificando recipiantur,ipſorum teſtimonia proculdubio erunt irrita & nulla, nõ quidem ope exceptionis,ſed ſtatim,& vt aiunt, ipſo iure,ex ſententia multorum,quibus adhæret Farinacius *dict.quæſt.58.num.12.* qui & *num.44.* hoc quoad plenam tantùm probationem reſtringit, non verò quoad indicium generandum,etſi non ſufficiens ad torturam,vel punitionem,vt ipſe *num.48.*fatetur,ad iudicis inſtructionem aptiſſimum,cuius rei alibi plura diximus *ſuprà anno 14. quæſt.44.*

15 Sed dubium eſt, vtrùm quæ de maſculis ante vigeſimum ætatis annum ad criminum probationem non admittendis ediximus, etiã in fœminis locum ſortiãtur? Et quidem ſi ſecundùm ſacratiſſimas Eccleſiaſtici, ſeu Canonici iuris ſanctiones res digerenda eſt, dicendum ex recentiori ſententia videtur ne dum quæ viginti annorum ætatem minimè exceſſerunt, ſed & omnes cuiuſcumque ætatis illæ fuerint, à teſtimonij prolatione repelli,*cap.mulierem 33.quæſt.5.cap.forus in fine, de verborum ſignificat.* quibus in locis obſeruat Gloſſa,& *in cap.quoniam,verbo mulieres,verſic. Iſtud ſic intelligi debet,de teſtibus*,quod indubitatum affirmat Tiraquel. *in l.6.connubial.num.67.* Anton.Gomez *variarum reſolut.tom.3.cap.12.num.13.* Hippolyt. Riminald. *conſil.217. num. 1.lib.2.* Vulpel.*conſil.12.num.7.*vbi hanc receptiſſimam ſententiam appellat,& *conſil.95.num. 4.& conſil.68. num.4.* Villalob. *in ſuo erario commun. opinion. litera M. num. 143.* Michael Craſus *in ſuis communib. opinionib. lib.2. cap. 17. q.10.* Iulius Clarus *in praxi criminali quæſt.24.verſic. De iure autem Canonico*, Maſcardus *de probat.lib.2.concluſ. 762.num.1.& lib.3.concluſ.1358. num.3.* & pene innumeri alij, quos enumerat & ſequitur Proſperus Farinac.*dict.tractat.de teſtib.quæſt.59. num.1.* & quibus ſubſcribit Hieron: Bucaronius *de different.inter iudicia ciuilia & criminalia,different.78.n.6.*

Quam opinionem eo vtrique veriſſimam, 16
rationabilem, & ſenſui naturali conuenientiſſimam exclamat Farinacius *dict. quæſt.n. 3.* quia fœminam mendacem, fallacem periurã, doloſam, mutabilem,& antiqui & moderni humanarum & legalium literarum Interpretes vndique appellant, quod iam prædixerat Moſes,cuius ex legibus, quæ non leguntur in Biblijs, ſed à Ioſepho referuntur *antiquit.lib.4. cap.6.* aliàs 8. aliàs 11. mulierum teſtimonia nequaquam recipiebantur propter leuitatem, & procacitatem,ſiue malis,audaciam, ſiue etiam temeritatem generis earum.

Sed ſi hac in re iudicium meum interpo- 17
nere licèt,perpenſa ratio inefficax eſt,nam ſi aliquantulum ob ſui veritatem vrgeret, vtique,nec ſecundum ius ciuile in criminalibus muliebre teſtimonium congruum haberetur, quod nequaquam dici poteſt,vt poſtmodum commõſtrabimus. Quo circa,licèt probabile ſit fœminas de iure Canonico in delictis teſtimonij eſſe incapaces: tamen non minus probabile contrarium iudico cum Gloſſa in *cap.2.verbo iure prohibetur,de iudicijs lib.6.* Felinus *in dict.cap.quoniam num.1. in fine, verſ.Et vnum conſidera, de teſtibus*,Decio *in l.fœmina num.35. de regulis iuris*, qui deciſioni *textus in dict.cap.mulierem,& in dict. cap.forus* egregiè reſpõdit,& poſt eum Petr. Moncada *in addition. ad Crotum de teſtibus part.3.num.55.litera O. verſic. Aduerte tamen*, cum eodem Decio *conſil. 63. numero 37.lib.3.* Ioan.Andr. & Alexand. relatis à Farinacio *dict.quæſt.59.num.2.*vbi ideò ab hac opinione diſcedit, quia oppoſita multorum teſtimonijs & autoritatibus communitur.

Adducorque in hãc exiſtimationem autoritate *legis ex eo,ff.de teſtib.* ex qua omnes, paucis exceptis, deducunt mulieres de iure ciuili in criminalibus teſtimonium dicere,vt probat Farinacius *vbi ſuprà*,vnde cùm hæc, vt aiunt,Canonicata ſit in *cap.ex eo 15.q.3.* dubitari non debet hac in parte ius Canonicum ſæcularibus legibus aſſentiri, maximè cùm ita communis praxis admittat.

Secundùm iuris ciuilis diſpoſitiones, vt 18
ſæpiùs dixi, & expreſſe probat Conſultus *in dict.l.ex eo,ff.de teſtibus*,vbi obſeruat Florianus, Caſtrenſis,& pene omnium Scribentium agmen congeſtum à Farinacio *dict.quæſt.59. num.17.*planũ eſt, fœminas in teſtes quacumque in cauſa recipi: ergo rectè concludi poteſt vtroque iure inſpecto mulieres, quæ vice-

vigeſimum annum exceſſerunt, teſtimonij dicendi etiam in criminalibus facultatem nã-ciſci, licèt vt inquit Federicus Scotus *tom. 1. reſponſor. lib. 3. reſponſ. 3. num. 5.* Platonis legibus non eſſet fœminis teſtimonij dictio, niſi cùm annum quadrageſimum ætatis exceſſiſſent.

SVMMARIVM.

Dominis non aliter ſeruorum manumiſſiones permittebantur, quàm probata aliqua iuſta cauſa in Conſilio, vel ipſis ſaltim vigeſimum ætatis annum agentibus. 1.

An lege Ælia Sentia, vel potius Senatuſconſulto fuerit id ſtatutum? explicatur. 2.

Dominus minor tradens ſeruum manumittendum, cùm ipſe ad vigeſimum annum peruenerit, nihil efficit. 3.

Noua ratio traditur, quare fuerit vigeſimo anno minori interdicta ſine iuſta & probata cauſa manumiſſio 4.

Etiam maioribus prohibebatur abſque aliqua iuſta cauſa manumittere. 5.

Vigeſimus annus cœptus ſufficit ad manumiſſionem. 6.

Numeri vigeſimi menſura ſeruitutem, & ipſius lapſum libertatem denotat. ibid.

Aliquibus placet non vigeſimum tantùm, ſed quintum & viceſimum annum eſſe ad præſtationem libertatis neceſſarium. 7.

Textus in l. ſi rogatus 20. in principio de manumiſ. vindict. nouè intelligitur. 8.

L. 1. tit. 21. p. 4. vera lectio traditur. 9.

Libertas fideicommiſſaria rectè poteſt à vigeſimo anno minore præſtari. 10.

Vtilius eſt aliquando fideicommiſſariam libertatem potiùs à ſene, quàm à iuuene præſtari. ibidem.

Textus in l. cauſam 20. in fine principij, ff. de manumiſſionibus, nouiter & verè intelligitur. 11.

Minor viginti annis conſentire poteſt manumiſſioni illius ſerui, in quo vſumfructum, vel ius pignoris habet. 12.

Minor quomodò poſſit conſentiendo manumiſſioni ius pignoris, vel vſusfructus, quod in ſeruo habet, amittere. 13. *& ſeqq.*

Teſtamento quis poteſt poſt decimumquartum annum, quos voluerit ſeruos manumittere. 15.

Ætas manumiſſioni præſcripta naturalis eſſe debet, nec ſufficit, ſi priuilegio pro impleta habeatur. 16.

QVÆSTIO VII.

Manumittentis ætas quæ eſſe debeat?

Etenim, vt notiſſimum eſt, nõ aliter dominis, etiam Conſulibus ſeruorum ſuorum manumiſſiones permittebantur, quàm ſi vindicta apud Conſilium cauſa manumiſſionum approbata fuiſſet, aut vigeſimo anno maiores extitiſſent, *l. 1. ff. de officio Conſulis, l. ſi pater 4. §. fin. l. ſi minor. 19. ff. de manumiſ. vindicta, §. eadem, inſtitut. quibus ex cauſis manumit. non licet, l. 1. tit. 22. part.* 4. quibus id lege Ælia Sentia cautum profertur, etſi hoc non ita perſpicuum eſſe videatur, vt potius Senatuſconſulto ſtabilitum cõtendi poſſit, *ex l. 1. ff. de offic. Conſulis* poſterioribus illis verbis: *Cùm ipſe ſit*, de Conſule loquitur, *qui ex Senatuſconſulto conſilij cauſam examinat.* & probatur expreſſiùs ex *l. ſi minor 4. C. qui manumit. non poſſ. ſi minor*, inquit, *annis viginti ad libertatem præſtandam homines tradidiſti, Senatuſconſulto, quod geſtum eſt, irritum conſtituitur*, cuius legis autoritate planè reijciuntur Cuiacij & Hotomani emendationes, quas *in dict. §. eadem ad præfatam legem primam de offic. Conſul.* ſomniarunt, cùm etſi ab illius conflictu, & oppreſſione quoquomodò euaſerint, hæreat oportet *dict. l. 4.* manifeſtis verbis, niſi vt pari literæ inuerſione (refragante receptiſſima omnium Codicum ſcriptura) illa ſimiliter deturpent. Ego tamen non ſine cuiuſdam viri docti plauſu & approbatione, hac in re dicendum arbitror, antiquitus circa leges populi Romani Senatuſconſulta fieri ſolita, quibus legibus vel interpretarentur, extenderentur, vel coercerentur, veluti circa *l. Papiam in l. vnica, §. cum igitur, C. de caducis tollend.* circa l. Iuliam Norbanam, aut Nerbonam, vt quibuſdam placet, Senatuſconſultum Æmilianum & Lagianum, *§. vltim. inſtitut. de ſucceſ. libertor. l. vnic. §. cum igitur, C. de Latin. libert. tollenda*, & alia iſtiuſmodi: vnde etiam ad interpretationem legis Æliæ Sentiæ Senatuſconſultum fuiſſe editum *ex dict. l. 1. de officio Conſulis*, & ex *dict. l. 4. C. qui manumittere non poſſunt*, nec improbabiliter ſuſpicari poteſt, maximè cùm vtroque loco in id Senatuſconſulti fiat mentio, quod ad legis Æliæ Sentiæ explicationem conducit. Nam cùm ea inhiberetur dominus minor viginti annis ſeruum ſuum manumittere, ſi apud Conſilium manumiſſionis cauſa non fuiſſet approbata, vt conſtat *ex dict. §. eadem, l. inſtituta, quibus ex cauſis manumit. non licet,*

eet, Senatuſconſultum interpretatum videtur id procedere, ſiue ipſe minor manumittat, ſiue alio manumittendum ſeruum tradat, vt *in dict. l.* 4. & rurſus cauſam, quæ lege Ælia Sentia deſideratur, à Conſule probari, & examinari debere. Qui ſenſus eſt Vlpiani *in dict. l.* 1. ibi: *Cùm is ſit, qui ex Senatuſconſulto Conſilij cauſam examinat.*

3 Igitur lege Ælia Sentia, vt iura proclamant, & vulgò circumfertur, non verò Senatuſconſulto aliquo, vigeſimo anno minor abſque iuſta cauſa â Conſilio, vel Conſule probata proprios ſeruos manumittendi ius non habet, adeò vt ſi ſeruum tibi in hoc vendiderit, ait Marcellus *in l. minor* 4. *ff. de ſeruis exportandis*, & tradiderit vt eum manumitteres, nullius momenti erit traditio, quamquam ea mente tradiderit, vt cùm viginti annos ipſe expleſſet, manumitteres. Non enim multum facit, quod diſtulit libertatis præſtationem, lex quippe conſilio eius quaſi parum firmo reſtitit: facit *lex ſi quis* 7. *§. fin. ff. qui & à quibus, dict. l.* 4. *C. qui manumittere non poſſ.* vnde etiamſi à debitore ſuo ſtipuletur ſeruum debitum eum manumiſſurum, non eſſe ſtipulationis executionem dandam, Paulus affirmat *in l. ſi minor* 66. *de verborum obligatione*, & tradit Duarenus *titulo de ſtipulat. ſeruor. capit.* 3. *in fine.*

4 Idque non ea ratione, qua paſſim traditur, & placet Antonio Fabro *in iuriſprudentia Papinianea tit.* 6. *princip.* 7. nec illa, quam improbata hac communi excogitauit Didacus de Cuellar *libellulo de manumiſſion.* 2. *part. num.* 67. ſed quia libertas alterius ab aliquo poſſeſſa inæſtimabilis res eſt, ideſt magnæ æſtimationis, *l. non eſt ſingulis* 136. *in fine de regulis iuris*, qui verus eſt ſenſus, *§. vltim. inſtitut. quibus ex cauſis manumit. non licet, in verſiculo, Sed cùm libertas*, cùm nil maius in bonis haberi poſſit, quàm hominis libertas, quâ & ipſius vitæ, & necis ius ſimul retinebatur, *§.* 1. *inſtit. de his qui ſui, vel alien. iuris ſunt.* Quare vbi ab aliquo poſſidetur, nõ temerè & inconſultò, ſed præuia deliberatione, & iuſta cauſa alienari debet, vtpote res magni momenti. Vnde rectè ſcribit Conanus *lib.* 2. *commentar. cap.* 5. *circa medium*, probabile eſſe cauſam aliquam,

5 etiam in maioribus manumittentibus ſubſiſtere debuiſſe, etſi non tantam quantam in minoribus. Nam maioribus dicentibus ſeruos de ſe benemeritos eſſe, & dignos libertatis, fides habebatur, niſi aliquid aliunde impediret manumiſſionem. At minoribus non item, quibus non ſatis eſt per ætatem iudicij, vt id iuſtè valeant æſtimare, *dict. l. minor* 4. *de ſeruis exportan.* ibi: *Lex quippe conſilio eius, quaſi parum firmo reſtitit.* Itaque neceſſe erat, vt cauſas manumiſſionis probarent apud Conſilium, ſicque eueniebat, vt vindictâ tãtùm poſſent manumittere, donec ad ætatem perueniſſent, qua de manumittendo conſilium capere, & iuſtè deliberare potuiſſent, illiſque aſſerentibus ſeruum libertate eſſe dignum fides adhiberetur, videlicet ad initium vigeſimi anni. Nam cùm de minore lex loquatur, certum eſt eum viginti 6
annis minorem non eſſe, qui illos ingreſſus eſt, *l.* 1. *ff. de manumiſ. dict. l. ſi minor* 66. *in fine, de verborum obligat.* vnde Quintilianus Mandoſius *de ætate minor. capit.* 5. *numero* 80. *verſiculo* 4. *terminatio.* egregiè inquit, decimonono anno vnicuique eſſe manumiſſionem permiſſam. Hac enim ætate, & ſi non plenum conſilium, ſufficiens tamen adeſt, vt fauorabile hoc manumittendi opus liceat exequi, maximè cùm ea ſit vigeſimi numeri vis & natura, vt ipſius lapſus libertati congruat, veluti & ipſius menſura ſeruituti, quemadmodum latè id probat Petr. Bungus *de myſter. numeror. vbi de num.* 20. & 30.

Hinc deducitur parum concinnè, & contra iuris aperta teſtimonia locutos, qui ſupra vigeſimumquintum etiam annum neceſſarium in manumittente affirmant, vt ſenſiſſe videtur Alciatus *in l. verbis leg.* 120. *num.* 5. *de verborum ſignificatione*, Donellus *lib.* 1. *comm. cap.* 14. *verſic. Ex conſequenti*, etſi ab hoc errore eum mordicus excuſet, & defendat Cuellar *vbi ſuprà num.* 61. tum quia *lib.* 2. *commentar. cap.* 7. de minoris manumiſſione loquens, vigeſimum tantùm annum ad manumiſſionem expoſtulat. Tum quia eſſe non potuit, vt qui reliquos in modum iuris ſcientia ſuperauit, in re tam aperta deciperetur: quare librariorum, & prælo mãdantium eam iniuriam fuiſſe arbitratur. Sed quidquid ſit, eandem ſententiam tenuiſſe videtur Vveſembec. *in dict. §. eadem lege num.* 1. & Oſualdus *lib.* 2. *ipſius Donelli cap.* 13. *litera H.* quæ quodammodo adſtrui poſſe videtur ex *l. ſi rogatus* 20. *in principio de manumiſ. vind.* vbi dicitur minorem viginti & quinque annis (non vtique viginti tantùm, vt legit Conanus *lib.* 2. *commentar. capit.* & reponit Cuiacius *lib.* 10. *reſponſ. Papinian. in l. cauſam* 20. *de manumiſſion.* eo nimirum, quoniam hæc lex pertinet ad legem Æliam Sentiã) rogatum manumittere proprios ſeruos, id non anteâ facere poſſe, quàm collata ſit quantitas emolumenti, quæ ad eum peruenit ex iudicio eius qui rogauit, cum pretio eorum, quos rogatus eſt manumitte-

mittere: cui & apud noſtros ſuffragatur *l. 1. titul. 21. part. 4.* quæ de ætate verba agens in eo requiſita, qui ſe venundari paſſus eſt, vt libertatem amittat: quæ eadem eſt cum iſta ad manumittendum, cùm, vt infra *hoc eodem anno* apparebit, non anteà quis poſsit propriam libertatem amittere, quàm eius ætatis ſit, vt eam proprijs ſeruis concedere valeat, *l. ſi miniſterium 16. C. de liberali cauſa*, ita ſubijcit: *La quinta, que aquel que ſe haze vender, aya de veinte y cinco años arriba.* Quam lectionem etſi Gregoriani aliqui libri non habeant, eam tamen ſecutus eſt Montaluus, & Ludouic. Lopez *de contractib. lib. 1. capit. 5. numer. 1.* vt refert Scacia *tractatu de commerc. §. 1. quæſt. 1. num. 5. & 56. verſicul. Reſtringe ſecundò.*

8 Tamen hanc ſententiam omnino improbabilem & falſam admonemus, vtpotè quæ verbis ipſius legis Æliæ Sentiæ, & Conſultorum manifeſtis traditionibus aduerſatur, à quibus nec diſcrepat Vlpianus in *dict. l. rogatus*, cûm alia ſit ipſius ſententia, videlicet, permitti non debere, nec eſſe cogendum quinto & viceſimo anno minorem manumittere ſeruum, quem vt liberum efficeret, legato præſtito teſtator rogauerat, niſi facta comparatione legati, & pretij ſerui manumittendi appareat, plus, aut ſaltim idem eſſe in legato, ac in ſeruo, & meritò, nè fortè, cùm hæc venditionis ſit ſpecies, argumento *l. Imperator 70. §. ſi centum, de legat. 2. l. ſed ſi non ſeruus 36. ad l. falcid. l. obligari 9. §. 1. de auctoritat. tutor. l. vltima, C. de rebus alien. non alienand.* minor, cui regulariter rerum ſuarum alienatio inhibita eſt, maximè vbi nullum ex earum diſtractione commodum reportat, hoc modo cogatur, aut cum nullo, aut cum minimo lucro ſeruo ſuo carere, veluti infra *hoc eodem anno* ſingulari loco monſtrabimus. Ergo cùm hîc non de manumittendo ſpontaneè proprium ſeruum, ſed potiùs de vendenda ipſius libertate agatur, mirum non eſt, eam ætatem viginti & quinque annorum in vendente, ſiue manumittente deſideretur, quæ ad huius contractus celebrationem iure requiritur: maximè cûm non fideicommiſſaria, ſed directa libertas ſeruo eſſet præſtanda, *l. alienatio 31. §. qui fideicommiſſaria, ff. de fideicommiſ. libertat.*

9 Nec maioris eſt ponderis quod ex præfata lege Regia educi nititur, cùm vt ibidem notauimus, licèt aliqui Codices eam præferant ſententiam, ſuſpectam tamen, & erroneam plerique rectè arbitrantur, nedum ex eo quòd in correctioribus, & integræ fidei libris, *Aya de veinte años arriba,* legitur, verumetiam quia ita iuris principijs, à quibus dicta lex profluit, planè congruit: quare hanc vltimam lectionem & ſcripturam, vti veriorem, & legiſlatoris menti magis conſentaneam cum Gregorio *ibidem* ex animo amplector. Qua retenta, nil erit quod ab ea pro aduerſarijs, & contra noſtros eliciatur.

10 Deinde ex ratione ſuperiùs à nobis aſſignata, nec minùs conſequenter infertur, poſſe vigeſimo anno minorem alienum ſeruum manumittere, eique fideicommiſſariam libertatem præſtare, *dict. l. alieno 31. §. qui fideicommiſſariam, l. non tantum 51. in principio, de fideicommiſſ. libertat. dict. l. ſi rogatus 20. in principio, de manumiſſ. vindicta* (etſi interſit nonnunquam à ſene potius quàm à iuuene manumitti, *l. is qui ex cauſa 15. ff. de fideicommiſſ. libertatib.* quoniam licèt non ſemper multoties citiùs quàm iuuenes ſenes obeunt, & ideò celeriùs ab operarum nexu liberatio contingit, vt poſt Gloſſam *ibidem* obſeruauit Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. quæſtion. 18. numer. 4.*) Nam cùm hæc libertatis præſtatio nullam alienationem inuoluat, ab eo qui & conſilio caret, & alienare prohibitus eſt, optimè elargietur; præſertim cùm non tam ipſe quàm ille manumittere videatur, qui nudum manumittendi factum ipſi conceſsit, *l. pater ex prouincia 22.* ibi: *Solùm enim electionem filio conceſſit, cæterùm ipſe manumittet, ff. de manumiſſ. vindicta*: facit *lex ſi conſentiente 16. ff. de manumiſſion.* & ita obſeruant communiter Interpretes, præſertim Conanus *vbi ſuprà paulò poſt medium,* Antonius Faber *in iuriſprudentia Papinianea, titul. 6. principio 7. illation. 5. & 7.*

11 Et licèt eiuſmodi propoſitioni obſiſtere videatur Papiniani locus *in l. cauſam 20. in fine principij, ff. de manumiſſ.* cûm non aliter minorem ex legis Æliæ Sentiæ præſcripto fideicommiſſariam libertatem præſtare poſſe affirmat, quàm probata iuſta manumiſsionis cauſa apud Conſilium. Vnde inferendum videtur, pariter minorem à fideicommiſſariæ, ac à directæ libertatis præſtatione, vbi cauſa non intercedit, excludi. Difficultati tamen ideò nobis ſuccumbendum

non erit, imò dicendum, dictam legem non agi de fideicommiſſaria libertate ſeruo alieno danda, de qua proximè egimus, & quam minorem poſſe præſtare oſtendimus, ſed de ea libertate, quam ſeruo proprio rogatus fuerat elargiri: quo caſu certum eſt, vt cauetur *in dict. l. ſi rogatus* 20. non aliter eum poſſe manumittere, etiamſi vigeſimum annum egiſſet, dum tamen vigeſimoquinto minor exiſteret, quàm ſi apud iudicem facta comparatione emolumenti, quod ad eum perueniet, aut perueniturum eſt ex iudicio eius, qui rogauit, cum pretio eius, qui rogatus eſt manumitti, oſtenderit prædictam manumiſſionem ipſi vtilem futuram, quoniam niſi hac cauſa probata, libertas proprio ſeruo ratione fideicommiſſi præſtita competere non poterit, vt ſenſus eſt *dictæ l. cauſam*, eo verſiculo: *Non idem in fideicommiſſaria libertate iuris eſt, cuius cauſam*, nempe ſupradictam, *minor debet probare. Nam libertas, niſi ita manumiſſo non competit*, vbi ita ſentire videtur Iacobus Cuiacius *lib.* 10. *reſponſ. Papiniani*, cùm hac lege, idem quod in *dict. l. ſi rogatus*, contineri admonet. Etſi aliud magis arriſerit Connano, & Antonio Fabro dictis in locis.

12 Sed vereor, ne eiuſmodi ratiocinatio quibuſdam ex eo ſuſpecta videatur, quòd etiam vbi nullum commodum, ſed potiùs detrimentum ex manumiſſione minor ſentit, ipſi libertatis hæc alienatio, ſiue præſtatio conceditur, veluti cùm eius ſerui manumiſsioni conſentit, in quo vſumfructum, aut ius pignoris habet, *l.* 2. *l. ſi pater* 4. *§. fin. ff. de manumiſſ. vindicta*, quibus licèt Antonius Faber *in Iuriſprudentia, dicto titul.* 6. *princip.* 7. *illation.* 3. *&* 4. contendat, non tam minorem manumittere, quàm non impedire manumittentem, vt verbis cauetur Conſulti in *dict. l.* 4. *in fine*, ibi: *Quia non tam manumittere is, quàm non impedire manumittentem intelligitur*. Ideoque prohibitioni dict. legis Æliæ Sentiæ hos caſus non comprehendi, quę tantùm in manumittentibus loquitur; contrarium tamen ex *præfata l.* 2. manifeſtè conijcitur, dum inquit, minorem fructuarium conſentiendo poſſe ad libertatem perducere, ideſt manumittere, *l. is qui* 51. *de verborum obligation.* Ergo qui manumittit, & ad libertatem ſeruum perducit, non proprietarius, ſed fructuarius minor eſt cùm conſentit. Qui, vtpote fatetur Autor prædictus *dicta illatione* 4. cùm idem ius hoc caſu habeat, ac haberet ſi ſeruum ſpeciali pignoris vinculo ſibi addictum obtineret, vt *in dict. l.* 4. *§. fin.* vtraque ſpecie minorem conſentientem manumiſſorem videri credendum eſt, ac per conſequens & poſſe manumittere, vbi damnum, veluti amiſsionem iuris pignoris, & vſusfructus, & non vtilitatem ex manumiſſionis liberalitate reportat.

Verùm quidquid hæc ſuadeant, inficiari non poſſumus manumiſſorem in dictis legibus proprietarium eſſe, nõ verò minorem, qui, vt creditor tantùm, vel vſusfructuarius manumittenti domino aſſenſum præbebat. Nec aliud euincit *dict. lex* 2. cùm minorem conſentiendo ad libertatem perducere affirmat, quia ſenſus eſt, eum poſſe perducere, id eſt, non obſiſtere libertati contradicendo manumiſsionem in ipſius præiudicium factam. Nam vt impugnando manumiſſionem ſeruum à libertate retrahere videretur, argumento *l. pignoris* 26. *ff. qui & à quibus*, ita fouendo aſſenſumque præſtando illum ad libertatem, quatenus in ſe eſt, perducit.

Id autem plus habet negotij, quod ſequitur, quomodo ſcilicet liceat minori viginti annis eiuſmodi conſenſum in ipſius damnum & præiudicium præſtare, cùm certum ſit eius conſenſu ſeruo ad libertatem perducto, & ius pignoris, & vſumfructum, quem in ipſo habebat, ſtatim abſque alterius lucri ſpe amiſſurum, quoniam hæc in homine libero non conſiſtunt, vt notat Anton. Faber *in Iuriſprudent. titul.* 5. *princip.* 1. *illation.* 3. & Oſuald *lib.* 2. *Donelli capit.* 13. *liter.* C. vnde proculdubio, etſi non libertatis alienatio ſit, iuris tamen eſt, quod in ſeruo minor obtinebat, quæ vt propè notauimus, nec maiori viginti annis ante quintum & viceſimum citra iuris ſolemnitates permittitur. 13

Quo fit ineptam videri Accurſij & Reinerij interpretationem, quam dictis legibus acommodare nituntur, ille *in l. qui in fraudem* 27. *in fine, verb. Libertati, ff. qui & à quib.* & iſte *vtrobique*, ſcilicet, intelligendas eſſe de minore viginti annis, qui pubes, & iam adultus ſit: nam cùm pariter, eademque ratione rerum, iuriumque alienatio tam pupillis quàm adultis, donec ad maiorem ætatem peruenerint, ſit inhibita, *l.* 1. *& totus titulus, ff. de minorib.* iunctis alijs, quæ in huius rei confirmationem infra *anno* 25. latè notabimus. Inde eſt, non niſi improbabiliter dici poſſe, puberes, minores tamen viginti annis ex propria perſona, ita manumiſſioni ſerui aut ſibi pignorati, aut in quo vſumfructum habebant, cõſentire poſſe,

vt proprium ius pignoris, vel vſusfructus amittant, & abalienent.

14 Verius tamen credendum cenſeo, habita ratione ad legis Æliæ Sentię prohibitionem ita ſimpliciter vtroque loco Conſultos dixiſſe, minores viginti annis etſi manumittere non poſsint, debitoris aut proprietarij manumiſſioni rectè conſentire, cùm hoc manumittere non ſit. Quod minimè affirmaſſent, ſi & illud quæreretur, vtrùm ſolus minor abſque tutore vel curatore prædictum conſenſum exhibere poſſet? Nam vt in *dict. l. qui in fraudem 27. in fine, ff. qui & à quibus*, manifeſtè cauetur, pupilli creditoris citra tutoris autoritatem conſenſus nihil libertati prodeſt, ſicuti non prodeſt, ſi fructuarius pupillus manumiſsioni ſimiliter conſentiat. Quod nedum de pupillo indubitatum ſubaudiri debet, ſed etiam de alio quolibet minore viginti annis. Nam vt in materia alienationis quidquid circa pupillos decernitur, ad quoſcumque etiam minores neceſſariò producitur. Vnde in ea pupilli, & minoris nomina vniuoca, & ſynonyma habentur, vt argumento *§. nunc admonendi, inſtitut. quibus alienan. licet, vel non.* Notat ibidem Vveſembechius *numer.* 3. & nos infra probabimus *dicto. anno* 25. Ita & ſimili hoc tractatu idem in perſona cuiuſvis minoris viginti annis (quę maior ætas in manumiſsionibus eſt) quod in pupillis obſeruare oportet, ac per conſequens vt ab iſtis ſine tutore præſtitus conſenſus libertati non prodeſt, *dict. l. qui in fraudem*, nec ab illis habitrus citra curatorem aliquid proficere debebit, donec annum vigeſimum attigerint. Qui neceſſariò in eis requiritur ad ea omnia per ſe exequenda, quæ ſeruorum manumiſſiones reſpiciunt, vt ex dictis patet; & ſuaderi videtur *ex dict. l. 1. titul. 22. part.* 4. vbi curatoris autoritas deſideratur, vt qui maior eſt decimoſeptimo anno, & vigeſimo minor, probata iuſta cauſa apud Conſilium proprium ſeruum poſſit manumittere: ergo, vt & conſentiat proprietario, aut debitori manumittenti, curatoris etiam autoritas deſiderabitur? Nam vt eadem ætas, & ſolemnitas requiritur in conſentiente alterius alienationi, ac in ipſo alienante, veluti ex Simoncello *de decretis lib. 2. titul. 6. numer.* 143. & alijs infra probabimus: ita & eadem debet deſiderari in conſentiente manumiſſioni, quæ ad manumittendum exigitur.

15 Quod etiam ex generalitate legis Æliæ Sentiæ non ſolùm in his manumiſſionibus procedebat, quæ inter viuos fiebant, veluti probauimus, & fatentur Cuiacius, Conanus, Anton. Faber *vbi ſuprà*, necnon & Pilleus *quæſtio.* 130. *verſicul. Quod poſſit*, Sairus *de cenſuris lib. 2. capit. 9. numer.* 5. Ameſcua *de poteſtate in ſe ipſum, lib. 2. capit. 17. numer. 6.* Simoncellus *de decretis vbi ſuprà*, Didacus Cuellar *dict. tractatu de manumiſſionib. 2. part. numer. 59. cum ſequentibus*, Ludolphus Scraderus *in ſelectiſſimis iuris quæſtionibus, tom. 1. titul. 6. numer.* 5. alijque plures. Sed etiam & in his, quæ vltimo elogio, & poſtrema voluntate relinquebantur, donec à Iuſtiniano hoc paulatim fuit immutatum, in primis ſtatuendo licere minoribus viginti annis, maioribus tamen decimoſeptimo, quos libuerit ſeruos in teſtamento manumittere, *§. fin. inſtitut. quibus ex cauſ. manumit. non licet.* vt illud optimè explicat Anton. Faber *dict. principio octauo*, quo cùm non ſatis illo incommodo, & abſurdo mederetur, nempe eſſe ei interdictum teſtamento manumittere, cui eadem diſpoſitione omnium non ſolùm ſeruorum, ſed & rerum libera diſpoſitio & donatio permittebatur, *l. qua ætate 5. de teſtament.* Demum ſanxit eadem ætate, qua licet teſtamentum condere, licere etiā & in eo teſtatori quas voluerit libertates relinquere, *Nouella 119. vt ſponſalitia largitas, cap. 2. Authent. ſed hodie, C. qui manumitt. non poſſ.* quibus conuenit de iure noſtro *dict. l. 1. tit. 22. part.* 4. ibi: *E ſi lo quiſiere aforar en teſtamento, non lo puede fazer à menos de auer catorze años*, vbi etiam obſeruat Gregor. Lopez.

Cætera autem, quæ totius huius quæſtionis tractationem reſpiciebant, ita eruditè ex more ſuo diſcutit Anton. Faber *toto illo titul. 6. iuriſprudent. Papinian.* vt cùm nihil nobis addendum ſuppetat, hîc tranſcribere iniucundum, & moleſtum duximus, apud ipſum videri poterunt, ſufficiat enim huius manumittendi actus ętatem pręſcripſiſſe, & ex iure certam deſignaſſe, vt ſuſcepto muneri affatim ſatisfeciſſe, prout nunc videamur: maximè cùm illud dictis addiderim, quod tradit Marc. Mantua *in gloſſario claſſe 10. capit. 21. num.* 3. nempe hunc vigeſimum annum manumiſſioni præſcriptum naturaliter computatum eſſe debere, nec ſufficere Principali reſcripto, aut venia ad illum perueniſſe.

SVMMARIVM.

IN pœnam improbi facti ſeruus efficitur, qui pretij auiditate venundari paſſus eſt. 1.

Qui non ob pretij participationem, ſed occaſione famis propria venditioni conſenſit, ſeruus non efficitur. 2.

Vt ſeruus maneat, qui ad pretij participationem ſe venundedit, viginti annorum eſſe debet. 3.

Qui poſt vigeſimum annum ad dimicandum cum feris ſe venundedit, ſeruus efficitur, ibid.

Hæc ætas naturaliter, & non priuilegio impleta eſſe debet. 4.

L. Ælia Sentia minorē annis viginti manumittere nequit. 5.

An hodie decimiſeptimi anni ætas ſufficiat, vt ex venditione ad pretium participandum ſeruus fiat? 6.

Libertatis fauore eſt inductum, vt poſt decimumſeptimum annum liceat manumittere. 7.

Qui tēpore participationis pretij maior erat, quamuis venditionis tempore eſſet minor, ſeruus efficitur. 8.

Qui ad actum gerendum ſe venundedit poſt vigeſimum annum, ſeruus manet. 9.

Idem eſt quem ad actum ac ad exercitiū tabellionatus diſtrahi. 10.

Æthiopes, ſi ſe ipſos vendant poſt vigeſimum annum, an etiam ſerui efficiantur? 12.

Iudicis decretum, aut curatoris autoritas, quare in hac libertatis venditione neceſſaria non ſit? 13.

QVÆSTIO VIII.

Vt venundari paſſus ad pretium participandum ſeruus efficeretur?

1 QVamuis in pœnam improbi facti, is qui cùm chariſsima, & omnibus rebus præferenda libertate potiebatur, ad pretium participandum venundari paſſus erat, legis autoritate ſeruus remaneret, vt eruditè excogitarunt Anton. Faber *in iuriſprudentia Papinianea, titul.* 3 *principio* 2. *illatione* 1. & *principio* 3. *illation.* 3. Vulteius *in* §. *ſerui, inſtit. de iure perſonarum, num.* 4.

2 Oſuald. *lib.* 2. *Donelli cap.* 10. *liter. N.* Secus atque ſi non pretij auiditate, *l. non ideò minus* 6. *C. de liberali cauſa, cum ſimilibus.* Sed egeſtatis, aut alterius occaſionis intuitu, vt *Leuitici capit.* 25. præſcribitur: *Si paupertate compulſus,* inquit, *vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum; ſed quaſi mercenarius & colonus erit:* id tamen non in cuiuſcumque ætatis hominibus obſeruabatur, ſed in illis dumtaxat, 3 qui vigeſimum annum exceſſerant, *l. & ſeruorum* 5. *ff. de ſtatu hominum, l. ex cauſa* 10. §. *Papinianus, ff. de minoribus, l.* 1. *ff. quibus ad libert. proclam. non licet, l. liberis* 7. §. *ſi quis minor. ff. de liberal. cauſa, l. ſi miniſterium* 16. *C. eodem,* §. *ſerui, inſtitut. de iur. perſon.* conſonat apud noſtros, *l.* 1. *titul.* 21. *part.* 4. ibi: *La quinta, que aquel que ſe faze vender, que aya de veinte años arriba*: vbi quamuis alij Codices, *de veinte y cinco años arriba* habeant, vt eſt apud Montalvum, & meminit Ludouic. Lopez *tractat. de contract. lib.* 1. *capit.* 5. *numer.* 1. quem refert Scacia *tractat. de commerc.* §. 1. *quæſt.* 1. *numer.* 556. *verſicul. Reſtringe ſecundò.* Nilominus priori, & vulgatæ lectioni, vt iuri communi congruenti libentiùs accedo, rationibus de quibus ſuprà *hoc eodem anno*, vbi de manumittentis ætate: vnde eos, qui ad dimicandum cum beſtijs ſe vendebant, quorum eandem eſſe conditionem cum illis, qui ad pretium participandum ſe diſtrahebant; imò & peiorem, cùm iſti ciuilem & naturalem vitam, illi verò ciuilem tantùm abalienent; integræ quidem ætatis, ideſt viginti annorum, vt ſuſpicor, eſſe debebant, veluti non obſcurè demonſtrat D. Cyprian. *lib.* .. *epiſt.* 2. his verbis: *Quid illud, oro te, quale eſt? vbi ſe feris obijciunt, quos nemo damnat? ætate integra, honeſta, ſatis forma, &c.* refert Iacobus Durant. Cazelius *variar. lib.* 1. *cap.* 8. *in fine.* Quæ ętas 4 naturaliter impleta ſit oportet, nec ſufficiet, ſi principali reſcripto, aut venia ætatis maior ſit effectus, vt rectè obſeruat Marc. Mantua *in gloſſario, claſſe* 10. *capit.* 21. *numer.* 3. Quod ea ratione ſiue in viris, ſiue in fœminis fuiſſe ſtatutum, profert Imperator *in dict. l. ſi miniſterium, ne antea libertatem inconſultè amittant, quàm alij propter ætatis rationem ſine Conſilio præſtare non poſſunt.* Quia, vt appoſitè nimis inquit Ameſ- 5 cua *tractat. de poteſtat. in ſeipſum, lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. per legem Æliam Sentiam domino viginti annis minori non aliter manumittere permittebatur, quàm ſi vindicta, apud Conſilium cauſa manumiſsionis approbata fuiſſet, *l. ſi minor, cum ſequentibus, de manumiſſ. vindict.* §. *eadem lege, inſtitut. quibus ex cauſ. manum. non licet*, cum alijs ſuo loco congeſtis.

6 Ex qua ratione inferendum videbatur, quòd cùm hodie qui decimumſeptimum annum expleuit, manumittere poſſit, §. *fin. inſtit. quib. ex cauſ. manum. non licet*, & nouiore iure, ex quo quis teſtandi facultatem obtinet, & relinquendi ſeruis ſuis libertatem teſta-

teſtamento nanciſcatur, *authent. vt ſponſalitia largitas, §. 1. collat. 9.* hanc minorem ætatem ſufficere, vt qui ſe ad pretij participationem vendidiſſet; ſeruus remaneret, cum ea, & alijs poſſet libertatem elargiri. Quod hîc ad propriæ libertatis amiſſionem Imperatores deſiderant: verumtamen contrarium his rationibus, defendit Ameſcua *vbi proximè*.
7 Primò, quia libertatis fauore inductum eſt, vt decimoquarto anno domini ſeruos manumittere poſsint (quod in ipſius libertatis odium retorqueretur, ſi eadem ætate pro prię libertatis amittendæ illos facultatē habere, vt certum tueremur) Secundò, quia priuilegium, de quo *in dict. authentico*, vltimis tantum voluntatibus conceſſum eſt: quare ad contractus minimè extendi debet, maximè cùm pœnalis, & odioſa ſit huiuſmodi ampliatio, contra regulam iuris, qua cauetur odia reſtringenda, & fauores eſſe ampliandos, *capit. odia 15. cum ſimilibus, de regulis iuris lib. 6.*

8 Quod ſimiliter procedit in eo, qui licèt venditionis tempore viginti annorum ætatem minimè egiſſet; tamen cùm pretium participauit, illam nedum impleuerat, verùm & tranſilierat, *dict. l. liberis 7. verſic. Si ante. ff. de liberali cauſa, l. 1. §. minori, quibus ad liber. procloma. non licet.* Nam cùm in odium & deteſtationem eorum, apud quos pecuniæ cauſa magis quàm propriæ libertatis inualuit, huiuſmodi fuerit ſeruitutis pœna præſcripta, ſolùm inſpicitur, vtrùm cùm pretij fuit particeps, prædictam ętatem exceſſerat, non verò cùm ſui ipſius celebrari venditionem fuit paſſus.

9 Nec his refragatur, quòd etiam vbi quis non ad pretij participationē, ſed ad aliquod opus, vtputà ad actum gerendum propriæ venditioni conſentit, ſi id ante vigeſimum ætatis annum patrauerit, ſeruus non efficitur, *l. ſi quis 6. §. irritum, ff. de iniuſto rupto*, hac ſerie: *Vel ſi maior annis* (de viginti loquitur) *ſe venundari paſſus ſit ad actum gerēdum, pretiumve participandum*, vnde videbatur, non tempus participationis pretij, ſed venditionis eſſe inſpiciendum. Nam etiam hoc caſu tacito quodam modo venditio ad pretij participationē fuit inita, ſcilicet ad emolumenti perceptionem, quod ex actus, ſiue
10 tabellionatus munere reſultabat: ſiquidem, vt cum Oſualdo *lib. 2. Donelli cap. 9. liter. P.* Hotomani expoſitionem præferam *in §. vltimo de iure perſonarum*, quam poſtea ſecuti ſunt ibidem Vulteius & Ameſcua *vbi proximè num. 10.* idem eſt, quem ad actum, ac ad tabellionatus officium gerendum venundari, quibus aſſentiri videtur notiſſimè Fernandez de Caſtro *in prælection. princip. inſtitut. de emption. & vendition. num. 165.* (quidquid aliter ſenſerit Iacobus Rebardus *coniectan. lib. 2. capit. 8.*) quare non dubitat Ameſcua commodum ex prædicta adminiſtratione proueniens, quoad ſeruitutem incurrendam pertinet, pretij locum ſubintrare. 11 Vnde eſt, quòd ſi maior factus actum huiuſmodi adminiſtrauit, ad quem gerendum ante vigeſimum annum paſſus fuit diſtrahi; in ſeruitutem incidit, *l. 2. C. Theodoſian. de liberal. cauſa*, non aliter atque contingere ſuperius oſtendimus, quoties nondum exacta legitima ætate quis ad pretij participationem diſtrahebatur, ſi poſt illam impletam pretij aliquam partem accepit, ſiquidem vt ſeruitutis hæc pœna committatur, actuariatus exercitium, ſiue ex eo proueniens emolumentum nihil à libertatis pretio diſcernitur, cùm vtrumque in pecunia conſiſtat, & ipſi ſeruo acquiratur, maximè id quòd ex illo munere publico euenit, cuius etſi non plenam, ſaltim pro dimidia parte teſtandi facultatem obtinent, vt tradit Vlpianus *in fragmentis, titul. de teſtament. §. vltimo*, & refert Antonius Goueanus *lib. 2. lection. iuris variar. cap. 20. num 2.*

Vtrùm autem ſuperior reſolutio, etiam quoad Æthiopes procedat, vt poſt vigeſimum annum, & ante quintum & vigeſimum ſeipſos vendere ad pretium participandum poſsint? meritò dubitari poteſt, & in his pariter idem habituram exiſtimo, quamuis ex Petro de Aragon *tractat. de dominio*, Soto *de iuſtit. lib. 4. quæſt. 2. articul. 2. concluſ. 3.* Mich. Salon. *tractatu de dominio, quæſt. 2. artic. 1. poſt concluſion. 4.* Sairo *in claui Regia lib. 9. capitul. 9. numer. 24. & ſequentibus*, Molina, Rebello, & alijs Barboſa defendat *in collectanea ad titulum decretal. de natis ex libero ventre, cap. 1. num. 5.* ſolùm poſt maiorē ætatem viginti & quinque annorum eis licere propriam libertatem vendere, & alienare. 12

Illud quidem extra omnem controuerſiam eſt, nec curatoris autoritatem, nec iudicis decretum ad eiuſmodi ſui ipſius venditionem eſſe neceſſariam, imò citra omnem ſolemnitatem fieri poſſe, vt in ſpecie probat Cardinal. Albanus *in lucubration. in Bartol. ad l. magis puto, §. ſi pupillus num. 2. ff. de rebus eorum*; & ex eo Octauian. Simoncellus *tractat. de decretis lib. 2. tit. 6. inſpect. 4. numer. 50.* vbi cogitandum relinquit, quare ad libertatis abdicationem & diſtractionem iudiciale decretum minimè deſideretur; cùm tamen ad aliarum rerum 13 ip-

ipſius minoris alienationem, quibus omnibus meritò præfertur libertas, neceſſariò leges illud expoſtulent: & mihi cogitanti, id in ea cauſa poſitum eſſe occurrit, quòd hæc non tam alienatio libertatis, quàm pœna, & ſupplicium eſt illius, qui ex tam vili & improba negotiatione quæſtum procurat. Vt enim contra minorem criminoſum condemnatio ſortiatur effectum, nec iudicis, nec curatoris autoritatem eſſe neceſſariam in comperto eſt, inſinuat Oſualdus *lib.* 21. *Donelli cap.* 10. *lit. O.* maximè vbi ipſa delicti perpetratione abſque vlla iudicis ſententia pœna incurritur, vt in hoc caſu.

SVMMARIVM.

Ingenua alieno ſeruo proſtituta, & ter à domino admonita vt ab eo diſcedat, amittit libertatem. 1.

Fragilitas ætatis erat huius pœnæ excuſatio. 2.

Fragilis ætas in propoſito dicitur, quæ nondum ad annum viceſimum peruenit. 3.

Ex proprio facto ante viceſimum annum, nec vir, nec fœmina, aliquam ſeruitutis ſpeciem incurrere poteſt. 4.

Liberi hominis venditio ſiue à ſe ipſo, ſiue ab alio ad remigandum facta, an valeat ante dictam ætatem? 5.

QVÆSTIO IX.

Quo tempore ingenua, quæ ſeruo ſe ſubſternebat, & in contubernium dabatur, libertatem amitteret?

1 Notiſsimum eſt Senatuſconſulto Claudiano fuiſſe decretum, eam, quæ cùm libertate potiretur, impudicam alieni ſerui coniunctionem delegit, & in ea poſt trinam à domino factam denuntiationem perſeuerauit, ſimul cum viro ſeruitutis iugo ſubiacere, vt ſatis probatur ex *l.* 4. *Theodoſiani ad Senatusconſult. Claudian.* & indicaſſe videtur Conſultus *in l. Lucius* 27. *ff. de poſiti.* & Iuſtinianus *in toto titul. C. de Senatusconſulto Claudian. tollendo*, referunt Tertullianus *lib.* 2. *ad vxorem, capit.* 8. & ibidem Ludouic. de la Cerda *numer.* 73. Cornelius Tacitus *lib.* 12. *annal.* Sueton. *in Veſpaſian. capit.* 11. Iacob. Cuiacius *lib.* 21. *obſeruation. capit.* 16. Ioannes Mercerius *opinion. lib.* 1. *capit.* 9. Petrus Faber *ſemeſtri lib.* 1. *capit.* 25. Oſualdus *lib.* 2. *Donelli capit.* 9. *liter. P.* & nouiſsimè P. Bartholom. de los Rios, *Hierarchiæ Marianæ titul.* 2. *cap.* 4. *ad finem.* Quod autem peculia- 2
riſsimum ſcio, & à nullo animaduerſum, illud eſt, an aliqua fuiſſet habita ætatis ratio in amittenda ex prædicta cauſa mulierũ libertate? Qua in re etſi nulla expreſſa Claudianæ legis veſtigia appareant; tamen nec ſubobſcura nimis deprehendiſſe videor ex Conſtantini reſcripto, de eodem Senatusconſulto ad populum *in l. cùm ius* 3. *eodem titul. Codicis Theodoſiani*, vbi cùm aſſeueretur ius vetus (Senatusconſultum interpretor) ingenuas fiſcalium ſeruorum contubernio coniunctas ad natalium decoctionem cogere, nulla, vel ignorãtiæ venia tributa, vel ætati, conſequẽs eſt, cùm illud fiſci fauore fuiſſe inductũ, eiuſdem legis verba demonſtrent, in cæteris quæ non fiſcalibus, ſed priuatorum ſeruis ſuccubuerunt, contrarium fuiſſe obſeruatum, ſcilicet, vt ſi eas vel error improuidus, vel ſimplex ignorantia, vel ætatis infirmæ lapſus in has contubernij plagas depuliſſet, excuſationem mererentur, & nullo ſeruitutis dedecore inquinarentur.

Quæ ergo diceretur hæc infirma ætas, vt 3
ea quantumuis ſeruis in contubernium darentur, fœminæ libertatis iacturam minimè ſuſtinerent? nondum in comperto eſt, quamuis probabiliter exiſtimem eam vſque ad extremum vigeſimi anni duraſſe, quoniam antiquitati placuiſſe Iuſtinianus memorat *in l. ſi miniſterium* 16. *C. de liberali cauſa: minores viginti annis nulla ratione mutare ſtatũ poſſe, ac pro liberis ſeruos fieri.* Ergo ſi nulla ratione libertas ante prædictam ętatem periclitari poterat, nec ex cauſa turpis & ſeruilis coniunctionis ante idem tempus ingenuitatis obſcuratio timeri debebat.

Vnde cùm abſolutè tam in fœminis, 4
quàm in viris locum habeat, quòd ante vigeſimi anni ætatem libertatis amiſsionem ex nulla cauſa ſuſtinere poſsint, vt ſuperiùs obſeruauimus, conſtat id non ſolùm de prædicta ſeruitutis ſpecie interpretari debere, verum & de alijs pluribus hîc breuitatis cauſa prætermiſsis, quarum meminit Ioann. Mercerius *lib.* 1. *opin. capit.* 9. cùm in omnibus ſit perpetuum ante vigeſimum annum minimè locum habere, cùm placuiſſe Iuſtinianus *in dict. l. ſi miniſterium*, commemoret, minores annis viginti nulla ratione, id eſt nulla ſeruitutis ſpecie mutare ſtatum poſſe, ac pro liberis ſeruos fieri.

Quapropter cùm liberi hominis vendi- 5

tio

tio ſiue ab alio, ſiue à ſemetipſo facta ad remigandum in triremibus ſpecies ſit ſeruitutis, vt ſingulariter tradiderunt Franciſc. Garſia *tractat. de contractibus, capit.* 17. *numer.* 2. *concluſ.* 2. Ludouic. Lopez *eodem tractat. lib.* 1. *capit.* 4. *verſicul. Secunda concluſio, in fine,* Sigiſmund. Scacia *tractat. de commerc.* §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 556. *verſicul. Infero confirmando,* non dubitarem etiam huiuſmodi caſu ſupradictam Iuſtiniani rationem procedere.

SVMMARIVM.

De iure communi nulla certa ætas protonotarij eſſe videtur. 1.

Protonotarius idem quod primus notarius ſignificat. ibid.

Nomen Protonotarius *tantùm in regulis Cancellariæ ſcribitur, non verò in bullis, vel in alijs diſpoſitionibus Apoſtolicis.* 2.

Qui à ſecretis exiſtunt Tribunalium Sanctæ Inquiſitionis, verè ſunt notarij, licèt vulgò Secretarij *appellentur.* 3.

Secretarius vnde ſit dictus. 4.

Ex ſpeciali conſtitutione Pauli II. nemo niſi filius aut nepos ſit Principis, Protonotarius creari valet. 5.

QVÆSTIO X.

Protonotariatus officium vt quis exercere poſsit?

1 DE iure cōmuni nulla certa ætas ad Protonotariatum inuenitur præſcripta, fortè quia eadem viginti & quinque annorum, quæ notariatui ex veriori ſententia infra deputabitur, etiam huic muneri, vt ſimillimo deſignata videtur. Nam Protonotarius verè quidem notarius eſt, ſed primus Apoſtolicæ Sedis, vt dictio illa Græcà *Protos* ſignificat, quæ Latinè primus ſonat: ita Petr. Gregor. *ſyntag. iuris lib.* 15. *c.* 42. *num.* 12. Mandoſ. *de ſignatura gratiæ, tit. Protonotarij, in principio,* Ludouic. Gomeſius *in procœmio ſuper regul. Cancellariæ, q.* 1. Eraſmus Cochier *de iuriſdict. ordinaria in exemptos p.* 1. *q.* 18. *n.* 1. & his relatis nouiſsimè Barboſa *de iure Eccleſiaſtico, lib.* 1. *c.* 23. *n.* 12. vbi & conſequenter *num.* 14. ex Caſaneo *in catalogo gloriæ mundi, p.* 4. *conſiderat.* 29. aduertit, quòd iſtud nomen Protonotarius nunquam 2 ponitur in Bulla, nec in alijs diſpoſitionibus Apoſtolicis, ſed tantùm notarius; licèt in regulis Cancellariæ ponatur iſtud nomē ad maiorem excellentiam: quod apud noſtros ſatis percipi poteſt, exēplo eorum qui à ſecre- 3 tis ſunt Sanctæ Inquiſitionis, quos licèt honoris & dignitatis cauſa vulgò Secretarios appellemus, notarios tamen eos eſſe planè conſtat. Itaq; in chartulis creationum, & Regalibus reſcriptis cognominatos vidimus, etſi eo, quia in Secretario, id eſt loco, vbi iu- 4 dices conueniunt, iuſtitiamque partibus miniſtrant, ſecreta excipiunt; vocari ſimiliter potuiſſent non aliter ac cæteri tabelliones ſæculares, vt optimè adnotauit frater, ac animæ noſtræ delicium D. Alphonſus de Narbona *in elegantiſsimis commentarijs ad 3. p. nouæ Recollection. legum Hiſpaniæ lib.* 2. *tit.* 5. *l.* 82. *gloſ.* 5. *num.* 28.

5 Cæterùm, vt ſuperiora proſequamur, ſpeciali conſtitutione Pauli II. ſtatutum extat, neminem ante vigeſimum annum Protonotarium creari debere, niſi nepos aut filius Principis ſit, quibus ex priuilegio indulget, vt poſt decimumſeptimum annum præfatum munus obire queant. Sic refert Guilielm. Benedictus *in repetit. capit. Raynuntius, verbo Adiectæ impuberi, numer.* 11. *& ſequentibus, de teſtament.* Petr. Rebuffus *tractat. de pacific. poſſeſſion. numer.* 217. quibus poſtremò accedit Moneta *de conſeruat. cap.* 1. *num.* 161.

AN-

ANNVS VIGESIMVSPRIMVS.

SVMMARIVM.

PVbertatis ætas eſt, qua homines barbam emittunt. 1.

Barba eſt faciei pars, & index facultatis generatiua. 2. & 7.

Eunuchi teſticulis carent. 3.

Barbam alicui expilare realis iniuria eſt. 4.

Expilans barbam pœna incidentis membrum punitur. 5.

Dauid egre tulit, quòd dimidia pars barba legatis ſuis fuiſſet ab Hannone Rege Ammonitarum amputata. ibid.

D. D. Thomas Tamayo de Vargas Regius Hiſtoriographus, *laudatur.* 6.

Pubertas à decimoquarto anno ad vigeſimumquintum extenditur. ibid.

Circa annum primum & vigeſimum ſolet frequenter hominibus barba erumpere. 7. & 12.

Poſt vigeſimum ætatis annum quilibet aptiſsimus generationi exiſtit. 8.

Aliquando generationi ineptus, barbam habet. 9.

Vicefimo ætatis anno adoleſcentes barbam deponebant. 10.

D. Laurentius Ramirez de Prado Regis Conſiliarius *laudatur.* 11.

Qui barbam deponebat, alicui Numini illam dicabat. ibid.

Barba maxillarum flos dicitur. 13.

Ætas poſt viceſimum annum florida appellatur. 14.

Pubeſcere in hominibus, idem eſt quod florere in ſtirpibus. 15.

Nonnulli florentem ætatem in decimoſexto anno conſtituunt. 11.

QVÆSTIO I.

Barbam quo tempore homines emittant?

PVbertatē eſſe nemo eſt qui neſciant: hinc Auicenna 1. *doctrinæ* 1
3. *cap.* 3. definiens hanc ætatem
dicebat eſſe ætatē illam, in qua
homo barbeſcit, & Paul. Zach.
medicolegali lib. 1. *tit.* 1. *quæſt.* 6. *numer.* 5. *ex*
Hippocrat. non abſimiliter profert, quòd pu-
bertas id vitæ ſpatium dici poteſt, in quo pri
mùm pube in pudēdis, alijſque corporis par-
tibus erumpente primùm ad generandum
aptus homo fit, idque meritò, nam vt inquit
Vlmus *in lib. de Phyſiol. barbæ human. ſect.* 3.
cap. 6. barba etſi ſit faciei pars, neceſſariò 2
conſequitur facultatem generatricem maſ-
culinam humanæ ſpeciei, indexque eſt tem-
peramenti organorum deſeruientium eidem
facultati, ac præcipuè teſtiū. Vnde cùm eu-
nuchi illis careant, veluti notiſsimum eſt, & 3
confirmatur *Deuter. c.* 23. ibi: *Non intrabit*
Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis,
& abſciſſo veretro Eccleſiam Domini. Nec-
non & Leo Imperator *nouella* 60. de pœna
caſtratorum, omni ſpe barbę deſtituuntur, &
ignominia apud omnes notantur, quoniam
ipſius carentia viris eſt maximè probroſa, eā 4
obrem apud noſtros barbam alicui expilare
realis iniuria eſt, autore Oinotomo *in §. ſed*
& lex Cornelia num. 8. *inſt. de iniurijs,* & pro
batur ex principio, *verſ. Si quis aliquem, de*
pace tenenda. & eius violatoribus, in vſibus
feudorum, his verbis: *Si quis aliquem ceperit,*
& abſque ſanguinis effuſione fuſtibus percuſſe-
rit, vel crines eius aut barbam expilauerit: de-
cem libras ei, cui iniuria illata eſſe videtur per
compoſitionem impendat, & iudici viginti li-
bras perſoluat, faciunt notata à Romano *ſin-*
gulari 569. incipienti *expilans,* Cauallin. *in*
Ægidian. conſtit. lib. 4. *capit.* 56. *in Gloſſa A.*
pagin. 268. Grammaticus *deciſ.* 17. *numer.* 1.
vbi diſputant, qua pœna puniatur de iure 5
communi expilans barbam, vel crines, licèt
ſanguis non exeat? In qua quæſt. Baid. *in l.*
reos, num. 6. *C. de accuſationib.* Menoch. *lib.*
2. *de*

2. *de arbitrar. cap.* 392. *num.* 32. putant pœnam incidentis membrum eum affici debere: hac de cauſa egrè tulit Dauid Rex ſimilem iniuriam Legatis ſuis illatã ab Hannone Rege Ammonitarum, qui euellerat eorum vnicuique barbæ dimidium, vt habetur *Regum lib.* 2. *cap.* 10.

6 Sed vt inſtituto reſtituamur, hæſitari minimè poteſt, eſſe pubertatem vitæ tempus, quo naturaliter hominum *primula malis lanugo viret*, vt verbis vtar Toletani Lypſij, & amici D. Thomæ Tamayo de Vargas ex carminibus, quæ in effigiem fratris D. Ioannis de Narbonã iam diu ſuauiter, ac egregiè conſcripſit; dubium vtique in præfiniendo huius pubertatis anno verſatur, quo ſolet communiter ita facies veſtiri, cùm ſit notiſsimũ pubertatem à decimoquarto ad quintum & vigeſimum extendi, vt ſuo loco accuratè probauimus *ſup. num.* 14.

7 Dicendum igitur apparet circa annum primum & vigeſimum barbam nobis frequenter euenire, quod indè perſuadeo. Primùm, quia vt nuper cum Vlmo edicebam, eruptio pilorum in facie eſt euidens ſignum potentiæ generatricis, & perfectæ diſpoſitionis membrorum, quibus hæc potentia ad actum naturaliter redigitur. At vt ex Alberto Magno 5. *de animalibus, tractatu* 2. *capit.* 1. tradit ingenioſe Zachias *dict. lib.* 1. *titul.* 1. *quæſt.* 6. *numer.* 70. pubès vigeſimo ætatis anno perfecto aptiſ-
8 ſimus ad generationem videtur: ergo tunc neceſſariò veluti in ſignum huiuſce habitudinis barbam emittat conſectarium erit.

9 Non inficiabor hoc ita perpetuum minimè eſſe, vt aliquando qui procreationi ſit inſufficiens, vel ante vel poſt pubertatem, queat barbã exornari, maximè teſtante Fernelio *Phyſiolog. lib.* 3. *cap.* 10. & Zachias *dicto loco numer.* 76. etiam pullulante pube poſſe quem adhuc impuberem eſſe: ſed id tantùm aſſerere animi noſtri, & voluntatis eſt, quod ſecundum communiter accidentia ſolet hac in re quotidie experimento monſtrari.

10 Confirmatur prætera ſuperior opinio nam hac ætate adoleſcentes antiquitus conſueuerunt primam barbam deponere, Deóque alicui ſacrare; cuius rei extat pulcherrimus Suetonij locus *in Caligula capit.* 4. *viceſimo ætatis anno*, inquit, *accitus Capreas à Tiberio vno atque eodem die togam ſumpſit, barbamque poſuit, ſine vllo honore, qualis*
11 *contigerat Tyrocinio fratrum eius.* Meminit huius teſtimonij doctiſsimus, & in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus D. Laurentius Ramirez de Prado *in Martialem lib.* 3. *epigr.* 6. idemque ſignificat, etſi non ita clarè Plutarchus *in Theſeo*, cùm refert eos, qui ex ephebis excedebant, barbam, & capillum primum fluminibus, & Apollini dicaſſe, vt Theſeus fecit Delphos profectus, & Achilles apud Homerum: quò neſcio an reſpexerit Euſtachius, quem refert Petrus Gregorius *ſyntagm. iuris lib.* 16. *capit.* 1. *numer.* 25. cùm inquit: *Mos fuit antiquis, comam iuuenes nutrire, vſque ad integram ætatem, poſteà tondere, fluminibus ipſam.*

Sed expreſsius in rem hanc conducunt 12
verba peritiſſimi Lelij Viſciolæ *horarum ſubſeſſiuar. lib.* 7. *capit.* 5. quæ hîc tranſcribere nec otioſum, nec iniucundum habui: *Petes, ait, quoto anno ætatis barbam deponerent iuuenes? Reſpondeo, citiùs & ſeriùs, plerumque tamen ſub* 21. *ætatis annum. Itaque Macrobius lib.* 1. *in ſom. Scipion. capit. illo* 6. *prolixo, & docto, quo de ſeptennario diſputat, poſt ter ſeptennos annos innuit ſolitam deponi: ita colligimus ex Faſtis Neronem poſuiſſe eo anno, cùm C. Caligulla* 20. *anno poſuerit, Autore Suetonio capit.* 10. *& ſine vllo tamen honore, qualis contigerat Tyrocinio fratrum eius, hoc eſt contra morem vſitatum Romanorum, &* 25. *anno Octau. Cæſar vt ſcribit Dio, Octauius enim M. Cicerone, & C. Antonio Conſulibus natus, barbam poſuit, L. Marcio, Caio Sabino Conſulibus.* Hæc ille: ex quo ego quaſi præ- 13
ciſè ſubinfero, non longè ab hac ætate primò faciem lanugine veſtiri, alioquin nec vigeſimo, aut vigeſimoprimo ætatis anno, ſed anteà noua barba, quaſi virilitatis primitiæ Deo conſectaretur. Nam quemadmodum moris erat, flores ſtatim ac pullulabant, ipſorum Numini incunctanter offerre, ita ſuſpicari poteſt, & in barba fuiſſe obſeruatum, quæ & maxillarum flos dicitur, & vt flos primus diuorum aris deponebatur, vnde in propoſito optimè Martialis *lib.* 3. *epigram.* 6.

Libat florentes hæc tibi prima genas.

Indeque non malè coniectari licet, flo- 14
ridam, ſiue florentem hanc ætatem vltra viceſimum annum rectè fuiſſe à nonnullis vocatam, præſertim à Galeno 2. *de ſanitate tuenda, capit.* 2. *claſſe* 2. & 2. *de temperamentis capit.* 2. *claſſe* 1. Paul. *ſuæ medic. libro* 1. *capit.* 14. & Fernelio phyſiologiæ *libro* 3. *capit.* 10. qui florentes appellant iuuenes à vigeſimo anno ſupra. Idque non immeritò, quoniam, vt Autor eſt Ariſtoteles 7. *de hiſtor. animal. capit.* 1. *in princi-*
pio, pubeſcentiæ (huiuſce nempe annorum, 15
vt ſubintelligi oportet) in homine reſpondet,

det,quod in ſtirpibus florere dicimus,ex Alcmeonis Crotoniatæ ſententia: etſi non me
16 lateat, nonnullos floreſcentem ætatem in decimoſexto anno conſtituiſſe, vt Terentius.

Anni ſexdecim ætatis flos ipſe.

Et Ouidius, cùm Narciſum oſtendere vellet, eius iam ætatis, vt amoribus dare operam poſſet, ait:

Iamque ter ac quinos vnum Cephiſius annum
Addiderat.

Sentit idem Petr. Bungus *de myſterijs numerorum, numer. 16. paulò poſt principium*: ſed hęc magis poeticè, quàm philoſophicè dicta videntur.

SVMMARIVM.

PRæceptum ieiunij omnes indiſtinctè comprehendit. 1.

A vigeſimoprimo ætatis anno vtriuſque ſexus fideles ieiunare tenentur. 2.

Quidam ad vigeſimumſecundum annum hanc obligationem extendit. 3.

Ante prædictam ætatem nec veſperis ſanctorum, aut vigilijs, pueri ieiunare tenentur. 4.

Corpus vſque ad annum vigeſimumprimum ætatis, continuò augetur. 5.

Senſibiliter, vel inſenſibiliter homines ad annum trigeſimum augmentari Philoſophi docent. 6.

Corpus in longum creſcit vſque ad annum vigeſimumprimum, & in latum vſque ad trigeſimum. 7.

Craſſities corporis ſaluti officit. ibid.

Ante annum primum & vigeſimum licèt religioſi nullo Eccleſiaſtico ieiunio teneantur, ea quæ religionis ſunt, obſeruare debent. 8. & 9.

Pueri etiam ante prædictam ætatem tenentur ad ieiunium ratione voti, vel pœnitentiæ, vel Iubilæi, ſi illud lucrari velint. 10.

Fœminæ citiùs quàm viri creſcunt. 11.

Fœminæ quare cùm citiùs creſcant, & citiùs obligatione ieiunij nō teneantur? in dubium vertitur, ibid. & ſequenti.

Illa die, qua quis primum & vigeſimum annum agit, ſiue adueniente vltimo puncto ætatis, aliquid ſumpſerit, ſiue non, ieiunare non tenetur. 14.

Qui impedimento laborat, vel dubitat, an fuerit legitimæ ætatis, liber eſt à ieiunio. 15.

QVÆSTIO II.

Vt vtriuſque ſexus fideles Eccleſiaſtico ieiunio adſtringantur?

LIcèt generaliter omnibus, ideò & cuiuſcumque ætatis fidelibus indictum ieiunium ex præcepti generalitate videatur, vt ſubindicat D. Leo *ſermone 11. de Quadrageſima*, dum *Adeſſe*, inquit, *maximum, ſacratiſſimumque ieiunium, quod obſeruantiam ſui, vniuerſis fidelibus, ſine exceptione denuntiat*: tamen eos ſolos præcepti huiuſmodi viribus 1
2 comprehendi, qui vigeſimumprimum annum exceſſerint, certo certius eſt. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 47. *artic.* 2. *ad ſecundum*, Syluester *in ſumma, verbo Ieiunium, verſicul. Sexto*, Nauarrus *in manuali capit.* 21. *à numer.* 16. Leſius *de iuſtit. & iure, lib. 4. cap. 2. dubitat. 6. num.* 40. Pater Sà *in ſumma, verbo Ieiunium, numer. 9. in principio*, Sanchez *de matrimonio lib. 2. diſputat. 24. quæſt. 4 numer. 23. & lib. 7. diſputat. 32. num. 17. verſicul. Quod idem docet*, Toletus *lib. 6. capit.* 4. *numer.* 2. Armilla *verbo Ieiunium* 3. Tabiena *eodem verbo, numer.* 16. Lopez 2. *parte inſtructorij capit.* 109. Moure 2. *part. capit. 8. §. 2. numer.* 20. Rodriguez *quæſt. ſingular. tom. 2. quæſt.* 100. Villalobos *tractatu 23. difficult. 4. numer.* 3. Alphonſ. Ciacon. *de ieiunijs, fol. mihi* 55. docet pluribus relatis Ioann. Sancius *ſelectarum, diſputat.* 44.
à num. 1. Quam opinionem ex noſtris etiam 3
amplectuntur Gregorius Lopez *in l. 4. titul. 23. part. 3. gloſ.* 3. Marcellus Fortunatus *de veritate & errore 2. p num.* 158. vbi ad vigeſimumſecundum annum extendit, Zeuallos *commun. contra comm. q.* 131. nouiſsimè Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, c.* 31. *num.* 47.

Quod vſque adeò procedit, vt pueri an- 4
te prædictam ætatem nec veſperis Sanctorum, vigilijs, aut alijs diebus, quibus extra Quadrageſimam per annum fidelibus ieiunium præcipitur, ieiunare teneantur, vt rectè contra Cordubam *q.* 60. Syluestrum *quæſ.* 6. Durandum *in 4. diſtinct. 15. q. 10. num.* 4. Vegam, & alios tenet Ioann. Sancius *vbi proximè num.* 7.

Cuius definitionis illam ſupra ſcripti om- 5
nes rationem afferunt, Syluester præcipuè, & Leſius, quia cùm vſque ad illud tempus continuo incremento augeſcat corpus, vt Autor eſt Plinius *natural. hiſtor. lib. 11. cap.* 37.

lib. 11. cap. 37. ad finem, & Lælius Viſciola borar. ſubſeſſiuar. lib. 15. cap. 19. verſ. Ruffus Epheſius, eget copioſo alimento: vnde ſæpiùs illa ætate, quemadmodum & in ſenectute, vt inferiùs apparebit, cibum ſumere conuenit, ne accretio, & perfectio intercipiatur: ergo proculdubio impediretur, ſi ad ieiunium ex Eccleſiæ conſtitutione ante huiuſmodi ætatem conſtringerentur, cùm ieiunij natura directè opponatur frequenti refectioni, qua pueri hac tempeſtate indigent.

6 Verùm enim verò, quamuis hæc ratio, & totius Eccleſię traditione, & fere omnium Scribentium calculo confirmetur; Philoſophorum tamen placitis, quibus hac in re deferendum nullus ambigit, funditus euertitur: omnes enim affirmant ſenſibiliter homines augmentari, aut inſenſibiliter vſque in trigeſimum annum: & quamuis aliqui intra huiuſmodi ſpatium varios creſcendi terminos collocauerint; nullus ergo, dempto Plinio & Viſciola, primum & vigeſimum annum incrementi finem præfixit. Sed quia hæc propriam ſedem, peculiaremque tractationem habent, vbi de ſtatus legitima ætate controuerſia inciderit, ab illis nunc ex animo ſuperſedeo; ibi enim latiùs videri poterunt, ne eadem ſæpius inculcando, & operi noſtro molem, & perlegentis animo

7 faſtidium generemus: illud tamen quoad præſentem difficultatem prænotare ſufficiat, ieiunantibus poſt vigeſimumprimum annum, vt eleganter reſoluit Ioann. Alphonſus à Ruicibus *in medicina medicorum incipientium, luminari 2. verſicul. Reuera*, non contingere augmenti impedimentum ſecundum longum, quia illuc vſque ſolum increſcunt, quòd duntaxat ad fortitudinem neceſſarium reputatur, reliquum verò augmenti ad vigeſimumquintum, vel trigeſimum annum ad craſſitiem ſpectar, quæ minimè in conſideratione eſſe debet, cùm magis obeſſe, quã ſaluti prodeſſe ſoleat: de qua intelligendus erit *textus in capit. ne tales 29. ad finem, de conſecrat. diſt. 5.* dum ex Hippocrate inquit, craſſa & obeſſa corpora, quæ creſcendi menſuram compleuerint, niſi citò ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſim, & peſsima morborum genera erumpere, & idcircò eſſe neceſſariam demptionem, vt rurſus habeant in quo poſſint creſcere. Non enim manere in vno ſtatu naturam corporum, ſed aut creſcere ſemper, aut decreſcere, nec poſſe viuere animal, niſi creſcendi capax ſit. Vnde Galenus *lib. 1. de ſanit. tuenda*, Corpulentia, inquit, potiùs iam impedimentum præſtat ad operationes, & ſæpè expoſcit ſibi curationem: quod etiam 14. *methodi* idem Galenus probat: quia accommodata redditur ad lapidem generandum, quapropter ipſe obſeſſum corpus non probat, *lib. 5. de ſanit. tuenda*. Et hoc quidem ſecundum Plinij autoritatem procedit, quam Eccleſia hac parte vt veriſſimam ſectatur.

Quæ vtique ratio cùm naturalis ſit, omneſque comprehendat, efficit, vt non tantùm ſæculares, verùm & qui fuerunt religionem profeſſi, ante vigeſimumprimum annum Eccleſiaſtico ieiunio nullatenus teneantur, vt aduerſus Sylueſtrum & alios, quos ipſe citat *in ſumma verbo Ieiunium, num. 3.* tenent Gabriel *in 4. diſt. 16. q. 5. art. 1.* Roſell. *verb. Ieiunium num. 14.* Tabiena *nu. 16.* Rodriguez *tom. 2. quæſtion. regular q. 100. artic. 6.* Azor *inſtit. moral. tom. 1. lib. 7. c. 17 q. 2.* Alphonſus Ciaconius *vbi proximè*, Ioan. Sancius *loco ſupra allegato n. 2.* Antonin. Diana *tom. 1. reſolut. moral. tractat. de ieiunio, reſolut. 16. verſ. Verùm Portel.* 8

Quamuis benè verum ſit, illos ante prædictam ætatem, & poſt profeſsionem emiſſam, ad religionis ſuæ ieiunia præcisè teneri, ſic aſſerentibus Rodrig. *vbi ſuprà artic. 4.* Villalob. *tract. 3. difficult. 4. num. 5.* Azor *eodem loco*, Lopez *2. part. inſtructor. c. 111.* Ledeſma *in 4. par. 2. q. 17. art. 3.* Corduba *in expoſit. regulæ Franciſcanæ, cap. 3. q. 2.* Vega *1. part. ſummæ cap. 14. caſu 6.* Sà *verb. Ieiunium nu. 3.* Filiucius *tom. 2. tract. 27. cap. 6. num. 111.* Ludouic. de S. Iuan *1. par. ſummæ artic. 6.* Cantarelo, & alijs, quorum meminit Sancius *dict. ſelectar. diſp. 54. num. 3.* Quibus conſentit nouiſsimè Antonin. Diana *reſolution. moral. tom. 1. reſolut. 16. verſic. Nota etiam*, eo nimirum, inquit egregiè alter Sancius *in ſumma lib. 4. cap. 11. num. 56.* quia ex preſsè ante illam ætatem ſe profeſsione ligarunt ad omnia in regula contenta. Quemadmodum & ſæculares pueri ante primum & vigeſimum annum, ratione voti emiſsi, vel pœnitentiæ à confeſſario legitimè iniunctę, aut Iubilæi ſub onere ieiunij conceſſi, quod ſi lucrari minor intendat, non minùs ac in ſuperioribus caſibus erit ieiunio obſtrictus, vti ex Azorio *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 3.* Ludouic. de San Iuan *1. part. ſummæ tract. de ieiunio, art. 6.* Camarelo *in præcept. decalogi lib. 1. c. 48. n. 234.* reſoluit Ioan. Sancius *d. loco n. 6.* Antonin. Diana, qui alios refert *d. reſolutione 16. verſ. Finali.* 9 10

Vtrùm autem prædicta ratio, ita omnes omninò cõplectatur, vt quod de viris, & mulieribus etiam dictum exiſtimetur? in dubiũ reuocare erit conſequens. Et quidem magna dubitatio eſt: nam fœminæ ſemper maribus citiùs creſcunt, & ſeneſcunt. Sic Ariſtoteles 11

lib.

lib.4.de generat.animal.cap.7. & optimè obſeruauit Hippocrates *lib. de ſeptimeſtri partu, Fœminæ*, inquit, *dum vteri materni ergaſtulis coercentur, longiore quàm mares tempore confirmantur, & creſcunt: ſed vbi à matre ſeiunctæ fuerint, citiùs quàm mares creſcunt, pubeſcunt, ſapiunt, & velociùs ſeneſcunt, propter corporum imbecillitatem, & earum victus rationem, imbecillitatis ratione citiùs creſcunt, atque ſeneſcunt. Quemadmodum enim arbores minùs longææ ſtatim & velut in momento creſcunt, ſic corpora parum durabilia ſtatim & citiſſimè ad perfectionem ſuam deueniunt, &c.* probant Andreas Laurentius *tom. 2. ſuorum operum, tractat. 4. de ſenectut. cap. 2. ad finem*, Philip. Maſſarius *in practica medica lib. 3. cap. 6. fol. mihi 550.* Ludouicus Mercatus *tom. 1. lib. 1. part. 2. claſſe 4. artic. 3. in reſponſione ad primam, & de ſterilium & prægnantium affectibus, lib. 3. capit. 6. verſicul. Quintum verò*, vbi id alio Hippocratis *loco lib. 2. popul. part. 3. textu 29.* confirmat. Ergo, cùm citiùs fœminæ creſcant, velociùs ad legitimam corporis excretionem perueniant, neceſſum eſt, ac conſequenter, vt ante primum & viceſimum annum ieiunandi præcepto adſtringantur.

12 Hanc difficultatem diſſoluere conatur quidam vir medicus Ioannes Alphonſus à Ruicibus *in medicina medicorum inſipientium luminari 2.* his verbis: *Ad illud de diuerſitate hominum, & mulierum, dicendum eſt, quòd fauores amplianturpro mulieribus. Nam fatentur omnes citiùs peruenire ad illos terminos quàm homines: ergo ſi cùm hoc non imponitur illis præceptum, quouſque adimpleuerint 21. anni, cõdonatur illis gratia ſicuti in omnibus ferè.* Quod pluribus ſacræ Scripturæ, & Iuris ciuilis teſtimonijs comprobare nititur. Et certè confirmari expreſſe videtur ſimili adoleſcentium exemplo, quibus poſtquàm corporum continuæ perturbationes conquieuerunt, legitimamq́ue eorum proceritatem, mentis perfectionem fuerunt adepti, vigeſimoquinto anno rerum ſuarum libera adminiſtratione potiuntur, nec ampliùs curatorum ditioni & poteſtati ſubiacent, vt ex Conſulto *in l. 1. ff. de minoribus* infert Iacobus Cuiacius *ibidem*: & licèt naturaliter illud fœmina citiùs recipiat, quàm vir, veluti ex Hippocrate ſuperiùs notauimus, cùm celeriùs pubeſcat, ſapiat, & creſcat: idem tamen tempus inquit Autor prædictus, & virorum, & fœminarum curationibus, ac reſtitutionibus præſtitutum eſt.

13 Sed vt vt ſit, quoad rem noſtram attinet, communis omnium traditio exiſtit, fœminas, licèt citiùs pubeſcant, & creſcant, eodem tamen tempore ac viros, id eſt vigeſimoprimo anno incipere ieiunio obligari, ſiue hoc illis cuiuſdam fauoris intuitu condonetur, vt Ioanni Alfonſo placuit, ſiue, quod verius arbitror, longa, & immemorabili fuerit conſuetudine introductum, non aliter ac etiam conſuetudine fuiſſe receptum Ioannes Sancius teſtatur *d. diſput. 44. n. 8.* ſexegenarios ieiunij legibus non teneri.

Vnde fit, quòd cùm prædictum annorum ſpatium in fauorem minoris ætatis, tam viri, quàm fœminæ inductum ſit, ita vt eo non tranſacto fidelis effracti ieiunij reus minimè credatur, poteſt qui die aliquo ieiunij primũ & vigeſimum annum egit, eo die non ieiunare, ſiue ante vltimum horę punctum, quo illa die ætas terminatur, ientaculũ, aut quiduis aliud eſculentum ſumpſerit, ſiue non, vt minùs benè diſtinxit P. Thom. Sanchez *d. lib. 2. de matrimonio, diſput. 24. quæſt. 4. num. 23.* quia, vt optimè aduerſus illum ratiocinatur alter Sancius *num. 4.* quem ſequitur nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. 1. tomo, tractat. 9. de ieiunio, reſolut. 49.* præceptum ieiunij reſpicit totum diem integrum, vt indiuiduum obiectum, quia non pręcipimur ieiunare dimidiam, vel minorem partem diei, ſed totum diem integrum: ergo qui aliqua parte diei, videlicet donec ætas mathematicè fuerit expleta, immunis & liber à ieiunio extitit, non tenebitur reliquum diei ieiunare, cùm præceptum huiuſmodi vel totũ diem comprehendere debeat, vel nullam partem illius. 14

Poſt huiuſmodi verò tempus dubium non eſt, cuiuſcumque ſexus fideles ad ieiunij obſeruationem ſublethali culpa teneri, niſi morbo, vel alia fuerint legitima cauſa impediri, quominus ſine propriæ ſalutis diſpẽdio poſſint ieiunare, aut niſi facta diligentia, & accurata inueſtigatione dubitauerint, an vigeſimumprimum annum expleuerint, quo caſu ad ieiunium non teneri, vterque Sancius teſtantur, ille prædicto loco *de matrimon. num. 23.* iſte *in ſelectis diſp. 54. num. 5.* quibus meritò aſſentitur Diana *vbi proximè*: quia in dubitantibus poſſeſſio pro pręcepto ieiunij non exiſtit, ſed imò pro libertate ſtat. 15

SVMMARIVM.

Conſuetudo debet à maiore parte populi introduci. 1.

Maior pars populi ad inducendam conſuetudinem neceſſariò ex habentibus legitimum conſenſum ad id debet componi, 2. & 7.

In-

Infantes, mulieres, & furioſi non computantur in populo ad effectum conſuetudinis. ibidem.
Conſuetudo debet eſſe rationabilis. 3.
Infans ratione caret. ibidem.
Conſuetudo eos tantùm obligat, à quibus fuit inducta. 4.
Infantes nullo præcepto ligantur. ibidem.
Primo & vigeſimo anno maiores ſaltim eſſe debent conſuetudinis inductores. 5.
Conſuetudo eſt virorum prudentum conſultum. 6.
Solùm hi in populum numerantur, qui à viginti annis, & ſuprà exiſtunt. 8.

QVÆSTIO III.

A cuius ætatis hominibus debeat conſuetudo introduci?

Receptiſſimum illud iuris principium, nempe conſuetudinem debere â maiori parte populi introduci, de qua teſtâtur Michael Graſſ. *tom. 2. commun. opinion. lib. 1. tit. 16. num. 302.* Valaſcus *conſ. 162. num. 16.* Maſcard. *concluſ. 423. num. 3.* noſter Ceuallos *commun. contra commun. quæſt. 357. num. 7.* Cardoſ. *in praxi iudic. verbo conſuetudo num. 5.* Rebellus *de obligat. iuſtit. lib. 1. quæſt. 5 num. 17.* Suarez *de legibus lib. 7. cap. 9. num. 12.* & his relatis Auguſt. Barboſa *In collect. ad Decretum, in cap. fruſtra. 7. num. 6. 8. diſtinct. & in cap. fin. num. 19. de conſuetudine*, de ea parte populi interpretatur Panormitanus *in cap. cùm tantùm 11. num. 18. de conſuetud.* habente conſenſum habilem ad introducendam legem, ſeu conſuetudinem: nam mulieres, inquit, & infantes, & furioſi non computantur in numerum, quia iſti non poſſunt legem condere, vt in *l. 1. ff. de legibus*, quæ legem definijt eſſe *Virorum prudentium Conſultum*. Hinc Socinus *conſil. 7. col. 4. in principio lib. 1.* & Anton. Cuccus *inſtitut. maior. lib. 1. tit. 9. numero 8.* pro regula conſtituunt infantes, ſiue nondum ſeptennes conſuetudinem minimè introducere.

3 Quod & illa ſuadetur ratione, quia conſuetudo debet eſſe rationabilis, *cap. ad noſtrum, de conſuetudine* Mazolius *conſil. 118. num. 52.* Cardinal. Tuſch. *litera C. concluſ. 795. num. 14.* & Barboſa *in dict. cap. fin. n. 11.* At verò infantes ante lapſum ſeptimi anni nullam habent rationem, imò eos tunc vſu rationis carere pro conſtanti aſſeritur *in l. ſponſalibus 14. ff. de ſponſalib. l. 5. C. de iur. deliber. cum ſimilib.* de quibus ſuprà, vbi id plenè probauimus: erunt ergo inhabiles conſuetudini ſtabiliendæ.

Et iterum conuincitur, nam vt optimè ſcribit Franciſc. Conanus *lib. 1. cap. 10. prope medium*, conſuetudo eos tantûm ſuis legibus implet, â quibus conſtituitur, vbi ſupponit non niſi ab ijs poſſe conſuetudinem induci, qui poſſunt ea ligari, quod de infantibus nequaquam dici valet, cùm ea ætate nullo præcepto aut lege conſtringantur, vt diximus de ætate diſputantes, qua præceptum Miſſæ, & abſtinentiæ à carnibus ligare incipiat. Igitur nec affirmari poterit illos conſuetudinis autores eſſe poſſe, vt ſupra ſcripti omnes docent. 4

In hoc enim nulla difficultas eſt, tota quidem in eo poſita videtur, an poſt egreſſam infantilem ætatem pueri octo annorum ad conſuetudinem inducendam habiles cenſeantur? nam quamuis affirmatiuè reſponderi debere tam rationes, quàm autoritates proximè adductæ perſuadeant, ex quo ſolummodò infantibus eiuſmodi aptitudinem detrectant: tamen aliud ſentit Henricus, Villalobos *in ſumma tomo 1. tract. 24. dubio 9. num. 8.* quem refert nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. part. 2. tractat. 12. reſolut. 17. verſic. Non grauabor*, vbi diſputans, an ex vi conſuetudinis ad culpam mortalem obligantis moniales, ſeu deputati ad chorum teneãtur perſoluere Horas Canonicas, talem cõſuetudinem negans, ſic ait: *Tambien haze contra eſta coſtumbre, para que no obligue como ley que deue ſer pueſta, eſto por quien tiene autoridad, y no la tienen los moços que no tienen veinte y vn años, y mucho menos las mugeres por ſi ſolas, &c.* Quibus verbis apertè profitetur ſaltim primo & vigeſimo anno maiores eſſe oportere conſuetudinis inductores, cui ego libenter vel ex eo ſolùm aſſentior, quia conſuetudo debet eſſe virorum prudẽtum Conſultum, vt legem definit Conſultus *in dict. l. 1. ff. de legibus*, alioqui immeritò conſuetudo lex appellaretur, *§. conſtat inſtitut. de iure natural. gent. & ciuil. c. conſuetudo 5. 1. diſtinct.* cum vulgaribus. Deinde quoniam, vt initio expendimus, ille poteſt conſuetudinem inducere, qui reſpectu naturalis habilitatis ſufficiens ad legis conſtitutionem videtur: ſed Legiſlator non niſi vir prudens eſſe poteſt, vt ex præfata legis definitione colligitur: ergo neque conſuetudinis autor, antequàm ea ætate exiſtat, qua non omnino imprudens ſit, annumque vigeſimumprimum excedat. 5 6 7

Et tandem pro eiuſmodi ſententia mitè 8

conducit illud *num.* 1. vbi cùm ex præcepto Dei populus Iſraeliticus numeraretur, tantùm qui à viginti annis & ſupra extiterant, in populum reputabantur, quaſi hac ætate minores populi vix eſſe crederentur. Vnde tùm proprium ſit conſuetudinis, vt à populo debeat introduci iuxta ſuperiùs tradita, ab his, qui ob lubricum ætatis ante vigeſimum primum annum nondum populi membra cenſentur, minimè præſcribi poterit.

SVMMARIVM.

Portionarius non eſt Canonicus, etiamſi ex priuilegio vocem habeat in Capitulo. 1.

Portionarius omnibus Canonicis eſt inferior. 2.

Portionarÿ & Canonici eadem ætas eſt. 3.

Si portio nullum certum ordinem ſacrum habeat annexum, Subdiaconalis ſaltim eſſe debebit. 4.

Niſi aliud annexi ordinis ratio poſtulet, ad portionem obtinendam vigeſimusprimus annus ætatis ſufficit. 5.

QVÆSTIO IIII.

Ad portionem in Cathedrali Eccleſia obtinendam?

1 Licèt portionarius Canonicus nô ſit vt ex ſe patet, & inquit Azorius *inſtitut. moral. 2. part. lib. 3. cap. 10. in principio*, etiamſi ex priuilegio vocem habeat in Capitulo, teſte Riccio *in praxi variarum re-*
2 *ſolut. reſolutione 39. num. 2.* imò Canonicis omnibus ſit inferior, vt pluribus docet Proſperus Farinacius *deciſ. 416. num. 3. tom. 1.*
3 *nouiſſimar.* Tamen quoad ætatem, quam habere debet, canonico ſimilis omnino exiſtit, ideoque de hac re agens Tridentina Synodus *ſeſſ. 24. de reformat. c. 12.* de vtroque ſimul loquitur, & tam vni, quàm alteri ſacrum ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus annexum eſſe debere ſtatuit, vti cenſuit Congregatio Eminẽtiſſimorum Cardinalium, teſte Hieronymo Gonçalez *in regul. 8. Cancellariæ gloſ. 5. num. 92.*
hoc etiam vbi nulla ſacrorum ordinum diſtri 4
butio Epiſcopi & Capituli autoritate, vel legitima conſuetudine fuerit inter Canonicatus & portiones facta: ergo ex præſcripto Cõcilij Tridentini concludendum erit eandem ætatem ad portionem conſequendam neceſſariam videri, quæ ad Canonicatum requiritur, & adiuncto ordine ſacro recipiendo ſufficit, ita vt ſi Presbyteralis fuerit portio, vigeſimusquintus annus inceptus deſideretur, ſi Diaconalis, vigeſimustertius: aut ſi Subdiaconalis, ſecundus & vigeſimus vterque item inchoatus. Cæterùm ſi nec Presbyteralis, Diaconalis, nec Subdiaconalis ſtatuto vel conſuetudine ſit: quia tamen ex decreto Concilij præcisè ſacrum ordinem connexum habere debet, ſaltim Subdiaconalis cenſebitur, & qui eam aſſequi velit, tali ordine initiatus eſſe debebit, aut ſaltim ea ætate exiſtere, vt commodè intra annum illum poſſit
ſuſcipere, quod cùm vigeſimumprimum ætatis annum habuerit, recte præſtabit. Sic tenẽt 5
Azorius *d. 2. p. lib. 6. cap. 5. verſ. Quinto quæritur.* Nicol. Garſia *de benefic. 2. tom. part. 7. cap. 4. à num. 21.* Aloiſius Riccius *in praxi variar. reſolut. reſolution. 288. num. 1.* Ioan. Petrus Moneta *de commutat. vltimarum voluntatum cap. 10. num. 116.* P. Gabriel Vazquez *de beneficÿs cap. 3. §. 2. dub. 3. num. 21.* & alij *anno ſequenti* referendi *in quæſt. de ætate ad Canonicatum in Cathedrali neceſſaria*, vbi quidquid ſcripſerimus, etiam præſenti indagationi accommodari poterit: quoniam vt præmiſi, hoc reſpectu par eſt Canonicatus & portionis ratio & natura.

ANNVS VIGESIMVS SECVNDVS.

SVMMARIVM.

A Tempore Syricij Sum. Pont. nemo ante vigeſimum ætatis annum poterat Subdiaconus ordinari. 1.

Socimus, multo poſt Syricium Pontificiam ſedem obtinuit. 2.

Ex Socimi conſtitutione ætas Subdiaconatus erat decimuſquartus annus completus. 3.

Concilium Viennẽſe decimumoctauum annum poſtea Subdiaconatui præſcripſit. 4.

Hodie ex noua Concilij Tridentini diſpoſitione nulli licet ante vigeſimumſecundum annum ad Subdiaconatum aſcendere. 5.

Anni tam ad Subdiaconatum; quàm ad reliquos ſacros ordines à Tridentino præſcripti, incboati ſufficiunt. 6. *& ſeqq.*

Non videtur promotus ante vigeſimumſecundum annum qui eo cœpto fuit ordinatus. 8.

Tẽpus, ſiue ætas, verbis numeri ſingularis requiſita, incboata ſufficit. 9.

Incboatio ſaltim vnius horæ reputatur ſufficiens, vt ætas Subdiaconatus incboata dicatur, quidquid alij voluerint. 10.

Mane illius diei, cuius veſpertino tempore vigeſimuſprimus annus completur, nemo promoueri ad Subdiaconatum poteſt. ibidem.

Puer, aut infans, ſi de facto ſacrum ordinem ſuſceperit, peccabit, ſed manebit ordinatus. 11.

Ante legitimam ætatem ordinatus ſi adminiſtrauerit, quando ſit irregularis? 12.

Qui ante vſum rationis fuit ſacris ordinibus initiatus abſque peccato, verus erit Sacerdos: poterit tamen cùm ad pubertatem peruenerit, reſilire. 13.

Quas pœnas incurrat Epiſcopus aliquem non legitimæ ætatis ad ordines admittens; remiſſiuè traditur. 14.

QVÆSTIO I.

De neceſſaria ætate Subdiaconatus?

VAriæ fuerunt pro temporum varietate cõſtitutæ ætates ad Subdiaconatum cõſequendum. Nam ſi ad Syricij Pontificatum reſpiciamus, ipſe, vt *in cap. quicumque* 3. 77. *diſt.* à Gratiano refertur, decreuit, neminem ante vigeſimum ſuæ ætatis annum Subdiaconum creari poſſe, cuius decreto poſteà Toletanum Concilium *in cap. de his* 28. *diſtinct.* & ſextæ Synodi Patres ſubſcripſerunt verbis *c. Subdiaconus* 4. *eadem diſt.* necnon & ſeptempartiti noſtri iuris Conditores *in l. 27. tit. 6. part. 1.* ibi: *E deſque huuiere doze años, bien puede ſer Acolito, è de veinte años Subdiacono*, cuius opinionis meminerũt Magiſter Sentẽtiarum *in 4. diſt. 25. ad finem*, Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap. 5. num. 95.* & confirmari videtur *ex cap. nemo Presbyter. 2. 78. diſtinct.* vbi ſtatuitur, vt nemo Diaconus, vel Subdiaconus fiat, qui minor vigintiquinque annis ſit. 1

Si verò Socimi (qui multò pòſt ſedit, veluti obſeruarunt Sairus *de cenſuris lib. 6. c. 12. n. 2.* & ex Bellarmino, nouiſſimè Rodericus Acunha *in dict. cap. quicumque n. 1.*) tempora 2
& ſtatuta repetamus, quemlibet in decimoquarto anno expleto conſtitutum huius ſacri ordinis fuiſſe capacem inueniemus, vt ipſius deciſione continetur tranſcripta *in c. in ſingulis 2. 77. diſt.* cuius hæc certiſſima mens & ſententia exiſtit, quidquid perperam excogitauerint Maiolus *de irregular. lib. 1. c. 30. n. 8.* & alij relati à Roderico Acunha *dict. c. in ſingulis n. 13. 14. & 15.* & Barboſa *lib. 1. iuris Eccleſiaſt. cap. 37. num. 3.* 3

Subinde igitur ſi ad generale Concilium Viennenſe recurrimus, quod multò poſt fuit à Clemente Quinto celebratũ, in eo ita fuit de- 4

decretum: *Generalem Eccleſiæ obſeruantiam volentes antiquis iuribus in hac parte præferre, decernimus, vt alio non obſtante impedimẽto Canonico poſſit quis liberè in decimooctauo ad Subdiaconatus,* & poſt pauca: *ætatis annum ordinem promoueri.* quod habetur *in Clementina generalem 3. de ætate & qualitate.*

5 Et tandem, ſi nouam Concilij Tridentini diſpoſitionẽ attendimus, cui neceſſariò ſtandum eſt *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 12.* habetur, vt nullus, etiamſi regularis ſit, in poſterũ ante viceſimumſecundum ætatis annum ad Subdiaconatum promoueatur. Ex quo ita docet Henriquez *in ſumma lib. 10. c. 19. §. 2.* Petr. de Bollo *in Oeconomia Sacra c. 2. §. 1.* Sairus *vbi ſuprà num. 2.* Maiolus *de irregularitate loco proximè adducto num. 8.* Nicolaus Garſia *de beneficijs part. 7. cap. 4. num. 21.* Ioan. Gutier. *Canonicar. quæſt. lib. 1. cap. 26. num. 8.* Emanuel Rodriguez *Quæſt. Regular. tom. 3. quæſt. 23. art. 6.* Cerola *in praxi Epiſcopali 1. part. verbo ordo, §. 1.* Piaſecius *in ſimili practica part. 1. cap. 1. in tit. de requiſita ætate n. 23.* Valerius Reginaldus *in praxi fori pœnitential. lib. 30. tract. 3. n. 166.* Carolus de Graſſis *de effectib. Cleric. in præludijs n. 289. 291. 295.* Fr. Ludouic. de Miranda *in Manuali Prælator. tom. 1. q. 39. art. 2.* Quaranta *in ſumma Bullar. verbo ordo, verſ. Colligitur,* Koninch *de Sacrament. tom. 2. diſput. 20. n. 102.* Vgolinus *de officio & poteſt. Epiſcopi c. 26. §. 6. n. 4. & 5.* Moneta *de diſtribut. p. 2. c. 19. num. 12. & de commut. vlt. voluntat. c. 10. n. 187.* Galganetus *de iure publico lib. 3. tit. 24. 25. & 26.* Homobon. *de examine Eccleſiaſt. 1. p. tract. 1. c. 10. q. 60. verſ. At maior,* Viu. *in praxi iuris patronatus lib. 1. c. 1. n. 187.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi p. 2. alleg. 16. n. 1. & in collectan. ad Clement. in Clementin. generalem de ætate & qualit.* rurſuſque *tractatu iuris Eccleſiaſtici lib. 1. c. 33. num. 88. & cap. 37. num. 3.* Rodericus Acunha *in dict. cap. Subdiaconus 4. num. 1. & in cap. nemo 2. num. 1. 78. diſtinct.* Antonin. Diana *reſolut. moral. 2. part. tractat. 2. Miſcellaneo reſolut. 29. in principio.*

6 Vtrùm autem hic vigeſimusſecundus annus, quem ad Subdiaconatum Tridentina Synodus præciſè requirit, extremè completus eſſe debeat, aut inceptus ſufficiat? vulgò controuerti ſolet: ſed mihi ſemper placuit abſq; dubio eſſe annos ad ſacros ordines ex præſcripto Concilij deſideratos inchoatos ſufficere, vt mecum ſentit Nauarrus *in manuali c. 25. n. 116.* Gutier. *vbi ſuprà n. 8.* Rodrig. Garſia, Henriquez, Maiolus, Ægidius, Mirãda, & Sairus *n. 4.* & ferè omnes *proximè congeſti,* quibus addendi ſunt Petr. Ledeſma *in ſumma p. 1. tractat. de Sacram. ordinis cap. 7.* Auila *de cenſuris p. 3. diſputat. 5. dub. 7. §. notandum. 11.* Franc. Leo *in theſaur. fori Eccleſiaſtic. p. 1. c. 4. n. 31.* Bonacina *de Sacramentis diſput. 8. q. vnic. punct. 5. n. 12.* Campanillus *in diuerſorio iuris Canonic. rubric. 7. c. 3.* & iſtos allegans Rodericus Acunha *vbi ſuprà num. 1.* Barboſa *in dicta Clement. generalem num. 8. & dict. cap. 33. & 37. iuris Eccleſiaſtic.* Diana *loco vbi ſuprà.*

7 Rationes & fundamenta huius opinionis hæc ſunt. Primò etenim, quòd ita ſuper dictũ cap. cenſuerunt Eminentiſſimi Cardinales eiuſdem Concilij Interpretes, vt referunt Ioannes Gallemart. *ibidem,* Garſia & Acunha *dictis in locis.*

8 Secundò confirmant eandem ſententiam non parum verba Concilij, quibus tantùm præcipitur, vt nullus in poſterum ante vigeſimumſecũdum annum ad Subdiaconatum, vel ante 23. & 25. ad Diaconatum, & Presbyterium promoueatur. Qui verò initiatur in ipſo vigeſimoſecundo anno, non promouetur ante vigeſimumſecundum annum: ergo Subdiaconatum in ipſo ſuſcipere poterit.

9 Tertiò accedit, quòd dicta verba, quibus vtitur Tridentina Synodus ad præfinitionem dictæ ætatis, ſunt numeri ſingularis: quoties verò eiuſmodi verbis certum aliquod tempus exigitur, ſufficit eſſe inchoatum, vt *ex textu in l. qui filio 74. §. Fabius Antonius, ff. ad Trebellian.* ſingulariter adnotauit Corneus *conſil. 213. num. 7. volum. 1.* & ex Corneo, Ioan. Gutier. *dict. cap. 26. num. 10.*

Quartò denique probat illud ipſum quoque non parum, quòd ſi annus adimpletus requireretur, non poſſet quis promoueri ad Subdiaconatum ante vigeſimumtertium inceptum, quod eſſet contra diſpoſitionem dicti Concilij annum ſolummodò vigeſimumſecundũ exigẽtis, & hoc vt rectè aduertit ex Bald. & Alexand. Ioan. Gutier. non eſſet ante, ſed poſt vigeſimum & ſecũdum annum ordinari.

10 Ex quibus omnibus ſatis colligitur inceptum ſufficere annum vigeſimumſecundum ad Subdiaconatus receptionem, ſed nõ ſatis liquet quãti temporis inchoatio ſit neceſſaria: an verò ſat ſit incepiſſe per diẽ, vel per horã ſecũdum annũ ſupra viceſimũ requiſitũ? Ferè omnes proximè adducti Interpretes ſentiũt ſaltim per integrũ diẽ inceptũ eſſe debere, inter quos ſolus Ægidius *d. tom. 2. diſp. 20. dub. 10. n. 102.* dimidiatũ ſufficere tenet. Verũtamen ſatis eſſe ingreſſum vnius horæ vigeſimiſecũdi anni eo nimirũ arbitror, cũ, quia, Cõcilium ſolũ requirit, quòd nemo ante 22. annum ad Subdiaconatũ promoueatur. Nõ enim ſecundũ rectã calculationẽ eſſe ante 22. annũ dici

dici poterit, qui anni ſecundi terminos ſaltem per ſpatium vnius horæ eſt ingreſſus. Tum etiam, quia negari non poteſt, ſubſequens tempus horæ poſt 21. annum completum, anni 22. initium eſſe: ergo cùm hic annus inchoatus ſufficiat, & hæc inchoatio erit ſufficiens, vt meritò defendit Acunha ſuprà *num.* 2. Vnde reijciendus venit Ledeſma *in ſumma tom.* 1. *titulo de Sacrament. ordinis c.* 7. dum aſſerit poſſe aliquos ad ſacros ordines promoueri mane ipſiuſmet diei, cuius veſpertino tempore requiſitam ætatem ingrediebatur, ſiquidem vt rectè aduertit Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tractat.* 2. *dubio* 11. *num.* 2. tunc inchoata, vt neceſſum eſt, ætas præſcripta dici non poteſt, quare probabilem immeritò illius opinionem appellat Diana *vbi ſuprà*.

11 Ante illud ſaltim tempus nullus licitè tali ordine poterit condecorari; quamuis ſi de facto illum in minori ætate aliquis aſſumat, peccabit, ſed verum Sacramentum, & characterem accipiet, etiam ſi puer, vel infans ſit, & non ſolùm ad Subdiaconatus, ſed Diaconatus, aut Presbyteratus ordinem fuerit promotus, quia vt inquit Hoſtienſis *in ſumma de temporibus ordin.* §. *ſed præter, verſic. Plus notat Hugo*, puer in cunis poteſt effici Sacerdos, & Epiſcopus, omneſque ſacros ordines ſuſcipere: ſed ita tamen, quòd dum ad legitimam ætatem peruenerit, ordinum exercitium non habebit, imò ab eo ita erit ipſo iure ſuſpenſus, quòd ſi adminiſtrauerit, præter læthalis culpæ reatum irregularitatis cenſuram incurret, vt Bulla Pij Secundi cauetur, & ex ea obſeruat Maiolus *vbi ſuprà num.* 19. Sairus *lib.* 4. *capit.* 14. *num.* 11.

12 Auila *dicto loco*, & pluribus notat Suarius *de cenſuris diſputat.* 31. *ſeſſ.* 1. *num.* 24. & nouiſſimè id explicat Rodericus Acunha *in dict. cap. Subdiaconus num.* 6. vbi *num.* 7. *&* 8. ſubiungit id verum eſſe, ſi dolus interceſſerit: alioqui enim, licèt in minori ætate ſacros ordines ſuſceperit, & adminiſtrauerit, nec ſuſpenſionem, nec irregularitatem incurret. Quam opinionem multorum teſtimonijs confirmat Barboſa *dict. lib.* 1. *iuris Eccleſiaſtici cap.* 33. *num.* 90. Anton. Diana *tractat. de Sacram. reſolut.* 182. *&* 192. addens id etiam locum habere quoties adueniente mala fide celebrauit, qui ſine dolo minori ætate fuit initiatus, & conducunt nouiſſimè ab eodem tradita 5. *part. tractat.* 10. *reſolut.* 31. vbi quærit, An qui non ſolùm cum ignorantia inuincibili, ſed etiam moraliter vincibili & craſſa ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat ſuſpenſionem latam à Pio Secundo? & relata affirmatiua opinione, negatiuam amplectitur, etſi fortè tempore quo dictos ſacros ordines accepit, carebat vſu rationis, abſque peccato verus erit Sacerdos, 13
poteritque cùm pubertatem fuerit ingreſſus, reſilire, veluti affirmat Stephanus Gaeta *in repetit. c. ad limina.* 33. *quæſt.* 1. §. 1. *à n.* 54. quæ extat *tom.* 1. *repet. Canon fol.* 121.

Quam autem pœnam incurrat Epiſcopus, 14
qui ante dictam ætatem Subdiaconatum, vel cæteros ſacros ordines confert, latè tradit Gutierrez *dict. cap.* 26. *num.* 17. vbi & numeris ſequentibus multa huc ſpectantia congerit, & poſt eum Acunha *proximè* relatus, noſque alia obſeruabimus infra *anno* 23. in ætate ad Diaconatum, & *anno* 25. *in quæſt. de ætate ad Presbyteratum.*

SVMMARIVM.

Quidam putant de iure communi ſufficere ætatem ſeptem annorum ad Canonicatum in Eccleſia Cathedrali. 1.

Refertur vt probabilior ſententia eorum qui exiſtimant de iure communi quartumdecimum annum completum ad Canonicatum in Cathedrali eſſe neceſſarium. 2.

Ex noua Concilij Trident. diſpoſitione ea ætas requiritur ad Canonicatum in Cathedrali, quæ ad ordinem ipſi adiunctum deſideratur, vel ſaltim quòd tanti temporis exiſtat, vt poſſit intra annũ dictus ſacer ordo ſuſcipi. 3. *Etiamſi Canonicatus Parochialē habeat adiunctam.* 4.

Vbi nulla ſacrorum ordinum diſtributio inter Canonicatus fuit facta, omnes Subdiaconales cenſentur, & ideò legitima ad id ætas deſideratur, vel ſaltim quòd poſſit intra annum adimpleri. 5.

Prædicta ætas minimè erit neceſſaria in Cathedralibus eorum locorum, vbi Concilium non fuit receptum, ſed ibi ſtabitur diſpoſitioni iuris communis. 6.

Aloiſi Riccij *opinio reijcitur.* 7.

Quid autem circa Canonicos ſupernumerarios ſeruetur, & qui ita dicantur? 8.

Hac ætate minores non niſi Pontificia diſpenſatione poſſunt eſſe Canonici. 9.

Diſpenſatio ad obtinendum Canonicatũ in Cathedrali ei tantùm prodeſt, cui duo anni ſolummodò ad legitimam ætatem deficiũt. 10.

Minor diſpēſatus ad Canonicatum poterit illũ obtinere, ſed non habere ſedem in Capitulo, ſuffragiũ ferre, aut delegatus deputari. 11.

Diſpenſatus vt nõ teneatur intra annum promoueri, etiam quoad reliquos effectus diſpenſatus cenſebitur, & ideò ſedem habebit, & vocem in Capitulo, integras diſtributiones lucrabitur, etſi Eccleſiæ conſuetudo id admiſerit, etiam optabit. 12.

QVÆSTIO II.

De requiſito annorum numero ad Canonicatum in Eccleſia Cathedrali.

1 DVplex tempus hac in re conſtituere oportebit, vt dilucidè procedamus, tempus videlicet ante Tridentinam Synodum, & tempus poſt eiuſdem Synodi promulgationē. Priori enim, quia nulla de iure communi certa & determinata ætas ad Canonicatum in Eccleſia Cathedrali obtinendum præfinita agnoſcebatur, vt ferè omnes infrà referendi obteſtātur, exorta fuit magna diſſenſio apud Interpretes, circa ipſius deſignationem. Nōnullis enim placebat ætatem ſeptem annorum ſufficere, autoritate Bonifacij Octaui ſubnixi *in cap. ex eo 32. de elect. lib. 6.* vbi Canonicus ad ſuffragium in Epiſcopi electione præſtandum non fuit admiſſus, quia in pupillari ætate erat conſtitutus, & huius ſententiæ præcipui defenſores ſunt Gloſſa *in dict. cap. ex eo, verbo in tua, & in cap. ſtatutum verbo Canonici, de reſcriptis eodem lib. 6.* Francus *in cap. ſi eo tempore eodem titulo & libro*, vbi hanc eſſe communem ſententiam affirmat Guilielm. Mainerius *in l. 2. verſic. Item impuberes num. 9. & 12. ff. de regulis iuris*, Beroius *conſil. 5. num. 3. & 24. tom. 1.* Mandoſ. *in regul. 18. Cancellar. quæſt. 1. & de ætate minor. c. 4. num.* 14. Ojeda, Flamin. Pariſius, Nauar. & alij relati à Nicol. Garſia *de beneficijs 7. part. num.* 16. idem docet Moneta *de conſeruat. cap. 5. n.* 158. Aloyſ. Riccius *in praxi rerum quotidianar. reſolut.* 120. *num.* 1. & ita reſolutum fuiſſe à Rota teſtatur *deciſ. 1. titulo de ætate & qualitat. in antiquis.*

2 Alij enim, quibus hęc opinio maximè diſplicet, de iure communi tenent quatuordecimum annum completum neceſſariam clerici ætatem eſſe, vt poſſit in Cathedrali Eccleſia ad Canonicatum promoueri. Hi ſunt Abbas *in cap ſuper inordinata num. 4. de præbend.* & ante eum Archidiaconus *in cap. ſi eo tempore de reſcript. in 6. & in dict. cap. ex eo*, Corraſius *de beneficijs 3. part. cap. 3. num.* 2. Guilielm. Benedict. *in repetit. cap. Raimunt. verſic. Adiectæ impuberi num. 6. de teſtament.* Quintilian. Mandoſ. *in dict. reg.* 18. vbi latiſſimè, & ſecundum hanc ſententiam cenſuit Rota *deciſ.* 324. incipit *ſuppoſita*, in nouis, amplectitur Staphileus *de liter. gratiæ folio 36. num.* 19. Gomeſius *de gratia ſpectan. n. 86. pag.* 308. Quintanadueñas *Eccleſiaſt. lib.* 1. *num.* 11. Rebuffus *in praxi cap. de diſpenſat. ſuper defectu ætatis num.* 2. & plurimi, quorum meminit Garſia *vbi ſuprà num.* 17. qui omnes ex eo in hanc ſententiam mouentur, quòd eiuſmodi Canonici ſolent Epiſcopos ſuo conſilio, prudentia, & opera iuuare, & hæc omnia ferè ſemper hac ætate adſunt. Deinde, quia eadem ipſa ætas ad id *regula 18. Cancellariæ* exigitur, quam iuri conformem appellat Quintilian. Mandoſ. *ibidem q. 2. num.* 1. Nec obſtare affirmant deciſionem *dict. cap. ex eo* 32. qua ſolummodò contraria ſententia fulcitur, quia in eius ſpecie minorem cum diſpenſatione Canonicatum fuiſſe adeptum credendum eſt: & hanc opinionem iure communi attēto veriorem arbitror, maxime ſtante *deciſione cap. indecorum 3. de ætate & qualitate, & ordin. præfic.* vbi ita ſcribitur: *Mandamus, quatenus nemini intra annum quartumdecimum conſtituto perſonatum cuiuslibet Eccleſiæ concedere præſumatis, &c.*

Hodie tamen, vt de ſecundo tempore ſer- 3
monem inſtituamus, ex ſacri Concilij Tridentini decreto *ſeſſ. 24. de reformat. cap.* 12. requiritur illa ætas, quæ ſatis eſt ad ordinem in Canonicatu requiſitum ſuſcipiendum, aut ſaltim vt eum infra annum recipiat: quapropter ſi requiſitus ordo ſacer eſt Subdiaconatus, deſiderabitur viceſimusſecundus annus inceptus, ſi Diaconatus viceſimustertius: ſi verò Presbyterij, viceſimusquintus item, ex ſententia Azorij *2. part. lib. 6. cap. 5. quæſt.* 3. Emanuelis Sà *verbo beneficium num.* 31. Cerolę *in praxi 1. part. verbo beneficia, §. 1. verſic. Ad dignitates*, Barboſæ *lib. 1. iur. Eccleſ. cap. 21. n.* 53. quam multorum teſtimonijs probat Garſia *dict. cap. num.* 22. Leſius, & alij relati à Filiucio *de ſtatu Clericorum*
tractat. 41. cap. 5. num. 28. & Acunha *in cap.* 4
nemo 2. num. 1. 78. diſtinct. qui alios recenſet immeritô contrarium ſentientes. Quæ vtique Concilij reſolutio adeò vera exiſtit, vt licèt talis Canonicatus annexam habeat Parochialem, poſſit ab eo obtineri, qui ætatem ſolummodò ad ordinem Canonicatui adiunctam ſuſcipiendum explenit, licèt 25. annum, qui regulariter ad Parochialem deſideratur, non attigerit. Nam vt declarauit Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium, hoc in caſu attendendus eſt ordo, quem requirit ipſa Dignitas, vel Canonicatus ex ſui natura, non autem ætas, quam requireret Parochialis dicto Canonicatui adiuncta. Ita pluribus comprobat Riccius *in praxi deciſio. deciſ. 735. num. 2. & ſequent.* iuxta quam ſententiam debet intelligi quod inquit Anaſtaſius Germonius *de indultis Cardinal. §.*

qui-

quibuſvis num.3.fol.mihi 120. Canonicatum Parochialem annexam habentem ante vigeſimumquintum annum inceptum obtineri non poſſe.

5 Si verò aliqua in Eccleſia, vbi nec ante Concilium, nec poſt ipſius celebrationem facta fuit ſacrorum ordinum diſtributio, aut ſtatutum, quis ſacer ordo vnicuique Canonicatui annexus eſſe debeat, aliquis eligi in Canonicatum optauerit, vigeſimumſecundum ſuæ ætatis annum attingere debebit; aut ſaltim ea ætate eſſe, vt infra annum Subdiaconus poſſit creari, quia ex Concilij decreto etiam huius Eccleſiæ Canonicatus ad minus connexum habebunt Subdiaconatum. Placuit enim ipſi omnes Cathedralis Eccleſię Canonicatus annexum habere ſacrum ordinem in genere, aliter atque de iure communi obſeruatur, Rota apud Farinacium *deciſ.* 421. *num* 4. *tom.*1. *nouiſſimarum*, reſeruata Epiſcopo diſtributione, vt cum conſilio Capituli deſignet, prout viderit expedire, quibus quiſque ordo annexus in poſterum eſſe debeat: Ita Leſius *de iuſt. lib.*2. *cap.*34. *num.* 106. Ojeda *de incompatibilit. benefic. cap.*24. *num.*16. Maiolus *de irregular. lib.*1. *cap.*8. *num.* 11. *&* *cap.*30. *num.* 11. *&* 12. Quintanadueñas *dict. num.* 11. Azor *inſtitut. moral.* 2. *part. lib.*6. *cap.*5. *verſic. Verum quidquid in fine*, Tuſchus *practic. concluſ. iur. litera C. concluſ.*34. *num.*2. Garſia *dict. cap.*4. *num.* 28. cenſuit Rota apud Seraphinum *deciſione* 1138. *num.*1. & ita pluries declaraſſe ſacrā Congregationem Eminentiſſimorum Cardinal. refert, idem Garſia *num.*29. 30. 31. *&* 32. nouiſſimè Viuianus *in praxi iuris patronatus lib.*1. *cap.*1. *num.*188. & Rodericus Acunha *in cap. nullus* 1. *num.*5. *diſtinct.*6. vbi pro eadem ſententia refert P. Molinam *de iuſtit. tractat.*2. *diſput.*573. *in principio*, Vegam *in ſumma* 1. *part. capit.*96. Alcedus *de præcell. Epiſcop. cap.*9. *num.*35.

6 Quod vtique in Canonicatibus illarum Cathedralium Eccleſiarum accipiēdum vellem, quarum in locis Tridentina Synodus fuit admiſſa, & vſu recepta: in cæteris verò, niſi peculiari quadam ipſarum ordinatione, aut ſtatuto ſacer ordo deſideretur, ius commune ſeruandum erit, aut potiùs illa opinio ſectanda, quam ſuprà magis ei conuenire prædiximus, vt indicare videtur Ioan. Petr. Moneta *de conſeruat. cap.*5. *dict. num.*158. *ad calcem*, & clariùs *num.*159. licèt ibi ſeptem annos ſufficere ad Canonicatum in dictis Eccleſijs aſſequendum obteſtetur.

7 Vnde notandus venit Ioan. Aloyſius Riccius *in praxi rerum quotidianar. dict. reſolut.* 120. *num.*2. vbi nulla adhibita diſtinctione, aſſerit, de iure nouiſſimo Concilij Tridentini maiorem quartodecimo anno Canonicatum in Eccleſia Cathedrali obtinere poſſe, eiuſdem Concilij autoritate deceptus *ſeſſ.*23. *de reformat. cap.*6. quā generaliter decernitur, nullum prima tonſura initiatum, aut etiam in minoribus ordinibus cōſtitutum ante decimumquartum annum beneficium obtinere poſſe: vbi Concilium non de Canonicatibus Cathedralis Eccleſiæ loquitur, vt ex eo apparet, quòd de illis agens infra *ſeſſ.*24. *cap.* 12. maiorem ætatem ad ipſorum conſecutionem requirit, vt ipſemet Riccius prædixerat *in praxi variar. reſolutio. reſolut.*239. *num.*1. & fatetur Auguſt. Barboſa *tractat. de Canonic. cap.*13. *num.*9. *&* *ſequenti*, vbi & *num.* 13. etiam in illis Canonicis ſupernumerarijs procedere ſubiungit, qui in aliquibus Eccleſijs ex priuilegio Apoſtolico ſolùm participant de diſtributionibus quotidianis, & nullam obtinent præbendam, ſed ad primò vacaturam iuxta eorum prouiſionem admittuntur. Nam vt ſancta Congregatio in vna Venafren. ſub die 13. Martij 1603. reſoluit; licèt tempore receptionis dicti Canonici poſſint admitti in anno 14. adueniente tamen tempore præbendę debent eſſe in ætate integra, de qua ſupra. 8

9 Sub hæc autem, vt finem reſpiciamus, admonendum duxi, adeò dictam ætatem ſaltim duo & viginti annorum in Canonicatibus Cathedralis Eccleſiæ deſiderari, vt niſi Apoſtolica diſpenſatione ea minores ad dictos Canonicatus admitti non poſſint. Ita Quintanadueñas *Eccleſ. dict. lib.* 1. *num.* 11. vbi & notanter ſubijcit huiuſmodi remiſſionem, ſiue diſpenſationem non ſolere liberè concedi, ſed duorum tantùm annorum, facit *deciſio* Rotæ apud Seraphinum 1138. *num.*1. cuius diſpenſationis effectum ſolummodò ad Canonicatus adeptionem produci, non verò ad illud, vt talis diſpenſatus ſedem habeat, vel ſuffragium ferat in Capitulo, aut iudex delegatus fieri poſſet, putat *Rebuffus in praxi*, vbi de diſpenſatione ad plura beneficia *num.* 78. & Maiolus *de irregularitate dict. lib.*1. *c.* 30. *num.*12. *in fine*. Secùs atque cùm Canonicus fuit diſpenſatus, vt non teneretur intra annum promoueri. Nam tunc adeò quoad effectus omnes promotus iudicabitur, vt integras diſtributiones lucrari, vocem habere in Capitulo, & optare, ſi conſuetudo Eccleſiæ id patiatur, licitè poſſit, vt in terminis docet Paul. Borgaſ. *de irregularitat. titulo de interpretat. diſpenſationis num.*25. *folio mihi* 34. & Moneta *tractatu de diſtribution. dict.* 2. *part. quæſt.*19. *num.*23. 10 11 12

SVMMARIVM.

NVllam de iure communi fuiſſe ætatem præſcriptam ad perſonatum & dignitates voluit Innocentius 1.

Innocentius Pater Legum,& Veritatis Organum *vocatur*.2.

Certius eſt de iure communi vigeſimumquintũ annum inceptum ad dignitates & perſonatus requiri.3.

Ad Reipublicæ honores vigeſimuſquintus annus expoſcitur.4.

Quod de vno prohibetur, de alio conceditur.5.

Textus in cap. indecorum.3. de ætate & qualit. explicatur.6.

Perſonatus,& beneficia habentia curam animarum, eodem iure cenſentur.7.

De iure communi ætas requiſita ad perſonatus incboata ſufficit.7.

Ex noua Concilij Tridentini diſpoſitione quilibet poteſt ad dignitates & perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, poſt vigeſimumſecundum ætatis ſuæ annumpromoueri.8.

Eadem ætas poſt Concilium ad dignitates regulares, quæ ſine cura ſunt, ſufficiens babetur. ibidem.

Vigeſimusſecundus annus ætatis, qui ad dignitates à Sancto Concilio deſideratur, completus eſſe debet.9.

Epiſcopus diſpenſare nequit circa ætatem à Concilio præſcriptam.10.& 13. *Secùs de iure communi. ibi.*

Diſpoſitio Concilij, etiam in dignitatibus Eccleſiæ Collegiatæ procedit.11.

Prima dignitas, ſeu principalis Collegiatæ Eccleſiæ, etiam poſt Concilium, niſi habenti quintum & vigeſimum annum conferri nequit.12.

QVÆSTIO III.

Dignitates, & perſonatus Eccleſiarum ſæcularium, quibus animarum nulla cura ſubeſt, cuius ætatis Clericis conferri debeant?

1 INnocentij ſententia fuit teſte Abbate *in cap. præterea, de ætate & qualitate ordine præficiendo.* cuius meminit Azorius *inſtitut. moral. 2. part. lib.6. cap.5. verſic. Tertiò quæritur*, ad perſonatus & dignitates nullam eſſe certam ætatem iure communi decretam, ideoque ſufficere annum decimumquartum inceptũ. Sed decipitur profectò prædictus Autor alioquin doctiſſimus, & quem legum Patrem, veritatiſque organum meritò appellat Iacob. Laurentius *tract. de iudice ſuſpecto cap.5. num.27.* nam 2
vt rectiùs arbitrantur Archidiaconus, Ioan. Andreas, Ancharranus, Geminianus, Francus *in cap.1. de ætate & qualitat. in 6.* Panormitan. & Azorius *locis citatis*, Garſia pluribus adductis *de beneficijs part.7. cap.4. num. 54. & 64.* Petr. Gregorius *titulo de electione cap.11. num.3.* Filiucius *de ſtatu Clericorum tractat.41. cap.5. num.30.* vigeſimuſquintus 3
annus inchoatus ad dignitates depoſcitur, quorum opinio licèt ſatis roborari videatur argumento *dict. cap.1.* vbi permittitur Epiſcopo cum maiori tantùm viginti annorum diſpenſare ad eas conſequendas, & *cap. innouamus 60. diſtinct.* quidquid illis fruſtrà conetur reſpondere Innocentius, expreſſius tamen, & ſine vlla tergiuerſatione ſuaderi videtur ex Alexandri III. reſponſo reddito in Concilio Lateranenſi, & relato *in cap. cum in cunctis 7. §. inferiora, de electione*, vbi diſtrictiſſimè prohibetur, vt nemò antequam vigeſimumquintum annum attingat ad dignitates, vtputa Decanatus, & Archidiaconatus admittatur. Nec refragatur quod, veluti ex verbis *dicti §. inferiora*, deprehenditur, illius deciſio de dignitatibus ſolummodò loquitur, quibus animarum cura ſubeſt: nam reſpondetur Alexandrum *ibidem* non agere ſolum de dignitatibus curam habẽtibus animarum, ſed generaliter de dignitatibus, & ſimul de quibuſcumque beneficijs curatis. Eo nimirum, quia, vt omnium idem iudicium eſt *text. in cap. dudum 54. paulò ante finem, de electione*, & vna eademque ætas eſſe debet, quocirca tam ad prædicta beneficia, quàm ad dignitates quaſcumque vigeſimumquintum annum inceptum exoptat, & meritò quidem 4
quoad dignitates, de quibus noſter ſermo, ſiquidem vt optimè expendit Panormitanus *vbi ſuprà num.5.* ſi ad Reipublicæ ſæculares honores, & dignitates, quinti & viceſimi anni ætas præſcribitur, *l. ad rempublicam. 8. ff. de muner. & honor. cũ ſimilibus*, alibi à nobis adducendis, quid ni fortius Eccleſiaſticis dignitatibus, quæ & honores iuſtiori ratione cognominantur, *dict. cap. innouamus 3. 60. diſtinct.* ipſemet annorum numerus neceſſarius erit?

Quibus non repugnat textus in *cap. indecorum 3. de ætate & qualitate*, vbi inhibendo 5
Alexander II. vt infra annum quartumdecimum conſtituto perſonatus cuiuslibet Eccleſiæ conferatur, videtur permittere, quòd poſt

poſt decimumquartum annum poſſit concedi, quia quod de vno prohibetur, de alio conceditur, *c. qualis 25. diſtinct.* vt ex hoc textu ita probant Cerola *in praxi verbo Canonia, verſic. Ad ſextum, & verſic. Ad nonum,* Moneta *de diſtribut. 2 part. quæſt. 19. num. 16.* & *de commutat. vltimarum voluntat. cap. 10.*
6 *num. 115.* Quia reſpondetur cum Gloſſa *ibidem, verbo intra decimumquartum,* cui poſtmodum acceſſerunt Riminaldus Iun. *in l. 1. num. 187. de officio eius,* & Andr. Fachineus *controuerſ. lib. 13. cap. 3. verſic. Quartum mouet Decius,* non poſſe illud inferri à contrario ſenſu in prædicta ſpecie, ſiquidem inde ſequeretur correctio iuris communis, quoad perſonatus & dignitates cuiuſcumque Eccleſiæ, requiritur ætas viginti & quinque annorum, vt ex *dict. cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora* nuper oſtendimus, & in expreſſo ea ratione concludit Maiolus *de irregular. lib. 1.*
7 *cap. 30. num. 11.* Quia perſonatus & beneficia habẽtia curam animarum pari paſſu ambulant, *dict. c. dudum*: Parochialis verò, aut quodlibet beneficium, cui ſubeſt animarum cura, non datur niſi habenti vigintiquinque annos, vt ſuo loco patebit: ergo idem in perſonatibus obſeruandum erit, & vt de dignitatibus reſoluimus, non niſi attingentibus quintum & viceſimum annum conferendi erunt: ſufficit enim de iure communi prædictam ætatem inceptam eſſe, vt profert Hoſtienſis *in ſumma titulo de ætate & qualitate, §. ætas num. 1. in principio,* vbi inquit, quòd ætas requiſita ad dignitates inferiores reſpectu Epiſcopi ſufficit quòd attingatur.

8 Sed quidquid de iure communi obtineat, hodie ex nouiori ſacri Tridentini Concilij decreto *ſeſſ. 24. cap. 12.* nemo ad perſonatus & dignitates quaſcumque, quibus animarum nulla cura ſubeſt, promoueri poterit, niſi qui ſaltem vigeſimumſecundum ſuæ ætatis annum egerit. In quo à iure communi Tridentinam Synodum diſcordare affirmat Garſia *dict. cap. 4. num. 56.* & probare videntur Azorius *dict. lib. 6. cap. 5. quæſt. 3. verſic. Cæterum,* P. Leonardus Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 34. dubitatio. 20. num. 108.* Marcilla *in declarat. Concilij lib. 2. tit. 8. cap. 11. verſic. Archidiaconi,* Moneta *de commutat. vltim. voluntat. cap. 10. num. 115.* P. Gabriel Vazquez *tractat. de beneficijs cap. 3. §. 2. num. 15.* vbi eandem ætatem, etiam ad dignitates regulares, quibus nulla animarum cura ſubeſt, deſiderari affirmat, Filiucius *dict. cap. 5. num. 30.* Maſobrius *in ſua praxi habendi concurſum requiſito 10. dubitat. 11. num. 24.* Nouarius *in ſingul. Canonic. concluſ. 15.* Squillant. *de priuileg. Clericor. cap. 4. num. 72.* Auguſtin. Barboſa plurimos referens *de officio & poteſtat. Epiſcopi part. 3. allegat. 60. num. 65. & lib. 1. iuris Eccleſiaſtici cap. 21. num. 50. & tractatu de Canonic. cap. 13. num. 22.*
qui omnes (vno Azorio excepto) notant hos 9
viginti duos annos, de quibus mentio fit à Concilio, debere eſſe completos, nec ſufficere quòd cœpti ſint, & ita bis declaraſſe Cardinales ſacri Cõcilij Tridentini veridici Interpretes obteſtatur Garſia *vbi proximè n. 70.* & ſuaderi inquit Leſſius *dict. cap. 34. n. 108.* cui cæteri poſteà ſubſcripſerunt ex illa loquendi forma Concilij *viginti duobus annis non minores,* quàm opinionem etiam probant Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. c. 5. num. 10.* P. Molina *de iuſtit. lib. 2. diſput. 573. circa principium,* Vega *in ſumma part. 1. cap. 96. caſu vnico,* Auguſt. Barboſa *in remiſſion. ad dictum caput Concilij, verbo & 22. annis non minores,* & *dict. tractat. de Canonicis cap. 13. num. 2.* vbi refert Enriquez *lib. 14. cap. 8. §. 10. in fine,* Emanuel Sà *verbo beneficium num. 31.* & Cerolam *in praxi part. 1. verbo beneficia, §. 1. verſic. Ad dignitates,* contrarium tenentes, in qua ætate Epiſco-
pus diſpenſare non poterit, vt ipſi iure com- 10
muni indulgetur, veluti pluribus admonet Garſia *loco allegato num. 57.* Leſſius etiam *vbi ſuprà num. 108.* & Vazquez *dict. loco n. 18.* vbi hoc latè explicat, & Filiucius *d. cap. 5. num. 30.*

Quod vtique Concilij decretum ita ex- 11
plicatum nedum in dignitatibus, & perſonatibus Cathedralis Eccleſiæ locum ſortitur, vt dicti Concilij verba manifeſtè conuincunt, ſed etiam in dignitatibus & perſonatibus Collegiatæ, veluti ſacra Cardinalium Congregatio cenſuit ſuper *dictum cap.* Concilij, his verbis: *Hoc decreto dignitates etiam in Eccleſijs Collegiatis comprehenduntur*: & hãc opinionem veriorem & Concilio cõformem appellat Armendar. *in addit. ad Recopilat. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. de Epiſcop. n. 2.* Nicolaus Garſia *dict. cap. 4. num. 62.* vbi *& num. ſequenti,* reſpondet aliæ declarationi pro contraria ſententia adductæ à Manuele Rodriguez *Quæſtion. Regular. tom. 1. quæſt. 11. art. 2.* & ab alijs, quos citat Barboſa *lib. 1. iuris Eccleſiaſtici cap. 21. num. 51. & tract. de Canonicis cap. 13. num. 23.* vbi *num. 20. & dict. cap. 21. iuris Eccleſiaſtici num. 65.* Hoc 12
limitat in principali dignitate eiuſdem Collegiatæ Eccleſiæ, ad quam ex mente eiuſdem Concilij vigeſimuſquintus annus inceptus requiritur: quia regulariter habet curam animarum in foro exteriori, vel interiori: cui etiam in omnibus conſentit Filiucius *de ſtatu Clericor. dict. tractat. 41. cap. 5. num. 30. & 31.*

13 & 31. Barboſa *vbi ſuprà num.* 48. qui & *n.* 52. addit, quòd licèt olim attenta diſpoſitione *cap. vnic. de ætate & qualitate lib.* 6. poſſet Epiſcopus diſpenſare, vt qui viginti annos compleuerit, obtineret dignitates & perſonatus, quibus cura non imminet animarum: tamen cùm ætas hæc ſit determinata à Concilio Trident. *dict. cap.* 12. ſuper eam iam non poterunt Epiſcopi diſpenſare, ex ſimili doctrina Azoris *inſtitut. moral. part.* 1. *lib.* 6. *cap.* 5. *quæſt.* 9. Nicol. Garſiæ *dict. cap.* 4. *num.* 71. Riccij *in praxi Archiepiſcop. deciſ.* 309. *num.* 9. *part.* 4. Sigiſmund. à Bonon. *de elect. dubio* 62. *num.* 6.

SVMMARIVM.

Patronus impubes poſt ſeptimum annum præſentari poteſt. 1.

De iure communi, nec monialis ante duodecimum annũ, nec Monachus ante quadrageſimum ad electionem admittebatur. 2.

Licèt per præſentationem ſponſalia inter præſentantem & præſentatum contrahi videantur, per electionem non niſi matrimonium contrahitur. 3.

Poſt Concilium Tridentinum Subdiaconus, ac per conſequens duo & viginti annorum Canonicus cuiuſcumque Eccleſiæ eſſe debet, vt vel in minimo negotio vocem habeat in Capitulo 4.

Regulares omnes, niſi poſt emiſſam profeſſionẽ, quæ hodie ſaltim decimoſexto anno ætatis fit, vocem habere nequeunt. 5.

Diſpenſatus in ætate ad Canonicatum, nõ ideò cenſetur etiam in eo diſpenſatus, vt vocem dare poſſit in Capitulo, vel in electionibus ſuffragari. 6.

QVÆSTIO IIII.

Vt Eccleſiaſticæ perſonæ ad electionem admittantur, & ad id vocem habeant in Capitulo?

1 ETſi impubes patronus præſentãdi legitimam perſonam habeat, cùm è ſeptimo anno egreditur, vt ſuprà *anno ſeptimo* ſpeciali capite reſoluimus: eligere tamen, niſi in pubertate conſtitutus nemo poteſt.
2 Inde eſt in moniali, aut alia religioſa fœmina (ante Concilij Tridentini reformationẽ) duodecimum annum cum profeſſione, & in Religioſo, Canonico, vel ſimili Beneficiario decimumquartum ad omnem electionem requiri, *cap. in dignitatibus* 45. *in principio, cap. ex eo* 32. *de elect. lib.* 6. docent expreſſe Archidiaconus *in cap. quadam n.* 3. *diſtinct.* 2. Syluest. *in ſumma verbo ætas num.* 2. *verſic. Septimum*, Martinus Rabault *in floſculis beneficialibus fol.* 41. Cæſar Lambertinus *de iure patronatus lib.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 1. *princ. art.* 5. *num.* 10. Quintilian. Mandoſ. *de ætate minor. cap.* 5. *num.* 54. & *regula* 18. *Cancellariæ quæſt.* 1. *num.* 3. Petr. Gregorius *in titulo de electione cap.* 8. *num.* 1.

Cuius diſcriminis eam vtique velut rationem formalem aſſignat Cæſar Lambertinus 3
de iure patronatus vbi ſuprà, & latiùs 2. *q. principal. artic.* 9. *à num.* 10. quia per actum præſentationis ſponſalia quodammodò cõtrahuntur inter præſentantem & præſentatum: at verò inter eligentes & electum ſpirituale quoddam matrimonium celebratur, vt Innocentius III. profitetur *in cap. cùm inter Canonicos* 21. *de electione*, his verbis: *Si dictus Præpoſitus eidem electioni conſenſerit, vt per mutuum conſenſum eligentium & electi, quaſi coniugale vinculum ſpecialiter ſit contractum*: ergo rectè ad præſentationem, velut ad ſponſalia ſeptimum annum, & ad electionem, quaſi ad matrimonium duodecimum in fœminis, & in viris quatuordecimum expoſtulat.

Dixi enim hoc ante Concilium Tridenti- 4
num locum obtinuiſſe, nam poſt ipſius diſpoſitionem, vt *ſeſſ.* 22. *de reformat. cap.* 4. continetur, ſaltim Canonici Cathedralis, Collegiatę, aut alterius ſæcularis, vel regularis Eccleſiæ, antequàm in Subdiaconatus ordine ſint conſtituti, ideoque & 22. annum egerint, vocem in Capitulo habere non poſſunt nedum in electionibus, ſed etiam in omnibus actibus expediendis, qui capitulariter expediuntur, vt declarauit ſacra Eminentiſſimorum Cardinaliũ Congregatio hoc loco Concilij, teſte Ioanne Gallemart *ibidem*, & probat Moneta *de diſtribut. part.* 2. *quæſt.* 19. *n.* 17. diximuſque *ſuprà*, & *anno* 14. vbi de Canonicis Cathedralibus & Collegiatis.

Qui quidem locus Concilij, licèt de Mo- 5
naſterijs regularium non loquatur, etſi regularium Eccleſiarum meminerit, eadem Congregatione ita ſentiente: ideò tamen ius cõmune quoad religioſorum perſonas, ſiue ætatẽ hac in parte illibatum permanere ex eodem iure communi credendum non eſt, ſiquidem cùm in monaſterijs, qui vel quæ nõ ſunt tacitè vel expreſsè profeſſæ, electionibus intereſſe non debeant, *dict. cap. ex eo.* 32. §. *fin. de election. lib.* 6. & profiteri ex noua Concilij Tridentini ordinatione *ſeſſ.* 25. *de regular.*

*lar.cap.*15. inquacumque religione tam virorum, quàm fœminarum nulla valeat perſona ante decimumſextum ætatis annum expletum, planè cōuincitur ius commune etiã quoad regulares ex Cõcilio eſſe abrogatum, etſi non ex illo *cap.ex hoc.*

6 Quæ ex Concilio præſcripta ætas adeò in Canonicis quarumcumque Eccleſiarum ad eligendum neceſſariò requiritur, vt quamuis Apoſtolica diſpenſatione impetrata aliquis ante debitum tempus fuerit in Canonicum receptus, virtute tamen prædictæ diſpenſationis vocem in Capitulo dare, aut in electionibus ſuffragari nonpoterit, vt ex Rebuffo *in praxi benefic.* vbi *de diſpenſat. ad plura benefic.num.*58. & Maiolo *de irregular. lib.*1.*c.*30.*n.*12.*in fin.* reſoluimus ſupra *hoc eodem anno*, & expreſſe probari videtur ex *d. cap.ex eo* 32. iuncta explicatione communi, quæ tenet impuberem in illius ſpecie beneficio Pontificiæ diſpenſationis fuiſſe Canonicum: qui tamen ideò ad electiones, cæteroſque capitulares actus non vocabatur, abſque metu nullitatis ob ipſius contemptum.

ANNVS VIGESIMVSTERTIVS.

SVMMARIVM.

De iure communi ætas viginti & quinque annorum ad Diaconatum requirebatur. 1.

Partitarum noſtrum ius, non minorem ætatem viginti & ſex annorũ ex Concilio generali Viennenſi requirit. 2. *Deinde potuit Diaconatus vigeſimum annum habẽti conferri.* 3.

Nunc verò ex Tridentini decreto nullus ante vigeſimumtertium ætatis annum inceptum poteſt Diaconus ordinari. 4. & 5.

Incboata quando hæc ætas dicatur? 5.

QVÆSTIO VNICA.

Quæ ſit requiſita ætas ad Diaconatum.

1 IVre veteri nemo ante vigeſimum quintum ętatis annum Diaconus poterat initiari, veluti ex Concilijs Toletano, Carthaginenſi, & Agathenſi probatur in *cap.dè his* 5. 28. *diſtinct. cap. placuit* 5. *cap. Epiſcopus* 6. 77. *diſtinct.* idemque affirmat *text.in cap. nemo* 2. 78. *diſtinct.* qui deſumptus fuit ex *authent.de ſancti Epiſcop.§.Presbyterum,* & teſtantur Bucardus *decretorum lib.*2.*cap.*9. Ioan. Nicol. *in Enchirid. Sacerdotum tit.*3.*de pluralitate beneficior.num.*2. & 3. Gutierrez *Canonic. lib.*1. *cap.*26.*num.*3. Auguſt. Barboſa *tractat.iuris Eccleſiaſtici cap.*33.*n.*88. à quo non multum diſtare videtur ius noſtrũ patrium expreſſum *in l.*27.*tit.*6.*part.*1. his verbis: *E quando fuere de edad de veinte è ſeis años, puede recibir orden de Diacono.* 2

Poſteà verò ex Concilio Generali Viennenſi Diaconatus conferebatur his qui vigeſimum annum attingebant, *Clement. Generalem de ætate & qualitate, & ordin.præfic.* ex qua ita retulerunt Maiol. *de irregular.lib.*1. *c.*30.*num.*8. Menoch. *de arbitrar. caſu* 427. *num.*15. & ferè omnes infrà enumerandi. 3

Verùm cùm adoleſcentium mens minus ſibi conſtet, vt Maioli verba vſurpem *dicto num.*8. & proinde graui vinculo adſtringantur, Diaconatus, ne tam grandi periculo ſubijceretur, qui vix primum adoleſcentiæ initium pertigiſſet, Concilium Tridentinum ſumma conſideratione huic rei prouidet, & Diaconatum non niſi exiſtenti in vigeſimotertio anno ſaltim incepto permiſit *ſeſſ.*23. *cap.*12.*de reformatione*, cuius ſententiam proferunt & confirmant Reginaldus *in praxi fori pœnitent.lib.*30.*tractatu* 3.*numero* 166. Emanuel Rodriguez *Quæſtion. Regular.tom.* 3.*quæſt.*23. *art.*6. Gutierrez *dict.lib.*1.*cap.* 26.*num.*5. & 8. Henriquez *in ſumma lib.*10. 4

cap.

*cap.*19.§.2.Cerola *in praxi Epiſcopali part.* 1. *verbo ordo,* §.1.Quarant. *in ſumma Bullar.verbo ordo,verſic.Colligitur,* Ægid.Koninch *de Sacrament.tom.*2.*diſputat.*20.*num.* 102.Vgolin. *de offic. & poteſt.Epiſcop.cap.* 26.§.6.*num.*4.& 5.Garſia *de benefic. part.* 7. *cap.*4. *num.*210. Filiucius *de ſtatu Clericor.tractat.*41.*cap.*5.*num.*28. Piaſecius *in praxi Epiſcopal.part.*1.*cap.*1.*num.*23. Petrus de Bollo *in Oeconomia Sacra claſſe* ...*c.* 2.§.1.*ad medium,*Moneta *de diſtribution.* 2. *part.quæſt.*19.*num.*12.*& de commutat. vltim.voluntat. cap.*10.*num.*187. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi part.*2.*allegat.*16.*n.*1. & plures allegans *in collectaneis ad Clement.in dict.Clement.generalem num.*3.*& dict. lib.* 1.*iuris Eccleſiaſtici cap.*33.*n.*88. Viuianus *in praxi iuris patronat.tit.*1.*cap.*1.*numero* 187. nouiſſimè Rodericus Acunha *in dict. cap.Subdiaconus num.*1. Antonin.Diana *reſolut.moral.*2.*part. tractat.*2. *Miſcellan.reſolut.*29.*in principio.* Qui omnes & inſuper notant dictum tertium & vigeſimum annum ad Diaconatus ordinem ſuſcipiendum ex præſcripto Tridentinæ Synodi, etiam Monachis neceſſarium inceptum ſufficere, vt etiam *anno ſuperiori* de Subdiaconatu diſputantes latius adſtruximus *quæſt.*1. vbi & *num.*10. aduerſus communem Interpretum exiſtimationem duce Roderico Acunha *loco proximè adducto num.*2.defendimus,tunc inchoatum dictum annum vigeſimumſecundum quoad præſentem inſpectionem dici, cûm eiuſdem anni prima hora fuerit elapſa: & tandem *numeris ſequentibus* alia notauimus præſenti diſquiſitioni maximè concernentia,quæ cùm requiſitis ætatibus ad omnes ſacros ordines communia ſint, ſat vobis probatum iri arbitramur, quòd vno tantùm loco illa ſcripſerimus, & à cæteris, quibus conducere videbātur,ad eum lectorem remiſerimus,necnon & ad quæſtionē de ætate ad Presbyteratum neceſſaria, quam *infra anno* 25.diſputabimus.

ANNVS VIGESIMVSQVINTVS.

SVMMARIVM.

*OMne quod eſt ortum, accretionem, ſtatum, & decretionem habet.*1.

*Ætas ſtatus quando incipiat & finiatur?*2.

Pueros vſque ad annos quinque, nec cogendos perferre labores, nec diſciplinæ eſſe tradendos, inquit Ariſtoteles. 3.

Homo vſque ad annos terdecim ſecundum Ali Abbas *in longum creſcit, aut ſecūdum* Plinium, *poſt annos ter ſeptenos: deinceps verò ad plenitudinem augetur.* 4.

Opinionem eorum, qui aſſerunt homines ad annum primum & vigeſimum creſcere, Eccleſia comprobauit.ibidem.

Quintum & viceſimum annum eſſe creſcendi finem, vt verius traditur. 5. & 10.

Ætas, quot annorum tempus dicatur. 2. *ibidem.*

*L.*1.*verſic. Apparet, ff.de minor. illuſtratur.* 6.

*Quoad reſtitutionis beneficium attinet, & liberationem à curatoris poteſtate, ætas quinque & viginti annorum æquè in fœminis ac in viris ſpectatur.*7.

*Fœminæ poſt ſecundum & viceſimum annum cum dimidio finem creſcendi faciunt, iuxta naturæ regulas.*8.

*Mutatio ætatis in viris fit de ſeptennio in ſeptennium, & in fœminis de ſexennio in ſexennium.*9.

Andr.Laurent. *ætatem ſtatus perperam quadrageſimo anno conſtituit.*11.

*Secundum ius eodem tempore cum viris fœminæ ad ſtatum perueniunt.*12.

*Fœmina licèt reſpectu corporalis proceritatis citiùs quam vir ab infantia egrediatur, & ad ſtatum perueniat, reſpectu iudicij ſecus experitur.*13.

Hippo-

Hippocratis locus de præmatura fœminarum ſapientia explicatur. 14.

Dimidium corporis, quod quis habiturus eſt, primo vitæ quinquennio adeſt.ibid.

Fœminæ citiùs ſapere incipiunt, ſed non niſi ordinario tempore cum viris perfectè ſapiunt.ibid.

Hæc ætas ſtatus alio nomine legitima dicitur. 15.

Legitimæ ætatis non dicitur qui veniam impetrauit.ibid.

Ætas viginti & quinque annorum terminus dicitur iuuenilis facilitatis.ibid.

Refellitur ſententia affirmantium de iure Canonum ætatem legitimam triginta annorum eſſe. 16.

Legitima ætas variè in iure accipitur. 17.

Legitima vt quælibet alia ætas poteſt ſtatuto minui, vel augeri. 18.

Matura ætas quæ dicatur? 19.

Perfecta ætas quæ ſit? 20.

Trigeſimus annus, perfecti viri ætas nominatur, & quare? 21.

Ætas plenitudinis Chriſti, in qua omnes ſumus reſurrecturi, quare perfecta dicatur? 22.

Maior ætas quæ appelletur? 23.

Vſusfructus relictus vſque ad maiorem ætatem, vigeſimoquinto anno elapſo extinguitur. 24.

Maior ætas minori oppoſita ſiue legis ſiue hominis diſpoſitione, viginti & quinque annorum eſt interpretanda.ibid.

Robuſta ætas, quæ ſit? 25.

Conſtans ætas quæ nominetur? 26.

Ætas plena.

Integra.

Iuſta.

Firma.

Impleta.

Et virilis, quæ dicatur? 27.

Pueri & ſenes propriè viri non dicuntur. 28.

Iuuentus, quæ ætas ſit? 29.

QVÆSTIO I.

Ætas plena, integra, perfecta, robuſta, firma, impleta, iuſta, virilis, conſtans, matura, legitima, maior iuuentus, viridis iuuenta, ſeu quæ vocatur in libris noſtris ætas ſtatus, quot annorum dicatur?

D. Didac. de Narbona.

Cvm ſit neceſſe ex doctrina Philoſophi, omne quod eſt ortum, accretionem, ſtatum, & decretionem habere, dubium non eſt, homines etiam hac generali definitione comprehendi, maximè cùm id expreſſe Galenus aſſerat *libro de morborum temporibus, capit.* 1. ac per conſequens vt quemadmodum cætera à natura ipſa, aut productione, vel generatione prouenientia, poſt cretionem ad ſtatum perducuntur, ſiue ad illud tempus, quo animal neque augeſcat, neque decreſcat: ita & illorum rationalis natura abſoluto creſcendi ſpatio ſtatum ingrediatur opus eſt: quo ſenſu cuiuſdam patris teſtamento cautum eſſe, vt filio cùm ad ſtatum ſuum perueniſſet, ſolueretur, Papinianus memorat *in l. cùm pater* 77. *§. curatoris, ff. de legat.* 2. & promiſſionem ſtatum capere dicit Iabolenus *in l. à Titio* 108. *§. fin. de verborum obligat.* 1

Hoc enim perſpicuum eſt, difficultas verò in deſignando numero annorum verſatur, quo ſtatus huiuſmodi ætas incipit, & abſoluitur. Et quidem huius dubij reſolutio illius difficillimæ quæſtionis exagitationem expoſtulat, videlicet, quo tempore homines ita ad ſummum excreſcant, vt amplius creſcendi ſpe deſtituantur? Nam cùm ſtatus naturalis augmenti termino ſit immediatè conſequens, quare à nonnullis media quies appellatur, inter contrarios illos motus augmentationis, & diminutionis, finis creſcendi neceſſariò principium erit ſtatus. 2

Ergo vt quæſtionem exordiamur, à Philoſophis eius definitio petenda erit; & quia inter ipſos hac de re ſumma diſſenſio eſt, aliquorum ſententias in medium proferam, vt illis vndequaque ſedulò perſpectis, vtra earum ſit verior, & ſequenda, omnibus commodiùs appareat. Et in primis eorum Princeps Ariſtoteles 7. *libro Politic. capit.* 17. inſinuare videtur, pueros ad quintum annum dumtaxat creſcere. Nam ex quo præcipit, illos vſque ad annos quinque alicui diſciplinę tradendos non eſſe, nec cogendos perferre labores, ne impediatur accretio, fateri videtur, eo termino elapſo augmentum deficere. 3

Cæterum Hali Abbas 4. *Theoricæ capit.* 3. in ea fuit opinione, vt exiſtimaret Ariſtotelis illam fuiſſe mentem *in Problematibus*, quòd homo vſque ad annos terdecim augmentum patiebatur, à quibus meritò 4

diſſentiens Plinius *lib.*11. *naturalis hiſtoriæ*, *capit.*37. *circa finem*, hominem creſcere, inquit, in longitudinem ad annos vſque ter ſeptenos; tum deinde ad plenitudinem. Et Macrobius *libro* 1. *in ſomno Scipionis*, *capit.* 6. Similiter ait, poſt tres ſeptenos annos, genas flore veſtit iuuenta, idemque annus finem creſcendi in longum facit. Cui opinioni, quaſi veriſſimæ vniuerſalem Eccleſiam acceſſiſſe, illamque quoad ieiunij præceptum fuiſſe ſecutam, indubitanter teneo, & probant ex noſtris ferè omnes, qui aſſerunt, pueros ad annum vſque primum & vigeſimum, à ieiunij obligatione exiſtere immunes, ne alimenti defectu illorum accreſcio intercipiatur, quorum plurimos ipſomet loco retulimus: de opinione verò quæ à iuris ciuilis profeſſoribus, verior exiſtimatur, noſtra diſceptatio eſt.

5 Alij ergo, nec inferioris notæ Scriptores vigeſimumquintum annum creſcendi metam præfingunt; hos recenſet Ioann. Alfonſus à Ruicibus *in medicina medicorum incipientium luminari* 2. Quorum ſententiam probare mihi expreſſe videtur Auicenna *Fen.* 1. *lib.*1. *doctrina* 3. *capit.*5. dum ſentit ætatem, in qua ſtat, nec augetur animal, eſſe iuuentutem. Camillus Baldus *in phyſiognomica Ariſtotelis* 2.*part.* *capit.* 7. *verſicul.* *Manus longæ & graciles*, *folio mihi* 70. cui accedit eius Interpres Petrus Garſia *ibidem*, *diſputat.* 17. *capit.*5. Nam cùm explorati ſit iuris, vt inferiùs apparebit, iuuentutem anno vigeſimoquinto initium ſortiri, ſtatus ætatem, ipſa iuuentute deſignans, illorum ſententiæ proculdubio fauere videtur, aduerſus cuius opinionis aſſertores pluribus accerſitis ſuffragijs nouiter inſurgit Pat. Franciſcus de Mendoça *lib.*4.*viridarij*,*problem.*14. *per totum.*

6 In qua quidem opinionum conflictatione ciuilis Philoſophiæ parentes poſtremam Auicennæ, & reliquorum ſententiam fuiſſe quaſi certiorem amplexatos, plurima legum, ipſorumque Interpretum teſtimonia demonſtrant, quorum prout nunc illud Vlpiani memoraſſe ſufficiat *in l.* 1. *verſicul.* *Apparet*, *ff. de minoribus*, cætera verò poſt modum in principalis quæſtionis reſolutione fideliter dabo. Sed vt ad Vlpianum reuertamur, his verbis ſupradictam opinionem Prudentibus communiter placuiſſe refert, *Apparet*, inquit, *minoribus annis viginti quinque, eum opem polliceri. Nam poſt hoc tempus compleri virilem vigorem conſtat.* Nequaquã enim completus virilis vigor poſt quintum & viceſimum annum cenſeri poterat, niſi in eo, cuius adeò augmentatum corpus cernitur, vt vlterius creſcendo progredi impoſſibile eſſet, alioqui quis non videt, vigorem virilẽ completũ dici haud poſſe? Sic enim *d.* *l.* interpretantur iuris noſtri Scriptores, ex eaque veluti certum illud axioma profeƈrunt, ſcilicet, homines ad annum vſque quintum & viceſimum creſcere. Ita Iacobus Cuiacius *in commentar. ad titulum de minorib. in dict.* *l.*1. *& lib.*8. *reſponſ. Papini, ad dict. l. cùm pater* 77.§.*curatoris*,*ff.de legat.*2.Sforc.*tractatu de reſtitut.in integrum*,*part.*1.*quæſt.*2. *art.*3.*num.*36. Oſuald.*lib.*21. *Donelli cap.* 7.*litera A.*

Quæ ętas licèt in fœminis etiam quoad reſtitutionem attinet, & curã, abſque ſexus diſcrimine creſcendi meta æſtimetur, vt ex Cuiacio *vbi ſuprà*,& Franciſco Calda *in l.ſi curatorem in definitione*, *verbo Minoribus*, *num.*1.*C.de in integrum reſtitut.* obſeruauit Oſuald.*dicto loco*,*& liter. A.*ex peculiari ratione, quam ipſe ſubijcit. Nilominus, quia illas citiùs quam mares creſcere inter omnes Philoſophos conuenit, vt ipſorum teſtimonijs affatim oſtendi ſupra *anno* 21.*quæſt.* 2. ea ętate, vt vtriuſque ſexus fideles Eccleſiaſtico ieiunio adſtringantur *num.* 11. aſſerendum eſt, breuiori ſpatio quàm viginti & quinque annorum ipſas, veluti termino vltimo augeri: quod etſi nullus, quem viderim, præſcripſerit; attamen naturali ratione ductus exiſtimo id anno vigeſimoſecundo incepto, omnibus fœminis contingere. Nam vt ex Solone Clemens tradit *lib.*6. & refert Cuiacius *ad legem* 5.*ff.qui teſtam. facer.poſſ.* & poſt eum Ioan. Borcolten. *in princip.inſtitut. quibus mod. tutel.fin. numer.*2. mutatio ætatis, quæ in maſculis per ſeptenarium fit, in fœminis verò naturaliter quolibet ſexenario operatur, quod exemplo pubertatis affabrè conuincitur. Nam vir primo ſeptenario impleto ab infantia egreditur. Cui ſi alterum adijcias, pubertatem incipiet, quæ duplici ſeptennio perficitur. At in fœmina, vt vnicum ſexennium infantiles annos abſoluit, vnum & alterum pubertatem conſtituet, cùm hæc in mulieribus duodecimo anno initiũ ſortiatur: ergo pari modo circa pręſentem quęſtionẽ philoſophari oportebit, & definire augmenti terminum, quod viris triplex ſeptennium cum dimidio, & paululum amplius adfert, eodem ſexenniorum numero fœminis contingere, videlicet, anno vigeſimoſecundo iam cœpto, & hoc ſecundum naturæ leges procedit. Nam de iure ciuili aliud

aliud obſeruatur, vt inferiùs apparebit.

10 Ex his ergo facilis reſolutio infertur ſuperioris à nobis initæ quæſtionis. Nam cùm ſtatus, vt initio notaui, ætas ſit, quâ creſcendi potentia ſiſtit, ex iam dictis, anno vigeſimoquinto tranſacto illam præfiniamus oportet. Nec mirum, ita enim expreſſe eam deſignat Alexander Imperator *in l. ex his verbis 5. C. quando dies legat. cedat.* vbi cùm illis verbis à teſtatore fuiſſet legatum relictum *do lego Æliæ Seuerinæ filiæ meæ, & ſecundæ decem, quæ legata accipere decreuis, cum ad legitimum ſtatum peruenerit*, reſpondit Imperator: *Et ideò ſi Ælia Seuerina filia teſtatoris, cui legatum relictum eſt, die legati cedente vita functa eſt, ad hæredem ſuum actionem tranſmittit, ſcilicet, vt eo tempore ſolutio fiat, quo Seuerina, ſi rebus humanis ſubtracta non fuiſſet, viceſimumquintum annum ætatis impleuiſſet*, quomodo accipiendus eſt textus *in d. l. cùm pater 77. §. curatoris, & textus in l. cum de ætate 13. ff. de probation.* & in terminis prædictæ reſolutioni ſubſcribunt Gloſſa *in dict. §. curatoris, verbo ad ſtatum*, Bernab. Briſon. *de verborum ſignification. verbo Statum quoque ætatis*, Cuiacius *vbi proximè. & de diuerſis temporum præſcription. cap. 29.* Hothoman. *comment. verbo Iuris, verſicul. ætatis gradus*, Vbertus Giphanius *in dict. l. his verbis 5.* vbi paſsim omnes Sfortius & Oſualdus *locis ſuprà enarratis*, Auendañ. *de cenſibus cap. 81. num. 5. in fine*, noſter Alphonſ. Perez de Lara *in compend. vitæ hominis, cap. 22. n. 3.*

11 Quamuis non me lateat Andream Laurentium inter medicos eximium *tom. 2. tract. 4. de ſenectut. c. 2.* ſtatum anno quadrageſimo gratis ſtatuiſſe.

12 An verò hac eadem ætate leges præſumant, ſimul cum viris fœminas ad ſtatum peruenire, nec expediti iuris quæſtio eſt, Iacobus Cuiacius, cuius autoritati ſemper plurimum tribuo in *dict. l. 5. ff. qui teſtament. facere poſſ.* exiſtimat Interpretes noſtros in infantiæ & ſtatus definitione, inter fœminam & marem diſcrimen nullum facere. Et licèt huius rei, nec rationem vel fulcimentum adducat, eo verumtamen defendi poterat, quia vt Autor eſt Franciſcus Hothoman. *loco præcitato*, Iuriſconſulti mentis potiùs & iudicij, quam corporis incrementique rationem ducunt. Vnde eſt, quòd licèt celeriùs fœmina ad extremum proceritatis accedat, vt diffiteri non poteſt, non tamen citiùs quàm vir vel à cura eximitur, vel à reſtitutionis beneficio excluditur: quia etſi corporali vigore minori tempore polleat, mentis tamen & conſilij fragilitate laborat. Quod potiſſimum leges inſpiciunt, vt probat Oſualdus *vbi ſuprà*. Quapropter licèt fœmina naturali ordine ab infantia priùs egrediatur, & ad ſtatum perueniat; cum tamen illis annorum curriculis debito iudicio & intellectu careat; quoad ius ciuile ſpectat, quaſi adhuc infans, & non integræ ætatis reputatur, donec illud tempus attigerit, quo vir quaſi quaſi mente infantiam deſerit, vel plenæ rationis particeps ſtatui approximat.

Sed hæc ratio Hippocratis teſtimonio, 13
cuius ſingularis apud conſultos autoritas eſt, *l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hominum*, euidenter conuincitur, ille enim *lib. de ſeptim. partu*, ſic ait: *Fœminæ dum vteri materni ergaſtulis coercentur, longiore quàm mares tempore conformantur, & creſcunt: ſed vbi à matre ſeiunctæ fuerint, citiùs quam mares creſcunt, pubeſcunt, ſapiunt, & ſeneſcunt*, &c.
Ergo ſi velociùs fœminæ ſapiunt, & mentis 14
compotes redduntur, ſuperiùs à nobis excogitata ratio omnino deficit, ac conſequenter celeriùs ac exiguiori tempore, quàm viri fœminæ à curatorum poteſtate eximi, & repelli à reſtitutionis beneficio debebant.

Verùm ſi aliqualem interpretationem hæc manifeſtè pugnantia Hippocratis verba recipiunt, illam eſſe affirmarem, ſcilicet, fœminam dixiſſe citiùs ſapere, pro eo quod eſt, incipit ſapere. Quod quidem verum eſt, quemadmodum & cæteras naturæ operationes, plus celeriter quàm viri exordiuntur. Sed fœminarum tanta imperfectio eſt, vt fere omnes licèt non nihil ſapere incipiant, & hoc vtique citiſſimè, nulla verò niſi ordinario temporis progreſſu quinque & viginti annorum ſimul cum viris ad perfectioris intellectus culmen perueniat, quemadmodum intelligendus erit Sfortius Oddus *tractatu de reſtitutio. part. 1. quæſtion. 2. articul. 4. numer. 41. in fine*, dum inquit, quòd quantum ad complementum virilis vigoris, numerus viginti & quinque annorum, vtriuſque ſexus par eiuſdemque virtutis, & perfectionis eſt. Vti forte & illud commune erit quod tradit Ariſtotel. *de generatione animal. libro 1. capit. 18. pagin. mihi 634.* Plini. *lib. 7. Hiſtoriæ naturalis capit. 16.* quibus accedit Ioann. à Ruicibus *in medicina medicorum incipientium, luminari. 2. verſ. Patres autem, pag. 59.* Scilicet, medietatem corporis quod quis iam grandeus, & ad ſtatum perueniès habiturus eſt, primo ætatis quinquennio

adeſſe, etſi id in fœminis neget Autor libelli, cui titulus *Marauillas de naturaleza*, & in maſculis citius, primo ſcilicet vitæ triénio admittat.

15 Quibus ita præfinitis ſciendum erit, hanc vigeſimi & quinti annorum ætatem, quam ſtatus dicimus, & quam propriè ætatem appellari (cùm hoc annorum numero plerique ætatem definierint) ſcribit P. Alphonſ. Venero *in Enchirid. temporum, pagina mihi 29. in vltima editione*, licèt alios aliter hac de re ſenſiſſe *ibidem* referat, diuerſimode à noſtris legum conditoribus nominari: multoties enim eam legitimam nuncupaſſe comperimus, idcò fortè, vt Briſonio placuit *de verborum ſignification. lib.* 10. & elegantiùs *ſelectarum lib.* 1. Cuiac. *dict. capit. 29. de præſcript.* Quod lege Letoria in id vſque tempus adoleſcentes curatorum autoritate reguntur, *l. 2. C. Thodoſ. de donation.* quo nomine illam demonſtraſſe Conſulti videntur in *l. quæro 3. §. fin. ff. de teſtament. tutel. l. cum filiofamilias 50. in fine, ff. de legat. 3. l. Aurelio 20. §. Caius Seius, de liber. legat. l. 1. de fideiuſſor. tutor. l. ex duobus 27. ff. de negot. geſtis, l. vltim. §. Diuus, ff. de publician. l. ſi fideiuſſores 41. ff. de fideiuſ. l. vltim. in fine, de appellation.* eoque vſi ſunt Imperatores *in l. de his 12. C. de adminiſtration. tutor. l. 1. C. de tutor. & curator. qui ſatis non dederunt, l. quædam 2. C. ſi mater indemnitatem promiſerit, l. 1. C. de curat. furioſ. l. 1. C. ſi quis ignor. rem minoris, l. 1. C. ſi maior factus, l. 2. C. de temporibus in integrum reſtitut. l. 4. C. de tranſact. l. 1. C. ſi tutor. vel curator. l. 1. C. ſi aduerſus rem iudicatam, l. 2. C. in quibus cauſ. reſtitut. in integr. l. 2. C. qui ætate, vel profeſſ. lib. 10. l. fin. C. de his qui veniam ætatis impetrauerunt.*

Vnde legitimam ætatem hoc vigeſimo & quinto annorum numero iuris ciuilis ſectatores definiunt: ita antiquiſſimus Rofredus *in tractatu de libellis, part. 7. titul. de Senat. Conſult. clementia.* Simoncellus *de decretis in præfatione numer. 9.* Iacob. Cuiacius *locis ſuperius relatis*, Hieronym. Cagnolus *in l. 2. num. 158. C. de pactis inter emptorem & venditorem*, Gloſſa *ad §. accedat, liter. C. inſtitut.* Lancellot. *de pœnit. & remiſſ.* Iacob. Spiegel. *in lexicon, verbo Legitima ætas*, vbi etiam cæteri verborum iuris Expoſitores, Ioan. Oinotom. *in titul. inſtitut. de fiduciar. tutela num...* Sforc. Odd. *de reſtitut. artic. 3. num. 30.* Renat. *de priuileg. ruſtic. lib. 2. cap. 3. num. 2.*

Emanuel Coſta *in §. & quid ſi tantum, l. Gallus 5. part. numer. 51 ff. de liber. & poſthum. vbi & numer. 46.* aſſerit legitimæ ætatis non dici, qui ætatis veniam impetrauit, cui conſentiunt Sforc. Odd. *de reſtitutio. par. 1. quæſt. 23. numer. 44.* Cald. Pereira *in l. ſi curatorem, verbo Contractum feciſti numer. 22. verſic. Hinc nos ſumpta*, Rebuff. Menoch. Molina, Tuſchus, & Ioannes Garſia relati ab Auguſtino Barboſa *in l. ſi quis* 4. per illum text. *C. de his qui ven. ætatis impetr.* nam cùm de ætate legitima fit mentio, intelligitur de ea etate, quę legibus conſtituta eſt, ſcilicet ætas viginti & quinque annorum, qui annus & veteribus, & nouioribus terminus conſtitutus eſt, & veluti finis facilitatis, qua adoleſcens facilè decipi poteſt, ſequitur Camillus Borrel. *in ſumma, deciſion. titul. 66. de procurat. numer.* 40. Petr. Gregor. *ſuper Decretal. titul. de elect. cap. 11. numer.* 3. Anton. Gomez *tom. 1. variar. capit. 14. num. 12. verſic. Vnum tantum eſt*, Ioann. Gutierr. *tractat. de tutel. 3. part. cap. 3. num.* 3. Barnab. Briſon. *ſelectar. lib. 3. capit.* 2. vbi cur paſsim in libris noſtris hac ætas legitima apellatur explicat, Hortenſius Caualcan. *tract. de teſtibus 1. part. num.* 28. Philipp. Matthęus *in l. 2. §. 1. num. 28. de reg. iur.* nouiſſimè Iacobus Gallus *in apicibus iuris, cap. de præſcript. & earum varijs ſpeciebus, fol. mihi* 161. & antè eum Alciuiades Lucarinus *de fiduc. tutel. cap. 6. num.* 11. Alphonſ. de Lara *in compend. vitæ hom. cap. 22. num.* 1.

16 Quod etiam vtroque iure procedit, vt conſtat ex Concilio Toletano 4. *in capit. in veteri 77. diſt.* quamuis de iure Canonum triginta annorum ætatem legitimam eſſe affirmet Paulus Balzaran. *in cap. vnic. §. ſi quis deceſſerit num. 8. ſi de feudo defuncti conten. ſit inter dominum & agnat. vaſſall.* refert Philipp. Matthæus *in l. 2. §. 1. num. 28. ff. de reg. iuris*, ſiquidem horum ſententia ex *d. c. in veteri* manifeſtè refellitur.

17 Nec me latet quòd legitimæ ætatis nomen variè, & pro ſubiecta materia in iure ſæpiſſimè accipitur, vt obſeruauit Gloſſ. *in l. 1. §. initium, ff. de poſtulando, & in §. minorem, inſt. de adoptio.* probat Philippus Dec. *in cap. in cunctis num. 2. de electione*, docet pluribus exemplis Federicus Scot. *conſ. tom. 1. lib. 3. reſponſ.* 17. Oinotomus *vbi ſuprà*, tradit Petr. Greg. *vbi proximè*, Quint. Mandoſ. *de ætate minor. c. 5. n.* 114. Adeo vt interdū legitima ætas poſt quartumdecimum annum dicatur, argument. *dict. l. cum filiofamilias 50. §. vlt. inſtit. de Atil. tutor. l. 4. C. de teſtam. milit. l. 1. C. ſi mater indemni*, ex qua vti ſingulare notat Cuiac. *in l. ait Diuus 16. de iure fiſci.*

Quo-

Quoniam licèt inferioris ætatis homines legitimæ ætatis quandóque appellentur, illud autem reſpectu ſingularis cuiuſdã áctus eſt, ad cuius expeditionem certa illa ætas de iure prȩſcribitur. Quemadmodum intelligendus erit Imperator in *l.* 2. *C. de tempor. in integr. reſtitut.* vbi ad reſtitutionem habito reſpectu minor ætas 25. annorum legitima dicitur. Vnde Petr. Franciſc. Linglois aſſerit *deciſione* 34. *de verborum ſignificat. quæſtio.* 2. *numer.* 19. legitimam ætatem appellari minorem viginti & quinque annis, ſcilicet, vt in ea facilè quis reſtitutionem conſequatur. Sic & interpretandam monet Cuiac. *lib.* 22. *obſeruat. capit.* 16. *in fine*, Imperatoriam illam deciſionem, *l. exigendi*, *C. de procuratoribus*, quamuis neſcio, quo fundamento *lib.* 10. *reſponſ. Papin. in l. cauſam* 20. *de manumiſſion.* abſolutè dicat iuſtam, ſiue legitimam ætatem non eſſe ante vigeſimumoctauum annum, nec in maribus, nec in fœminis. Attamen qui viceſimi & quinti anni metas tranſilierunt, abſolutè loquendo, legitimæ ætatis nominantur, quoniam eius ætatis homines ad omnia ferè à legibus admittuntur, vt ſentit eleganter Iulius Pacius *legum conciliat. centuria* 2. *capit.* 16.

18 Quod intelligendum eſt, niſi talis ȩtas legitima fuerit ſtatuto reſtricta, ſiquidem dubitari non poteſt cuicumque ciuitati tantam poteſtatem ineſſe, vt eius conſtitutionibus legitima ȩtas vel minui, vel augeri poſſit. Sic docet Caſtrenſis *in l.* 1. *numer.* 3. *C. de his qui veniam ætatis impetrauerunt*, Salicetus *in l.* 2. *& l.* 7. *numer.* 2. *C. eodem*, Aretin. *inſtitut. de curator. in principium.* *num.* 4. Carpanus *in ſtatut. ciuitatis Mediolan. ſtatut.* 452. *numer.* 7. quos ſecuta fuit Rota apud Farinacium *tomo* 2. *deciſion. nouiſſim. deciſion.* 776. *numer.* 1. necnon & apud Seraphin. *deciſion.* 751. *num.* 1. Quare multarum ciuitatum ſtatutis caueri, vt decimumoctauum annum attingens, legitimæ ætatis habeatur, tradit Corneus *conſil.* 108. *numer.* 8. *lib.* 3. Barboſa *in l. cùm Prætor.* 12. §. *final. num.* 105. *ff. de iudicijs.*

19 Cæterùm, matura ȩtas huiuſce annorum numerus etiam aliquando vocatur, *dict. l. cùm filio* 5. *in fine*, *ff. de legat.* 3. affirmat Aloiſ. Ricius *in praxi deciſion. deciſ.* 735. *numer.* 1. Nam licèt hoc maturȩ ætatis nomen variè accipiatur, prout res ipſa, de qua agitur, fert, vt *dict. l.* verba innuere videntur, & probat expreſſe Sforcius *d.* 1. *part. de reſtitut. quæſt.* 2. *art.* 3. *num.* 39. Vnde ſeneſcentem ætatem a 40. ad 60. annum, maturam cognominat Hortenſius Caualcanus *in practica de teſtibus* 1. *part. num.* 15. In potiori tamen ſignificatione ferè ſemper viginti & quinque annorum ſpatium demonſtrat, cùm eo & matureſcat iudicium, & virilis vigor compleatur, *dict. l.* 1. *ff. de minoribus.* Quintilian. Mandoſius *de ætate minori, capit.* 5. *num.* 111.

Diciturque eadem ratione perfecta, cùm ad hanc vſque temporis partem membra noſtra cretionem & augmentum recipiant, eaque adueniente, vt Lucarinus ait *vbi ſuprà num.* 13. roborentur: Et animus ipſe ex Ficini & Platonis ſententia ita omnibus numeris abſoluatur, vt meritò ætas perfecta dici poſſit. Ita docet Conſultus *in l. minor* 32. *ff. de minoribus*, *& in l. cùm de indebito* 25. *verſicul Sin autem, el* 1. *ff. de probat.* facit *l. tutela* 16. *ff. de tutelis*, *l.* 4. *&* 8. *de legitimis tutor. l. ſi tutor* 9. *verſicul. Si duobus*, *ff. de tutel. & rationib. diſtraendis.* Quibus conſentiunt Imperatores *in l. ſi rem* 7. *C. ſi aliena res pignori data ſit*, *& in l.* 32. *C. ad Velleianum*, *& in l.* 2. §. *penultim. C. de iudicijs*, *l.* 2. *C. de iuris & facti ignorantia*, *l. vltim. C. de his qui veniam ætatis impetrauer.* § *vltim. inſtitut. de Atilian. tutore.* Necnon & *in l. ſi quando* 3. *in princ. C. ſi maior factus alienationem, &c.* Iacob. Cuiacius *vbi ſuprà*, Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo hunc contractum, num.* 43. *verſicul. Quapropter*, Sforc. Oddus *de reſtitut. quæſt.* 2. *artic.* 3. *num.* 28. Quintil. Mandoſ. *de ætat. minor. cap.* 5. *num.* 106. Anton. Faber *in Iuriſprudentia Papin. titul.* 22. *prin.* 2. *ad finem*, Renatus Chopinus *vbi ſupra num.* 2. Mantica *de coniect. vltimar. volunt. lib.* 5. *tit.* 12. *numer.* 26. Lucarinus *d. loco, num.* 11. *&* 13. Petr. Franc. Linglois *deciſ.* 34. *de verb. ſignificat. q.* 1. *num.* 18.

Et confirmatur manifeſtè Imperatorum 20 reſcriptis *in l.* 2. *C. de iuris & facti ignoran. & in l. vltim. C. in quib. cauſ. in integrum reſtitutio non eſt neceſſaria*, quibus minor viginti & quinque annorum ætas imperfecta vocatur: ergo qui illud tempus expleuerit, perfectæ ætatis neceſſariò appellabitur: & licèt varijs reſpectibus perfectam ætatem denominari teſtetur *vbi ſuprà* Sforcius *numer.* 39. in dubio ætas perfecta intelligitur eſſe viginti & quinque annorum naturaliter expleta, non beneficio Principis, aut fictione inducta; vt optimè ſcribit Gotophredus *in l.* 4. *C. de his qui veniam ætatis impetrau.* Caluinus *in lexicon verb. ætas*, *verſicul. ætas perfecta.* Quod etiam & in fœminis procedere ex ratione ſuperiùs aſſignata defendi poteſt, vt confirmat Pontifex in

cap. viduas 2. verſic Si virgines 27. quæſt. 1. Cui prædictæ reſolutioni minime obſiſtit Canon Agathenſis Concilij, cuius verba refe-
21 runtur in *cap. Epiſcopus 6. eadem 77. diſtinct.* vbi presbyterum, vel Epiſcopum ante triginta annos, id eſt, antequam ad perfecti viri ætatẽ perueniat, omnis Metropolitanus ordinare prohibetur. Cui aſſentitur D. Ioan. Chryſoſtomus *in Euang. Marci homilia poſtrema* illa periodo: *Hominibus perfecta ætas triginta annorum eſt*, & fere eiſdem verbis Theophylactus *in Euangelium Lucæ cap. 3. Ætas triginta annorum*, inquit, *perfectiſſima eſt, & illa homo vel probus, vel improbus cognoſcitur.* Idem colligitur ex D. Gregorio *ſuper Ezechiel homil. 2.* explicante illa verba: *In trigeſimo anno ſpiritum prophetiæ accepit*, ſubijcit: *Quia iuxta rationis vſum doctrinæ ſermo non ſuppetit, niſi in ætate perfecta.* Nam omiſſa Gloſſæ interpretatione ibidem, *verbo Antequam*, quam amplectuntur Archidiaconus *eodem loco*, & Sforcius *dict. 1. p. quæſt. 2. articul. 3. num. 39.* Ideò enim exiſtimo, triginta annorum ætatem perfectam, ſiue perfectiſſimam prædictis in locis appellari, quia iuxta ſubiectam materiam, de qua ibi, illa perfecta ætas neceſſaria eſt, ſiquidem cùm illic agatur de Presbyteri, ſiue Parochi, & Epiſcopi ordinatione, quorum tanta dignitas eſt, vt oporteat illos optimis moribus imbutos, & irreprehenſibiles eſſe, *text. in cap qui in aliquo 51. diſtin. cap. miramur cum ſequentibus, cap. Epiſcopum 61. diſtin. cap. qui Epiſcopatum 11. cap. oportet, cum ſimilibus 8. quæſt. 1. cap fratrem 86. diſtinct cap. hinc etenim 40. diſtin. c. cum in cunctis, de elect. c. niſi cùm pridem, de renuntiat. Authentic. quomodo oporteat Epiſcopos, collat. 1. l. ſi quemquam 3. C. de Epiſcop. & Cleric.* Concil. Trident. *de reformat. ſeſſ 6. cap. 1. & ſeſſ. 7. cap. 1. & 2. & ſeſſ. 24. cap. 1.* ea ratione talis ætas deſideratur, quia vt inquit egregie Theophylactus *vbi proximè*, triginta annorum etas in homine ideò perfectiſſima appellatur, quia illa, vel probus, vel improbus cognoſcitur.
22 Quare, vt ſuſpicor, ætas plenitudinis Chriſti, in qua ſecundum Apoſtol. *ad Ephes. 4.* omnes reſurrecturi ſumus, perfecta appellatur, vt inquit D. Hieronymus *in epiſtola ad Pamachium, contra errores Ioannis Hieroſolymitani*, & refert P. Alphonſus Venero in *Enchirid. temporum, pagin mihi 34. in vltima editione*, ibi: *Y los Doctores dizen, que todos auemos de reſucitar en la edad que Chriſto padecio, dando a entender, aquella edad ſer entõces perfectiſſima y muy acabada*, quia in ea quis probus vel improbus ſit, erit diſcutiendum: ergo cùm hoc neceſſariſsime ſit inſpiciendum in eo, qui ad Presbyteratum vel Epiſcopatum aſſumi debet, meritò hoc caſu trigeſimum annum perfecti viri ætatem deſignant.

Appellatur etiam maior ætas: nam quamuis hoc nomen adeò ſit generale, vt diuerſis 23
reſpectibus nonnullis ætatibus conueniat, ſic proferente Arias Pinello *de reſcindenda 2. part. capit. 2. num. 9.* Ioſepho Cumia *in conſtitut. Regni Siciliæ, cap ſi aliquem, de ſucceſſ. feudi, num. 2. & 3.* veluti in ſpiritualibus decimoquarto anno, *cap ſi annum 3. de iudicijs lib. 6.* vbi notant omnes, & noſter Hieronym. de Zeuallos *commun. contra commun tom. 2. quæſt. 638. num. 1.* Nihilominus, vt ſic prolatum, viginti & quinque annis maiorem deſignare ferè omnium Scribentium calamus profitetur. Ita Gloſſa *in cap in præſentia, de probation.* Bertachinus *verbo Maior. verſ. Maioris appellatione*, Cagnolus *in l. ſi quis maior à num. 26. C. de tranſactionib.* Quintil. Mandoſ. *d. tract. de ætate minor. c. 5. n. 105.* Renat. Chopin. *d. tract. de priuileg. ruſtic. lib. 2. cap. 3. num. 2.* vbi reſoluit, vſumfructum filiæ relictum, donec ad maiorem ætatem peruenerit, vigeſimoquinto anno nõ deberi, Sforcius Oddus *de reſtitut. quæſt. 2.* 24
art. 3. per totum, Spiegel. *in lexicon verbo Maior.* Briſonius, Prateius & Caluinus *eodem verbo.* Oſualdus *lib. 21. Donelli cap. 7. litera A.* idque expreſſe deduci videtur *ex textu in l ſi maiores 25. C. de tranſact. & ex toto titulo, C. ex quib. cauſ. maiores.* Maximè, vbi maioris nomen, minori oppoſitum reperitur: nam tunc vigeſimum & quintum annum excedentem ſignificare, nulla dubitatio eſt, *l. 3. § vltim l. 24. de minor.* docent Briſonius *vbi ſuprà*, & Caluinus *eodem verbo, verſicul. Maior etiam minori.* Quod ita intelligẽdum eſt, niſi aliud ſtatutis contineatur: ſiquidem tunc illa maior ætas propriè accipiẽda erit, quæ ipſis decernitur, licèt quintum & viceſimum annum non pertingat, Oddus *dict. quæſtio. 2. art. 6.* Tiraquel. *de nobilit. cap. 20. numer. 42.* vtpute Romanis, quibus ſtatutum eſt, vigeſimum annum habẽtem maiorẽ eſſe: ſic Farinacius *deciſ. 647. n. 1. tom. 2. nouiſſimar.* & aliarum gentium huiuſce rei ordinationes refert Oſualdus *vbi proximè.*

Item qui hanc viginti & quinque anno- 25
rum ætatem nactus eſt, robuſtæ ætatis dicitur, *l. ſi maritus 15. §. lex Iulia ff. ad legem Iuliam, de adulterijs*, refert Gloſſa *in l. 1. ad fin. ff. de minoribus*, Quintil. Mandoſ. *de ætat. minor c. 5. n. 212.* Sforc. *d. loco, art. 3. n. 35. ad fin.* Hotomanus *de verb. iuris verb. ætas, verſic. ætatis gradus*, Caluinus *eod. verb. & verſ.* Oſuald. *vbi ſuprà.*

Con-

26 Conſtantis itidem ętatis nomen habet, vt indicat Hotomanus & Caluinus *dictis in locis*, fortè quia hoc tempore homines viribus & robore conſtant, teſte Vlpiano *in d. l. 1. ff. de minor.* Quam etiam Cicero in Catone *mediam ætatem* appellat, his verbis: *Sunt pueritiæ certa ſtudia: num igitur ea deſiderant adoleſcentes? Sunt & ineuntis adoleſcentiæ, num ea jam conſtans requirit ætas, quæ media dicitur?* &c. De qua re conſulendus erit Caluinus *in lexicon verbo ætas, verſic. ætatem in quinque.*

27 Dicitur necnon plena & integra, ex ſententia Iur. Conſulti *in l. ad Rempublicam 8. verſ. Annus autem, ff. de muner. & honor. & in l. 2. verſ. De minorib. ff. de vacatione munerum*, & Imperatoris *in l. cum non ſolum 8. § 1. ad finem*, ibi: *Si plenæ ætatis filius eſt*, vbi notat Gloſſa *verbo ætatis*, & antea, ibi: *Pater adire filium familias integræ ætatis compellit.* Cuius etiam meminit Cæcilius Cyprianus, dum venandi cupiditatem carpit, epiſt. 1. *ad Donatum*: Quid illud, oro te, inquit, *quale eſt, vbi ſe feris obijciunt, quos nemo damnauit ad beſtias, ætate integra, honeſta ſatis forma*, &c. probat Cuiacius *de diuerſ. & tempor. præſcript. cap. 19. & ad l. 2. ff. de excuſationib.* Quintil. Mandoſ. *dict. cap. 5. nu. 108. & 109.* Brederodius *in lexicon verbo ætas, verſ. ætas ex Codice.* Anton. Fab. *in Iuriſprudent. Papin. titul. 22. prin. 2.* A quibus ſimiliter *iuſta & firma* nuncupatur, *l. 1. C. Theodoſiani de his qui veniam ætatis impetrauer. l. 2. in princip. ff. de vacat. muner.* Confirmat idem Cuiacius *in Comment. ad titul. de minorib. in princip.* & in *parat. ad lib. 6. C. titul. quando dies legati vel fideicomiſſ. cedat*, etſi *lib. 10. reſponſ. Papin. in l. 20. de manumiſ.* firmam ætatem 20. annorum appellet, & quatuordecim annorum *iuſtam*, *in l. ait Diuus 16. de iure fiſci*, autoritate *eiuſdem legis*, Alphonſ. de Lara *in compend. vitæ homin. capit. 22. numer. 1.* licèt aliquando iuſta ętas pro pubertate accipiatur, *l. quod Seruius de condict. cauſa dat.* tradit Caluin. *in lexicon verbo ætas, verſic. ætatum.* Quemadmodum & *impleta* ab Alexandro ſcribitur *in l. 1. C. ſi minor ſe maiorem dixerit*, tradit Brederodius *in Theſauro iuris ciuilis, verbo ætas, verſicul. ætas ex Codice*, & *virilis* ab Vlpiano *in dict. l. 1. ff. de minorib.* vbi communiter omnes, & probat Brederodius *vbi ſuprà, verſic. ætas ex Digeſtis*, & Perez de Lara *vbi ſuprà capit. 30. numer. 11.* vbi etiam *numer. 9.*

28 aſſerit pueros & ſenes propriè viros non dici, quamuis in veritate virorum appellatione contineantur, de qua re alibi plenius dicimus.

Et denique hęc viginti & quinque annorum ætas *iuuentus* aliquando denominatur, 29
l. non aliter 69. § 1. vbi notat Gloſſ. *ff. de leg. 3.* tenent Thomas Grammat. *deciſ. 34. num. 4.* Iacob. Cuiacius *in librum ſingularem reſponſ. Vlpij Marcelli. in dict. l. non aliter*, Franciſcus Hotomanus *dict. comment. de verbis iuris, verbo ætas, verſicul. ætatis gradus*, Petrus Franciſc. Linglois *deciſion. 34. quæſt. 2. numer. 13.* Alphonſ. de Lara *in compendio cap. 30. numer. 1.* Quam *ibidem & alibi*, ſcilicet ad *l. 2. de excuſationib.* idem Cuiacius viridem iuuentam appellauit. Et quamuis interdum iuuentus pro adoleſcentia accipiatur, vt *in l. ſi pecuniã 26. ff. de rebus creditis, l. patri pro filio 28. § ſi pecuniam, ff. de minorib. l. fin. § fin. de appellation.* cum alijs ſexcentis, & aliquando pro pupillari ętate, vt *in l. fin. § fin. de appellation.* Hoc autem, vt ait Simon Scard. *in lexicon verbo Iuuenes*, impropriè, & vltra ſtrictam ſignificationem ſcribitur, cùm propriè iuuentus ab anno viceſimoquinto incipiat, & vſque ad quintum & quadrageſimum perduret, vt lege Letoria continebatur, & teſtis eſt Cuiacius *in d. l. non aliter*, quod non probo, vt videre eſt infra *anno 50.* vbi de adoleſcentia.

SVMMARIVM.

Minor in iure variè accipitur. 1.
Minor ætas ab ipſa exiſtentia in vtero computatur ab aliquibus. 2.
Minor vel in genere dicitur, aut in ſpecie. 3.
Non probatur defectus ætatis ad annullãdum religionis ingreſſum, ex eo quod teſtes ſimpliciter deponant tempore ingreſſus Titium fuiſſe minorem. 4.
Minor æquiparatur pupillo in actibus viuentium, non in actibus morientium, ibidem.
Regulariter is propriè minor dicitur, qui annum vigeſimumquintum non exceſſit. 5.
Reſpectu feudi quaternati, minor vocatur, non dum habens quartumdecimum annum, & reſpectu plani, qui non habet decimumoctauum. 6.

QVÆSTIO II.

Minor à qua ætate, & in quam ætatem quis dicatur?

1 Non me latet, minorem in iure variè, & multipliciter vſurpari, & ex diuerſis cauſis aliquando minorem dici ſeptem annis, aliquãdo quatuordecim, quindecim, ſexdecim, & viginti etiam aliquando, vt appoſitè nimis ſcripſit Anton. Cardoſus *in praxi iudicũ, & aduocator. verbo Minor. num.* 1. Nam qui requiſitam ætatẽ non adimpleuit, propriè minor nuncupatur, argum. *l. in ſponſalibus* 14. ibi: *Si non ſint minores, quàm ſeptem annis ff. de ſponſalib.* & *l.* 1. illis verbis: *Iam autem minor non eſt, qui diem ſupremum agit anni viceſimi, ff. de manumiſ.* cum ſexcentis alijs, quæ paſsim in libris noſtris occurrunt.

2 Verùm quoniam potiſſimum minoris nomen ſimpliciter prolatum, eos ſolùm complectitur, qui parum firmo, & valido iudicio vtuntur, *l.* 1. *ff. de minor.* meritò hîc exquiritur, vtrùm hæc appellatio habeat principium diſtinctum ab ipſo ætatis initio? Et an verò certo aliquo vitæ ſpatio circumcludatur? vulgo creditur, vt alibi notauimus, non ſolùm ab ipſa natiuitate, imò & ab ipſa exiſtentia in vtero incipere. Vnde ſimpliciter iactatur, vſque ad viceſimumquintum ætatis annum, omnes, ſiue maſculos, ſiue fœminas minores dici. Ita integro titulo *de minoribus*, & Iuſtiniani authoritate *in §. nunc admonendi, inſtitut. quibus alien. licet, vel non*, ſubnixi docent Maranta *de ordine iudic. in 6. Chart. verſicul. appellatio. numer.* 79. & eo relato Simoncellus, *tract. de decretis in præfat. numer.* 9. 9. Vveſembec. *in paratit. titul. de minor. numer.* 3. Pat. Rebellus *de obligation. iuſtit. lib.* 1. *quæſt.* 8 *ſection.* 2. *numer.* 15. noſter Perez de Lara *in compend. vitæ homin. capit.* 22. *numer.* 2. Sed nihilominus contrarium ſentit Pat. Thom. Sanchez. *tom.* 2. *ſummæ lib.* 4. *capit.* 35. *numer.* 3. vbi inquit, minorem dici tam maſculum, quàm fœminam à tempore pubertatis vſque ad vigeſimumquintum annum completum.

3 Igitur vt hæc omnia rectè cohæreant, tenendum erit cum Sforcia *tractatu de reſtitut. quæſt.* 2. *artic.* 1. minorem dupliciter conſiderari poſſe, in genere, & in ſpecie; in genere verò eum intelligi ab exordio ætatis vſque ad maiorem viginti & quinque annorum, vt prima fert opinio, in ſpecie tantùm à pubertate ad dictam maiorem ætatem, veluti Sanchez affirmat, & fere ſemper in iure noſtro accipitur, quia tempus ante pubertatem ſpeciale pupilaris ætatis nomen habet, vtpote ſuprà *anno* 14. probauimus: & hanc diſtinctionem plane indicare videtur S. P. *in cap. in præſentia* 8. §. *præterea de probationibus*, ibi: *Præterea cùm verbum illud, Minor annis duobus potuerit modis intelligi, cùm, & qui minor eſt* 14. *annis, & qui* 25. *dici ſoleat minor annis*, &c.

Ex qua diſtinctione colligitur, de minore in genere ſumpto fuiſſe locutos Ioannem de Amicis *conſil.* 40. *num.* 1. & Rebuffum *de reſtitut. articul.* 2. *gloſ.* 4. *num.* 1. dum inquiunt, quod ſi teſtes dixerint, quòd Titius tali tempore, quo fuit ingreſſus monaſterium, erat minor, non propterea probatum eſt, quòd fuerit inhabilis ad ingrediendum, vti ſunt minores quatuordecim annis: & ſimiliter ex ea deducitur, in ſpecie de minori egiſſe Bartolum *in l. ſi curatorem, C. de in integrum reſtitutione*, cùm dixit, minorem æquiparari pupillo in actibus viuentium, non in actibus morientium, velut refert Ioann. Bertachin. *in repertorio littera M. verbo Minor, in principio.* 4

Sed ſiue hoc, ſiue illo modo accipiatur ambiguum hoc minoris nomen (vt ita meritò appellat Pontifex *in dict. capit. in præſentia*) certum eſt, vtroque caſu his ſolis conuenire poſſe, qui nondum quintum & viceſimum annum de momento ad momentum computandum exceſſerunt, *l. denique* 3. §. *minorem, ff. de minoribus*, *l. ſi maritus* 15. §. *minorem viginti & quinque, ff. ad legem Iuliam, de adulterijs*, *l.* 5. *titul.* 11. *part.* 5. *l.* 25. *titul.* 4. *part.* 3. tradunt præter ſupra relatos Franciſc. Conanus *lib.* 3. *commentar. capit.* 12. vbi de explicatione *dict. l.* 3. latè agit, & *ibidem* Franc. Duarenus, Hugo Donellus *comment. lib.* 11. *capit.* 7. Iacob. Cuiacius *in dict. l.* 3. *de minoribus*, & *in l. cùm viſextum* 98. *de verborum ſignificatio.* Spiegel *in lexicon iuris, verbo Minor, verſic. Minores dicuntur*, Summa Armilla *eodem verbo in princip.* Arias Pinellus *de reſcind. vendit.* 2. *part. cap.* 2. *num.* 9. Flaminius *de confidentijs quæſt.* 20. *num.* 18. Felicianus *de cenſibus lib.* 2. *capit.* 2. *numer.* 2. *verſic. Finitur verò*, Leſius *de iuſtitia & iure, lib.* 2. *capit.* 6. *dub.* 18. *numer.* 57. Farinac. *tom.* 3. *prax. criminal. quæſt.* 92. *num.* 11. P. Sanchez *de matrimon. lib.* 2. *diſput.* 24. *quæſt.* 4. *num.* 22. *verſic. Similiter credo*, & egregie Caluinus *in lexicon iuris, verbo Minor, per totum*, etſi aliquando ei ſolummodò, qui decimumquartum, vel decimum octauum annum nondum exceſſit, minoris hæc appellatio competat, vt feudatario poſsidenti feudum quaternatum, ſiue planum, non reſpectu quaternati, minor dicitur nondum habens quartumde- 5

cimum

cimum annum, & reſpectu plani, qui octauum decimum non expleuit, vt docet Frecia *de feudis, pagina mihi* 420. *num.* 11.

SVMMARIVM.

ANte quintum & viceſimum annum nemo rerum ſuarum liberam adminiſtrationem conſequitur. 1.

Qui veniam ætatis conſequutur, vel apud noſtros ante decimumoctauum annum vxorem ducunt, liberam habent ſuorum bonorum adminiſtrationem, quamuis minores ſint. 2.

Curatoris officium finitur ſtatim ac minor quintum & viceſimum annum excedit. 3. & 6.

Licèt minor inuitus curatorem non accipiat, cum ſemel acceperit, etiam inuitus retinet. 4.

Officium illius curatoris, qui in locum abſentis, vel aliàs impediti tutoris fuit ſubſtitutus, pupilli pubertate finitur. 5.

Suæ ætatis homo quando quis dicatur? 7.

QVÆSTIO III.

Ad liberam bonorum adminiſtrationem conſequendam, & vt curatoris officium finiatur, & ſuæ ætatis homines dicantur?

1 SIue lege Letoria vt non ſine ratione coniectatur Barnab. Briſonius *ſelect. lib.* 3. *capit.* 2. ſiue alia quacumque id fuerit ſtatutum, certum eſt viginti & quinque annorum ſpatium adoleſcentibus ad res ſuas recipiendas & gubernandas eſſe præſcriptum; quod vel ex eo ſolùm apparet, quòd ex Vlpiano ſcriptum reperitur *in l.* 1. his poſterioribus verbis, *ff. de minor. Nec ante* (vigeſimum & quintum annum ſcilicet) *rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamuis bene rem ſuam gerentibus*, quia vt inquit Inſtinianus Imperator *in principio de curatoribus; licet puberes ſint, adhuc tamen eius ætatis ſunt, vt ſua negotia tueri non poſſint*: facit *l.* 2. *eiuſdem tituli*, ex qua liberos non proficere, inquit, vt maturiùs, ideſt, ante prædictam viginti & quinque annorum legitimam ætatem res ſuas minores à curatoribus ſuis recipiant: & ad hanc ætatem referendus eſt Iuſtinian. Imperator. *in l final, verſicul. Diceretis, C. de legitima tutela*, ita reſcribens: *Fiant tutores, vel curatores, hi, qui talis ætatis ſunt, cui ſuarum rerum adminiſtratio committitur*: & conducit *l. finalis, ff. de condition. & demonſtration.* vbi filius rogatus hæreditatem reſtituere, ſi antequam res ſuas adminiſtrare poſſet, deceſsiſſet poſt viginti annos decedens, ad reſtitutionem tenetur. Quibus in locis Gloſſographi omnes, nemine dempto, idipſum vt indubiratum conſtitunnt. Quibus conſentiunt Briſonius 2 *vbi ſuprà*, Petrus Gregorius *lib.* 1. *ſuper Decretal. capit.* 22. *numer.* 5. & 6. Philipp. Matthæus *in l.* 2. §. 1. *numer.* 9. *de regulis iuris*, Benedict. Pinell. *ſelectar. lib.* 2. *capit.* 4. *numer.* 26. Bonacina *de matrimonio, quæſt.* 3. *puncto* 5. §. 3. *propoſition.* 1. & ante eos Cardoſus *in praxi verbo Minor, numer.* 21. Leand. Galganet. *de condition.* 1. *part. capit.* 24. D. Garſ. Maſtrill. *de Magiſtratib. lib.* 2. *capit.* 52. *numer.* 14. niſi anteà ætatis veniam fuerint conſecuti, tunc enim licèt prædicta ætate minores exiſtant, liberam bonorum adminiſtrationem obtinebunt, *l.* 1. & 2. *C. de his qui ven. ætat. impetrau.* cum alijs congeſtis, vbi de requiſita ætate ad ætatis veniam impetrandam egimus: vel niſi apud noſtros, vt pragmatica ſanctione anni 1623. continetur, ante 18. annos vxorem duxerint, ſiquidem incipiente anno 18. abſque veniæ neceſſitate ſua, & vxoris bona liberè adminiſtrare poterunt. Quod ita indulgetur, vt ſic homines ad matrimonium iuuenili ætate contrahendum, & ad liberorum procreationem reipublicæ per quam neceſſariam alliciantur, vt *ibidem* exprimitur.

3 Quod mirum videri non debet, cùm ita ſuadente naturali ratione fuerit à legumlatoribus præfinitum, hac ætate virilem vigorem compleri, & in ea mares aut fœminas ad illam iudicij & diſcretionis perfectionem accedere, qua ſibi, ſuiſque rebus ſatis conſulere abſque curatoris ope, & conſilio poſſint *dict. l.* 1. *ff. de minoribus*, vbi obſeruat Iacobus Cuiacius: idcircò curatorum munus hoc eodem viginti & quinque annorum termino finiri, conuenientiſsimè ab ipſis decretum extat, *vt dict. l.* 1. *verſicul. & ideò hodie* cauetur, cui concinit ex noſtris *l.* 13. *tit.* 16. *par.* 6. & *vtrobique* Scribentes, notat Ioachim. Hoperus *de vera Iuriſprudentia lib.* 10. *titul.* 8. Alcibiades Lucarinus *de fiduciar. tutela capit.* 6. *numer.* 17. & innuunt ante eos Abbas *conſil.* 91. *volumin.* 1. Gregor. Lopez *dict. l.* 13. *verbo Apremiados, in principio*, Baeza *de decima tutoris, capit.* 3. *num.*

num.16. Molina Theologus, & alij relati à Ioanne Gutierrez *de tutelis 1.part. cap.19. num.18.* dum omnes aſſerunt, quòd ſi ſemel adoleſcentes curatorem acceperunt, tenentur, & conſtringuntur ſtare ſub eius cura vſque ad vigeſimumquintum annum, licèt regulariter inuiti curatores non accipiant, *§. item inuiti, inſtitut.de curator. dict.l.13. tit.16.part.6.* idem docet Card. Tuſchus *practicar.concluſion.liter.C.concluſ.1112. numer.1.* & faciunt tradita ab Antonio Fabro *in iuriſprud. Papinian.titul.12.prin.3.illat.13.& 14.*& melius *titul.23.princip.1.* vbi id indiſtinctè tam de maſculis quàm de fœminis prædicat.

5 Quę vtique reſolutio in illis ſolummodò curatoribus locum ſortietur, qui ad puberum gubernationem, & debitam directionem præſignantur, non verò in his, quorum præcipuum munus circa impuberum perſonas verſatur, vtpota quia in locum abſentis, aut alia iuſta cauſa impediti tutoris deputantur, *l. in omnem 15. cum ſimilibus, de tutorib. & curatoribus datis ab his.* Hi enim cùm in tutorum locum ſubijciantur, illorum naturam ſequuntur. Et quemadmodum pubertate adueniente tutoria adminiſtratio iure ipſo deficit, ita & horum cura pari modo pubertate pupillorum ad exitum & finē perducitur, *l.curatorem 25.ff.eodem, l.1.C.quando tutores vel curatores*, admonet poſt ordinarios dictis in locis Cardinalis Tuſchus *d. concluſ.1112.num.3.*

6 Extra hunc enim caſum curatoris officium vſque ad annum vigeſimumquintum completum perdurat, & non niſi maiore effecto adoleſcente expirat, *§.1.inſtitut.de curator.l.3.§.minorem, de minoribus,* argumento eorum, quæ latè nimis, & eruditè tradit Sforc. Oddus *tractat.de reſtitut.1.part.quæſtio.2.articul.8.* per totum, & poſt eum Alcibiad. Lucarin. *d.capit.6.de fiduciaria tutela, numer.17.* vbi inquit, minores vſque ad vigeſimum annum completum eſſe in curatione. Idem ex Iuſtiniano *vbi ſuprà*; tradit Petr. Gregor. *ſyntagmat.lib.13.capit.3. num.2.*

7 Vnde poſt eiuſmodi tempus, homines ſuæ ætatis rectè vocantur, *l.cùm filio 50.§. ego quidem, de legatis 3.l. ex duobus 27.ff.de negot.geſtis,* notat Caluinus *in lexicon verbo ætas, verſic.ætatis ſuæ,* Theſaurus iuris *verbo ætatis lubricum*, vtpote qui iam ſua propria ętate res ſuas adminiſtrare poſſunt, nec ad id aliena curatoris ætate ampliùs indigeant.

SVMMARIVM.

Prohibita alienatione, pignus, & hypotheca prohibentur. 1.

Minor annis viginti & quinque nullam bonorum obligationem contrahere poteſt. 2.

Minor curatorem habens, nec mobilia, quæ cito ſunt peritura, alienare, vel obligare poterit. 3.

Minor nec pro ſecuritate pretij ipſa bona, quæ habita fide de pretio emit, obligare venditori poterit, etiamſi ab eo co pacto fuerint minori tradita, vt donec fuerit pretium ſolutum, ſint loco pignoris. 4.

L.1.§.minor, ff.de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt, explicatur. 5.

Res fiſci à minore empta, eſt pro pretio ipſo iure obligata. ibid.

Minor, nec illas res poteſt obligare, quæ ea conditione ad illum peruenerunt, vt pignorarentur. 6.

Minor ſiue curatorem habeat, ſiue non, an ſuper bonis mobilibus, aut immobilibus, cenſum, etiam ſibi vtilem, poſſit imponere? 7.

Bona minoris in domum conductam inuecta, & illata, an ſint pro ipſius penſione tacitè obligata? 8.

Ex receptione dotis an bona minoris maneant tacitè hypothecæ ſuppoſita? 9.

QVÆSTIO IIII.

Quæ ætas ad bonorum obligationem ſufficiat, tam pro cenſu quàm pro alijs contractibus?

IN vniuerſum enim, quibus rerum ſuarū alienatio inhibetur, & earum obligatio, pignoratio, & hypotheca prohibita intelligitur, *l. fin. C. de rebus alienis non alienand.* His verò omnibus rerum alienatio interdicitur, qui aut in aliena ſunt poteſtate, aut à bonorum adminiſtratione arcentur. Nam cùm aſſerente Imperatore *in dict.l.fin.* alienare, hypotecam, vel pignoris nexum contrahere idem ſit meritò quibus illud non licet, & hoc quoque denegatur, vnde inquit Conſultus *in l.9.ff.de pignoribus*, id quod emptionem, venditionemque recipit, pignorationem etiam poſſe recipere, 1

pere, cui & adſtipulatur *l.* 1. §. *eam rem*, *ff. quæ res pignori obligari poſſunt*, dum eum ſcribit, qui rem aliquam emere non poteſt, quia commercium eius rei non habet, iure pignoris accipere eam non poſſe. Igitur cùm
2 adeò minores viginti & quinque annorum res ſuas diſtrahere & adminiſtrare prohibeātur, vt quamuis rem ſuam bene gerentibus bonorum ſuorum adminiſtratio eis committi non debeat, *l.* 1. *in fine*, *ff. de minoribus*, rectè quidem & ipſis bona obligare, pignori, vel hypothecæ ſubijcere non permittitur, *l.* 1. §. *ſi minor*, *ff. de rebus eorum qui ſub tutela ſunt*. Et in pupillo expreſſe probat Conſultus *in l.* 38. *ff. de pignoratitia actione*, vbi pupillo capienti pignus neceſſaria eſt tutoris auctoritas, propter metum pignoratitiæ actionis: ergo multò minùs rem ſuam ſine tutore pignori obligare poterit, propter læſionis, aut deceptionis periculum. Quod indicare videtur Baldus *conſil.* 108. *verſicul. Solutio prima pars*, *lib.* 1. ex quo minorem ſine decreto bona hypothecare non poſſe, quaſi certum fatetur, & repetit *conſ.* 369. *lib.* 2. notat Cardinalis Tuſchus *practicar. concluſ. litera M. concluſ.* 249. *numer.* 40. probant latè Caldas Pereira *de emptione & venditione*, *capit.* 13. *numer.* 15. per textum *in l. ſi præſes*, *C. de prędijs minorum*, *l. ſi pupillorum*, §. 1. *ff. de rebus eorum*, qui huius opinionis plures Autores congerit.

3 Quæ reſolutio æquali modo procedit tam in bonis immobilibus, quàm in mobilibus, ſiue hæc ſeruando ſeruari poſsint, ſiue citò ſint peritura. Nam cùm omnium alienatio ad illos neceſſariò ſpectet, quorum ope & auxilio minores reguntur, *integer titulus de rebus eorum*, *qui ſub tutela ſunt*, ipſorum obligatio à fortiori iudicis decreto; vbi opus fuerit, adhibito, illis tantùm licebit: quòd ſi minor abſque curatore exiſtat, vti propriæ rei adminiſtratioini, hoc caſu ſufficiens creditur, *l.* 3. *C. de in integrum reſtitut.* vbi notant omnes: & ad diſtractionem illarum rerum, quæ diutina obſeruatione periclitantur, idoneus putari debet; ſiquidem bona illa alienare, quibus non venditis, neceſſario rei familiaris iactura ſuſtinenda fuiſſet, ad rectam optimi patris familias adminiſtrationem, & rerum moderationem pertinet. Vnde, & illa rectè obligare poſſe reſoluit Felicianus *libro* 2. *de cenſibus*, *capit.* 2. *numer.* 10. cum nemini alicuius rei diſtractio permiſſa ſit, cuius etiam pignoratio vel obligatio non competat.

Et propagatur noſtræ definitionis ratio, 4
non ſolùm in bonis ſimpliciter minoris, ſed etiam in illis quæ emit, pretiumque non ſoluit, ad cuius ſecuritatem eadem bona obligari prohibentur, etiamſi eo pacto res fuiſſet à venditore minori tradita, vt donec pretium ſolueretur, loco pignoris aut hypothecæ haberetur, *dict. l.* 1. §. *ſi minor*, *ff. de rebus eorum, qui ſub tutel. ſunt*, cuius hæc ſeries: *Si minor viginti & quinque annis emerit prædia, vt quoad pretium ſolueret, eſſent pignori obligata venditori, non puto pignus valere. Nam vbi dominium quæſitum eſt minori, cœpit non poſſe obligari*, cuius quidem deciſio etſi ab humanitate auerſa, iuſtitiæque expers proferatur à Pinello *in l.* 1. *C. de bonis matern.* 3. *part. numer.* 51. Valaſc. *de emphyt. quæſt.* 35. *numer.* 4. Marienz. *in l.* 2. *numer.* 3. *gloſ.* 1. *num.* 17. *lib.* 5. *Recopilat.* Sarmient. *lib.* 3. *ſelectar. capit.* 8. *numer.* 3. eamque varijs, ac futilibus interpretationibus elidere, aut temperare conentur Caldas *in l. ſi curatorem*, *verbo Contractum feciſti*, *numer.* 10. *C. de in integrum reſtitut.* Mar. Frecia *de feudis lib.* 2. *quæſt* 41. *per totum*, Caualcanus *de tutore numer.* 246. Octauian. Simoncell. *tractatu de decretis lib.* 2. *titul.* 6. *inſpectione* 1. *numer.* 20. vbi ita inuoluta & implicita oratione loquitur, vt eius ſenſus nec mihi diutiùs inquirenti apparere potuit, Vincenc. de Franch. *deciſ.* 369. *numer.* 9. *in fine*, *part.* 2. idem Caldas Pereira *de emptione*, *capit.* 13. *num.* 16. Ioann. Gutierr. *de tutel.* 2. *part. capit.* 5. *à numer.* 36. profectò nec æquitate, nec ratione caret. Nam 5
contractus ille pacto pignoris celebrato, etſi vna conuentione includi videatur; attamen & duplicem contractum, & conuentionem ſortitur: quarum prima neceſſariò præcedere debet, vt ſecunda ſubſiſtat. Quomodò enim niſi præeunte rei venditæ dominij translatione in minorem, ipſius rei pignoratio conſiſtet? Res quæ diſtrahitur, non aliter ipſi venditori poteſt in pignus dari, quàm ſi ab eo virtute traditionis omne dominium abdicatum, & in emptorem ſit transfuſum, alioquin rei propriæ pignus ſtaret, abnegante Iuriſconſulto *in l. neque pignus* 45. *ff. de regul. iuris*. Ergo cùm neceſſarium fuiſſet in ſpecie, de qua *in dict.* §. *vltimo*, vt ex forma pactionis res vendita, quoad pretium ſolueretur, pignori obligata venditori maneret, quod illius rei dominium prius, ſaltim ordine intellectus à ſe euelleret venditor, & in minorem emptorem transferret, ſimul atque illo inſtanti, quo acquiſitione rei emptæ dominus effectus eſt minor, inci-

cipit ipſa res quaſi minoris, non poſſe ab eo ſine iudicis decreto pignorari, vel alio modo obligari. Quod vno verbo *in dict.* §. *finali* edixit Vlpianus: *Nam vbi dominium quæſitum eſt minori* (inquit) *cœpit non poſſe obligari.* Igitur, non ſine ratione Vlpianus reſpondit, prædia à minore ea adiectione empta, vt quoad pretium ſolueret, eſſent pignori obligata venditori, non poſſe ab eo tali vinculo ſubijci, niſi eo caſu quo à fiſco ſimili conditione emeret, cùm etſi illa non emiſſet, ex diſpoſitione legis, quidquid à fiſco diſtrahitur, ea tacita pactione veniat, vt quoad pretij ſolutio fiat, pignoris loco remaneat: quod cùm à lege ipſis rebus fiſcalibus inditum ſit, non aliter etiam à minore comparari, vel earum dominium nanciſci poteſt, quàm ſi tacitæ conuentioni ſit locus. *Et hic videtur illud mouere*, ſcribit Paulus *in l.* 2. *eiuſdem tituli*, *quòd cum dominis pignus quæſitum eſt, & ab initio obligatio ineſt*, verbum illud *hic* in dict. *l.* non ad antecedentia, nempe ad caſum *dicti* §. *finalis*, referri debet, vt minus rectè *ibidem* exiſtimauit Accurſius, ſed ad caſum, de quo *in dict. l.* 2. Conſultus loquitur, videlicet, ad fiſci res ea pactione minori venditas, vt dum pretium exſolueretur, pignori deſeruirent. *Nam ſi talis ſpecies* (proſequitur Paulus) *in priuato venditore inciderit* (qui caſus eſt *ſuperioris* §.) *Imperiali beneficio opus eſt, vt ex reſcripto pignus confirmetur*. Siquidem à principio, cùm res illa iam minoris eſſet, & obligari prohibita, pignus nullitate laborat, vt in propoſito excogitauit Sarmient. *dict. lib.* 3. *ſelectar. cap.* 8. *numer.* 3. *verſicul. Circa quod latius*, Barboſa *in l. ſi conſtanter* 25. *in princip. à numer.* 122. *vſque ad numer.* 126. *ff. ſoluto matrimon.* Quare ſuperiorem ſententiam vti veriorem defendunt contra nonnullos Menchaca *de ſucceſſ. creat. lib.* 1. §. 10. *numer.* 74. *ampliat.* 4. Trentacinc. *variarum reſolution. lib.* 2. *titul. de minori, reſolutio.* 9. *numer.* 7. Gratian. *diſceptat. forenſ.* 2. *tom. capit.* 242. Caſtillo *lib.* 4. *capit.* 61. *numer.* 33. Lara *in compend. vitæ homin. capit.* 22. *à numer.* 1. & cum alijs Hermoſilla *vbi*

6 *infrà numer.* 25. Ex quibus infertur minorem nec dum res ſimpliciter ſuas, verùm & quas illa conditione acquiſiuit, vt pignorarentur, obligare ſimiliter non poſſe: quod procedit ſiue titulo oneroſo, ſiue lucratiuo, tali pacto bona ad minorem peruenerint, cùm vtroque caſu ratio *dict. l.* 1. § *fin.* ſuperiùs à nobis perpenſa vires ſortiatur. Quidquid in contrarium voluerint Cumanus *in dict. l.* 1. §. *fin. ad finem, ff. de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt*, Pinellus *in dict. l.* 1. *C. de bonis maternis* 3. *part. num.* 52. *verſicul. Infertur tertiò, & numer.* 54. vbi in ſuæ opinionis fulcimentum adducit text. *in cap. verùm, de condition. appoſitis, capit. Pontifices* 12. *quæſt.* 3. *l. cauſam* 20. *ff. de manumiſſ. l. ſi rogatus, ff. de manumiſſ. vindicta*, cuius ſectatores exiſtunt Valaſcus & Matienzus *locis vbi ſuprà.* Nam vt optimè probat Barboſa *in dict. l. ſi conſtanter numer.* 124. noſtra opinio rationi congruentior, & longè probabilior videtur. Nec obſtare demonſtrat pro contraria ſententia allata, ad quem, ne tranſcribam, lectorem delegaſſe ſufficiat.

Illud etiam preciſe ex ſuperioribus deducitur, ſcilicet, minorem, etiam carentem curatore citra iudicis decretum ſuper bona ſua cenſum conſignare non poſſe, quemadmodum nec illa obligationi ſubijcere, *dict. l. ſi curatorem*, *l. lex quæ tutores, C. de adminiſtration. tutor. l.* 8. *titul.* 13. *part.* 5. *l.* 18. *titul.* 16. *part.* 6. probat Felicianus *libro* 2. *de cenſibus capit.* 2. *numer.* 11. Auendañ. *eodem tractatu capit.* 81. *numer.* 5. Marius Anton. Maceratenſ. *variarum reſolution. lib.* 2. *reſolution.* 24. Petr. Follerius *in praxi cenſual. fol.* 133. *numer.* 38. Gaſpar Rodriguez *de annuis reditibus, lib.* 1. *quæſtion.* 14. *num.* 15. Caſtill. *dict. tom.* 4. *controuerſ. capit.* 61. *numer.* 28. qui contra Felicianum, & Rodriguez *locis vbi ſuprà* hoc verum affirmat, etiamſi cenſualis contractus vtilis appareat minori. Quod anteà prædixerat Simoncellus *tractatu de decretis lib.* 2. *titul.* 6. *numer.* 33. alios referens nouiſſimè Hermoſilla *in additionibus ad Gloſſam* 2. *l.* 4. *titul.* 5. *part.* 5. *numer.* 18. niſi ſuper bona mobilia, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, cenſum conſtituerit: ſiquidem cùm ex nuper traditis harum rerum obligatio, quemadmodum & alienatio minoribus curatore carentibus competat, illas cenſus ſubſceptioni hypothecare, & mancipare ſine iudicis decreto poterunt, vt notabiliter docet Felicianus *vbi ſuprà numer.* 10. quòd ſi ſuper alia bona immobilia propria autoritate annuum redditum ſuſceperit pubes, valere ſcribit Auendañ. *vbi ſuprà numer.* 5. licèt poſteà reſtitutionis auxilio ſubuertatur, *ex l.* 4. *titul.* 11. *part.* 5. Quæ de hac re nec vllum verbum agit: quare cenſualem contractum ab ipſo minore factum, etiam curatore carente, ſtatim nullius roboris crederem, ex doctrina, quam vbi de ætate ad ciuiles obligationes diſcuſſimus, pluribus adſtruxi, nempe, minores ſiue curatore deſtitutos, ſiue non, ex omnibus cauſis obligari poſſe, dummodò

modò obligatio coniunctam rerum ſuarum alienationem non habeat. Nam ſi in id obligari voluiſſent, vt rem ſuam alienaſſent, vtique ſtatim nullius momenti obligatio eſſet: minori namque facilius eſt obligare perſonam quàm bona, Baldus *in l. certi iuris quæſtione* 8. *C. locati*, Simoncellus *de decretis lib.*2. *titulo* 5.*numero* 11. & *titulo* 6. *numero* 49. Quare cùm vt ſuprà tradidimus, pignorare, aut hipothecæ vinculo bona ſubijcere, alienare ſit, *l. final, C. de rebus alien. non alien.* qui alienare prohibentur, vtique & pignorare, aut cenſus ſuſceptioni bona ſubiugare non poterunt.

8 Vtrùm autem & huius diſputationis reſolutio locum etiam habeat in tacita hypotheca, ſeu legali pignore, vtputa, in conductione domus, ad cuius ſecuritatem quæcumque in eam inducta & illata tacitè obligata ſubſunt? quæſtionis eſſe puto. In qua poſt longam diſputationem concludit Simoncellus *dict. tractatu de decretis lib.*2. *tit.*5. *num.*18. eruditiſſimo Iacobo Menochio adhærens, *de adipiſcenda remedio* 3. *num.* 81. minorum bona indiſtinctè tacitè non eſſe pro penſione domus obligata, niſi eo tantùm caſu, quo tutoris, aut curatoris autoritate domus ſit conducta. Quam opinionem ex antiquioribus ſecuti ſunt Raphael Fulgoſius *in l. item qui, ff. de pactis*, Cinus *in l. certi quæſt.* 4. vbi Ioannes Faber, & Salicetus, *C. locati*, Bartolus *in l. ſi conſtante num.* 74. *verſic. Quarto quæro, ff. ſoluto matrimonio*, & ibi Raphael Cumanus, & Ioan. de Imola, Petrus Ancharranus *conſ.*94. *iſta domina*, Franc. Caldas *in l. ſi curatorem habens, verbo, cùm non abſimilis n.*35. *cumpluribus ſequentibus*, Andr. Tiraquel. *poſt leges connubiales gloſſ.*8. *num.* 193. Ferdin. Menchac. *lib.*3. *vſufrequent. c.* 55.*n.*1. quorum etiam ſententia probatur in omni obligatione legali, vt expreſſe docet Barboſa *vbi ſupra per textum in dict. l.*2. *ff. de rebus eorum*, & alijs in huius concluſionis confirmationem adductis, per Cardinal. Manticā *de tatitis & ambiguis conuentionibus lib.*11. *tit.*15. *num.*37. quam opinionem ego veram credo, vbi minor conduxit domum ſtatui ſuo non conuenientem, vt puta quia ſuperflua, & ampliſſimæ habitationis erat. Nam ſi conuenientem, & ſecundum ſtatus ſui qualitatem conduxit, in eam illata tacitè pignori obnoxia remanebunt, vt poſt Petrum de Bellapertica tenent Cinus *in l. fin. C. de leg. tutor.* Balduin. *in l. certi iuris, C. de priuileg. dotis*, Alexand. Trentacinq. *variar. reſolut. lib.*3. *tit. de locatio. reſolutio.* 5. *num.*5. *verſic. Quarto*, vbi relatis hac in quæſtione quatuor opinionibus, huic veluti meliori accedit. Et ratio eſt ſecundùm Trentacinq. quia quando minor conduxit domum ſecundùm eius conditionem & qualitatem, facit quod quilibet diligens pater familias feciſſet, & cùm ſit vſus iure communi, habetur loco maioris, *l. fin. C. de in integrum reſtitut. minor. l. verùm, §. item non reſtituitur, ff. de minoribus.* Quam rationem *ibidem* alijs confirmat, & concludit hanc ſententiam etiā habere locum, cùm minor continuauerit habitare domum conductam à patre, ſi tamen ipſius qualitati condecens erat domus.

9 Vnde minoris bona tacitè pro dote, quam recepit, non eſſe hypothecata, ſentit Gloſſa ſecundum vnum intellectum *in l. fin. C. de legit. tutor. & in d. l. item, ff. de pactis*, vbi ita tenent Bartolus, Raphael Fulgoſ. *in d. l. ſi conſtanter num.* 74. *ff. ſoluto matrimonio*, Angel. de Aret. *col.*2. *in §. item Seruiana inſtitut. de action.* ibidem Iaſon *n.*58. Salicet. *in d. l. certi. q.*3. *C. locati*, Petr. de Ancharran. *d. conſil.*94. *poſt principium*, Ioan. Gutier. *de tutel.* 2.*p.c.*5.*n.*52. & ferè omnes *ſuprà* congeſti: quamuis contrarium velut iuri magis conſentaneum defendant eadem Gloſſa *in d. l. fin. verbo teneri*, ſecūdùm vltimum intellectum, *C. de leg. tutor.* ibid. Cynus, Petr. de Bellapertic. Reyner. Ioan. Faber, Ioan. Andr. ad Speculatorem, *tit. de dote, §. vlt. verſ. Quid ſi mulier*, Iacob. de Arena, & Albericus *in l.*2. *ff. de reb. eorum*, Iacob. de Aretio *in d. l. ſi conſtante*, vbi etiam Baldus, Angelus, Roman. Alexand. *n.*25. *verſic. Item in quantum*, Iaſon *n.*210. *ff. ſoluto matrimon.* Ioan. Faber *in §. fuerat, verſ. Item quid ſi maritus, inſtitut. de action.* Bald. *in l. certi. q.*8. & ibidem Angel. *C. locat.* Philip. Corneus *conſ.*151. *videtur in hac conſultat. col.*2. *volum.*4. Laur. Calcan. *conſ.*13. *verſ. Nec obſtat, quod dicit*, Ruinus *conſ.*61. *ex themate n.*4. *vol.*3. Menchac. *lib.*3. *vſufreq. d. c.*55. *n.*3. *in princip.* Iacob. Menoch. *de adipiſcend. remed.*3. *n.*69. Quorū omnium ſententiam meritò refutat, noſtram que pluribus ſtabilit, & communē dicit poſt Ferdin. Menchac. *lib.*3. *quæſtion. vſufrequen. c.*55. *n.*3. Franc. Caldas *in l. ſi curatorem, verbo cùm non abſimilis à n.*41. *C. de in integ. reſtitut. minor.* Octau. Simoncel. *tit. de decretis lib.*2. *tit.*5. *inſpect.*1. vbi more ſuo quæſtionē latiſſimè pro vtraque parte exagitans, demū *n.*5. tribus caſibus conſtitutis eam rectè definijt hoc modo, cùm minori tradūtur in dotē res æſtimatæ, vel ex dote cōparatæ, hoc caſu, inquit, minoris res eſſe pro dotis reſtitutione tacitè obligatas, ex eo quia hæ cùm ſua obligatione pertranſeunt: ſi verò res, quę minori in dotē datæ ſunt, durante minori ætate

fuerunt conſumptę; hoc caſu ſentit prædictus Autor, ipſius bona minimè eſſe tacitè pro ipſius reſtitutione obligata, ſecùs verò cùm nō ipſa minori ætate, ſed in maiori fuerunt conſumptæ: nam tunc proculdubio minoris bona erunt tacitè obligata pro dotis reſtitutione: & reddit rationem, his verbis: quia ſtatim quòd minor peruenit ad perfectam ætatem, ſunt tacitè eius bona obligata; & licèt ab initio non fuerint obligata, cùm perfectæ tamen effectus eſt ætatis, bonaque in dotem à muliere data tunc temporis in eſſe reperiãtur, debet tunc habere locum priuilegium dotis, quippe quòd bona recipientis dotem ſint pro reſtitutione tacitè obligata, cùm eo tempore reperiatur habilis ad obligandum, & ceſſet ratio decreti, cùm amplius fraudi ſuppoſitus non ſit.

SVMMARIVM.

Minor annis viginti & quinque, nec liberam rerum ſuarum adminiſtrationem, nec alienationem habet. 1. *&* 3.

Minor pupillo æquiparatur. 2.

Alienatio à minore facta ipſo iure eſt nulla. 4.

Minoris bona, etiam ex cauſa vtilitatis, non poſſunt ſine decreto, curatoris autoritate, & iuſta cauſa alienari? 5.

Minor nec eum venia ætatis aliquid immobile poteſt alienare. ibidem.

Textus in l. ſi curatorem habens 3. *C. de in integ. reſtit. minor. interpretatur.* 6.

Minor an poſſeſſionem alienet? 7. *& ſeqq.*

Text. in l. poſſeſſionem 29. *ff. de acquir. poſſeſ. verè intelligitur.* 9.

Alienationis verbum in ſua ſtricta ſignificatione importat dominij abdicationem ex parte alienantis & translationem in perſonam illius, cui fit alienatio. 10.

Alterius alienationi minor conſentire nequit. 11.

Minor cum iuramento rectè alienat. 12.

Iuramentum ætatis defectum ſupplet, & minorem maiorem efficit. 13.

Minor, cui tanquam hæredi, vel executori fuit alienandi poteſtas à teſtatore, etiam minori conceſſa vt quilibet maior poteſt alienare. 14.

Minor poterit alienare, ſi lege, vel ſtatuto ad id expreſſe habilis reddatur. 15.

Princeps licèt minor, alienandi ius habet. 16.

Bona minoris religionem profitentis cẽſentur, licèt ſine decreto & curatore in monaſterium translata. 17.

QVÆSTIO V.

Cuius ætatis hominibus ſit rerum ſuarum alienatio permiſſa?

Etſi Iuſtinianus admoneat *in §. nunc inſtitut. quib. alien. licet vel non*, neque pupillum, neque pupillam vllam rem ſine tutoris autoritate alienare poſſe, inde inferendum non erit, hac ætate maiores, ſcilicet puberes, liberam rerum ſuarum alienationẽ obtinere: quia vt apud omnes Iuris noſtri profeſſores conſtat, & inferiùs cōſtabit, qui ſupra vigeſimumquintum ætatis ſuæ annum nō exceſſerunt, vti nec abſolutam rerum adminiſtrationem, nec ipſarum volũtariam, & independentem diſtractionem conſequuntur, ſed ideò credendum eſt, vt *in d. §.* meritò adnotauit Vveſembec. *n.* 3. Imperatorem pupilli tãtùm mentionem feciſſe, quia quod ad alienãdi prohibitionẽ attinet, omnes, qui maiores vigeſimo & quinto anno non exiſtunt, pupillorum loco habentur, cuius rationis veritas vel exinde confirmari poteſt; quod *in d. §.* & pupilli, & minoris nomine promiſcuè vtitur Imperator, quaſi hac in re nulla ſit horum nominũ diſcretio, aut differentia, quinimò ſumma æqualitas, & ſimilitudo, vt etiam probat Anton. Faber *lib.* 17. *coniect. cap.* 9. *& in Papinian tit.* 12. *princip.* 1. *illat.* 6. Amaya *obſeruat. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 8. 1 2

3 Ergo iuxta ſupradicta noſtrę diſquiſitionis certiſſima definitio ſit, non ſolùm pupillum & pupillam, ſed etiã puberes & adultos, ante vigeſimi & quinti anni lapſum, à rerum ſuarum alienatione prohiberi, ne ex inconſulta ſua facilitate in graue incommodũ incidant, adeò quidem, vt ſi ante prædictam ætatem alienauerint, alienatio ſit ipſo iure nulla, & nullum effectum, neque translationem dominij operetur, *l.* 1. *§. ſi fortè, ff. de reb. eorum; l.* 2. *l. prædia ruſtica, & l. fin. C. de prædijs & alijs reb. minor* refert Cardin. Tuſchus *pract. concluſ. iuris litera M. concl.* 249. *n.* 65. Scaccia *de comercijs. §.* 1. *q.* 7. *p.* 3. *limitat.* 17. *n.* 5. quia his ſolummodò facultas alienandi iure 4 conceditur, qui ea ætate exiſtunt, qua nedum maiores, ſed & prudentiores frequenter homines fiunt, *l.* 1. *§.* 2. *de minor. cũ ſimilib.* quæ ſentẽtia probatur ex integris titulis, *ff. de minorib. de reb. eorũ, qui ſub tutela vel cura ſunt, ſine decreta nō alienãdis*, & ex traditis à Menchac. *de ſucceſſ. creat. §.* 10. *n.* 73. Pereira *in l. ſi curatorẽ, verſ. Res n.* 1. *verſ. Si denique, C. de in integrum reſtitut.* Scaccia *de commerc. dict. §.* 1. *quæſt.* 7. *part.* 3. *limitat.* 17. *num.* 5. Hermoſilla *in l.* 4. *Gloſſ.* 2. *num.* 6. *tit.* 5. *p.* 5. & con-

& confirmari videtur communi ea reſolutione, qua traditur minoris bona non poſſe citra decretum curatorum, autoritatem, & legitimam cauſam alienari. Quam ex multis profitentur Ioan. Gratianus *reg.316. num. 22. & num.38.* Stracha *de mercat. part.3. num.25.* Simoncellus, qui hac de re copioſiſſimè differit *tractat. de decretis lib.3. tit.8. ab inſpectione 2. cum ſequentibus*, Bertazolus *de clauſulis clauſ.10. gloſ.2. num.4. & deinceps*, Tiraquel. *lib.1. retract. §.1. gloſ.7. n. 104.* Cardin. Tuſchus *practic. concluſ. iuris litera M. concluſ.249.* Baptiſta Aſinius *de alluuion. lib.2. cap.10. num.14.* Cardin. Mantica *de tacitis & ambiguis conuention. lib.4. tit.6.* Mendoça *de pactis lib.2. cap.2. num.4. & 34.* Gaſpar Rodriguez *de annuis redditib. lib.1. quæſt.10. num.14.* & fortioribus terminis, vtilitatis ſcilicet minoris, Farinac. *tom. 1. prax. criminalis quæſt.15. num.7.* qui pro ſua ſententia innumeros adducit, quibus adſtipulatur Gutier. *de tutel.2. part. cap.7. num. 12.* D. Ioan. del Caſtillo *controu. tom.4. cap. 61. num.29. & ſeqq.* vbi plures huius opinionis ſectatores refert. Quam cõcluſionem adeò veram eſſe fatentur Antonius Gomez *tom.2. variar. cap.14. num.12.* Simoncellus *dict. tit.8. num.23.* Acoſta *in l. Gallus, §. & quid ſi tantum 4. part. n.48.* Nauar. *de reſtit. cap.225.* Sforc. *de reſtitut. in integ. part.1. q. 23.* Gutier. *de tutel.2. part. cap.5. n.71.* Mantica *vbi ſupra num.34.* Bertazol. *de clauſul. clauſ.10. gloſ.2. num.11.* Cancer. *variarum tom.2. cap.1. num.183.* Lara *in compendio vitæ hominis cap.35. n.82.* & alijs relatis Hermoſilla *in l.4. gloſ.2. num.7. tit.5. part.5.* vt nec veniam ætatis impetrantes ante prædictum tempus res ſuas poſſint alienare. Nam præfata venia ſolùm operatur quoad adminiſtrationem ſuorum bonorum, & alienationem mobilium: non verò quoad alienationem immobilium, quæ ſine decreto alienari non poſſunt.

6 Cui ſuperiori ſententiæ non multum repugnare videtur illud difficile, & perobſcurum Imperatorum Diocletiani & Maximiani reſcriptum *in l. ſi curatorem habens 3. C. de in integrum reſtitut.* cuius ſpecie continetur minorem curatore deſtitutum ita validè rem ſuam diſtrahere, vt niſi beneficio reſtitutionis illam recuperare non poſſit: quia vt paſſim, & ferè ab omnibus Scribentibus recipitur, vt Autor eſt Andreas Fachinæus *lib. 3. controuerſiarum cap.1.* textus iſte non de re immobili, aut de mobili, quæ temporis curſu non fit deterior, quorum præcipuus noſter ſermo, ſed de mobili, quæ ſeruando ſeruari non poteſt, accipiendus eſt, quam proculdubio puberes, qui nullis curatoribus reguntur, alienare poſſunt, *l. lex quæ tutores, l. vltim. §. vltim. C. de adminiſtrat. tutor. l. fin. C. quando decreto opus non eſt*, tradit Vaſquius *de ſucceſſion. creation. lib.1. §.10. num. 74.* Simoncellus *dict. tit.8. inſpectione 2. numero 22.* Tiraquel. *de retract. lignagier, §.1. gloſ. 7. num.52.* Cardinal. Mantica *dict. titulo 6. num.51. & 52.* Felicianus *de cenſib. lib.2. c. 2. num.10.* & nos tradidimus *hoc eodem anno*, cùm de ætate ad bonorum obligationem ſcripſimus.

7 Fortius enimverò obſtrigilat quod de poſſeſſione vulgò obijci ſolet. Nam cùm hæc nihil cum illis bonis mobilibus commune habeat, nedum à pubere, qui curatori nõ ſubiacet, ſed & à pupillo ſub tutore conſtituto, eo non autorante alienari poſſe videtur, *l. poſſeſſionem 29. de acquir. poſſeſ.* ibi: *Poſſeſſionem pupillum ſine tutoris autoritate amittere poſſe conſtat.* Quare ita reſoluunt plures congeſti à Simoncello *dict. tit.8. inſpectione 8.* quibus accedit Mantica *vbi ſupra numero 50.*

8 Sed propoſitæ aſſertioni adhærendum eſt, vt nullam rem, etiã poſſeſſionem, minorem, niſi adhibitis ſolemnitatibus alienare poſſe, tenendum cum ſuprafcriptis, & inſuper cum Pereira *in dict. l. ſi curatorem, verbo contractum feciſti ex num.17.* Simoncello *dicto titulo 8. inſpectione 8. à num.59.* Cardinal. Tuſchus *dict. litera M. concl.249. num.43.* vbi ideò putat minorem alienare non poſſe rem, quam titulo & bona fide poſſidet, cui ſubſcribit Cardinal. Mantica *vbi ſuprà numero 41.* Caſtillo *dict. cap.61. num.44.* qui de poſſeſſione loquuntur, veluti & de poſſeſſione legis miniſterio in ſequentem maioratus ſucceſſorem translata, noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hominis cap.14. num.24.* & quidem optimè, cùm id expreſsè caueatur *in l. pupillus 11. ff. de adquir. rerum dominio*, vbi ita ſcribitur: *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget tutoris autoritate: alienare verò nullam rem poteſt, niſi præſente tutore autore, & ne quidem poſſeſſionem, quæ eſt naturalis*, licèt aliter placuerit Tiraquello *in l.16. connub. gloſ.5. num.170.* Qui ſola intercedente autoritate tutoris pupillum poſſe alienare nudam poſſeſſionem exiſtimat.

9 Quibus non repugnat Vlpiani reſponſum *in dict. l. poſſeſſionem*, nam licèt inter hæc iura communiter diſſidium, & irreparabile bellum eſſe credatur, non tamen ineleganter in concordiam frequenti Scribẽtium calculo redigitur, vt videre eſt apud Anton. Pichard. *in dict. §. nunc admonendi, n.7. inſtitut. quibus alien. licet, vel non*, & Valentiam

dict.tractat.2.cap.6.num.19. Sed melius aliquando cogitabam (nondum perlecto Mathia Collero qui *tractatu de proceſſibus executiuis part.2.cap.1.num.205.* eandem expoſitionem præſenſerat) hunc nodum diſſolui poſſe, videlicet, conſtituendo differentiam inter alienationis verbum, de quo in *dict.l. pupillus*, & amiſſionis, quod in *dict.l. poſſeſſionem*

10 exprimitur: ſiquidem alienatio in propriſſimo ſignificatu ſumpta, importat ex parte alienãtis abdicationem, & translationem in perſonam eius, cui fit alienatio: vnde Seneca *lib.5.de benefic.* alienationem, ait, eſſe rei ſuæ, iuriſque ſui in alium translationem: quare Vlpianus non propriè alienatum dici ſcribit, quod adhuc in dominio venditoris manet, venditum tamen rectè dici, *l.alienatum 67.de verborum ſignificatione.* Ergo pupillus, aut quilibet alius minor, qui nullam rem à ſe abdicare, & in alium transferre poteſt, nec poſſeſſionem etiam naturalem poterit alienare, ſiquidem hoc animo fieri debet, qui ad perdendum minori nullus eſt *dict. l. poſſeſſionem*: amittere verò rectè valebit, corpore ſcilicet tantum, vt dicitur *in dict.l.poſſeſſionem*, nam qui amittit ſolum relinquit poſſeſſionem *l.3.§.in amittenda de acquirenda poſſeſſione*: non verò in alium transfert, veluti cùm alienat, qua ratione non alienare, inquit Petrus Faber *in l.non alienat.119.de regulis iuris*, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem, igitur pupillus naturalem poſſeſſionẽ, ſiue corporalem inſiſtentiam amittendi ius habebit, quia tantùm eius alienatio ipſi interdicitur, non verò eius deſertio, quæ facti eſt ſiquidem legis tanta poteſtàs non eſt, vt efficere poſſit eum non videri à fundo receſſiſſe, qui revera receſſit, argumento *l.in bello, §.facti, ff.de captiuis.* Quæ licèt cum communi interpretatione coincidere videatur, ab eã tamen non nihil differt.

11 Remanet etenim firma ſuperior concluſio, nempe minorem rem nullam etiam poſſeſſionem alienare poſſe & quod magis eſt, nec alteri alienanti conſentire, nam qui non poteſt per ſe vtilem alienationem perficere, nec per alium poterit: ergo cùm minor alteri alienanti conſentiens ipſe alienare dicatur, inde eſt non ſolùm alienationem à ſe ipſo factam, verùm & conſenſum alterius alienationi præſtitum meritò interdici. Ita Decius ſecutus à Cagnolo *in l.aliud eſt, ff.de regulis iuris*, Redoanus *tractat.de alienat. rerum Eccleſiaſtic.rubrica de ſignificatione verbi alienatio, fol.11.num.1.* Simoncellus, qui huius ampliationis nonnullas alias rationes expendit *dict.tractat. de decret.lib.2.tit.6. inſpect.vltima num.143.* Proſper Farinacius plures congerens *tom.1. prax. criminal. quæſt.15. num.3. & 4.* Caldas *de emptione cap.8.num.32.* & probat *ex l.fin. de iure dotium*, Rebuffus *in l.alienationis 28. verſic. Item qui non poteſt, de verborum ſignificatione*, vbi hanc doctrinam tunc veram intelligit, cùm per minoris conſenſum compleretur, & perficeretur alienatio. *l.ſicut, §.alienationis, ff.quibus modis pign.*

Cæterùm cùm nil in iure ſit adeò perpetuum, 12 vt aliquando non deficiat, vnde Conſultus ciuilem omnem definitionem periculoſam appellauit *in l.omnis definitio, ff.de regulis iuris*, ſciendum eſt hanc vtique penè omnium communem traditionem aliquibus caſibus minimè locum habere, & in primis vbi minor alienationem à ſe, vel ab alio factam iuriſiurandi religione firmauit: tunc enim talis alienatio effectum & valorem ſortietur, veluti à maiore facta, quia eiuſmodi 13 ſacramẽti interpoſitio ætatis defectum ſupplet, & puberem adeò ſuprà vigeſimumquintum annum conſtituit, vt quidquid maioribus ſolummodò permittitur, poſſit & ipſe exercere: ſic in propoſito innumeris relatis reſoluit Octauian. Simoncellus *dict. lib.3. tit.8.inſpectio.18.num.137.& 138.* & inferiùs de minore alienationi conſentiente agens *num.148.* licèt contrarium voluerint ab ipſo congeſti *num.133. & ſequentibus*, quibus addendus erit Cardin. Tuſchus *practicar.concluſ.iuris litera M. dict.concl.249. numero 20.21.22.& 23.* & alter Cardinal. Mantica *dict.tit.6.num.53.*

Deinde reſtringitur ſuperior concluſio ca- 14 ſu, quo minori ſit permiſſa alienandi facultas à teſtatore, vtputa quia vel hæres inſtituitur, aut executor deſignatur in teſtamento. Nam tunc ſi ei fuerit expreſsè conceſſa alienatio, poterit ſine dubio defuncti res alienare, *l.prædium 3.C.quando decreto opus non eſt*, ſiquidem non tam ipſe, quàm defunctus, cuius mandatum exequitur alienare videtur. Sic Alexander *conſ.25.* incipienti *ponderatis, in principio lib.6.* & ibi apoſtil. *verbo teſtatore*, Tuſchus *dict.concluſ.249.num.80. & 87.* qui & *num.84.* id procedere affirmat, etiamſi teſtator, qui dictam alienandi poteſtatem minori executori conceſſit eſſet minor, pro quo faciunt tradita à Simoncello *loco vbi ſuprà, inſpect.4.n.32.* necnon & quòd pubes cauſa mortis bona ſua alienare rectè poteſt, vt reſoluit Menchaca *lib.1.controu.§.10.n.76.* Lancellotus *in conſuetud. Alexandri, pag.mihi 163.n.8.* conſentit ſuperioribus Fachineus *conſ.37.n.1.lib.1.* quod maximè notandum, & memoria retinendum admonet Cardin. Mantica *d.tit.6.n.61.& 62.*

15 Rurſus & alio modo limitatur dicta ſententia, videlicet cùm adeſt ſtatutum reddens minores alienationis capaces, vt fieri poſſe teſtantur Socinus Senior *conſil.* 130. *num.* 1. *lib.* 1. Iaſon *in l. de quibus num.* 63. *ff. de legibus*, quibus accedens Card. Mantic. *dict. tit.* 6. *num.* 48. idem amplectitur, etiam vbi non ab ſtatuto, aut lege municipali, ſed â Principe ipſo talis habilitas procedit, quam vtroque caſu expreſſam deſiderat. Nam licèt minores ſtatuti, aut Principis beneficio idonei ad contrahendũ efficiantur, vtputa qui veniã ætatis cõſequuntur: virtute tamen eiuſmodi priuilegij alienare non poterunt, argumento *text. in l.* 2. *§. fœminas, verſic. ita tamen*, vbi notant Accurſius, & Gotophredus, tradunt Paulus Caſtrenſis *conſil.* 102. *verſic. Pro quo facit optimè, in antiquiſ. & innouiſ. conſ.* 161. *lib.* 2. Socin. Senior *dict. conſil* 130. Decius *conſil.* 403. *num.* 10. Tiraquel. *de nobilit. cap.* 20. *num.* 42. quos idem Mantica refert *vbi ſuprà*, etiam *num.* 34. Ioan. Gutier. *d. tractat. de tutel. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 71. niſi fortè verba Principis, aut ſtatuti ita ſint generaliter concepta, vt omnia negotia comprehẽdant, Decius *conſil.* 527. *in fine*, cui ſubſcribit Seraphin. *deciſ.* 751. *num.* 10.

16 Similiter coercetur in Principe minore, qui abſque omni ſolemnitate res ſuas alienare poteſt, atteſtante Baldo *in l. ea lege, C. de condic. ob cauſ.* Beroi. *conſil.* 61. *num.* 34. *lib.* 1. Cephalo *conſil.* 579. *num.* 13. & Mantica *vbi proximè n.* 49. eo videlicet, quia vt profertur *in l. donationes* 26. *C. de donation. inter virum & vxor.* principales contractus legis vicem obtinent, minimeque ad ſui validitatem opitulatione quadam extrinſecus egẽt.

17 Limitatur item vlteriùs, ſi minor ingrediatur monaſterium: nam tunc ipſo ingreſſu, ſiue vt propriùs dicam, ipſa profeſſione cenſetur omnia ſua bona, quamuis ſine decreto, & curatoris autoritate, in monaſterium tranſtuliſſe, & alienaſſe, veluti poſt Simoncellum *dict. tit.* 8. *inſpectione* 14. & Tuſchum *dict. litera M. concluſ.* 249. *num.* 71. tradunt Mantica *de coniect. contract. tom.* 1. *lib.* 11. *tit.* 21. *n.* 13. Stephan. Federicus *de interpretatio. legum* 1. *part. fol.* 48. *verſic.* 7. quod expreſſe deducitur ex *authentic. ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.*

18 Alijs etiam modis comprimitur generalitas ſuperioris regulæ, de quibus lato calamo ſcripſerunt Octau. Simoncel. *dict. tit.* 8. Cardin. Tuſchus *dict. concl.* 249. & Mantica *relato lib.* 4. *& tit.* 6. ibi enim cùm occaſio ſe obtulerit, videri poterunt, neque enim opus eſt in tranſcribendis aliorum ſcriptis parum fructuosè longiùs diuagari.

D. Didacus de Narbona.

SVMMARIVM.

Vendere, alienare eſt. 1.

Vendendi nemo liberam habet facultatem ante vigeſimumquintum annum. ibidem.

Minor etiam cum tutoris autoritate, habita fide de pretio, vendere non poteſt. 2.

Minor ex pacto anteceſſoris poteſt rem abſque curatore vendere. 3.

Pactum retrouendendi an poſſit validè à minore in emptione adijci. 4.

Minor cenſum emens, poteſt abſque aliqua ſolemnitate pactum retrouendendi apponere. ibidem.

Pactum legis commiſſoriæ poteſt à minore adijci. ibidem.

Pacto de retrouendendo ſi minor non vtatur, vt læſus abſque alia probatione non reſtituetur. 5.

Promiſſum dare poteſt maior quinque & viginti annorum. 6.

QVÆSTIO VI.

Venditio à quibus celebrari poſsit?

Concluſimus ſuperiori quæſtione omnem omnino minorem cuiuſcumque ſexus, â libera rerum ſuarum alienatione remoueri: quocirca cùm vendere, propriè ſit alienare, *l. alienatum* 67. vbi communiter obſeruatur, *ff. de verborum ſignificatione*, inde neceſſarium infertur, vigeſimo & quinto anno minores, qui alienationis ſunt incapaces, venditionis quoque cenſeri, & eos ſolummodò huiuſmodi contractum celebrare poſſe, qui & cæteros, ex quibus alienationes ſequuntur, ineundi legitimam viginti & quinque annorum ætatem exceſſerunt. Ita in ſpecie docuerunt Petrus Nicolaus Mozius *in amphitheatro contract. titulo de emptione & venditione, cap. de perſonis quæ poſ. emere, vel non num.* 9. Cardinal. Mantica *de tacitis & ambiguis conuention. lib.* 4. *tit.* 6. *per totum*, vbi huius concluſionis nonnullas extenſiones, & ampliationes adducit Cardinal. Tuſchus *practic. concluſ. iuris litera V. concl.* 69. *num.* 13. *&* 14. dum minorem negat vendere poſſe habita fide de pretio, etiam tutore autore, licèt emptor ſoluat intereſſe minori.

Quod ſic accipiendum velim, niſi ex pacto ſui anteceſſoris tenerentur rem vendere, vt puta ſi eo pacto, à parentibus, vel teſtatore

aliquo, cui minores ſucceſſerunt, res fuiſſet comparata, vt teneretur eam intra certum tempus eodem pretio retrouendere: tunc enim etſi non perfectæ ætatis exiſtant, rectè poterunt minores, etiam non aſſentientibus curatoribus, in pacti conſequentiam pretio recepto retrovenditionem perficere, vt voluerunt Imperatores *in l. 1. & in l. prædium 3. C. quando decreto opus non eſt*, & prædixerat Conſultus *in l. magis puto 5. §. ſi pupillus ſtipulanti, ff. de rebus eorum*, refert ex Alberico & Tiraquello, Franciſc. Mantica *dict. lib. 4. tit. 32. num. 35.* Baptiſta Aimon *de alluvionib. lib. 2. cap. 10. num. 14.*

4 Dixi, niſi ex pacto ſui anteceſſoris retrouendere tenerentur: nam ex pacto cum ipſis minoribus inito dum aliquid emerent, ad id teneri non poterant, quia tale pactum, etiam in continenti appoſitum, vitiatur remanente puro contractu, ſi credimus Paulo Caſtrenſi *conſil. 112.* incipienti, *Viſo tenore, in fine, lib. 1.* Fabio de Monte *de emptione & vendit. 1. part. quæſt. 7. principio num. 1.* Alciato *in l. poſt contractum num. 54. verſic. Illud tamen, ff. de donationibus*, Aldob. *conſil. 61. num. 14.* Canalcanus *de tutor. num. 246.* quibus conſentit Franciſcus Mantica *vbi ſupra lib. 4. tit. 28. num. 44.* Andr. Fachin. *controuerſ. lib. 2. cap. 3.* noſter Lara *in compend. vitæ hominis cap. 23. num. 22.* licèt contrarium non minus probabile ſit. Nam, vt optimè cũ alijs expendit Caldas Pereira *titulo de emptione & vendit. cap. 13. num. 25.* nihil obſtat, quominus tale pactum in continenti appoſitum, etiam contra minorem ſortiatur effectum, cùm eo tempore ſit interpoſitum, quo res non minoris, ſed ipſius vendentis eſt: secùs atque cùm ex interuallo adijcitur: & hoc puto ſine dubio procedere in annui reditus, ſiue cenſus emptione, in quo quia de ſubſtantia contractus eſt, poteſt minor, omni neglecta ſolemnitate, retrouendendi pactum adijcere, & adiectum prorogare. Ita eleganter Follerius *in praxi cenſuali pag. mihi 185. n. 61. & 62.* probat abſolutè hanc ſententiam Hermoſilla *in addition. ad gloſ. 2. l. 4. tit. 1. part. 5. n. 30.* vbi multos refert de hac quæſtione Scribentes, & etiam de pacto legis cõmiſſoriæ agens, idem probat Sigiſmundus Loffredus *conſil. 3. num. 24.* vbi multis contẽdit licitum eſſe minori pactum legis commiſſoriæ adijcere, & ſeruare, licèt ſi minor non vteretur pacto de retrouendendo, & negligentia ipſius fuiſſet tempus elapſum, ſtatim abſque alia probatione læſſus minimè diceretur, nec beneficium haberet reſtitutionis, vt elegantiſſimè probat D. Ioan. de Larrea *deciſione Granatenſi 70.*

5 Cæteras principalis concluſionis limitationes vide ſupra *quæſt. præcedenti*, ſiquidem quidquid de alienatione in genere ſcripſimus ad venditionem, quaſi ad præcipuam eius ſpeciem ſingulariter ſpectat. Quocirca illud quaſi huius materiæ propriſſimum tantũdem ſubijciamn, nempe, poſt maiorem viginti & quinque annorum ætatem, nedum rerum ſuarum venditionem, ſed & promiſſum concedendi in ipſa venditione cuique poteſtatem ineſſe, vtpote habenti liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem, cui promiſſum dare permittitur, docet Parlador. *lib. 2. rerum quotidian. cap. fin. 5. part. §. 13. num. 6.* & Carleual. *de iudicijs titulo 1. diſputat. 6. num. 5.*

SVMMARIVM.

Permutatio non poteſt à minore quinto & viceſimo anno abſque iudicis decreto celebrari. 1.

Venditio vnius rei minoris, nec prætori licet pro emptione alterius. 2.

Permutatio alienationis eſt ſpecies, & venditioni aſſimilatur. 3. & 5.

Omnis alienatio indiſtinctè minoribus prohibetur. 4.

Baldi *ſententia exiſtimantis, licere minori permutationem, refutatur.* 5.

Alciati *ſimilis error improbatur.* 6.

Contractus, ex quibus dominij translatio ſequitur, quare minoribus interdicantur? 7.

Permutatio ſummè vtilis minori ei licet. 8. & 10.

Immobilia minoris & Eccleſiæ poſſunt permutari pro bobus ad laborandum neceſſarijs, ne cætera ipſorum prædia inculta remaneant. 9.

QVÆSTIO VII.

Quæ ſit ætas ad permutationem conſtituta?

1 ESſe viginti & quinque annorum ſupponunt Antonius Gomez *de contractibus cap. 14. num. 14. verſic. Quintò extẽde*, Menchac. *de ſucceſſion. creat. titulo de teſtibus poſt §. 10. ampliatio. 20. lib. 1.* Marian. Socinus *conſil. 3. num. 21. viſa, & bene conſiderata part. 2.* Octauian. Simoncellus *de decret. lib. 2. tit. 6. inſpect. 13. num. 119.* Caldas Pereira *de emptione & vendit. cap. 13. num. 12.* dum omnes commune Scribentium placitum

citum eſſe teſtantur minorem abſque iudicis decreto permutare non poſſe.

2 Et probatur hæc ſententia ex *l.non ſolum 4.C.de prædijs & alijs rebus minor.* vbi non ſolùm per venditionem ruſtica prædia, vel ſuburbana pupilli, vel adoleſcentes alienare prohibentur: ſed & permutatione, & meritò, cùm nec hoc liceat tutoribus, aut prætori, *l. magis puto 5.§.ſi æs alienum, ff. de rebus eorum,* qua cauetur nequaquam prætori, vel tutori eſſe permiſſam vnius rei pupillaris venditionem pro emptione alterius.

3 Idque vnica ea ratione, quia permutatio alienationis eſt ſpecies, venditionique æquiparatur, *l.vltim.C.de rebus alien.non alienan. l.2.C.de rerum permutation.* ennit Octauia. Simoncellus *vbi ſuprà num.* 120. & ſic appellatione alienationis comprehẽditur permutatio, Rebuffus *in l. alienationis verbum 28.verſic.* 12.*ff.de verbor.ſignificat.* Molin. *de primogenijs lib.*4.*cap.*4 *num.*1. & alij ſecuti per Auguſtinum Barboſam *de appellat. verbo, vtriuſque iuris, appellat.*14.*num.*7. At

4 quæuis alienatio omnibus omnino minoribus vſque ad annum ætatis vigeſimumquintum indiſtinctè prohibetur, *§.nunc admonendi, inſtitut. quibus alienare licet, vel non,* iunctis his, quæ in huius rei confirmationem ſupra notauimus *hoc eodem anno in quæſtione, cuius ætatis hominibus ſit rerum ſuarum alienatio permiſſa?* Ergo & permutatio, quę alienatio eſt, ipſis neceſſariò ſit interdicta operæ pretium erit.

5 Hinc deducitur toto cœlo, vt aiunt, aberraſſe Baldum *in dict.l.magis puto 5.§. ſi æs alienum, ff.de rebus eorum,* ſentientem eſſe licitam permutationem rerum adoleſcentis, quòd ſummè eſſe notandum commendat pro rebus Eccleſiæ, quæ cùm nõ poſſint alienari, poterunt tamen permutari. Nã præter quàm quòd ſibi contrarius oppoſitum docuit *in l. ſi pupillorum, in fine principij, ff.de rebus eorum,* vbi pro certo conſtituit, minorem abſque decreto permutare non poſſe, ſicut nec alienare, ex quo rectè eum præuaricationis arguit Simoncellus *vbi proximè*; ipſius ſententia ex dictis affatim mendacij conuincitur, cum adeo ſit permutatio venditioni finitima & connaturalis, vt meritò fuerit apud veteres dubitatum, an hoc placitum idem cum emptione eſſet, *l.1.§.7. de contrahenda emptione, §.1.inſtitut. eodem,* quapropter vbicumque venditio interdicitur, conſequenter & permutatio interdicta cenſetur, quia ex vtroque contractu ſequitur dominij translatio, quoquomodò minori prohibita, *dict.l.non ſolum 4. l.ſequitur, §.ſed etſi, ff. de vſucapion.* ex qua ita obſeruat Vveſembec. *in paratitl. ad titulum de rerum permutat.*

Nec fœliciùs errauit Alciatus *in dict.l. alienationis verbum num.3.ff. de verbor.ſignificat.* putans, alienatione interdicta, quandoque licitam eſſe permutationem, quia ex ea non ſequitur iactura, vel amiſſio patrimonij, quæ potiſſimè prohibitioni alienationis cauſam præbet, *l.vltim.ff. de iure dotium,* cùm tantundem ex permutatione conſecuturus ſit minor, vel quiuis alius permutans: quoniam ſi vera ipſius ratiocinatio eſſet, non quandoque, vt ipſe arbitratur, ſed perpetuò & ſemper prohibita alienatione permutatio liceret, cũ ſemper loco vnius rei alia in permutatione penes contrahentes ſit remanſura. Deinde, quia ex eadem conſideratione 6

euinceretur, etiam prohibita alienatione nõ eſſe vẽditionem prohibitam, in qua pretium loco rei venditori ſubrogatur. Quod nemo niſi delirus affirmare audebit, cùm venditio, permutatio, & cæteri contractus, ex quibus ſequitur dominij translatio, prohibita alienatione, ideò interdicti videantur, quia alienationes ſunt, & non niſi translatione dominij perficiuntur, quæ prorſus minoribus abſque debitis ſolemnitatibus inhibentur, etiãſi nullum ex ea damnum reportent, veluti cùm pro re alienata minori alia traditur, *dict.l. magis puto 5.§.ſi æs alienum, ff.de rebus eorum.* Nam etſi hoc caſu ratione læſionis minimè alienatio infirmetur, ex eo tamen laborat quòd ab incapace, & non habente alienandi perſonam indebitè fuit facta, quod ſufficit vt inutilis dicatur. 7

Quod adeò verum eſt, vt proferat Simoncellus *dict.loco num.*120. etiam vtilem permutationem eſſe minori prohibitam, eo videlicet, quia, vt dixi, permutatio alienatio eſt, ſolaque vtilitas non eſt ſufficiens cauſa alienationis rei minoris, vtpore ipſe latiùs probat *lib.3. tit.penultim.inſpectione* 17. & in ſpecie ſenſit Bald. *in dict.l. pupillorum in fine principij,* etſi contrarium placuerit Iacobo de Arena, & alijs ab eodem Simoncello adductis, & improbatis, quibus addendi ſunt Molina *vbi ſuprà,* Portol. *de conſort.cap.*12. *num.*5. & Cardin. Tuſchus *practicar. concl. iuris litera A. concluſ.*257.*num.*9. Quorum 8

ſententiam tantùm eo caſu admitterem, quo permutatio à minore facta ſummè vtilis, & hac ratione quaſi neceſſaria foret, veluti ſi immobilia minoris traderẽtur pro bobus ad laborandum neceſſarijs, ne cætera prędia inculta remanerent, vt ſingulariter voluerunt Hippolyt. de Marſil. *tractat. de bannit. in verbo bona num.*69. Octauian. Simoncellus *dict. num.*120. *in fine,* & de Eccleſia loquens idem do- 9

docet Angel. *in authent. de non alienand. §. ſi enim*, tenens, adminiſtratorem rerum Eccleſiæ poſſe alienare bona immobilia pro emendis bobus ad laborandum.

10 Iuxta quam doctrinam accipiendum arbitror quod tradunt Natta *conſil.* 470. *n.* 5. Socin. Iunior *conſ.* 28. *n.* 8. *lib.* 2. Cephal. *conſil.* 3. Menoch. *conſ.* 1141. *n.* 26. Alexand. de Neuo *conſ.* 38. *n.* 7. Honded. *conſil.* 58. *n.* 32. *lib.* 1. Magon. *deciſ.* 525. Petra *de fideicom. q.* 8. *n.* 525. *cum ſeqq.* Peregrinus *in ſimili tractat. art.* 40. *num.* 32. Cardin. Mantica *de tacitis & ambig. conuention. lib.* 25. *tit.* 4. & *de coniectur. vlt. volunt. lib.* 7. *tit.* 8. *n.* 23. latè Fuſarius *de ſubſtitut. q.* 530. quos refert & ſequitur nouiſſimè Auguſt. Barboſa *d. appellat.* 14. *n.* 7. videlicet, quòd quando permutatio fit cum re maiorem afferente vtilitatem, vel commoditatem, non prohibetur prohibita alienatione, imò potiùs valet, & fieri poteſt.

SVMMARIVM.

PVberem à decimoquarto anno ſocietatem poſſe contrahere, qui doceant? 1.

Pubes minor ex quocumque contractu, etiam ſine curatore obligatur. 2.

Societas ſolo conſenſu perficitur. 1.

Matrimonium ſocietas dicitur. 4. *& quomodo?* 10.

Societas ratione maioris vtilitatis contrahitur. 5.

Contractus ſocietatis eſt indifferens, habens ſe ad damnum & vtilitatem. 6.

Contracta ſocietate, dominium rerum illicò, & abſque vlla traditione à ſocio in ſocium mutuo transfertur. 7.

Pupilli appellatione etiam minores continentur. 8.

Societas ſolùm ab ijs poteſt contrahi, qui alienandi ius habent. 9.

Pubes poſt decimumquartum annum ſocietatem, de cuius vtilitate manifeſtè conſtat, etiã ſine curatore inire, aut in pupillari ætate abſque ſolemnitatibus inutiliter factam confirmare rectè poteſt. 10.

QVÆSTIO VIII.

Ad ſocietatem contrahendam?

1 QVatuordecim annorum ætatem in maſculis, & duodecim in fœminis deſiderari ad ſocietatis cõtractum ineundum optimè ex ſequentibus ſtabilitur. Primò ex *l. vt in conductionibus* 34. *ff. pro ſocio*, ex Baldo *conſil.* 225. incipienti *inter ſocios lib.* 4. Roman. *conſ.* 413. *quoad primum num.* 14. Alexand. *conſil.* 49. *maturè in principio lib.* 1. Ruino *conſil.* 29. *ſub num.* 14. *volum.* 5. Decio *conſil.* 255. Crauetta *conſil.* 286. *lib.* 2. Petr. Nicolaus Mozius *de contract. tract. de ſocietate, cap. de perſonis, quæ ſocietatem contrahere poſſunt, vel non num.* 9. Gabriel Mude. *in l. ſi fratres num.* 2. & 3. *ff. pro ſocio*, Cardinal. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris litera S. concluſ.* 281. *num.* 1. 2. & 3. quibus locis ſolis pupillis abſque tutoris autoritate, ſiue tacitè, ſiue expreſsè hunc ſocietatis contractum celebrare eſſe interdictum, profertur! Ergo à contrario, pupillo, maioribus hoc conceſſum videtur? vt ex Alexand. *dict. conſil.* 49. *num.* 2. *verſic. Sed præmiſſis non obſtantibus*, indicat Tuſchus *dict. loco num.* 9. & Cardin. Mantica *de tacitis & ambiguis conuentionibus lib.* 6. *tit.* 13. *num.* 18. dum inquiunt poſſe pupillum poſtquam extra pupillarem ætatem fuerit, ratam habere ſocietatem anteà contractam, ſi ſibi fuerit vtile, & expreſſius Stephanus Gratianus *diſcept. forenſium tom.* 2. *cap.* 360. *num.* 15. docens valere ſocietatem cum pubere factam, maximè in quantum concernit ipſius vtilitatem.

Secundò probatur, quia vt ſcribit Mozius 2
dict. cap. de perſonis num. 1. 1) omnes poſſunt ſocietatem coire, qui & obligari poſſunt: ſed huius ætatis puberes, etiam curatorem habentes, ex quocumque contractu naturaliter & ciuiliter obligantur, vt ſuprà *anno* 14. plenè oſtendimus: igitur & ſocietatem perficere valebunt.

Tertiò facit, nam ſocietatis contractus ſo 3
lo conſenſu peragitur, *l. qui admittitur* 19. *ff. pro ſocio l. conſenſu* 2. *ff. de actio. & obligat. §. vnico, inſtitut. de obligat. ex conſenſu*: ergo à puberibus, qui conſenſum præſtare poſſunt, vt pluries diximus, fieri poterit.

Quartò, etiam ex eo hæc ſententia ſuade- 4
ri videtur, quòd matrimonium ſocietas eſt, *l.* 1. *de ritu nuptiar. l. aduerſus* 4. *C. de crimine expilat. hæred.* ex quibus ita notat Barnab. Briſonius *lib. ſingulari de ritu nuptiar.* & Cardin. Mantica *dict. lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 18. At matrimonium à pubere, ſiue maſculo, ſiue fœmina contrahitur, *princip. inſtitut. de nuptijs* cum ſimilibus ſupra *hoc anno* congeſtis: ergo & ſocietas contrahi poterit.

Dicet tamen aliquis, pupilli poſſunt ea 5
omnia gerere, quæ vtilia ſunt, cùm meliorem ſuam cõditionem facere ipſis ſit permiſſum, vt *princip. inſtitut. de autoritate tutor.* cauetur: ſed ſocietas vtilis eſt, cùm tantùm ratione maioris commodi cõtrahatur, vt ex ipſius defi-

definitione quam ex Cicerone referunt Nicolaus Mozius *in principio tractatu de ſocietat.num.*4. & Cardin.Mantic. *dict. tit.* 1. *num.* 18. affatim conſtat, vbi inquiunt ſocietatem eſſe duorum pluriumve honeſtè contractam conuentionem ob commodiorum vſum, & vberiorem quæſtum, igitur optimè etiam à pupillis ſine tutoris autoritate poterit contrahi.

Cui reſponderi poterit, verum eſſe ſocietatem gratia maioris vtilitatis, & vberioris commodi ſemper contrahi, ſed non ſemper ex ea, quam ſperabant vtilitatem ſentire cõtrahentes, cùm commoditas non conſideretur in ipſo contractu, ſed in his quæ poſt modum eius contemplatione geruntur in quibus vt lucrum, ita & iactura, aut damnum eſſe poteſt quod ſufficit, vt abſolutè ſocietatis contractus vtilis dici nequeat, cùm potiùs ſit indifferens, velut ab euentu dependens, ac per conſequens, vt nec à pupillis ſine tutoris autoritate poſſit coiri, quibus tantùm quæ certò vtilia ſunt, & in quibus nullum latere damnum poteſt fieri conceduntur, argumento eorum, quæ de hæreditate etiam lucroſa ab ipſis ſine tutore non adeunda dicũtur in *l. obligari 9.§.hæreditatem adire, ff.de auctorit. tutor.* & in *principio inſtitut.eodem*, iuxta rationem Donelli *lib.3.commentar. cap.*13.& Oſualdi *ibidem litera B.*

His tamen pro hac ſententia præmiſſis nõ obſtantibus, Petrus de Vbald. *titulo de duob. reis part.3.num.32.verſic.Et intellige vera in maioribus*, Cardinal.Mantica *dict.lib.16. tit.13.num.*1.expreſsè defendunt minorem viginti & quinque annorum ſocietatem, etiã tacitè inire non poſſe, & hoc vnico fundamẽto nituntur: nam ex contracta ſocietate dominium rerum, quæ in eam deducuntur, illico & abſque aliqua traditione in ſocium transfertur, *l.*1.*§.fin.ff.pro ſocio.* At minoribus omnis translatio proprij dominij, quæ alienatio eſt, manet interdicta *l.*1.*l.magis puto de rebus eorum qui ſub tutela vel curatore, cum ſimilibus*: ergo & contractus ſocietatis, quaſi neceſſariò alienationem inuoluens ipſis ante annum vigeſimumquintum prohibitum erit, quod verum exiſtimo.

8 Nec obſtant in contrarium adducta, ſiquidem quod primo loco dicitur de prohibita ſocietate tantùm pupillis, ſatis eo excluditur, quod ex *§. nunc admonendi, inſtit. quibus alien.licet vel non* ſæpiùs tradidimus, nempe pupilli appellatione etiam minores contineri in rebus pariter vtriſque aut permiſſis, vel prohibetis, vt eſt ſocietas.

9 Minuſque roboris habet ſecundum fundamentum, quod de ea obligatione ſubaudiendum eſt, quæ coniunctam habet alienationẽ, aliter enim minimè verum eſſe poterit eos omnes poſſe ſocietatem contrahere, qui & obligari poſſunt. Nam cùm ſocietas imbibitam habeat alienationem, vt diximus ab his qui nulla ciuili obligatione, quæ dominij translationem reſpiciat valent obſtringi, vti *eodem anno* 14.probauimus, minimè coiri poterit.

Et quod tertiò expenditur de natura contractus ſocietatis, quæ ſolo conſenſu perficitur vix vrget, cùm id de illorum conſenſu debeat intelligi, qui liberam habent bonorum ſuorum adminiſtrationem, & alienationem, quo ſolo ſubſiſtere contractum non eſt dubium, vt nec eſſe poſſet de illius inualiditate ſi in perfecto, & nudo puberum conſenſu celebraretur.

Et denique quod vltimo loco de ſocietate matrimonij, quam puberes inire poſſunt, in eius ſententiæ confirmationem adducitur, exigui erit negotij refellere cùm, vt inquit Cardinal.Mantica *dict.tit.*1.*num.*2. *iuncto num.*9.matrimonium impropriè ſocietas dicatur, quæ potiùs ad vitæ indiuiduæ conſuetudinem, quàm ad lucrum negotiationis cõtrahitur, veluti docet Petrus Rebellus *de obligatione iuſtitiæ lib.*15.*quæſt.*1.*verſic.Per eandem quoque* à qua enim non poteſt deſumi argumentum ad ſocietatem propriam, cuius noſtra concertatio eſt. 10

Ex quibus omnibus colligitur, nihil obſtare quo minus verum eſſe fateamur puberibus cuiuſcumque ſexus ante maiorem viginti & quinque annorum ætatem ſocietatis cõtractum abſque tutoris vel curatoris autoritate non licere, niſi maximè vtilis talis contractus ipſis credatur. Nam tunc ſi decimumquartum annum exceſſerint maſculi, & duodecimum fœminæ, citra tutorum vel curatorum conſenſum poterunt illum perficere, aut in pupillari ætate factum confirmare, vt docet Mantica *dict.tit.*13.*num.*18.Cardinal. Tuſchus *dict.concl.*281.*num.*9. & Stephan. Gratian.*diſcept. d.tom.*2.*cap.*360. *n.*15.vbi & *num.*16. aliud eſſe ſubijcit in pupillo, qui nulla conſideratione habita vtilitatis, indiſtinctè à ſocietatis contractu arcetur, vt clarius ipſe *ſuprà num.*1.docuerat. 11

SVMMARIVM.

AN puberibus à decimoquarto anno ætatis locatio & conductio permittatur? 1.

Minor pubes abſque omni ſolemnitate prædiorum ſuorum fructus poteſt alienare. 2.

Vt tertius reſoluitur, ſolùm quinto & viceſimo

mo anno maiores, aut locandi, aut conducendi ius habere. 3.

Qui locat, vſum rei locatæ in conductorem transfert. 4.

Locatio ad longum tempus propriè alienatio non dicitur. 5.

L. arboribus 12. §. vſusfructuarius, ff. de vſufructu verè intelligitur. 6.

Effectu, vſum retinere videtur locator, qui pro eo habet pretium. 7.

Pretium ſuccedit loco rei. ibidem.

Minoribus ferè ſemper vtilius videtur, rem potius, vel actionem, quàm pretium, vel pecuniam habere. 8.

Fructus pendentes, vel naſcituri, inter immobilia connumerantur: & ideò à minoribus ſine decreto alienari nequeunt. 9.

Ad conducendum eadem ætas, quæ ad locandum deſideratur. 10.

Minor conducens, an in foro conſcientiæ teneatur? ibidem.

QVÆSTIO IX.

Locatio & conductio, quam ætatem in contrahentibus requirant?

1 DVbitatem eſſe inde inferri poterat, quòd eam agẽtibus, & extra decimumquartum annũ conſtitutis, omnis & qualiſcumque ciuilis obligatio permittitur, quæ alicuius rei alienationem non complectitur, vt ex Iacobo Cuiacio *in l. puberes* 101. *de verb. & lib.* 19. *obſeruatio. cap.* 33. Andr. Fachin. *lib.* 3. *controuerſ. cap.* 9. Philip. Matthæus *in l.* 2. §. 1. *num.* 15. *de regulis iuris*, Anton. Fab. Vulteius, Hering. & alijs ſuprà *anno* 14. *quæſt.* 7. de ætate ad ciuilem obligationem diſcutientibus neruosè contendimus: ergo cùm ex locationis contractu nulla ſequatur alienatio, neque dominij, *l. non ſolet* 39. *ff. locati*, neque poſſeſſionis, *l. cum impuberes* 60. *in fine principij, ff. eodem, l.* 2. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *anno.* conſequens eſt, huiuſmodi contractum, ſiue obligationem, puberes inire poſſe, veluti manifeſtè ſupponere videtur Carrocius *titulo de locato part.* 2. *cap. quibus locare licet, vel non, quæſt.* 2. *num.* 1. dum ſolis infantibus locationem eſſe interdictam ſcribit.

2 Et corroboratur, ſiquidem ex hoc contractu nil amittitur, aut in conductorem transfertur, præter vſum, aut commoditatem fructuum, vt inferiùs patebit: ſed pubes factus prædiorum ſuorum fructus abſque omni ſolemnitate diſtrahit, & alienat, iuxta ſententiam Angeli, & Imolæ *in l.* 1. §. *fuit quæſitum, ff. ad Trebellian.* Alexand. *conſil.* 49. *n.* 6. *verſic. Fructus* enim *lib.* 1. *& conſil.* 37. *n.* 3. *lib.* 4. *& conſil.* 97. *num.* 4. *lib.* 6. quam ſequuntur Octau. Simoncellus, & ab eo relati *lib.* 3. *de decretis tit.* 8. *inſpectione* 7. *num.* 49. Franciſc. Mantica *de tacitis & ambiguis conuentio. part.* 1. *lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 51. Igitur & locare eos poterit, vt ſentire videtur idem Simoncellus *dict. tit. lib.* 2. *tit.* 6. *inſpectio.* 2. *num.* 21.

Sed verius eſt quatuordecim annorũ ætatem non ſufficere, imò viginti & quinque 3
præcisè in eo neceſſariam eſſe, qui locatoris munere fungi velit. Conſtat hoc ex ſequentibus. Primò ex familiaritate, quam venditio & locatio interſe habere videntur, quæ tanta eſt, vt ijſdem iuris regulis conſiſtant, *l.* 2. *ff. locati.* Vnde rectè inquit Petrus Nicolaus Mozius *in amphitheat. contract. tractatu de locatione cap. de his qui poſſ. locare & conducere num.* 1. eos omnes regulariter locare, & conducere poſſe, qui vendere, vel quibus vendi poteſt. Igitur qui maiores quinto & viceſimo anno exiſtunt, cùm hi ſolummodò liberam vendendi, & emendi facultatem obtineant, vt proprio loco diximus.

Secũdò, quia velut proximè indicauimus, 4
qui locat, neceſſariò rei locatæ vſum amittere, & ad conductorem traducere debet, *l. conuenit* 65. *de contrah. emption.* Quare qui rectè locationem diffiniunt eſſe inquiunt nominatum contractum, in quo perſonarum, vel rerum vſus pro certa aliqua mercede cõceditur. Ita Matth. VVeſembec. *in paratitl. titulo de locato num.* 3. & Didacus à Brito *in rubric. eiuſdem tituli Decretalium*, §. 1. *num.* 2. vbi & *num.* 3. ex hac definitione cum Frãciſco Connano *lib.* 7. *commentar. c.* 12. Arias Pinel. *in l.* 1. *C. de bon. matern.* 3. *part. num.* 66. Valaſco *de iure emphyt. quæſt.* 29. *à num.* 28. Garſia *de expenſ. & melioratio. cap.* 10.
num. 31. *& cap.* 4. *à num.* 3. meritò contra 5
communem infert locationem ad longum tempus, ſcilicet ad decennium dominium in conductorem non transferre, nec ipſius alienationem eſſe, vt etiam ante eum oſtendit Ritterſh. *lib.* 2. *partit. feud. cap.* 3. *quæſt.* 36. & nos publicè docuimus in ſolemnibus recitationibus *ad titulum, ff. locati.* Ergo vt ad inſtantiam reuertamur, qui locat, licèt ipſius rei locatæ dominium, aut poſſeſſionem non alienet, illius ſaltim vſum abalienat. Quod ſatis eſt, vt his omnibus ſublata locandi poteſtas videatur, quibus alienandi non conceditur, nempe viceſimo & quinto anno minoribus, veluti de locatione ad longum tempus

Scri-

Scribentes tradiderunt, Menchac. *de ſucceſſ. creat. §. 10. n. 78. verſic. Nunc videndum*, Vilaſc. *de iure emphyteut. q. 29. n. 9.* Caldas Pereira *de empt. & vendit. c. 13. n. 12.* Caroc. *de locato part. 3. tit. de annuis redditib. n. 1.*

6 Noſque ex ſecura hac ratione non deijcient Vlpiani illa verba *in l. arboribus 12. §. vſufructuario, ff. de vſufructu: nam & qui locat, vtitur:* ex quibus contra ſuperiora conſequi videtur, locatorem nec vſum rei locatæ amittere, ſed adhuc poſt contractam locationem ea vti, ſiquidem hoc non ita ſubaudiendum eſt, quaſi locator verè & propriè rei locatæ vſum retineat, cùm id fieri non poſſit, ſed tantùm quoad effectum non amittendi vſumfructum locatum per nõ vſum, & quoad commoditatem ipſius, vt explicat Gaius *in l. quia 39. ff. eodem*, vbi rationem aſſignans, quare qui locat vſumfructum, adhuc eo vti videatur, vt prædixerat Martianus *in l. antecedenti*: *Quia*, inquit, *qui pretio fruitur, non minus habere intelligitur, quàm qui principali re vtitur, fruitur*, quod perquam verum eſt: ſed inde colligi non poterit, eum qui rem aliquam locat, illius vſum non alienare, & à ſe abijcere, imò contrarium fortius elicitur, cùm ideò pro vſu mercede vtatur, quia propriè vſum rei non habet.

7 Nec quod in effectu vſum retinere videatur, is qui vſus iuſtum pretium habet, *d. l. quia 3. l. ſi vſusfructus 35. in principio, ff. de vſufructu, l. ſi & rem 22. in fine, ff. de petit. hæredit. l. ſed ſiquis ſeruum 33. cum ſequentib. ff. de peculio*, aliquid iuuat, vt minor rem locare poſſe arbitremur, cùm idem in contractu venditionis dici poſſit, quo etiam pretium ſuccedit loco rei: & tamen minorem

8 vendere poſſe nemo eſt qui dicat: eſt enim ferè ſemper vtilius minoribus rem potiùs habere, quàm pretium, vti actionem de pecunia retinere, quàm illa ſubtracta pecuniam ſolutam accipere. Ergo quemadmodum venditio minoribus prohibetur, quia licèt pretium accipiant, id tamen ſine propriæ rei alienatione contingere non poteſt: & ſimiliter vti ſolutam à creditoribus pecuniam recipiendo eos liberare, etſi meliorem accipiendo conditionem ſuam efficere videantur: ideò nequeunt, quia ita liberando obligationem & actionem amitterent, qua maiori vtilitate irretitos ſibi debitores habebunt, vt ex Donello *lib. 16. commentar. cap. 10.* alibi notauimus, quid ni pari ratione & locatio ipſis interdicta dicetur? cùm etſi pro vſu, qui locationi accedit, mercedem conſequantur, hoc tamen rei locatæ præuia vſus alienatione fit, quæ minoribus omnino prohibetur.

9 Ex his igitur ſatis euidenter depromitur noſtræ reſolutioni haud quaquã obſtare primum fundamentum pro ſtabilienda cõtraria ſententia adductum: conſtabit nunc ex dicen dis ſecundum non magis ad rem facere. Nã quod dicitur, minorem fructus ſine decreto, & curatoris autoritate alienare poſſe; ideoque & locare, de illis fructibus verum eſt, qui iã percepti, & à ſolo ſeparati inter mobilia, & cito peritura connumerantur, non verò de illis, qui aut in rerum natura nõ exiſtunt, aut pendent, vel ſolo cohærent, vti ſunt fructus omnes qui locantur: quia cùm immobilibus adſcribantur, à minoribus diſtrahi nõ potuẽt, quibus omnis rerũ immobiliũ alienatio eſt interdicta, vt reſoluit Simoncel. *d. tract. de decretis lib. 3. tit. 3. inſpect. 7. n. 56. & 57.*

Hactenus verò de neceſſaria ætate ad locationem egimus, de requiſita nunc ad cõductionem agere oportet, quam puto candẽ viginti & quinque annorum eſſe debere: & merirò, nam qui conducit mercedem, quã locatori pro vſu rei locatæ refundit, alienat amittendo illius dominium: ergo cùm conductio adiunctam habeat alienationem, illi conducere poterunt, qui & locare, & alienare poſſunt, vt rectè ſupponere videtur Mozius *loco vbi ſupra*, quamuis iuuenem conductorem in foro conſcientiæ teneri, & obligari ſentiat Vincentius Caroccius *d. par. 3. de locato titulo de annuis redditibus.* 10

SVMMARIVM.

Minoribus viginti & quinque annis, nec fundi fiſcales, nec vectigalia ſunt locanda. 1.

Fiſcus ad vectigalium locationem non niſi eos admittit, quorum certa ſunt nomina. 2.

Filiusfamilias vectigalia an poſſit conducere? 3. *& ſeqq.*

L. 3. §. vnde Iulianus, ff. ad Senatuſconſult. Macedon. exponitur. 4.

Aduerbium vnde *dependentiam à ſuperioribus indicat.* 5.

Tacitus patris conſenſus ſufficit, vt filiusfamilias poſſit, etiamſi peculio careat, ad vectigalium licitationem admitti. 6.

Minor cum iuramento vectigalium licitator eſſe poteſt. 7.

Iuramentum in quibus caſibus de iure noſtro prohibeatur? 8.

Minor, nec fideiuſſor, nec teſtis abonatoris pro locatore vectigalium eſſe poteſt. 9.

Aſſerere aliquem eſſe idoneum, idem eſt ac pro eo fideiubere. ibidem.

Minor de facto abſque iuramento vectigalia conducens, an maneat obſtrictus? 10.

Minor ſe maiorem dicens, ſi talis ex aſpectu appareat, locatione vectigalium tenetur. 11.

QVÆSTIO X.

Ad conductionem gabellarum, & vt quis pro conductore fideiubeat, vel teſtis idoneitatis exiſtat, quot anni exigantur?

1 MInoribus, inquit Paulus Iuriſconſult. viginti & quinque annis, neque fundus, nec vectigalia locanda ſunt, ne aduerſus ea beneficio ætatis vtantur, *l. in fraudem* 45. §. *minoribus*, *ff. de iure fiſci*. Nam cùm minor toties reſtitutionis indulgentia iuuetur, quoties ætatis fragilitate deceptus apparet, etiam aduerſus fiſcum, *l.* 1. *l.* 2. & pene vniuer
2 ſus *tit. C. ſi aduerſus fiſcum*, nil mirum ſi fiſcus, qui ad publicorum vectigalium conductionem, & licitationem non alios admittit, quàm illos, quorum certa & idonea ſunt nomina, nec aliquo modo ſuſpecta, *l. locatio.* 9. *in principio*, & §. *reliquatores*, *cum ſequent. ff. de publican. & vectigal.* minores ideò viginti & quinque annis ad tributorum, vel alterius publicæ contributionis licitationem nõ admittat, quorum adeò ſuſpecta propter ætatis lubricũm perſona redditur, vt nihil cum ipſis firmum contrahi, vel agi poſſit.

3 Sed etſi meo iudicio hæc fuerit *dict. legis* ratio, attamen aliquantulum penſitata difficilis redditur, nam ſi ex eo ſolùm quòd ſuſpecta minoris perſona minimè ad licitationem vectigalium admittitur, perſona etiam filij familias à prædicta locatione excludenda erat, cùm ipſius nomẽ per ſe, ideſt, abſque patris, vel fideiuſſoris perſona, neque certum, neque bonum ſit, argumento *text. in l.* 1. *ff. ad Senatuſconſult. Macedon. l. filiusfamil.* 7. *ff. de tutel.* Sed contrarium ab eodem Vlpiano definitur in *l. ſiquis patrem* 3. §. *vnde Iulianus, ad Senatuſconſult. Macedon.* ibi: *Vnde Iulianus lib.* 12. *in eo qui vectigalia conducta habebat, ſcribit, & eſt ſæpè conſtitutum ceſſare Senatuſconſultum.* Ergo cùm dubitandum in prædicta ſpecie venerit, an Senatuſconſulto Macedoniano ſuccurrendum eſſet conductori vectigalium mutuum accipienti, abſque dubio fatendum erit, filiumfamilias vectigalia conducere poſſe, aliàs otioſa inueſtigatio fuiſſet, vtrùm Macedoniano ſuccurrendus eſſet licitator, vel qui mutuo pecuniam ſuſceperat, ni filiusfamilias eſſet?

4 Sed hoc non obſtat, cùm certum ſit eadem ratione, qua minor à prædicta locatione arcetur, ſummoueri etiam & filiumfamilias, vt ex *dict. l.* 3. probatur. Nam cùm in ea ſermo fuerit de excuſatione eorum à Senatuſconſulti pœna, qui vana ſimplicitate decepti, & communem exiſtimationem ſecuti, illis qui publicè patres familias pleriſque videbantur, quia ſic agebant, ſic contrahebant, ſic muneribus fungebantur, pecunias contra Senatuſconſultum mutuauerant, quo caſu Senatuſconſultum ceſſare Iuriſconſult. ait. Speciem Vlpianus præfigit *in dict.* §. *vnde*, quam ex præcedentibus infert (vt ex verbo illo *vn-* 5
de euincitur, quod dependentiam à ſuperioribus indicare docet Octauian. Vulpell. *de præpoſit. & aduerb. ſignificat. ſub dictione vltra, verſic. Vnde, fol.* 131. Card. Tuſchus *practicar. concluſ. litera D. concluſ.* 396. Rebuffus *in l. quibus* 57. *verſic. Vnde, ff. de verbor. ſignificat.* Barboſa *tractat. de diction. dict.* 377.) in qua ſæpè conſtitutum aſſerit ceſſare Senatuſconſultum, quoties filiofamilias, ex eo pater familias communiter reputatus, quòd publica vectigalia conducta habebat, mutuum ſit datum, cùm iuſta cauſa decepti, ex ea nempe, quòd patris familias muneribus fungebatur, vt publicani, ipſi mutuauerint, quæ iuſta cauſa fuit exiſtimandi creditũ fuiſſe patri familias, vti *in rationali ad dict.* §. indicat Anton. Faber. Igitur luculenter apparet, filiumfamilias minimè ad conductionem, ſeu licitationem vectigalium admitti: nam ſi ad illam admitteretur, non rectè Iuriſconſult. inferret, Senatuſconſultum dicto in caſu nequaquam locum habere, ex eo quòd locatori vectigalium mutuatũ fuit. Nam quænam ergo iuſta credulitatis, & excuſationis cauſa foret publicano mutuaſſe, ſi & filiusfamilias prædicto munere fungi potuiſſet?

Ex qua quidem interpretatione, nec in- 6
congruè deducitur, rectè docuiſſe Franciſcum de Alpharo *tractatu de officio fiſcalis, gloſſ.* 34. §. 2. *num.* 77. filiumfamilias non abſolutè, licèt obligationis capacem, ad vectigalium conductionem admitti, ſed ita demum ſi bona, aut peculium obtineat, quod capi, & ex quo conueniri poſſit: aliàs enim ſi admitteretur, periculo fuiſſet admittentis, vt ab ipſo Alpharo traditur *dict. loco* §. 6. niſi conſenſus expreſſus patris accederet, vel ſaltim tacitus, aut præſumptus. Quare vt cautiùs & ſecuriùs admittatur, patris conſenſus interuenire debet, quiquidem fauore fiſci, vel reipublicæ ſufficiens eſt ad eius obligationẽ pro filio, argumento *legis ſi hypothecas* 8. *C. de remiſſione pignor.* tenet Socinus *reg.* 484. *fol.* 1. *cum ſequentibus regulis*, & Alpharus *dict. loco, & gloſſ.* 18. *priuilegio* 19. *num.* 29. vnde colligitur parùm conſideratè Marcum Anto-

Antonium Peregrinum *de priuilegijs fiſci lib. 6. tit. 5. num. 9.* ſimpliciter docuiſſe, filiumfamilias ex iuris communis regulis in *l. filius familias 39. ff. de action. & oblig. & ex l. tam ex contractibus, ff. de iudicijs*, rectè ad vectigalium conductionem admittendum, quod non obſeruari in practica teſtatur, niſi cùm patris conſenſu illa conduxerint, ex ſtatuto Paduæ irritante obligationes per filium contractas citra patris conſenſum.

Ergo vt ad inſtitutum reuertamur, ſuperiorem ſententiam, nempe minorem viginti & quinque annis vectigalia conducere non poſſe, ex *dict. l. in fraudem 45. §. minoribus*, tenent Peregrinus *vbi ſup. n. 8.* Ferdinandus Menchaca *de ſucceſſ. progreſſ. lib. 2. §. 14. numer. 116.* Garſia Gironda *in tractatu de gabellis part. 3. numer. 20.* Azebedus *in l. 6. per totam, titul. 10. lib. 9 Recopilat.* Ignatius Laſarte *de decima venditionis, cap. 18. à num. 10.* Ioan. Guterrius *eodem tractatu lib. 7. q. 132. num. 17. cum ſequentibus*, Franc. Alphanus *vbi ſuprà numer. 77.* & alij nonnulli ab
7 ipſis relati. Quod etiam de iure noſtro Hiſpaniarum roboratur ex textu *in l. 6. titul. 10. lib. 9. Recopilationis*, niſi prædicti minores conducere volentes, priùs iurauerint ipſos aduerſus prædictam locationẽ reſtituendos non eſſe, iuxta *authent. Sacramenta puberum, C. ſi aduerſus vendition.* & iuxta *l. 6. titul. 19. part. 6.* quia dicto caſu ſolemni intercedente iuramento licitè admittẽdos communis Regnicolarum turba docet.

8 Nec ſuperiori noſtræ Regiæ diſpoſitioni obſtare videbitur *l. 6. tit. 1. lib. 3. Ordinament.* quæ in laicorum contractibus prorſus iuramenta interdicit, ſiue illa, vt Laſarte viſum fuit, aut contractum irritet, aut ſcripturæ dumtaxat ſolemnitatem vitiet. Non quidem ex eo verſiculo, *No embargante las leyes que defienden lo contrario*, ex quo illius legis derogationem, inducere nititur Laſarte *dict. loco.* Nam prædicta verba, etſi quaternioni illo vectigalium Caſtellæ contineantur, vt teſtatur ipſe in *l.* nullatenus, reperiuntur. Quapropter alio ſubterfugio opus erit, ſcilicet prædictam legem tantùm ſibi locum vendicare in contractibus validis abſque iuramenti adminiculo, non verò in illis, ita vel ex natura, vel ex lege inualidis, vt niſi iuramenti interuentu robur obtinere non poſſint, veluti in contractu minoris, vt *in authent. ſacramenta puberum, C. ſi aduerſus venditionem*, quemadmodum *dict. legem* interpretatus eſt Iacob. de Segura *in repetit. l. primæ, §. ſi vir, numer. 138.* & ibidem Additionator *ff. de acquirenda poſſeſſione*, Ioan. Lupus *in repetitione, capit. per veſtras, §. 12. numer. 30.* Couar. *in cap. quamuis pactum numer. 8. de pactis lib. 6.* Et ratio eſt, quia iuramentum appoſitum in contractibus alioquin validis, conſtat apertè in fraudem tantùm iuriſdictionis Regiæ adſcriptum, & vt contractus Eccleſiaſticæ ſubiaceat poteſtati, *c. cùm Celeſtinus, de foro competenti, lib. 6.* quòd dicta lex auerſatur: ſecus verò quando ad validitatem ſolùm actus, cui adhæret, interpoſitum cognoſcitur, vt in cauſa *dict. noſtræ, l. 6. titul. 10. lib. 9. Recopilation.* vbi iuramentum ad robur locationis & conductionis vectigalium requiritur, quæ fuit à minore facta, in qua prædictam iuramenti prohibitionem minimè procedere docet Didacus Perez *in dict. l. 6. Ordinament. verſic. Ex quo.*

Et hæc omnia ſimiliter locum obtinent, 9
quoties minor loco fideiuſſoris, aut teſtis abonatoris, vt communiter dicitur, cuiuſcumque publicani, ſeu vectigalium locatoris ſuſcipitur. Nam dicto in caſu, vt ſuperiùs relati omnes fatentur, etiam niſi iuramenti religione accedente, minimè erit admittendus, cùm *dict. lex Recopilationis* ad fideiuſſores extenſionem faciat. Quæ fideiuſſoria obligatio nihil ab idoneitatis, & bonitatis cuiuſcumque approbatione differt, quoniam affirmare, aliquem eſſe diuitem, & idoneum, vicem fideiuſſionis obtinet, celebris textus *in l. cùm oſtendimus, §. fin. in fine. ff. de fideiuſſoribus*, docet Auendañ. *in dictionario ſuo, verbo Almoneda*, Baezà *de inope debitore capit. 1. num. 29.* Anton. Gomez *2. tom. capit. 13. numer. 5.* & in propoſito tenet Azeuedus *in dict. l. 13. titul. 9. lib. 3. Recopilation.* Ioann. Gutierrez *in practicis quæſt. lib. 1. quæſt. 132. num. 9.* Gironda *de gabellis dict. 3. part. numer. 22.*

Vtrùm autem ſi de facto, & abſque iu- 10
ramento prædicti minores ad conductionem vectigalium, fideiuſſionem, vel conductoris, ſeu fideiuſſoris approbationem, vt teſtes admittantur, locatio, ſeu alia quæuis obligatio teneat, & ipſi adſtricti remaneant? ingens inter noſtros concertatio eſt: ego illorum ſententiam magis probo, qui tam iure communi quàm Regni inſpecto, partem affirmatiuam tuentur, ſcilicet conductionem tenere, cùm neutro iure prohibitio ipſas minorum perſonas reſpiciat, ſed illius tantùm, qui vectigalium licitationes admittere tenentur, ne tales admittant, qui ætatis beneficio fruſtraneam licitationem reddere poſſent, vt eleganter contra Menchacam *vbi ſuprà, §. 4. nu. 115.* Girondam *proximo loco*, & Azeuedum *in d.*

l.6.numer. 1. tenet Laſarte *dict.cap.* 18. *numer.* 11. Ioann. Gutierr. *dict.tractat. de gabellis lib.7.quæſt.* 182.*num.* 18. Qui quidem cautius acturos iudices exiſtimat, ſi dicto in caſu minoribus taliter conducentibus tributorum exactionem interdicerent, ipſamque ſub fida deponerent cuſtodia, quouſque minores ex forma legis, ideſt, cum requiſito iuramento iterum obligarentur, aut idoneos præſtarent fideiuſſores, ne fiſci, aut reipublicæ patrimonium tali periculoſa conductione detrimentum patiatur.

11 An etiam idem dicendum in propoſito ſit, ſi minor viginti & quinque annis, maior autem decimoquarto, aſſerat ſe maiorem, cùm veritate ipſa inſpecta minor ſit? Nec minus controuerſum extat, ſed obligatum remanere, ſi doloſè & animo decipiendi minor id affirmauerit, vt probabilius defendit vbi ſuprà Guterius *à num.* 25. cûm tantùm per errorem, & iuſta ignorantia id affirmantibus iura ſubueniant, *l.* 2. *&* 3. *C. ſi minor e maiorem dixerit, l.6.in principio, titul.* 19. *part.6.* Sforcius *de reſtitut. in integrum* 1. *part.quæſt.*24.*artic.*1.*& art.6.* Azeued. *in dict.l.6.numer.* 13. Cui doloſæ aſſertioni aſpectus coniectura accedere debet: nam ſi minori aſſerenti maioritatem, corporis exiguitas, ſeu debilitas ipſum mendacij arguat, locatio efficax erit, ſed reſtitutionis periculo obnoxia, cùm *ex dict.l.6.* diſpoſitione, quæ talem conducentem ex aſpectu maiorem deſiderat, tum ex ipſorum contrahentium imperitia, qui illud ex locantis aſpectu preuidere poterat, Guterrius *dict. loco numer.* 24. qui & nonnulla comminiſcitur huius rei diſquiſitioni maximè conducentia.

SVMMARIVM.

Minor annis viginti & quinque, nec iudicis decreto, aut tutoris, vel curatoris autoritate donare poteſt. 1.

Ad decreti interpoſitionem iuſta cauſa ſubeſſe debet. 2.

Donare, perdere eſt. 3.

Autoritas curatoris ad donandum nihil prodeſt. 4.

Curator ad donandum conſtitui non poteſt. ibidem.

Etiam minimæ rei donatio à minore facta, nullius eſt momenti. 5.

Minor rem ſibi donatam iterum donatori eodem titulo dare nequit. ibid.

Vbi ſtatutum certam ſolemnitatem in minorum donationibus exigit, non de ſimplici, ſed de donatione ob cauſam, vel remuneratoriâ, eſt ſubintelligendum. 6.

Minor nullam habet donandi facultatem, etiamſi ſtatuto caueatur, quòd poſsit à decimoquarto anno, ſi mercaturam exerceat, vt quilibet paterfamilias ex quolibet contractu obligari. 7.

Etiam vigente dicto ſtatuto, venditio à minore mercatore ea clauſula facta, vt quod deeſt iuſti pretij emptori donat, nullius eſt momenti. 8.

Minor, vt nec donare, ita nec ſuæ rei donationi conſentire valet. 9.

Donationi rei, quam in pignus minor habet, recte conſentire poteſt. ibidem.

Fœmina ante quintum & viceſimum annum nullam donandi obtinet facultatem. 10.

Renuntiationes fœminarum ante dictam ætatem in fauorem fratrum cùm nuptui traduntur, factæ, licèt adhibitis omnibus ſolemnitatibus, nullius ſunt momenti, ibidem & ſeqq.

Bona, quæ ſeruari nequeunt, vt mobilia, poſſunt à minore donari. 12.

Ex bonis citò perituris poteſt à minore non requiſito curatoris aſſenſu eleemoſyna fieri. ibidem.

Donatio propter, vel ante nuptias, quæ noſtris arrharum dicitur, minori eſt permiſſa. 13. *&* 18.

Dos in pecunia poteſt à minore promitti. 14.

Arrhæ intra decimam partem bonorum promitti debent. ibidem.

Immoderata arrharum donatio, quo ad exceſſum tantùm infringitur. 15.

Remuneratoria donatio minoribus non eſt prohibita. 16.

Donatio à minore facta, an iuramento firmetur? 17.

Donatio, quæ defectu ætatis nullitate laborat, lapſu quinquennij poſt impletam ætatem conualeſcit. 19. *&* 23.

Eccleſiæ, aut alteri pio loco minor cum decreto donare poteſt, dummodò non vt liberalem, ſed vt Chriſtianum ſe oſtendat, zelo pietatis id faciat. 20.

Donatio ex illis rebus à minore facta, quæ à curatoribus eleemoſynæ, aut recreationis cauſa illi conceduntur, valet. 21.

Venientibus abinteſtato poteſt minor adhibitis ſolemnitatibus donare. 22.

Donatio à minore irritè facta poteſt ab ipſo maiori ætate ratificari. 23.

Donatio minoris nulla, transcurſu biennij poſt legitimam ætatem ipſo iure confirmatur. ibidem.

QVÆSTIO XI.

Inter viuos qua ætate donetur?

1 MInores viginti & quinque annis, etiam interueniente decreto, vel tutoris, ſiue curatoris autoritate, minimè donare poſſe, certiſsimum extat iuriſpronuntiatum, deductum ex *l. 1. in principio, verſic. Sed etſi non morte, ff. de tutelis & rationibus diſtrahend.* & ex *l. ſi quando 3. §. cùm autem, ſi maior fact. alienat.* apud noſtroſque ex *l. 1. titul. 4. part. 5.* Quod confirmant præter antiquiores longa ſerie ab infra referendis enumeratos Octauian. Simoncellus *titul. de decretis lib. 1. titul. 2. inſpect. 1. num. 1.* Mauritius *de reſtitut. capit. 20. numer. 4.* vbi de donatione ſeruitutis loquitur, & *capit. 208. num. 4.* Sforcius Oddus *de in integrum reſtitut. 2. part. quæſt. 58. artic. 1. num. 2.* Nicol. Mozzius *tractat. de contract.* vbi *de contract. donationis, & de perſonis, inter quas cadere poſſit donatio num. 4.* Card. Tuſchus *practic. concluſ. iuris lit. D. concluſ. 682. num. 1. & lit. M. conſ. 247. num. 1.* Ioan. Gutierr. *p. 2. de tutel. cap. 5. num. 57.* & innumeris relatis Proſperus Farinacius *prax. criminal. tom. 5. q. 15. num. 57.* Mantic. *de tacitis & ambig. conuention. lib. 4. tit. 6. num. 56.* Sforc. *de reſtitut. part. 2. q. 58. art. 1. num. 2.* Gabr. Pereira à Caſtro *deciſ. 28. n. 1.* Tepatus *variar. tit. 495. cap. 18.* Surdus *de aliment. tit. 8. priuileg. 56. num. 109.* Anton. Faber *in ſuo Codice lib. 2. tit. 18. defin. 1. num. 7.* Scacia *de iudicijs lib. 2. cap. 2. num. 108.* noſter Lara *in compend. vitæ hominis, cap. 22. numer. 29.* & alijs relatis nouiſsimè Hermoſilla *in additionibus ad gloſſam 5. l. 1. tit. 4. p. 5. num. 1. & 2.* Cutelli. *de donation. pag. 304. numer. 37. & 38.* Ciriac. *tom. 1. controuerſiar. 103. num. 95. & contr. 182. numer. 54. & 55.* Donat. Ant. de Marinis *quotidian. reſol. tom. 1. reſolut. 144. num. 3. & ſeq.* & nouiſsimè Noguerol *tom. 1. allegat. 34. num. 21.*

2 Cuius reſolutionis ea communiter ratio exhibetur, quia ad decreti interpoſitionem iuſta cauſa ſubeſſe debet, *l. magis puto, § ſi æs alienum, ff. de reb. eor. l. Seia, ff. de tutor. & curat. datis ab his, l. cum verò, §. ſubuentum, ff. de fideicomm. libera. l. etſi præſes,* vbi notant omnes *C. de prædijs minor.* tradit latiſsimè Simoncellus *d. tract. tit. 1. n. 17. & ſequent.*
3 quæ cùm in donatione reperiri non poſſit, quia donare perdere eſt, *l. contra iuris, §. vlt. ff. de pactis, l. prohibere, §. plane, ff. quod vi aut clam, l. filiusfamil. ff. de donation.* Inde euenit iudiciale decretum ad minorum donationes ſtabiliendas concedi non poſſe, maximè cùm ſemper debeat interponi ad fauorem minoris, nó contra minorem, vt ex Caſtrenſi *in conſil. 386. lib. 1.* refert Tuſchus *dict. concluſ. 682. num. 2. lit. D.* & ſi concedatur, nullius momenti futurum, quaſi nulla præuia legitima cauſa indultum, argumento eorum quæ ſcribit Simoncellus *dict. tit. 1. à nu. 18. cum ſequentibus.*

Ideoque & autoritas curatoris nihil quoad huiuſmodi donationes prodeſt, quia adminiſtrationem (quæ ſola curatoribus permiſſa eſt) alienandi hæc facultas non reſpicit: quare inquit Conſultus *in l. fin. ff. de cur. furioſ.* ſi donandi cauſa alienet, neq; traditio quicquam valebit: vnde donationem non cadere in adminiſtratione tutoris, vel curatoris reſoluit Caſtrenſis *conſil. 433. cùm ſtatutum, in principio, & per totum lib. 1.* Tuſchus *dict. lit. M. concl. 247. n. 1. & 4.* curatorem ad donandum conſtitui non poſſe voluit Baldus *in l. 1. C. ſi aduerſ. donat.* notat *conſil. 173. numer. 3. & conſ. 166. num. 17. lib. 1.* Rolandus à Valle *conſil. 54. num. 29. lib. 2.* quibus omnibus adhærens id docet expreſſe Simoncellus *d. titul. 2. num. 4.* & de tutore loquentes, idem probant Menochius *conſ. 22. num. 14. volum. 1.* Ruinus *conſ. 170. num. 12. & conſ. 107. num. 21. & conſ. 31. n. 37. lib. 1.* Marc. Anton. Eugenius *conſil. 45. num. 56.* Ioann. Gutierr. *d. tract. de tutel. part. 2. cap. 2. n. 6.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 233. numer. 1.* Gutierr. Lara, & Hermoſilla *vbi ſuprà.* 4

Quæ vtique ſententia vſque adeò vera exiſtit, vt etiam minimæ rei donationem facere non poſſit minor, vt ex *l. in cauſæ, §. item relatum, ff. de minorib. l. vltim. §. vltim. C. ſi maior factus ratum habuer.* Concludit Scobar *de ratiocinijs cap. 25. numer. 65.* Aut ſi ei velit donare, à quo eadem bona priùs ſimili donationis titulo, vel alia ex lucratiua cauſa fuerat conſecutus, quamuis curatoris, aut decreti iudicialis autoritas acceſſiſſet; nullius tamen momenti donatio foret. Sic Imperatorum reſcripto continetur in *l. 2. C. ſi aduerſus vendition.* & *in l. ſi ad reſoluendam 7. C. de prædijs minor.* facit *l. 1. §. vltim. ff. de rebus eorum,* & in terminis illud comprobant Iaſon *in l. cùm filius num. 170. ff. de legat. 1.* Tiraquell. *in l. ſi vnquam, verbo Donatione largitus, numer. 158. C. de reuocand. donation.* Pinellus *in l. 1. part. 3. num. 58. de bonis maternis,* Menchac. *de ſucceſſion. creation. lib. 1. §. 10. amplia. 21. n. 72.* & alij, quos omnes congerit & ſequitur Simoncellus *de* 5

decretis d.lib.1.tit.2.n.7. vbi hanc opinionem contra Gloſſam, Paul. Caſtrenſem, & Bauerium veriorem appellat.

7 Et quod magis eſt, licèt ſtatuto caueatur, quòd non valeat donatio à minore facta, niſi adhibita certa ſolemnitate, nihilominus ſimplex donatio, quamuis debita ſolemnitate celebrata, inutilis erit: quia cùm ſtatutum principaliter minoris commodum reſpiciat, etſi ſolemnitas acceſſerit, irrita debet eſſe donatio ſimpliciter facta, ſiquidē donando ſemper minor læditur: quapropter tale ſtatutum debet interpretari de donatione ob cauſam, & in benemerentem collata. Ita Caſtrenſis *conſil.433. in principio, num.2.lib.1.* Cardin. Tuſchus *pract.concluſ. lit.M.d.concluſ.347. num.5.* vbi etiam *numer.10.* noſtram ſententiā ad minorem mercatorem producit. Nā ſi extet ſtatutum, quo minor viginti & quinque annis, maior tamen quatuordecim, ſi mercaturam exerceat, agat, contrahat, ita vt ex quocumque contractu vt quilibet paterfamilias maior obligetur, donationem faciendo nequaquam ad rei donatæ traditionem remanebit adſtrictus, aut ſi tradiderit, alicuius erit roboris quod geſtum eſt, non ſolùm quia, vt Caſtrenſis aſſerit *conſil.161. per totum lib.2.* quem ſequitur Cardinalis Tuſchus *dict.concluſion. 247. numer.10.* Octauian. Simoncellus *dict. titul.2.inſpection.3.numer.25.& 26.* alios congerens, ſtatutum ſolum reintegrare intendit perſonam mercatoris ad contractus, prout de iure communi minor eos celebrare poteſt; nempe cum decreto iudicis, & autoritate curatoris: quæ ſolemnitas cùm minimè ſufficiat, vt qui nondum vigeſimumquintum annum exceſſit, donare queat; nec ſtatuti facultas ſufficiet minori mercatori permittens, vt ea omnia exequi per ſe valeat, quæ ad ſui conſiſtentiam in alijs minoribus iudiciale decretum, & curatoriam autoritatem expoſtulant: ſed etiam quia reddere habilem minorem mercaturę prępoſitum ad omnes illos contractus, ſine quibus vtiliter mercatura exerceri non poteſt, ſtatuti mens fuit. Vnde cùm donatio ex illis non ſit, cùm tantum abſit, vt ex tali contractu à mercatore inito commodum aliquod ipſi acquiratur, quòd imò detrimentum euidens ex eo patietur, ſiquidem, vt dixi, donare, nihil eſt aliud quàm perdere, autoritate prædicti ſtatuti donatio minori mercatori conceſſa non ptæſumitur.

8 Vnde eſt, quòd ſi minor licèt mercaturam exercens, adhuc vigente prędicto ſtatuto venditionem alicuius rei celebrauerit, in cuius contractu illam addiderit clauſulam, quòd omne id, quod plus valet emptori donat, & donare intendit; nihilominus tali clauſula non refragante, poterit vel ad ſupplementum iuſti pretij agere, vel ad contractus reſciſſionem, ſi vltra dimidium ęſtimationis fuerit deceptus; alioqui per in integrum reſtitutionem, quidquid interpoſitione dictæ clauſulæ ab eo diſceſſerit, conſequetur, quia hæc propriè donatio eſt, quæ indiſtinctè omnibus omnino minoribus interdicta videtur, vti propoſito in caſu docet poſt Tiraquel. Simoncel. *dict.lib.1.de decretis, titul.2.inſpect.1.num.8.*

Cui finitimum eſt quod tradit Bartolus *conſil.70.* incipienti, *Reuerendiſſime, in principio, verſicul. Nec poteſt dici, lib.1.* vbi aſſerit, quòd ex quo minor donare non poteſt, nec ſuæ rei donationi conſentire valet, niſi quando rei, cuius donatio fit, dominium non obtinet, vt puta, ſi ſerui, quem in pignus habebat, manumiſſioni, vel donationi conſentiat. Ita cum Bartolo *vbi proximè* reſoluit Tuſchus *d.concluſ.247.n.13. & 14.* 9

Et tandem extenditur ſuperior reſolutio, vt procedat, non ſolùm in maſculis minoribus, verùm etiam & in fœminis, quibus nondum viceſimusquintus annus eluxit. Quocirca ſcribunt Baldus in *l.1. C. ſi aduerſus donationem*, Petrus de Ancharrano *conſil. 69.* incipienti: *Contra donationem factam, in principio*, Alexander *conſil.116. numer.2. lib.1.* Natta & Felinus, quos ſequitur Simoncellus *dict.titul.2.inſpectione 1. numer.5.* quòd refutationes, quas fœminæ faciunt, cùm nuptui traduntur, in fauorem fratrum, vel aliorum, etiam cum autoritate curatorum, & iudicis decreto, quatenus donationem inuoluunt, ſunt ipſo iure inualidæ. A quo parum diſtat quod ſentit Abbas *conſil. 107.* incipienti: *Quatuor ſunt num.3.verſicul. Reſtat nunc examinare, lib.2.* cui ſubſcribit Cardinal. Tuſchus *dict. litter. M. concluſ. 247. num.12.* videlicet, adoleſcentulum donantem ius ſuccedendi, ſeu portiorem hæreditatis maternæ fratri ſuo, licèt cum conſenſu proximorum atteſtātium, id fœminæ minori expedire, & ſic adhibita ſolemnitate ſtatuti prædictū aſſenſum exigentis, & quod magis eſt, præſtito iuramento de nō cōtrauenien do, poſſe iuramēti abſolutione obtēta vendicare donata: & reddit rationem Abbas *dict. num.3.* ſcilicet, quia donationis cauſa falſitate laborat, cùm ſemper donare ſit perdere. Nec ex eo quòd in fratrē talis liberalitas cōfertur, poterit validari donatio, ſiquidē, vt op- 10 11

optime reſoluunt idem Abbas *nu.*8. & Tuſchus *d.num.*12.*in fin.* donare fratri, non eſt iuſta cauſa donandi bona minoris, quod an ſit perpetuum, inferiùs *limitatione* 7. apparebit. Ex quibus concluditur, etiam fœminis ſuæ tutelæ non exiſtentibus donationes minimè eſſe permiſſas, velut repetunt idem Baldus *conſil.*108.*per totum*, incipienti, *vbi eſt caſus*, *lib.*1. Cardinal. Tuſchus *dict. litera M. conſil.*248.*num.*2. & protrahendum ſimiliter ad ſponſalirias largitiones rectè arbitratur Cardin. Franc. Mantica *de tacitis & ambig.conuent.lib.*4.*titul.*6.*numer.*57.*in fine.*

12 Quæ ſententia ita producta licèt in vtriuſque ſexus perſonis regulariter certa ſit, nihilominus aliquales reſtrictiones patitur. Et primo loco limitatur in bonis mobilibus, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, de quibus in *l. quæ tutores*, *C.de adminiſtration.tutor.* illa autem minor ſiue curatorem habeat, ſiue non, propria tantùm voluntate donare poſſe, quamuis nullum iudiciale decretum accedat, *ex textu in l.* 2. ibi: *In alijs verò rebus*, *C.ſi aduer.donat.* & *l.ſi filius*, vbi teſtantur Paulus & Aretin. *C.de inoffic.donat.* reſoluunt Bartolus *conſ.*70. *Reuerendiſſime domine*, *in principio*, *lib.*1. Card. Tuſch. *lit.M. conſ.*247.*num.*17. *& ſequent.* Et conducunt tradita à Simoncell. *dict.tractat. de decretis lib.*1.*titul.*2.*inſpect.*4.*verſic.Secunda ſubſequitur inſpectio.* vbi de mobilibus à minore donatis agit remunerationis cauſa: quod antea dixerat *inſpect.*2.*num.*19.circa finem, aſſerens minorem de pecunijs, & alijs rebus, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, eleemoſynas ſine iudicis decreto facere poſſe, quia de his poteſt ad libitum diſponere, ſubſcribunt Perez de Lara *in compendio vitæ hominis*, *cap.*22.*num.*30. & ante eum Sforc. Oddus *de in integr.reſtit.p.*2.*q.*58.*art.*1. *num.*3. Caldas Pereira *in l.ſi curatorem habens*, *verſic. Contractum feciſti n* 38.*C.de in integr.reſtit.* Ioan. Gutier.*d.*2.*p.de tutel.c.*5.*num.*59. vbi & rurſus *cap.*6. *n.*6. id in minore curatorem habente, & ſine eius autoritate donante, nequaquam probat, cui & in hoc aſſentior, quia nulla rerum ſuarum alienatio adoleſcenti curatore inſtructo ſine eo permiſſa eſt, *d.l.ſi curatorem habens.*

13 Ex quo infertur, licitum eſſe minoribus requiſito curatorum ſuorum conſenſu, non verò iudiciali decreto, propter nuptias, vel ante nuptias (quæ hodie idem ſunt, *l.vltim. de donation. ante nupt.* §. *eſt & aliud genus, inſtit. de donation.*) donationes conficere, *l.*1. *C.ſi aduerſus donationem*, *dict. l.vltim.*§. *fin. C.ſi maior factus alienatio.* Et apud noſtros datio arrharum dicitur, *l.*1. *titul.*11. *part.*4. Siquidem cùm hæc frequenter de mobilibus fiant, vt teſtatur Caſtrenſ. *in dict. l.* 1.*num.*2. & probat Simoncellus *dict. tract. de decretis*, *lib.*3.*titul.*8.*inſpection.*13.*num.*88. dubitari non poteſt ex regula ſuperiùs à nobis conſtituta, ab ipſis fieri poſſe; maximè aſſerentibus Sforcia *d. quæſt.*58.*de reſtitut. art.*1.*num.*5. Simoncello *vbi proximè*, Duareno *in titulum C.aduerſus donatio.* Pat. Sanchez *lib.*6. *de matrimon. diſput.*38. *num.*39. Cald. Pereira *verbo Contractum numer.*13. *in l.ſi curatorem habens*, *C.de integr. reſtitut.* Valaſc. *conſult.*2.*num.*6. P. Rebell. *de oblig. iuſtit.part.*2.*lib.*6.*quæſt.*4.*num.*15. Barboſa *in remiſſion.ad D. Luſitaniæ lib.*4. *tit.*47. *numer.*2. Congerit plura in propoſito Hermoſilla *in d. additione ad Gloſſam* 5. *l.*1.*titul.*4. *part.*5.*num.*9. & ante eum Perez de Lara *in compend. d.cap.*22.*num.*38. vbi à pubertate id concedit.

Vnde deducit Simoncellus, quòd ſi donatio propter nuptias, vel dos conſtituatur, in certa pecuniæ quantitate, valida erit conſtitutio, quia pecunia de illis mobilibus eſt, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, *l.*1.§.*fuit quæſitum*, vbi obſeruant DD. *ff. ad Trebellian.* quod etiam inter noſtros ad dationem arrharum extendit Rodericus Suarez *in l.*1.*titul.de las arras*, *ſub num.* 67. Azeued. *in l.*2.*num.*11.*verſic.Ex quib.titul.*2.*lib.*5. *Recopil.* vbi & illa ratione hanc arrharum donationem à minore factam validam probat, quia ita donando facit minor quod quilibet maior & prudens feciſſet, in premium ſcilicet, & remunerationem virginitatis, nobilitatis, vel alterius cauſæ. Idque ita accipiendum eſt, dummodò prædicta arrharum donatio ſummam à legibus præſcriptam, videlicet decimam partem bonorum non excedat, *l.*1.*tit.*2.*lib.*3.*fori legum*, vbi notant Montalu. & Roderic. Suar. tradit Greg. Lopez *in l.*1.*gloſ.*5.*& 6.tit.*11.*p.*4. Nam ſi eam exceſſerit, quoad exceſſum irrita erit donatio, vel tota reſtitutione in integrũ ſubuertetur, vt coniectari poteſt de iure communi ex verbis *d.l.*1. ex quibus à contrario ſenſu colligitur, incongruas ſiue exceſſiuas propter nuptias donationes ſubſidio reſtitutionis infringi. Quod in ſpecie probat Mauricius *tract. de reſtit.c.*207,*& c.ſequenti*; P. Sanch. *de matrim.lib.*6.*diſp.*38.*n.*41. vbi aliquando dicit donationem non excedentem decimam partem bonorum minoris eſſe poſſe immoderatam, iure noſtro attento; habito reſpectu ad qualitatem vxoris. 14 15

Secundò reſtringitur, vt nõ procedat in donationibus, quæ remunerandi cauſa fiunt: nã cùm 16

cùm ad eas naturali iure vnuſquiſque teneatur, *l. ſed etſi lege* 25. §. *conſuluit, de hæred. petition.* minor etiam, qui, quoad ius illud ſpectar, nihil à maioribus diſtat, eas conficiendi facultate potiri dubium non eſt, obfirmantibus Romano *in l. ſi ante, ff. ſoluto matrimon.* Iaſone *in l. ſi non ſortem,* §. *libertus in 9. effectu obligationis ad antidoral. num.* 8. *ff. de condiction. indebiti,* & *in l. ex hoc iure in* 11. *effectu, num.* 33. *ff. de iuſt. & iure,* Tiraquel. *in l. inquam, verbo Donatione largitus, num.* 29. *in* 16 *ſpeciali, C. de reuocand. donation.* Socinus *conſ.* 66. *col.* 2. *in fin. lib.* 1. Beroio *conſil.* 61. *num.* 33. *& conſil.* 65. *num.* 14. *volum.* 1. Harmenopnlo *in promptuario iuris ciuilis, lib.* 1. *titul.* 12. *verſicul. Rem à patre,* Aretin. *conſ.* 24. *num.* 14. incipienti, *Quatuor dubia,* vbi hanc opinionem communem appellat Mauricius *de reſtitut. dict. cap.* 208. *numer.* 4. Cardin. Tuſch. *dict. concluſ.* 682. *num.* 3. *litera D.* Quibus conſentire videtur Sforcius *dict. art.* 1. *num.* 8. licèt non aliter prædictas donationes valere ſentiat, quàm ſi cauſa remunerationis adeò ſit efficax, vt ex ea ad antidora obligari poſſet, per *l. cum plures,* §. *cù tutor, & ibi* Gloſſ. *ff. de adminiſtr. tutor. l. qui filium ff. vbi pupilus educari debet,* velut prædixerat Pinellus in *l.* 1. 3. *part. num.* 85. *C. de bon. mater.* ſequitur Simoncellus *dict. inſpectio.* 4. *circa finem,* Ioann. Gutier. 2. *part. de tutel. cap.* 5. *num.* 57. cui limitationi reſpondit Fran. Viuius ſuperiorem ſententiam probans *commun. opinion. lib.* 1. *opin.* 222. & quamuis contrariam veriorem fuerint arbitrati nonnulli, quos referunt Manrica *d. lib.* 4. *titul.* 6. *numer.* 57. & latiſsimè Simoncellus *dict. inſpectione* 4. vbi mordicus eam contra Viuium, & alios defendit. Nihilominus certiorem noſtram optimis rationibus contendit idem Viuius aduerſus Simoncellũ in poſteriori editione Aquileæ. Confirmat nouiſsimè Perez de Lara *in compend. dict. cap.* 22. *numer.* 39. Hermoſilla *vbi ſuprà,* plures alios referens, *numer.* 17. licèt falsò tantùm veram intelligat de donatione bonorum, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, non verò immobilium, vel eorum, quæ eis æquiparantur ex Mozzio, Menochio, & Scacia.

17 Tertiò, pari modo coercenda erit ſuperior pronuntiatio, vbi iuramentum accedit, ſiquidem ipſius tanta vis eſt, vt contractum aliàs inualidum, quia à minore ſine curatoris autoritate initum, pleni roboris, & debitæ firmitatis efficiat, vt ſæpiùs diximus, & ſuadetur ex his, quę latiſsimè tradũt Mauritius *de reſtitutione, cap.* 309. *fol. mihi* 365. Donellus *lib.* 21. *commun. cap.* 13. & *ibidem* Oſualdus *liter. G. cum ſequentibus,* & relati nouiſſimè à Hermoſilla *vbi ſuprà numer.* 5. Quapropter donationem ab adulto tali Sacramento celebratam conſiſtere, pene omnium communis reſolutio eſt, quam præcipuè probant relati à Tiraquelio *Gloſſ.* 5. *poſt ll. connub. num.* 49. Iacob. Menoch. *conſ.* 29. *num.* 8. *lib.* 1. Anton. Gabriel *lib.* 2. *commun. concluſ. titul. de minor. concluſ.* 5. Octauian. Simoncell. *dict. l.* 1. *de decretis, titul.* 2. *inſpect.* 1. *num.* 14. Sforc. Oddus *dict. quæſt.* 18. *de reſtitut. artic.* 1. *num.* 4. Cardin. Tuſchus *dict. liter. D. concluſ.* 682. *numer.* 5. vbi etiam *num.* 6. & 7. diſcutit, an huiuſmodi limitatio procedat ſtante ſtatuto, quo iuramentum tollatur, niſi fuerit certa ſolemnitate interpoſitum? Ioan. Gutierr. *in repetition. authen. ſacram. puberum, num.* 118. *C. ſi aduerſ. venditi,* Azeued. *dict. l.* 2. *num.* 11. *titul.* 2. *lib.* 5. *Recopilat.* vbi de arrharum donatione loquitur, Vveſembec. *conſil.* 23. *num.* 27. Oſuald. *dict. lib.* 21. *Donell. cap.* 13. *liter. H.* Hermoſilla omnino videndus *dict. num.* 5. qui plura ad hanc rem neceſſaria cumular: licèt hoc in donatione ſolùm ob causã procedere, veluti propter nuptias, & ad pias cauſas, non verò in temeraria, & nulla iuſta ratione facta receperint, Baldus *in l.* 1. *C. ſi aduerſus donatio.* Corneus *conſ.* 11. *volum.* 3. Barbac. *conſ.* 53. *volum.* 2. Burgos de Paz *conſ.* 28. *num.* 18. & eos referens Parlad. *rerum quotidian. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 12. quia ipſorum venia, vbi congrua donandi ratio inuenitur, iuramento opus non eſt, vt eiuſmodi cauſæ contemplatione collata liberalitas ſubſiſtat, ſiquidem cùm talis donatio incompenſationem alicuius recepti beneficij fiat, remuneratoria erit, cuius contrahendi facultatem minoribus ſuprà conceſſimus. Ergo ſi iuramenti ab adoleſcentibus præſtiti aliquam eſſe vim fatendum eſt, circa eas donationes eſſe debebit, quæ ab ipſis celebratæ viribus carent; non verò circa eas, quæ iuris indulgentia ab eiſdem vtiliter conficiuntur. Quapropter eorum potiùs exiſtimationi aſſentior, qui regulariter donationem à minoribus iuramenti interpoſitione factas valere putant, licèt contrarium plurimi voluerint, præcipuè relati à ſuperioribus. Quibus addendus erit Ioann. Botta *conſil.* 59. *num.* 34. maximè vbi immoderatæ & exceſſiuæ quantitatis ſunt, vt poſt Sforcium tenet Caſtill. *tom.* 3. *capit.* 2. *num.* 45. & *ſeqq.* Ciriac. *tom.* 2. *controu.* 321. *num.* 86. Cancer *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 138. & Noguerol *tom.* 1. *allegat.* 34. *num.* 22.

Limitatur quartò, vt non procedat in donationibus propter nuptias, ſiue arrharũ nomine conſtitutis, ſiquidem illarum fauore inductum eſſe profitetur Baptiſta de S. Blaſio 18

tract.

tract. de priuil. dotalibus, centur. 1. *priuileg.* 63. *num.* 63. vt etiam à minoribus, iudicis tamen decreto interueniente, fieri poſsint: licèt aliàs nulla immobilium rerum ab ipſis, nec cum decreto celebrari donatio poſsit. Et colligitur ex *dict. l. vltima, §. fin. C. ſi maior factus alienatio.* Placetque Iacobo Menochio *conſil.* 29. *numer.* 15. *lib.* 1. Franciſc. Otomano *tractatu de donation.* 1. *part. partitionis ſcilicet de perſonis, circa finem, verſic. de cæteris, fol.* 78. Simoncellus *dict. titul.* 2. *inſpect.* 1. *num.* 15. & rurſus *dict. lib.* 3. *tit.* 8. *inſpect.* 13. *num.* 88. Pat. Sanchez *dict. lib.* 6. *diſput.* 38. *num.* 37. qui *num.* 38. ſubnectit,
19 prædictas donationes arrharum nomine, ſi immobilium rerum, aut mobilium, quæ ſeruari poſſunt, à minoribus fiant, licèt ſtatim nullius ſint roboris, confirmari, ſi poſt adimpletam ætatem 25. annorum donantis quinquennium effluxerit. Quod deducit ex *dict. l. ſi quando* 3. *C. ſi maior factus alienat.* & ex Anton. Gomez *in l.* 52. *Tauri, num.* 14. Azeued. & Matienzo ab eo relatis, confirmat eandem ſententiam Mozzius *de contractib. tractat. de donatione capit. de perſonis quæ poſſunt donare, num.* 48. Cardoſ. *in prax. iudicum, verſ. Donatio, numer.* 17. Pereira *dict. deciſ. num.* 2. Tepato *varia. tit.* 409. & 495. *titul.* 18. Stephan. Gratian. *dict. capit.* 233. *num.* 10. Perez de Lara *in compendio capit.* 22. *num.* 45. 46. & 47. P. Azor *de donation. cap.* 2. *verſic. Tertiò,* Ricius *in collect.* 264. & 2371. *verſic. Decimo,* notat Surdus *deciſ.* 69. & 245. quos alios refert nouiſsimè Hermoſilla *dict. additione ad Gloſſam* 5. *l.* 1. *tit.* 4. *part.* 5. *num.* 11. vbi & *numer. ſequenti* diſputat: vtrùm aduerſus eiuſmodi dationē, vel promiſſionem arrharum à minore factā detur ei in integrum reſtitutio?

20 Quintò moderatur dicta concluſio in quibuſcumque liberalitatibus Eccleſiæ, vel alio pio aut religioſo loco elargitis, quæ ſi non tam liberalitatis exercendę cauſa, quàm zelo & intuitu charitatis perficiantur, iudiciali decreto accedente conſiſtent, vt optimè & vt Catholicum decet, diſtinguit Simoncellus *dict. tit.* 2. *inſpect.* 2. *num.* 19. Sforcius *de reſtitut.* 2. *part. quæſt.* 58. *numer.* 9. & *ſequent.* nouiſſimè Hermoſilla *vbi proximè numer.* 5. Quomodo accipiendam eſſe admonet Simoncellus opinionem Baldi *in l. generali, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Beroi. *in cap. in præſentia numer.* 162. *de probation.* Quibus accedit Sforcius *dict. quæſt.* 58. *artic.* 1. *num.* 7. & aliorum, qui ſimpliciter affirmant prædictas donationes in Eccleſiam, & pios locos iudicis decreto à minoribus collatas, valere. Et mouetur ad prædictam diſtinctionem eleganti ratione: nam cùm ob id tantùm donationes, quamuis decreto, & curatorum autoritate munitæ, adoleſcentibus interdicantur, quia donare perdere eſt: tunc enim ſolum illud deficit, quoties diuino amore exardeſcentes in prædictas liberalitates minores proſiliunt. Etenim tantum abeſt, vt ita erogatum diſsipetur, quòd imò centuplum pro eo iuxta Euangelicam doctrinam conſequantur. Quod minimè dici de illis donationibus poterit, quæ licèt Eccleſiæ fuerint factæ, magis attamen ad promerendas benefactorum, & munificentiſſimorum laudes conſpiciuntur affectæ.

Sextò, reſtrictionem patitur initio con- 21
ſtituta enuntiatio, quoad illas moderatas, & iuſtas erogationes, quas ex pecunijs, aut alijs rebus à curatoribus recreationis, vel eleemoſynæ faciendæ cauſa, ipſis permittuntur, nam cùm ad huiuſmodi vſus ea ſaltim ſumma eis concedi poſsit, quam ſi maiores eſſent, proculdubio abſque prodigalitatis nota in eaſdem res conſumpſiſſent, vt reſoluit eleganter Pat. Ludouicus Molina *de iuſtitia, tom.* 1. *tractat.* 2. *diſputat.* 224. *num.* 12. ambigi non poteſt, id omne validè donare poſſe, etiam curatoribus reluctātibus, dummodò ſummam ita donando non excedant ab ijſdem curatoribus præſcriptam: nam ſi exceſſerint, lęthali culpa inuoluentur, & per in integrum reſtitutionem à donatarijs repeti non poterit, quod extra licitum acceperunt, quemadmodum eidem Ludouico Molina placet *tom.* 2. *tractat.* 2. *diſput.* 277. *num.* 5.

Septimò limitatur in donationibus ijs 22
factis, qui legitimum ſuccedendi ius abinteſtato obtinent: etenim rectè in eos collatas à minoribus, etiam pupillis, liberalitates effectum ſortiri, ſi tutorum vel curatorum autoritate, & iudicis decreto fuerint munitæ, arbitratur Romanus *dict. conſil.* 199. *num.* 9. Tiraquel. *de vtroque retract. titul.* 1. *in præfatione, num.* 51. quibus adhæret Cardin. Tuſchus *practic. concluſ. dict. lit. D. concluſ.* 682. *num.* 9. vbi idem de mortis cauſa donationibus ſentit. Et conuincitur expreſſe ex Conſulti deciſione *in l.* 1. *§. ſed nonnullos, ff. de tutel. & ration. diſtrahen.* Nec repugnat quod ex Abbate *conſ.* 107. *num.* 8. ſuprà docuimus, nempe, non ex eo validari donationes à minoribus factas, quia in fratres conferuntur, ſiquidem hæc Abbatis doctrina de illis fratribus ſubaudienda eſt, qui primum legitimę ſucceſsionis gradum abinteſtato haud quaquàm habent, vtputa quia ab aſcendentibus vel deſcendentibus præceduntur.

13 Extra quos caſus, & alios, de quibus per ſupra ſcriptos Autores, & precipuè per Hermoſilla *locis iam relatis*, quecumque donatio à minore, etiam curatoris & iudicis autoritate confecta, irrita erit, nec vires aſſumet, niſi poſteà minor, qui donauit, maior factus ratificauerit, aut ſi poſt eius legitimam ætatem bicẽnium preterierit. Etenim per tranſcurſum tanti temporis donatio, ab initio nulla, conualidatur, *dict. l. ſi quando 3. verſic. Cum autem, C. ſi maior factus alienatio*, tradit Simoncellus *dict. lib. 1. titul. 2. inſpect. 1. num. 16.* & latiùs *titul. vltim. inſpect. 2. caſu 2. num. 14.* quamuis in donationibus propter nuptias, & arrharum nomine apud noſtros factis, ideoque irritis, quia ſine iudicis decreto, cùm immobilium rerum fuerint, celebratæ conſpiciuntur, quinquennium effluxiſſe ſat eſſe, docet Anton. Gomez *dict. l. 52. Tauri, num. 14.* Azeued. *lib. 1. Recopilationis, titul. 2. l. 2. num. 12. ibidemque* Matienzo *gloſ. 2. numer. 3.* P. Thom. Sanchez *d. diſput. 38. num. 38.*

SVMMARIVM.

Minor curatore carens, an poſſit tranſactionem celebrare? 1.

Tranſactio contractus eſt. ibid.

Maiorem viginti & quinque annis ſolùm tranſigere poſſe verius eſt. 2.

Ille tantùm poteſt tranſigere, qui rem alienare poteſt, de qua tranſigitur. 3.

Tranſactio, allienatio eſt. 4.

Tranſactio de re valde dubia non dicitur alienatio. ibid.

Reſtitutio contra quas minorum tranſactiones habeat locum? 5.

Reſtitutio competit etiam contra tranſactionem ſententia confirmatam. ibid.

Pupillus non niſi tutore autore poteſt tranſigere. ibidem.

Ante vigeſimumquintum annum nemo citra decretum, & alias ſolemnitates, tranſigendi ius habet. 6.

Ex voluntate patris, vel teſtatoris, in contractu, vel teſtamento etiam nullo expreſſa, poteſt minor validè tranſigere. 7.

Tranſactio iuramento à minore facta, valet. 8.

Minor contraueniens iuratæ tranſactioni, non punitur, etiamſi contrauentio poſt maiorem ætatem contingat. 9.

Minor quamuis veniam habeat ætatis, tranſigere, vel ob non ſeruatam iuratam tranſactionem puniri nequit. ibid.

QVÆSTIO XII.

Ad tranſigendum quæ ſit ætas neceſſaria?

DE hac verò quæſtione perquam difficili & obſcura diuerſæ reperiũtur Interpretum opiniones. 1
Primò enim ſunt quidam, qui minoribus curatoribus deſtitutis tranſactionem eſſe permiſſam cõtendunt: quapropter pubertatem legitimam ad eiuſmodi contractum ætatem arbitrantur. Quorum in numero ſunt quoque Ripa *in l. 1. §. fuit quæſitum in fine, ff. ad Trebellia.* dum ait, alienationem factam à minore ex cauſa tranſactionis abſque decreto validam eſſe, Anton. Faber *in Iuriſprud. Papinian. titul. 12. prin. 7. illat. 43.* Helfrico Vlric. *libellulo de tranſaction. cap. 2. in initio.* Huius opinionis præcipuum fundamentum deſumitur *ex l. ſi curatorem 3. C. de in integrum reſtitut.* vbi cauetur implorare beneficium reſtitutionis illum minorem poſſe, qui cùm ſine curatore eſſet, contractum celebrauit: ergo cùm tranſactio contractus ſit, *l. cum te la 2. C. de tranſactio. l. cum donationis, C. de his quæ metus cauſa,* probat Cardin. Mantic. *de tacitis & ambiguis conuention. lib. 26. titul. 1. numer. 9.* pluribuſque id adſtruit Helfric. Vlric. *dicto lib. de tranſact. exercitat. 2.* Cabreros *libro 2. de metu cap. 18. numer. 11.* ſi tranſactionem fecerit minor (inquiunt huius ſententiæ propugnatores) obligabitur, licèt ſi ex ea fuerit læſus, poſſit reſtitutionis ſuffragio reparari, *totus titulus, C. ſi aduerſus tranſactionem, l. de fideicommiſſo 11. C. de tranſaction.* optime probat Sforc. Odd. *tract. de reſtit. q. 66. art. 4. à n. 17.* Fachin. *conſil. 36. num. 6. lib. 1.*

Secundò igitur alij exiſtimant, tranſactionem non niſi à maioribus quinque & viginti annorum rectè conſtitui poſſe. Hi ſunt 2
innumeri relati ab Octauian. Simoncello *tractat. de decreto, lib. 2. titul. 6. inſpectione 10.* Proſper. Farinac. *prax. criminal. tom. 1. q. 15. num. 10. verſ. Et ſimili modo,* Bartol. Bertazol *tract. de clauſ. clauſul. 10. gloſ. 2. num. 13.* Andr. Fachin. *vbi ſup. num. 1. & 10.* qui idem reſpectu fœminarum ſtatuere videtur, Caldas Pereira *de empt. & vendit. capit. 13. nu. 12.* Vvertus Giphanius *in l. ſi quis maior. 41. C. de tranſactio.* Petrus Gil Ken. *in l. 4. n. 4. eod. titulo,* Anton. de Padilla *in l. ſi maior. num. 1. C. eodem.*

3 Fundamentum huius ſuæ opinionis in eo conſtituunt, quòd cùm de tranſactionibus agitur, ſæpè fit mentio maioris ætatis quinque & viginti annorum, vt *in l.non minorem 20. l.ſi maiores 25. l.ſi profundo 33. l.ſi maior annis 36. C.hoc titulo, de tranſact. l.qui-cum 9. §.fin.ff. eodem.* Et hanc eſſe in materia tranſactionis legitimam ætatem, ex reſcriptis Imperatorum *in l.4.& 5.C.eod.* colligi poteſt, vti ex his omnibus hac ætate minores non rectè tranſigere, quod veriſſimum cenſeo. Et roboratur, quia is tantùm poteſt tranſigere, qui poteſt alienare rem, ſuperquã tranſigitur, *l.nõ ſolùm 4.C.de prædijs, & alijs rebus min.* Ita Helfric. Vlricius *de tranſact. cap.2.in princip.* Cardoſus *in praxi iudicum, verb.Tranſactio. numer.5.* Quocirca cùm vigeſimumquintum annum agentibus liberam bonorum ſuorum & adminiſtratio & alienatio permittatur, vt pluries diximus, indeeſt huius ætatis hominibus tranſactionem dumtaxat concedendam.

4 A qua ſuſcepta defenſione non depellet aduerſę opinionis prędidium ex *d.l.3.* quia licèt veriſſimum ſit, minores curatoribus deſtitutos poſſe obligari, & contractus celebrare; attamen hoc in illis obligationibus & cõtractibus locum obtinet, ex quibus nulla rerum ſuarum alienatio ſubſequi poteſt, vt ex Cuiacio *in l.puberes 111.de verb.obligat. & lib. 19.obſeruat.c.33.* Fachin. *lib.3.controuer.c. 9.* Philip.Matth. *in l.2.§.1.n.15.ff de reg. iur.* & ex alijs ſuprà *anno 14.q.7.* oſtendimus, vbi de ætate ad ciuilem obligationem. Vnde cùm tranſactio alienationis ſit ſpecies, *l.ſ.n cinus, C.de reb.alien non alienan.l.1.§.1.ff. de offic.proc.Cæſar.* tradit Brunorus à Sole *in compend.reſolut.vtriuſque iuris, lit.F. verbo tranſactio, verſicul.Tranſactio alienationis,* & Helfric. *vbi ſuprà exercit.4.in principio,* Simoncellus *dict.tract.& libro, tit.6.inſpection.10.num.* 100. (etſi vbi in re valde dubia interponitur, alienationẽ eſſe neget Henric. Roſent. *tom.1.de feudis, capit.9.membro 1.concluſ.21.litera G.pagin.679.* Nicol. Intrigliol. *deciſ.43.num.16.& 17.* & indicare videtur Cephal. *conſ.152.num.92.& conſil. 155.num.35.vol.2.*) Ex quo nullo dato, vel retẽto, ſeu promiſſo minimè procedit *l.trãſactio.38. C.de tranſaction.* ab eo qui in minore ætate conſtitutus eſt, & curatore caret, perfici haud quaquam poterit, vt hac ſola ratione ex Federico de Senis *conſ.94.* reſoluit Cardin.Tuſch. *pract. concluſ.lit.F. concluſ. 349.num.1.*

5 Nec fortiùs vrget minoribus reſtitutionẽ aduerſus tranſactionis cõtractum indulgeri, *ex integro titul.C.ſi aduerſus tranſact.* etiam ſi tranſactio fuerit ſententia confirmata, Rimin.Sen. *conſ.347.n.45.lib.2.* cui nouiſſimè accedit Noguerol *tom.1.allegat.18.nu.46.* atque ideò validum eſſe conſtare, alioqui reſtitutione non indigeret, vt ſubuerteretur. Nam quod nullum eſt, vt vulgò circũfertur, rumpi non poteſt, *l.nam & in ſuo 5.§.rumpendo, ff.de iniuſto rupto*, quia vt affabrè quidem ſentit in propoſito Vvertus Giphanius *in d. l.ſi quis maior*, minores non reſtituuntur aduerſus trãſactiones à ſe ipſis, ſine curatorum ſuorum autoritate confectas; ſed aduerſus eas, quibus peragẽdis adſtiterunt curatores, idque cõuincitur *ex d.tit.C.ſi aduerſus trãſactionem*, vbi non ſolùm reſtitutio cõceditur minoribus aduerſus trãſactionis placita; ſed etiam pupillis, vt *in l.1.* ergo cùm pupillus non aliter poſſit tranſigere, quàm tutoris interuentu, ita ſentiente Gloſſa *in dict.l.1.C.ſi aduerſus tranſactionem*, & Giphanio *d.loco*, quamuis contrariũ vno verbo tradiderit Anton. Faber *d.principio 7.illation.43.* planum euadit toto illo titulo de tranſactionibus loqui à minoribus cum tutorum vel curatorum autoritate inſtitutis, & aduerſus eas tantùm proferri, reſtitutionem locum habere poſſe.

Quo ſuppoſito, dubium non eſt maiores quinto & viceſimo anno ſolummodò tranſigendi legitimam perſonam obtinere, ſiquidem huius ętatis minores non niſi interueniente iudicis decreto, & tutorum vel curatorum autoritate tranſactionem inſtituere poſſunt, vt poſt multos relatos docet Simoncellus *dict.inſpectione 10.per totam.* 6

A quo generali prolato nonnulli caſus ſunt excipiendi, in quibus ante præſcriptum huiuſmodi annorum ſpatium tranſigendi facultas conceditur: vtpote cùm ex voluntate teſtatoris, vel parentis, in contractu deducta ad tranſactionem quis tenebatur: tunc enim etſi in minori ætate fuerit conſtitutus, tranſigendi poteſtatem abſque iudicis decreto obtinebit, vt argumento *l.alieno ſeruo 31. §.qui fideicommiſſariam, l.non tantùm 51. verſicul. Is autem, ff. de fideicomm. libert.* vbi qui fideicommiſſariam libertatem debet, etiam eo tempore, quo manumittere, & alienare lege prohibetur, poteſt libertatem conferre: necnon & optimi textus, qui vtrumque complectitur *in l.prædium.3. C.quando decreto opus non eſt*, reſoluit Simoncellus, pluribus pro hac opinione adductis *dict.inſpectione 11.numer.107.* vbi etiam *num.109.* id locum habere obteſtatur, caſu quo teſtamentum, cuius occaſione minor tenebatur, fuiſſet nullum, ex *l.vltima, ff de reb. eorum.* cum ſimilibus ab ipſis congeſtis. 7

Deinde

Deinde cùm pubes à ſe inſtitutam tranſactionem Sacramenti religione firmauit: tunc enim cùm iuramenti tanta ſit vis, vt minorem quoad actum, in quo iuramentum interpoſuit, maiorem efficiat, *authent. Sacramenta puber. C. ſi aduerſ. vendition.* conſectarium eſt, dictam tranſactionis pactionem validam eſſe, quamuis ab eo celebratam, qui naturaliter, & vt ita dicã, mathematicè quintum & viceſimum annum non expleuit. Hæc eſt communis Scribentium traditio, quam veram eſſe profitentur Donellus *in dict. l. ſi quis maior* 41. *num.* 6. *C. de tranſact.* & ibidẽ Gil Kenius *num.* 13. Padilla *nu.* 4. Helfric. Vlric. *vbi ſup. cap.* 5. *exercit.* 6. *in reſponſione ad* 1. *argum cõtrariæ opinionis*. Quamuis omnes pariter affirment, quòd ſi prędictę validę tranſactioni contraueniat, ideò pœnis in *d. l. ſi quis maior* comprehenſis multari non debet, etiamſi poſt adimpletam maiorem ætatem iuratæ tranſactioni in pubertate conſtitutæ deficiat, *argument. l.* 3. §. *ſi quis cum minore, ff. de minor.* vel etiamſi veniam ætatis à Principe impetrauerit eo tempore, quo cum aduerſario tranſegit, ſeu tranſactionem non ſeruauit, vt eruditè probat Padilla *dict. loco num.* 5. *&* 27. Quorum ea ratio eſt, quia ad incurrendas pœnas *dict. l. ſi quis maior*, 25. annorum ætas deſideratur in tranſigente, vt poſt ſuprà relatos obſeruauit Cardin. Mantica *de tacitis & ambig. conuention. lib.* 26. *titul.* 6. *num.* 25.

SVMMARIVM.

MAſculus à decimoquarto anno, & fœmina à duodecimo an poſſint renuntiare? 1.

Minor reſtituitur aduerſus renuntiationes à ſe factas. 2.

Minor annis viginti & quinque, ſiue maſculus, ſiue fœmina, licèt adhibitis ſolemnitatibus inutiliter renuntiat. 3.

Iuramentum an validam efficiat minoris renuntiationem? ibidem.

Renuntiare, donare eſt. 4. *&* 7.

Minor hypothecæ renuntiare nequit. 5.

Nemo ante quintum & viceſimum annum ſibi relictum legatum poteſt repudiare. 6.

Siue ſit legatum damnationis, ſiue vendicationis, ipſius repudiatio minoribus eſt interdicta. 7. *& ſeqq.*

Etiam fideicomiſſi renuntiatio minoribus prohibetur. 9.

Donatio an poſſit à minore ante acceptationem repudiari? 10.

Donatio etiam ab extraneo nomine minoris acceptata, non poteſt renuntiari. 11.

QVÆSTIO XIII.

Ad renuntiandum ſimpliciter, & vt quis legato ſibi relicto, aut donationi factæ renuntiet?

PVberes, ideſt fœminã à duodecimo, & maſculum à decimoquarto anno completo renũtiare poſſe, ex eo infert Andreas Dalnerus *tract. de var. iuris renuntiation. c.* 5. *num.* 9. quia cùm renuntiationis ſit efficiens cauſa libera voluntas, & cõſenſus, autore Petr. Frider. Mindan. *partit. dialect. lib.* 1. *cap.* 4. hi omnes renuntiandi facultatem videntur habere, qui & conſentiendi habent, Boerius *deciſ.* 147. *numer.* 7. Sed in hac cauſa ſunt puberes præſcripta ætate, argument. *l. puberes* 101. *de verbor. oblig.* ergo renuntiare eos poſſe, vt conſectarium euincitur. 1

Etiuuatur hæc opinio ex his, quæ lata manu congerit Sforc. Oddus *de reſtit. q.* 85. per ſeptem articulos, vt probet minorem reſtitui aduerſus renuntiationes à ſe factas. 2

Contra tamen rectè ſentit Bartol. *in l. ſi ante nuptias, in fine, ff. ſoluto matrimon.* vt idẽ Dalnerus profitetur, & minorem viginti & quinque annis non poſſe ius ſuum remittere, etiam cũ authoritate ſui curatoris, & decreto iudicis defendit, cuius opinioni accedere videntur Riccius *in praxi rerũ quotidianar. reſolut.* 350. *num.* 10. Stephan. Gratian. *diſceptation forenſ. tom.* 2 *c.* 253. *num.* 6. & ante eos Bald. *in l.* 1. *C. ſi aduerſ. donation.* Menoch. *conſ.* 731. *num.* 12. Menchac. *de ſucceſſion. lib.* 2. §. 18. *num.* 86. Gabriel *lib.* 3. *de iure dotium, concluſ.* 1. *num.* 10. *& num.* 30. Couar. *in cap. quamuis pactum, p.* 3. §. 1. *num.* 3. Vveſemb. *conſil.* 23. *num.* 20. Ioh. Danth. *in cap. quamuis pactum, nu.* 122. dum inquiunt, refutationes & renuntiationes, quas faciunt puellæ, quæ nubunt, eſſe ipſo iure nullas, quãuis adhibitum ſit iuramentum, & autoritas curatoris, licèt ratione iuramenti contrariũ teneat Dalnerus *d. tract. c.* 4. *n.* 68. *& d. cap.* 5. *num.* 7. 3

Illamque habet rationẽ hæc opinio, quòd renuntiare, ſaltim quoad effectum, licèt non quoad actum virtutis, vt optimè expendit Sforc. *vbi ſup. num.* 3. donare eſt, *l. ſi quis delegauerit* 12. *ff. de donationibus*, vbi ita notat Bartol. ſentit etiam Baldus *in l. vltima in principio, ff. quæ in fraud. credit.* Salicet. 4

licet.

licet. *in l.pactum curatoris in principio, ff. de pactis*, Octauian. Simoncellus *de decret. lib.* 1. *titul.* 2. *inſpection.* 1. *num.* 9. Tiraquel. *in l. ſi vnquam verb. Donatione largitus, n.* 143. *C. de rebus donat.* Cardoſ. *in praxi, verbo Renuntiatio, num.* 38. Surdus *conſ.* 431. *nu.* 18. *vol.* 3. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 45. *n.* 13. Ioan. Aloiſ. Ricius *in praxi rerum quotid. reſol.* 350. *n.* 1. Card. Tuſchus *pract. concl. iuris lit. R. concl.* 182. *num.* 2. Cabrer. *de metu lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 45. ſed ante vigeſimumquintum annum perfectum, nemo, quãuis intercedente iudicis decreto, donandi ius conſequitur, vt *hoc eodem anno* multis planum facimus: igitur nec renuntiandi, quod idem eſt, obtinebit.

5 A qua veriſſima reſolutione profluit primò, hac ætate minorem hypothecæ pro ſecuritate ſibi competentis obligationis, aut debiti conſtitutæ renuntiare non poſſe, vt placuit Baldo, & Paulo Caſtrenſi *in l. cùm his, §. ſi vni, in fine, ff. de tranſaction.* quibus ſubſcribit Bertachinus *verb. Minor alienat, verſic. minor non poteſt renuntiare.*

6 Secundò, ex eadem concluſione infertur, nondum vigeſimumquintum annum agentem relictum ſibi legatum repudiare non poſſe abſque tutoris vel curatoris autoritate, & iudicis decreto. Ita Simoncellus *tractat. de decret. lib.* 3. *tit.* 8. *inſpection.* 9. *num.* 69. Cald. Pereira *ad Typum emptio. cap.* 13. *num.* 10.

7 Eſt enim hæc repudiatio donatio, & alienatio quædam, cuicumque minori ſine debita ſolemnitate interdicta, *l. magis puto* 5. *§. fundum, ff. de rebus eorum*, quam rectè de quocumque legato ſiue damnationis, ſiue vendicationis contra Gædeum *in l. alienationis* 28. *numer.* 21. *de verborum ſignificat.* & alios, ſubaudiendam rectè admonet Simoncellus *vbi ſuprà*, Anton. Faber *coniecturar. lib.* 8. *capit.* 19. etſi in *Papinianea, titul.* 12. *part.* 8. *illatione* 59. Gædeo acceſſerit Gaſpar Schiphordeger. *in eundem lib.* 1. *tractat.* 9. *quæſt.* 1. & meritò. Nam cuiuſcumque legati dominium, legis poteſtate, recta via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legatum eſt, etiam ignorantem, tranſit, *l. à Titio* 66. *ff. de furtis, l. ſi partem* 19. *§.* 1. *quemadmod. ſeruit. amitt. l. cùm pater* 77. *§. Surdo de legat.* 2. Nec ad id agnitio legati eſt neceſſaria, niſi vt repudiari ſemel agnitum non poſsit, *l. ei qui ita* 13. quam ſic optimè accipiunt Simoncellus & Faber *vbi ſup. ff. de condit. inſtit.*

8 Ex quo refellitur vulgaris obiectio *l. non fraudantur* 134. *ff. de regul. iuris, l. ſi ſponſus* 5. *§. ſi maritus* 13. *ff. de donation. inter virum & vxorem, l.* 1. *§. confertur* 23. *de collation.* necnon & *l. alienationis* 28. *ff. de verborum ſignific.* in quibus cùm ſpecialis hęc ratio non procedat translationis dominij, quam in legato conſiderauimus, nilmirum, quòd repudiatio in earum caſibus abſque alienatione fiat, vt in propoſito non malè aduertit Schiſordeg. *d. loco.*

Igitur cùm in fideicommiſſo particulari, maximè poſt nouam Iuſtiniani exæquationem legatorum & fideicommiſſorum *in l.* 2. *C. commun. delegat.* eadem ratio procedat, idem etiam ius erit obſeruandum, argument. eorum, quæ ſcribit Donellus *comment. lib.* 8. *capit.* 18. circa finem, de quo accipiendi ſunt Vincentius Fuſarius *de fideicommiſſar. ſubſtit. quæſtion.* 590. *numer.* 1. & ab eo ibidem relati, cùm abſolute proferunt minorem non poſſe fideicommiſſo renuntiare: quod rectè probari videtur à contrario ſenſu in *l. de fideicommiſſo* 11. *C. de tranſaction.* dum ibidem negatur reſtitutio contra fideicommiſſi remiſſionem à minore factam, quia viciſſitudinaria fuit, ideoque non damnoſa minori: ergo ſi damnoſa fuiſſet, inquit Simoncellus *dict. lib.* 3. *tit.* 8. *numer.* 70. *in fine.* Et lęſionis, ac etiam nullitatis remedium competere debebat. 9

Vtrùm autem idem in donatione dicendum ſit, vt poſsit eam minor renuntiare, non adhibitis ſolemnitatibus? congruè hîc dubitandum occurrit. Et poſſe ante ipſius acceptationem, inde ſuaderi videtur, quòd tunc donatio reſpectu minoris ius eſt nondum quæſitum, & in ſpe, cui adoleſcentibus ſecluſa omni ſolemnitate renuntiare licet. Ita ex Iaſone docet Bertazolus *de clauſulis, clauſula* 10. *gloſ.* 2. *numer.* 15. *circa finem*, & Caldas *in l. ſi curatorem, ver. Læſis, num.* 41. *C. de in integr. reſtitut.* Non enim huiuſmodi renuntiatio alienationem continet: vnde inquiunt Felinus *in capit.* 2. *numer.* 6. *verſicul. pro iſta limitatione, de conſtitutionibus.* Ioan. de Arno *in ſuis dialogis, dialogo* 11. & ex eis Simoncellus *vbi ſuprà numer.* 66. quòd mulier, quæ ex ſtatuto, niſi certis ſolemnitatibus alienare prohibetur, poteſt repudiare donationem ſibi factam nondum acceptatam, omiſſa ſolemnitate ſtatuti. Et comprobatur aperte ſuperior reſolutio ex Conſulto *in l. non omnia* 44. *in fine, ff. de minor*, vbi conceditur reſtitutio minori omittenti emolumentum, quod acquirere potuerat: ergo quia talis omiſsio, vel refutatio, eſt valida alioqui vt ſubverteretur, non indigeret reſtitutionis ſuffragio: ſed hodie atten- 10

attentis nouioribus deciſionibus tam Iuſtiniani quàm patriæ noſtræ, oppoſitum verius credo, nempe etiam nondum acceptatam donationem minorem citra ſolemnitatem renuntiare non poſſe: nam cùm acceptatio iam minimè ſit de ſubſtantia donationis, ex quo abſenti, nondum concepto, naſcituro, & infanti irreuocabiliter donari poteſt, vt lato ſermone ſuprà *anno decimo cum dimidio* oſtendimus, ante acceptationem rei donatæ dominus cenſetur donatarius, etiam minor. Quo fit vt eam repudiare nequeat, quia alienare non poteſt; & ſi repudiauerit, nullius momenti erit repudiatio, quaſi à non habente poteſtatem, & bonis interdicto facta.

11 Quibus conſequentiſſimum eſt, hac ſententia retẽta, nequaquam ſuſtineri poſſe doctrinam Caſtrenſis *conſ.* 171. *n.* 2. Zuchardi *in repetition. rubric. C. de pactis n.* 119. Cæſaris Lambertin. *de iure patron. art.* 9. *q.* 2. *principal. n.* 20. *lib*... Simoncell. *loco vbi proximè n.* 65. & aliorum, quę habet poſſe minorem curatore deſtitutum, ſibi factam donationem de re immobili, & ab extraneo ſuo nomine acceptatam, ſine decreto renuntiare, quia, vt prædiximus, ſiue curatorẽ habeat minor, ſiue non, omni caſu nunc prohibetur, etiam ante acceptationẽ à ſe, vel ab alio eius nomine factam, donationis ius, & cõmodũ remittere.

SVMMARIVM.

Dos à minore abſque debitis ſolemnitatibus ei promiſſa, nullius eſt momenti. 1.

Nec pro Eccleſia, aut alio pio loco licet minori dotem conſtituere. 2.

Quamuis lege vel ſtatuto, cuiuſcumque ætatis hominibus permittatur dotis conſtitutio, adhuc minoribus ea non licet. ibidem.

Dominium rerum dotalium tranſit in maritum. 3.

Ducens minorem, niſi iudicis decreto dotem acceperit, nullum ex ea lucrum conſequetur, ſi quod ex ſtatuto ipſi competit, moriente illa in minori ætate, vel intra primum matrimoniũ quinquennium. 4.

L. Titia 62. *ff. de iure doti, interpretatur.* 5.

Dos, quæ primo marito fuit debitis ſolemnitatibus aſsignata, poteſt abſque alia ſolemnitate ſecundo marito à minore dari. 6.

Minor fœmina poteſt ſe ipſam ex his rebus moderate dotare, quæ poſſunt à minoribus ſine decreto & curatore alienari. 7.

Dos poteſt à minore teſtamento conſtitui. 8.

Nec pro ſe, nec pro alio licet minori, abſque ſolemnitatibus dotem conſtituere. 9.

Dos in pecunia, aut alia re mobili, ſola curatoris autoritate conſiſtit. 10.

An cùm res mobiles taxatæ in dotem dantur, ſit neceſſarium iudicis decretum? 11.

Procurator ad dotandum conſtitutus, an poſſit virtute mandati etiam res vendere, vt ex pretio earum melius dotem conſtituat. 12.

Dos à minore iuramento promiſſa, valet. 13.

Ad dotis conſtitutionem non habenti curatorẽ, curator eſt aſſignandus. 14.

Ad augmentum & permutationem dotis, eadem ætas, quæ ad ipſius conſtitutionem deſideratur. 15.

QVÆSTIO XIV.

Ad dotis conſtitutionem?

EX illo Ciceronis pro Flaco: *Quæcumque ſine tutore autore, eſt dicta dos, nulla eſt*, optimè cum Petro Gregorio *ſyntagmat. iuris lib.* 12. *c.* 3. *n.* 20. intelligere poſſumus, parũ firmam eſſe dotis promiſſionẽ à minore quocũque, ſiue maſculo, ſiue fœmina abſque debitis ſolemnitatibus factã. Et meritò, quia nemini licet ante vigeſimũquintũ ætatis annum elapſum ſine curatoris autoritate, & iudicis decreto proprias res immobiles, aut mobiles, ſine curatoris ſaltim autoritate, etiã ex cauſa dotis à ſe abdicare, vt *ex l. non tantum* 7. *de curatoribus datis ab his, l. mulier* 28. *C. de iure dotium, l. lex quæ tutores* 22. *C. de adminiſtrat. tutor. l. prædia* 11. *C. de prædijs minor, l. vltim.* §. *cùm autem, C. ſi maior factus alienatio.* docent Campeg. *de dote* 1. *part. q.* 21. & quàm plurimi relati à Simoncello *tract. de decretis lib.* 3. *tit.* 2. *inſpect.* 2. *n.* 23. *verſ. Non obſtant modò*, & rurſus latiuſque *lib.* 3. *tit.* 8. *inſpect.* 13. *n.* 88. & 89. Cardinal Tuſch. *concluſ. iuris lit. D. concl.* 720. fere per totam, vbi *n.* 2. idẽ in conſtitutione tacita dotis procedere affirmat, vt pariter à minore fieri non poſsit, Franc. Mantic. *de tacitis & ambig. conuent. lib.* 11. *tit.* 21. *nu.* 4. 20. & 21. & expreſſius *lib.* 12. *tit.* 16. *n.* 15. Proſper. Farin. *tom.* 2. *deciſ. nouiſſim. deciſio.* 385. *n.* 7. Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ.* 2. *tom. c.* 367. *nu.* 13. vbi inquit, minorem non poſſe ſtare in iudicio pro dote, neque habere legitimam etatẽ pro illa conſtituenda, Ioan. Gutierr. *de tutel.* 2. *p. c.* 5. *n.* 51. & probatur de iure noſtro ex *l.* 18. *tit.* 16. *p.* 6. *l.* 14. *titul.* 11. *eadem part.* ibi: *Pero ſi la muger quiſiere dar dote a ſu marido de coſa que fueſſe raiz, ſi ella fueſſe menor de veinte y cinco años, no lo puede fazer por ſi, maguer ouieſſe guardador, à me-* 1

menos de lo fazer ſaber al Iuez de aquel logar, que ſe lo otorgue.

2 Quod locum habet, ſiue dos pro matrimonio, ſiue pro Eccleſia, aut alio pio loco cõſtituatur, cùm vtroque caſu pariter ſit hæc ętate minoribus inhibita dotis promiſſio, veluti ex Paulo de Citadinis *tract. de iure patronatus 3. p. 2. caſu q. 7. n. 2.* cõtra Lambertinum validiſſimis rationibus tenet Simõcellus *d. lib. 1. tit. 2. n. 23.* & nos ſupra probauimus *anno 7.* vbi de ætate ad patronatus, & præſentandi ius egimus *q. 22.* etiamſi lege aliqua, vel ſtatuto omnibus, & cuiuſcumque ſtatus perſonis libera facultas promittendi dotem concedatur. Quoniam vt inquit Gloſſa *in l. promittendo, de iure dotium*, quam ſequitur Rota apud Seraphin. *deciſ. 679. n. 4.* licèt lex decernat omnibus vtriuſque ſexus, & cuiuſvis conditionis perſonas promittendo dotem obligati, requiritur tamẽ, quòd ſint legitimę ętatis.

3 Et horũ omnium ea proculdubio ratio eſt, quia dotis conſtitutio fieri non poteſt abſque eo, quòd bona in dotẽ data, ſiue mobilia, ſiue immobilia, in maritũ, vel Eccleſiam quodãmodò alienentur, cùm eorũ dominiũ, ſaltim vtile, vt aliqui voluerũt, ipſa traditione dotis ad maritũ, vel Eccleſiam tranſeat, & ex tunc incipiat illis competere, *l. dotale 13. §. dotale, ff. de fundo dotali, l. quamuis 75. in fine, ff. de iure dotium, l. prædium 23. C. de iure dotium, princip. inſtitut. quib. alien. lic. vel non*, iunctis quamplurimis alijs, quæ lato calamo cõſcripſit Anton. Queſada *diuerſ. quæſtion. iuris c. 15. n. 19.* optimè probans, verum & propriũ dominium rerum dotalium penes maritum eſſe conſtante matrimonio, etſi improprium tantùm eſſe voluerit D. Ioan. del Caſtillo *lib. 1. de vſufructu c. 4. à n. 36. cum ſeqq.* vbi id cõtrariæ opinionis fundamentis ſatisfaciens neruoſe defendit. Multis confirmat Oſuald. *lib. 16. Donelli c. 4. lit. F.* Ergo cùm minoribus nulla alienatio, ſiue dominij translatio citra ſolemnitates requiſitas permittatur, *§. nunc admonendi, inſtit. quib. alienare licet vel non*, cum alijs ſuprà *hoc anno* adductis de ętate ad alienandum, nec dotis conſtitutio permitti debet, quæ ſaltim vtilis dominij tranſlationem continet.

4 Ideò inquit Simõcellus *d. tit. 8. n. 92.* vir, qui minorem in vxorem accipit, ſit cautus vt faciat eam ſibi cõſtitui cum decreto iudicis, alioqui lucrum dotis ex legis municipalis ordinatione ſibi debitum percipere minimè poterit, ſi decedere mulierem contingat in minori ætate, vel in maiori infra quinquennium, quo potuiſſet dos nulla tacitè confirmari. *d. l. fin. C. ſi maior factus alienat.*

5 Nec aliud euincitur ex *l. Titia 62. ff. de iure dotium*, vbi refertur fundũ, & alias res fuiſſe à Titia minore marito in dotem datas. Nã omiſſa Gloſſæ expoſitione, *ibidem*, quæ perperam hallucinatur dotem à Titia iam maiore viginti & quinque annis facta marito fuiſſe expromiſſam (quod ſi ita eſſet, minimè aduerſus maritum, vt fundum reſtitueret, & quartã ſibi debitam reciperet, Titiæ hæredibus reſtitutio competeret, vt in *d. l.* cõceditur) potiùs cum doctiſſimo Iacob. Cuiacio *lib. 9. reſponſ. Modeſtini in d. l.* dicendum erit fundũ & cæteras res datas fuiſſe in dotem cùm Titia minor eſſet, ſed interpoſita curatoris autoritate, & iudicis decreto, vt ſubintelligere oportet: quia licèt huius ſolemnitatis dicto loco nulla fiat mẽtio, ex iure ſuppleri debet, vt inquit Cuiacius, maximè cũ ibi ea ratione non fuerit hoc expreſſum, quòd non de valore cõſtitutæ, & promiſſæ dotis diſcutiebatur, ſed de reſtitutionis cauſa, quæ ex ſua natura validum ſupponit actum, in cuius reſciſſionem conceditur, *l. in cauſæ 16. in principio, de minoribus l. 2. C. de prædijs minorum*, vbi notat Gloſſa, quomodo ſubaudienda ſunt innumerabilia Iuriſconſultorum reſponſa, & Imperatorum reſcripta, quibus ſimpliciter profertur, minores dotes dediſſe.

6 Niſi in illis caſibus loquãtur, vbi peculiari aliqua de cauſa poteſtas dotandi minoribus extra omnem ſolemnitatem iure ſit cõceſſa, veluti cùm dos erat primo marito cum decreto, & curatoris aſſenſu conſtituta, nam tunc abſque alia ſolemnitate ſecundo marito poteſt à minore promitti, & tradi, vt cum Tiraquello *de leg. connubial. gloſ. 6. ſub n. 188.* Caualcan. *de tutor. & curat. n. 161.* & alijs tenet Simoncel. *d. tit. 8. n. 93.* etſi contrariũ ſentiat Mantica *de tacitis & ambiguis conuentio. lib. 12. tit. 15. n. 13.* Surdus *deciſ. 287. n. 2.* Oliuar. Beltram. *in addition. ad Alexand. Ludouiſ. deciſ. 188. num. 10.*

7 Itẽ & ex his rebus, quæ alienari minoribus non ſunt prohibitæ, poteſt puella minor ſe dotare moderatè abſque curatore & decreto. *l. 1. C. ſi aduerſus dotem*, & ſic ex Anton. de Fano docet Ioan. Gutierrez *vbi ſupra num. 52.* & ante eum Neguſant. *de pignor. 2. part. membro 4. num. 75.*

8 Necnon & quando in vltima voluntate, nõ verò in contractu, dos à minore aſſignatur, nam cùm liberam habeat teſtamentariam diſpoſitionem, poſt pubertatem, vt ſuprâ *anno 14.* notauimus, in teſtamento ea omnia facere poteſt, quæ quilibet maior etiam extra teſtamentum perficit, ex traditis ab eodem Simoncello *num. 94.*

9 Et pariter hoc etiam minori permiſſum arbitrantur nonnulli, cùm non ſororem, con-

ſanguineam,vel extraneam dotare intendit, ſed ſeipſam,à quibus velut toto cœlo ab errantibus meritò diſſentiunt Forcatulus *in Necioman. Dialog. 39. num.4. & 5.* Ioan. Siccardus *in l.nulla num.2. C.de iure dotiū,* qui & in eo item labuntur, quod putant ſola curatoris autoritate minores fœminas poſſe dotem pro ſe conſtituere, Conſulti verbis decepti in *l.quæro 60.ff.de iure dotium,* vbi cùm de adulta dotem promittente ageretur, ſolius aſſenſus curatoris fit mentio, ideò ex Bartolo,Romano,& Angelo contrarium verius putant Cardinal.Tuſchus *vbi ſupra n.* 1. Franciſc.Mantica *dict. lib.12. tit.16.n.* 15. quippe quòd ſine iudicis decreto ſola curatoris autoritas ad dotem pro ſe conſtituendam ſufficiens non ſit,quod probabilius cenſeo.

10 Cui certiori ſententiæ minimè repugnat *dict.l.quæro 60.*quia,vt optimè conſiderauit Simoncellus *num.95.*& ipſa legis verba exprimunt,procedit vbi dos conſtituitur in pecunia, quo caſu dos conſtitui poteſt abſque decreto ſola curatoris autoritate, ſiquidem pecunia eſt de illis rebus mobilibus,quæ ſeruari nequeunt,*l.1.§.fuit quæſitum*, vbi notant omnes,*ff.ad Trebellian.* & vt ſupra obſeruauimus, rerum mobilium dos nihil præter curatoris aſſenſum deſiderat.

11 Minuſque refragatur *l.ſiue generalis 61. ff.eodem,*ex qua Hotomanus *tractat. de dotibus,* vbi de perſonis, quæ dotem conſtituere poſſunt,*verſic. Difficilior aliquanto fol.93.* & Simoncellus *loco proximè relato numero 96.*perperam diſtinguunt inter res immobiles in dotem datas,vel pretium earum, quaſi priori caſu,cùm ipſæ res in ſpecie dotis cauſa traduntur,ſufficiat curatoris autoritas: poſteriori verò,quo non ipſæ res, ſed pretium, quod ex earum venditione redigitur, iudicis decretum ſit neceſſariū. Nam vt ex illis,textus verbis: *Apud eundem intrare iudicem qui eum conſtituit, vt iterum & cauſa cognita, etiam viro abſente, permittat rerum venditione celebrata dotem conſtituere,* manifeſtè colligitur, vtroque caſu iudicem fore adeundum apparet,alioqui non rectè,cùm de venditione ageretur,iterum cauſæ cognitionem eum habiturum dixiſſet.

12 Sed dices. Si enim vno & altero caſu decretum ſimul cum autoritate curatoris ad dotis conſtitutionem deſiderari inquit Conſultus, quorſum caſus diuiditur? Et priori amplius nihil quærendum eſſe affirmat,poſteriorique iudicis cognitionem neceſſariam admonet? Reſpondetur quæſtionem, de qua in *dict.l.*id expoſtulare, quærebatur enim,vtrū generalis curator,cui à iudice dotem minori aſſignare permiſſum erat,vel ſpecialis dotis dandæ cauſa conſtitutus,poſſet virtute talis iudicialis permiſſionis vel decreti, non ſolùm ipſas res minoris in dotem dare, ſed etiam eas vendere,vt ex pretio dotem conſtitueret? Quod cùm abſolutè negaret Cōſultus, an idem obſeruandum ſit ſubdubitat, ſi aliter honeſtè nubere minor nō poſſit, quàm vt pecuniam in dotem det, eique hoc magis expediat? Et poſſe,inquit,res in dotē datas, ideſt,quæ à iudice dari permiſſę erant,plerūque alienari,&pecuniā in dotē conuerti. Sed vt clariùs expediatur quæſtio,ſubijcit eā duobus comprehendam,ſiquidem res in dotē accipere vir maluerit,nihil ampilius quærendū eſt,cùm ex iudicis ſpeciali decreto eas curator in dotem tradere poſſit: ſin autem nō aliter contrahere matrimonium vir patitur,niſi pecunijs in dotem datis,iure officium eſt curatoris apud eundem intrare iudicem,qui eū cōſtituit ad dotem promittendam,vt iterum ei cauſa cognita etiā,viro abſente permittat rerum venditione celebrata,dotem cōſtituere. Nam vt aliud eſt vendere,aliud verò dotare: ita aliud eſt decretum ad dotandum,aliud verò ad vendendum,nec vnum ad aliud ſufficit,veluti ex *hac lege* deſumitur, ex qua & illud firmatur,quod ſupra reſoluimus, nempe, etiam ſe ipſam minorem abſque debitis ſolemnitatibus dotare non poſſe.

Vnde liquet extra caſus ſuperius relatos, necnon & caſum, quo iuramento dos conſtituitur,de quo vidēda ſunt poſita,vbi de ætate ad donandum inter viuos *limitat.3.* ſemper & omnino verum eſſe minorem,ſiue propriam,aut extraneam perſonam, ſi maſculus ſit,ſiue ſeipſam,ſi fœmina fuerit, abſque curatoris autoritate ex rebus mobilibus dotare nō poſſe,vel ex immobilibus ſine curatoris & iudicis decreto, quia illa ætate exiſtit, qua nulla alienatio,etiam vt dotis conſtitutio,ei permittitur,vtpote *ſuprà* notauimus. 13

Quod vtique locum habere exiſtimo, ſiue curatorē habeat minor,ſiue non,ſiquidē adeò neceſſaria eſt curatoris autoritas in cōſtitutione dotis,quòd non habenti curatorem ſit præcisè ad id curator deputandus,vt ſingulariter reſpondit Vlpianus in *d.l.non tātùm 7. de tutorib. & curator. datis ab his,* eiuſmodi verbis: *Non tantùm ad dotem dādam nupturæ curatorē dari oportet,verùm etiam ei quoque, quæ iam nupta eſt,* etſi me non lateat ex Curcio Iuniore,& Gozadino contrarium ſenſiſſe Tuſchum *dict.litera D.concl.720.n.11.* 14

Ex qua item *l.7. in fine,*nō minùs ſingulariter elicitur eandem ætatē ad augmētum,& permutationem dotis eſſe neceſſariam, quæ ad dotis conſtitutionem expoſcitur, vt vel

ex

ex eo patet, quòd eam non habentibus curatorem ad prædicta eſſe aſſignandum, inquit ibi: *Sed & ad dotem augendam, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari poteſt*, & cōducit vulgare illud axioma, nempe dotem & augmentum dotis pari paſſu ambulare, quantum ad conſtituendi facultatem, *l. fin. C. de donation. ante nupt.* ex qua ita obſeruat Card. Tuſchus *d. liter. D. concluſ.* 757. *num.* 1. & ferè per totam, & Caualcanus *tractat. de curatore num.* 160.

SVMMARIVM.

Fideiubere is ſolùm rectè poteſt, qui liberam habet bonorum ſuorum adminiſtrationem. 1.

Minor idoneus fideiuſſor non eſt. 2.

Pubes minor, licèt maneat ex fideiuſſione obſtrictus, ſtatim, & nulla probata læſione reſtituitur. 3. *& ſeqq.*

Qui fideiubet, malo afficitur, & malè ſuis rebus vtitur. 4.

Mandatum habens ad adminiſtrandum, ad fideiubendum non cenſetur habere. ibidem.

Fideiuſſio à minore, etiam pro locuplete, & datis releuatoribus facta non tenet. ibidem.

Vxori ex fideiuſſione mariti, ſiue is etiam fuerit minor, ſiue illa tantùm, conceditur reſtitutio. 5.

Promittens fideiuſſorem dare, minorem dando non liberatur. 6.

Minor in rem ſuam, vel pro ſuo procuratore fideiubere poteſt. 7.

Minor pro patre carcerato, aut captiuo fideiubens, nō habet reſtitutionis ſuffragium. 8.

Quilibet poſt decimumoctauum annum exhæredari poteſt, ſi patrem ab hoſtibus non redemerit. ibidem.

Filius pro patre fideiubens, qui aliàs foret incarcerandus, tenetur. 9.

Filius, qui patrem in iudicio defendit, rectè pro eo fideiubet. 10.

Minor pauper non tenetur pro patre carcerato fideiubere. 11.

Minor ſi pro patre fideiubendo enormiſſimè lædatur, habebit reſtitutionem. 12.

Non præcepto, ſed conſilio tenetur filiusfamilias pro patre carcerato fideiubere. 13.

Minor tunc dicitur idoneus fideiuſſor, cùm interpoſito iuramento fideiubet. 14.

Minor etiam cum iuramento fideiubens, ſi ex hoc ſupra modum lædatur, reſtituitur. 15.

Minor quando dicatur ſupra modum læſus, vt etiam iuramento fideiubens habeat reſtitutionem. 16.

Si minor pro maiore ſe gerens fideiuſſerit, manebit obligatus. 17.

Eadem ætas requiritur ad conſtituti obligationem, quæ ad fideiuſſionis deſideratur. 18.

Fideiubere, & conſtituere, idē important. ibid.

QVÆSTIO XV.

Vt quis idoneè fideiubere, aut conſtituere poſſit?

PErſpicuum eſt illum dumtaxat idoneum fideiuſſorem eſſe, qui liberam bonorum ſuorum fuit adminiſtrationē adeptus, cùm iſte efficaciter obligari, & conueniri poſſit, *l. qui ſatiſdare* 3. *ff. de fideiuſſorib. l.* 2. *in princip. tit.* 12. *p.* 5. notauit Cardoſ. *in praxi verbo fideiuſſor n.* 8. Pyrrhus Maurus *tractat. de fideiuſſor. ſect.* 8. *in princip. num.* 2. *& c.* 6. *eiuſdem ſectionis n.* 6. Igitur minor, cui rerum ſuarum nondum diſpoſitio permittitur, *l.* 1. *in fine, cum ſimilibus ff. de minoribus*, meritò à fideiuſſione arcetur, *l. ait prætor* 7. *§. non ſolùm ff. de minoribus, l. de die* 8. *§.* 1. *ff. qui ſatiſdare cogantur, l. ſi Titius & Seia* 48. *ff. de fideiuſſor. l.* 1. *C. de filiofamilias minore*, ſubſcribunt Beroius *q. familiar.* 115. *n.* 1. Anton. Gomez *tom.* 2. *variar. c.* 13. *n.* 19. Sforcius Oddus *de in integr. reſtitut. q.* 54. *art.* 2. Maſcard. *de probat. concl.* 1273. *n.* 50. Simōcellus *de decretis lib.* 2. *tit.* 6. *inſpectio.* 16. *n.* 133. Card. Mantica *de tacitis & ambig. conuention. tom.* 2. *lib.* 16. *tit.* 4. *num.* 1. Farinac. *tom.* 2. *deciſion. nouiſ. deciſ.* 709. *n.* 9. Anton. Heringius *de fideiuſſor. c.* 7. *num.* 82. Pyrrhus Maur. *eodem tract. ſect.* 8. *c.* 15. Nec obſtat puberes, vel ſui iuris, vel curatorum poteſtati ſuppoſitos, omni caſu, & ex quolibet contractu obligari, dūmodò ab illis obligatio contracta alienationem non cōtineat; vt ex Cuiacij, Fachinei, & Philippi Matthæi ſentētia, vbi de ætate ad ineundas obligationes egimus, lato calamo ſcripſimus. Nam etſi veriſſimum fateamur adoleſcentes ex propria tātùm perſona obligari, & fideiubere poſſe, vt expreſſe cōſentit Philip. Matthæus *in l.* 2. *§.* 1. *n.* 14. *cum ſeqq.* & probat Anton. Hering. *vbi ſupra n.* 86. Benedict. Pinel. *ſelectar. iuris lib.* 2. *c.* 13. *n.* 14. Hoc tamen ita inefficaciter ſubſiſtit, vt reſtitutionis auxilio protinus elidatur: admonet integer *titulus de minoribus*, maximè vbi pro alio minor interceſſit, ſiquidē cùm ex ſua natura fideiuſſio nociua ſit. Vnde Prouerb. 6. *cap. Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneū manū tuā, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus*, & ibidem. *Affligetur malo, qui fidē facit pro extraneo*, quocirca Angelus *in l. in perſonam, §. nō ſolū, ff. de pactis*, fideiu-

4 bentem,inquit,malè vti ſubſtantia ſua,quem ſequitur alijs relatis Muñoz de Eſcobar *de ratiocinijs 2.part.cap.16. num.9.* inde inferens cum Alexandro, mandatum habentem ad adminiſtrandum,non cenſeri habere ad fideiubendum, quia fide iubendi actus magis diſſipatio, quàm adminiſtratio eſt. Conſentiunt Pereira *in l.ſi curatorem,verbo,vel aduerſarij dolo num.*1.Barboſa *in l.1.part.3.n.58.ff.ſoluto matrimonio,* ſimul atque de minoris fideiuſſione apparet,abſque alia deceptionis probatione,& læſus creditur,& reſtitutionis beneficio iuuatur, obſeruarunt notabiliter Sforci. Oddus *vbi ſupra artic.3.* Maſcard.*de probat.*alios referens *d. concluſ.*1273.*num.*50. Anton.Gomez *dict.cap.*13.*num.*19.Fontanel.*de pactis nuptialib.tom.*1.*clauſul.*4.*gloſ.*18.*part.*5.*num.*28. Azeued. *in l.6.tit.*10.*lib.*9.*Recopilat.num.*4. Burat. *deciſ.*75.*num.*2.Gutierrez *lib.*2 *practicar.q.*128.*num.*3.*verſ.In cōtrarium,*Galeota *tom.*2.*controuerſ.*14.*num.*47.& alijs relatis nouiſſimè à Noguerol *allegat. iuris tom.*1. *allegat.*4 *num.*9.vbi & *num.ſeqq.*id procedere affirmat,etiamſi minor pro locuplete fideiubeat, qui poſſit eum indemnem ſeruare, ex Alexand. *in l.nam & poſtea,§.ſi minor,ff.de iureiurand.* Surdo *conſ.*46.*num.*17.& Camil. Gipſio *deciſ.Bononiæ* 36.*n.*7.& 8.vel etiam ſi ei dentur releuatores,ex Tuſcho *litera R. concluſ.*286.*num.*44. Et ſi cōtrarium voluerit eximius vir D.Ioannes de Latrea *deciſione Granatenſi* 70.*num.*19.

5 Quod adeò ſingulariter protendunt Gamma *deciſ.*162.*à num.*4.Petr.Barboſa *in d.l.*1.*num.*58.Rebellus *de obligat.iuſtit. part.*2.*lib.*6.*q.*9.*n.*63.Emanuel Barboſa *in remiſſio.ad leges Luſitan.lib.*4.*tit.*60.*in princip.n.*1.vt fideiubente marito ſi ille,vel etiam ſola vxor ſit minor non ſolùm ipſi,verùm & vxori aduerſus fideiuſſionem à marito factam reſtitutio indulgebitur.Nimirum,quia quidquid ex huiuſmodi obligatione fuerit exoluēdum, vtriuſque damno cedit,non ſolum quoad cōmodiorem vitæ ſuſtentationem,verùm etiam quoad acquirendum amplius lucrum in poſterum.

6 Hoc enim imminens reſtitutionis periculum in cauſa legum cōditoribus fuit,vt fideiuſſiones minorum ſimul non interuenientibus curatoribus prorſus auerſarentur. Vnde Vlpianus *in l.*3.*ff.de fideiuſſor.* *Qui ſatiſdare promiſit,*inquit,*ita demum impleſſe ſtipulationem ſatiſdationis videtur, ſi eum dederit acceſſionis loco,qui obligari poteſt, & conueniri. Cæterùm ſi dederit ſeruum,aut filiūfamilias, ex quibus cauſis de peculio actio non datur,vel mulierem,quæ auxilio Senatuſconſulti vtitur dicendum eſt, non eſſe impletam ſatiſdationis ſtipulationem.* Et in eandem ſententiam Paulus *in d.l. de die* 8 §.1. *qui mulierem adhibet,* profert, *Ad ſatiſdandum non videtur cauere, ſed neque miles, nec minor viginti & quinque annis probandi ſunt:* expreſſiùs conſentit Imperator *in l.nulla 4.C.quod cum eo qui in aliena poteſtat.*ibi: *Nulla res prohibet filiosfamilias, ſi pro alijs maiores viginti & quinque annis fideiuſſerint, actione competēti aduerſus eos teneri.* Imò omnino quaſi non idonei à fi- 7 deiuſſione repellendi erunt, niſi in caſibus, quibus vtilitatis,vel honeſtatis ratione admiſſum eſt illos validè,& efficaciter interceſſione obligari,vtputa, quando minor in rem ſuam,vel pro ſuo procuratore fideiubet, *d.l. de die,§.*1.*ff.qui ſatiſdare cogantur,* vbi notāt Cuiacius, Oroſcius, & Anton. Faber dixit Romanus *in ſingularibus,verbo minor* Speculator *in tit.de defenſor.ciuitat.verſ.Sed pone fideiuſſor,* Vincent.Caroccius *de executione bonorum p.*2.*q.*22.*n.*34.& 35.Pyrrhus Maurus *vbi ſupra n.*8.& 9.cùm tunc minor procuratorem releuando,illam obligationem in ſe ſuſcipiat,quam quilibet,etſi cordatiſſimus pater familias ſuſciperet,§.*ſin autem, verſic. Si verò aliquis,inſtit. de ſatiſdatione* ſentit Caldas *de emptione & vendit.cap.*8.*num.*10. Anton.Heringius *vbi ſupra num.*104.

Nechon & quoties pro patre vinculis, aut 8 captiuitate detento fidem ſuam interponit, reſtitutionis beneficium implorare non poterit,cùm ad id ſi decimumoctauum annum exceſſerit,pœna exhæredationis conſtringatur, *authent.ſi captiu.C.de Epiſcop.& Cleric.* tradūt Sforcia Oddus *d.tractat. q.*54.*art.*4.*n.*19. Anton.Gomez *d.c.*13.*variar. n.*19. Mauric.*de reſtitut.c.*207.*n.*3.Leonard.Leſſius *de iuſtitia lib.*2.*c.*28.*dubitat.*2.*num.*18. Oſuald.*ad lib.*12.*Donelli c.*10.*liter.C.* quod 9 etiam procedere arbitror,ſi pro patre fidem ſuā filius minor interponat,qui licèt fideiuſſionis tempore carceribus nō manciparetur: attamen certum erat,niſi filius intercederet, illum carcerandum,vtputa ſi pro eo debito fideiubeat,pro quo in patris perſona faciendā eſſet executio, ſiquidem niſi nobilitatis, vel alterius priuilegij exceptio impediret, proculdubio ad carcerationem deueniendum erat: vnde cùm rectius ſit principijs obſtare, quàm poſt vulneratam cauſam remediū quærere,*l. fin.C.in quibus cauſis in integ.reſtitut. nō eſt neceſſaria,l.*1.*C. vt vnicuique liceat ſine iudic.*filius,qui pro patre in vinculis deiecto fidē ſuā interponere tenetur,melius agit, ſi eadem fideiuſſione paternæ captioni obſiſtat, ac per conſequens maior æquitatis ratio ſuadet, filium non minus pro patre carce-

ran-

rando, quàm pro iam carcerato legitimè o-
bligari, faciunt tradita nouiſſimè à Nogue-
10 rol *dict. allegat. 34. num. 26.* Cui finitimum
eſt, puberem rectè pro patre etiam fideiube-
re, cùm illum in iudicio defendit, quemad-
modum exiſtimauit Gloſſa, & illam ſequens
Iaſon in *l. exigendi, C. de procuratoribus*, per
illum text. tradit Sforcius Oddus *dict. art. 4.
num. 21.* vbi & illam rationem aſſignat, quia
defendendo patrem filius iure communi vti-
tur, cùm ad eius defenſionem naturali iure
impellatur.

11 Sed hæc omnia ita accipienda ſunt, ſi mi-
nor in bonis habuerit quantum fideiuſſioni
ſufficiat: nam ſi inops probetur, & nec ſibi ne
ceſſaria poſſideat, nulla fideiubendi, etiam
pro patre carcerato obligatione tenebitur.
*Authentic. vt cùm, de appellat. cognoſc. §. cau-
ſas*, ibi: *In quantum eſſe quod petitur proba-
tur idoneus, l. 4. tit. 7. part. 6.* illis verbis: *En
quanto pudiere para ſacarlo de la priſion*, do-
cet multis relatis, Capit. Galeota *tom. 2. cõ-
trouerſ. 14. num. 49.* & ipſius verbis nouiſſi-
mè Noguerol *tom. 1. allegat. 34. n. 31.*

12 Vel niſi fideiubendo pro patre carceribus
mancipato enormiſſimè lædatur, quoniam ſi
graui aliquo damno afficeretur, procuIdubIo
fideiuſſionis incommodum ſubire, nec natu-
rali, nec ciuili ratione compelleretur, cùm
neutra tanto patrimonij detrimento vrgeat,
vt ſentit Rota apud Ludouiſ. *deciſ. 120. num.
14. & ſequentib.* Farinac. *deciſ. 198. 2. tom.
poſthum.* Zachi. *poſt tractat. de cameral. obli-
gatione deciſ. 121.* Gratian. *diſceptat. tom. 5.
13 cap. 552. num. 29. 30. & ſequentibus*, vbi
ideò inquit poſſe filiumfamilias pro patre
carcerato fideiubentem ex capite læſionis
obligationem ſubuertere, & reſtitutione in-
fringere: quia non coactiuè, ſed cauſatiuè te-
netur patrem excarcerare, ideſt, quia nullo
præcepto ad id compellitur, ſed conſilio tan-
tùm, vt ingratitudinis notam effugiat, quam
ſi patrem in vinculis negligendo contraxiſ-
ſet, poſſet exhæredati. Quapropter inquit Fa
rinac. *deciſ. 153. num. 10. & deciſ. 177. num.
8. part. 1. nouiſſimar.* ſi hanc pertimeſcens fi-
deiuſſiſſet, non ex neceſſaria, ſed ex volunta-
ria cauſa ipſum contraxiſſe diceretur. Qui-
bus nouiſſimè ſubſcribit Noguerol *vbi pro-
ximè num. 29.*

14 Quibus conuenit iuramenti tantam vim
eſſe, vt illo accedente minor idoneus fideiuſ-
ſor reddatur. Nam cùm ſalus animæ, quæ in
iuramento verſatur, cunctis ſit rebus præpo-
nenda, neceſſariò qui præſtito iuramento alie
nam obligationem in ſe ſuſcepit, & ſi minor
ſit prorſus omni ſpe reſtitutionis ſecluſa obli
gatus manebit, *authent. ſacrament. puber.*

vbi omnes notãt, *C. ſi aduerſus vendition.* Ia-
ſon *in l. 1. num. 6. ff. ſi quis in ius vocatus non
ierit*, Anton. Hering. *num. 103.* Pyrrhus
Maur. *d. tractat. ſect. 8. cap. 15. num. 7.* Sur-
dus *conſil. 46. & 81.* Ludouic. Morotius *lib.
1. conſil. 81.* Rota apud Lachium *de obligat.
Camerali deciſ. 121. num. 2. & deciſ. 134. n.
1.* quos refert & ſequitur Anton. Merend.
controu. iuris lib. 1. cap. 49. Et ratio eſt, quia
cùm materia iuramenti ex natura ſua ſit ho-
neſta, nil obſtat quominus qui iuramento fi-
deiuſſit, quamuis in minori ætate conſtitutus
maneat obligatus, argum. eorum, quæ latè
ſcribit P. Baſilius *de matrimonio lib. 12. cap.
8. à §. 1. vſque ad 8.* Anton. Faber *de error.
pragmatic. Decade 41. error 5.* Merenda *dict.
lib. 1. cap. 1. & 2.* innumeros adducens, quod
quidem Sforcius *vbi ſupra num. 33.* tempe-
randum eſſe putat, quoties minor iuramento 15
fideiubens mediocriter circumuentus inue-
nitur: nam ſi ſupra modum lædatur, aut tota-
le obligationis onus ſufferat, hoc caſu à re-
ſtitutionis beneficio prætextu iuramenti non
excludetur, cùm non ita longè vires ſuas iu-
ramentum exerat, vt enormiſſimè læſo mino-
ri reſtitutionis ſolatium auferat, ex traditis
ab ipſo in *repetit. d. authent. ſacram. puber.*
& *ibidem* à Ioan. Gutier. *num. 92. cum ſeqq.*
& *tractat. de iuram. confirmatorio 3. part. c.
11. num 3.* ita cenſuit Rota apud Farinac. *d.
tom. 2. deciſ nouiſ. deciſ. 709.* refert Burat. *de-
ciſ. 924.* Caſtill. *1. tom 6. cap. 168. §. vnic. n.
37.* nouiſſimè Noguerol *d. allegat. 34. num.
17. & ſeqq.* quam doctrinam tantùm locum 16
habere arbitratus eſt Manrica *dict. tit. 3. n.
2.* vbi ſimul cum damno ex ſoluta pecunia,
pro qua adhibito Sacramento interceſſit, ad
fuit dolus, vel fraus, quæ minoris fideiuſſioni
cauſam dediſſet: vtputa quia malo conſilio
vel perſuaſionibus creditoris fuit inductus,
vt fideiuberet: quo caſu, non obſtante iura-
mento reſtitutionem, & iuramenti abſolutio-
nem eſſe præſtandam exiſtimat: quia iura-
mentum non debet eſſe vinculum iniquitatis,
*cap. quãto, de iureiurand. cap. 1. eodem tit. lib.
6.* nam ex eo ſolùm, quòd debitor principalis
ſoluendo non reperitur læſus enormiſſimè,
minor dici non poteſt, ita vt aduerſus iniu-
randum reſtitutionem mereatur, etſi contra-
rium euixe defendat Fontanel. *de pactis clau
ſul. 4. gloſſ. 18. part. 3. à num. 43.* cui ſubſcri-
bit Noguerol *dict. loco num. 25.*

Et tandem vbi minor pro maiore ſe geſſit, 17
nempe quia ſic publicè agebat, ſic contrahe-
bat, ſic muneribus fungebatur, fideiuſſoria o-
bligatio ab illo interpoſita, quemadmodum
& quilibet alius cõtractus, robur ſuſtinebit,
l. 2. & totus tit. C. ſi minor ſe maiorem dixe-

rit, iura enim deceptis, non verò decipientibus ſubueniunt, *l. ſi quis vxori* 52. §. *ſeruus, ff. de furtis*, quod procedere ſcribit Anton. Hering. *dict. cap. 7. num. 99.* Pyrrhus Maurus *num. 6.* ſi ex parte contrahentis cum minore probabilis ignorantia, non verò ſupina & craſſa adfuerit, argumento *l. 3. in princip. ff. ad Macedon. l. 2. C. ſi ſeruus, aut liber ad Decurion. aſpirauerit lib. 10.*

18 Quibus & illud addendum duxi, videlicet, hæc omnia de fideiuſſione à minore facta, pariter etiàm in conſtitutione ab eo celebrata locum vendicare. Tum quia fideiuſſio, & conſtitutum ſumma affinitate nectuntur, *l. 5. §. quod exigimus, ff. de conſtituta pecunia*, vbi conſtitutum, & cautio pro eodem vſurpantur, *l. vltim. C. eodem tit.* quæ diſpoſita in fideiuſſione in conſtituto locum habere definit. Tum etiam, quia vt obſeruat Auton. Hering. *dict. tractat. cap. 18. num. 4.* ſi fideiubere eſt alienam obligationem in ſe ſuſcipere; idem planè in conſtituente ſaltim pro alieno debito concurrit: ergo fideiubere, aut conſtituere eſſentialiter non differunt, vt ex hac ſola ratione idem Autor concludit, & conſentit Hubertus Giphanius *in l. 2. C. hoc titulo*, ac conſequenter, quæ de ætate ad fideiubendum neceſſaria ſcripſimus, & ad conſtituentem pro alio erunt neceſſariò protrahenda, vt æqualitatis ratio & natura exigit.

SVMMARIVM.

An minor prudens, & conſilij capax, poſſit vti conſanguineus, ex forma ſtatuti, mulierum contractibus aſſiſtere? 1.

Creditor minor annis viginti pignorati ſerui manumiſſioni conſentire poteſt. 2.

Conſanguineum minorem, maiorem tamen quatuordecim annis, poſſe mulierum contractibus aſſiſtere, tenet Angelus. 3.

Impubes à teſtificando repellitur. 4.

Nullus minor, cuiuſcumque ille ſit ætatis, aptus videtur ad interueniendum mulierum contractibus. 5.

Vbi conſilium alicuius requiritur, maioris illud eſſe debet. 6.

Quando conſanguinei conſenſus ad aliquid exigitur, an minoris ſufficiat? 7.

Minor non poteſt ſupplere defectum alterius. 8.

Andreas Tiraquellus *laudatur.* 9.

Pupilli conſanguinei aſſenſus, etiam cum autoritate tutoris præſtitus, nil proficit, vt ex forma ſtatuti mulieris contractus teneat. 10.

QVÆSTIO XVI.

Ad interueniendum contractibus mulierum, tanquam vnus ex conſanguineis ex forma ſtatuti?

CIrca huius quæſtionis reſolutionem in varias ſectas & opiniones diuiſi ſunt noſtri. Quidam enim indiſtinctè proferunt minorem conſanguineum, prudentem & conſilio capacem, poſſe ex forma ſtatuti mulierum cótractibus intereſſe. Sic Baldus *in l. in coniunctione in fine, C. de nuptijs* Petr. Ancharran. *in repetit. c. 1. in 14. quæſt. principali, verſic. Poſtremo circa hoc quærit, de conſtitution.* Alciatus *in l. tranſactionem 35. num. 6. verſic. Quapropter, C. de tranſaction.* Bartol. *conſil. 94. lib. 2.* Farinac. *deciſ. 619. num. 7. tom. 2. vltima. nouiſſima.* 1

Quibus ſequentia fauent. Primum, quòd ſtatutum non diſtinguit circa ætatem: ergo cuiuſcumque ætatis conſanguineus, dummodo ingenium habeat & diſcretionem, poterit conſentire, & ſtatuto ſatisfacere.

Secundò facit *l. 2. & l. ſi pater 4. in fine, ff. de manumiſ. vind.* vbi ea ratione creditor minor annis viginti pignorati ſerui manumiſſioni conſentire poteſt: quia non tam manumittere is, quàm non impedire manumittétem intelligitur. Igitur ſimiliter licèt proximus conſanguineus vt minor contractum efficere nequeat, ipſe tamen conſentire cùm à muliere celebratur, rectè poterit, quoniam tunc non tam ipſe facit, quàm non impedit, imò quandam obſtantiam tollit, vt inquit Baldus *in l. ſi vt proponis, C. de ſeruis pignor. dat. manum.* 2

Nihilominus ſuperiorem ſententiam reſtringens Angel. *conſil. 333. ſtatuto Turdetino* in propoſito tenet, quòd ſi conſanguineus ſit minor quatuordecim annis, non poteſt huiuſmodi conſenſum præſtare. 3

Et poteſt id confirmari, nam ex quo præſentia conſanguineorum requiritur, inſtar teſtium ipſi redacti eſſe videntur: ſed impuberes tantùm propter lubricum ætatis à teſtificando repellútur, *l. 3. § lege Iulia, ff. de teſtibus*, cum alijs ſuo loco à nobis congeſtis: ergo & ab aſſiſtentia in contractibus mulierũ pupilli ſolummodò retrahi debent, non verò iam puberes. 4

At nec huic, nec illi opinioni acquieſcendum putat Caſtrenſis *in l. ſi cum dotem. §. ſi patri num. 3. ff. ſoluto matrimonio*, imò potiùs dicendum arbitratur nullum omnino mino- 5

minorem habilem ad id videri, vt tanquam conſanguineus poſſit mulierum contractibus intereſſe. Tum quia ſtatutum debet intelligi de habilibus, & idoneis conſanguineis ad ſupplendum ſuo conſilio cõtrahentis defectum, vt in ſimili docuit Bartolus *in l. ſi tertius ad finem, ff. de aqua pluuia arcenda*. Tum etiam, quia idem eſſet non adhibere conſanguineũ, ac adhibere minorem, cuius nondum integrum conſilium exiſtit, argumentum *l. quoties, ff. qui ſatiſdare cogantur*: ergo per minorem nequaquam poterit ſtatuto ſatisfieri.

6 Sed Benedict. Plumb. *in dict. l. 2. in principio de manum. vindicta*, vt hęc inter ſe Scriptorum diſſidentia placita in concordiam redigeret, eiuſmodi elegãti vtitur diſtinctione. Aut enim ſtatutum conſanguineorum requirit conſilium, & tunc non includitur minor, quia debet tale ſtatutum reſtringi ad idoneos, vt poſtrema docet ſententia, *l. vt gradatim, §. etſi lege. ff. de mune. & honor.* & proinde ad habentes conſilium & animo & ætate per *l. vltim. in fine, ff. qui pet. tutor.* & ideò minor carens conſilio non includitur, *l. 1. ff. de minor. l. ſi minor, ff. de ſeru. exportãd. l. vltim. ff. de manum. vindicta*.

7 Aut ſtatutum requirit conſenſum, & tunc quoque diſtinguendum eſt, nam aut ex tenore ſtatuti apparet requiri conſenſum propter defectum iurium contrahentis, in præiudiciũ conſentientis, puta in ſtatuto, quod conſors non poſſit alienare partem ſuam ſine conſenſu conſortis, aliàs poſſit eam reuocare. Et tunc perſona minoris includitur per textum, vt ipſe dicit, notabilem *in cap. conſtitutus de in integrum reſtitut.* & per ea quæ in primę & ſecundæ ſententiæ confirmationem notantur: aut propter defectum perſonæ contrahentis requiritur conſenſus alterius ad eam habilitandam, vt in caſu per eum propoſito, videlicet, in ſtatuto requirente conſenſum propinquorum: & tunc nõ includitur minor, vt poſteriori ſententiæ ſectatoribus placet: quia ſtatutum de conſenſu minoris non videtur cogitaſſe, quia debet intelligi de pleno conſenſu, non defectiuo, vt ipſe loquitur *l. cum filio, ff. de legat. 3. l. quanquam, ff. de ritu*
8 *nuptiar.* Non poteſt autem minor ſupplere defectum alterius, *l. vlt. C. de leg. tutor.* nam qui in ſe deficit, non poteſt alienum ſupplere defectum, *l. filium habeo, ff. ad Macedon.* alioquin ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt, *cap. quæ ipſis 38. diſtinct.* & de hoc videtur caſus expreſſus in *l. ſpurij, §. 1. ff. de Decurion.* iuncta *l. pupillus, §. Decurio-*
9 *nes, ff. de verbor. obligat.* Hæc Benedict. Plũbeus, & ex eo eiſdem verbis doctiſſimus Tiraquellus, verè iuris noſtri lumen, qui omnia luſtrat, illuſtratque ſimul in *legibus connub. gloſſ. 8. num. 43.* cuius non tantùm ſentẽtiam amplexari, ſed & ipſius verbis vti ſemper glorioſum & dignum laude dixi.

Vtrùm autem pupillus cum tutoris auto- 10
ritate poſſit mulierum contractibus, vt proximior cognatus intereſſe? latè diſcutit idem Tiraquel. *ibidem à num. 46.* vbi cùm Baldo, Iaſone, & alijs concludit, minimè poſſe, quia autoritas præſtaretur ad id, quod non eſt in patrimonio, & adminiſtratione perſonæ, nec bonorum pupilli, videlicet ad conſenſum alteri præſtandum: ergo nihil autoritas facere poteſt, *l. vltim. ff. de curatore furioſ. l. ſeruus furioſi, ff. de manum.*

SVMMARIVM.

Minor viginti & quinque annis, nihil poteſt ſine tutore & curatore ludo amittere, & ſi amiſerit, lucrator reſtituere tenebitur. 1.

Qui non habet liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem, ludo nequit alienare. 2.

Filiusfamilias quinto & viceſimo anno maior, poteſt bona aduentitia quoad proprietatem ludere. 3.

Ad amittendum in ludo, quæ ætas de iure noſtro deſideretur? 4.

Hodie non conceditur perdenti repetitio, elapſis octo diebus. 5.

L. 13. tit. 7. lib. 8. Recopilat. quæ ſolùm decimoquarto anno minoribus amiſſorum in ludo repetitionẽ concedit, verè intelligitur. 6.

Minor curatorem non habens, bonorum liberam adminiſtrationem obtinet. 7.

Pubes curatore carens, poteſt rei immobilis dominium ludendo transferre. 8.

Pubes ſine curatore ludo amittens, beneficio in integrum reſtitutione iuuatur. 9.

Lucrum à minore non habente curatorem in ludo obtentum, poteſt à victore, donec reſtitutio poſtuletur, iuſtè retineri. 10.

Minorem, etiam pupillum pubertati proximum, ex ludo naturaliter obligari, aliqui non rectè putant. 11.

Pupillus licèt pubertati ſit proximus, & pubes curatorem habens, facti pauperiores naturaliter non obligantur. 12. *& ſeqq.*

Pupilli & puberis ſub curatore eadem eſt ratio, quoad obligationem naturalem attinet. 13.

Qui à pupillo ſine tutoris autoritate aliquid lucrifecerit, in foro conſcientiæ tenebitur ad reſtitutionem. 14.

Quidquid minores amittendi ius non habentes, ludo adquiſierint, victis reſtituere debebunt. 15.

QVÆSTIO XVII.

Qua ætate quis poſsit in ludo, etiam permiſſo, aliquid amittere, amiſſum repetere, & lucratum item in eo iuſtè retinere?

1 HÆc eſt ferè omnium receptiſſima concluſio. Minor viginti & quinque annis nihil poteſt abſque tutoris vel curatoris autoritate ludo alienare, & ſiquid eo amiſerit, victor reſtituere tenebitur. Sic docet D. Thom. 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Ludouic. Lopez *lib.* 2. *de contractib. capit.* 21. *non lõge à principio*, Aragon *dict. art.* 7. D. Thom. *pagina* 766. Bañez *ibidem fol.* 1175. Angles *floribus* 2. *part. quæſt. de ludo*, Metina *de reſtitut. quæſt.* 22. *verſic. Vt igitur in ſumma dicam*, Alcocer *tractat. de ludo cap.* 14. Couar. *in reg. peccatum* 2. *part.* §. 4. *num.* 4. *verſic. Deinde*, Sarmiento, qui hanc concluſionem communem vocat *de redditibus* 1. *part. cap.* 2. *num.* 5. & alijs relatis P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *conſ.* 18. *dub.* 7. *num.* 1. & nouiſſimè Antonin. Diana, qui hãc ſententiã probabilem vocat 3. *part. tractat.* 5. *Miſcellaneo reſolut.* 44.

2 Et ratio huius concluſionis ea eſt, quia minor licèt rerum ſuarum verum dominium habeat, liberam tamen earum adminiſtrationem non obtinet, quæ præciſè in ludente requiritur, vt aliquid poſſit amittere, ac per conſequens & à victore ſine reſtitutionis onere retineri, vt omnes ſupraſcripti fatentur.

3 Vnde infert Alcocer *dict. cap.* 14. & Thom. Sanchez *vbi ſupra num.* 9. filiumfamilias, quinto & viceſimo anno maiorem poſſe ludere bona aduentitia quoad proprietatem, dummodo pater habeat vſumfructum toto eo tempore quo leges ipſi concedunt: quia in hoc nulli iniuriam irrogat, cùm iam habeat ætatem requiſitam, & eas res ludo exponat, quarum dominus & adminiſtrator exiſtit.

4 Sed an eadem reſolutio etiam iure noſtro attento procedat? hîc meritò dubitari poterit, cùm *l.* 13. *tit.* 7. *lib.* 8. *Recopilat.* caueatur, non licere decimoquarto anno maiori amiſſa in ludo repetere: ipſius verba hæc ſunt. *Y el que perdio no lo pueda repetir, ſiendo mayor de catorze años.* Ex quibus concludit P. San-
5 chez *dict. cap.* 8. *dubio* 1. *num.* 7. hodie non concedi repetitionem perdenti extra terminum octo dierum, vt præcipitur *in l.* 2. *eiuſdem tituli*, niſi fuerit minor quatuordecim annis: quæ proculdubio ſuadere videntur legibus noſtri Regni, puberem, licèt minorẽ, legitimam perſonam quoad ludum reputari, adeoque in eo rei ſuæ dominium transferre, & alienare poſſe, vt repetentem minimè exaudiant.

Sed nihilominus verius exiſtimo, etiam de iure noſtro minorem viginti & quinque annis, licèt iam puberem, & quatuordecim excedentem, regulariter nullam rem poſſe ludo alienare, aut amiſſam vltra præfixum terminum non repetere. Nec obſtat *dict. l.* 13. 6
quæ, vt eruditè animaduertit cõciuis & amicus noſter D. Petrus Pantoja de Ayala *in commentar. ad l. fin. C. de aleatoribus, verbo ſed ſolutum reddatur num.* 42. *in fine*, de pubere curatorem non habente accipienda eſt.
Hic enim, quemadmodum & qui annũ quin- 7
tum & vigeſimum agit, liberam habet rerum ſuarum adminiſtrationem *l. ſi curatorem habens*, vbi notant omnes, *C. de in integrum reſtitut. l.* 5. *tit.* 11. *part.* 5. & nos *hoc eodem anno* ſæpius probauimus: ergo poterit rem
ſaltim mobilem, ludendo, vtpote & alio cõ- 8
tractu, ita alienare vt nec ipſe poſſit eam repetere, nec victor reſtituere teneatur, veluti expreſſe reſoluit Thomas Sanchez *de matrimonio lib.* 6. *diſputat.* 38. *num.* 30. & Petrus
Pantoja *vbi ſupra num* 42. Quamuis vt iſte 9
fatetur, poſſit minor hoc caſu reſtitutionis beneficio vti, & meritò, cùm planè fuerit ipſa
amiſſione læſus: ſed donec reſtitutio à iudi- 10
ce impetretur, iuſtè colluſor lucrum retinebit, vt etiam de pupillo proximo pubertati loquens, ex Tannero *in* 2.2. *D. Thomæ diſp. quæſt.* 6. *dub.* 11. *num.* 310. & Laimano *in Theologia Morali lib.* 3. *ſect.* 5. *tit.* 4. *cap.* 9. *num.* 10. ſupponit Diana *dict. reſolut. verſic. Dico ſecundò.*

Ex dictis colligitur parum tutam videri 11
ſententiam eorum, qui docent impuberes, & pupillos pubertati proximos (pueros ſcilicet poſt decennium cum anno dimidio, & puellas poſt nouennium cum altero dimidio) aut minores iam puberes curatorem habentes, per ludum etiam abſque tutoris, vel curatoris autoritate obligatos manere naturaliter, ac proinde in foro conſcientiæ obligationi ſtare debere, vt notat aliquibus relatis Diana *dict. reſolut.* 44. *in princip.* ſiquidem cùm ijs omnibus ſit rerum ſuarum libera adminiſtratio interdicta, per ſe, & ſine tutore, vel curatore nihil alienare poſſunt, *dict. l. ſi curatorem* cum vulgaribus, & ſi alienauerint, maximè ludendo, erit alienatio irrita, etiam
iure naturali. Quoniam æquitas, ex qua deſ- 12
cendit naturalis obligatio, nõ patitur, vt pupillus ante puberes annos in ſui ipſius iacturã, & iudicium maneat obligatus. Ita Cuiacius

cius *in recitationibus ad l pupillus, de obligat. & actionib.* Petrus Faber *in l. in negotijs, ff. de regulis iuris*, Nizellus *in concordan. gloſſa verbo concordare n.167*. Pichardus *in principio inſtitut. de autorit. tutor.* & Petr. Pantoja *vbi proximè num.47*.

13 Quod etiam de pubere curatorem habente ſubaudiendum erit, cùm par ſit vtriuſque conditio quod attinet ad obligationem naturalem, vt obſeruat Gloſſa *verbo non abſimilis in dict. l. ſi curatorem*, & ibidem Caldas *num.1*. Anton. Gomez *in l.3. Tauri num.5*. Ioan. Gutier. *in authent. ſacrament. puber. num.104. C. ſi aduerſ. vendit.* Thomas Sanchez *vbi ſupra num.19.* & Pantoja *dict. loco cap.43*. Probaturque expreſſe de iure noſtro *in l.4. tit.11. part.5.* ibi: *No vale la promeſa del menor que tiene curador, como ni la del pupilo*, ideoque promiſcuè de minore curatorē habente, & de impubere ſub tutoris autoritate agens Petr. Pantoja, vt *dict. num.43.* animaduertit, tandem *num.51.* pro conſtanti

14 ſtatuit, eum qui à pupillo ſine tutoris autoritate ludente aliquid lucrifecerit, in ludo quantumuis permiſſo, non poſſe retinere, ſed eſſe in foro conſcientiæ reſtitutioni obnoxium: & aſſignat rationem, quam ſuprà notauimus, quia cùm retentio incrementi ex ludo obuenti virtute obligationis naturalis in cōuentione ludi contractæ ſuſtineatur, & pupillus in ludo victus non poſſit obligari naturaliter, cùm nō fiat locupletior, ſed pauperior, conſequens eſt, vt deficiente naturalis obligationis vinculo, quo ſolo ſuſtinetur, deficiat etiam ius retentionis ex parte victoris, & ſuccedat in foro interiori reſtituendi obligatio.

15 Et ab hac reſtituendi obligatione nequaquam erunt immunes tam pupilli, quàm minores curatoribus ſubiecti, ſi fortè ludo aliquid lucrifecerint, quia nec ipſi poſſunt eiuſmodi lucrum retinere, vt expreſſe docent Caſtro *lib.2. de leg. pœnal. cap.2. corollario 3.* Couarru. *in dict. reg. peccatum dict. §.4. num.4.* Henriq. *in ſumma cap.35. de indult tom.1. verſic. Adquiſita per fraudem*, Azeued. *in l.2. num.89. tit.7. lib.8. Recopilat.* Molina *de iuſtitia & iure diſp.520. num.1.* quibus accedit Pantoja *dict. loco num.41. verſic. Superiores perſonæ*, eo videlicet, quia vt in cæteris contractibus, ita & in ludo par debet eſſe vtriuſque contrahentis conditio: ergo qui dominium rei ſuæ non poteſt ludo amittere, nec alterius poterit ex eadem cauſa lucrari, ac per conſequens, vt minori tenetur victor ad reſtitutionem lucri, ita & minor cùm victor euaſerit, reſtitutioni erit obnoxius.

SVMMARIVM.

Solutio quomodo definiatur? 1.
Legitima ſolutio in quibus conſiſtat? 2.
Solutio, & ſolutionis receptio alienationem inuoluunt. 3.
Ante vigeſimumquintum annum nemo ſoluere poteſt. 4.
Pupillum ſuam conditionem ſine tutore meliorem facere poſſe, quomodò accipiatur? 5.
L. pupillum 2. ff. de acceptilationibus nouiter intelligitur. 6. *& ſeqq.*
L. ſi pupilli 66. ff. de ſolutionibus, explicatur. 8.
L. vltim. ff. de iureiurand. nouè intelligitur. 9. *&* 12.
Naturalis obligatio, ſoluti repetitionem impedit. 10.
Anton. Fabri *interpretatio ad* dict. l. vltim. *reijcitur.* 11.
L. ſi eius pupilli 54. verſic. Et ſi eius, ff. ad Senatuſconſult. Trebell. intelligitur 13.
Pupillus abſque tutore præſens, pro abſente habetur. ibidem.
Remedium extraordinarium ceſſat, vbi adeſt ordinarium. 15.
Conditio ex perſona, non niſi conſumptis nummis minori ſoluenti competit. 16.
L. obligari 9. §. pupillus, ff. de autor. tutor. } *intelliguntur* 17.
L. non omnis 19. §. pupillus, ff. de rebus credit. }
Conſumptione an dominium quæratur? ibid.
Pupillus an aliquo iure poſſit ſolutam pecuniā, ſed iam conſumptam repetere? 18.
Nemo cum aliena iactura debet locupletari. 19.
Pupilli geſta abſque tutore, nullius ſunt roboris. 20.
Pupillus ſine tutore ſuam conditionem meliorem, non verò deteriorem facere poteſt. ibidem.
Qui à creditore liberatur, locupletior fieri dicitur. 21.
Minor prudenter ſuo creditori ſoluens non læditur, ac per conſequens nec reſtituitur. 22.
Rectè creditoribus ſoluitur à maioribus quinque & viginti annorum 23.
Minor abſque ſolemnitatibus procuratorem ad ſolutionem recipiendam conſtituere non poteſt 24.
Principale cenſus an poſſit, cùm redimitur, minori ſolui? ibidem.
Compulſus à iudice vt minori ſoluat, an plenam liberationem ſoluendo conſequatur? 26.

Solu-

Solutio redditũum & penſionum, etiam abſque iudicis decreto, minori fieri poteſt. 27.
Ratio traditur quare minoribus ſolui prohibeatur. 28.
Pupillo ſolutioni adiecto, abſque tutoris autoritate rectè ſoluitur. 29.
Pupillo donationis cauſa ſolutioni adiecto, an poſſit abſque tutore ſolui? 30.
In propriam cauſam adiectus, actionem habet. 31.
Si creditor mittat puerum debitori ad accipiẽdam pecuniam, ei abſque tutore rectè ſoluitur. 32.
Minori quomodo abſque curatore, & iudicis decreto legitimè ſoluatur? 33.
Etiam in foro conſcientiæ, poteſt minor vti beneficio reſtitutionis, aduerſus ſolutionem minus legitimè ſibi factam. 34.
Bonam fidem non pati, vt debitum bis exigatur, quomodo ſit intelligendum? 35.

QVÆSTIO XVIII.

De neceſſaria ætate ſoluentis, & ſolutionem accipientis ad iuſtam liberationem?

1 CVm ſolutio optimè definiente Donello *comment. lib.* 16. *cap.* 9. nil aliud ſit, quàm eius, quod debetur, vti debetur præſtatio, vel vt aliquãtulum explicatius Vulteius *in principio inſtitut. hoc titul.* eius quod debetur realis legitimè facta præſtatio, cui accedit Oſualdus *in Donellum vbi ſuprà*, & Octauius Liuellus *in ſcholijs. inſtitut. titulo*
2 *quibus modis tollitur obligatio.* Nec illud ſatis æſtimari ad iuſtam ſolutionem ſciendum, præſtari aliquid, & id præſtari, quod ex contractu, aut qualibet alia ex cauſa exigi poteſt, aut ſolutioni obnoxium reperitur: illud ampliùs deſideratur, vt quod debetur, ita præſtetur vt debetur, cùm nec minima obligationis pars cenſeatur, eo modo debitum ſolui, quo contractum eſt. Hoc vtique & in perſonis partim poſitum, inter quas de ſolutione tranſactum, & partim in circunſtantijs ſoluendi, *vbi proximè* excogitauit Donellus: in perſonis, vt ſit qui rectè ſoluat, & ſit cui rectè ſoluatur. In circunſtantijs ſoluendi, vt ſoluatur, quo tempore, quo loco, & quãtum oportet. Perſonæ ergo eorũ, inter quos de ſolutione actum, ſunt is qui ſoluit, & is, cui ex conuentione ſolutio facienda: ille enim dummodò legitimo creditori rectè ſoluit, & iſte, nec indebitè accipit, dum à proprio debitore, niſi aliquid, vt pura bonorum interdictio in quouis eorum, aut ſoluentis, aut accipientis impedimento ſit, cùm is ſolùm ex obligatione præſtare, aut accipere teneatur, qui propriæ facultatis arbitrium ex iure nãciſcitur, *principio, inſtit. quibus modis tollit. obligat.* Nam cùm ſoluendi factum ipſo iure 3
alienationem inuoluat, argumento *l. cum quis*, *§. qui hominem*, *ff. de ſolutionibus*, & notatur communiter *in §. fin. quibus alienar. licet, vel non*, vbi præcipuè Vveſembech. *lit.* *T*. (non minus ac ſolutionis receptio, quæ licèt ſolutum acquirat, cõtinet ipſo facto obligationis, & actionis alienationem, qua priùs nondum numerata pecunia ſibi obſtrictum debitorem habebat) cui bonorum ſuorũ adminiſtratio, & alienatio adempta eſt, meritò & ſolutio, vel ſolutionis receptio interdicta videtur, cùm diſtractus ferè in omnibus propriam contractus naturam ſortiatur. Vnde cùm ex ijs, quibus bona interdicuntur, præcipui ſint minores, meritò hìc veniet diſcutiendum, qua ætate hi ad ſoluendum, & ſolutum accipiendum habiles iudicentur?

In qua quidem diſquiſitione diſtinctim de 4
vnaquaque perſona, ſoluentis ſcilicet, vel ſolutionem accipientis agendum nobis erit: & in primis, qua ætate quis rectè ſoluat, videamus. Communis docet actum ſoluendi, vt non longè dicebamus, alienationem continere, & ideò illis tantùm, qui poſt vigeſimumquintum annum exceſſerunt, permitti debere. Sic probat *l. quod ſi fortè* 13. *§.* 1. *cum l. ſequenti, ff. de ſolution. l. quoties* 10. *§. ſicut, ff. de adminiſtrat. tutor. l. ſi procurator* 6. *§. fin. ff. de condiction. indebiti*, textus celebris *in l.* 1. *§. fuit quæſitum, ff. ad Senatuſconſult. Trebellian.* docet Iuſtinianus in *princip. inſtitut. de autor. tutor. & in §. fin. quibus alienare licet, vel non, l. obligari, §. pupillus, ff. de autor. tutor.* tenent eandem ſententiam ex recentioribus Andreas Kohol *exercitat. legal. exercitat.* 13. *n.* 51. *&* 52. Briſonius *lib.* 1. *de ſolution. circa principium*, Donellus *vbi relatus*, & ibidem Oſualdus *litera B*. Mauricius *de reſtitut. in integrum cap.* 180. Caldas Pereira *in l. ſi curatorem verbo læſſis numero* 69. Anton. Faber *in Iuriſprudẽtia Papinian. tit.* 21. *princip.* 1. *illat.* 8. Pichardus *in principio quibus modis tollit. obligat. num.* 25. quoniam priùs eſt alienare poſſe, quàm ſoluere: pupillus enim, aut minor tutori, vel curatori ſubiectus, nihil citra illorum autoritatẽ alienare, ſiue in alium transferre poſſunt, *dict. l. obligari, in principio, & in §. pupillus, ff. de autoritat. tutorum, §. nunc admonendi, inſtitut. quibus alien. licet, vel non, l. is cui bonis* 6.

de verborum obligat. l. pupillus 15. *de ſolutio.* Igitur neque debitum ſoluere.

5 Nec refragatur pupillum, & iſtius generis perſonas meliorem ſuam conditionem efficere poſſe, etiam ſi tutoris vel curatoris autoritas non interueniat, *princip. inſtitut. de autorit. tutor.* Vnde cùm pupillus ſoluendo quod debet meliorē ſuam conditionem reddat, vtpote qui liberatur à ſeruili miſeria debendi, qua nulla maior excogitari poteſt, ſoluere etiam valebit. Sed hoc inquam non obſtat, quoniam tunc verum eſt minorem etiam ſine curatore ſuam conditionem meliorem facere poſſe, cùm acquirit, non verò cùm de patrimonio aliquid diminuit, conſtat *ex l. pupillus* 11. *ff. de acquir. rerum dominio. Pupillus*, ſcribit, *quantum ad acquirendum non indiget tutoris autoritate, alienare verò nullam rem poteſt, niſi præſente tutore autore.* Ergo cùm ſolutione pecuniæ dominium à proprio debitoris patrimonio euellatur, & creditori accreſcat, licèt in melius ſuam cōditionem debitum exſoluens redigat; cùm tamen hoc non ſine propriæ facultatis minutione contingat, recto conſilio pupilli ſolutio improbatur, & dominium ex ea transferri in accipientem prohibetur.

6 Ex quibus obiter lucem accipit Vlpiani reſponſum *in l. pupillum* 2. *ff. de acceptilatio*, cuius hæc verba: *Pupillum per acceptilationem, etiam ſine tutoris autoritate liberari poſſe placet*, ex qua breui, atque difficili verborum contextura communiter, quaſi per obiectionem ſuperioris ſententiæ depromitur, pupillum, ac per conſequens, & minorem curatori ſubiectum, abſque nullitatis metu proprijs creditoribus ſoluere, atque ſatisfacere poſſe, cùm aſſeuerante Conſulto ipſis acceptilatio, vt ab obligationibus extrahantur, etiam ſine tutoribus liceat, quæ nihil aliud eſt, quàm liberatio, qua vtriuſque contingit ab eodem nexu abſolutio. *l.* 1. *ff. eodem.* vnde Iuſtinianus *in §. item per acceptilationem inſtit. per quas perſonas nobis actio, vel obligatio acquir.* acceptilationem definit eſſe imaginariam ſolutionem.

7 Verùm quàm fragilis hæc deductio ſit, ex dictis nec difficulter patebit, pupillum ideò ſcripſimus à debiti reali ſolutione arceri, quia liberationis commodum, & vtilitas illi acquiri, abſque æquali conditionis, & facultatis detrimento non poteſt. Nam cupiens certæ quantitatis debitum creditori exſoluere, neceſſariò eandem quantitatem à proprio patrimonio extrahere conſtringitur: ergo cùm in acceptilatione liberatio abſque aliquo patrimonij nocumēto conſiſtat (cùm per mutuam interrogationem fiat, qua vtriuſque contingit ab eodem nexu abſolutio, *dict. l.* 1. *hoc titulo*, ex quo meritò acceptilationem imaginariam ſolutionem appellauit Iuſtin. *vbi ſuprà*, quia verbis tantùm & intellectu, non vero numeratione fit) rectè acceptilatio minori, quantumuis pupillo, ſine curatore licebit, cùm per eam pupillus meliorem ſuam conditionē reddat, creditoribus ſatisfaciens abſque aliqua eiuſdem quantitatis patrimonij diminutione, cùm nihil præter verba ſolutionis hoc genus deſideret. Quemadmodū 8
& intelligendus erit *text. in l. ſi pupilli* 66. *ff. de ſolution.* vbi pupillus, qui debitori ſuo mādauit ſine tutoris autoritate, vt pecuniam creditori eius numeraſſet, liberationem conſequitur: quia non vera numeratione, ac per conſequens, nec æquali patrimonij nocumento, ſed delegatione ſoluit, quo caſu nihil proprium alienare videtur, cùm adhuc debitorem ſibi obſtrictum habeat. Nec obſtat *l. pupillo* 15. *ff. de ſolutionibus*, vbi pupillus ideò delegare non poteſt, quia nec alienare vllam rem poteſt ſine tutoris autoritate, ſiquidem cùm delegatio pro ſolutione fit, tam ex parte delegantis, quàm ex parte illius qui delegatur, *l. quamuis* 8. *ſi interdum, ff. ad Senatuſconſult. Velleian.* quæ in *dict. l.* pupillo interdicitur, illa eſt, qua debitorem liberare intēdit, non verò qua ipſe liberari à debito cupit, vt in *dict. l. ſi pupilli*: quare rectè *ibidem* Conſultus ait, pupillum quidem à creditore liberari delegatione: at verò debitorem manere obligatum, nam quoad debitorem attinet, delegatio prorſus pupillo inhibetur, vti in *dict. l. pupillo* meritò adnotauit Accurſius.

Sed quorſum hæc? meritò abdubitabis, cū 9
futilis & fauillacea hæc interpretandi ratio à Pomponio reddatur *in l. creditore, vltima, verſic. Nam ſi controuerſia. ff. de iureiurando*, vbi ſi cōtrouerſia inter creditorem & pupillum fuerit, an omnino pecuniam mutuam accepiſſet, & conuenerit, vt ab omni conditione diſcederetur (vel contentione, vt ex priſcis exemplaribus reſtituere nititur Petr. Faber *ſemeſtr. lib.* 2. *cap.* 16.) ſi pupillus iuraſſet, iſque iurauerit ſe dare non oportere, vi tantum præſtiti iuramenti naturalis tollitur obligatio, & pecunia quaſi indebita à pupillo ſoluta repeti poterit: ſi enim hac lege pupillo ſine tutoris autoritate naturaliter obligato, & ſoluenti non alia ex cauſa repetitio cōceditur, niſi quia ex conuentione iurauit ſe dare non oportere, conſequens eſſe videtur, quòd ante ſacramenti delationem pecuniam ſolutam pupillus minimè repeteret. Et patet, nam ſi ex quo naturalis obligatio ſecundùm legem pactionis pupilli iuramento ſublata eſt, repetere ſolutum ipſe poteſt

teſt

teſt obligatione naturali manente, quæ ex quolibet pupilli abſque tutoris autoritate inito contractu reſultat, cuius pupillus capax inuenitur, *l. 1. ad finem, ff. de nouationib. l. ſi pupillus 127. de verbor. obligat. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. aliquando, & §. naturalis, de ſolutio. l. cùm illud 25. §. hæres meus, quando dies legati cedat, l. ſi pupillus 35. de receptis arbitris*, ſi ille ſoluat, minimè repetet, quamuis numeratione ſuam deterio-
10 rem feciſſe conditionem, iuxta ſuperiùs dicta præſumatur, cùm naturalis tantum obligatio ſufficiat, vt quævis ſoluti repetitio inhibeatur, *l. naturales, ff. de actionibus & obligation. l. naturaliter, ff. de condict. indebiti, l. 3. §. vltim. ff. quod quiſque iuris, l. frater à fratre 38. de condict. indeb.*

11 Adeò enim legis huius difficultas vrget, vt cùm aliter illam ſubterfugere non potuiſſet Antonius Faber *in rationali eiuſdem legis*, coercendam & reſtringendam deciſionis generalitatē monuit, ad caſum in quo pupillus abſque tutoris interuentu naturaliter obligatus, tutore autore per errorem, vel anteà, vel poſt præſtitum iuramentum ſoluit, hoc enim neceſſariò ponendum ait, alioqui omnimodo, & omni caſu perſona pupilli locum faceret repetitioni, *l. interdum 29. in fine, de condictione indebiti*: quam interpretationem ex Alexandro deſumpſit, quamuis ſuppreſſo nomine *in l. ſi pupillus, ff. ad l. falcid.* refert Caldas *in l. ſi curatorem verbo læſis, num. 68. ad calcem.* Sed quantum iſtorum, & Antonij Fabri ſententia à veritate abhorreat, ex eo facilè cuique coniecto ſuaderi poterit, nam ſolutæ pecuniæ repetitio ideò dumtaxat pupillo dicto caſu competit, quia naturalis obligationis vinculum, præſtito à pupillo ſecundum pactionem iuramento, euanuit, & obligatione ſublata, quidquid eius nomine ſoluitur, repeti quaſi indebitum poteſt, id enim clarè illa textus verba euincunt: *Iſque iurauerit ſe dare non oportere, naturalis obligatio hac pactione tolletur, & ſoluta pecunia repeti poterit*: ergo ſiue tutore autore, ſiue non, pupillus hoc caſu pecuniam quaſi debitam ſolueret repetitionem haberet, non aliter atque cuique maiori per errorem indebitum ſoluenti non denegaretur.

12 Quare, venia tanti viri dicam, aliter Pomponium intelligendum cenſeo, nempe loqui de repetitione, ſeu condictione indebiti (quod idem eſt, & paſſim promiſcuè pro eodem vſurpatur) non verò de condictione ex perſona, ſeu de repetitione, cui perſona locum facit, *dict. l. interdum*, quam ſimiliter prædictus Autor optimè interpretatur: ſi enim de iſta loqueretur, ſiue iuraſſet, ſiue non, pupillus omni caſu repetitionem haberet, cùm ſemper pupillus ſoluiſſet, cuius perſonæ ſimili repetitione ſuccurritur: de illa enim repetitione ſi Conſultum intelligamus, quæ indebiti ſoluti ratione competit, dumtaxat prædicto caſu locum ſortietur, videlicet quando nulla ſubſiſtente obligatione, ſiue naturali, ſiue ciuili, quæ condictioni reſiſteret, creditori ſoluitur, cùm pro indebito tantùm indulgeatur. Ergo cùm niſi iuraſſet pupillus in ſpecie propoſita, adhuc vinculo naturali manente, ipſi nequaquam repetitio elargiretur, ſignum eſt de illa condictione Conſultum egiſſe, quæ indebitum ſoluenti repetitionem præſtat: non verò de ea, quæ ex perſona pupilli, ſiue debitum, ſiue indebitum ſoluentis, locum facit repetitioni.

Quo interpretandi modo, Meciani Iuriſ- 13
conſulti locus, alioqui difficillimus, luce donatur in *l. ſi eius pupilli 64. verſic. Etſi eius, ff. ad Senatuſconſult. Trebellian.* vbi ſi eius mihi reſtituta ſit hæreditas, qui pupillo ſine tutoris autoritate crediderat, & ſoluerit mihi pupillus, non poteſt ipſe repetere (condictione inquam indebiti, vt ſuperius docuimus, ex perſona verò rectè poterit.) Hoc enim neceſſariò ſubiungit idem Faber *in dict. l. inter dictam 29. ff. de condict. indebiti*, ſic accipiendum eſt, ſi pupillus ſolueret tutore autore, ſupponendi ſunt, inquit, termini habiles, *l. vt gradatim 11. §. 1. ff. de muneribus & honor.* & quoties à pupillo aliquid promiſſum vel ſolutum legimus, pupilli quoque tutorem interueniſſe debemus intelligere, cùm pupillus præſens ſi tutoris quoque autoritatem præſentem non habeat, pro abſente habēdus ſit, *l. pupillos 10. quibus ex cauſ. in poſſeſ. eatur.* Acquieſco enim terminorum ſuppoſitioni, quam deſiderat conſultiſſimus Anton. Faber, verùm non ipſius ſuppoſitioni, licèt eam veriſſimam faterer, niſi aliud legis verba ſuaderent. Verùm Mecianus ipſe neceſſarios ſibi terminos pāgit & circunſcribit, de qua enim condictione, ſeu repetitione ſermonem Iuriſconſultus inſtituerit interrogo, de indebiti repetitione abſolurè: an verò de illa, cui perſona locum facit? De generali indebiti condictione locutum eius verba teſtantur, dum primo caſu eandem repetitionem hæredi pupilli, qui poſt reſtitutionem fideicommiſſario factam ſoluit, indulget, non alia ex cauſa, niſi quia reſtitutionis facto naturalis obligatio, qua pupillus creditori tenebatur, translata ab hęrede in fideicommiſſarium intelligitur. Quapropter poſt reſtitutionē hæres ſoluendo, omni iure indebitum ſoluit, con-

contrarium inſinuans, quoties non reſtituta hæreditate, ac per conſequens, & in eius perſona pupilli obligatione manente, hæres ſoluit, cùm hoc caſu quaſi debitum exoluerit, à repetitione excludatur. Idem enim & de pupillo ſoluente, eadem ratione ſecunda parte decernens: igitur & de ſimili repetitione indebiti in pupilli perſona diſcurit? Et illo tantùm caſu indebiti hanc repetitionem pupillo denegat, cùm debitum legitimo creditori exſoluit: diffitetur ergo, ex quo ſimilem indebiti condictionem illi non permittit, prædictam ſolutionem, quaſi à pupillo factam, minimè ſubſiſtere, & condictione, cui perſona locum facit, ſubuerti debere? nequaquam: imo ſi, vt ipſe Anton. Faber teſtatur, ſupponendi ſunt termini habiles; neceſſariò, vt & Accurſio placuit, condictione ex perſona prædictam debiti factam ſolutionem repetere poterit. Nam quidquid pupillus abſente tutore ſoluit, hac condictione ex perſona illi reſtituitur, cuius repetitionis caſu veriſſimum eſt à Fabro pro ſua opinione ſuperius adductum, nempe pupillum præſentem, & ſoluentem, ſi præſentem ſimul tutoris autoritatem non habeat, tanquam abſentem cenſeri, *dict. l. pupillus* 10. *quibus ex cauſ. in poſſeſ. eatur.* diuerſum enim eſt dubitare, an pupillo debitum legitimo creditori ſoluenti indebiti condictione ſuccurratur, an verò condictione, cui perſona locum facit? Nam priori caſu, cùm debitum tantùm ſoluiſſet, indebiti condictionem habere non poſſe rectè hac deciſione Mecianus reſpondit: cùm tantùm pro indebito ſoluto recuperando competat: ſecundo verò caſu, condictione ex perſona ſubuenietur, quamuis debitum exſoluerit, nulla alia ratione, quàm quia pupillus ſoluit, cuius perſonæ, etiam debitum ſine tutore ſoluenti hoc remedio ſuccurritur, de quo cùm apud Conſultum minimè dubitaretur, nil mirum ſilentio illud inuoluiſſet, quemadmodum & intelligendus erit difficilis textus in *l. ſi pupillus* 21. *ff. ad leg. falcid.* vt cum Gloſſa *ibidem* expreſſe fatetur Caldas *in dict. l. ſi curatorem, dict. verb. Læſis, num.* 69.

14 Sed aliquis forte, perperam ſuperiori interpretationi acquieſcens, quaſi otioſe diſputantes, in Iuriſconſultos violenta debacabitur lingua. Nam cùm, vti ſæpiùs protulimus, certum ſit, quamlibet ſiue debiti, ſiue indebiti, pupilli, vel minoris ſub curatore ſolutionem, cõdictione ex perſona ſubuerti, pluſquàm ſuperuacanea, ſubtilis illa in debiti condictionis diſceptatio, in minoris perſona ſoluentis, redditur. Cùm ſiue natura li obligatione manente, ſiue illa pacto, iuramento, vel hæreditatis translatione immutata; ſemper & omnimodo, ex propria perſona repetitionem habebit.

Verùm facilè ab ijs calumnijs doctiſſimos Pomponium & Mecianum defendam. Quia licèt indubitatum fatear, quicquid minores citra tutoris, vel curatoris autoramentum, debitè, vel indebitè ſoluerint, condictione ex perſona recuperare poſſe: hoc vtique cũ extraordinarium, & peculiare iuris remedium ſit, nequaquam minoribus competet, niſi ordinarijs deficiẽtibus, *l. in cauſæ* 1 *a* 2. *ff. de minor.* Gloſſa, Bartolus, & alij *in l.* 1. *C. ſi aduerſus fiſcum*, Corneus *conſ.* 72. *col.* 3. *lib.* 4. Beroius *conſ.* 120. *n.* 15. *lib.* 1. & indubitatũ profitetur Rolandus à Valle *conſ.* 59. *nu.* 2. *lib.* 1. latè Sforcius Oddus *de reſtit. in integr. p.* 1. *q.* 17. *art.* 4. *n.* 48. Igitur cùm Conſulti de recuperanda minorum ſolutione diſcuſſerint, priùs inueſtigare debuerunt, an ad illius repetitionem aliquo iuris ordinario remedio ſubuenirentur? id eſt, an debitè, vel indebitè ſoluiſſent? Nam ſi perperam, & ignoranter putatiuo creditori numeraſſent, illis, vt maiori cuilibet, ordinariũ in debiti condictionis ſubſidium competebat, quo ſuffragante & competente, extraordinarium, & reſtitutorium condictionis ex perſona, vel reſtitutionis, omnino ceſſat: cùm ſubſidiarium ſit, & tantùm in ordinarij defectum ſuccedens: vnde quaſi commune placitum ab omnibus traditur, quòd ſi minori competit cõdictio indebiti, ſicut cuilibet maiori, non eſt neceſſaria reſtitutio in integrum; quia illi ordinario remedio ſuccurſum eſt. Tradit eleganter Sforcia Oddus *d. tract. p.* 2. *q.* 52. *art.* 4. *nu.* 32. Garſia *de nobilitate gloſ.* 6. §. 1. *n.* 1.

Ex quo euenire autumo, condictionem ex perſona, de qua *in dict. l. interdum*, quaſi extraordinarium remedium, nequaquam, niſi nummis conſumptis, pupillo ſiue tutore ſoluenti competere: ſiquidem cùm extantibus nummis, aliud vindicationis ſubſidium habeat, vt ibidem apparet, illo competente, extraordinarium condictionis ceſſare debuerat: quare licèt alio ſenſu, eleganter Anton. Faber condictionis remedium *in dict. l. interdum*; vindicationis ſubſidiarium vocat, cùm illa tantùm deficiente ſuccedat. 16

Nec refragatur *l. obligari* 9. §. *pupillus ff. de autoritat. tutor.* ibi: *Pupillus ex omnibus cauſis, ſoluendo ſine tutoris autoritate nihil agit, quia nullum dominium transferre poteſt: ſi tamen creditor bona fide pecuniam pupilli cõſumpſerit, liberabitur pupillus.*

Quibus & adſtipulatur Iulianus *in l. non omnis 19. §. pupillus, ff. de rebus creditis*: Si *pupillus*, inquit, *ſine tutoris autoritate crediderit, aut ſoluendi cauſa dederit, conſumpta pecunia, condictionem habet, vel liberabitur* (referendo inquam verba illa, *condictionem habet*, ad illud, *crediderit*, & illa, *vel liberabitur*, ad illud, *aut ſoluendi cauſa dederit*, vt ſic prorſus electionis priuilegiũ elidatur, quod pupillo ſoluenti, Anton. Faber vbi ſuprà ex iſtis verbis concedit, vtrùm ſcilicet, malit liberari, an condicere.) Quæ quidem verba ſuperiori reſolutioni obuiare videntur, cùm eorum ſpecie tantum abſit, vt dumtaxat pecunia conſumpta, condictio ex perſona pupillo ſoluenti, vti peculiare remedium competat, vt imò certius appareat, nec cõdictionem, nec vendicationem locum habere, ſed ſolùm pupillo liberationem contingere.

Siquidem verè & ſubtiliter offendiculum ſubmouebitur, cùm ideò conſumptis bona fide nummis, quos creditori pupillus non autorante tutore ſoluit, liberatio, & non condictio competat: quia conſumptione videtur dominium in accipientem trãslatum, *l. ſi à furioſo 12. & ſequenti, de reb. credit.* docet Anton. Faber *dict. loco, princ. 1. illat. 8.* Non quia re vera ipſo conſumptionis actu dicimus quemquam ex non domino, dominum fieri: ſed perinde haberi, ac ſi dominus fuiſſet effectus. Nam veritate inſpecta, cui acceptio pecuniæ dominium non conciliauit, nec ipſa conſumptio acquiret; cùm ridiculum fuiſſet affirmare, tunc me alicuius rei dominium nanciſci, quoties non ſolùm mihi abeſt, verùm & fortè, nec in rerum natura ſubſiſtit, illud tantum proferimus, conſumptione non dominum, ſed domino ſimilem accipientem affectum, ex ratione, quam in *dict. l. non omnis 19. §. ſi pupillus* I. C. euincit, ibi: *Quia facto eius intelligitur, ad eum qui acceperit perueniſſe.* Quæ verba, ſi proprio ſenſui tradantur, nihil aliud ſignificant, vt rectè excogitauit Gaſpar Gil Polus *in ſchola iuris, aſſertione 2.* quàm quod ſi mihi traditione non acquiſitum, ego conſumendo in propriam vtilitatem conuertam, ſicque mihi aſſumam, & aſciſcam, videri ex facto meo iam ad me perueniſſe, cùm idem ſit rem, cuius factus dominus non ſum, me in meam vtilitatem conſumpſiſſe; ac ſi ab initio factus dominus eſſem. Nam quicumque fructus ex vera & legitima dominij acquiſitione domino quæruntur, eoſdem & me rei conſumptione percepiſſe apparet.

18 Vnde prouenit, nec ſummo iure, nec æquitate perpenſa, conſumptam à creditore pecuniam pupillum condicere poſſe. De iuris rigore id ex eo dilucidè apparet, quia etiam omni iure indebitum ſoluens, non ratione iuris, ſed æquitatis ſolutum repetit, *l. hæc condictio. 66. l. indebiti 15. ff. de condiction. indebit.* quæ æquitas omnes omnino condictiones, & repetitiones induxit, *l. penult. in fine, ff. ad Senat. Conſult. Trebel. l. cum hi 8. §. ſi quis, de alimentis, verſicul. Sane, de tranſaction.* conducunt tradita à Duareno *de condiction. indebit. capit. 1.* & quæ tradunt Vaſqu. *lib. 3. controuerſ. vſufrequent. controuer. 63. num. 1.* Hoperus *lib. 1. titul. de indebit. ſolution.* Oſuald. *in Donell. lib. 14. capit. 17. liter. C.* Quia reuera dominium rei indebitę ſolutæ in accipientem tranſtulit, teſtante Theophylo *inſtitut. quibus modis recontrahit. obligat. §. is quoque.* Igitur minori ratione pupillus debitum ſolutum poſt conſumptionem, quæ dominium in accipientem translatum eſt, ex traditis ab Antonio Fabro *in Iuriſpruden. Papin. dict. titul. & illation.* condicere poterit, quamuis non interueniente tutore ſoluerit, cùm reuera, & in effectu, debitam pecuniam exſoluerit.

Ex bono & æquo, nec pupillo condictio- 19
nem competere, ipſamet æquitatis ratio ſuadet, cùm illa tantùm omnes omnino condictiones, & repetitiones inducantur; ne ſcilicet, accipiens cum ſoluentis iactura ditior efficiatur, *l. vtrùm, ff. de petition. hæred. l. ſed etſi lege, §. 1. ad finem, eodem titul. l. in ſumma, §. in frumento, verſicul. Sic habitatione, & §. ſi ſeruum, l. ſi non ſortem, §. libertus, verſic. Sed hæc opera, ff. de condiction. indebiti, l. nam hoc 14. l. condictio. 66. ff. eodem,* Fulgoſius *in l. indebiti, §. ſed etſi nummi, numer. 3. ff. eodem,* Gaſpar Gil. Polus *vbi ſuprà,* Anton. Faber *in dict. l. ſi non ſortem 26. §. libertus, verſicul. Sed hæ inquit operæ, de condiction. indebiti,* Oſuald. *in Donell. dict. titul. 14. cap. 18. liter. C. & G.* Aparet enim, hanc rationem in debito à pupillo ſoluto locum habere non poſſe; ſiquidem conſumptis à creditore bona fide nummis, dici nequaquam poteſt, ipſum cum pupilli iactura locupletatum; cùm etſi minus ſolemniter, attamen nihil præter debitum accepit, aut diſſipauit. Vnde cùm debitum recipienti, & vti proprium, nec ſubdolè eroganti culpa imputari non poſſit, reſtat vt debitum tantùm exolutum eſſe dicamus; licèt naturaliter ſimul & ciuiliter debitum numeraſſet, ſiue naturaliter tantùm: quamuis vt propè docuimus, cùm naturali tantùm obli-

obli-

obligatione pupillus adſtrictus citra tutoris interuentum ſoluit, condictione ex perſona, aut reſtitutione adiuuetur, vt communiter traditur *in l. 2. C. ſi aduerſus ſolution.* ſubſcribit Iacob. de Arena *in l. naturaliter, num. 10. ff. de condict. indeb. & in l. indebitum num. 3. C. ſi aduerſ. delict.* Bartol. *in d. l. interdum,* Mauricius *de reſtitut. cap. 80. numer. 8.* Sforc. Oddus alios referens *d. tract. de reſtitut. 2. p. q. 52. art. 13. num. 84.* Gilius Pelus *vbi ſuprà.*

20 Quibus nec aliquale negotium exhibet, geſta à pupillo ſine tutore adeo nullitati ob noxia cenſeri, vt ſiue vtiliter, ſiue cum illius magno detrimento facta probentur, ſemper, & omni caſu fruſtranea, aut robore deſtituta credantur, *l. 4. §. 2. ff. de auct. tutor. l. 8. l. 9. ff. de acquir. hæredit. §. neque tamen, inſtitut. de autor. tutor. l. 3. tit. 6. p. 6.* Congerit plura Caldas *in l. ſi curatorem, verb. Hunc contráctum num. 5.* cùm pupillares actus non ab vtilitate vires ſortiantur, ſed ab agentis incapacitate caſſentur. Hoc enim facilè quis retorquet, ſi animaduertat, ita demum geſta à pupillo ſine tutoris autoritate inutilia eſſe, ſi aut damnoſa, aut ſaltim non vtilia ipſi fuerint. Nam ſi proficua, vel alicuius commodi experiantur, adeo ſubſiſtent, vt inde quaſi in prouerbio ſit, pupillum meliorem ſuam conditionem facere poſſe ſine tutoris autoritate, deteriorum verò non aliter quàm cum
21 tutoris autoritate, *l. obligari 9. in princ ff. de autor. tutor.* tradit Iuſtinian. *in princip. inſtitut. eod.* probat Anton. Faber *in iuriſprud. d. tit. 21. prin. 1.* cuius & æquiſsima ratio eſt. Nam cùm illius fauore introductum ſit, vt tutorē eidē dare oporteat, cuius auxilio propter lubricum ætatis regatur, §. *impuberes,* cum ſimilib. *inſt. de Atilian. tutore,* ipſius fauore inductum, in eius odium retorqueretur, ſi pupillo, ſiue habenti tutorem, ſiue non habenti conditionem ſuam ſine tutoris autoritate in meliorem facere non permitteretur, vti in propoſito egregiè excogitauit Faber *vbi ſuprà.* Ergo, cùm ſi iuris ſubtilitatem remoueas, nullum futurum ſit damnum pupillo abſque tutore vero creditori exoluenti, ſed imò maxima vtilitas: ſiquidem quiſquis à vero creditore liberatur, locupletior hoc ipſo fieri dicitur, *l. ſi pupilli 66. de ſolut. l. ſi cùm mulier. ff. de donation. inter virum & vxorē, l. 2. ff. de calum. l. 3. §. in rem, ff. de in rem verſo,* nil mirum ſi nummis ab accipiente bona fide conſumptis, cōdictio nequaquam locum habeat, ſed tantùm liberatio ſequatur, ex ratione à nobis tradita.

Deinde quia, etſi abſque veritatis præiudicio fateremur, geſta à pupillo, etſi vtiliſſima, ex quo ſine tutoris interuentu ſubuetti, tamen poſtquam initio inualida ex poſtfacto perfectionem ſortiuntur, vtputa, conſumptione ſecuta, cùm iam non poſſint non ſubſiſtere, multum refert, an pupillo vtilia, vel damnoſa exiſtant. Nam ſi parum proficuæ minori experiantur, valida dici non poterunt: ſin verò lucroſa, adeò rata manebunt, vt vix conuelli queant: plurimum enim referre ſolet, infectum aliquid ſit, aut iam factū: Infectum, ne fiat, impediri poteſt, ſed iam factum minime, argument. *l. quoties, C. de rei vendicat. l. qui tibi, C. de hæredit. vel action. vendita.* Quare cùm iam conſumptis à creditore bona fide nummis, pupillaris ſolutionis actus ab initio nullus, perfectionem meruerit, ex quo vtilis ipſi pupillo inuenitur, condictione retractari non debet, quæ ſi ab illo aduerſus verum creditorem proponeretur, compenſatione repelli haud dubiè poſſet, vt eximiæ eruditionis vir Anton. Faber arbitratur *in iuriſprud. Papin. d. princip. 1. illation. 8.*

Quod adeò in minore abſque curatore 22
ſoluēte vim obtinet, vt quoties legitimo creditori prudenter, ſicut quilibet paterfamílias ſoluit, reſtitutionem non habeat, quia ſoluendo debitum prudenter minimè læditur; & tantum læſis reſtitutionis beneficio ſuccurritur, vt tradunt communiter Scribentes, *in d. l. 2. C. ſi aduerſus ſolutionem,* Sforc. Oddus *d. tractat. de reſtitut. in integr. part. 2. q. 52. art. 1. num. 50.* Quod ita accipiendum eſt, ſi omni iure debitum ſoluiſſet, Ioan. Mauric. *de reſtitut. dict. capit. 80. num. 8. ad finem,* licèt condictione ex perſona recuperare poſſit, quaſi à nō legitima perſona ſolutum, id eſt à minore curatorem habente, abſque illius autoritate, niſi vt *ſuperiùs* notauimus, conſumptione perficiatur ſolutio.

Quod non ſolùm procedit vbi minor ip- 23
ſam rem debitam ſoluit, vt dictum eſt, ſed etiam cùm aliam in ſolutum præſtat. Quoniam vt eleganter animaduertit multis relatis Simoncellus *tractatu de decret. lib. 2. titul. 6. inſpect. 14. num. 121.* ante quintum & viceſimum annum nemo abſque decreto, & debitis ſolemnitatibus aliquid dare in ſolutum poteſt: cui adſtipulatur Cardinalis Tuſchus *practic. concluſ. lit. M. concl. 249. num. 66.* eo videlicet, quia datio in ſolutum emptioni & venditioni æquiparatur, *l. ſi prædium, C. de euict. l. eleganter, in princip.* vbi notant communiter Scribentes, *ff. de pignor. l. vlt. ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eatur, l. ſequitur, §. de illo, verſ. Itemque fore, ff. de vſucap.* iunctis alijs, quas in hanc rem latè congerit Simoncellus *vbi ſuprà.* At verò qui dictam

ætatem nondum agit, à venditione, vti & à cæteris contractibus, arcetur vt iam probauimus, & ſuis locis amplius monſtrabitur.

24 Hactenus de ſoluentis perſoua diſcuſſum, de illius neceſſaria ætate, cui ſolutio facienda, paululum diſquiramus: quouiam licèt generaliter verum ſit, rectè creditoribus ſolui, *l. ſolutam* 49. *ff. de ſolutionibus*, *l. inuito*, *C. eodem*, hoc vtique ſic exaudiri oportet, ſi iuſtæ, & debitæ ætatis fuerint, videlicet quinque & viginti annorum: papillo enim, & iſtius ætatis hominibus, abſque tutoris, vel curatoris autoritate inutiliter ſoluebatur, *l. pupillo* 15. *ff. de ſolut. l. ait prætor, §. permittitur, ff. de minoribus*, *l. in pupillum* 47. *ff. de ſolution. l. contra iuris ciuilis* 28. *in principio, ff. de pactis*, quod & ſi Iuris conſultorum teſtimonia non ſuppeterent, ex Cicerone *in topycis* eluceſceret, his verbis: *Non quemadmodum quod mulieri debes, rectè ipſi mulieri ſine tutore autore ſolues, ita quod aut pupillo, aut pupillæ debeas, rectè poſsis eodem modo ſoluere*, &c. tradunt Briſonius *dict. tractatu de ſolution. lib.* 1. *pag.* 168. Donellus *comment. lib.* 16. *capit.* 10. & ibidem
25 Oſuald. Anton. Faber *in iuriſprudent. Papinian. titul.* 21. *princ.* 1. *illatione* 9. *& de errorib. pragmati. tom.* 1. *decade* 11. *errore* 2. *ad calcem*, Caldas Pereira *in dict. l ſi curatorem, verbo Læſis à num.* 66. Anton. Gom. *tomo* 2. *variar. cap.* 14. *num.* 4. Simoncellus *de decretis lib.* 3. *titul.* 7. *inſpect.* 1. *num.* 2. licèt ipſe *titul.* 8. *inſpect.* 16. *num.* 119. minori, ſine decreto principale, ſiue ſortem cenſus ſolui poſſe ab illum redimente, fateatur. Quod quantum à veritate diſtet, ex dictis, dicẽdiſque ſatis conſtabit, necnon & ex traditis à D. Ioanne del Caſtillo *tom.* 4. *controuer. cap.* 61. *num.* 35. vbi cum Feliciano *lib.* 4. *de cenſib. cap. vnico, nu.* 3. aduerſus eundem Simoncellum, Martinum Monter à Cueba, Fontanellam, & alios, meritò cõtrarium defendit. Accedũt ſuperiori definitioni Schiphordeg. in Anton. Fabrum *lib.* 1. *tract.* 16. *q.* 1. Pyrrhus Maur. *tractat. de ſolutio. cap.* 6. *numer.*
26 56. vbi & *num.* 51. ſcribit, adeò ſine tutore ſolutionem accipiendi pupillum incapacem eſſe, vt nec mandatum ad ſolutionem recipiendam, abſque ſolemnitate, & iudicis decreto dare procuratori poſſit: quæ quidem tutoris, vel curatoris autoritas, nec hodie pupillo vel minori ſoluenti ad liberationem proficiet, niſi & iudicis interuenerit decretum, *l. ſancimus* 25. *C. de adminiſtr. tutor. §. at ex contrario, inſtitut. quib. alien. liceat, vel non*, Caldas *in dict. l. ſi curatorem, verbo Læſis, num.* 66. Pyrrh. Maurus *de ſolution. capit.* 6. *num.* 56. Oſuald. *dict. loco*, P. Rebellus *de obligat.* 2. *p. lib.* 1. *q.* 8. *ſect.* 5. *num.* 54. antea Gomeſius *tom.* 2. *reſolut. c.* 14. *num.* 4. Quidquid in contrarium excogitauerit Menchac. *lib.* 3. *qq. vſufrequen. cap.* 67. Ioan. Gutierr. *de tutelis* 2. *part. cap.* 22. *num.* 8. & neruoſe Anton. Faber *coniectur. lib.* 3. *cap.* 1. *& in iuriſprudentia Papinian. titul.* 12. *prin.* 7. *illat.* 43. & in illum Schiphordeger. *dict. loco, quæſt.* 4. nam vt optimè aduerſus Fabrum Oſualdus inuehitur *dict. loco*, verba dicti §. *at ex contrario*, disertè teſtantur, ibi: *Ita licere tutori*, &c. *Debitorem ſoluere, vt prius iudicialis ſententia hoc permittat*, abſque eo, quod horum verborum friuola Antonij Fabri inuerſio negotium faceſſat, ſiquidem quis, quæſo, adeo hebetis ingenij illi credet aſſerenti, Iuſtinianum illis verbis tantum decreuiſſe, non licere tutori vel curatori ſoluere debitorem pupillarem, ideſt, non eſſe in poteſtate tutoris, vel curatoris, vt ſoluat, & liberet debitorem pupillarem, qui ſcilicet ſoluit pupillo vel minori ſine tutoris aut curatoris autoritate? maximè, cùm ipſo teſte, Imperator referat, dictum §. *at ex contrario*, ad *dict. l.* 25. vbi nec ſyllaba de tutore abſoluente, ſeu liberante debitorem, aut acceptum ei ferente, qui antea pupillo ſe non autorante, ſoluit: quæ opinio, parum Guterij interpretatione obſtrigilante, certò ſuaderi de iure noſtro videtur *in l.* 4. *titul.* 14. *part.* 5. ibi: *Apercebido deue ſer todo ome, que ouiere de fazer la paga al menor de veinte y cinco años, para fazerla de manera que la non aya de pagar otra vez: è para ſer ſeguro deſto deue pagar lo que deue à èl, ò a ſu guardador, con otorgamiento, ò mandamiento del juez del logar. Ca ſi de otra guiſa lo fizieſſe, y deſpues jugaſſe los dineros que le fueſſen pagados, ò los mal metieſſe, ò los perdieſſe, en alguna manera, no ſeria quito por ende del debdo: mas faziendo la paga con otorgamiento del juzgador, como ſobredicho es, como quier que fizieſſe deſpues ſu daño, de los dineros del menor de veinte y cinco años, no ſeria tenudo el otro de ge los pagar, antes dezimos, que ſeria quito en todas guiſas del debdo*, vbi notat Gregorius, & ex eo Pichardus *in dict. §. at ex contrario num.* 1. quod ſi ipſimet pupillo ſolui præciperet iudex, ab eius præcepto eſt appellandum. Sed Anton. Gomez *dict. tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 4. cenſet ex nuper citatis legibus, compulſum & coactum debitorem præcepto iudicis ſoluentem liberari. Idem tenet Sforc. Oddus *de reſtitut.* 2. *part. q.* 52. *art.* 3. *num.* 24. *&* 25. Et quòd ſimplex autoritas ſufficiat, vt minori ſoluens con-

ſe-

ſequatur plenam liberationem, probauit Cald. Pereira *in dict. l. ſi curatorem, verſicul. Læſis num. 65.* quem ſequitur Felician. *in 2. tom. de cenſibus lib. 2. & 3. num. 2.* Pichard. *vbi ſuprà.*

27 Non autem hanc legem, vt Iuſtinianus ſcribit *in dict. l. ſancimus*, ad ſolutiones extẽdimus, quæ vel ex redditibus, vel ex penſionibus, vel alijs ſimilibus cauſis pupillo, vel adulto fiunt: nam cùm in his minorum alimenta conſiſtant, expedit ſolutionem non diu differri: moleſtumque eſſet, quotannis ea de re adire iudicem, Duarenus *ad titulum C. ſi aduerſ. ſolution.* Donellus & *ibid.* Oſuald. *vbi ſuprà lit. G.*

28 Verùm hæc, quaſi occurſim luſtrata miſſa faciamus, propria inſectemur citra tutoris, vel curatoris auctoritatem; & iudicis interuentum, ideo pupillo, aut minori quælibet ſolutio interdicitur, quia rerum ſuarum alienationem nequaquam merentur: alienat vtique qui ſolutum accipit. Nam licèt numeratam à debitore pecuniam creditor accipiens, acquirere potiùs, & locupletari quàm alienare, & exinaniri, tenui luce videatur, ſubdola enim, & quaſi alienationis lenocinium hæc acquiſitio eſt; ſiquidem pecuniam ſolutam minor, aut quiuis alius recipiens, acquirit, vt itidem rem aliam ſuam alienet: cùm ſolutionem recipiendo obſtrictum ſibi debitorem liberet, obligationemque, & actionem amittat, qua priùs maiori vtilitate irretitum debitorem habebat, cùm ſæpe magis domini interſit, actionem de pecunia retinere, quàm illa ſublata, pecuniam ſolutam accipere. Hoc enim in pupillo cuique obuium reddit Donellus, qui pecuniam acceptam, aut malè cõſumere, aut caſu amittere multipliciter poteſt, qui ſi pecuniam nõ accepiſſet, ſemper actionem integram haberet aduerſus debitorem.

29 Quæ ratio cùm minimè in adiecto procedat, ſi ſtipulatus fuero, mihi aut pupillo dari, promiſſor ſine tutoris autoritate pupillo ſoluendo, liberabitur à me, *l. ſi ſtipulatus fuero 9. ff. de ſolut.* Briſon. *dict. tract. de ſolution. lib. 1. verſ. Et etiam, fol. 176.* Stracha *de adiecto, part. 3. num. 16.* Donellus *ad l. 55. de verb. obligat. num. 8. & lib. 16. commentar. cap. 10.* vbi & Oſuald. *lit. Q.* Anton. Gom. *variar. tom. 2. cap. 11. num. 20. verſic. Item adde.* Nam cum adiecto nihil debeatur, tantumque ei ſolui poſſit, *l. ſed etſi, de conſtit. pecun. l. quod ſtipulatus 10. ff. de ſolution.* nil vetat, quominus pupillo ſtipulationi adiecto ſolui abſque tutore poſſit, cùm debitoribus tantum ipſi pupillo debentibus, ad ſolutionem tutoris neceſſaria credatur autoritas *d.* *§. at ex contrario, totus titulus de autorit. tutor.* ne fortè, vt iamiam oſtendimus, ipſius conditio deterior acceptione pecuniæ reddatur. Quod cùm nequaquam pupilli nomine ſtipulationi inſerto, ipſique iam ſolutione numerata, vereri poſsit; nam ex quo tanquã alij reſtiturus accipiat, nil refert, profuſurus ſit, necne: ſemper enim de proprio nil diminuet, & ſi dolo, aut facilitate nummos prodegerit, ex ſuo non rependet: ſibi creditor imputet, qui ſic dilapidaturo ſoluendum cõſtituit, ſcribit Stracha *d. tract. de adiecto p. 3. num. 16.* Sin verò pecunia ſtet, & integra penes pupillum reperiatur, illã ſtipulatori proculdubio coactione reſtituet, *l. 131. de verb. obligat.* Briſonius, & cæteri vbi proximè; quo nequaquã læditur, cùm alienũ, & ſibi nullo iure debitum reſtituat. Nec refragatur ab Accurſio & Bartolo *in d. l. ſi ſtipulatus 9.* ſcriptum, nempe, ei tantum pupillo adiecto ſolui poſſe, qui proximus eſt pubertati, ideſt, qui decimum annum cũ dimidiò exceſsit, vt ſuo loco tradidimus. Nam vt egregie *ibidẽ* interpretatur Imola, prædicti Autores intelligendi ſunt, quoties ſibi à pupillo quis dari ſtipulatus eſt: non verò quãdo ſibi, aut pupillo ſoluendum, ſtipulatione comprehenditur; ſiquidem cùm tali caſu, tãquam adiectus pupillus inueniatur; etiamſi infantiæ proximus ſit, accipiendi legitimam perſonam habebit: ſibi enim imputet ſtipulator qui ita teneræ ætatis homini ſoluendũ decreuit, ſi malè in pecunia ſoluta verſatus pupillus, illam amiſerit: nam etſi furioſus ex lege contractus fuiſſet adiectus, illi ſoluendo debitor liberaretur, Gloſſa *in l. Stichum, §. vſumfructum, verbo Rectè, ff. de ſolutionibus*, & probat late Stracha *dict. tract. 3. p. ampliat. 10. n. 25.* Igitur fortius, ſi adiecto proximo infantiæ pupillo debitum promiſſum exſolueret, ab omni vinculo liberari deberet: quod probant Raphael Cumanus *in d. l. ſi ſtipulatus*, Stracha *vbi proximè num. 16.*

Sed illa anceps magis concertatio eſt, quã 30
in *d. l. 55. de verb. oblig. n. 8.* argutè excitauit Donellus poſt Barr. & Cumanum *in d. l ſi ſtipulatus.* An ſcilicet quoties pupillus donationis cauſa à creditore ſtipulatione comprehenditur, aut ſolutioni adijcitur, vt *in l. Iulianus, §. qui fundum, de verbor. oblig.* ipſi rectè abſque tutore ſoluatur? Quam quidem adeò intrepidè definiuit, vt omni cunctatione ſemota, nec iſti affirmet, tutore autore ſoluendum: huic enim, inquit, promiſſor nec obligatus fuit, nec quicquam præſtare ad liberationem debuit, ſed ſoli ſtipulatori, cui ſi ſolueret, nemo dicet, illic cuiuſquam tutoris autoritatem eſſe neceſſariam.

31 Sed parcat vtique tanti viri autoritas, illi nec ſubſcribere poſſum: fatebor enim promiſſorem pupillo donationis cauſa adiecto, nondum inita ſtipulatione nihil debere: verùm iam perfecta, & cùm pupillus in rem propriam adiectus eſſe incipit, creditoris inſtar habetur, alioquin illi exactio nec forет comperitura, quę cùm ad propriam vtilitatem adiectis minimè denegetur, Angelus *in l. liber homo, §. fin. ff. de verborum obligat.* Pariſius *conſ.* 107. *num.* 47. *lib.* 3. Ruinus *conſil.* 209. *numer.* 9. *lib.* 1. Cardin. Tuſchus *practic. concluſ. iuris, litera A. conc.* 168. *num.* 4. nec pupillo donationis cauſa ſolutioni deſtinato, inhibenda erit, cùm & ad propriam vtilitatem adiectus cenſeatur, Stracha *dicto tractatu* 3. *part. numer.* 16. vbi & ſimul fatetur, ideo *in dict. l.* ſi ſtipulatus promiſſorem abſque tutoris autoritate pupillo ſoluendo liberari: quia ſolutio in creditoris potiùs commodum, quàm pupilli vtilitatem cedebat. Vnde ſi pupillus ſubijcit, animo donandi adiectus eſſet, vt in *dict. l. Iulianus, §. qui fundum, ff. de verborum obligation.* tutoris autoritas in ſolutione exigeretur, vti Bartolus & Cumanus *eadem lege* ſcriptum reliquerūt, argument. *l. ſi ſeruus decem* 68. *ff. de ſolutionibus*, quidquid iſtius textus deciſionē aliter interpretatus fuerit Donellus *vbi ſup. n.* 8. cui nec diſſonum eſt ab Oſualdo *dicto loco* excogitatum *liter. Q.* ſcilicet, ea ratione à debitore impuberi ſimpliciter adiecto factā abſque tutore ſolutionem exiſtere: quia cùm tamquam alij reſtituturus accipiat, nō laboramus, an profuſurus ſit: ergo quoties ita pupillus adijcitur, vt exolutam pecuniam abſque ſpe reſtitutionis ſibi tantùm acquirat, promiſſor inſpicere tenebitur profuſurus an ſit, ne debito inutiliter ſoluto adhuc in obligatione remaneat: quod citra dubium contingeret minùs legitimæ perſonæ ſoluendo, ſiquidem, vt nec diffitetur Donellus, ſtipulator pupillum voluntate donandi ſolutioni adijciens, eo animo eſt, vt velit pecuniam ad pupillum peruenire, & ne illi depereat, quod cum veriſimiliter ipſi, & non tutori ſoluendo contingere poſſit, eius voluntati nequaquam obtemperat debitor aliter ſoluens.

32 Quod vtique minimè locum ſortietur in pupillo, vel puero à creditore ad ſolutam pecuniam accipiendam debitori miſſo: vtputa, ſi cùm mihi Titius centum deberet, puerum miſiſſem, vt illi ſolueretur. Nam cùm iſto caſu, puer nihil præter merum factum acquirat, tutoris autoritas ad ſoluendum neceſſaria non erit: ſimilis eſt enim pupillo ſimpliciter ad ſolutionem adiecto, qui cum minime ad accipiendum tutoris autoritate, vt diximus, indigeat, nec iſte illa eadem ratione opus habebit, tradit ex Baldo Stracha *d. tract. de adiecto* 3. *p. num.* 18.

Colligitur ergo ex ſuperioribus, minori viginti & quinque annorum, ſine tutoris, vel curatoris autoritate, & iudicis decreto, inutiliter ſolui, dummodò pecunia diſſipata, & non in minoris vtilitatem verſa appareat, *l. ait prætor, in principio, ff. de minorib. l.* 1. *C. ſi aduerſus ſolutionem.* Cùm imputari poſſit debitori, quare ſcienter minori ſoluerit, quem nec ignorare debebat ætatis facilitate male profuſurum pecuniam: quę ratio cùm in minore non procedat, qui cum debita ſibi pecunia ad neceſſarios vſus indigeret, propria autoritate à debitoribus exegit: & vti paterfamiliās prudenter expendit, nil debitoribus talis abſque ſolemnitate minori facta ſolutio officiet, Mauric. *de reſtitut. cap.* 176. etiamſi tali caſu poſteà amiſiſſet, à quo nec prudentiſſimus quiſquam præcauere poteſt. Sforcius Oddus *dict.* 2. *part. de reſtitut. quæſt.* 52. *num.* 4. *&* 10. vbi Socinum ſeniorem allegat. *regul.* 263. Paul. de Caſtro *in l.* 1. *C. ſi aduerſ. ſolut.* Curcium Iunior. *in l. contra iuris, in fin. ff. de pactis*, Mantuam *ſingular.* 631. & alios. Nam ſi negligentia, aut imbecillitate illi pecunia interciderit, parum debitori intererit, exigente minore quaſi ad vtiles vſus; ſoluiſſe: debebat enim metu in integrum reſtitutionis, aut minori curatorem ad ſoluendum petere, aut in ædem ſacram vt ſolutio differretur, iudicis mandato deponere, vel, quod idem eſſet, eodem iudice decernente, pecuniam minori ſine curatore ſoluendam, minorem eſſe allegare, qua allegatione non obſtante, ſi compulſus ad ſolutionem fuiſſet, nihil ei imputaretur, *dict. l. ait prætor, in principio, ff. de minori. l. fideiuſſor qui, ff. de minorib.* late Gutierr. *de tutel. dict. part.* 2. *cap.* 22. *numer.* 25. antea Briſonius *dict. lib.* 1. *de ſolutio. verſ. Nunc videamus, fol. mihi* 169. Anton. Gomez *dict. tom.* 2. *variar. capit.* 14. *numer.* 4. *circa finem principij*, quæ ſi in ſolutione minori facta reperiantur neglecta, beneficio reſtitutionis iterum ad ſoluendum adſtringetur.

34 Sed vtrùm & quoad forum interius nuper dicta procedant? meritò abdubitauit Rebellus *de obligationibus dict.* 2. *part. lib.* 1. *capit.* 5. *num.* 54. Cùm nonnulli putarint non eſſe excuſandum minorem à peccato, ſi debitum ſibi ſemel ſolutum, iterum per reſtitutionem exigat, imò teneri ad reſtitutionem, tum debiti recepti, tum damni ſubſecuti: eo nimirùm, quia bona fides non patitur,

tur, vt ſemel exactum iterum exigatur. Ex quo inferri videbatur, quaſcumque leges minori aduerſus ſolutionem ſibi factam reſtitutionem indulgentes, quaſi iniuſtas penitus extirpandas, & obliterandas fore. Quod cùm adeo dictu indecorum Reuello videretur, Prudentum reſponſa, Senatuſconſulta, & denique Prætorum edicta, lethalibus iniuſtitiæ ſpiculis impetere: quæ potiùs ad iuſtitiæ religionem, & cultum prorrupta, rogata, aut edita inueniuntur: illas acuta nimis reſponſione tuetur, quam ex animo ſyllabatim tranſcribam. Reſponderi poteſt eas eſſe pœnales, & præſumere culpam, ac malam fidem in ſoluentibus: tum contra ipſaſmet leges eiuſmodi ſolutionem prohibentes, abſque prædicta ſolemnitate; tum etiam ex natura rei, cûm veriſimile ſit, minores pecuniam receptam debere ex leuitate ætatis ſtatim prodigere: quod cûm non tantûm in minorum damnum, ſed etiam in commune redundet, meritò in pœnam conceſſam fuiſſe à iure huiuſmodi repetitionem minoribus contra ſuos debitores poſt debiti ſolutionem: quoad quantitatem tamen, quæ de perdita fuerit, atque eo beneficio legis abſque peccato illos vti poſſe, non ſecus ac quemuis alium, ſi ius omnibus ſimilem facultatem faceret. Ad regulam verò bona fides dici poteſt, ex vna & eadem omnino cauſa debitum exactum ſemel non pati bonam fidem iterum exigi: ſi tamen poſtquam ex vna cauſa debitum fuerit ſolutum, iterum ex noua cauſa debeatur, vt accidit in propoſito propter culpam ſolutionis factæ minori ſine legitima ſolemnitate; non eſſe penitus contra fidem bonam, quod lege permittente, iterum exigatur: ſi tamen conſtaret debitorem bona fide ſoluiſſe, prior ſententia locum haberet, tunc enim nefas eſſet ſemel ſolutam pecuniam repetere.

SVMMARIVM.

Condonare iniuriam, & de ea pacem inſtituere, pro eodem vſurpatur. 1.
Infans etiam cum tutoris autoritate; de iniuria cum aduerſario paciſci nequit. 2.
Infans quoad remiſſionem iniuriarum, quis dicatur? 3.
Solus pupillus maior decimo anno cum dimidio; cum tutoris autoritate pacem inire poteſt. 4.
Fœmina poſt nonum annum cum dimidio, tutore interueniente, poterit cum aduerſario paciſci. ibid.
Remittere iniuriam, donare eſt. 5.
Donatio, etiam adbibitis ſolemnitatibus, minori prohibetur. ibid.
Ea ſola donatio minoribus interdicitur, ex qua damno afficiuntur. 6.
Minores remittendo iniuriam, an aliquid de ſuo diminuant? 7. 16. & 21.
Remiſſa iniuria, intereſſe, & damna, maximè à minoribus remiſſa non cenſentur. 8.
Anno decimo cum dimidio maior poteſt tutore autore pacem inire. 9.
Iuramentum ſupplet defectum ætatis, & tutoris. ibid.
Pax à minore cum iudicis decreto facta valet, etiamſi tutoris deficiat autoritas. 10.
Iuramentum de pace ſeruanda, à qua ætate, & in quam ætatem obliget? 11.
C. 1. de pace tenenda inter ſubditos, in vſibus feudor. explicatur. 12. & *ſeqq.*
Decimumquartum annum eſſe neceſſarium, vt etiam cum tutore, minor pacem faciat aliqui cenſuerunt. 14.
Sine curatore à qua ætate quis poſſit pacem inire? 15. & *ſeqq.*
Minor aduerſus pacem reſtitutionem petens, non auditur. 16. & *quomodo intelligatur.* 21.
Facultas accuſandi, & remittendi iniuriam, æquiparantur. 18.
Pacem facere, eſt de crimine tranſigere. 19.
Ad tranſactionem vigeſimusquintus annus deſideratur. ibid.
Reſoluitur, quintum & viceſimum annum requiri ad pacem ſine curatore faciendam. 20.

QVÆSTIO XIX.

Remittere iniuriam, & cum aduerſario pacem inire, vt quis poſsit?

1 Suppoſito quòd in idem recidunt, & pro vna eademque re communiter vſurpantur, condonare iniuriam, & de ea pacem cum aduerſario inſtituere, vt ex Baldo *in l. 1. num. 4. C. de reſtitut. in integr.* profert Sforc. Oddus *de reſtitut. 2. part. quæſtion 85. numer. 42.* Congruè vnica hac diſceptatione inueſtigandum decreuimus, quo ætatis anno quis irrogatę ſibi iniurię veniam iniurianti præbere, & cum eo ad pacem; & priſtinam amicitiam poſsit deuenire? Qua in diſquiſitione duplex, & perquam neceſſaria ſubeſt quæſtio, ſcilicet, quot annorum pupillus eſſe debeat, vt cum tutoris autoritate in-

iniuriam remittere queat? & quantæ ætatis adultus, vt ſolus & abſque curatoris interuentu, id ipſum validè perficiat?

2 De prima enim quæſtione apud omnes inualuit, pupillum infantem, etiam tutoris ſui autoritate munitum, prędictæ pacis, & remiſſionis incapacem eſſe: vt poſt Speculator. *in titul. de homin. in princip.* & Nellum *tractat. de Bannitis 3. part. 2. tempor. quæſt. 32. verſicul. Videamus ergo*, teſtantur Iulius Clarus *in praxi criminali, §. fin. quæſtion. 58. verſicul. quæro an tutor*, Octauian. Simoncellus *tractatu de decretis lib. 2. titul. 6. num. 135.* Proſper Farinac. *prax. criminal. tom. 1. quæſt. 15. num. 1.* Quibus conſentit Ioan. Gutiertez *de tutelis 2. part. cap. 7. numer. 2.*

3 Quod non ſolum procedit in eo infante, qui ſeptimum annum non exceſſit, ſed etiam in eo, qui decimum pertingit. Nam licèt ſtrictè loquendo infans is propriè intelligatur, qui ſeptennis non exiſtit, vt ſuo loco indicauimus: attamen in propoſito, infantia latiùs protrahitur, & qui decimum annum agit, infans quoad remiſſionem iniuriarum creditur. Ex ſententia Iacobi Villalpandi *in repet. l. 2 2. tit. 1. p. 7. n. 5.*

4 Cuius ſententia eorum omnium calculo ſatis probatur, qui hac in quæſtione rectè exiſtimant, eos tantùm pupillos, qui decimum annum cum dimidio excedunt, & doli ſunt capaces, pacem cum tutorum ſuorum autoritate inire poſſe, inter quos præcipuum locum obtinent Iacob. de Arena *in l. 1. C. de reſtitut. in integrum*, & Bald. qui *ibidem* notat: quorum ſententiæ meritò adſtipulatur idem Villalpandus, Fachin. *controuer. lib. 9. cap. 43.* Matienzus Iunior *in l. 1. num. 189. ff. de minor.* dum abſolutè docent, minorem, etiam pupillum, tutore, vel curatore autore, abſque iudicis decreto pacē facere non prohiberi: imò ita facere poſſe, vt pace rupta ad pœnam promiſſam teneatur, ex eodem Fachineo *dict. lib. 9. capit. 44.* Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris, litera P. concl. 175. num. 1.* Quibus ego libenter ſubſcribo, iuxta quam opinionem, illorum interpretanda videtur, quæ indiſtinctè aſſerit, maiores infantibus poſſe cum conſenſu & autoritate tutorum nocentibus ignoſcere, & ipſis delictorum ſuorum veniam elargiri, vel eorum nomine cum illis pacem facientibus aſſenſum præſtare. Cuius propugnatores longa ſerie recenſet Proſpetus Farin. *dict. quæſtio. 15. num. 3 12. & 4.* & Ioan. Guticrr. *dict. cap. 7. num. 3. & 4.* quibus addendus eſt Tuſch. *practic. concl. lit. P. concluſ. 174. numer. 32.* Quod etiam & ad pupillas protrahendū erit, quę nonum annum cū dimidio explcuerint, cùm hac ætate mulieres, idem animi robur ac viri in illa obtineant, vt fuſiùs *anno 10.* vbi de ętate, vt quis accuſari poſſit, explicuimus, & alijs in locis.

Aduerſus quam definitionem parum, aut nihil vrgere videtur, quòd remittere iniuriā, donare eſt aduerſario actionem, & accuſandi ius, quod contra ipſum competit, veluti hac in ſpecie conſiderauit Petr. Plaça *in epithome delictor. capit. 45. numer. 7.* Sfortius Odd. *de reſtitut. quæſt. 85. articul. 7. numer. 45.* & Farinac. *dict. q. 15. num. 10. verſ. Et ſimili modo reſpondetur.* Quaptopter cùm cuiuſcumque ætatis minori, quamuis cum tutoris, vel curatoris autoritate, donatio interdicatur, vt ex *l. 1. in princip. verſ. Sed ſi non mortis. ff. de tutelæ & ratio. diſtrahend. l. ſi quando 3. §. cùm autem. C. ſi maior factus alienatio.* & quamplurium interpretum ſententijs *hoc eodem anno 25.* adſtruximus: ſimiliter dicendum videbatur, & remiſſionem iniuriarum ipſis pari modo inhibitam, licèt cum tutorum vel curatorum autoritate. 5

Quia vt appoſitè nimis ſentit Farinacius *loco proximè relato, numer. 11. & 57.* hæc remiſſio iniuriarum ex illis donationibus non exiſtit, quæ minoribus, ipſorumque tutoribus, & curatoribus prohibentur. Etenim illæ ſolummodo liberalitates à voluntate adoleſcentum, & curatorum adminiſtratione excipiuntur, ex quibus nulla vtilitas minoribus, ſed imò rerum ſuarum diſpendium generatur, & ob quas in prouerbium abijt, donare perdere eſſe, *l. contra iuris, §. vltim. ff. de pactis, l. prohibere, §. plane, ff. quod vi aut clam, l. filiusfamilias, ff. de donation.* quod cùm de iſta ſpecie donationis, quæ in concordia à minoribus facta continetur, haud quaquam dici poſſit, ex quo adulti pacem ineundo non perdere, ſed lucrari intelliguntur: cùm eorum plurimum intērſit, inimicitias, quæ ſumptus, & expenſas maximas afferunt, vitare, argument. *l. minoribus 6. ff de minor. cum ſimilibus.* Ideoque minores remittendo iniurias, nihil de ſuo diminuere, ſed potiùs multum acquirere, probantur Anton. Gomez *tractat. de homic. cap. 3. num. 66. verſic. Nec iſto caſu*, Nellus *dict. tractat. de bannitis, diſt. 3. par. 2. ſecund. tempor. num. 32. & ſeqq.* & alij congeſti à Proſpet. Farinacio *d. num. 11.* maximè cùm ab ipſis remiſſa iniuria, intereſſe, & damna remiſſa non videantur, vt per Boſſium *titul. de pace, num. 11.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. de iniurijs num. 13.* Iul. Clarus *in praxi crimin. q. 58. verſ. Quæro.* & alios per Farinacium cumulatos *num. 13. in fin.* Vincent. Carroc. *in cap.*

cap. cum quid, part. 4. *reſponſ.* 5. *num.* 6. *de regul. iuris lib.* 6. Iulius Ferretus *de re militari, cap. de ferijs & inducijs militaribus, pace & tregua num.* 56. & fatetur Ioan. Gutierrez *dict. cap.* 7. *numer.* 9. quamuis in numeris antecedentibus contendat remiſsionem non ſemper vtilem, & lucroſam minoribus eſſe; quia ſæpeſæpiùs accidere poteſt, vt in ipſo contractu pacis lędantur, & pax ſit illis ignominioſa, & damnoſa, vel in omiſſione damnorum, vel eius, quod ſua intereſt. Quod non diffitemur, imo his caſibus inutilem eſſe pacis conuentionem affirmamus cum Sforcio *dict. q.* 85. *artic.* 7. *num.* 44. cui idem Gutierrez aſſentitur *num.* 15. vbi & illam rationem afferr, quia tunc minor eum tutoris vel curatoris autoritate, vel tutor ſolus, pacem promittere poteſt, quoties talis promiſsio minoribus expediens, & vtilis iudicatur, vt ex innumeris Scriptoribus à Farinacio cumulatis *num.* 63. licet colligere.

9 Ex quibus omnibus ad propoſitę quæſtionis reſolutionem elicitur, pupillum decimo anno cum dimidio maiorem ita demum pacem cum aduerſario ſtabilire poſſe, & à propoſita accuſatione deſiſtere, ſi tutoris autoritatem adhibeat. Alioqui enim, concordia velut ab eo facta, qui illegitimæ ætatis erat, nullitatis defectu laborabit, niſi iuramenti religione fuerit vallata. Nam cùm iuramentum faciat minorem haberi pro maiore, vt poſt Gloſſam *in authent. ſacrament. puber. C. ſi aduer. vendit. & in l.* 2. *gloſſa* 2. *C. de reſcindend. vendit.* tradunt Anton. Gomez *de contractibus, capit.* 14. *numer.* 18. Iodoc. Danauder. *de pupillorum patrocinio, titul. de tutorum vel curator. munere capit.* 7. *numer.* 48. Clemens Amerinus *tractat. de patria poteſtate, effectu* 4. *numer.* 46. Borgnin. Caualcan. *tractatu de tutore, numer.* 168. Simoncellus *tractat. de decret. lib.* 3. *titul.* 8. *inſpect.* 18. *num.* 133. Proſper. Farinac. plurimos referens more ſuo *dict. quæſt.* 15. *numer.* 31. 32. *&* 33. vbi & *numer.* 34. idem in proximis pubertati aſſerit, multorum in eandem ſententiam accerſitis ſuffragijs. Inde eſt, eodem modo, aut fortiùs, pupillum proximum pubertati pacem cum iuramento ineuntem obligari, ac ſi cum tutoris autoritate, vel iam maior factus perfeciſſet. Quam eſſe communem ſententiam, & per totum mundum ſeruari, probat Ioan. Gutierr. *d. cap.* 7. *numer.* 23. *&* 24. vbi & alios idem aſſerentes adducit, Farinac. *tom.* 1. *praxis criminal. titul.* 2. *q.* 15. & eo relato Matienzus Iunior *vbi ſuprà num.* 190.

Non aliter atque ſi loco tutoriæ autoritatis, ſupra dictę ætatis impubes iudiciale decretum interpoſuiſſet: tunc enim cùm iudicis decretum tutoris ſuppleat defectum, in his quæ ipſius dumtaxat autoritate poterant rectè à pupillo expediri, ex diſtinctione Simoncelli *dict. lib.* 3. *tit.* 7. *inſpect.* 2. *num.* 25. *& ſequentib.* cui adhæret Farinacius *num.* 40. conſequens eſt, quòd cùm ad pacem à pupillo proximo pubertati faciendam nihil præter tutoris autoritatem deſideretur, ex his quæ latè adducit Tuſch. *vbi ſup. conc.* 175. *num.* 2. Farin. *d. q. num.* 1. *cum ſequent.* aduerſus quam fruſtra inſurgit Ioan. Gutierrez *dict. capit.* 7. *à numer.* 12. vt interpoſitio decreti tutoriæ autoritatis vicem obtineat, ita vt perinde valeat pactum remiſſionis iniuriarum, aut paternæ necis, ac ſi interueniente ipſo legitimo tutore fuiſſet à pupillo celebratum. Extra quos caſus minimè pupillo licebit ſine tutoris aſſenſu, vel ante accuſationem ius acuſandi remittere, vel poſt inſtitutam accuſationem ab ea deſiſtere. 10

Sed ſuperiori limitationi, qua ſine tutoris autoritate pupillum decimo anno cum dimidio maiorem, ex conuentione pacis ſacramento fulcita, obligari diximus, bellum inferre videtur Imperatoria Friderici conſtitutio *in capit.* 1. *de pace tenenda inter ſubditos, & iuramento firmanda*, vbi præcipit, vt iuramento de pace ſeruanda à decimo octauo anno quis, vſque ad ſeptuageſimum adſtringatur. Ex quo infert *ibidem* Gloſſa & Bald. quos ſequitur Bertachin. *verbo Minor, verſ Minor* 18. *annis, fol. mihi* 167. quòd minor, qui decimum octauum annum expleuit, pro bono pacis obligatur iuramento; quia vt *eodem loco* obſeruat Albarotus *num.* 2. hæc eſt legitima ætas ad pacem iuramento firmandam: ergo gratis & cõtra iuris regulas, à decimo anno cum alterius dimidio, huius religioſi vinculi initium deſignamus. 11

Hanc difficultatem parum negotij afferre ſcribit Stephan. Lamberteng. *tractat. de contractib. gloſſa* 1. *num.* 348. quia *dict. cap.* ſolùm diſponit, qua ætate quis teneatur iurare Imperatori de obſeruanda generali pace, & locum non habet in iuramento pacis ſpecialis cum inimico ipſius minoris factæ, ex mente Gloſſæ, Baldi, & Præpoſiti, quos ibidem adducit, cui interpretandi modo ingenuè conſentit Proſper. Farinac. *dict. q.* 15. *num.* 35. *in fine.* 12

Verùm prædictæ expoſitioni, & Frederici reſcripto, ipſemet Imperator ſibi contrarius repugnare videtur *lib. de pace conſtantiæ*, 13

tiæ, cap. in cauſis, §. vaſſalli noſtri. inquiens, ciues à ſexdecim annis vſque ad ſeptuaginta pacis iuramento irretiri. Quæ iura adeò inter ſe diſſidentia exiſtunt, vt nulla poſsint ratione in concordiam redigi, niſi aſſerendo vtrumque in generali pace loqui, Imperatori à ciuibus iuramento promittenda, non verò in particulari cum inimicis minorum ineunda; ſed ideo nouiori hac conſtitutione minorem fuiſſe ab eodem Imperatore annorum numerum præſcriptum, vt eo elapſo neceſſariò ad pacem iurandam adoleſcentes compellerentur, quia re maturiori conſilio deliberata conſtitit decimo ſexto anno, quo id fieri præcipitur, iam incipere poſſe bellum, & ſeditionem excitare, licèt ad id niſi à decimo octauo anno non adſtringi, alibi probauerimus. Quod affirmat Andreas de Iſernia *in dict. cap. 1. de pace iuramento firmanda num.* 5. vbi etiam admonet, quòd ſi ante prædictum tempus voluntariè offerantur, debent admitti. Vnde affabrè infertur, nõdum decimooctauo anno expleto, iuuenes ad pugnas, & commotiones idoneos reperiri,
13 alioqui quamuis vitronee militiæ nomina dediſſent, veluti inutiles reſpui deberent.

14 Conſtat ergo ex ſuperioribus, nihil obſtare, quominus profiteamur, maiorem decimo anno cum dimidio, adhibito tutore, vel præſtito iuramento, pacem de propria iniuria, aut parentis occiſione, validè promittere poſſe, quamuis ad hoc decimumquartum annum, nulla ductus ratione, ex poſcere videatur Gloſſ. *in d. c. 2. verbo, A decimooctauo anno*, quam ſequitur Iſernia *ibidem n. 3.* & Iulius Ferretus *de militia d. c. de ferijs, ſeu inducijs militar. tregua & pace num.* 51.

15 Succedit nunc ſecundæ quæſtionis inueſtigatio, in qua aientium, & negantium opiniones ambiguam nimis illius definitionem reddunt. Aliquibus etenim nulla certa deſignata ætate placuit, adoleſcẽtibus, hac in parte ita fore indulgendum, vt ex ſua perſona, & ſine curatorum autoritate veniam cum aduerſarijs vtiliter paciſci poſſint: ideoque quaſi irrefragabile pronuntiatum cõſtituunt pacem poſſe fieri, promitti, & ſtipulari à minoribus, abſque curatorũ interpoſitione. Iſtius ſententiæ ſunt Dinus *in l. Diuus in apoſtill. ff. ad Sillanian.* Ioann. de Amicis *conſil.* 88. *num.* 1. Nicol. Morocius *tract. de fide, tregua & pace, part. 2. q. 48. num. 4. & ſequent.* Afflict. & alij, quorum meminit Franciſcus Viuius *commun. opin. tom. 1. opin. 222. num. 11. & tom. 2. opin. 564. num. 2.* Iulius Ferretus *d. cap. n.* 182.

16 Et mouentur, quia ex contractu, ſeu conuentione pacis, vt nuper probauimus, minores nullo afficiuntur damno, ſed imò lucrum maximum capiunt, vt expendit Sforcius *d. q. 85. à num. 46. cum ſequentibus.* Vnde eſt, quòd regulariter aduerſus eiuſmodi pacta reſtitutionem petentes non audiantur. Ita Sforcius *dict. q. 85. per totam*, quia læſi non intelliguntur, Viuius *dict. opinione 564. num. 2.* Farinac. *multis hoc probans d. q. 15. n. 28. ampliat. 4.* Ferretus *de remilit. d. cap. n. 182.* Card. Mantic. *de tacit. & ambig. conuention. lib. 27. tit. 3. n. 10.* Ioan. Gutierr. *de tutel. d. 2. p. c. 7. nu. 25.* ergo per ſe ad pacis obſeruationem obligari poterunt, vt tenet expreſſe Bald. *in dict. cap. 1. verſic. Facit, & verſicul. Quærit Gloſſa, de pace tenenda*, quem ſequitur Iulius Ferretus *relato capite numer. 49.* ſiquidem ad ea, ex quibus eorum conditio melior redditur, tutoris, vel curatoris autoritas neceſſaria non eſt, argumento text. *in principio, inſt. de autor. tutor. cum vulgaribus.*

Reliquis verò Scriptoribus, quibus huius veritatis indagatio obtigit, magis arridet 17 cuiuſcumque ætatis minores ad fœdus pacis ſine curatoribus ineundum, legitimas perſonas nõ ſortiri, ſiquidem illi dumtaxat per ſe, & abſque indigentia curatorum id liberè efficere valent, quorum vitæ ſpatium vigeſimumquintum annum exceſſit. Quam opinionem ſupponere vidẽtur omnes relati à Proſpero Farinac. *d. q. 15. num. 2.* Ioan. Gutierr. *allegato c. 7. num. 19.* quos tranſcribere moleſtum foret, ipſiſque addendus eſt Petr. Cauallus *reſolut. crimin. centur. 1. caſu 18. num. 12.* vbi maiores, inquit, ſimpliciter poſſe facere pacem, Fachineus *tom. 1. controu. 2. p. cap. 43.*

Cuius opinionis præcipuum fundamentum 18 eſt, quòd in iure facultas accuſandi, & remittendi iniuriam, æquiparantur, vt ex Anton. Gomez *reſolut. variar. tom. 3. cap. 3. tit. de homicidio num. 61. & ſequentib.* Plaça *de delictis lib. 1. c. 39.* Claro *in praxi quæſt. 58.* & alijs tradit Farinac. *dict. tom. 1. quæſt. 13. num. 1. & q. 15. n. 42.* Sed minores viginti & quinque annorũ ad accuſandum nõ admittũtur, niſi cum autoritate ſuorum curatorum, vt *hoc eodem anno* affatim oſtendimus; ergo nec poterunt remittere iniuriam, aut pacem de ea, vel parentum morte facere ante prædictam ætatem, vt ſentit in propoſito Villalpand. *in dict. repetitione l. partit. caſu 4. num. 1.*

Deinde confirmat hanc eandem ſenten- 19 tiam manifeſte, quòd pacem facere, nihil aliud eſt, quàm de crimine, vel iniuria tranſigere, *l. tranſigere 18. C. de tranſact.* & colligi poteſt ex his, quę ſcribit Gutierr. *dict. c. 7. n. 13.* vbi id in ſpecie probat, & Helfricius

cius Vlric Hunn. *de tranſact. cap.3. exercitat.4.* Quapropter cùm ad tranſactionem quinque & viginti annorum ętas deſideretur, vt tradit Simoncellus *tractat. de decretis lib.2.titul.8. inſpect.10. à num.99.* Et à nobis commonſtratur *hoc anno* ſuo proprio loco,dubium nõ eſt, & ad iniuriarum remiſſionem, aut pacis contractum eandem requiri.
20 Ideoque poſterior hæc opinio,quę communi Interpretum calculo recepta,& approbata eſt, nobis verior videtur, & tenenda, etiam in mulieribus, quia ad hoc vt fœminæ aliquid ſine curatorum ſuorum autoritate agere poſſint, regulariter eadem ętas viginti & quinque annorum, quæ in viris exigitur, vt cum Sforcia *dict. tractatu de reſtitut.part.1. quæſt.2. artic.4.* ſæpeſæpiùs notauimus.

21 Qua ſententia retenta parùm nocet vnicum aduerſæ opinionis præſidium, quia licèt, abſolutè loquendo, pax vtilis & conueniens minoribus videatur: attamen quia aliquibus in caſibus damnoſa, & iniuriæ plena eſſe poteſt, vt conſiderat Gutierrez *loco proximè relato num.16. verſicul. Nec obſtat*; propter huiuſmodi periculum curatorum ad eam paciſcendam autoritas expoſcitur: cùm minùs lędi minores credantur curatoribus contrahendo, quàm ſi per ſe tantùm contractum, vel quid ſimile inirent: minuſque refragari videtur, ex eo non reſtitui aduerſus pacem,quia ſemper vtilis eſt: ſiquidem hoc ita intelligi debet, vt ex eo ſolùm, quòd pacem fecerunt minores, reſtituendi non ſint, niſi euidentiſſimis probationibus oſtẽderint aliquòd graue damnum ex tali remiſſione fuiſſe paſſos,prætextu cuius reſtitutio etiam contra pacem detur, vt ex traditis à Sforcia *d.art.7.à num.57.* optimè patet.

SVMMARIVM.

Dupliciter maioratus conſtitui poteſt, contractu,vel vltima voluntate. 1.

Poſt decimumquartum annum,maſculum, & poſt duodecimum fœminam,vltima voluntate poſſe maioratum inſtituere, apud omnes conuenit.ibid.

Quando,tam viris, quàm fœminis liceat teſtamentum condere? 2.

Non liceat impuberi primogenium teſtamento inſtituere,quamuis ipſius validitas conferatur in tempus maioris ætatis. 3.

Pro validitate actus ſemper coniectura ſumitur. 4.

In dubio maioratus cenſetur factus tempore legitimæ ætatis.ibid.

Ætas ad actum neceſſaria præſumitur, probato actu. 5.

Pupillum poſſe contractu interviuos maioratum facere,putat Gregorius Lopez. *6.*

Minorem viginti & quinque annis, niſi iuramento non poſſe interviuos maioratum condere, vt certius admittitur. 7.

Quoad ordinationem, maioratus ſequitur naturam contractus. 8.

Minor, etiam iudicis decreto interueniente, donare prohibetur. 9. & 11.

Donatio,quæ maioratui ineſt, an ſit cauſa mortis, vel interviuos? 10.

Ex Principis diſpenſatione impubes poteſt maioratum contractu facere. 11.

Princeps niſi cum doli capace diſpenſare nequit; vt vel teſtamentum, vel maioratum efficiat. 12.

An vtilitas, quæ ex maioratus fundatione fundatori, & ipſius familiæ reſultat, ſit ſufficiens, vt à minore inſtitutus debeat ſuſtineri? 13.

QVÆSTIO XX.

Maioratum inſtituere, qua ætate quis poſsit?

Dupliciter enim ſolet maioratus conſtitui, aut cõtractu inter viuos, aut vltima voluntate, & in teſtamento. Poſteriori hoc caſu apud omnes conuenit, maiorem quatuordecim annis, ſi maſculus ſit,& duodecim ſi fœmina, etiam ſine curatoris autoritate proculdubio maioratum inſtituere poſſe. Sic docent poſt antiquiores Mieres *de maioratu 1.p.c.1.n.103.in fin.* Molina *de primog. lib.2.c.9.n.6.* 1

Et meritò,cùm hac ętate,& non anteà,ſiue vir,ſiue fœmina,nullo adhibito curatore teſtari valeat.*l.qua ætate,ff.de teſta. l. Aurelio, §.Gaius, ff.de libera.leg.* vbi obſeruat Gloſſ. *verb.Intra legitimam, l.cùm pater, §.curatori,ff.de leg.2.l.ſi frater, C.qui teſtam fac.poſſ.* iunctis pluribus alijs, quæ in ætate ad teſtamenti factionem diligenter congeſsimus: ergo tunc ſolummodò teſtamento poterit primogenium condere. 2

Quod adeò verum putat Mieres *dict. loco*, vt licèt ipſo teſtamento conferatur validitas maioratus in tempus maioris ætatis, adhuc neget à minore quatuordecim annis vtiliter poſſe conſtitui, argumento *l. ſi minor 4. ff. de ſeruis exportandis*, cùm ibidem communiter notatis; quibus conſentiunt quæ ſcribit 3

bit Peralta *in l. hæredem, numer. 81. ff. de legat. 2.*

4 Hinc eſt, quòd cùm pro validitate actus ſemper coniectura ſumatur, *l. quoties, ff. de reb. dubijs, l. quoties, ff. de verb. oblig. l. ſi quando, ff. de leg. 1.* cum multis congeſtis ab Aug. Barboſa *axiomat. iuris, axiom. 12. num. 17.* ſi quis fecit maioratum, & dubitatur, vtrùm tempore, quo illum fecit, fuerit pubes, vel impubes? potius præſumitur fuiſſe puberem, & maiorem quatuordecim annis, veluti ex ſimili doctrina Innocentij & Felini reſoluit idem Mieres *ibid. verſ. Et eſt animaduertendum.*

5 Inde etiam inferens, quòd vbicumque allegatur actus certam ætatem deſiderans ad ſui validitatem, probato actu, præſumitur ætas ad illum actum neceſſaria, vt notat Guilielm. Benedictus *in c. Raynunt. verb. Adiectæ n. 19. de teſtam.*

6 Cæterùm priori caſu, vbi non teſtamento ſed contractu inter viuos maioratus conficitur, non ſatis inter Scriptores conuenit, qua ætate is fieri debeat, quoniam doctiſſimus Greg. Lop. *in l. 4. verb. Algun pro, tit. 11. p. 5.* autoritate *d. l.* qua cauetur, quòd *Si por razon del prometimiento que fizieſſe el pupilo, ſe le ſiguieſſe alguna pro, valdria el prometimiento que fizieſſe,* ipſe infert, poſſe pupillum per contractum, ſeu donationem interviuos facere maioriam in filium, vel alium ſibi ſucceſſurum, cùm ex hoc & ipſe, & eius proſapia conſequatur vtilitatem.

7 At Gregorio in hoc nec vllus aſſentitur, imò omnes, velut coniuratione facta, coutra illum inuehuntur, præſertim Mieres & Molina *vbi ſup.* iſte *num. 9.* ille *d. n. 113. in principio,* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem habens, verbo hunc contractum, nu. 22. verſ. Ex quo eleganter.* P. Thom. Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 38. num. 10.* qui vt certius, & iuri magis congruentius profitētur, minorem viginti & quinque annis non poſſe in contractu, vel donatione, abſque tutoris, vel curatoris autoritate maioratum inſtituere, niſi iura-
8 mento id faciat. Tum, quia, vt inquit Molina, cui adſtipulatur Caldas, quoad ordinationem maioratus ipſe ſequitur naturā contractus, quē proculdubio minor neglecto curatore celebrare nequit, *dict. l. ſi curatorem,* cum ſimilibus à nobis alibi adductis, & addu-
9 cendis. Tum etiam, quia dato quòd minori liceret abſolutè contractus celebrare, adhuc maioratum, quamuis adhibitis ſolemnitatibus, minimè condere poſſet, quia meram donationem inuoluit, minoribus omnino interdictam, etiam iudicis decreto interueniēte, *l. 1. in princip. verſ. Sed et ſi non mortis, ff. de tutela, & rationib. diſtrah. l. ſi quando 3. §. cum autem, C. ſi maior factus alien. l. 1. tit. 4. p. 5.* niſi certis caſibus, de quibus per Simoncellum *tract. de decretis lib. 1. tit. 2. inſpect. 1. num. 1.* quorum & nos ſuo loco exactè meminimus.

Nec obſtabit ſi dicas, donationem maio- 10
ratui neceſſariò imbibitam, non vtique interviuos eſſe, & minori prohibitam, ſed imò cauſa mortis, quæ puberi, licet minori, permittitur, ex ſupra traditis *anno 14. q. 49.* vt probat Velazquez de Auendañ. *in l. 44 Tauri, gloſ. 3. num. 2. & 3.* affirmans, quòd bonorum conceſſio filio maiori, & eius deſcendentibus in perpetuum facta, licèt donatio propriè ſit, cùm in contractu fiat: tamen quia facta poſt mortem donatarij, reſpectu cæterorum filiorum, ſeu deſcendentium mortis cauſa donatio rectè dicitur ex *l. 1. & 2. l. Seia de donation. cauſ. mort.* cum ſimilibus, quia vt idem Auendañus *eod. loco* fatetur, talis donatio ſolùm quoad reuocabilitatem, non verò quoad cæteros effectus mortis cauſa cenſetur, ex *d. l. 44. Tauri,* vbi ſtatuitur, quemcumque maioratū, ſiue contractu, ſiue vltima voluntate, etiam Regia facultate confectum, liberè poſſe reuocari.

Vnde dubitandum occurrit, an ſententia 11
Pelaez de Mieres *in d. q. 1. n. 113.* non longè à principio, ſit dictis cōſona? aſſerit enim, impuberē ex Principis diſpenſatione poſſe maioratum inſtituere, quod inquam in dubium ex hactenus dictis ſatis reuocatur: nam cùm certū ſit, maioratū contractu inter viuos conditum, donationē eſſe: hācque neque pupillū, neque minorē alium, etiā iudicis decreto facere poſſe, vt probant iura ſupra relata, & docent ex Interpretibus, vltra Simoncell. *dict. loco,* Sforcia *de in integr. reſt. 2. p. q. 58. art. 1. n. 2.* Mauricius *eodem tract. c. 207. num. 4.* Mozzius *de contract. vbi de cōtract. donation. c. de perſonis, inter quas cadere poſſit donatio, n. 3.* Tuſch. *pract. concluſ. lit. D. concl. 682. n. 1. & lit. M. concl. 247. n. 1.* Alijque, quorum ſeriem videbis ſuprà in ætate ad donandum inter viuos, *hoc eodem anno:* videtur equidem idē etiā eſſe dicendū, quamuis loco iudicialis decreti Regia facultas, ſeu diſpenſatio accedat, vt nihilominus maioratus nequeat ab impubere inſtitui. Sed contrariū verius eſt, vt optimè arbitratur Mieres, quia cùm hæc prohibitio maioratū inſtituendi facta impuberi, ſit ex iure ciuili introducta, Princeps tā quā lex viua, eam derogare poteſt, *l. 17. & 18. cum ſimilib. tit. 1. p. 1.* Quod iudici nequaquam licebit, licèt ſuo decreto id præcipiat, quia nō eſt ipſe lex, ſed legis tantū miniſter.

Quod tunc ſolùm verum intelligerem, quo- 12
ties impubes, cū quo Princeps ad maioratus in-

inſtitutionem diſpenſat ſit doli capax, vt inſinuat Mieres *dict. loco*, & in ſimili voluit Bartolus *in l. ſi quæramus num. 6. ff. de teſtamentis*, & Angelus *in l. vltim. C. de teſtam. milit.* dicens, per ſtatutum fieri poſſe, quòd impubes doli capax teſtetur. Nam ſi omni dolo, & intellectu deſtituatur, cùm tunc pupillus naturali impedimento laboret, vix in eo poterit Princeps diſpēſare, cuius poteſtas circa naturalia inanis eſt, §. *ſed naturalia inſtut. de iure naturali gent. & ciuil.* etſi non mela-tear, Paul. Caſtrenſ. *in l. reſcripta, C. de precib. Imper. offer.* & Anton. Gomez *in l. 3. Tauri num. 3. & 4.* apertè docuiſſe Principi licere cum impubere non doli capace diſpenſare, ad effectum teſtandi, ſed neſcio qua iuſta ratione id tuentur.

Sed vtut ſit, illud autem in comperto eſt, quod nuper oſtendimus, nempe, quinto & viceſimo anno minorē, ſiue maſculum, ſiue fœminam, à maioratus inſtitutione per viam donationis, vel contractus prohiberi, niſi Regia diſpenſatione ipſius defectus suppleatur, vel niſi iuramento dictum contractum firmauerit, vt poſt Molinam *dict. lib. 2. c. 9. num. 8.* tenet Sanchez *dict. diſputat. 38. num. 10.*

13 Quibus nō aduerſatur ratio Greg. Lopez, qua deceptus contrarium defendit, vt initio retulimus: quia vtilitas, vel commoditas, quę ipſi pupillo, eiuſque familiæ ex maioratus fundatione à ſe facta acquiritur, non eſt tanti momenti, vt ſola per ſe, abſque alijs ſolemnitatibus ad actus validitatem ſufficiat, argumento eorum, quæ tradunt Romanus *conſil. 199. n. 9.* Tiraquel. *de vtroque retract. tit. 1. in præfatione n. 51.* Tuſch. *pract. concl. lit. D. concl. 682. n. 9.* vbi docet, quòd licèt regulariter minori, quamuis cū decreto, prohibeatur donatio: ſi tamē ab ipſo in proprios ſucceſſores fiat, hæc vtilitas ſufficiet, vt accedentibus ſolemnitatibus curatoris, & iudicis, talis donatio velut ex iuſta cauſa ſubſiſtat: non verò vt ipſa per ſe quaſi pupillo, & ſucceſſoribus vtilis valeat.

SVMMARIVM.

Seruitus realis, vel perſonalis, à minore quinque & viginti annis conſtitui nequit. 1. & 8.

Seruitutis impoſitio, alienatio eſt. 2.

Alienatio minoribus eſt interdicta. 3.

Conſtitutio ſeruitutis eſt mera liberalitas, & donatio. 4.

Minor donare nequit. 5.

Quis propriè dicatur ſeruitutem imponere, an qui patitur proprias ædes ſeruire, vel qui ipſarum ſeruitio vtitur? 6. & ſeqq.

D. Didac. de Narbona.

Vſusfructus non poteſt à minore conſtitui. 9.

Vſusfructus eſt pars dominij. 10.

QVÆSTIO XXI.

Num ſit aliqua ætas requiſita pro vſufructu, vel ſeruitute conſtituenda?

A Nemine, quem viderim, hoc in examen adducitur; mihi tamen videtur, maiorem quinque & viginti annorum ætatem ad ſeruitutis realis, vel perſonalis conſtitutionem ſummè eſſe neceſſariam; vt vel ex ſequentibus planè elucebit. 1

Et primitùs, quia ſeruitutis impoſitio alienatio eſt, vnde cū lex, vel teſtator alienationē inhibet, etiā ſeruitutis impoſitionē prohibuiſſe videtur, *l. vlt. §. fin. C. de reb. alien. non alien.* docet Mauric. *de reſtitut. in integ. c. 207. n. 4.* Anton. Gomez *in l. 40. Tauri n. 85.* Molin. *de primogen. lib. 1. c. 20. n. 1. & 2.* Portol. *de conſort. c. 12. n. 3.* Quaranta *in ſumma Bullarij verbo alienatio n. 21.* Molin. *de iuſtit. tract. 2. diſput. 464.* Fuſarius *de ſubſtit. q. 527. per totā.* & alij ſecuti per Auguſtin. Barboſam *de appellat. verbor. vtriuſque iuris appellatio. 14. n. 10.* Cæterū quæuis alienatio hac ætate minoribus interdicitur, vtpote rerum ſuarū adminiſtrationē nō habētibus, *l. 1. §. ſi fortè, ff. de reb. eor. l. 2. l. prædia ruſtica, & l. fin. C. de prædijs & alijs reb. minor. l. 1. de minor. §. nūc admonendi inſtit. quibus alienare licet, vel nō*, cum alijs ſuprà *hoc anno* adductis, vbi oſtēdimus, cuius ætatis hominibus ſit rerum ſuarū alienatio permiſſa: ergo & ſeruitutis conſtitutio pariter ipſis ablata cenſebitur? 2 3

Deinde accedit, quòd ſeruitutem cōcedere, eſt propriè liberalitas & donatio, vt iuris extat vel exploratiſſimi, & reſoluit in propoſito Ioan. Mauritius *d. c. 207. n. 4.* ideò concludens, minorem proprias ædes ſeruituti minimè ſubijcere poſſe, & ſuadetur ex modo conſtituendi, cuius meminit Iacob. Cuiacius *in l. 2. ad finem de ſeruitut.* vbi inquit, ſeruitutē, maximè inter viuos, nō niſi ceſſione, datione, & traditione conſtitui. Vnde vulgò circumfertur, & alibi docet idē Cuiacius, ſtipulationem ſeruitutis in dando cōſiſtere: atqui donandi poteſtas maioribus ſolùm permittitur, quibus ſupra vigeſimūquintus annus effluxit, teſtante Conſulto *in l. 1. in princip. verſ. Sed etſi nō mortis, ff. de tutel. & ratio diſtrah.* & Imperatore *in l. ſi quando 3. §. cùm autem, C. ſi maior fact. alienat.* Hiſpanoque noſtro Cæſare & Legumlatore *in l. 1. tit. 4. part. 5.* Quibus addenda ſunt quæ cum hoc latiùs proſequeremur ſuprà *hoc anno* congeſſimus. 4 5

Oo Sed

6 Sed videntur hęc omnia futilia, & nõ magni ponderis eſſe, quoniam non donat, cedit, vel ſeruitutem imponit is, cuius prædium, aut ædes ſeruituræ ſunt: imò ille cui ſunt ędes ſeruituræ, vt deducitur ſingulariter ex Cõſulto in *l. & ideò 5. ff. ſi ſeruitus vindicet.* ibi: *Et ideò ſi inter meas & Titij ædes tuæ intercedant, poſſunt Titij ædibus ſeruitutem imponere. Ne liceat ei altiùs tollere.* Idem probatur ex *l. quod conclaue 47. ff. de damno infecto*, & animaduertit Onezius *obſeruat. cap. 46. ad finem, verſic. Sicut & illud:* ergo quamuis ſeruitutem imponere, ex natura ſua donare, cedere, & alienare ſit, cùm is non imponat, qui alteri ſeruire proprias ædes patitur, ſed qui earum ſeruitio vtitur, nihil obſtat quominus patientia hæc poſſit à minori liberè præſtari, cùm hoc minimè ſit ſeruitutem imponere.

7 Verumtamen non difficulter reſpondetur, vno vel altero hoc caſu, impropriè eum dici ſeruitutem imponere, cuius ædes ſeruæ futuræ ſunt. Nam propriè & regulariter is tantùm imponit, cuius ſunt ædes ſeruituræ, vt in *l. Iulianus, de fundo dotali; l. ædificium, l. ſi quis ædes, l. nemo, de ſeruitut. vrban. prædior. l. ſi is cui, §. 1. quemadmodum ſeruit. amittat*, & pluribus alijs in locis.

8 Cæterùm vt ad inſtitutum reuertamur, huius quæſtionis definitio probatur expreſſe ex *l. ſed ſi pecunia 3. §. ſimili modo, ff. de reb. eorum*, vbi ita cauetur, *ſimili modo dici poteſt, nec ſeruitutem imponi poſſe fundo pupilli, vel adoleſcentis, nec ſeruitutem remitti*, quoniam hæc alienatio eſt, quæ minoribus, etiam interueniente curatore, abſque iudicis decreto omninò prohibetur, vt ſæpiùs notauimus, & de vſufructu loquens tradit Octauian. Simoncel. *de decret. lib. 2. tit. 6. inſpect. 3. n. 29.*

9 Ex cuius doctrina, & ex ſuperioribus deducitur, nõ ſolùm minorem prohiberi reales, ſiue prædiales ſeruitutes conſtituere: ſed etiam perſonales, vt vſum, & vſumfructum, quorum datio manifeſtam continet alienationem, *d. l. ſancimus 7. in fine principij, C. de reb. alien. nõ alien. l. ſed ſi pecunia. 3.* ibi: *Sed ſi proprietatem habeat pupillus, non poteſt vſumfructum, vel vſum alienare, quãuis oratio nihil de vſu-*
10 *fructu loquatur.* Quibus ſuffragatur, vſumfructum partem eſſe dominij, *l. Meuius 66. §. penultim. l. 76. §. dominus 2. de legat. 2. l. qui vſumfructum 58. de verbor. obligat. l. 4. de vſufruct.* maximè vbi non eſt ſeparatus à proprietate, vt cum Donel. *lib. 9. comment. cap. 9.* & Merul. *in conciliatore p. m. 710.* multi docẽt, etſi aliud voluerint relati ab Oſualdo *ibidem litera C.* Ergo alienari à minore nequaquam poterit, non magis ac ipſius fundi dominium.

SVMMARIVM.

E*Xploranda eſt ætas feudum concedentis. 1.*

Pupillus, aut minor curatorem habens feudum concedere nequeunt. ibidem.

Inueſtitura veteris beneficij, poteſt à minore fieri. 2.

Non videtur alienare, qui veterem alienationem renouat. ibidem.

Nouum feudum concedere, ſolùm maiori viginti & quinque annis permittitur. 3.

Filius minor poſſeſſionem feudi, poſt cuius cõceſſionem pater deceſſit, tradere poteſt. 4.

QVÆSTIO XXII.

Ad feudum concedendum?

MEritò dixit Forcatulus, vt etiam 1
alibi notauimus, *commentario de iuribus feudorum cap. 4. num. 17.* explorandam eſſe ętatem feudum concedentis. Nam pupillus non poteſt quemquam inueſtire, nec minor curatorem habens, quia & pupillo comparatur, *l. ſi curatorem, C. de in integrum reſtitution.* vt vtrumque optimè probat Duarenus *in conſuetud. feudor. cap. 6. num. 10.* certa diſtinctione definiens, legitimæ, & maioris ætatis eum eſſe debere, à quo non diſſentit Maurus Burgius *tractatu de laudimio part. 1. inſpectione 4. num. 5.* vbi inquit pupillum non poſſe nouum emphyteutam inueſtire, nec puberem poſt decimum & quartum annum, niſi autoritate curatoris, vel iudicis competẽtis. Quod vt faciliùs expediatur, ſciendum erit, duplicem eſſe dationem, ſiue inueſtituram feudi, aliam veteris, & aliam noui beneficij. Veteris 2
beneficij eſt, quæ fit à ſucceſſore domini, vel ſucceſſore vaſſalli mortuo domino, vel vaſſallo, *capit. 1. de probatione inueſtituræ in vſibus feudorum:* & hanc quidem rectè poteſt minor viginti & quinque annis facere, *cap. 1. de inueſtitura veteris vel noui beneficij,* tradit Petrus Gregor. *lib. 6. ſyntagm. c. 7. n. 3.* & Burgius *vbi ſuprà:* quia nec contractus eſt, nec alienatio, vt inquit *ibidem* etiam Iacob. Cuiacius, cùm non videatur alienare, qui veterem alienationem renouat, vti argumento *l. 1. §. aquæduct. ff. de aqua quotidian. & æſtiua,* ſentit Duarenus *loco vbi ſupra.*

Noui beneficij inueſtitura eſt, ex qua pri- 3
mùm formam ſuã, & originẽ feudum accipit, quæ quia contractus eſt, & alienatio, non niſi

ab

ab eo, qui iuſtæ ætatis eſt, liberamque habet rerum ſuarum adminiſtrationem, impedi poreſt *dict. cap. 1. de inueſtitura veteris vel noui beneficij*, vbi etiam notat Cuiacius, Duarenus, & Forcatulus *dictis in locis*. Nam qui alienare nequit, nec feudum incipere *dict. cap. 1. per quos fiat inueſtitura*.

4 At verò, ſi pater nouum feudum inſtituiſſet, & poſt inueſtituram, ſed ante traditionẽ deceſſiſſet, filius minor poſſeſſionem illius, quamuis noui feudi tradere poterit: quia hæc alienatio non minus neceſſaria eſt, quàm ſi domum â patre venditam eo defuncto traderet, argumento *l. Polla 2. C. de his quibus vt indignis*, cum alijs, quibus planiùs hanc concluſionem, vbi de ætate ad alienandum, *hoc eodem anno* ſuprà probauimus.

SVMMARIVM.

Vſucapio, an indiſtinctè aduerſus omnes procedat? 1.

Vſucapio contra pupillum non procedit, ibidem.

Pupillus non vtendo, minimè ſeruitutem amittit. 2.

L. etiam ei 45. ff. de minoribus, nouiter luce donatur. 3.

Non debet à filijs reuocari, quæ à parentibus geruntur. ibidem.

Vtero exiſtens, minor, ſed non pupillus dicitur. 4.

Qui in vtero eſt, an poſſit priùs minor, quàm pupillus vocari? 5.

Infans pupillus non eſt. ibidem.

Infans dicitur minor. ibidem.

Vtero exiſtentis perſona, incerta eſt. 6.

Rerum dominia in incerto eſſe non debent. ibidem.

L. apud Celſum 4. §. ſi quis non tutor 24. ff. de doli mali, & motus exceptione. L. 2. ff. de eo qui pro tutore. } *interpretantur.* 7.

L. 2. §. ſi à pupillo, ff. pro emptore verè exponitur. 8.

Contra puberes, licèt minores præſcriptio, & vſucapio procedit. 9.

Vſucapio ſpecies eſt alienationis. 10.

Ad vſucapionem decreto iudicis non eſt opus, & quare? ibidem.

Hodie ex noua Iuſtiniani conſtitutione nulla, etiam contra minores, præſcriptio, vel vſucapio currit. 11.

Præſcriptio triennalis, quæ contra famulos currit non petentes ſalarium, minoribus nequaquam officit. 12.

Præſcriptio triginta vel quadraginta annorum, etiam hodie contra minores procedit, & quare? 13.

D. Didac. de Narbona, L. vnic. C. ſi aduerſ. vſucapionem, corrigitur per l. fin. C. in quibus cauſis in integrum reſtitutio non eſt neceſſaria. 14.

L. 1. C. ſi ſæpiùs in integrum reſtitut. poſtulet, intelligitur. 15.

Supplicatio ſecunda, quam vulgò de mil y quinientas *dicimus, appellatio eſt. ibidem.*

Supplicatio ſecunda etiam à minoribus debet intra viginti dies interponi, aliàs non reſtituuntur. ibidem.

Minor reſtituetur in ſecunda ſupplicatione contra non præſtitas fideiuſſiones intra viginti dies, dummodò intra illos ſupplicationem interpoſuerit. ibidem.

Iudiciales præſcriptiones termini & dilationes currunt aduerſus minores. ibidem.

L. properandum 11. §. fin. C. de iudicijs, explicatur. 16.

L. quod ſi minor 24. §. Scæuola, ff. de minoribus. L. vltim. C. de repudianda hæreditate. } *nouiter conciliatur* 17. *& ſequentib.*

Ante numeratum pretium dominium rei venditæ manet penes venditorem. 19.

Ante pretij ſolutionem, licèt à venditione diſcedere. ibidem.

De iure noſtro, etiam præſcriptiones illæ contra minorem non currunt, in quibus de iure communi nulla concedebatur reſtitutio. 20.

QVÆSTIO XXIII.

Cuius ætatis quis eſſe debeat, vt aduerſus illum præſcriptio, vel vſucapio procedat?

Placuit aliquibus, quorum partes nedum agit, ſed etiam acriter & ſtrenuè tutatur Benedict. Pinel. *ſelectar. iur. lib. 1. c. 17. n. 21. & ſeqq.* adeò vſucapionem aduerſus omnes, nulla ætatis habita diſtinctione, currere, vt pupillis quoque nocere conteſtentur. At ab iſtis meritò reliqua Scribentium turba diſcedit, & contra pupillum nullam, neque præſcriptionem, neque vſucapionem vim habere rectiûs arbitrantur. Sic è turba exclamant Balbus *de præſcriptio. part. 6. in princip. n. 29.* Iacob. Cuiac. *lib. 11. obſeruat. c. 12.* & *in l. ſi communem 10. ff. de ſeruit.* vbi autoritate *eiuſdem legis* docet, pupillum non vtentem ideò ſeruitutem non amittere, quia ipſius res minimè vſucapitur, Hugo Donellus *lib. 5. comm. c. 23.* vbi notat Oſualdus *lit. A. & ſeqq.* Guid. Papę *deciſ. 13.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem habens, verbo ſua facilitate*

*num.*48.*C.de in integrum reſtitutio.* Hubert. Giphan.*in l.fin.C.in quibus cauſ.in integrum reſtit.non eſt neceſſaria*, Dionyſ.Gothofred. *in l.bonæ fidei* 48.*de acquirend.rerum domin.* Coſtal.*in l.ſi ex cauſa* 9.§.*ſi incommiſſum,ff. de minoribus*, Quintilian.Mandoſ. *in cap.*1. *num.*62.*de in integrum reſtitut.* Duaren.*tit. C.ſi aduerſ.vſucapionem*, Petr. GilKen. *de præſcriptionib. part.*3.*cap.*1.*num.*68. noſter Perez de Lara *in compend.vit. hom.cap.* 21. *num.*95.

Quæ veriſſima ſententia irrefragabilibus iuris teſtimonijs comprobatur, videlicet ex *dict.l.bonæ fidei* 48.*dict.l.ſi communem* 10.*ff. quemadmodū ſeruit.amit.l.ſicut* 3.*C.de præſcript.*30.*vel* 40.*annor.cap.*1.§.*minori, ſi de feud.fuerit controu. l.*3.*C.de auct.præſtanda, l.non eſt incognitum, & l.adoleſcentis, C. in quibus cauſis in integrum reſtitut. non eſt neceſſaria, l.*1. *& fin.C.ſi ignorans rem minoris.*

3 Quibus parum repugnat Caliſtrati per obſcurum reſponſum *in l.etiam ei* 45. *ff. de minor.*vbi quis reſtituitur in integrum aduerſus vſucapionem iam ante completam, eo tempore quo is, qui poſteà petijt reſtitui, erat in vtero. Nam omiſſa interpretatione Accurſij,Bartoli, Odofredi, & Eginarij *ibidem*,quàm poſteà fuerunt ſecuti Duarenus ad *titulum C.ſi aduerſus vſucap.* Hubertus Giphan. *in l.fin.C.in quibus cauſis in integrum reſtitutio non eſt neceſſaria*, Coſtal. *in l.ſi ex cauſa 9.§.ſi in commiſſum,ff. de minoribus*, Alphonſ.Carranç.*diſputat.de partu cap.*2.§. 1.*num.*18. Ex eo quòd licèt à defuncto parente cæpta fuiſſet vſucapio,ſi tamen ab eo, qui in vtero erat, item incipere non poſſet, nec vtique continuari,aut perfici eo in vtero exiſtente potuiſſet,vt de pupillo agens optimè docet Vulteius *in titulo inſtitut. de vſucap.*& eo relato Oſuald.*dict.loco litera D.* licèt contrarium aliqui voluerint, à quibus libenter diſſentio. Nam ſi exempli gratia pupilli res,quia eius eſt, inuſucapibilis redditur,quocumque tempore ea talis,nempe pupilaris inueniatur,ſiue initio, aut fine vſucapionis,non poterit vſucapi,quamuis aliud de iure noſtro obtineat, vt *in l.9.tit.*19.*part.*6.Deinde,nam ex quo ei conceditur reſtitutio,qui tempore vſucapionis in vtero fuerat, manifeſtè colligitur vſucapionem cæptam fuiſſe à ſe ipſo,non verò ab eius parēte.Nam ſi ita eſſet,denegaretur, quia nō decet à filijs in irritum reuocari quæ à parentibus geruntur,vt de pupillo loquens,reſcripſit Imperator *in l.ſi intra* 8. *C.de non numerata pecunia*, & ex alijs meritò concludit Hubertus Giphan. *in dict.l.fin.* Igitur horum expoſitione reiecta, necnon & alia Antonij Fabri *in rationali ad dict.l.*quā priùs indicaſſe videtur Odofredus *vbi ſuprà*, noniter & veriſſimè dicendum exiſtimo vſucapionem in hac ſpecie non proceſſiſſe contra pupillum, ſed contra exiſtentem in vtero,qui pupillus non eſt, *l.non eſt pupillus* 161. *de verborum ſignificatione.* Siquidem ille tantùm ita dicitur, 4
qui cùm impubes eſſet,deſijt in patris poteſtate eſſe:indeque pupilli nomen,vt aduertit Cuiacius *in l.*2.*de excuſat. tutor.* & ex eo Carrança *dict.diſputat.cap.*2.*num.*6. non ſolùm ætatem denotat, ſed & conditionem eius,qui ante pubertatem deſijt eſſe in patris poteſtate, & cœpit eſſe in poteſtate tutoris. Quod cùm de eo dici non poſſit, qui adhuc in vtero retinetur(quia cùm nunquam fuerit patriam poteſtatem expertus, *l. fin.de collat. bonorum*, in ea deſinere eſſe non potuit, nec tutoris poteſtatem ſubire, *l.ſi nemo* 19.§.*fin. de teſtament. tutela*) meritò dum lucem non videt, à pupilli denominatione repellitur: ergo nihil obſtat quominus in præiudicium eius,qui pupillus non eſt,ſed conceptus dumtaxat materno ventre concluſus,preſcriptio, vel vſucapio ſuas vires exerat,vt expreſſe fatetur Bald.*in cap.*1.*num.*2. & *ibidem* Felin. *num.*3.*verſic.Subdit*, Balbus *de præſcriptionibus*, Petr.GilKen. *dict.cap.*1.*numero* 27. Quintilian.Mandoſ.*de ætate minor. capit.*2. *num.*44. Sed ita quidem,vt naſcenti in integrum reſtitutionis beneficio, veluti cuilibet minori ſubueniatur, vt amiſſam rem vſucapione recuperet:eſt enim minor(licèt pupillus non ſit)qui in vtero commoratur,non ſolùm in eo,vt aduerſus ipſius bona præſcriptio & vſucapio procedat,verùm & quoad illud, vt reſtitutionem ex hac & alijs cauſis obtineat, vti ex *dict.l. etiam & titulo de minoribus*, cui ſubiacet,licet coniectari, & ex noſtra *l.9.tit.*19.*part.*6.quibus optimè conſentiunt relati à Mandoſio *d.c.*2.*n.*34.

Nec obſtabit ſi replices, abſurdum videri, 5
vt quis priùs minor intelligatur,quàm pupillus. Quia reſpondetur non eſſe abſurdum, quia infans minor appellatur, vt perſpicuum eſt:nam infra quintum & viceſimum annum conſiſtit,& tamen infans, propriè loquendo, pupillus non eſt,*l.quamuis* 32.§.*infans,ff. de acquir.rerum domin.* melior text.de iure patrio in *l.*4.*tit.*11.*p.*5.illis verbis:*E el menor de ſiete años,que llaman en Latin* infans, *ò el pupilo que es menor de catorze años, è mayor de ſiete*,ex quibus ſuprà reſoluimus *anno* 7. *quæſt.*3.vbi de initio & fine pupillaris ætatis nōnihil obſeruauimus. Quocirca cùm vtero exiſtens quādoque infans vocitetur, vt Lucæ 1.*Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ*

in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero, & Auguſtin.*lib.3.de ciuitate Dei cap. 31. Omitto quippe illa, quæ magis fuerunt mira, quàm noxia, boues locutos, infantes nondum natos de vteris matrum quædam verba clamaſſe*, & alijs in locis à me *ſuprà* congeſtis *dict.anno 7.quæſt.1.* quidni etiam, etſi pupillus non ſit, minor cognominari poterit?

6 Maior ſanè difficultas verſatur in aſſignanda ratione, quare cùm ita indefenſus, & imbecillis vtero exiſtens, ac pupillus ſit, aduerſus iſtum vſucapio non procedat, procedat vtique aduerſus illum? Et certè donec alius meliorem attulerit, incertitudini perſonæ vtero exiſtentis totum hoc deferendum eſſe exiſtimo. Eſt enim ipſius perſona dubia, & parum certa, ex quo an futura ſit, ignoratur, *l.1.§.quare de ventre in poſſeſ.mittend.l.antiqui. 3. ff. ſi pars hæreditat. petat.* iunctis his, quæ notat Carrança *dict. diſputatione de partu cap. 2. §. 1. num. 94.* Ergo ſi contra exiſtentem in vtero vſucapio, vel præſcriptio non admitteretur, eſſent proculdubio rerum dominia magis in incerto quàm ſunt, non admiſſa vſucapione contra pupillum, qui certam obtinet perſonam: cùm nihil incertius eſſe poſſit, quàm quod ſuper incerta perſona verſatur, quod ratio præſcriptionis, vel vſucapionis non patitur, quæ ideò inducta eſt, vt quantò minùs poſſint, rerum dominia in incerto ſint, *l.1.cũ ſimilibus, ff.de vſucapion.*

7 Apparet itaque firmum propoſitum axioma, nempe pupillum à damno præſcriptionis, & vſucapionis eſſe immunem, quod nec etiam turbari videtur Vlpiani ſententia in *l. apud Celſum 4.§.ſi quis non tutor. 24. de doli mali & metus exceptione*, quo rem pupilli vſucaptam fuiſſe, ac conſequenter eam in vſucapibilem non eſſe commonſtratur, vti & in ſimili ſpecie *l.2.ff.de eo qui pro tutore*, quia vt innuit Accurſius in ipſius §. præfiguratione, & in *dict.l.2.verbo vſucapta*, cui adhærent omnes, & præ omnibus doctiſſimus Iacob.Cuiacius *lib.15.obſeruat.cap.22. in principio*, res, de cuius vſucapione ibi agebatur, non erat propria pupilli, ſed quæ ab eo tantùm bona fide poſſidebatur, quocirca rectè potuit ab emptore, item ſanæ & ſynceræ fidei vſucapi.

8 Quo ſenſu interpretari poſſe Paul. videtur in *l.2.§.ſi à pupillo, ff.pro emptore*, & ea ratione dici vſucapionem titulo pro emptore in re pupilli comparata proceſſiſſe, quia res illa non propriè pupillaris, ſed opinione tantùm erat. Vnde Conſultus plus debere hoc caſu eſſe in re, quàm in exiſtimatione rectè concludit, licèt non ita arbitretur, Anton. Faber qui *lib.7.coniectur.cap.13.* huius verſiculi ſeriem corruptam profitetur, nec Matthias Collerus *de proceſſibus executiuis part. 2.cap.3.à num.250.* vbi plures *dict.§.*intellectus adducit, & ab illis omnibus diſſentiens Benedictus Pinellus *dict.lib.1.ſelectar.cap. 17.num.22.*

Ergo ex his ita explicatis, velut per neceſſariam conſequentiam elicitur, vſucapionem & præſcriptionem antiquo iure ciuili, puberibus licèt quinto & viceſimo anno minoribus cedere adeoque validè currere, vt illi non aliter ac maiores rerum ſuarum dominium amittant; alioquin nedum otioſa, ſed inepta pupillorum exceptio videretur, ſi pariter omnes in vniuerſum minores à damno vſucapionis ſubducerentur. 9

Cui non aduerſatur quod quaſi in limine ipſo objiciendum occurrit, de alienatione minoribus, & contra minores ſine decreto interdicta, *l.1.de rebus eorum, qui ſub tutela vel cura ſunt, l.magis putò, eodem tit.* cum vulgaribus alibi à nobis congeſtis, cuius ſpecies cùm vſucapio ſit, & vix effici poſſit, vt non videatur alienare qui patitur vſucapi, *l. alienationis verbum 28. de verbor.ſignific. l.1.C. de fundo dotali*, pari modo & abſque prædicta ſolemnitate contra huius ętatis homines permitti non debebat. Sed hoc inquam non obſtat, ſiquidem, vt rectè in propoſito animaduertit Petr. GilKen. *d.p.3.de præſcription.c. 1.n.73.* non omnes res minorum omnibus caſibus abſque decreto alienari prohibentur, ſunt enim quamplures, in quibus eo non eſt opus, *totus titulus quando decreto opus nõ ſit*, & nonnullos retulimus ſuprà *hoc eodem anno* de ætate ad alienandam diſcutientes, inter quos vſucapionis caſus connumerari poteſt. Tum vt aduertit Oſualdus *d.lib.5.Donelli c. 23.lit.B.* quia res non patitur in vſucapione id requirere. Tum etiam ex placito Duareni *d.tit.C.ſi aduerſus vſucapionẽ*, quia vſucapio lege permiſſa eſt: in his vero, quæ lex permittit, nõ eſt neceſſe adire prætorẽ: poteſt enim, & debet lex exequi ſine Prætoris decreto. 10

Bene tamen verum eſt minores reſtitutos aduerſus eiuſmodi alienationem, quam ipſa vſucapione, & præſcriptione nulla intercedẽte ſolemnitate patiebãtur, vt in præſcriptione quadriẽnij, *totus titulus, C.de quadriennij præſcriptione*, in præſcriptione quinquennij, de qua in *l.vnic.C.de contractib.iudicũ*, multiſque alijs, quarũ præter alios mentionẽ faciunt Balbus, & GilKenius *locis iam relatis*, donec à Iuſtiniano hoc immutatum fuit *in l. fin.C.in quib.cauſ.in integ.reſtitut.non eſt neceſſaria*, vbi de illis omnibus pręſcriptionibus tẽporalibus agens, quæ antiquitus, ſalua tamen reſtitutione aduerſus minores currebãt, 11

ſtatuit eas in poſterū toto temporis minoris ætatis nō proceſſuras, ſed ita minoribus, vt & pupillis ſiſtere, & hoc quidem fauore imperfectæ ætatis ipſorū, qui in eo cōſiſtit, quòd melius eſt iura minorū ſeruari intacta, quā poſt cauſam vulneratam remedium quærere, vt & Paulus ait *in l. pupilli 6. ff. quod falſo tutore*, inſinuat Cuiacius *in l. ſi filius, ff. de minori-*
12 *bus*, ſequitur nouiſſimè Didacus Britus *tractatu de locato* 1. *part. rubricæ, §. 4. num.* 22. vbi & ideò ſubijcit triennalem præſcriptionem, quæ *ex l. fin. tit.* 15. *lib.* 4. *Recopilation.* necnō & *ex legibus Luſitaniæ* cōtra famulos currit intra eiuſmodi tempus ſalarium non petentes, nequaquam illis nocere, ſi minores ſint quinto & viceſimo ætatis anno.

13 A qua igitur generali regula excipit Iuſtinianus præſcriptionem triginta vel quadraginta annorum, quæ licèt temporalis ſit, & aduerſus pupillum non currat, *l. 3. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* currit tamen adhuc contra adoleſcentem *dict. l. 9. tit. 19. part. 6.* Et ratio eſt, vt excogitauit Hubertus Giphan. *in dict. l. fin.* quia cùm eiuſmodi præſcriptio excurrat vltra tempus ætatis minoris (eſt 30. vel 40. annorum, & non currit niſi contra adoleſcentem) fit, vt in ea non habeat locum reſtitutio in integrum (quicquid ſecus obtineat de iure noſtro in *dict. l. 9.*) & proinde nec conſtitutio huius *l. fin.* quæ ſolùm de illis temporalibus præſcriptionibus agit, & eorum curſum ſiſtit, quæ beneficio reſtitutionis poterant retractari.

14 Neque hoc mutat text. *in l. vnic. C. ſi aduerſus vſucapionem*, quo cauetur minoribus auxilium reſtitutionis decerni contra eos, qui ſuarum rerum dominium vſucapione acquiſierunt: quia deciſione *dict. l. fin.* velut poſteriori *dict. l. vnic.* mutata videtur, quod certius arbitror, quàm id omne, quod in *dict. l. vnica* explicationem ſomniarunt Interpretes, præcipuè Duarenus *in dict. l. fin. & ibidem* Hubert. Giphan. Petr. Gil Ken. *dict. cap.* 1. *num.* 77. Parlador. *lib.* 1. *rerum quotidian. cap.* 1. *§.* 4. Anton. Faber *in dict. l. etiam* 45. *de minoribus.*

15 Et licèt eodem modo expediri poſſet difficultas *l. 1. C. ſi ſæpiùs in integrum reſtitutio poſtuletur*, quæ eapropter propoſitæ reſolutioni officere videtur, quia minoribus auxilium reſtitutionis aduerſus prolapſum termini num appellationis pollicetur: vulgò tamen rectiùs eliditur, ſcilicet, accipiendo *dict. l.* de præſcriptionibus iudicialibus, in quibus proculdubio nullum habet locum diſpoſitio *dict. l. fin.* adeò vt in quibuſcumque dilationibus iudicialibus minores ipſo iure tuti non ſint, ſed egeant reſtitutione in integrum: & ita reſponderi debere putat Hubert. Giphan. *in dict. l. fin.* propter autoritatem rei iudicatæ, quæ in cauſa eſt, vt non potuerit aliter conſtitui, quàm vt dies appellationum cedant, etiam minoribus, & quod non aliter appellationes ipſis concedantur, quàm ſi petiuerint per poſtulationem reſtitutionis in integrum. Etſi apud noſtros in ſupplicatione ſecunda cum pœna mille & quingentarum duplarum auri, quam vulgò *de mil y quinientas* nuncupamus, aliter obſeruetur, quæ licèt appellationis ſit ſpecies, vt tenet Iaſon *in l. ſi quis aduerſus, C. de precibus Imperat. offer.* Imol. *conſil.* 146. *num.* 12. Tuſch. *practicar. litera S. concl.* 1004. *num.* 3. nouiſſimè Ioan. de Larrea *deciſione Granatenſi* 78. *num.* 8. & debeat intra viginti dies præcisè interponi terminus iſte, adeò in minores vires ſuas exerit, vt contra ipſius lapſum nullum habeant reſtitutionis ſolatium, vtpote verbis *l. 4. tit. 20. lib. 4. Recopilat.* cauetur, ibi: *Mandamos que no aya lugar, ni ſe pueda pedir reſtitucio para ſuplicar en el dicho grado de mil y quinientas, quando la parte no huuiere ſuplicado, y cumplido con la dicha ley dentro del termino en ella contenido.* Quod intelligendum eſt, ſi intra dictum tempus ſaltim fuerit ſupplicatio, omiſſa, quoniam ſi non ſupplicatio, ſed ipſius fideiuſſiones fuerint intra illud ſpatium neglectæ, erit reſtitutioni locus, vt denique præſtentur, veluti placuit Granatenſi Senatui ex rationibus eleganter expenſis à D. Ioan. de Larrea *vbi proximè.*

Ergo vt ſuperiora proſequamur, in eadem 16
cauſa eſſe arbitrantur nonnulli deciſionem *l. properandum* 11. *§. fin. C. de iudicijs*, vbi cauſa pupilli vel adulti tutorum deſidia, ſiue negligentia, propter elapſum triennium ea lege præſcriptum amiſſa, ſi non ſufficiant tutorum facultates, ipſi minores in integrum reſtituuntur. Sed meliùs exiſtimauit Duarenus *loco repetito*, publicam vtilitatem, ad quā litium finis ſpectat, ſuadere, vt in *dict. §.* minoribus non faueatur, ſicut in alijs præſcriptionibus: imò nec reſtitui quidem niſi omni auxilio deſtituantur, veluti cùm omnis actio inanis eſt aduerſus tutores vel curatores: cui, licèt obſcurè conſentire videtur Petr. Gil Ken. *dict. cap.* 1. *de præſcript. n.* 103.

Plus enim laborandum nobis videtur in 17
diſcutiendo alio offendiculo, quod manifeſtè contrahitur ex *l. vltim. C. de repud. hæredit.* vbi minor qui paternam hæreditatem ſemel recuſauit, licèt rebus iam venditis, aduerſus temporis lapſum reſtituitur. Sed vt acutè *ibidem* ſenſit Accurſius, quem explicat, & ſequitur Hubert. Giphan. *loco ſæpiùs repetito*, facilè ipſius difficultas ſummouebitur

aſſe-

aſſerendo, verba, quibus minori repudianti indulgetur in integrum reſtitutio, referenda eſſe ad priorem partem legis, qua Imperator agit, non quidem de tempore ad iterum adeundam ſemel repudiatam hæreditatem, ſed de bonis iam venditis, quo caſu cùm abſque vlla temporis præfinitione denegaretur reſtitutio, hoc tamen ſine ſpe reſtitutionis fieri Iuſtinianus noluit.

Verùm eiuſmodi relationem admitti non debere probat Paulus autoritate Scæuolę *in l. quod ſi minor 24. §. Scæuola, ff. de minoribus*, dum eodem caſu, quo repudiatæ hæreditatis bona fuerunt diſtracta, minorem aduerſus repudiationem eſſe reſtituendum negat his verbis: *Si verò iam diſtracta hæreditate, & negotijs finitis, ad paratam pecuniam laboribus ſubſtituti veniat, repellendus eſt.*

Laborant enim ſummoperè Interpretes in effugienda huiuſmodi legum contrarietate, præſertim Iacob. Cuiacius *in §. vltim. inſtitut. de hæred. qualitat. & different. & §. extraneis autem eiuſdem titul.* Anton. Pichard. *num. 8. cum alijs ſequentibus*, Iul. Pat. *legum concilia. centur. 2. cap. 3.* Petr. Morla *in emporio iuris tit. 5. quæſt. 2. num. 6.* Nicolaus de Paſſeribus *in concordia leg. fol. mihi 80.* vbi multorum reprehenſis interpretationibus,
18 tandem cogitandum more ſuo relinquit. Et certè mihi hac in re diutius cogitanti nihil aliud dicendum occurrit, quàm ideò in *dict. §. Scæuola*, venditis hæreditatis bonis reſtitutionem minori denegari, quia pretium eorum erat non ſine ſubſtituti maximo labore, & incommodo ab emptoribus exactum, & patrimonium effectum ipſius, quo caſu æquitas, qua mouetur Conſult. vt patet ex *anteriori §.* non patitur regreſſum dari minori ad hæreditatem veluti re non integra, ſed alio & diuerſo ſtatu exiſtente. At verò Imperator in *dict. l. fin.* hac ſpecie non loquitur, ſed de repudiata tantùm à minore hæredi, cuius bona vendita fuerunt, pretium tamen ab his, qui compararunt, exſolutum non erat, vt cõiectari licet ex illis verbis: *Tunc enim per in integrum reſtitutionem non denegatur ei adire hæreditatem, & res recuperare.* Si ergò pretium accepiſſet venditor rerum hæreditariarum, non res ipſas minorem poſſe recuperare dixiſſet Imperator, ſed ad pretium contrà venditorem, qui illum recepit, ei agere licere, vt affabrè colligitur ex *d. §. Scæuola.* Cùm igitur de ea hæreditatis venditione loquatur Iuſtin. vbi pretium numeratum non fuit optimè ſcribit, minorem poſtulata in integrum reſtitutione poſſe ad hæreditatem reuertere, quia in integro ſunt omnia, ex quo
19 ob non numeratum pretium dominium rerum venditarum ad emptores non transferat, ſed penes ſubſtitutum venditorem remanſerat, vt expreſsè cauetur *in l. quod vendidi. 19. de contrah. emption. l. procuratoris 5. §. planè, ff. de tributoria, §. venditæ, inſtitut. de rerum diuiſione.* Quod vel inde patet, vt cum integris omnibus licere à venditione, aut emptione diſcedere Conſult. *in l. ab emptione 58. de pactis* dixiſſet, explicans Iuſtinianus *in §. fin. quibus modis toll. obligat.* nondum ſoluto pretio id fieri poſſe exponit, & ex eo Æmil. Ferret. *in §. adeo. l. iuris gentium, de pactis.*

Quibus ita enucleatis planè conſtat poſt *dict. l. fin.* conſtitutionem nullam temporalẽ præſcriptionem ex illis, quæ in integrum reſtitutionem admittebant, hodie minoribus currere, ſed earum curſum fauore minoris ætatis inhiberi, cuius fauoris vis adeò de iure noſtro Hiſpano protenditur, vt non ſolùm illæ præſcriptiones inefficaces contra minores decernantur, in quibus antiquo iure locus erat reſtitutioni, ſed omnes indiſtinctè veluti expreſſis verbis *l. 7. tit. 14. & l. 9. tit. 19. part. 6.* manifeſtè continetur. 20

SVMMARIVM.

Pupillus, nec tutoris autoritate, peculium conſtituere poteſt, & quare? 1.

Peculium eſt homini perquam ſimilli-mum. 2.

Adoptio quare pupillis, etiam cum tutoris autoritate interdicatur? 3.

Antonij Fabri *ratio reijcitur.* 4.

Pupilli appellatione, etiam minor quinque & viginti annorum continetur. 5.

Martini Larriategui *conjectura circa explicationem l. 3. §. parui autem, ff. de peculio reprobatur.* 6.

Ætas quinque & viginti annorum requiritur in conſtituente peculium 7.

Mulier, etiam peculium conſtituere poteſt. ibidem.

Minor annis viginti & quinque, niſi iuſta cauſa, & curatoris interueniente autoritate, peculium iam ritè conſtitutum reuocare nequit. 8.

Tutori quare reuocatio, & non conſtitutio peculij concedatur? 9.

QVÆSTIO XXIIII.

Peculium conſtituere vt quis poſsit?

1 PÆdius apud Vlpianum in *l.* 3. §. *parui autem, verſic. Idem adijcit, ff. de peculio*, vnico verbo parum diſcuſſam inueſtigationem hanc, quodammodò excutit, & abſoluit proferens, pupillum non poſſe ſeruo peculium conſtituere, nec tutoris autoritate. Idemque probat Celſus, reſte eodem Vlpiano *in l. quam Tuberonis* 7. *in principio, ff. eodem*, cui ſubſcribunt *ibidem* communiter Interpretes, & Petr. Gregor. *ſyntagmat. iuris lib.* 29. *cap.* 14. *num.* 13. Martin. Larriateg. *ſelectar. iuris ciuilis lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. *&* 7. forſan vt aliquando nobis arriſerat, quia in ciuile foret, vt qui ea ætate exiſtit, qua iure ipſo & natura incapax habetur ad generandum, conſtituendumque ex ſe hominem, peculium conſtituere poſſet homini perquam
2 ſimillimum, vt Papyrius Fronto dicebat teſte Marciano *in l. peculium* 40. *in principio, ff. de peculio*: alioqui enim quæ cauſa eſſe poterat, vt tantùm pupillus, etiam cum tutoris autoritate, à peculij conſtitutione arceretur, niſi quia ob impubertatis vitium, vt naturali, etiam ciuili creationi impotens cenſetur?
3 Exemplo adoptionis, quæ eadem de cauſa pupillis, licèt tutoris autoritate, nequaquam permittitur, §. *minorem de adoptionibus*. Nam ſicut tutoris autoritas impuberem ad naturale generationis munus habilem efficere nequit, ita nec ad ciuile potentem reddere valet.

4 Nec aptior videtur illa ratio, quam in *d.* §. *parui autem*, vulgò aſſignant Interpretes, & præcipuè Anton. Faber *in rational.* ſcilicet ideò pupillo, ipſiuſque tutori peculij cōſtitutionem adimi, quia tali facto pupillus in manifeſtum diſcrimen amittendi, aut ſaltim minuendi patrimonij conijceretur, cùm tali caſu futurum ſit, vt ex ſerui contractibus de peculio pupillus obligetur. Nam qui cum ſeruo pupilli contrahit, cum pupillo ipſo contraxiſſe videtur, *l.* 3. *verſ. Contractum, ff. quibus ex cauſ. in poſſeſ. eatur*, atque ita euenire poſſit facilè, vt eius quantitatis, quæ in peculio eſt, iacturam pupillus incurrat, interdū pro parte, interdum in totum: ſiquidem hæc ratio non ſolùm euincit pupillum ob eiuſmodi periculum abſtineri debere à conſtitutione peculij, ſed etiam puberem vigeſimoquinto anno minorem, cui non minus, ipſiuſque curatori alienandi, minuendique patrimonij facultas interdicitur, *l.* 1. *& ferè per totum titulum de minoribus.*

Niſi dicamus, appellatione pupilli in *dict.* 5
§. *parui autem*, etiam puberes, minores tamē viginti & quinque annis contineri, vt aliquādo in iure accidit, & probatur ex §. *nunc admonendi*, vbi notant VVeſembec. & alij, *inſtitut. quibus alien. licet, vel non.* Quod non im- 6
probabile puto, imò probabilius quàm excogitatum à Larriategui, *vbi ſuprà*, cui neſcio quo munimine libuit aſſerere, & vt ipſe loquitur, venit in mentem, Pædij ſententiam *in dict.* §. ab Vlpiano tantum referri, non verò probari, vt aliàs de Paulo *in l.* 1. §. *ſi cohæredis* 14. *ff. ad leg. falcidiam*, cenſuit Cuiac. *lib.* 5. *obſeruat. cap.* 14.

Qua ſententia vt veriori retenta, ex dictis 7
ad propoſitam quæſtionem planè elicitur, nō niſi maiorem quinto & viceſimo anno, ſiue maſculum, ſiue fœminam (nam & mulieres peculium conſtituere poſſe, fatetur Conſultus in *dict.* §. *parui autem refert*, & Petr. Gregor. *vbi ſuprà*) conſtituendi peculij facultatem nanciſci: quia eiuſmodi factum manifeſtum inuoluit periculum amittendi, vel minuendi patrimonij, vt iam oſtendimus: quod longè ab his omnibus eſſe debet, qui propter minorem ætatem à rerum ſuarum adminiſtratione excluduntur, vt iam ſuo loco *hoc eodem anno* oſtendimus.

Vnde ſequitur, quòd cùm eius ſit peculium 8
adimere, cuius eſt conſtituere, non anteà quē à patre conſtitutum ſeruo peculium reuocare poſſe, quàm præfinitæ maioris ætatis exiſtat, niſi cum tutoris autoritate, ſi iuſta cauſa aliqua ſuaſerit, id vtile proficuumque minori futurum, argumento *dict.* §. *parui, verſic. In furioſ.* & *textus in l. quam Tuberonis* 7. *in principio, ff. eodem.* Ex quibus ita docet Antonius Faber in *rationali ad dict. l. quam Tuberonis, & ad dict.* §. *parui*, vbi & illam diſcri- 9
minis cauſam ſubiungit permiſſę reuocationis, & denegatæ conſtitutionis peculij tutori, quia eſt ergo difficilior, & pupillo periculoſior peculij cōſtitutio quàm ademptio, nec peculium vllum conſtitutum eſſe poſſe, quod etiam adimi non poſſit. Nam cùm homini ſimile ſit, vt propè notauimus, mortale vt ſit neceſſe eſt, quod tunc autem moritur, cum adimitur *dict. l. peculium* 40. *& l.* 4. *eiuſdem tituli.*

SVMMARIVM.

Nemo poteſt abſque debitis ſolemnitatibus iura ſua cedere ante quintum & viceſimum annum. 1.

De actione ad rem idem eſt iudiciū, quod eiuſdem rei. 2.

Ceſſio

Ceſſio à minore, ex neceſſitate fideiuſſori ſuo facta, etiam abſque ſolemnitatibus valet. 3.
Vt minor ſine ſolemnitatibus bona immobilia alienare nequit, ita nec actiones ad ea cedendi ius habet. 4.
Ceſſio illius iuris, quod tantùm bona mobilia reſpicit, rectè à minore fieri poteſt. ibid.
Si minori competat electio fundi vel pecuniæ, hanc alternatiuam actionem cedere ipſi non licebit. 5.
Ceſſio minori facta, nullius eſt momenti. 6.
Minor potentior dicitur. ibidem.

QVÆSTIO XXV.

Cedens, vel ceſsionarius, cuius ætatis eſſe debet?

1 Cedentem iura ſua & actiones, quas ad res immobiles habet, quinque & viginti annorum eſſe debere, inde planè colligitur, quòd minori abſolutè, nulla adhibita ætatis diſtinctione, hæc cedendi facultas, abſque decreto, & debitis ſolemnitatibus, penitus inhibetur. *l. ſed ſi pecuniam 3. §. ſi ius, ff. de rebus eorum, l. ſi ad reſoluendam 7, C. de prædijs & alijs rebus minor.* Quibus probatur, non ſolùm res immobiles, ſed nec ius ad ipſas poſſe minores remittere, aut cedendo alienare, docent expreſſe Bertach. *in repertor. verbo minor alienat. verſic. Minor an cedat iura ſua*, Eurardus *in loco a minoribus ad Eccleſiam num.* 10. Simoncellus, qui innumeros refert *de decretis lib.* 1. *tit.* 3. *caſu* 1. *num.* 2. Caldas Pereira *de emptione & venditione cap.* 13. *num.* 11. & *cap.* 24. *num.* 62. *in principio*, Bertazol. *de clauſ. clauſ.* 10. *gloſ.* 2. *num.* 13. *in fine.*

2 Et ſuadetur ea validiſſima ratione, quoniam de actione ad rem idem eſt iudicium quod eiuſdem rei, *dict. l. ſi ad reſoluendam*, ex qua ita obſeruat Simoncel. *dict. loco num.* 3. & Pereira *dict. cap.* 13. *num.* 11. at minori rerum immobilium alienatio, niſi præuia ſolemnitate, nequaquam permittitur, *totus titulus de rebus eorum*, & *C. de prædijs & alijs rebus minor.* ergo neque immobilium ceſſio ipſi permittetur.

3 Niſi eo tantum caſu, vt ſingulariter obſeruat Albert. Galeota *in ſua Margarita c.* 4. *n.* 5. & poſt eum Simoncel. *d. tit.* 3. *n.* 2. *in fin.* quo minor cedat actionem fideiuſſori ex neceſſitate, nam tunc abſque aliqua ſolemnitate ceſſio iurium ad res immobiles, quamuis à minore facta, effectum ſortietur.

Quod non ſolù procedit in iuribus & actionibus ad immobilia pertinentibus vt dixi, ſed etiam in competentibus ad res mobiles, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, quoniam vt hæ etiam abſque ſolemnitate diſtrahi à minore nullatenus poſſunt, ex noua conſtitutione *l. lex quæ tutores, C. de adminiſtrat. tutor.* ita nec earum actiones ſine prædicta ſolemnitate poterunt ab ipſo vtiliter, & validè cedi, vt multis relatis docet Simoncellus *vbi ſuprà num.* 4. *verſic. Aut verò*: ſecus verò ſi ad res mobiles iura competant, quæ minimè ſeruando ſeruari poſſunt, ſiquidem vt res ipſas poteſt minor ſine decreto, & alijs ſolemnitatibus alienare, ita & earum iura & actiones, quarum vna cum ipſis rebus natura & iudicium exiſtit, veluti in principio notauimus, & probant expreſſe Bartol. *in l. mouentium, ff. de verborum ſignificat.* Redoanus *de alienat. rerum Eccleſiaſtic. fol.* 86. *num.* 15. & Simoncel. *dict. loco.* 4

Quid autem ſit dicendum, vbi minori competit electio ad rem mobilem, quæ ſeruando ſeruari non poteſt, & ad immobilem, aut mobilem, quæ ſeruari rectè valet? egregiè diſputat Simoncellus *num.* 5. qui & *num.* 8. contra omnes Scribentes concludit, non licere minori actionem ſibi alternatiuè competentem, videlicet ad fundum, vel pecuniam, abſque iudicis autoritate, cedere, aut alienare, cùm ex tali ceſſione ſequi poſſit alienatio, quæ dicitur minori prohibita: vtilius enim eſt à principio occurrere, quàm poſtea ſecuta alienatione prouidere, argumento *l. vltim. C. in quibus cauſis in integrum reſtitut. non eſt neceſſar.* 5

Nec ſolum dicta iurium ceſſio actiua minori prohibetur, ſed paſſiua, etiam ipſi omnino interdicitur: quare ceſſionem in minorem fieri non poſſe reſoluunt Iacob. de S. Georgio in *l.* 1. *C. ne liceat potentiorib. num.* 18. Dueñas *regul.* 88. *ampliat.* 1. & Caldas Pereira *de emptione & vendit. dict. cap.* 24. *num.* 62. quoniam minori plura remedia & priuilegia competunt, quibus potentior dicitur. 6

SVMMARIVM.

A Studijs auocari nemo poteſt ante annũ quintum & viceſimum. 1.
Qui ad annum viceſimumquintum ſine aliquo profectu literis operam dederunt, in poſterum minimè ſcire poſſe præſumuntur ibidem.
Ad annum vigeſimumquintum membra noſtra augmentum, & cretionem accipiunt. 2.
Iuuenilis ætas eſt ad diſcendum aptior. 3.
Senectus rudis, & ſtudijs inepta dicitur. ibid.
Nul-

Nullam ætatem ſeram eſſe ad diſcendum, quomodò accipiatur? 4.

Legatum ſtudiorum cauſa conſanguineis relictum, etiam maioribus quinto & viceſimo anno debetur. 5.

Ei qui ſine aliqua vtilitate ad annum quintum & viceſimum literis operam dedit, poſt hanc ætatem legatum ſtudiorum cauſa relictum minimè debet præſtari. ibidem.

Vbi duo concurrunt ad legatum ſtudiorum cauſa relictum, minor annis viginti & quinque debet præferri. 6.

Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum puero optimæ indolis & ſpei, vt licèt linguam Latinam ignoret, poſſit ad minores ordines promoueri? 7.

QVÆSTIO XXVI.

Quantum temporis abſque profectu aliquem ſtudijs impendiſſe ſufficiat, vt à diſcendi in poſterum ſpe deſtitutus credatur?

1 IMperatores Dioclecian. & Maximian. *in l.* 1. *C. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant lib.* 10. prouidendo publicæ vtilitati, & literis inſudantiũ ſpei decreuerunt, vt ſinguli vſque ad viceſimumquintum annum ætatis ſuæ ſtudijs non auocarentur, ea ratione exiſtimarunt Bartol. Ioannes de Platea, & Lucas de Penna *ibidem*, quos ſequitur Bertachinus *verbo maior, verſic. Maior* 25. *annorum ſub num.* 10. *fol. mihi* 106. Quia Imperatores crediderunt vix futurum eſſe, vt qui toto hoc temporis curriculo, & quidem inutiliter ſtudijs operam nauarit, poſtmodum matureſcẽte ætate proficiat. Hincque quaſi vno eodemque calamo communiter Scribentes deducunt, priuilegia ſcholarium anno 25. expirare: quia poſt non præſumuntur multum diſcere: quod docuit Bartolus *vbi proximè*, & cæteri, quos refert Ioannes Oinotomus *in rubrica inſtitut.* 3. *p. n.* 10. *in nota marginali.*

2 Et quidem ſumma ratione, cùm ad hanc vſque temporis partem membra noſtra cretionem & augmentum recipiant, eaque adueniente, & animus, & mens roborentur, vt ex Platonis & Ficini placito in aliam rem obſeruauit Alcibiades Lucarinus *de fiduciaria tutela cap.* 6. *num.* 13. & ex Medicis probat Andreas Laurent. *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 2. ergo cùm poſtea & mẽbra, animus, ſenſus, & ingenium decreſcant, in ſenectutemque labantur, qui retro acta ætate, quàm toto nixu ſcientiam coluit, non fuit aſſecutus, conſequendi in poſterum meritò deſperare poterit: eſt enim iuuenilis ætas ad ſtudium apta, & idonea: vnde dicitur *Eccleſ. capit.* 6. *Fili à iuuentute excipe doctrinam*, & rurſus *cap.* 47. de Salomone. *Quemadmodum eruditus eſt in iuuentute ſua*: quibus conuenit Seneca epiſt. 108. *Quia iuuenes*, inquit, *poſſumus diſcere, & facilem animum atque tractabilem ad meliora conuertere, quia hoc totum tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingenijs, & exercendis per opera corporibus: quod ſupereſt ſegnius, & languidius eſt.* Idque D. Paulus indicat 2. *ad Timoth.* 3. quò enim quiſque eſt iunior, hoc perſpicacior, & docilior eſſe iure præſumitur, vt ſecundum Gloſſam in *l. Gallus in principio, verbo ſi filius, ante finem. ff. de liberis & poſthum.* refert Ioan. Oinotomus *in prooemio inſtit.* 3 *part.* probat latè Tiraquel. *de iure primogen. in præfatione num.* 208. nouiſſimè Camil. Bald. *in phyſiog. Ariſtot.* 2. *part. cap.* 8. *fol.* 84. Quare Vlpianus *in l. præcipiunt* 37. *ff. de ædilitio edicto*, incidiſſe in edictum vẽditorem putat, qui pro nouitio veteranum ſeruum diſtraxit. Præſumit enim ea mancipia, quæ rudia, & exignæ ætatis ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora: trita verò mancipia, & veterana, difficile eſſe reformare, & ad ſuos mores formare. Vnde Theognis Græcus ille vates, *Ne doceas*, inquit, *me ætas iam fecit indocilem*, & Euripides in Bacchis ſimile canit; *Senem ſenex, & ipſe te erudiuero*, quibus ſuccinit quod Diogenem dixiſſe fertur, id eſt, mortuo mederi, & ſenem admonere idem eſſe. A quo nec diſſentit quod vulgò circumfertur, ſcilicet, *ſenem Pſitacum negligere ferulam*, nam vt inquit Apulleius *in floridis*, 3 *Diſcit autem ſtatim pullus vſque ad duos ſuæ ætatis annos: ſenex autẽ captus, & indocilis, & obliuioſus*: idque etiam probat Vliſſes Aldro. *Ornithologiæ lib.* 11. *cap.* 1. *fol. mibi* 333. Hincque ſenis Doctor prouerbialiter in eum dictum Eraſmus probat *Chiliad.* 1. *centur.* 2. *adag.* 60. qui in re ſera atque intempeſtiua fruſtrà ſumit operam, ſiquidem vt eſt iuuenta docilis, atque in quemuis habitum ſequax, ita ſenecta intractabilis, tarda atque obliuioſa ea ratione inquit P. Franciſc. de Mendoça *in viridario lib.* 3. *problem.* 2. *num.* 15. quia ſi ſenes ſunt imperiti, doceri vlterius non poſſunt propter ſenſuum hebetudinem, & quandam naturalium facultatum ſtupiditatem, quod anteà Caſſiodoro placuiſſe videtur, cùm ait: *Quod in iuuentute non diſcitur, in matura ætate neſcitur*, & conducunt quæ adagio ſequẽti, idem Eraſmus ratiocinatur,

vt

vt oſtendat iuuenes multò dociliores eſſe ſenibus, quod quampluribus rationibus exhibitis Ariſtot. probat *Problemat. ſectio. 30. q. 4.* & indicaſſe videtur Iuſtinian. *in procemio inſtitut.* dum cupidæ legum iuuentuti, iuris illa rudimenta conſecrat. Adſtipulatur *l. vnica, verſic. Et quoniam, C. de ſtudijs liberalibus vrbis Romæ lib. 11.* docet Gloſſa *in l. 1. de Athlet. lib. 10.* Qua ratione, cum Eudamidas Xenocratem videret ſeniorem adhuc in Academia verſantem, & audiret eſſe σοφὸν, qui virtutem quæreret, exclamauit. *Et quando hic vtetur, ſi eam adhuc quærit?* Cui cõuenit Bartoli dictum *in procemio inſtitut. num. 16.* vbi admonet, quòd ſi videas aliquem ſenem inſtitutariũ, & audientẽ prima elementa, dicas ei: Amice tu eris aduocatus in alio ſæculo.

4 Quibus minimè refragatur Senecæ Stoicorum doctiſſimi peruulgata illa ſententia *epiſtol. 76.* nullam ſcilicet ætatem ſeram eſſe ad diſcendum, quæ Diui Auguſtini teſtimonio fulcitur *in cap. ſi habet 24. quæſt. 3. Senex enim à iuuene*, inquit, *& Epiſcopus tot annorum à collega, necdum anniculo paratus ſum doceri*, ex quo Sacerdotes admonet D. Clemens in *c. nullus, fin. 38. diſtinct.* ne propter opprobrium ſenectutis à paruulis, vel minimis, eruditis ſi quid fortè eſt vtilitatis, aut ſalutis, inquirere negligant. Conducit *l. apud Iulianum 20. ff. de fideicommiſ. libertat.* vbi Pomponius Iulianum illa verba dixiſſe refert: *Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem optimam in octauum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi: memorſum eius ſententiæ, qui dixiſſe fertur. Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere.* Aſſentitur Cicero *lib. 5. de finibus, Beatus eſt*, inquit, *cui etiam in ſenectute contigerit, vt ſapientiam, veraſque opiniones aſſequi poſſit*: nam vt admonet Seneca *epiſtol. 76. tandiu diſcendum eſt, quãdiu neſcias, & ſi prouerbio credimus, quandiu viuas.* Et demum ne in re adeò omnibus expedita tempus, quod aiunt, conteramus, & à doctiſſimis Franciſco Balduino, & Ioan. Borcholten *in d. procemio inſtitution.* necnon & Tiraquel. *de iure primogen. in præfatio. num. 203.* & à Martino Nauarro *in relection. cap. ſi quando excep. 18. n. 8. de reſcriptis, & in relect. cap. nouit. num. 1. & 2. de iudicijs, & tractatu de Horis Canonicis cap. 16. num. 30. & in cap. numquid Caim, de pœnitent. diſt. 1.* Rebuffo *libellulo de his quæ neceſſaria ſunt literarum ſtudioſis 3. requiſita, in principio*, Tiberio Deciano *reſponſorum crimin. volum. 1. reſponſ. 43. num. 20.* noſtro Alphonſo de Lara *in compendio vitæ homin. cap. 31. num. 4.* & anteà à Nicolao Gimonteo *in Enchiridion. tit. 4. cap. 1. num. 10.* & doctiſſimo, religioſiſſimoque viro P. Franciſc. Aguado *in Chriſtiano ſapiente tit. 1. cap. 5. à num. 15.* nimia ſedulitate congeſta tranſcribamus, dicendum eſt, ea omnia certiſſima & indubitata exiſtere: ex hiſque quàm belliſſimè deduci, nullum tempus ad diſcendum haud opportunum videri. Nos verò illud tantùm adſtruimus, ſecundùm naturæ & iuris ciuilis regulas, quaſi impoſſibile reputari, vt temporis altiori progreſſu poſſit literaturam aſſequi, qui cùm in eam ad annum vſque quintum & viceſimum totis viribus contendiſſet, illam minimè potuit complecti.

Ex quo aduerſus nonnullos iſtius temporis pragmaticos infero, legatum, ſeu fideicõmiſſum ſingulis de familia, vel de municipio ad ſtudẽdum relictum, quibuſcumque & qualiſcumque ætatis hominibus, etiam octuagenarijs deberi, cùm hac ætate diſci poſſe, tot virorum exemplo moneamur, quorum ſupra relati meminerunt, & probatur Moyſis teſtimonio *in c. fin. 36. diſt.* docet Rebuf. *in d. authent. habita n. 73.* Alphonſ. Perez de Lara *d. c. 31. n. 4.* quidquid ſecus voluerit Greg. Lopez *in l. 4. tit. 7. p. 2. verbo, Començaſſen*, vbi aſſerit, relictum ſtudiorum cauſa vigeſimum & quintum annum excedentibus non deberi: illis verò ſolummodò huiuſmodi legatum nõ præſtabitur, qui adeò rudes, & hebetioris ingenij fuerint experti, vt cùm in annum viceſimumquintum ad bonarum artium diſciplinã inuigilaſſent, ſua adhuc inſcitia, & ignorãtia, vt primitus detinentur, ſiquidem iuri, & rationi cõſentaneum videtur, vt quæ cauſa ſtudiorum relinquuntur, his tantùm impertiantur, qui communi hominum opinione poſſint dare operam ſtudijs, vt argumento *l. nec ſemel 12. § ſi in habitatione, ff. quãdo dies leg. cedat*, docet Menoch. *lib. 4. de præſumpt. c. 199. n. 19.* & expreſſius Steph. Gratian. *diſcept. forẽſ. 2. p. c. 254. n. 35.* 5

6 At ſi cõcurrant ad legatum maiores vigeſimoquinto anno, & eo minores, cæteris paribus, minores eſſe præferendos docet Parlador. *quotid. quæſt. q. 14. num. 13.* & meritò: nam licèt hac ætate maiores omnino à Muſis, vt ipſe Parlad. ait, alieni nõ cenſeantur, minores tamen ipſis longè aptiores videntur.

7 Hinc eſt nonnullos voluiſſe, Epiſcopũ ſolũ cum puero bonæ indolis, & qui ſit pro ætate docilis, diſpenſare poſſe, vt anteà quã Latinã linguam intelligat, poſſit ad minores ordines promoueri, iuxta Menochij doctrinã *lib. 2. de arbitr. centur. 5. caſu 425. n. 58.* vbi inquit, ſecundum Concilij Tridentini decretum *ſeſſ. 23. de reformat. c. 11.* poſſe Epiſcopum arbitrari magis expedire Eccleſiæ, ſi ordines cõferat ei, qui etſi adhuc Latinam linguam nõ intel-

intelligit, eſt tamen bonæ indolis, & pro ætate docilis: quia illiteratus dici nequit puer, qui pro ætate didicit, & oſtēdit pro tempore proficere poſſe, idē docet Rebuf. *tract. de pacificis poſſeſ. n.* 215. quare ipſe *in praxi beneficiali tit. de Clericis, à quibus, & quomodo creētur n.* 28. ſententiam eorum qui affirmant, nō poſſe Epiſcopum diſpenſare in ſciētia ad ordines requiſita, limitat niſi cū puero, qui modicam ſcientiam habet, quando eſt ſpes futuri profectus. Quam opinionem ex Innocentio, Dominico & Turrecremata valdè probabilem appellat P. Thom. Sanchez *lib.* 7. *cōſil. moral. c.* 1. *dubio* 45. *n.* 13. etſi cōtrariam, ſcilicet, etiam cum puero optimæ indolis, & ſpei, diſpenſare Epiſcopum non poſſe, vt ſaltim minores ordines ſuſcipiat, veriorem dicat *num. ſequent.*

SVMMARIVM.

VSque ad vigeſimumquintum ætatis annum licèt puellis educationis cauſa intra monaſteria exiſtere. 1.

Si parentes repetant puellas, quæ cauſa educationis ſunt in monaſterijs, illicò, etiam nō ſpectata ætate viginti & quinque annorum, ſunt eis reſtituendæ. 2.

Ad annum quintum & viceſimum tantùm ſolet facultas diſcendi perdurare. 3.

Quamuis finito termino educationis puellæ nō egrediantur, excommunicationem tamen non incurrunt. 4.

An qui ex iuſta cauſa fuit monaſterium monialium ingreſſus, finita cauſa, niſi egrediatur, excommunicationem incurrat? ibid.

Ex alia qualibet iuſta & honeſta cauſa, etiam vltra prædictam ætatem, puellæ in monialium monaſterio eſſe poſſunt. 5.

QVÆSTIO XXVII.

Ad quod vitæ tempus puellæ educationis cauſa intra monaſteria eſſe poſſint?

1 AD vigeſimumquintum annum ætatis earū id ſolummodo licere, ſacra Eminētiſſimorum Cardinalium Cōgregatio pluries cenſuit in *cap.* 5. *Concilij Tridentini ſeſſ.* 25. *de regularibus*, his verbis: *Item educatio ſaltem extendatur vſque ad vigeſimumquintum ætatis annum*, & rurſus: *Neque ibi permanere permitti debent*, ſcilicet puellæ *vltra ætatis ſuæ annum* 25. ita referunt Farinacius, Ioan. Gallemart, & Bellarminus *dict. loco Concilij*, & Cerola *in praxi Epiſcopali* 1. *part. verbo moniales, verſic. Ad vndecimum*, Frat. Ioan. de la Cruz *de ſtatu religionis lib.* 1. *cap.* 5. *dubio* 2. *in fine, quinto notabili*, Aloiſius Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ.* 754. Paul. Fuſcus *de viſitatione lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 27. & 28. vbi hoc non eſſe contra decretum Concilij affirmat Anton. Cucus *inſtitut. maiorum lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 11. Emanuel Sà *in aphoriſmis confeſſar. verbo monaſterium num. final.* Auguſtin. Barboſa *in remiſſionibus ad dict. locum Concilij litera V. Rurſuſque in collectan. eiuſdem num.* 104. & priùs docuerat P. Sanchez alios referens *lib.* 6. *ſummæ cap.* 16. *num.* 61. & 63.

Et hoc verum eſt, niſi ante prædictum tempus parentes eas à monaſterio abſtrahere voluerint: nam hoc caſu eadem Congregatio cenſuit, non ſpectato 25. anno, protinus eſſe illis reſtituendas teſte Ioanne Gallemart *vbi ſupra*, quia vt inquit Sanchez *lib.* 4. *eiuſdem operis cap.* 18. *num.* 9. puella, quæ ſolius educationis cauſa fuit monaſterium ingreſſa, poteſt exire, & extrahi quandocumque placuerit. 2

Cuius rei nullam rationem adferunt ſuprà ſcripti Autores: & certè ſi aliqua reddi poteſt, illa ſit oportet, quia poſt hāc ætatem nemo, ſiue vir, ſiue fœmina, maximè quæ à primis annis diſciplinis operam nauauit, præſumitur multum diſcere poſſe, vt *ex l.* 1. *C. qui ætate, vel profeſſione lib.* 10. docet *ibidem* Bartol. & Ioan. Oinotom. *in rubrica inſtitut.* 3. *p. num.* 10. *in nota marginali*, noſque alibi fuſius probauimus. Ergo cùm ingreſſus puellarum in monaſteria monialium, cauſa diſcendi, & educationis permitteretur, finita iam ætate, qua regulariter diſci ſolet, & finiatur operæpretium eſt ipſa habitatio intra ſepta monaſterij, cùm ex defectu cauſæ iuſtificantis illicita eſſe incipiat, argumento eorum, quę tradit Bonacina *de clauſura tom.* 1. *quæſt.* 4. *puncto* 4. *num* 22. & nouiſſimè Merola *in diſputat. Theolog. mor. tom.* 1. *diſputat.* 1. *difficul.* 7. *num.* 498. 3

Nec ideò arbitramur, abſoluto termino educationis, ſi ſtatim puellæ non egrediantur, eas in pœnas & cenſuras incidere contra ingredientes ſine iuſta cauſa monialium ſacra domicilia prolatas, vt de illis Bonacina & Merola cenſent, qui cum licentia & honeſta occaſione ingrederentur, finito miniſterio multo ſpatio ibi permanſerunt. Quia, vt inquit Robert. Bellarmin. *dict. loco Concilij*, ſacra Cardinalium Congregatio declarauit ipſas nullas pœnas incurrere, his verbis: *Item abſoluto termino educationis, ſi non ſtatim egreditur puella, nullas incurrit pœnas, ſed Epiſ-* 4

Epiſcopus prudenter præfigat terminum, vt eligat, vel egrediatur, &c. Pro qua declaratione faciunt quæ ex Sanchez *vbi ſuprà num. 69.* contra Bonacinę & Merolæ ſententiam proximè relatam obſeruat nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. part. 3. tractat. 2. de dubijs regular. reſolut. 67. verſ. Sed ego.*

5 Igitur ex prædicta ratione optimè colligitur, puellas ſolummodò educationis cauſa monaſteria monialium ingredientes, vltra vigeſimumquintum ætatis annum ibi minimè perſiſtere poſſe, non verò eas, quæ non ratione melioris educationis, ſed quia tutò domi ſuæ ob tenues facultates ali nequeunt, & apropinquis alimenta ſuppeditantur, ea lege, vt in monaſterio aliquo collocentur; aut quia parentibus, & cognatis deſtitutæ, abſque ſuſpicione ibi manere cupiunt, donec idonea nubendi ſe offerat occaſio, vel alia ſimili honeſta cauſa in monaſteria abducuntur: ſiquidem cùm nullo temporis ſpatio hæ cauſæ circumcludantur, aut certam vel determinatam habeant ætatem, toto vitæ ſuæ ſpatio licitè eiuſmodi puellæ cum monialibus eſſe poterunt, vt omnes ſupra relati fatentur, & præcipuè Sanchez *dict. cap. 16. num. 64.*

SVMMARIVM.

Qui propriæ rei idoneus adminiſtrator non eſt, nec alienæ eſſe poterit. 1.

Minor annis viginti & quinque tutor dari nequit. 2.

Perfecta ætas tutelæ quæ dicatur? 3.

Tempore Iuriſconſultorum etiam minores tutelam gerebant. 4.

Ætas ad tutelæ officium requiſita, an extremè completa eſſe debeat? 5.

Ad tutelare munus eadem ætas in fœminis ac in maſculis exigitur. 6.

Vtrùm in his Regnis, & Luſitaniæ, adſit conſuetudo admittendi fœminas, licèt minores, ad tutelæ adminiſtrationem? 7.

Minor, cui ex Principis reſcripto propria bona committuntur, ideò aliena adminiſtrare non poteſt. 8.

Diſpẽſatio, quæ relaxatio eſt iuris communis, debet ſtrictiſſimè, & non vltra expreſſum in ea, accipi. 9.

L. fin. C. de legit. tutel. explicatur. 10.

Minor, qui Iuriſconſultorum tempeſtate tutor nominabatur, nomine tãtùm erat tutor, & alius interim conſtituebatur, qui tutelam gereret. ibid. & ſequent.

L. quæro 32. §. Lucius, ff de teſtament. tutel. intelligitur. 12. *& ſequenti.*

D. Didac. de Narbona.

Si de facto fuerit minor tutor deſignatus, quæcumque ab ipſo fiant, etiamſi iuramento firmentur, nullius erunt roboris. 14.

Qui tenetur pupillo tutorem petere, non liberatur, ſi minor tutor illi fuerit deſignatus. 15.

Bona illius, qui cùm eſſet minor, fuit, licèt inutiliter, tutor datus, non ſunt tacitè pro tutela obligata. 16.

Quæcumque de tutore dicuntur, & in curatoribus adulti, furioſi, & prodigi, locum habent. 17.

L. 1. tit. 7. lib. 3. fori legum, exponitur. 18.

Leges fori quam vim habeant? 19.

Hoſpitalarij quæ ſit ætas legitima? 20.

Hoſpitalarij, & Hoſpitalium Magiſtri, tutoribus aſſimilantur. ibi.

Curator bonis datus, maioris ætatis eſſe debet. ibid.

Proximiori agnato, cui tanquam minori fuit adminiſtratio bonorum abſentis denegata, & remotiori conceſſa, an ſit poſt legitimam ætatem concedenda? 21.

Adminiſtratoris bonorum Reipublicæ, quæ ſit ætas? 22.

Adminiſtratoris bonorum Reipublicæ, & Syndici, idem eſt munus. 23.

Fœminæ in caſibus, in quibus tutrices, vel curatrices eſſe poſſunt, quam ætatem habere debeant? 24.

QVÆSTIO XXVIII.

Ad officium tutoris, curatoris, hoſpitalarij, vel alterius adminiſtratoris obeundum?

Qui ob lubricum ætatis, & iudicij fragilitatem, à proprię rei adminiſtratione arcentur, vix alterius diſpoſitioni & expeditioni ſufficient, argumento *l. ſic eueniet 21. ad legem Iuliam, de adulter.* non enim decet eos ad aliena negotia gerenda admittere, quorum, veluti Imperator Iuſtinianus apertè fatetur *in princip. Inſtit. de curator.* ea imperfecta natura eſt, vt ſua negotia tueri & expedire non poſsint, iuxta illud *cap. indecorum 3. de ætate & qualitate.* Ita poſt antiquiſsimum, necnon & doctiſsimum Theophylum *in titulo de fiduciaria tutela in fine,* ibidem ratiocinantur Sylueſter *num. 2.* Nicaſius *n. 5. & lib. ſingulari ad eundem titulum,* Alcibiades Lucarinus *cap. 6. num. 19.* & docuit manifeſtè idem Imperator *in l. fin. verſic. Diſcretis, C. de legit. tutel.* Etenim qui rebus ſuis malè proſpicit, nũquã benè prouidebit alienis, ex ſententia Baſil. *exhort. c. 18.* &

Dominici Taſonis *obſeruat. iuriſd.* 3. *verſic.*
2 *3. num. 33.* Hęc ratio eſt, quare nemo ante perfectam viginti & quinque annorum ætatem, vt impuberis bona, & perſonam adminiſtret, in tutorem deligitur. Cùm etenim omnibus indiſtinctè minoribus, qui prædicti temporis metas minimè tranſilierunt, bona auferantur, tutoribus, vel curatoribus in id conſtitutis, vt ipſorum curam, & adminiſtrationem proprio periculo ſuſcipiant, vt ex integris *titulis de tutelis & minoribus* apparet cõſectariũ elicitur illos tutores eſſe non poſſe, qui tutorum, vel curatorum conſilio, & induſtria egent. Cui enim ferendum eſt, eundem eſſe tutorem, & ſub tutela conſtitui? vti rectè argumentatur Iuſtinianus *in d. l. fin. C. de legit. tutela*, & confirmat Gutierr. *de tutelis 1. par. c. 7. num. 20. verſ. Denique.* Quare vulgatum, tam iuris quàm Scribentium axioma eſt, tutores non niſi eos dari, aut nominari, lege, iudice, aut teſtamento poſſe, qui viginti & quinque annorum ætatis ſunt. Ita profert Conſultus *in l. quæro 32. §. Lucius de teſtament. tutel.* & expreſſius Iuſtinian. *in dict. l. fin.* ibi: *Nemo neque frater, neque alius legitimus in tutelam, ſiue ingenui, ſiue liberti vocetur, antequàm quintum & viceſimum ſuæ ætatis annum impleat, §. item maior. inſtitut. de excuſat. tutor.* ibi: *Minores autem viginti & quinque annis olim quidem excuſabantur: noſtra autem conſtitutione prohibentur ad tutelam, vel curam aſpirare, adeò vt nec excuſatione opus ſit.* Idemque diſponitur de iure noſtro patrio, *l. 4. titul. 16. & in l. 2. titul. 17. in fine, part. 6.* de qua legitima ætate viginti & quinque annorum accipiendi ſunt *textus in l. fin. in fine, C. de legitim. hæreditat.* & in *§. fin. de fiduciaria tutela*, quibus omnibus cauetur, eos dumtaxat tutelę officio fungi poſ-
3 ſe, qui perfectæ ætatis ſunt. Nam vt vbique dictas leges exponit Gloſſa, quoad tutelam attinet, perfecta ætas quinque & viginti annorum eſt. Cui etiam accedit Caldas *in l. ſi curatorem, verbo Sine curatore, numer. 111.* poſt Iuſtiniani ſcilicet conſti-
4 tutionem, nam, vt ipſe Imperator ſcribit *in dict. § item maior*, minores viginti & quinque annis olim à tutela excuſabantur. Ex quo rectè infert Menoch. *conſil. 478. n. 21. in principio, volum. 5.* quem refert Gutierrez *vbi ſuprà numer. 19.* & Caldas loco proxime relato, quod ante promulgationem Iuſtinianeæ conſtitutionis permiſſum erat minori non propoſitæ ętatis excuſatione alterius tutelam gerere: ſufficiebat enim eo tempore puberes eſſe, qui tutores aſsignãdi erãt, vt ex Modeſtino *in l. non ſolum 10. §. ſi libertus, ff. de excuſationibus* conijcctari licet, & indicare videntur, Iacob. Boniur *in legum ænigmat. c. 3. n. 7.* Iacob. Cuiac. *in d. l. fin.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem habens, verbo Sine curatore conſtitutus, n. 111.* & Gutierr. *vbi proximè nu. 19.* Itaque ſubintelligendus erit Conſultus *in l. tutela 16. ff. de tutelis, l. quo defuncto 4. de legitim. tutorib.* cùm inquit, legitimas tutelas tantùm ad liberos virilis ſexus, & perfectæ ętatis deſcendere: perfecta enim ætas Modeſtini temporibus ad tutelare munus exercendum, pubertatis erat, vt iam monuimus; & vel ex eo ſolùm apparere poteſt, quod Iuſtinianus *in dict. §. item maior*, ſcribit nempe, ante ſuam conſtitutionem minores à tutelis potuiſſe excuſari, ſed ab eis non arceri, ſi vltrò gerere vellent. Quod ita ab eodem Imperatore immutatũ eſt, vt nullus omnino minor, quamuis tutelę cupidus, ad ipſius adminiſtrationem admittatur. Requiritur enim ad tanti muneris geſtionem, maior viginti & quinque annorum ætas plene completa, vt in expreſſo cõprobant Hieron. Verius *in repetit. l. ex facto n. 163. ff. de vulgar. & pupill ſubſtitut.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo Sine curatore, n. 111. C. de in integr. reſtit.* Paul. Montan. *de tutelis c. 23. n. 28.* Hugo Donell. *commentar. iuris ciuilis, lib. 3. c. 3. circa initium, & c. 7. verſic. Quoad tutores*, Surdus *de alimentis, titul. 9. q. 44. n. 49.* Guilier. Mainer. *in l. quo tutela nu. 2. de reg. iur.* Anton. Faber. *in iuriſprudent. Papin. titul. 15. prin. 1. illat. 7.* Card. Tuſch. *pract. concl. iuris, lit. T. concl. 419. num. 1.* P. Molina *tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 221. nu. 4.* Villalob. *in antinom. lit. T. nu. 38.* Petr. Gregor. *lib. 11. ſyntagm. c. 6. n. 9.* Ioan. Gutierr. *vbi ſupr.* Barboſa *in remiſſio. ad ll. Luſitaniæ 2. tom. lib. 4. tit. 104. §. 3. num. 4.* Alcibiades Lucarinus *de fiduciaria tutela, cap. 6. num. 16.* vbi prædictam ætatem completam eſſe debere affirmat, & *num. 18.* de momento ad momentum eſſe computãdam refert: quamuis contrarium fuerit amplexus Myſingerus *in dict. §. item maior, num. 8.* hoc caſu defendens annum vigeſimumquintum cœptũ pro completo haberi, argumento *l. ad Rempublicã, de muner. & honor.* cui cõſentit Piſon *ibid. n. 7.* tenet ſuperiorem ſententiam nouiſsimè Ioann. De Kerns *lib. 2. diſertat. 10. n. 7.* idẽ etiam in matre tutrice proferens, ſiquidẽ ad tutelare officiũ par ætas viginti & quinque annorum in maſculis, & in fœminis exigitur (licet à patre in teſtamento filiorum tutrices fuerint deſignatæ, vt poſt longam diſputationem concludit Gutierrez *dict. cap. 7. n. 32. cum ſeqq.*) *l. matres 2. C. quando mulier tutel. offic.* ibi: *Vt mulier ſi ætate maior eſt,*

tunc

tunc demum petẽdæ tutelæ ius habeat, &c. vbi inſinuat Gloſſa *verbo Maior*, & confirmat Borgninus Caualc. *de tutore c.* 1. *n.* 184. *cum ſeqq.* Card. Tuſch. *d. lit. T. concl.* 419. *num.* 2. Anton. Piag. *eodem tract. q.* 3. *n.* 10. Ioan. Gutierr. alios referẽs *d.* 1. *p. c.* 7. *n.* 26. vbi cõtra Mõterroſum & Molinam hoc verum putat, niſi aliud cõſuetudine, vel ſtatuto diſponeretur: tũc enim, vt *n.* 28. 29. *&* 30. fatetur, minor ad tutelam admitteretur. Quo argumẽto ductus eſt Molina Theolog. *de iuſt. & iur.* 1. *p.* 2. *tract. diſput.* 221. *verſ. Vtrum mater*, vt ſuſpicaretur, in Regno Luſitaniæ, & Caſtellæ, matrem nondum legitimæ ætatis ad filiorum tutelam admitti. Sed quoad Regnũ noſtrum attinet, fallitur proculdubio prædictus Autor, quia in eo talis conſuetudo nõ viget, vt rectè aduertit Gutierrez *d. num.* 29.

8 Et hanc ætatem præciſe deſiderari ad tutelare onus, adeò verũ eſt, vt licèt minor, Imperatoris, aut Principis reſcripto, ad bonorũ ſuorum adminiſtrationẽ fuerit diſpenſatus, nilominus tutelæ officio fungi non poterit. Tum, quia ea ætate non exiſtit, quæ naturaliter & ciuiliter ad eiuſmodi munus requiritur: tum etiã, quia aliud eſt diſpenſari ad ſuarum rerum adminiſtrationem ; aliud verò ad aliorum, ideoque habilitatus ad pupilli bona gerenda cenſendus non erit, qui indulgentia Principali ad ſua ſimpliciter moderanda ante debitam & legitimam ætatem fuit admiſſus, vt in terminis reſoluit aduerſus Crotum Ioan. Petr. Surd. *tractat. de alimentis, tit.* 9. *q.* 44. *num.* 52. & roboratur, quia omnis diſ-
9 penſatio, vt iuris communis relaxatio, eſt ſtrictiſſime, & nõ vltra expreſſum in ea interpretanda, Caſaneus *in conſuetud. Burgund. tit.* 8. §. 16. *& conſil.* 31. Alciat. *in l.* 1. *C. de ſumma Trinit.* Lapus *allegat.* 57. *ad ſeruandũ n.* 7. Brunor. à Sole plures referens *in compendio vtriuſque iuris verbo Diſpenſatio* 3. *fol. mihi* 65. Ergo diſpenſatio adminiſtrãdi propria bona ad alterius bonorum adminiſtrationem protrahi non debet.

10 Nec ſuperiùs conſtituta eneruantur Iuſtiniani verbis in *d. l. fin. C. de legitim. tutel.* ibi: *Cui enim ferendum eſt, eundem eſſe tutorem, & ſub tutela conſtitui?* quibus (ex quo eum abſurdè dari profitetur, qui ſub tutela eſt) innuere videtur Imperator, tutorẽ illum rectè decerni, qui à tutela fuit exolutus & liberatus, quod cùm pubertate decimoquarto anno cõtingat, vt alibi probauimus, fateri videtur cõtra ſeipſum hanc minorẽ ętatẽ ad tutelã ſufficientem & legitimã eſſe. Quia reſpondetur, ideo à Iuſtiniano illud fuiſſe ſcriptũ, vt iuris veteris abſurditatem improbaret, quo impubes, & qui ſub tutela erat, ad legitimã tutelã vocabatur: non quidem vt ante pubertatem ea vteretur, ſed vt tutor nomine tenus eſſet, donec ad prædictam ætatem perueniſſet, cõſtituto interim alio tutore, vel curatore, cuius adminiſtrandi cura fuiſſet *d. l. non ſolum* 10. §. *ſi libertus*, qui id expreſſe probat, *ff. de excuſat.* conſtatque ex Vlpiano *in fragmen. tit.* 11. §. 22. cui accedit Cuiacius *obſeruat. lib.* 17. *c.* 28. Oſualdus contra Gutierrez *vbi ſuprà num.* 20. *lib.* 3. Donelli *cap.* 3. *lit. A.* Anton. Faber *in iuriſprud. Papin. tit.* 15. *prin.* 1. *illat.* 7. Quod ea ratione Imperator abrogauit, quia ferendum non erat, eundẽ vno eodẽque tempore, quãuis nominè dũtaxat eſſe tutorem, & ſub tutela conſtitui: quomodò *d. l.* accipit Pithe. *in notis ad titul.* 16. *ad collata cum ll. Moſaic. verb. Velſtirpis libertinæ.*

11 Quibus negotium non faceſſit *d. l. tutela* 16. *ff. de tutelis, & d. l. quo defuncto* 4. *de legitim. tutor.* Ex quibus probari videtur, ad legitimas tutelas iure veteri eos tantum vocari, qui perfectæ ætatis ſunt, ideſt, qui iam puberes annos fuerunt ingreſſi, vt ſuperius interpretati ſumus *dict. l.* ibi: *Sed ad liberos virilis ſexus perfectæ ætatis deſcendunt legitimæ.* Nã præterquàm quòd illa verba, *Perfectæ ætatis*, Triboniani eſſe non incõgruè arbitratur poſt Pitheum, quem refert Oſualdus *d. loco*, Petr. Faber *in l.* 2. *prope finem, ff. de regul. iuris*, dicendum eſt, perfectam ætatem in eo textu deſiderari ad exercitium legitimæ tutelæ, non verò ad vocationem, & vt quo ad nomẽ tantùm proximo agnato tutela competat, ſiquidem ad hoc, veluti ex nuper dictis inferri licet, etiam impubes admittebatur, cui alius tutor, ſiue curator adiungendus erat, vt pupilli, pupillariumque rerum curã, & adminiſtrationem durante impubertate legitimi tutoris ſubiret. Quemadmodum & in cæteris tutelis teſtamentarijs etiam poſt Iuſtinianũ obſeruat *l. quæro* 32. §. *Lucius ff. de teſtamentar. tutela, d. l. nõ ſolum*, §. *ſi libertus, de excuſation.* §. *furioſus, inſtit. qui teſtam. tutores dari poſſ.* Ex quibus omnibus communis Scribentium ſententia tenet, quòd ſi minor quinque & viginti annorum fuerit tutor teſtamẽto nominatus, erit tutor in habitu, & donec potentia reducatur ad actum, adueniente legitima ætate, alius tutor, ſeu curator à iudice aſſignabitur, qui pupillaria negotia gerat, & adminiſtret. Ita præter Speculat. Corneum, Vrſill. quos recenſet, & ſequitur Ioan. Gutierr. *d.* 1. *p. de tutelis c.* 7. *n.* 34. tradit Montaluo *in l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 3. *fori. ll. gloſ.* 1. *verſ. Eſt tamen notandum*, Iacob. Cuiac. *in ſumma ad titulum, C. de legitim. tutel. in fine.* vbi aduertit interim nõ eſſe conſtituendũ tutorem, ſed curatorem, quia habenti tutor alius tutor

non datur, §.*interdum.inſtit.de curator.l.4. C.in quib.cauſis tutor.habenti.* Cui & in hoc adſtipulatur Caldas Pereira *vbi ſuprà num.* 111.*&* 112. Ioan.Gutierrez *dicto loco numer.36.* qui & *num. antecedenti* id etiam de iure noſtro patrio veriſſimum arbitratur cũ Gregorio Lopez *in dict.l.4.titul.16.par.6. verbo Mayor de 25.años, & verbo Madre adfinem*, Franc.Hothom. *in dict.§.item maior, verbo Minores autem*, Alcibiad. Lucarinus *dict.tractatu de fideiuciar.tutel.capit.6. numer.20.* Minſinger. *in dict. §.item maior. n.8.* Vveſembec. *ibid.n.2.* Schraderus *in ſelectiſſimis iuris quæſtion.tom.1.titul.14.n.6.*

12 Fortius enim aduerſus receptam huiuſmodi interpretationem vrget inexplicabile Pauli Iuriſconſ. reſponſum *in dict. l. quæro 32.§.Lucius,de teſtam. tutel.* cuius in ſpecie Eroti ſeruo nondum quintum & viceſimũ annum agenti à domino filiorum ſuorum relicta tutela, niſi poſt prædictam legitimã ætatem ea ſeruus non oneratur; ſignum euidens, quòd etiam Iuriſconſultorum tempeſtate vigint.quinque annorum ætas legitima,& neceſſaria ad tutelare munus erat, aut ſaltim ad ipſius exercitium.

13 Nullus ergo omnium,quos viderim,hanc contrarietatem agnoſcit, vno excepto Franciſco Hothomano,qui in *Commentarijs ad §. item maior, verbo Minores autem*, eam præſenſiſſe videtur,& ita ad concordiam redigendam eſſe meritò exiſtimat, vt conſtitui debeat diſcrimen inter tutelas teſtamento datas, & illas,quę à legibus, vel Prætoris decreto deferuntur. Nam priores, quoad periculum earum, ad minores viginti & quinque annorum non pertinebant, *dict.§.furioſus, inſtitut. qui teſtamen.tutor. dari poſſ.* vbi etiam obſeruat idem Hothomanus: de quibus accipiendus eſt *dict. §. Lucius*, vbi verbum illud *onerari* rẽ apertius explicat: ideo enim Conſultus, cùm Erotem ſeruum ad tutelam,ſiue tutelæ periculum ante prædictam legitimam ætatem peruenire non poſſe ſignificare voluiſſet, vſus fuit dictione illa *onerari*, qua de periculo & onere committendo ſe agere manifeſtauit: ergo optimè reſpondit,niſi poſt legitimam ætatem vigintiquinque annorum Erotem tutela onerari non debere: quia ex antiqua iuris diſpoſitione onus, ſeu periculum tutelæ teſtamentariæ,tutoribus ante dictam ætatem nõ imminebat, longè aliter atque in legitimis, & decreto Prætoris delatis tutelis obſeruabatur: in his enim periculum etiam ad impuberes, & pupillaris ætatis tutores ſpectabat,vt manifeſtè ex eo deprehenditur,quod Iuſtin.*in d.l. fin.de legit.tutel.* in derogationẽ antiqui iuris decreuit, vt deinceps minores impuberes, ad quos ſucceſsionis iure legitima tutela pertinebat, eius periculo non fuiſſent obnoxij: quia,nec nomine,tutores futuri ſunt ante viceſimũ quintum annum perfectũ, vt & cæteris tutelis poſt Iuſtinianũ cõmmune exiſtit.

Idque in tantum verum eſt, vt ſi à minore viginti & quinq; annis fuiſſet tutela admiſſa, 14
quæcũque in ea vt tutor adminiſtraſſet, nullius eſſent momenti,quaſi ab eo geſta,qui ad miniſtrandi poteſtatem non haberet,& quod magis eſt,etiãſi ea omnia ſacramenti religione vallaſſet, vt expreſſe ſentit Baldus *conſil. 309.n.1.in fin.verſ.Item hoc probatur lib.2.* quem ſequitur Card.Tuſchus *practic. concl. iuris litera T. concl.419.num.3.* & conducit quod idem tradit *num.ſequenti* ex Fulgoſio *conſ.89.in quæſtion.Ioan.num.3.verſicul. Circa ſecundum*,& *n.4. verſ. Circa tertium*, videlicet,obligatum petere tutores pupillis
non liberari,ſi is detur, qui prædictam ætatẽ 15
non exceſſit,quia perinde eſt àc ſi nullus tutor fuiſſet datus.

Ex quo profluit,nec huiuſmodi minoris bona tacitè eſſe obligata pro tutelæ adminiſtratione,vt optimè cõcludit Franc. Mantica *de tacit.& ambig.conuention.lib.11.tit.21.n.3.& 19.* quia eius tantùm facultates tacito hypothecæ vinculo pro tutela ſuſcepta ſubiacent,cuius ætas ſufficiens ad tutelæ adminiſtrationẽ agnoſcitur, vt nõ obſcurè indicaſſe videtur Imperator *in d. l.fin. verſ. Diſcretis verbis*,vbi cómuni calamo omnes ſubſcribũt. 16

Quę omnia, ita vt de tutore prolata ſunt, 17
in curatore etiã adulti,furioſi,prodigi,aut alterius,cui bonis interdictũ eſt,eodem modo procedunt. Requiritur enim ad curatoris officiũ ſubeũdũ ipſamet ætas viginti & quinque annorũ,quã tutori neceſſariam eſſe proximè adnotauimus,*d.l.fin.verſ.Cui enim, C.de legit.tutel.d.l.4.tit.16.p.6.* idque indicare videtur *l. cuius bonis 9.de curat.furioſ.* ibi: *Vel propter ætatis infirmitatem*, tradunt omnes, quos ad tutoris ætatẽ ſtabiliendam ſuprà cõcenturiauimus: & Bart. Bertazolus *tract. de clauſ.clauſ.8.gloſ.4.n.1.* Ioachim Hoperus *de iuriſprud.lib.10.c.8.fol.mihi 269.& c.6. fol.167.* Caualc.*de curat.* qui etiam in fœminis loquitur *cap.1.à num.4.*

Sed apud noſtros hæc quæ de tutoris & cu- 18
ratoris ętate non abſque rationis fulcro dicta ſunt,turbari videntur expreſſa & contraria deciſione *d. l.1.tit.7.lib.3.fori B.* cuius hæc ſeries: *Todo ome, que ouiere de guardar huerfanos, è ſus bienes, deue ſer de veinte años al menos*,&c. Et ita ſemper fuiſſe obſeruatum teſtatur ibidem Montaluus *gloſ.1. & antea titul.5.l.7. verbo, Que no ſea de edad, eodem lib.*

lib. Quare aſſerendum infertur, ſaltim de iure patrio viginti quinque annorum ſpatiũ legitimum & neceſſarium terminum ad tutelare onus ſuſcipiendum non eſſe, ſed viginti tantùm, vt *dict. l. fori* cauetur, & proclamat Gloſſographus *locis enumeratis*, quibus accedit peruetuſtus quidam Scriptor Franciſcus Galindus *in diſput. de procurator. ciuitatum Regni gubernationem ſumentibus*, *capit. 16. verſic. Dicunt rurſus*, quę manu exarata circumfertur.

19 Huic difficultati reſpondet Ioann. Gutierrez *dict. 1. part. de tutelis, cap. 7. num. 24.* leges Fori propriè leges non eſſe, nec earum robur obtinere, ſed quaſdam eſſe ſcriptas cõſuetudines, quibus tunc ſolùm ſtare oportet, cùm fuerint receptæ, & obſeruatæ, vt probatur ex *l. 1. Tauri*, his verbis: *Mandamos que ſe guarden las leyes de los fueros*, cum illis, *En lo que ſon ò fueren vſadas y guardadas en los dichos lugares*, vnde allegãti leges Fori onus probandi incumbit eſſe vſitatas, Roderic. Suarez *in procem. ll. Fori*, quem ſectatur Gregor. Lopez *in l. 42. gloſ. O treinta*, *titul. 13. part. 5.* & idem Gutierrez *lib. 2. practic. quæſtion. 93. num. 2. & 3.* Ergo cùm diſpoſitio *dict. l. 1.* non ſit vſu recepta, vt quotidiana docet experientia, nil obſtat, quominus proferamus eius ſententię nequaquam eſſe acquieſcendum, niſi eius vſus probetur, vt inquit Olanus *in antinomijs lit. T. numer. 38.* Nam licèt Montaluus & Galindus *vbi ſuprà* de ipſius obſeruatione generaliter teſtentur, quia fortè ſua tempeſtate ita practicari contigerat: attamen noſtris temporibus certum eſt minimè obſeruatum fuiſſe, ſed ius commune, & Partitarum ſecutum, quo diſponitur tutores, vel curatores viginti & quinque annorum eſſe oportere.

20 Quę vtriuſque iuris definitio etiam locum obtinet in Hoſpitalarijs, & Hoſpitaliũ Magiſtris, vt docet Bertachin. *in reportorio, verbo Hoſpitalarius, verſ. Hoſpitalarius minor, & verbo Minor tutor, verſic. Minor viginti & quinque annis*, nam & iſti tutoribus aſſimilantur, *l. orphanotrophos, C. de Epiſcop. & Clericis*, Bertach. *dict. verſ. Hoſpitalarius minor, & verſ. Hoſpitalarius æquiparatur tutori*, Abbas *conſ. 104. in fin. lib. 1.* Cardinal. Tuſch. *pract. concluſ. iuris, lit. H. concl. 169. num. 2. & 6.* Probant hanc ſententiam Gomezius *in cap. ſi annum, in princ. n. 8. de iudic. lib. 6.* vbi ex Cardinal. *in Clemen. fin. §. vt autem q. 5. de religioſ. domib.* & Petr. de Ancharrano ſubijcit illam procedere vbi Hoſpitale in beneficium non conceditur: nam ſi ita concederetur, quatuordecim annorum Hoſpitalarius eſſe poterit, ex *d. cap. ſi annum*, quoad omnia ſpiritualia hanc eſſe legitimam ætatẽ cauetur, necnon in curatoribus bonis tantũ deſignatis, veluti in his, quibus, vt proximioribus agnatis, vel conſanguineis abſentium facultates committuntur, ſecundum Gregorium Lopez *in l. 14. gloſ. 2. tit. 14. p. 5.* Paz *in praxi prima partis 1. tom. 3. p. n. 14.* Eſcobar *de ratiocin. cap. 6. n. 48.* Huiuſmodi enim prædictorum bonorum curam, vel adminiſtrationem ſubire, ante dictam legitimam viginti & quinque annorum ætatem non poſſunt, ob rationes ſuprà exhibitas, quemadmodum ex *d. l. fin. C. de legit. tutel.* docet Gloſſa *verbo Curatorem, in l. 2. ff. de curatore bonis dando*, quam fuerunt amplexati Alex. *conſ. 221. num. 6. lib. 6.* Decius *conſ. 575. num. 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu 150. numer. 23.* Paz *vbi proximè num. 17.* Parlador. *quotidianar. quæſtion. quæſt. 2. num. 6.* vbi ſubijcit, quòd ſi hac ætate ſit minor proximus agnatus, & ideò remotiori ſit delata adminiſtratio, quòd ætate completa ei reſtitui adminiſtratio debet, *l. non ſolum, ff. de excuſat. tutor.* Gloſſ. *in §. item propter aduerſam valetudinẽ, inſt. de excuſat. tutor.* licet Scobar *loco relato num. 52.* teſtetur ſe hac in re ſæpiſſimè vidiſſe 21 Auditores Cancellariæ Valliſoletanæ iudicaſſe, probata fama mortis cum longa abſentia viginti annorum, bona tradi debere proximioribus, abſque diſtinctione ſexus, vel ætatis.

Adminiſtratores verò bonorum ciuitatis, municipij, vel alterius Reipublicæ, eiuſdem ætatis eſſe debere, ex iam dictis nulla 22 dubitatio eſt, maximè cùm id expreſſe contineatur Vlpiani reſponſo *in l. ad Rempublicã 8. ff. de muneribus & honorib.* quam ita intelligendam admonet Philip. Matth. *in l. 2. §. 1. n. 9. de reg. iuris*, vbi ea ratione in Magiſtratibus municipalibus vigintiquinque annorum ętatem *in d. l.* deſiderari ſcribit: quoniam pręter ſuffragium, quod in Conſilio habent, etiam bona ciuitatis adminiſtrant, cuiuſmodi adminiſtrationem adoleſcentibus commiti iura nolunt, quòd ne proprijs quidem rebus adminiſtrandis illi idonei habeantur, *d. l. 1. de minorib.* Et confirmatur, ſiquidẽ adminiſtratoris bonorũ publicorum, & Syndici, idem munus & officiũ eſt, veluti ex tra- 23 ditis à Nicolao Loſæo *tract. de iure vniuerſitatis, p. 3. c. 3. n. 17. & 18.* coniectari licet. Ergo cùm viginti & quinque annorum ætatem ad Syndicatum neceſſariam *hoc eodem anno* præfixerimus, omni dubio procul ſtatuẽdum erit, adminiſtratorem publicę ſubſtantię eadem ętate præditum eſſe debere, quia vtriuſque vnum idemq; munus, quamuis diſpar, nomen eſt.

24 Quid autem hoc in caſu circa fœminas ſit obſeruandum, videamus. Et quidem cùm notiſſimum extet, fœminas â quibuſcumque publicis & particularibus adminiſtrationibus arceri, ſiue tutelarum, municipiorum, & quod magis eſt, bonorum conſanguinei abſentis (vt poſt Gundiſaluum de Paz *in praxi 3. part. 1. tom. num. 16.* docet Parlador. *dict. quæſt. 2. num. 4.* vbi *& num. 5.* ſubnectit, eas nihilominus audiendas, ſi maritis, aut alijs prędictam abſentis adminiſtrationẽ petant) de ætate ad eas obeundas agere non oportet, niſi in caſibus, in quibus à iure ipſis huiuſmodi adminiſtrationes permittuntur, vt puta cùm matri, aut auiæ filiorum, aut nepotum tutela vel cura decernitur, quibus nequaquam fœminæ ad adminiſtrationem bonorum erunt admittendę, abſque eo quòd dictam maiorem viginti & quinque annorum ætatem in viris requiſitam exceſſerint: quia quoad hanc ætatem pertinet, nulla inter maſculos & fœminas differentia aſſignari poteſt, vt ſæpiùs repetitum eſt.

SVMMARIVM.

EI, qui in furore eſt, ante vigeſimumquintum annum, non vt furioſo, ſed vt minori datur curator. 1. & 11.

Pupilli, & puberis minoris, non ſemper eadem cauſa eſt. 2.

Minor cùm furit, ætatis vitio, magis quàm morbo id fieri præſumitur. 13.

Anton. Fabri *opinio reprobatur. ibid.*

Minor ætas ſuſpecta eſt furoris. 4.

Imperfectio iudicij in furioſo, mutatione ætatis ſolet deficere. 5.

Ætas quomodo definiatur? 6.

Nemo poſt longum tempus furioſus præſumitur. ibid.

Furor præſumitur durare triennio, aut ſaltim per annum. 7.

Adoleſcentia, furoris etiam ſuſpicione notatur. 8.

Minor viginti & quinque annis furioſo æquiparatur, & de vno ad alium ſumitur argumentum. ibid.

Furioſus ille creditur, qui audax eſt. 9.

Adoleſcens maximè audax experitur. ibid.

Non carere furore præſumitur ille, qui fuit in aliquo contractu nimis deceptus, maximè concurrentibus alijs indicijs. 10.

D. Franciſci Amaiæ *ſententia reijcitur.* 12.

QVÆSTIO XXIX.

Furioſus, prodigus, vel demens, cuius ætatis eſſe debeant, vt quaſi tales curatores accipiant?

CElebre, ac non minus difficile extat Vlpiani reſponſum *in l. qui habent 3. de tutelis*, vbi poſtquàm ex Quinti Mucij & Iuliani ſententia probauit Conſultus, legem duodecim tabularum, quæ furioſis curatores decernit, ad pupillos, vel pupillas non pertinere; ſed ſi furere cœperint, nihilominus non curatores, ſed tutores accipere debere, ideo ad puberes etiam hoc eſſe protrahendum, ſtatim his verbis ſubnectit: *Quia autem in pupillorum perſona agnatos curatores non admittimus, idcirco putaui, etſi minor viginti quinque annis furioſus ſit, curatorem ei, non vt furioſo, ſed vt adoleſcenti dari, quaſi ætatis eſſet impedimentum: & ita definiemus, ei quem ætas curæ, vel tutelæ ſubijcit, non eſſe neceſſe quaſi dementi quæri curatorem, & ita Imperator Antoninus Auguſtus reſcripſit, cùm magis ætati quàm dementia tantiſper ſit conſulendum.* Extat Antonini reſcriptum, etſi non integrum ſaltim ea parte, cuius ab Vlpiano hîc fit mentio, in *l. 1. C. de curatore furioſi*, & eo proculdubio dicta ſententia continetur, dum inquit prodigis, vel furioſis, niſi impleta legitima ętate (ſcilicet viginti & quinque annorum, *l. fin. C. de his qui ven. ætat. l. 4. C. de tranſactibn.* iunctis alijs, quæ in hanc rem ſuprà *hoc eodem anno* congeſſimus) curatores non tribui: ergo anteà non dantur niſi ratione ętatis, vt inquit Vlpianus *in dict. l. 3.* & in propoſito argumentatur Amaia *obſeruation. lib. 1. cap. 8 num. 16.* docet Antonius Faber *in rationali ad l. quam Tuberonis 7. §. pupillum, verſicul. Ergo ſi furere cœperit, ff. de peculio*, Oſualdus *lib. 3. Donelli capit. 18. liter. C.* 1

Sed ſibi contrarius Anton. Faber *in Iuriſprudent. Papinian. titul. 12. prin. 1. illat. 6.* hanc eſſe Vlpiani ſententiam inficiatur, Tribonianique peſſimi interpretis, & impoſtoris figmentum appellat, idque leuiſſimis rationibus, & coniecturis, quibus optimè ſatisfacit Amaia *vbi ſuprà*, & præſertim illa prædictæ legis autoritatem detrectatur, 2

tur, quia ineptiſſima videtur conſecutio, qua id infertur ab Vlpiano, cùm ex eo, quòd prudentum interpretatio pupillos excepit à generalitate verborum legis duodecim tabularum, quibus furioſi omnes comprehenduntur, non rectè colligitur, minores etiam viginti & quinque annis eſſe excipiendos. Nam etſi in pleriſque impuberum, & minorum eadem cauſa, idemque ius ſit, in propoſito autem caſu longè inter ſe diſſident, quia non ſicut impuberi tutor, ita puberi curator inuito datur, nec quemadmodum perſonæ tutor datur, ita & curator, quem ſæpius iura clamant bonis tantùm dari ſecus atque furioſi, qui & perſonæ etiam reluctanti, & bonis ſimul conſtituatur oportet, vt ex verbis deprehenditur, *dict. l. duodecim tabularum*, & probatur ex *l. conſilio 7. ff. de curatore furioſi*.

3 Verùm quidquid molitus fuerit Anton. Faber, & vt aſſolet, huius textus ſcripturam corruptam, & Triboniani eſſe contendat, certius eſt Vlpianum, quem preſert, autorem habere, nec aliud ex *ipſius legis* verbis & argumentandi ratione poſſe deduci, cùm digna ſit, & propria tanti viri illa conſecutio, pupilli excipiuntur à generalitate legis duodecim tabularum, quia cùm furiunt ætatis vitio id magis eis, quàm morbo accidere creditur: ergo & puberes, minores tamen viginti & quinque annis, eadem lege excipientur? Cum etiam hac ætate prædicta fauorabilis preſumptio locum poſſit obtinere.

4 Quod vt faciliùs percipiatur, ſciendum eſt, non ea ratione precipuè fuiſſe pupillos excluſos à generali ſententia legis duodecim tabularum, quia tutoris datione ſatis illis erat prouiſum, quamuis furentibus, vt exiſtimauit Anton. Faber *dict. loco*, & placuit Amaię *num.* 10. ſed potiùs quia cùm eorum ætas ſit ſuſpecta furoris, vnde impuberes parum à furioſis diſtare dicimus, *l. Fulcinius, §. plane interdum, ff. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eatur, §. pupillus, de inutilibus ſtipulation.* Si tamen aliquando furioſi appareant, id nō tam ex morbo, quàm vitio ætatis ipſis accidere benignè creditur, ac conſequenter eos tutore magis quaſi impuberes indigere, quā curatore, velut furoris ægritudine laborantes. Nam vt honorificentius eſſe, inquit Anton Faber *ibidem*, minori, eidemque prodigo, vel dementi, vt curatorem accipiat tanquam minor, quàm vt tanquam demens, vel prodigus, cùm ſperari probabiliter poſsit (quomodò de ciuibus ſuis bene ſperare Legiſlator ciuilis ſemper ſolet quātum poteſt) fore vt ad ſaniores mores redeat minor, vbi ad legitimam peruenerit ætatem: ita & pupillo, ſimulque furioſo, longè erit honorificētius, tutorem ſortiri quaſi pupillum, quàm curatorem vti furioſum, cùm etiā de eo magis ſperari poſſit futurum, vt ad ſanius iudicium accedente pubertate reuertatur, qui nō tam morbo, quàm impubertate furioſus preſumitur: maxime cùm hoc modo ſatis illis prouiſum ſit, vt rectè aduertit Amaia *vbi ſuprà*, hac in re conſulendus.

Nec obſtat quod ſcribit Anton. Faber, non ita de minore furioſo ſperari hoc poſſe, vt de prodigo, & dementi ſperari dixit: quia mentem abalienatam reſtitui difficilius eſt, quàm vt ex ſolius ætatis beneficio id ſperandum videatur, ſiquidem verius eſt, nedum pariter, ſed & melius hoc de furioſo, ac de prodigo, & dementi ſperari poſſe. Nam, vt egregiè inquit Paulus Zachias ex Medicis primus, & ex Iuris profeſſoribus non vltimus, *quæſtionum medicolegalium lib.* 1. *titul.* 1. *q.* 3. *num.* 29. intellectus imperfectio in furioſo, cùm ſit ex accidēti & morbo, facilè quidem poteſt intermittere, maximè mutatione ætatis, qua & temperamērum, & qualitates mutantur. Veluti idem Zachias inquit *ibidem, titul.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 7. vbi ætatem definijt eſſe certum vitæ ſpatium, in quo pro tempeeramenti mutatione corporis & animi peculiares vigent actiones: vnde commune exiſtit noſtrorum pronuntiatum, neminem furioſum poſt longum tempus talem præſumi, vt docent Aretinus *in §. præterea numer.* 7. *inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtam.* Boher. *deciſ.* 23. *num.* 84. *verſicul. Quærens ſi teſtamentum*, Couar. *in* 4. *Decretal.* 2. *par. capit.* 2. *poſt num.* 6. Mantic. *de coniectur. vltimar. voluntat. lib.* 2. *tit.* 5. *numer.* 6. *verſicul. Secundò etiam.* Maſcardus alios referens *tomo* 2. *de probation. concluſ.* 825. *numer.* 20. quoniam, vt ſentit Baldus *in §. item furioſi, inſtitut. de teſtament.* & Alexand. *in l. furioſum, C. qui teſtament. facere poſſ.* furor præſumitur durare triennio, vel per annum tantū, vt mauult Bertachinus *verb. Furor, verſ. Furor præſumitur.* 5 6

Sub hæc item præmittendum erit, adoleſcentiam, ſiue iuuērutem, aut pubertatem, quæ ad annum 25. producitur, vt ſuo loco probauimus; etſi non ita vehementer ac pupillarem, furoris etiam ſuſpicione notari. Hinc Sillius *lib.* 11. furiatam eam appellat hoc carmine. 7

Turbati ſignum belli furiata iuuentas.

Et Michaël Anglicus *inſanam* dicit:

Lachrymæ & inſanæ deliramenta iuuentæ.

Quo ſenſu iuuenile tonitruum dixit Euripides, ex quo prouenit, minorem 25. annis ſu-

furioſo æquiparari, *l.* 1. *C. de curator. furioſ.* vbi Bald. & alij notant Sforc. Oddus *de reſtitut. in integr. part.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 2. *verſicul. In contrarium*, & à furioſo ad minorem & è contra deſumi argumentum: ita Euerardus *in loco à minoribus ad furioſos, fol. mihi* 404. & Iodoc. Danauderius *in enchiridion*
9 *parium, & ſimilium, pag.* 106. Nec mirum, nàm ſi furioſus ille creditur, qui audax eſt, vt aſſerit Rofredus *de ord. cogn. part.* 8. *in verbo ſuccedit & alia conſtitutio* poſt *num.* 22. cui ſubſcribit Maſcard. *de probat.* 2. *part. concl.* 426. *nu.* 9. Quis enim maiori audacia quàm adoleſcens præditus eſt? Audi Lucanum *lib.* 3. *Audaxque iuuentus erupit*, & S. Nicephorum Conſtantinopolitan. *in Breuiario Hiſtoriæ de Teleſio quodam*: *Arrogantem hominem*, ſcribit, *ac iuuenili audacia ferocem*. Hinc Iuſtinianus *in l. cùm non ſolùm* 8. § *filius autem, C. de bonis quæ lib.* coarctandos admonet iuueniles calores, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant.

10 Nec hoc ſolùm adoleſcentes furioſos conuincit, imò & illud, quod inter omnes conſtat, fragile eſſe & infirmum eorum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorum inſidijs expoſitum, vt Conſult. Vlpianus profert in *l.* 1. *ff. de minor.* Vnde frequenter ab illis, cum quibus contrahunt, enormiter decipiuntur, quod non leue furoris ſignum eſt, vt optimè expendit poſt Decium *conſil.* 86. *numer.* 7. *verſicul. Cum ex tali contractu*, Maſcard. *de probat. dict. concl.* 826. *num.* 13. vbi non carere furore eum dicit, qui in aliquo contractu enormiter læſus eſt, maximè concurrentibus alijs indicijs, quibus id non malè coniectari poſſit, vt in adoleſcentibus adeſſe iam oſtendimus.

11 His ergo ſuppoſitis, quis ita hebetis & reſupini erit ingenij, vt Conſulti argumentationem & conſequentiam *in dict. l.* 3. *de tutelis*, veluti inordinatam, & minus legitime deductam accuſet, cùm nihil aptius ab Vlpiano dici potuiſſet, quàm ex eo adoleſcenti minori viginti & quinque annis, eidemque furioſo curatorem vt minori, non vt furioſo eſſe dandum; quia in pupillo idem obſeruari dixerat, argumento *l. qui neque* 8. *verſicul. Sed ſi curator. ff. de rebus eorum, qui ſub tutel. ſunt*, cùm eadem coniectura deſumi poſſit ex minori ætate, quæ ex pupillari deſumitur, pariterque ciuili benignitate præſumi vtriuſque furorem, non tam morbo quàm vitio ætatis naturaliter accidere; vt pote ſolet his ætatibus commune, propriumque eſſe, veluti iam oſtendimus, & probatur ex ratione, qua moueri ſcribit Conſult. *in dict. l.* 3. ibi: *Curatorem ei, non vt furioſo, ſed vt adoleſcenti dari, quaſi ætatis eſſet impedimentum.* Quid enim eſt furorem eſſe ætatis impedimentum, niſi naturale vitium ipſius eſſe? aut quare hac ratione in adoleſcente hoc ſtatuiſſet Vlpianus, niſi & eadem in pupillo idem diſpoſuiſſet ad cuius ſimilitudinem minoris cauſam ſe definire propoſuit, vt patet, ibi: *Quia autem in pupillorum perſona*, &c. *Idcircò putaui, etſi minor viginti quinque annis furioſus ſit*, &c. Quod apertiùs conſtabit ſequentia eiuſdem verba prælegenti, vbi ſimul de pupillo, ac minore loquens, ita ſuperiora omnia complectitur: *Et ita definiemus ei, quem ætas curæ, vel tutelæ ſubijcit, non eſſe neceſſe quaſi dementi quæri curatorem*: & hanc reddit rationem, *Cùm magis ætati quàm dementiæ tantiſper ſit conſulendum*, id eſt, quia horum furor, ætatis potius, quàm morbi exiſtimatur, ætati magis, qua vitium latet, quàm dementiæ vti morbo, conſulendum erit, cùm magis ætate laborare, quàm morbo ipſi videantur.

12 Ex dictis colligitur minùs bene ſenſiſſe Franciſcum Amaiam *dict. lib.* 1. *obſeruation. cap.* 8. *num.* 10. Vlpianum non eadem ratione ad minores extendiſſe quod prius de pupillis fuerat interpretatus, ſed diuerſa, ea ſcilicet, quia minor ætas magis ſit attendenda, quæ eſt cauſa naturalis, non furoris impedimentum, quod eſt cauſa accidentalis, vt ex Bartolo *ibidem* deſumit, quoniam vt dictis affatim probatur, vna eademque ratio ſuaſit, & pupillis, & minoribus furentibus tutores & curatores dari, non tanquam furioſis, ex *dict. l. duodecim tabularum*, ſed tanquam pupillis & minoribus, iure communi, vt de prodigis, & dementibus, quibus furor accidit, fatetur Anton. Faber *dict. illat.* 6. *ad finem.* & ante eum Bartol. *in dict. l.* 3.

SVMMARIVM.

Minor annis viginti & quinque, ſiue maſculus, ſiue fœmina, non priuatur ſucceſſione pupilli, quamuis ille tutorem petere intra annum neglexerit. 1.

Mater minor, ventri curatorem petere omittens, ipſius ſucceſſione non priuatur. 2.

Mater minor, quæ nondum petito tutore filijs, tranſit ad ſecundas nuptias, amiſſione ſucceſſionis non punitur. 3.

Minor fœmina ſecundò nubens, non amittit proprietatem bonorum, quæ à primo matrimonio habuit, nec ea tenetur prioribus filijs reſeruare. ibid.

Qui lege municipali, aut ſtatuto pro maiore habetur,

betur, licèt anno quinto & viceſimo ſit minor, priuatur ſucceſſione ob non petitum tutorem. 4.

Mater intra, vel poſt annum petitioni tutoris iure præſcriptum, maior facta, an in poſterum obligatione petendi tutorē teneatur? 5.

QVÆSTIO XXX.

Ut iure ſucceſsionis priuetur, qui pupillo tutorem petere neglexerit?

1 VIgeſimo & quinto anno maiorem eſſe oportere, qui vt negligens petendi tutorem pupillo intra annum hæreditatis iactitam, ex diſpoſitione; *l. ſciant* 10. *C. de legitim. hæred.* ſubire debet: nec ex eo ſolo conuincitur, quòd huiuſce ætatis minoribus talem pœnam eſſe infligendam negant Imperatores, ſed etiam quia vtrumque proferunt *in l.* 2. *C. ſi aduerſus delictum*, his denique verbis: *Licèt in delictis ætate neminem excuſari conſtet, matri tamen, quæ filijs tutorem ætatis lubrico lapſa non petijt, eorum minimè denegari ſucceſſionem conuenit, cùm hoc in maioribus matribus tantùm obtineat.* Quæ etſi tantùm in matre loquatur, neceſſariò ex identitate rationis; etiam ad conſanguineos, & proximiores cuiuſcumque ſexus eſſe producēdā, meritò poſt Speculatorē voluerunt Fulgoſ. *conſ.* 52. Anton. Gabriel. *lib. 6. commun. concluſ. tit. de tutelis, concluſ.* 1. *num.* 55. Anton. Gomez *in l.* 14. *Tauri, num.* 18. & Ioan. Gutierr. *tract. de tutelis* 1. *par. cap.* 16. *num.* 98. Quidquid minus benè contrarium miſſus fuerit defendere Salicet. *in d. l. ſciant in princip. n.* 1. *verſ. Sed quid ſi maſculo minore*, & ex eo Ioan. Neuiçanus *in ſylua nuptial. lib.* 1. *num.* 53. *verſ. Limita nono*, aduerſus quos meritò inuchitur Emanuel Coſta *in repetit. cap. ſi pater* 2. *part. verbo Ipſis pauperibus numer.* 3. vbi eā ratione inquit *d. l. fin.* tantùm in matre fuiſſe locutam, non quia ſpecialis eſſet excuſatio fœminæ, ſed quia ſpecialis erat pœna matris, ſiquidem ante *dict. l. ſciant*, nemo maſculus priuabatur hæreditate legitima propter non petitum tutorem; quoniā pœna ſpecialiter erat conſtituta contra matrem & auiam, vt docet Bartol. *diſp.* 18. *n.* 7. & *in l.* 2. *nu.* 13. *ff. qui petant. tutor.* Vnde ſicut mater minor 25. annis non includebatur in antiqua lege pœnali, ita quoque nullus minor viginti quinque annis includetur in noua pœnali lege, *dict. l. ſciant.* Igitur præfatam pœnam amittendi ſucceſſionem in maioribus tantùm obtinere, ex *dict. l.* manifeſte colligitur, & ex eis comprobant Tellus Fernandez *in l. 6. Tauri num.* 28. Quintil. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 5. *q.* 13. qui *eodem cap. n.* 96. ad matrem curatorem ventri non petentem extendit; Mainer. *in l. quo tutela num.* 15. *ff. de reg. iur.* Gregor. Lopez *in l.* 12. *verb. Pierden, tit.* 16. *p.* 6. Donellus *lib.* 3. *comment. capit.* 8. Stephan. Gratian. *diſceptation. forenſ. tom.* 1. *cap.* 72. *n.* 8. Perez de Lara *in compen. vitæ homin. c.* 19. *n.* 41. Et loquentes de matre tranſeunte ad ſecundas nuptias, non petito tutore filijs impuberibus; docent Nicol. Boher. *deciſ.* 185. *num.* 28. Anton. Olibani. *in praxi action. p.* 2. *lib.* 1. *c.* 47. *num.* 25. qui generaliter definijt, nullam pœnam ſecundò nubentium in minore locum obtinere, vt de hac amittendi ſucceſſionem ob non petitum tutorem expreſſe firmat Thom. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſput.* 88. *nu.* 13. vbi & *n.* 41. etiam iure canonico attento procedere tuetur, & *dict. lib.* 7. *diſput.* 89. *num.* 58. loquens de obligatione, qua tenetur mater, reſeruandi filijs prioris matrimonij bona, quę ab eo acquiſiuit, inquit fœminā minorem tranſeuntem ad ſecundas nuptias nec amittere proprietatem dictorum bonorum, nec eam teneri reſeruare filijs prioris matrimonij, quam plures alios referens ſequitur Ioan. Gutierr. *de matrimon cap.* 109. *num.* 66. 2 3

4 Quam ſententiam ita accipiendam ex plurimorum iudicio meritò admonent Quintil. Mandoſ. *vbi ſuprà q.* 14. & 19. Ioann. Gutierr. *dict. cap.* 16. *num.* 97. dummodò mater, aut qui ſucceſſionis ratione tutorem petere cogitur, ad eam ætatem non prouenerit, qua exiſtentes, conſuetudine, ſtatuto, vel municipali lege pro maioribus habentur. Nam ſi illam expleuerint, etſi minores quinto & viceſimo anno ſint, prætextu minoris ætatis ab obligatione petendi tutores minimè excuſabuntur.

5 Vtrùm autem fauor iſte minoris ętatis ita vires ſuas producat, vt etiam maiore facta matre, vel propinquo, intra, ſeu poſt annum, ad eiuſmodi tutoris poſtulationem præſcriptum, reliquo tempore pupillaris ætatis, nulla petendi incumbat obligatio? latiſſimè diſputat Ioan. Gutierr. *dict. loco à nu.* 91. qui poſt longam diſquiſitionē concludit, quòd ſi mater minor efficitur maior infra annum mortis mariti, durante pupillari ætate filiorū ſuorum, ſtatim ac exceſſerit minorē ætatem; incipit ſibi currere annus ad petendum tutorē filijs impuberibus à iure cōceſſus, ita vt ſi durante ea pupillari ætate filiorum non petierit eis tutorem dari cū effectu intra annum; &

& ipſi decedant impuberes poſt illum annum à maioritate matris decurſum, ipſa priuetur eorũ ſucceſſione, quia maioribus currit hic annus, ſecus verò ſi poſt pubertatem filiorum effecta ſit maior, aut intra pubertatem, dum tamen nondum integro anno elapſo filij deceſſerint. Etſi contrarium ſentire videatur Baeza *de inope debitore, cap. 9. nu. 10.* dum inquit, quòd ſi mater non petat filijs tutorem, & excuſatur, quia minor eſt, ei non obeſt, ſi poſteà maior facta tutorem petere adhuc ceſſet.

SVMMARIVM.

Proximum pubertati, Principis diſpenſatione iudicem eſſe poſſe aliqui docent. 1.

Impubes naturali ratione à iudicando arcetur. 2.

Quoad naturalia attinet, ſuprema iuriſdictio inefficax eſt. 3.

Impubes rectè à Principe iudex creari poteſt, ita vt ſolùm poſt pubertatem iuriſdictione vtatur. 4.

L. quidam 57. ff. de re iudicata, expenditur. 5. *&* 19.

Decimumoctauum annum agentem, iudicem eſſe poſſe alijs magis placet. 6.

Maiorem annis viginti, & iudicem eſſe, & ad iudicandum compelli poſſe, multorum ſententia eſt. 7.

Senes, & grandiores natu, ſolùm iudices eligi debere, aliqui exiſtimant. 8.

Verius eſt, minores annis viginti & quinque iudices creari non debere. 9.

Ante vigeſimumquintum annum, nemo ad reipublicæ adminiſtrationẽ habilis cẽſetur. 10.

Munera iudicandi, & Reipublicæ adminiſtrandæ, an ſint diuerſa? & ſeqq.

Qui poſtulare poteſt, an & iudicare poſſit? 13.

Minor iudicium aſſumens, temerariè facit. 14.

Vtrùm ſit aliqua differentia inter iudicem, & arbitrum? 15.

Sententia à minore lata, tantùm ex æquitate ſuſtinetur. 16.

Ætas Iudicis apud Romanos triginta annorum erat. 17.

Iudicandi munus quare minoribus interdicatur? 18.

L. eum lege 41. ff. de recept. arbit. explicatur. 20.

L. cùm prætor 12. §. nõ autem ff. de iudicijs, intelligitur. 21. *& ſeqq.*

Minor à iudicando, non natura, ſed lege arcetur. 23.

Etiã de iure Canonico, minor annis viginti & quinque iudex ordinarius eſſe non poteſt. 24

De iure noſtro quæ ætas ſit in iudice neceſſaria? 25.

An viginti & ſex annorum ætas apud noſtros in iudicibus tantum literatis exigatur? 26.

Iudicis Commiſſarij, quem vulgò Peſquiſidor *nuncupamus, quanta ætas eſſe debeat? ibid.*

Princeps diſpenſare poteſt, cũ pubere maiore decem & octo annorum, vt iudex creari poſſit 27.

Princeps eligendo minorem, cum eo diſpenſare videtur. 28.

Minor partium conſenſu iudex datus ab eo qui poteſt, validè iudicat. 29.

Pupillus, licèt ſucceſſione poſſit iudicandi munus habere, eo tamen vti, niſi per tutorem, vel curatorem non poterit. 30.

Magiſter ſcholarium, etiam minor, iudicandi facultatem habet. 31.

QVÆSTIO XXXI.

Ad iudicandum quæ ætas ſufficiat?

Ancipitem enim, & quampluriũ Scriptorum opinionibus plenã inueſtigationẽ aggredimur: vix enim quæ certa ætas adiudicãdi munus requiratur, ex ipſorum ſcriptis erui poteſt, ita vt quod de alijs Socrates, vnicuique ſcilicet, diſſentiẽdi curã fuiſſe, & de noſtris peruulgari rectè poſsit, Cumanus ergo *in l. quidã cõſulebat n. 3. ff. de re iud.* proximũ pubertati Princip's diſpenſatione iudicẽ eſſe poſſe, late & enixe defendit. Pro qua opinione Bartolum *in l. ſi quæramus n. 6. ff. de teſtam.* adducit aſſerentẽ, ſtatutum poſſe diſpenſare cũ proximo pubertati, vt cõdere teſtamentũ rectè valeat, docet Sicul. *in c. cũ vigeſimũ n. 12.* ex Felino *col. 2. de officio delegat.* qui Gloſſæ autoritatẽ in idem refert in *c. ſtatutum in prin. verbo Canonicis, de reſcriptis in 6.* vbi inquit, Papã ex certa ſcientia poſſe Canonicum ſeptennem iudicem dare. Quam etiam Cumani doctrinam ſequutus eſt Petr. Greg. *ſuper decret. c. 4. de reſcriptis n. 4.* Petr. Moneta *de conſeruat. c. 5. n. 161.* 1

Sed quàm friuola hæc ſententia ſit, quantũque à iuris regulis abhorreat, nec difficulter percipiet qui impuberẽ naturali iure à iudicando, omnibuſque publicis officijs arceri ex *§. præterea, quibus non eſt permiſſum facere teſtam. l. cùm prætor. §. fin ff. de iudicijs, l. 2. §. impuberes. ff. de iure immunit.* ſciuerit. Ergo cùm propter naturalẽ defectum iudex eſſe nõ poſſit, nec cũ eo Princeps diſpẽſare poterit, vt iudicet cùm quoad naturalia attinet, ſuprema iuriſdictio inefficax cenſeatur, *§. ſed naturalia,* 2

ra'ia, inſtitut. de iure naturali, ſentit in propoſito Gloſſa *in l. cum prætor* 12. *§. fin. verbo impubes, ff de iudicijs*, Suar. *alleg.* 12. *à num. 6.* Zaſ. *in l. quidam conſulebat nu. 8. de re iudic.* Vantius *de nullit. tit. quomodo ſententia nulla reparari poſſit n.* 54. Gratian. *regul.* 378. *num.* 10. Barboſa *in d. l. cùm prætor* 12. *§. fin. num.* 50. *ff. de iudicijs*, qui prædictæ opinionis
4 fundamentis à *n.* 55. ſatisfacit, quæ ne excribere videar, miſſa facio. licèt valere credere, ſi impuberi concederetur officium iudicandi addita clauſula, vt eo vtatur, poſtquam fuerit legitimæ ætatis, vt argument. *l. qui ſponſæ, C. de donat. ante nupt & cap. ei qui, de præbend. in 6.* docet in terminis Decius *in l. 2. §. item impuberes, num. 3 & in cap poſt ceſsionem n. 5. de probat.* & *conſ. 40. num. 2.* Suarez *allegation.* 12. *n.* 23. Barboſa eos referens *d. in loco nu.* 64. quamuis in contrarium faciat opinio Bartoli *in l. impuberem in prin. n. 3. ff de falſis*, ex regula *cap. ſi eo tempore, de reſcriptis*, cui ſatisfacit Barboſa *vbi ſup. num.* 65. *cum ſeqq.*

Nec à ſuperiori ſententia diuerſum docuit Gobeanus *de iuriſdictione lib. 2. in l. 2. verſicul. Vnde illud ſequitur*, ſcilicet, pubertem, ſiue eum, qui decimumquartum annum compleuit, non impediri quominus iudex eſſe poſſit: & fundamentum pro ſuperiori
5 ſententia adductum ex *text. in l. quidam* 57. *ff. de re iudicata*, ei potiùs aduerſari, quam ſuffragari videtur, cùm tunc ſententiam à minore viginti & quinque annorum prolatam valere, & ſubſtinendam Iuriſconſ. doceat, quoties minor decem & octo annis non ſit, qui iudicium dixerit, ſiquidem illo in caſu ſententiam nullitatis vitio laborare, tanquam certiſsimum docet. Ergo qui decimum & quartum adimpleuit, adhucque decem & octo annorum minor exiſtit, conſequenter ex *d. l.* fatendum erit, iudicem nullatenus eſſe poſſe.

6 Hinc enim ex prædicta *l. quidam* quam plurimi tenuerunt, decimum & octauum annum legitimam eſſe ætatem ad iudicis officium, vt ex Gloſſa *penultima in dict. l. quidam*, docent communiter Alexand. *ibidem num.* 2. & probatur ex illius *text.* verbis, ibi: *Æquiſsimum erit tueri ab eo ſententiam latam, niſi minor decem & octo annis ſit*; tenet Suarez *allegation.* 12. *numer.* 10. Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 6. caſu* 540. *numer.* 2. Caldas Pereira *in l ſi curatorem, verb. Hanc contractum, numer.* 44. *C. de integr. reſtitut.* qui nonnullos refert. Quam etiam ſententiam aliquo temperamento, & moderamine, nempe ſi partes voluerit, nec litigatores eum recuſent, etiam amplectunrūt Tiber. Decian *reſpon.* 18 *num.* 18. Philip. Matth. *in l. 2. §. 1. num. 6 ff de reg. iur.* & ferè eiuſdem opinionis aſſertores videntur Vueſembec. *in paratit. ad titulum, C. qui pro ſua iuriſdictione, num. 6.* Petr. Faber *in dict. l. 2. §. 1. de reg. iur.* qui maiorē decem & octo annorum, non verò minorem, iudicem eſſe poſſe ſtatuunt. Sed hæc ſententia, quàm improbabilis ſit, ex reſponſione ad *d. l. quidam*, inferiùs apparebit.

Alij exiſtimant maiorem viginti annorum 7
iudicem eſſe, & ad iudicandum compelli poſſe. Ita Innocen. *in d cap. cum vigeſimum nu. 1. de offic. & pot. iud. deleg.* Matth. Stephan. 1. *de iuriſdict.* 17. *num.* 26. Bronc. *aſſer.* 65. Zang. *de exc. p. 2. cap. 1. num. 16. & ſequen.* Arum. *diſput. Pand. 7. tom. 7.* & latè doctiſsimeque Petr. Barboſa *in dict. l. cùm prætor* 12. *§. fin. à nu.* 48. *cum ſeqq.* eo Iuriſconſulti moti *in l. cum lege* 41. *ff. de recept. arbit.* vbi inquit, lege Iulia cautum eſſe, minorem viginti annis iudicare compellendum non eſſe: ergo maiorē rectè adſtringi poſſe, docet? quod niſi ad id tunc legitimę ætatis cenſeretur, minimè liceret.

Nec defuere aliqui, qui grandiores tan- 8
tùm, & ſenes huic iudicandi muneri adaptandos exiſtimarunt. Sic docuit Claudius *lib. 1. de offic. iud. Quamquam*, inquit, *in deligendo iudice nullius rei æquè ſit habēda ratio, atque ſapientiæ, & integritatis, conuenire tamen videtur, vt natu grandes ei muneri præficiantur. Nam & ſenibus plus adeſſe ex vſu rerum prudentia ſolet, & affectus ſunt moderatiores. Tum etiam relucet quidam in ſenibus vultus obſeruandæ maturitatis: quod illi plurimum apud populum autoritatis conciliatur*: & prædixerat Ariſtotel. *lib. 1. Politic. cap. 8. & lib. 1. Rhetor.* his verbis: *Periculoſa ſatis eſſe in omni ferè negotio adoleſcentium conſilia, nec facile repertum quòd aliquid rectè geſſiſſent rerum magnarum, quibus cani non fuerint ad conſultationis communionem adhibiti*: & expreſsius Plato *de Republica, titul. 3. Non iuuenem, ſed ſenem eſſe oportet bonum iudicem, qui ſerò quale quid in iuſtitia ſit, didicerit, tanquam qui non proprio eam in animo ſuo ſenſerit, ſed alienam in alienis animis longo tempore nouerit, atqui idcirco cuiuſmodi ſit malum diſcernat, ſcientia potiùs, quàm propria experientia iudicans generoſiſsimus certè iudex huiuſmodi eſſe iudicatur.* Idemque amplectitur Maſtrill. *de Magiſtratib. lib. 2. capit. 5. numer. 4. cum ſequentibus*, qui & *numer.* 21. ſubiungit, ex Plutarcho, Licurgum primum apud Spartiatas conſtituiſſe iudices, ibique ſtatuiſſe in demortui locum eum aſſumi debere, qui virtute cæ-

cæteris præſtare iudicatus eſſet, ex illis ſcilicet, qui annum ſexageſimum compleuiſſent, à quo parum diſſentiens Xenophon *de Pædia Cyri lib.* 1. his verbis: *At poſtquam annos quinque viginti complerint, agentes hi ætatis aliquanto amplius quàm quinquageſimum (illorum iam ætatem ingreſſi, qui & ſunt, & vocantur ſeniores) non etiam in exercitum eunt extra ſolum patrium, ſed manentes domi, iudicant omnes cauſas, & publicas, & priuatas*: tenet etiam Manuel Rodriguez *quæſtion. regul. tom.* 3. *quæſt.* 34. *articul.* 2.

9 Sed his, quampluribuſque alijs Gloſſographorum ſententijs, ne in immenſum protrahamur, ex animo omiſſis; verior opinio, & quę, ni fallor, amplexanda βασιλικῶν 7. *tit.* 5. eſt Harmenopoli *lib.* 1. *cap.* 4. Gloſſę *in l.* 2. §. *item impuberes, ff. de reg iur. & in d. l. cùm prætor. ff. de iud.* Caſſan. *in conſuet. Burgundiæ de iuſtities, Rubric.* 1. §. 6. *num.* 12. Anton. de Butrio *in dict. cap. cùm vigeſimum, n.* 4. quam ſecuti ſunt doctiſſimus Iacob. Cuiac. *in l.* 1. *C. qui ætate ſe excuſ. lib.* 10. Hugo Donell. *com. iuris ciuilis, lib.* 17. *capit.* 24. & ibidem Oſuald. *lit. G.* Ioan. de Rojas *ſingular. fidei* 106. *in princip.* ſcilicet, minores viginti & quinque annis nec iudices eligi, nec eorum officio fungi poſſe.

10 Cuius ſententiæ probabilitas adſtruitur primò *ex l. ad Rempublicam* 8 *ff. de mun. & honor.* vbi inquit Vlpianus, ad munera, ſeu ad Rempublicam adminiſtrandam ante vigeſimumquintum annũ admitti minores non oportere: ergo cùm iudicis officium munus ſit, *l. quippe* 78. *ff. de iudic.* conſequens erit, nullatenus minores viginti & quinque annis in iudices admittendos.

11 Nec prædictum fundamentum eneruare videtur Gobeani & Philippi Matthæi *vbi ſuprà* diſcrimen inter iudicandi officium, & Reipublicæ adminiſtrationem: illud, inquiunt, diuerſum eſſe ab adminiſtratione, quia in priuatis cauſis nõ pleno arbitrio cognoſcunt, ſed ex formulæ præſcripto, ſeu legum decretis: in quo etſi minores peccauerint, appellatione poteſt reſarciri: ſecùs in Reipublicæ adminiſtratione, vbi omnia ex arbitrio pendent. Rurſus, quia publici adminiſtratores bona ciuitatis adminiſtrant, cuiuſmodi adminiſtrationem adoleſcentibus commiti iura nolunt, quòd nec proprijs quidem rebus ſuis adminiſtrandis illi idonei habeantur, *l.* 1 *ff. de minor.* & conducit ratio? quam ad prędictam ſententiam comminiſcitur Oſuald. *dict. loco.* Quid ni enim cùm maior 17. annis poſtulare, etſi ſat peritus, de iure reſpondere poſſit, *l.* 1. §. 3. *de poſtulat.* & diximus vbi de ætate ad poſtulandum, iudicandi etiam facultatem habeat?

Quia omnibus facillimè reſpondetur. 12 Nam quemadmodum in iudicandi munere multa ex legibus, & conſtitutionibus pendent, plurimaque etiam ex iudicis arbitrio modum accipiunt: ita & in Reipublicæ adminiſtratione multa ex adminiſtrantis arbitrio pendent, & quàm maxima etiam ex legibus, & municipalibus ſtatutis terminari debent, ſiquidem vnaquæque ciuitas leges ſibi, & iura præſcribit, quibus regi, & gubernari oportet. Ergo nulla quoad hanc partem ratione diſcriminantur iudicandi & adminiſtrandi munus.

Deinde, nam ſi ideò propria bona iura minoribus non permittunt, quia ad eorum adminiſtrationem nec ſatis arbitrio & iudicio valent, vt ex *dict. l.* apparet, quomodò ita leuiſſimi intellectus & iudicij adoleſcentes ad arbitrandum in cauſis, & in ipſis ex iure proferendum admiſiſſent? 13 Nec refert quòd minoris ętatis ad poſtulandum, & de iure reſpondendum ſufficientes reputentur: quoniam in his tantùm illorum præiudicium vertitur, qui minùs probè, & cautè ſibi tales minores vel in patronos, ſeu poſtulatores elegerunt: ſibi autem imputent, ſi non ita rectè ipſorum cauſæ parrocinentur, vel poſtulentur, cùm iuuenem delegerint aduocatum, ſeu poſtulatorem: at in iudice adoleſcente ſimul priuatorum controuerſiæ, & communes cauſæ periclitantur, vt quaſi ſenſiſſe videtur Anton. de Butrio *in dict. cap. cum vigeſimum numer.* 5. vbi *ad dict. l.* 1. §. *pueritia, ff. de poſtulando*, non obſtare reſpondit, quia ibi in aduocato, qui non poteſt in tantum pręiudicare ſicut iudex, & agitur de publica honeſtate; & quia aduocatus ſuſcipitur voluntariè, iudex quandoque inuitus. Ex quo improbãda venit opinio Azonis aſſerentis, eandem ætatem ad iudicem, quam ad aduocatũ requiri: tradit Ancharr. *ibidem.* Ergo à fortiori, quemadmodũ ad Reipublicæ adminiſtrationem, vti neque bonorum ſuorum, minor viginti & quinque annis non admittitur, nec ad iudicandum ſimiliter debet admitti.

Secundò ſuperior ſententia corroboratur *ex l. cùm ex lege* 41. *ff. de recept. arbitris*, 14 vbi poſtquam Caliſtratus initio dixit, lege Iulia (ſiue iudiciaria, quam tulit Cæſar teſtante Briſonio *libr.* 3. *antiqu. iuris capit.* 7. ſiue Iulia Annal. ex Cuiacij ſententia *lib.* 17. *obſeruat. capit.* 34. ſiue quæuis alia, ex quampluribus quas refert Anton. Auguſtin. *de legibus*, & *Senatuſconſult. pag.*

pag. 331.)minorem viginti annis iudicare nō cogendum, poſtea ſubijcit, quòd ſi minor viginti & quinque annis ſit, qui temerè auditorium recipit, ex hac cauſa ei ſuccurrendum: ergo ſi temerè feciſſe dicitur minorem viginti & quinque annorum, qui iudicandi munus ſuſcepit, ita vt reſtitutione digna temeritas reputetur, ſolùm maiori iudiciaria poteſtas permiſſa videtur.

15 Nec refragatur Goueani, Philippi Matthæi, & Petri Fabri *vbi ſuprà* differentia inter iudicem â Magiſtratu datum, & arbitrum ex partium conſenſu electum: ſiquidem in iudice dato perſona Magiſtratus eſt, quæ ſententiam à minore prolatam tueatur, adeò vt perinde ſit, ac ſi ipſe Magiſtratus protuliſſet, quod vix inuenitur in arbitro à partibus electo. Quia reſpondetur, inter vtrumque nullam poſſe conſtitui differentiam, nam quod efficit datio in iudice à magiſtratu delegato, ſcilicet transferre in illum iuriſdictionem, idem & conſenſus partium in arbitro operatur: ita vt ſi ille ex magiſtratu iudicandi facultatem obtinet, habeat & iſte ex partium conſenſu. Quapropter compromiſſa ad ſimilitudinem iudiciorum redacta, docet Iuriſconſult. *in l.* 1. *ff. de recept. arbit.* Igitur cùm ſententia â iuriſdictione ſolùm, & iudicantis capacitate vim nanciſcatur, ſi minor viginti & quinque annorum ex perſona ſua non reſpueretur, ex iuriſdictione, quæ ſententias tuetur, cùm à litigatoribus in arbitrum deputatur, rectè arbitrari, & ſententiam proferre poſſet. Ergo cùm iura id non patiantur, abſque dubio ætas ipſi impedimento erit.

16 Tertiò & mea ſententia comprobatur ex *dict. l. quidam, ff. de re iudicata*, quam pro aduerſa parte contrarij inducunt, vbi ex iure quo cauebatur minorem viginti & quinque annis iudicem eſſe non poſſe, dubitabatur, cùm à minore lata fuiſſet ſētētia, vtrùm ſuſtineri deberet, an verò irrita eſſet? Et reſpondit Conſultus: *Æquiſſimum eſt tueri ſententiam ab eo dictam*: ergo ſi æquitatis ratione ſuſtinetur, conſequens eſt, quòd ſtricto iure à minore viginti & quinque annorum ſententia lata nulla eſt, cûm nec iudex in illa ætate poſſit delegari, nec à partibus eligi.

17 Quartò corroboratur noſtra ſententia ex Romanorum more, qui ferè ſemper maiores viginti & quinque annorum in iudices eligebant, vt ex lege comitiali, & annali refert Sueton. *in Auguſt. capit.* 26. & 32. *Iudices*, inquit, *à triceſimo ætatis anno elegit, ideſt quinquennio maturius quàm ſolebat*: ex quo loco apparet, non tantùm Auguſti temporibus maiores in iudicium admiſſos, ſed & anteà minoribus vigeſimo & quinto anno iudiciaria functione vti non licuiſſe, vt inſinuant illa verba: *Quinquennio maturius quàm ſolebant.* Ergo ſolebant maturioris ætatis vigeſimi & quinque recipi? Meminit de tricennali iſta ætate ad iudicandum Plinius *in Panegyrico ad Traian.* ibi: *Cautum eſt, domine, Pompeia lege, nequis capiat magiſtratum, neve ſit in Senatu minor annorum triginta*: quamuis poſteà ſecutum fuiſſe Diui Auguſti edictum teſtetur, quo permiſit, minores Magiſtratus ab annis duobus & viginti capi poſſe, ſed de vigeſimo & quinto, teſtis eſt Dio *lib.* 52. qui ex decreto Mecænatis (quod ſecutus haud dubiè Cæſar) Senatoriæ ætati adſcribit vigeſimum & quintum. Docet Lipſius *ad lib.* 3. *annal. Taciti fol.* 38. de qua re ne diutiùs immorer, videndi ſunt Fancin. Polet. *hiſtor. fori Roman. lib.* 3. *capit.* 9. & ibi Philippus Broideus, idem Polet. *lib.* 5. *cap.* 8. Petrus Gregorius *de republica lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 34. Petrus Faber *dict. l.* 2. *ff. de regulis iuris*, Lypſ. *de veteri magiſtratu Roman.* *cap.* 4. & quamplurimi ab Oſualdo relati *vbi ſupra litera L.*

Cuius opinionis rationem, quam ſuperiùs inſinuauimus, egregiè tradit Hugo Donellus *dict. comment. lib.* 17. *cap.* 24. quia in adoleſcente minore viginti & quinque annis nō ita regulariter iudicium adeſt, vt terminatio rerum controuerſarum poſſit ei facilè committi, cùm minoribus propter ætatis & iudicij fragilitatem ſit adempta rerum ſuarum adminiſtratio, *l.* 1. *ff. de minor.* nec congruum videtur, quibus rerum ſuarum diſpoſitio denegatur, alienarum tradere iudicium, & moderationem, præſertim in re, qua nullum munus, nulla adminiſtratio maiorem prudentiam, & iudicium deſideret, quandoque nō alia ratione iudicij nomen apud omnes meruerit. 18

Cui adeò munitæ ſententiæ nec refragatur text. *in dict. l. quidam*, imò potius eidem opitulatur, ſiquidem non decreuit, minorem viginti & quinque annis iudicare poſſe: ſed ſi caſu euenerit, inquit, quòd minor iudex delegatus ſententiam protulerit, poſtquam iam prolata eſt, æquiſſimum eſſe ſuſtineri, quoniam multa facta tenent, quæ fieri prohibentur: ſed hoc ita, ſi plena puberrate fuerit: nam ſi decem & octo annos minimè exceſſerit, lata ſententia nec humanitatis ratione ſuſtinebitur, vtpore vno verbo inſinuauit Cuiac. *in l.* 1. *C. qui ætate ſe excuſant, lib.* 10. quamuis aliter reſpondere nitatur Barboſa *in dict. l. cùm prætor, §. fin. num.* 91. *ff. de iudic.* 19

Quo quaſi ſolutionis genere idem Cuiac. *ibidem* vtitur aduerſus eos, qui minorem vi- 20

ginti annis iudicium exercere poſſe ex *dict.l. cum lege* 41.*ff.de recept.arbit.*intendunt.Nã in illa ſpecie non ſtatuitur,iudicare poſſe minorem,etiam ex partium conſenſu:imò quòd ſi fortè aliqua cauſa euenerit,quòd minor annis viginti & quinque iudex datus,aut electus ſit conſenſu partium, ex lege Iulia iudicare cogi non poſſe,ſiquidem fruſtrà iure ad proferendum compelleretur qui ex legibus prohibetur ob nimiam mentis fragilitatẽ iudicare.

21 His tamen omnibus aduerſari videtur Vlpiani reſponſum *in l.cùm prætor* 12. *§. non autem,ff.de iudic.*vbi inter eos,quibus iudicandi munus interdicitur,impubes ſolùm refertur.Ergo qui pubes fuerit, licèt procul à vigeſimo & quinto anno exiſtat,dum tamen & conſequenter decimumoctauum ſaltim expleuerit,iudicare poterit?Nec me latet Iacobum Cuiacium *vbi ſuprà*,prædictam obiectionem minimè obſtare ſcripſiſſe,quia verũ eſſe inquit impuberem planè prohiberi iudicem eſſe,puberem verò ita demum,ſi non ex partium conſenſu ius dicat,qui & poſtquàm ex litigantium voluntate cognouerit,ſi vigeſimum non expleuerit annum,excuſationem obtinebit,vt in *dict.l.cum lege.*

22 Sed hæc doctiſſimi alioquin Cuiacij interpretatio cùm textus litteræ nõ conueniat, neutiquam placet, quare potiùs exiſtimarẽ, ideò de impubere tantùm Iuriſcõſultum illo in loco mentionem feciſſe,quia impuberi tãtùm propter iudicij defectum,quominus iudicare poſſit natura impedimento eſt: puberi verò non natura,ſed lex & Senatuſconſultum obſtant, vt valeat iuriſdictionem exercere,donec maior factus vigeſimum & quintum annum exceſſerit,vt nuper probauimus. Cuius ſententiæ poſteà Barboſam inueni *in dict.l.cùm prætor,§.fin.num.*71.

23 Sed obijciet aliquis,quomodo in *dicto §. non autem*,cùm de omnibus ſermo ſit,qui natura & lege iudicare vetantur,de pubere, ſeu minore viginti annis,qui ex noſtra ſententia à lege interdicuntur,nec verbum quidem reperitur?Sed reſpondetur faciliimè in *dict.§.* nullos ſpecialiter enumerari,qui iudicare lege prohibentur,ſed generaliter tantùm præſcribi, omnes à lege interdictos nullatenus iudices eligi poſſe.Ergo cùm à lege prohibitum eſſe minorem fuerit oſtenſum,certum eſt *dicto §.*comprehenſum videri.

24 Ex quibus iamiam apparet certiſſimam eſſe regulam ſuperiùs à nobis traditam, ſcilicet minorem viginti & quinque annis, inſpecto iure communi iudicẽ eſſe nõ poſſe, quam etiam de iure Canonico procedere exiſtimo, cùm nuſquam reperiatur eo iure ſtabilitum, quæ nam ætas ad iudicem ordinarium ſit neceſſaria.Nam quod ſcribit S.P.Greg.IX. *in c. cùm viceſimum* 41.*de offic.& poteſt.iudic. delegat.*ſcilicet viceſimo anno peracto quem poſſe iudicem delegari, tantùm in delegato obtinet,non verò in ordinario,vt ex communi Canoniſtarum opinione admonet Anton. Blanc.*de compromiſ.q.*2.*num.*22. & teſtatur Viuius *lib.*2.*commun.opinio.opin.*179.quam opinionem probat Cuman.& Imola,vterque *n.*3.Zaſius *lib.*2.*ſingular.intellect. cap.*22. tenet Barboſa *in d.l.cùm prætor,§.fin n.*90. *ff.de iudic.*Pereira *in l.ſi curatorem,verbo hũc contractum num.*44.*verſic.Cæterum.*

Licèt hæc viceſimi anni ætas antiquitus à 25 Regali,Hiſpanoque noſtro iure iudicibus neceſſaria erat,vt apparet *ex l.*4.*tit.*15.*lib.*2. *fori legum*,ibi:*Mayor de veinte años deue ſer otorgado poderio para juzar*,& ex *l.*5.*tit.*4.*p.* 3.in illis verbis: *Mayor de veinte años deue ſer aquel à quien otorgaren poderio de juzgar los pleitos cotidianamente,que llamã Iuez ordinario.*Quæ abrogatæ & correctę iam extãt à Catholicis Hiſpaniarũ Regibus Ferdinando & Eliſabeth *in l.*2.*tit.*9.*lib.*3.*nouæ Recop.* vbi vigeſimum & ſextum ſaltim annum in iudice literato requirit,ibi: *Y que aya edad de veinte y ſeis años por lo menos*,docet Auiles *in c.prætor.in proœmio,verbo Qualeſquier,num. fin.verſ.& non debet*,Greg.Lopez *vbi ſupra*, Olanus *in compẽdio legũ partit.n.*22.Pereira *in d.l.ſi curatorẽ,verbo hunc contractũ n.*44. Cui deciſioni refragari nõ videtur eiuſdẽ *tit. l.*3.quãuis poſterior ſit,& viceſimo anno maiorẽ tantũ iudicẽ requirat.Nã,vt optimè cõſiderauit Azeued.*ibidẽ*,prædicta lex dũ maiorem viginti annorũ iudicem deſiderat,à ſuperiori *l.*2.eſt interpretãda,qua vigeſimi & ſexti anni ætas in iudice requiritur,ita vt maioritas illa,quam ſupra vigeſimum annum *d. l.* 3.expoſtulat,ſex annorum eſſe debeat.

Quam dictæ *l.*2.diſpoſitionem tãtùm obtinere,quoties literatus & ſtudioſus in iudicẽ deligẽdus eſt,nonnulli aſſeuerarunt:vnde inquit Bobadilla *in Polit.lib.*2.*c.*21.*n.*13.iudicem commiſſariũ,quẽ vulgò *Peſquiſidor* nuncupamus,qui literis præditus eſſe debet,non minorẽ ſexto & vigeſimo anno fore deligendũ,ſecùs verò ſi equiri, militi,ſeu alij perſonæ,quæ per vicarios,& quos vulgariter nũcupamus *Tenientes*,ius dicendi facultas tribuatur.Nã hoc in caſu nõ videtur correctum ius antiquum,ſed talis poſſet eſſe iudex,ſi ætatis eſſet viginti annorũ.Nã *l.*2.ſolùm in literatis decernit,vt docet Greg.Lop.*in d.l.*5.*tit.* 4.*p.*3.*verbo maior*,& poſt eũ Olan.*in epilog. leg.Partit.n.*22.ſed quantũ errarint prædictę ſententiæ aſſeclæ,latiùs videbis vbi de ætate ad Prætorem inferiùs ſermo fuerit. 26

27 Cæterùm, quia ſuperior ſententia aliquibus probabilior videri poteſt, ſciendum eſt, illam multifariam reſtrictionem, & limitationem accipere. Et in primis non habere locum quaſi omnes fatentur, quoties cum iam pubere, ideſt cum eo, qui decimum & octauum annum adimpleuit, Princeps diſpenſauit, ſiquidem tunc ius dicere, & in cauſis ſententias proferre, etiamſi minor fuerit, rectè poterit. Nam eo in caſu abſque dubio diſpenſatio effectum ſortietur, ex eo quòd cum pubere (qui, vt iam diximus, non à natura, quemadmodum impubes, ſed à lege iudicare prohibetur) Princeps diſpẽſauit. Vnde cùm impedimentum ſit iuris poſitiui, ſuperioris diſpenſatione tolli quàm certiſſimum eſt, vt docuit S.P. *in cap. propoſuit, de conceſſione præbendæ*, & in noſtra ſpecie probat *d.l. quidam in fine, ff. de re iudicat.* vbi tenet Paul. *n.* 1. & Panormit. *in d. c. cùm vigeſimum. n.* 2. Suarez *d. allegat.* 12. *n.* 12. Vantius *de nullit. tit. quibus modis ſententia nulla reparari poſſit num.* 54. tenet Petr. Barboſa *vbi ſupra n.* 73.

28 Quod etiam procedit, quamuis cum tali pubere, ſeu minore Princeps nominatim, ſeu expreſſe non diſpenſauerit, nam etſi tacitè cum ipſo diſpenſatum fuerit; illum ſcilicet iudicem eligendo, licitè & rectè iudicare poterit. Nam ex tali electione Principem cum illo diſpenſaſſe præſumitur: quia Princeps promouendo inhabilem ex certa ſcientia, ad officium, vel dignitatem, diſpenſare dicitur, eique gratiam ætatis facere, & defectum ſupplere. Tenet Anton. de Butrio *in d. c. cùm vigeſimum n.* 4. *de offic. delegat.* Menoch. *lib.* 2. *de præſump. c.* 20. Vveſembec. *ad titul. C. qui pro ſua iuriſdictione n.* 6. licèt in contrariũ tenuit Zaſ. *lib.* 2. *intellect. ſingular. c.* 22. ſuperiorem opinionem defendunt Donel. *comm. lib.* 17. *c.* 24. vbi etiam Oſuald. quod intelligendum, modò in iudicem ordinarium eligatur. Nã ſi minor datus ſit iudex in cauſa particulari, tunc non præſumetur ſciẽtia in Principe, argum. *c.* 1. *de conſtit. in* 6. quo caſu, vt electio valeat, ſcientia erit probanda *c. ſi eo tempore de reſcript. lib.* 6. docet Roman. *conſ.* 216. *n.* 8. Panormit. *in d. c. cum vigeſimum n.* 2. *de offic. deleg.* Alexand. *in d. l. quidam n.* 7. Felin. *in d. c. cum vigeſimum n.* 1. vbi latè Anton. Natta *conſ.* 420. *n.* 19. *lib.* 2. Suarez *allegat.* 12. *n.* 24. Barboſa *d. in loco n.* 113. *cum ſeqq.* Qualis autẽ debeat eſſe ſcientia in ſuperiore, vt diſpenſaſſe credatur, latè tradit Moneta *de conſeruat. c.* 5. *n.* 162. optimè Thom. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſputat.* 4. ferè per totam.

29 Similiter itidem ſentẽtia à iudice lata, qui decimum tãtùm & octauum annum excedit,

ſuſtinetur, quando de communi partium cõſenſu iudex ab eo qui poteſt datus eſt, ſiquidem tali in caſu valebit ſententia, quia ex voluntate litigantium etiam minor iudicare poteſt, dummodò dictæ ætatis ſit, vt nec obſcurè inſinuant verba *d. l. quidam*, tali enim conſenſu proprio præiudicio & damno renuntiare videntur. Vnde ſi autoritas ſimul iudicem dantis accedat, certiſſimum erit ex concurſu horum trium ſententiam ſubſiſtere, nec nullitatis argui poſſe. E contrario verò, altero ex his deficientẽ, quia inualida cenſetur, nec iudicati vim obtinebit, ex ſentẽtia Gloſſæ 2. *in d. c. cùm vigeſimũ*, vbi & obſeruauit Bald. *n.* 3. *in fine*, Imola *in l. quidam n.* 4. Zaſ. *lib.* 2. *ſingul. intellect. cap.* 22. *ad finem*, quos refert Barboſa *in dict. l. cùm prætor num.* 105.

Vnde vt colophonem adijciamus, prænotandum erit, hucuſque ſcripta in his tantùm 30 officijs & iudicãdi muneribus locum habere, quæ per electionem conferuntur. Nam quæ ſucceſſione obueniũt, etiam à pupillo retineri poterunt, ſiquidem in talibus impubes etiam iuriſdictionis habilis eſt, non verò exercitij, quare dabitur ei curator, qui eius nomine iuriſdictionem adminiſtret, argum. *text. in cap. grãdi, de ſupplen. negligent. prælat. lib.* 6. ſcripſit Bald. *in d. l. quidam*, Paulus Caſtrenſ. *in d. l. cùm prætor, §. fin. ad finem*, Bart. *in l. eacus, ff. de iudic.* Decius *in l.* 2. *§. item impuberes n.* 6. *ff. de reg. iuris*, Panorm. *conſ.* 47. *lib.* 1. Anton. Gomez 3. *tom. c.* 1. *n.* 55. cuius meminit Caldas *in l. ſi curatorem d. verbo hunc cõtractum à n.* 45. *C. de reſtit. in integ.* Petr. Barboſa alios referens *d. loco n.* 118. licèt in cõtrarium ſomniarit Bartol. *in d. l. quidã*, aſſerens populum poſſe eligere in Principem, vel iudicem, etiam infantem, vel pupillum.

Quibus addendum erit, etiam ſuperiorem ſententiam, ſcilicet vigeſimum & quintũ annum 31 neceſſarium ad iudicis functionem eſſe, deficere in Doctore, ſeu Magiſtro, qui licèt viceſimum non attigerit annum: attamen in cauſis ſcholarium ius dicere, & ſententiam proferre poterit, iuxta *authent. habita, C. ne fili pro patre*, ex quo tradunt Bartol. *in l.* 1. *§. pueritia, ff. de poſtul.* docet Felin. *in dict. cap. cùm vigeſimum num.* 10. *in fine*.

SVMMARIVM.

Reipublicæ gubernacula ſenioribus deberi, ſcribit Aberroes. 1.

Iuuenes huic muneri aptiores, putant alij. 2.

Senectutis vitia referuntur. 3.

Nondum iuuenes à muneribus arcebantur. ibi.

Prætura, nec ante trigeſimumnonum annum peti, nec geri ante quadrageſimũ poterat. 4.

Prætor nullus, niſi trigeſimo anno fiebat. 5.
De iure communi ætas viginti & quinque annorum ad Prætoris officium deſideratur. 6.
Ex noſtris legibus literatus ad præturam eligi nequit ante ſextum & vigeſimum annum. 7.
An eadem ætas iure noſtro requiratur in milite, ſeu nobili electo Prætore, quæ in literato exigitur? 8. *& ſeq.*
Quod ætati deficit, literæ accreſcunt. 9.

QVÆSTIO XXXII.

Cuius ætatis Prætor eligi debeat?

1 INuicem contrariantur quæ hac de re inueniuntur opiniones. Aberroes *in libros Platonis de Republica tractat.* 1. ita inquit: *Reipublicæ gubernacula ſenioribus debentur, qui præter quod ſcientias ſpeculatiuas adepti ſunt, continent prætereà experimentum longo tempore acquiſitum*, cui & adſtipularut Claudianus *lib.* 1. *de offic. iudicis*, & D. Garſias Maſtril. *de magiſtrat. lib.* 2. *cap.* 5.
2 *num.* 4. Sed aduerſam plurimi tenuerunt ſententiam, & potiùs iuuenes, quàm ſenio affectos Reipublicæ adminiſtrationi præponendos, vti magis conueniens iudicarunt. Nam vt Diuus Chryſoſtomus *in epiſt. Pauli ad Ti-*
3 *moth. homil.* 4. vitia quædam propria ſenectuti inſunt, ſcilicet ſegnities quædam ac tarditas, obliuio profunda, obtuſus ſenſus, iracundia, atque puſilanimitas, inde illius ætatis adoleſcentes, qui procul à iuuentute aberant, à muneribus arcebantur, *l.* 2. *§. quemita, l. penult. in princip. ff. de vacatione muner. optimus text. in cap. Florentinum*, alias incipit *Archidiaconum* 85. *diſtinct.* Gloſ. *in c.* 1. *verbo ſenectutem, & cap. niſi cum pridem, § alia, de renuntiatione*, Didacus Perez *in procemio tit.* 3. *lib.* 2. *ordin. verbo, Viejos*, & ante eum Archidiacon. *in cap. tanta* 86. *diſtinct.* Bobadilla *in Politic. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 13.

4 Vnde quaſi mediam viam ſectantes ethnici ſtatuerunt, ne quis præturam petere ante trigeſimumnonum annum, gerere vero ante quadtrageſimum poſſet, vt refert Grutherius *lib.* 1. *de comitijs Romanorum cap.* 3. Liuius *lib.* 10. *Decad.* 4. Philippus Broidæus *in corollario ad cap.* 8. *lib.* 5. *hiſtoriæ fori Romani*, Franciſc. Pollet. *num.* 1. & Vincent. Turturetus *in paralel. ethic. & iuridicis diſertat.* 15. *paulò poſt principiũ*: itaque reſoluit Marquez *in ſuo Gubernatore Chriſtiano lib.* 1. *c.* 5. *§.* 2.
5 Gubernatorem ciuitatis quadraginta annorum eſſe debere. Poſteaque Mecænatem Auguſto ſuaſiſſe Dio Caſſius tradit *lib.* 53. Prætorem ante trigeſimum annum nec eſſe eligendum, quoniam abſurdum videbatur, ei Reipublicæ adminiſtrationem committere, cui ſuorum bonorũ erat omnino interdicta, recenſet Petr. Gregor. *ſuper Decret. titul. de elect. cap.* 11. *num.* 6.

Sed ne in aliorũ referendis refellendiſque 6
ſententijs vti in immenſum diuagemur, iure communi inſpecto definiendum erit ad Præturam, ſeu Prætoris officium eãdem quinque & viginti annorum ætatem deſiderari, quę ad iudicis ordinarij munus eodem attento iure neceſſaria præſcribitur, ſiquidem cuiuſcumque ciuitatis prætor eiuſdem ordinarius iudex dicitur.

Quod etiam Hiſpanico noſtro iure perpẽ- 7
ſo decernendum erit, præſertim ex *l.* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *noua Recopilat.* quæ vigeſimum & ſextũ annum ſaltim in iudice literato requirit.

Sed dubitandum venit, an eadem ætas, quę 8
in Prætore literato electo *d. l.* 2. *nouæ Recop.* requirit, & ipſamet in nobili, ſeu milite ad præturam promoto neceſſariò exigatur? In qua dubitatione Greg. Lopez *in l.* 5. *tit.* 4. *p.* 3. *gloſ.* 1. & Olanus *in epilogo antinomia. n.* 22. *fol.* 255. Heredia *de iudicibus q.* 7. *fol.* 72. quos ſecutus eſt Ceruantes *in l.* 2. *Tauri n.* 32. *ad fin.* aſſerunt ex mente *d. l.* 2. nobilem, ſeu militẽ iudicem eligi poſſe, etſi vigeſimum annum non excesserit, ex diſpoſitione antiqua. Nam prædicta *l.* 2. ſolùm circa literatos antiquum ius abrogauit, vt ex ipſius ſerie apparet, & obſeruauimus vbi de iudice ordinario fuit actum.

At hæc ſententia, & ſi verum fas eſt alloqui, 9
mihi omnino diſplicet, quia ſi in literato, & ſtudijs dedito, qui potiùs ad præturã habilis, & ad regimen idoneus ſtudiorum ratione cẽſendus eſt, vigeſimum & ſextum annũ prædicta lex deſiderat, quare & ipſa ætas in milite, ſeu nobili neceſſaria non erit, cùm minùs capax iuriſdictionis, & adminiſtrationis exiſtimandus ſit, ex eo quòd ius ignorat: potiùs enim literatus minoris ætatis ad præturã admittendus erat? Nam literæ & ſtudia, quantũ ætati deficit, accreſcunt, & augent, atteſtante Eumenio *in oratione de ſcholis inſtaurand. Cæſar*, inquit, *pro diuina intelligentia mentis æternæ ſentit, literas fundamenta omnium eſſe virtutum vtpote continentiæ, modeſtiæ, vigilantiæ, patientiæ magiſtram, quæ vniuerſa cùm in conſuetudinem tenera ætate venerunt, omnia deinceps officia vitæ ad ea conualeſcunt, eſſe omnis virtutis, atque omnis laudis nutrices; aut, vt verius loquar, matres.* Qua ratione incenſus Bobadilla eandem ſententiam

improbauit *in Politica lib. 1. cap. 7. à numero 19. cum ſequentibus*, prædictam *l. 2.* tam in nobilibus ſæcularibus, aut militibus, quàm in literatis locum habere exiſtimans, vti & anteà tenuerunt Auiles *in proœmio capitul. Prætor. Gloſſa qualeſquier num. 7. verſic. Sed iam*, Segura *in ſuo directorio iudic. 1. p. cap. 1. num. 4.* Azeuedus *in dict. l. 2. tit. 9. lib. 3. nouæ Recopilat. num. 1. & 9.* Paz *in prax. tom. 1. primæ partis, tempore 1. n. 61. fol. 25.* pro quo facit elegans Latini Pacati locus *in Panegyrico pro Theodoſio*, vbi ætas præturis deſigna tam in petitis, quàm in nobilibus æquè deſideratur: hæc ſunt verba: *Cuius quidem rei ita fuit cura maioribus, vt non ſolùm in ampliſſimis Magiſtratibus adipiſcendis, ſed in Præturis quoque, aut Ædilitatibus capeſſendis ætas ſpectata ſit peritorum, nec quicquam tantùm valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occuparit.*

SVMMARIVM.

ARbitrum, ſaltim decem & octo annorum eſſe debere, qui docent? 1.
Sententia à iudice minore, qui decimooctauo anno maior exiſtit, valet. 2.
Neminem ante vigeſimum annum arbitrum eſſe poſſe, multi tenent. 3.
Tutius eſt viginti & quinque annorum ætatem in arbitro neceſſariam eſſe. 4. & 5.
In fœminas aliquando poteſt compromitti. 6.
Sententia arbitri minoris valet, ſi maior fuerit decem & octo annorum, vel quatuordecim apud noſtros, & à partibus electus. 7.
L. cum lege Iulia 41. ff. de arbitris, explicatur. 8.
Arbitrator, quinque & viginti annorum eſſe debet. 9.
Ætas ad arbitrum, vel arbitratorem neceſſaria, tempore nominationis adeſſe debet. 10.

QVÆSTIO XXXIII.

Ad arbitrum, & arbitratorem, quæ ſit ætas neceſſaria?

1 QVæ ſunt in hac quæſtione veterum opiniones, quas pariter communes eſſe reſtatur Franciſcus Viuius *lib. 2. comman. opinion. opinion. 506.* & tertia, cuius ipſe non recordatur, quia Neotericorum eſt. Prima tenet, maiorem decem & octo annis arbitrum eſſe oportere: cui ex animo ſubſcribunt Gloſ. *in c. cùm vigeſimum, de officio & poteſtate iudicis delegati*, vbi etiam Bald. Blancus *de compromiſſis quæſt. 2. num. 22.* & hanc eſſe communem Legiſtarum ſententiam, admonent Viuius *vbi ſuprà*, Anton. Gomez *variarum reſolut. tom. 3. cap. 1. poſt num. 55. verſic. Item minor. 20. annis*, Camill. Borrel. *in ſumm. deciſ. tit. 63. num. 193.* Iacob. Menoch. *de arbitrarijs lib. 2. centur. 6. caſu 540. num. 4.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem verbo hunc contractum num. 44. verſic. Infertur etiam, C. de in integrum reſtitut.* Vbi inquit decimumoctauum annum agentem arbitrari poſſe, ſed non ad id ante vigeſimum compelli: itaque iura hac de re variè loquentia componenda exiſtimat, deducto argumento ex noſtris legibus *4. tit. 15. lib. 2. ordin. & 5. tit. 4. part. 3.* vbi expreſſe cauetur.

Quam ſententiam ex eo veram eſſe deducunt, quod refertur *in cap. cum vigeſimum 41.* ibi: *Niſi partes ſcienter conſenſiſſent in eum, qui annum 18. tranſcendiſſet*, & in *l. quidam conſulebant. 57. de re iudicata*, nempe, valere ſententiam à iudice minore viginti & quinque annis datam, qui decem & octo maior ſit, quaſi inde inferentes minorem 18. anno, vtpote inhabilem ad iudicandum & ſententiam proferendam, in arbitrum eligi non poſſe, quandoque vt arbitria ad inſtar iudiciorum ſunt redacta, *l. 1. de arbitr.* ita & arbitri ad ſimilitudinem iudicum ſit oportet. 2

Secunda opinio, quæ Canoniſtarum dicitur, aſſerit arbitrum ante vigeſimum ſaltim annum eſſe non poſſe, quam amplectuntur Bertachin. *in repert. verbo minor tutor, verſic. Minor viginti annis non poteſt eſſe arbiter*, Blancus, Viuius, & Mandoſ. *vbi ſuprà*, plures relati à Borrello *dict. loco num. 192.* Barboſa *in l. cùm prætor. 12. §. fin. num. 108. ff. de iudicijs.* P. Molina *de iuſtitia & iure tomo 4. tractat. 5. diſputat. 39. num. 1.* Vveſembech. *in paratitlis ad titulum, C. de recept. arbitr. num. 8.* vbi etiam de iure ciuili hanc opinionem veriorem putat Maiolus *de irregular. lib. 1. cap. 30. num. 3.* 3

Et hæc fulcitur ex *l. cum lege Iulia. 41. ff. de arbitris*, vbi inquit Caliſtratus: *Cùm lege Iulia cautum ſit, ne minor viginti annis iudicare cogatur, nemini licere minorem viginti annis compromiſſarium iudicem eligere, ideoque pœna ex ſententia eius nullo modo committitur.*

Tertia denique vt veriſſimum defendit, viginti & quinque annorum ætatem neceſſariam cenſeri ad arbitri munus obeundum. Et hanc ſequuntur Hugo Donel. *commentar. lib. 17. cap. 24. verſic. De minore vigintiquinque* 4

annis, & *lib.27.in dict.l.quidam 56.de re iudicata*, & melius *lib.28.cap.10.verſic. Minorem quidem*, Emanuel Barboſa *tom.1. remiſsionum ad leges Luſitanas lib.3.tit.16.§.7. num.3.* Alcibiades Lucarinus *de fiduciaria tutela*, D. Garſias de Maſtrill. *de magiſtrat. lib. 2.cap.5.num.2.*

Probaturque ex *l.3. in principio, ff. de receptis arbitris*, vbi Vlpianus ſic, *Labeo ait, ſi compromiſſo facto ſententia dicta eſt, quo quis à minore vigintiquinque annis tutelæ abſolueretur, ratum id à Prætore non habendum, neque pœnæ eo nomine commiſſæ petitio dabitur*, quamuis Gloſſa, Anton. Faber, *& alij ibidem*, id non de minore compromiſſario iudice electo, ſed de compromittente accipiant. Facit tandem pro eadem ſententia *dict. l. cum lege 41.* in fine, dum inquit maiori viginti annis, ſi minor viginti & quinque annis ſit, ex hac cauſa ſuccurrendum, ſi temerè auditorium receperit.

5 Quæ autem harum opinionum ſit verior? non audeam proferre. Cùm omnes velut expreſſa iuris teſtimonia, & eximiæ autoritatis viros pro ſe habeant. Quare tantum ſubijciam, hanc vltimam tutiorem eſſe: nam ſecurius, & vtilius eſt illum in compromiſſarium iudicem deligere, qui integræ ætatis, ideoque & iudicij ſit, quàm eum, cuius nec perfecta ratio, nec ætas exiſtit: maximè cùm iudicandi, vel arbitrandi hoc munus ita à iudicio & arbitrio pendeat, quod ideò, ni fallor, & arbitri, & iudicij nomen vindicarit, vt alibi obſeruaſſe recordor.

6 Et demum ex eo hoc etiam ſuadetur, quod prope notauimus, videlicet, eſſe ſummam æqualitatem inter iudicem & arbitrum, argumento *dict.l.1. ff. de arbit.* Vnde quemadmodum hęc viginti & quinque annorum etas aptior ad iudicandum reputatur, veluti hoc anno planè oſtendimus, ita & ad arbitrandū, ſiue in maſculis, ſiue in fœminis, eadem ſic cenſeri debet. Nam licèt regulariter in fœminas compromitti non poſſit, *l. fin. C. de recept. arbit. cap. dilect. de arbit.* nihilominus aliquibus caſibus eſſe permiſſum obſeruat Camil. Borrel. *dict.tit.63.num.165.* cū multis ſequentibus, & Lara *in compendio vitæ hominis cap.30.num.61.*

7 Sed non ita præcisè hic annorum numerus requiritur, vt ſi ante hanc ætatem (dummodò poſt decimumoctauum annum, vel poſt decimumquartum apud noſtros ex *dict.l.4.titulo 15.lib.2.ordin.* ibi: *Pero ſi el delegado fueſſe menor de diez y ocho años, aunque fueſſe mayor de catorze, no vale el perjuizio que diere, ſaluo ſi fueſſe pueſto por Iuez, por plazer de amas las partes, ò por comiſſion nueſtra, ſabiendo nos ſer de aquella edad*, & ex ſimili *l.5. tit.4. part.3.*) fuerit à partibus arbiter electus, ſit electio ipſo iure nulla, aut ſententia ab eo prolata inutilis. Nam licèt minùs prudenter litigãtes ſe geſſerint, illum inter ſe iudicem conſtituendo: tamen non ita inualidè fecerunt, vt quod ab huiuſmodi minore fuerit arbitratum, ſaltim inſpecta æquitate infirmum haberi debeat, *dict.l. quidam conſulebat 57.* cuius hunc eſſe verum ſenſum putat idem Donellus, *ff. de re iudicat.* nec refragatur *dict.l. cum lege*, vbi non tantum dicitur 8 minorem iudicem compromiſſarium eligi nō poſſe, ſed nec ſi ſententiam dixerit, valere, quia exploſa Donelli interpretatione *d. cap. 24.* quam ſequitur Philip. Matth. *in l.2. §.1. num.11.* vel dicendum eſt cum Antonio Fabro *ibidem* Caliſtratum hac lege non ſuam, ſed aliorum ſententiam retuliſſe, vt conſtat ex illis poſtremis verbis: *Multi dixerunt*: aut, quod veriſimilius eſt, loqui de minore viginti annis, qui etiam decem & octo minor erat, vt etiam interpretari poteſt *dict.l.3.* quę hac parte idem cum *dict.l. cum lege* affirmat.

Quæ omnia etiam de his dicta velim, qui 9. in arbitratores, &, vt noſtri dicunt, amicabiles compoſitores aſſumuntur. Nam cùm eorū officiū parum à ſuperiori arbitrorum diſtet, & in id expediendum maiori diſcretione, & ſolertia ſit opus, ex quo difficilius eſt diffidẽtes ad pacem & concordiam redigere, quàm ex iure præſcripto cauſam, & litem dirimere: inde congruum videtur, non minoris ætatis arbitratores, quàm arbitros eſſe debere.

Sed ſiue hanc, quam in praxi ſecuriorem 10 admoneo, ſiue aliam ex ſuperioribus opinionibus, quæ valdè probabiles ſunt, & communes, amplectaris, illud aduertas operæpretiū eſt, ſcilicet ætatem ad iudicem compromiſſarium requiſitam tempore nominationis adeſſe debere, nec ſufficere ſecūdum Borrellum *vbi ſupra n.195. & tractatu de compromiſſis, §.2. gloſ.4. num.86.* cum pluribus ſequẽtibus, ſi fuerit minor tempore compromiſſi, quòd tempore laudi prolati ſit maioris ætatis: quamuis eximiæ autoritatis vir Felinus in *dict. cap. cùm vigeſimum num.4.* ſat eſſe putauerit, ſi pendente compromiſſo ætas adimpleatur, argumento textus *in cap. ſi eo tempore 9. de reſcriptis lib.6.*

SVMMARIVM.

Minor annis viginti & quinque nullam habet perſonam ſtandi in iudicio. 1.

Minor, nec coram arbitro comparere poteſt. 2.

Minor,

Minor, licèt curatore carens, in iudicio eſſe nequit. 3.

Lis cùm minore agitata ſine curatore, eſt ipſo iure nulla, ibi & 27.

Si principio litis curatoris autoritas defecerit, nil valet quòd poſteà ſuperueniat. 4.

Nec in ciuilibus, nec in criminalibus minor habet perſonam ſtandi in iudicio ſine curatore. 5.

Vbi non ordinariè, & ſeruato iuris ordine, ſed extraordinariè, & per inquiſitionem proceditur, minor habet perſonam ſtandi in iudicio. 6.

Nec vt procurator, etiam aduerſario conſentiente, minor in iudicio eſſe poteſt. 7.

Clericus minor, licèt decimoquarto anno maior, ſi non de beneficialibus, ſed de profanis agatur, in iudicio eſſe non poterit. 8.

Minor, ſiue pater fuerit, ſiue maritus, nec pro filio, nec pro vxore ſtare in iudicio ſine curatore poterit. 9.

Ætas ad comparendum in iudicio neceſſaria, numero liberorum non ſuppletur. 10.

In cauſis executiuis minor, ſi fuerit actor, etiã ſine curatore habebit perſonam ſtandi in iudicio. 11.

Cùm matrimonialis cauſa vertitur, quoad exiſtentiam in iudicio minor pubes pro maiore habetur. 12.

In cauſa dotali an poſſit minor ſine curatore in iudicio comparere? 13.

In cauſa adulterij, minor vt accuſator poteſt iudicio adeſſe. 14.

Minor agens in cauſis momentaneæ poſſeſſionis auditur, niſi filiusfamilias fuerit. 15.

Minor ad aliquem actum legitimatus, non ideò à reſtitutionis beneficio excluditur. ibid.

Si de alimentis agatur, minor habet perſonam legitimam ſtandi in iudicio, maximè ſi periculum ſit in mora. 16.

Minor ſi prouocetur ad diuiſionem, ſine curatore illam facere poterit. 17.

Vbi minor ſine curatore iurauit geſta, vel gerenda non retractare, tunc poterit ſolus iudicio adeſſe. 18.

Iuramentum de re futura, & non de re præſenti illam vim habet, vt minorem ad iudicium maiorem efficiat. 19.

Minor, qui ſe maiorem iuramento dixit, poterit validè in iudicio adeſſe. 20.

Minor pro patre, vel pro extraneo abſente, in iudicio poteſt comparere. 21.

Minor in ciuilibus rei defenſor eſſe poteſt, ſi tamen cautionem præſtiterit de iudicato ſoluendo. 22.

In omnibus beneficialibus, & ſpiritualibus cauſis, & in his, quæ ab ipſis dependent, minor poſt decimumquartum annum legitimam perſonam habet ſtandi in iudicio. 23.

His omnibus negotijs, quibus minor ſolus poteſt procuratorem conſtituere, poteſt etiam ſolus, & in iudicio comparere. 24.

Qui habet perſonam comparendi in iudicio, poteſt etiam procuratorem conſtituere. ibidem.

Vbi de patris teſtamento, vel de caſtrenſibus agitur, minor, licèt impubes, ſine tutore vel curatore in iudicio ſtare poterit. 25.

Poſtquam lis fuerit cum tutore vel curatore cœpta, ſi minor citetur, poterit, ſi voluerit, illam proſequi, ad id tamen compelli minimè valebit. 26.

QVÆSTIO XXXIIII.

Qua ætate quis legitimam perſonam habet ſtandi in iudicio?

PLuſquàm certum eſt, quintum & vigeſimum annum ad comparendum in iudicijs eſſe neceſſarium, ſiquidem huius ætatis minores nullam, vt in iudicio ſtare poſſint, perſonam habere admonent Iuriſconſulti *in l. minor, ff. de procurator.* & Imperatores *in l. 1. 2. & 3. C. qui legitimam perſonam, l. clarum, C. de autor. præſtanda, l. cùm minoris, C. ſi aduerſus rem indicatam, l. ſi curatorem habens, C. de in integrum reſtitut. minor.* habetur de iure noſtro Regio *in l. 11. tit. 1. part. 3.* & tenent hanc veriſſimam ſententiam Rolandus à Valle *conſil. 31. numero 1. lib. 1.* Petrus à Plaça *lib. 1. de delictis capit. 32.* Vantius *in tractat. de nullitate ex defectu inhabilitatis comparentium,* Angelus *in l. hũc titulum, §. pueritia n. 7. de poſtulando* Archidiaconus *in cap. certis 15. quæſt. 3. per totum,* Petr. Gregorius *in ſyntagmat. lib. 49. cap. 2. num. 11.* Amator Rodericus *de modo videndi proceſſum cap. 2. num. 8.* Ioan. Maur. *de reſtitut. in integrum cap. 198.* Paz *in praxi tom. 1. 2. tempore num. 23. & 24.* Andreas Gail *practicar. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 108. num. 1.* Philippus Matthæus *in l. 2. §. 1. num. 31. de regulis iuris,* anteà Rophredus *quæſt. Sabbathina 40. num. 5.* vbi etiam ſubijcit, minorem viginti & quinque annorum in arbitrio velut in iudicio ſtare non poſſe: quia arbitriũ ad inſtar iudiciorum eſt redactum, *ex l. 1. ff. de arbitris,* Alexand. Trentacinq. *variarum reſolut. lib. 2. reſolut. 6. num. 1.* Ioan. Gutier. alios referens *de tutelis 2. part. cap. 4. num. 9.* Hieronymus Bucaron. *de different. inter iudic. ciuil. & criminalia differentia 48. num. 1.* Tuſ-

Tuſchus *practicar. concluſ. iuris concluſ.* 255. *per totam.* Nam etſi doli capaces ſint, quapropter & puberes in iudicijs abſque tutorum vel curatorum interuentu, nec naturaliter obligantur: vnde nec fideiuſſores ab eis interpoſiti adſtricti remanebunt, ſiquidem nulla ſubeſt obligatio principalis, cui accedere fideiuſſores poſſint, *l. cũ lex ,ff. de fideiuſſoribus*, quare cum ipſis initum iudicium, & aduerſus eos prolata ſententia, ipſo iure nulla erit, vt relati omnes *ſuprà* fatentur.

3 Quod adeò verum eſt, vt etiam procedat in pubere curatorem non habente, qui licèt aliâs omnia gerere ex ſua perſona poſſit, tamen in iudicio comparere, niſi curatoris ad id ſpecialiter creati interuentu, nullatenus poteſt, et ſi comparuerit, & cum ipſo agitata cauſa, & lis finita fuerit, ipſo iure irrita omnia & caſſata remanent, ex communi omniũ ſententia *in l. cùm & minores, C. ſi aduerſus rẽ iudicatã, & in l. ſi Præſes, C. quomodo & quando iudex, & l. acta, §. fin. ff. de re iudicata*, docet Ruinus *conſil.* 36. *num.* 4. *volum.* 5. vbi etiam loquitur quando curatorem habuit, qui vel non comparuit, vel iuſtam defenſionem omiſit, Robertus Maranta *de ordine iudicior. part. 6. num.* 105. Mexia *in commentar. ad l. Toleti 2. part. fundamento* 10. *num.*

4 1. *& ſequentibus.* Idemque eſſe videtur, quãdo initio litis, vel cauſæ tutoris ſeu curatoris autoritas nõ interceſſit: quæ licèt ex poſt facto in progreſſu accedat, cauſa non validatur, ex eo quòd illegitimè inchoata fuit, *l. momentaneæ, C. qui legitim. perſon.* docet Alex. Trentacinq. *dict. reſolut. 6. num.* 3. Amator Roderic. *de modo videndi proceſſum, cap. 2. à num.* 8. præcipuè *num.* 10. Ioan. Mauricius *de in integrum reſtitut. cap.* 200.

5 Similiter etiam procedit ſuperior ſententia indiſtinctè, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, ita vt ſemper, & quocumque caſu, illegitima perſona ſtandi in iudicio abſque tutoris vel curatoris interuentu minor reputetur, optimus textus *in l. clarum 4. C. de autorit. præſtanda*, obſeruauit Rolandus à Valle *dict. conſil* 31. *num.* 1. *& 9. & conſil.* 51. *num.* 34. *cum ſequent. lib.* 1. Boſius *conſil.* 59. *num.* 11. Anton. Gomez *tom. 3. variarum cap.* 1. *num.* 64. Iulius Clarus *quæſt.* 55 *num.* 12. §. *vltim.* Auend. *reſponſ.* 4. *num.* 1. Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo vel aduerſarij dolo à num.* 48. Mexia *vbi ſuprà num.* 3. Ioan. Gutier. *de tutel. d. 2. part. cap. 4. num.* 9. Hieronymus Bucarinus *dict. diff.* 48. *per totam.* Quod ita intelligendum eſt, dummodò aduerſus minorem, tutorem vel curatorem non habentem, ordinariè, & ſeruato iuris ordine criminaliter procedatur: nam ſi per inquiſitionem, id eſt, ad indagationem veritatis contra impuberem vel adultum iudicium agitetur, tunc abſque dubio neceſſaria non erit tutoris vel curatoris autoritas, quemadmodum intelligẽdus eſt *textus in dict. l. clarum*, vt tradit Boſius *in practica criminali titulo ſi aduerſus rem iudicatam num.* 22. Quæ lex 6
tantum in minoribus loquitur agentibus, vel pulſatis criminaliter, non verò quando ex indicijs iudicis officio contra eos, vt de delicto conſtet, experitur, ſiquidem tali in caſu ſi adulti, vel pupilli doli capaces exiſtant, & ex legis diſpoſitione criminaliter contra eos procedi poſſit, torqueri, & eorum confeſſiones recipi, ſine tutoris vel curatoris autoritate licitè poſſunt. Ita ſingulariter obſeruauit Hieron. Bucaron. *de different. dict. differẽt.* 48. *num. 2. cum ſequentibus*, iuxta quæ intelligenda erunt quæ refert Ioſeph. Ludouiſ. *deciſ. Peruſina* 13. *num.* 10.

Itidem ſupradicta regula vires obtinet, 7
quoties minor tanquam alicuius procurator in iudicio apparet, cùm minor procurator eſſe non poſſit, *C. qui generaliter in fine de procuratoribus lib.* 6. quod adeo verum eſt, vt etiamſi pars aduerſa conſentiat, minor viginti & quinque annis habilitari non poſſit, vt cenſuit Rota *deciſ.* 37. *de procurat.* aliâs 800. *in antiquis.*

Necnon & extenditur, vt procedat in Clerico minore, quando de bonis profanis lis 8
vertitur, quia etſi Clericus ſit, nihilominus in iudicio abſque curatore ſtare non poterit, ſiquidem clericalis ordo, quemadmodum à patria poteſtate (ex meliore opinione) non liberat: ita nec à datione curatoris, vt tenet Abbas *conſil.* 45. *in fine lib.* 2. Tuſch. *practicar. concluſ. iuris litera M. concluſ.* 255. *n.* 11. *& litera E. concluſ.* 338. *num.* 20. Secus verò ſi de beneficialibus, vel ab eiſdem dependentibus controuerſia ſit. Nam etſi decimum & quartum annum peregerit, in iudicio ſtare abſque curatore poterit, *text. in cap. ſi annũ 3. de iud. cijs lib.* 6. Cardinal. Tuſch. *dictis in locis*, etſi contrarium ex Lappo *allegat.* 123. incipienti, *quidam expoſuit* doceat Mexia *in dict. l. Toleti dict. fundamẽt.* 10. 2. *part. num.* 3. *in fine*, & ex eodẽ Lappo Geminian. & Frãcus *in dict. cap. ſi annum, verbo ſpiritualibus*, & *in verbo dependentibus*, Ioan. Baptiſta Ferretus *conſil.* 250. Genuenſ. *practic. Eccleſiaſt. quæſt.* 663. *num.* 2.

Rurſus protenditur ſuperius pronuntia- 9
tum: nam licèt, vt inferiùs patebit, filius minor pro patre abſque tutore vel curatore in iudicio ſtare poſſit, nihilominus pater minor non poterit eſſe in iudicio pro filio, ſiue agendo, ſiue defendendo, argumento *l. fin. C. de*

legit.

legit. tutel. quod & ſimiliter procedit in minore marito, qui pro muliere in iudicio comparere nullatenus poteſt, vt de vtroque loquens Caſſaneus reſoluit in *conſuetud. Burgund. rubrica 4. §. 5. num. 46.*

10 Deinde etiam locum habet & in eo minore, qui cùm viginti annorum eſſet, quinque liberos ſuſceperat, ſiquidem ad hoc quòd minor abſque tutore vel curatore legitimam perſonam ſtandi in iudicio conſequatur, numerus liberorum, etſi pleniſſimus, parum refert, vti ex *l. de his, C. de adminiſtrat. tutor.* tenet *ibidem* Angelus: ætatis enim defectus niſi ad honores numero liberorum non ſuppletur, *l. 2. C. de in integrum reſtitut. minor. l. 2. C. de minor.*

Sed cùm nulla iuris definitio tam cõſummata eſſe poſſit, quæ ex artificioſa, & arcana Scribentium machinatione, & cauſarum, atque rerum circunſtantijs inſpectis, moderanda, corrigenda, & reſtringenda non ſit: hæc noſtra etſi omnium Doctorum commune pronuntiatum, nonnullas tamen ſubductiones, & limitationes patitur.

11 Primò fallit in cauſis executiuis, in quibus cùm minor executionem intendit, abſque tutore vel curatore in iudicio ſtandi perſonam habet, vt probauimus alibi, cùm de ætate ad executionem fuit ſermo: & id admittit Milan. *deciſ. 13. num. 6. lib. 2.* Ballus *lib. 5. pragmatic. in pragmat. de cauſ. ſumm. num. 7.* etſi contrarium magis arrideat Mauro Burgio *tractatu de laudimio part. 3. inſpectione* 40. *num.* 203.

12 Secundò, nec procedit ſuperior definitio, vbi ex cauſa matrimoniali minor in iudicio comparet: nam tunc abſque aliquo autoramento, ſi pubes fuerit, legitimam perſonam ſortietur ſtandi in iudicio, *cap. ſi annum,* vbi Gloſſa *de iudic. in 6.* Beartachinus *verbo minor poteſt agere, folio mihi* 163. Archidiac. *in cap. certis num.* 5. 15. *quæſt.* 3. Seraph. *deciſ.* 1169. *num.* 8. Alexand. Trentacinq. *variarum reſolut. dict. lib.* 2. *reſolut.* 6. *num.* 10. quod etiam & in dotali cauſa habere locum, docet Gloſſa *in dict. cap. ſi annum,* Imola, Alexand. & Angelus *in l. 1. ff. ſoluto matrimon.* Ludouic. Roman. *in l. 2. §. quod ſi in patris, ff. eodem ex textu in dict. cap. fin. de iudic.*

13 Sed contrarium potiùs eſt verius, ſcilicet, quòd quamuis minor viginti & quinque annis legitimam perſonam habeat ſtandi in iudicio, cùm de matrimonio differitur: tamen cùm de dote agitur, ſtare nullo modo poterit, per text. *in authent. quod locum, C. de collat.* vbi Bald. *verſic.* 8. *quæritur,* ea nempe ratione, quia licèt ſint connexa, ſunt diuerſæ ſpeciei, tenet Ioan. Andreas *in cap. cum olim, el 1. prope finem, de officio delegat.* Barr. *in l. ſi conſtanter in 7. quæſt. 3. part. principalis, ff. ſoluto matrimonio,* niſi de matrimonio principaliter ageretur; & ex incidenti de dote oriretur quæſtio. Nam hoc caſu minorem abſque tutore, ſiue curatore dotalem cauſam tractare poſſe, certiſſimi iuris eſt, vt obſeruauit ex Baldo & Iaſone Gloſſa marginalis *ad dict. authent. quod locum,* & inſinuare videtur Palacius Rub. *in repetit. cap. per veſtras in ſexto, 2. notabili num.* 21. refert latiſſimè omnium opiniones, & tandem noſtram comprobat Alexand. Trentacinq. *in dict. lib. 2. reſolut. 6. num.* 10.

14 Tertiò generalis iſta productio reſtringitur, quãdo violati tori minor in iudicio querelam porrigit, Innocent. *in cap. ex parte, de reſtitut. ſpoliat.* & in *tractat. exceptionum,* D. Nepotis à Monte Albano *art. 6. num.* 18. Petr. Gregor. Toloſ. *in ſyntagmat. lib. 49. c. 3. num.* 12. Alexand. Trentacinq. *variar. d. lib. 2. reſolut. 6. num.* 10.

15 Quartò, & eadem regula moderatur in cauſa momentaneæ poſſeſſionis, ita vt per quamcumque perſonam exerceri poſſit, nedum per eum, qui iuſtæ ſit ætatis, ſed per minorem, etiam pupillum, abſque tutoris vel curatoris interuentione, text. in *l. momentaneæ final. C. qui legit. perſon. hab. ſtandi in iudic.* vbi communi calculo Scribentes id probant, & accipiendum eſſe admonent, dummodò minor actor fuerit, ſecus ſi ab aliquo conueniatur, ex *dict. l. fin. in fine,* docent Couar. *lib. 1. variar. cap. 5. num.* 8. Franciſc. Beccius *conſ.* 12. *num.* 68. vbi inquit, quòd licèt minor perſonam habeat legitimam ſtandi in iudicio momentaneæ poſſeſſionis: tamen ſi ſit læſus, non excluditur à reſtitutione. Nam, vt tradit Roman. *conſil.* 90. licèt minor ad aliquem actum communi iure, aut conſtitutione legitimetur, non ideò in integrum reſtitutio ei denegata intelligitur. Confirmat ſuperiorem ſententiam Alexand. Trentacinq. *vbi ſuprà num.* 12. Barboſa *in remiſſion. ad leg. Luſitan. lib. 3. tit. 63. §. 1. num.* 1. Cardoſa *in praxi, verbo minor num.* 41. vel ſi filiuſfamilias fuerit, vt quamplurimis rationibus confirmat Menochius *de interd. recuper. remed.* 15. *à num.* 272. *cum ſequentibus,* & nouiſſimè Ludouicus Poſtius *de manutenentio. obſeruat.* 83. *num.* 51.

16 Quintò, & ſimiliter coarctatur prædicta generalitas, vt non procedat quoties in iudicio alimentorum cauſa deducitur. Quo caſu certiſſimum eſt, minorem cuiuſcumque ætatis, doli tamen capacem, abſque tutore vel curatore in iudicio ſtare poſſe, *l. 1. C. de aliment. pupil. præſtand.* maximè ſi periculũ

ſit

ſit in mora, nec tempus ſuppetat ad dãdum, vel petendum curatorem, quia venter dilationem non patitur, *l. 2. ff. de ferijs, dict. l. 1. C. de aliment. pupill. præſtand.* per quem text. ita docet Speculat. *in titulo de actore in principio num. 3.* Lara *in l. ſi quis à liberis, §. vtrũ num. 16. ff. de liber. agnoſcend.* quamuis receptior ſit ſententia, quòd vbi mora non eſt damnum allatura, legitimari debeat minoris perſona, vt de alimentis loquens docet Bartol. *in l. ſi conſtante num. 69. in fine, ff. ſoluto matrimonio*, quem ſequuntur, Collerus *de alimentis lib. 3. cap. 3. num. 6.* Surdus *eodem tract. tit. 8. princip. 8. per totam.*

17 Sextò ſuperius pronunciatum fallit, quando ad diuiſionem minor prouocatur, nam ex quo eam recuſare non poteſt, ſed facere ex neceſſitate compellitur, ſolus illam perficere poterit, *l. inter omnes*, & ibi Gloſſa, *C. de prædijs minor. & in l. fin. C. ſi aduerſus transactionem*, tradit Romanus *conſil. 106. num. 4.* Simoncellus *de decretis lib. 2. tit. 4. per totum*, præcipuè *num. 28. & ſequent.* Ioannes Petr. Fontanella *de pactis nuptialib. clauſul. 4. gloſ. 8. num. 4.*

18 Septimò non habet locum, quoties minor abſque tutore vel curatore iuramento firmauit, geſtis, vel in iudicio gerendis nullatenus contrauenire: nam tunc quamuis tutore vel curatore careat, ſtare in iudicio poterit, & ab ipſo geſta rata exiſtent, argumento *cap. ſi annum de iudicijs in 6.* Iacob. de Arena, Bartol. & Bald. *in authent. ſacramenta puber. C. ſi aduerſus vendit.* Lanfrancus *deciſ. 68.* incipienti, *iudicium firmatur*; Gerardus *ſingular. 66.* incipienti *tene menti mirabilem cautelã*, Bertachinus *litera M. verſic. Minor etiam cum iuramento*, vbi & *verſic. Minor cum iuramento poteſt hodie*, aſſerit, hodie minorem cum iuramento in iudicio defenſorem eſſe poſſe, Capella Toloſana *deciſ. 49.* incip. *Item fuit dubitatum, ſi minor*, eadem Capella *deciſ. 45.* incipienti, *Item fuit dubitatum* Anton. Gomez *de contractib.* qui communem dicit *cap. 14. num. 18. verſic. Octauo*, Guidon Papę *deciſione*, Gratiano Polita 34. *& deciſ.* 494. Nicol. Boher. *deciſ. 92.* cuius rei eam eſſe poſſe rationem teſtatur Simoncellus *de decretis lib. 3. tit. 8. num. 152.* quia in iudicio quaſi contrahitur, *l. 3. §. idem ſcribit, ff. de pecul. l. 2.* & ibi Gloſſa, *ff. de præt. ſtipulation.* quare eadem ſit diſpoſitio, quæ & in contractibus, cùm de contractibus ad iudicia, argumentum valeat, *l. non eſt mirum, ff. de pignor. actione*, & licèt contrarium tenuerit Iacob. Butrigar. Iacob. Baldui. Speculator. & Angelus, quos refert Balbus *dict. deciſ. 68.* Cæſar Vrſilis *deciſ. Neapolit. 114.* nihilominus ſuperior opinio verior, & receptior eſt, quam communem clamant Iaſon *dict. auth. ſacramenta puber. num. 67.* & alij quamplurimi relati à Camillo Borrello *in ſumma deciſion. tit. 61. à num. 338.* Alexand. Trentac. *dict. lib. 2. reſolution. reſolut. 6. num. 9.* & Simoncel. *dict. in loco.*

Quod procedere ex Gerardo *d. ſingulari* 19
66. affirmat *ibidem* Trentacinq. quando verba iuramenti concepta ſunt in futurum: puta quia minor iurauit non contrauenire actis in iudicio, ſecùs verò ſi minor aliquid fuiſſet in iudicio confeſſus cum iuramento, quod ſit de præſenti, nam tunc non habere locum *dict. authentic. ſacramenta puber.* quæ tantùm loquitur quando de præterito iuramentum cõcipitur, non verò de præſenti, prædicti Scriptores intendunt.

Rurſus & octauò limitatur ſuperior ſen- 20
tentia, quando minor abſque tutore vel curatore cum iuramento ſe maiorem aſſeruit, nam tunc quaſi maior in iudicio ſtare poterit, & ab eo geſta rata permanebunt, vt ex *l. ſi alterius*, & ex *toto titulo, C. ſi minor ſe maiorem dixerit* euidenter apparet, aſſerit Trentacinq. *dict. loco num. 6.*

Iterum nonò deficit dicta regula in mino- 21
re viginti & quinque annis, qui pro patre, vel pro extraneo abſente ad allegandas cauſas nullitatis in iudicio comparet, quoniam licèt huiuſmodi ætatis regulariter procuratores admitti non poſſint, *l. minor, ff. de procurator.* attamen ſecùs in filio obſeruatur, qui pro patre, vel in eo qui pro abſente compareret, vt diximus *l. exigendi 12. C. de procurat.* Gloſ. *in l. ſeruum quoque 33. §. publici, de procurator.* Franciſcus Marcus *deciſ. Delphin. 626. num. 6. part. 2.* Bertachin. *verbo minor procurator, verſic. vltim. num. penult. folio* 168.

Decimò & in ciuilibus minor admitti abſ- 22
que tutore vel curatore poterit, ſi rei defenſor fuerit, interueniente cautione de iudicato ſoluendo, *l. 1. C. de ſatiſdat. dict. l. exigendi, C. de procurator.* Franciſc. Marcus *dict. deciſ. 626. num. 6. part. 2.* quod an in criminalibus militet, ſuperius exagitatum remanet *num. 5.*

Necnon & vndecimò maior quatuorde- 23
cim annis, & viginti & quinque minor in beneficialibus pro maiore habetur. Quapropter abſque tutore vel curatore admittitur, *cap. vltimo de iudic. lib. 6.* Cinus *in l. in copulandis, C. de nupt.* Craueta *conſil. 80. in primo dubio*, Gigas *reſponſ. 14. num. 3.* Ferretus *conſil. 282.* Maſuer. *in praxi tit. de tutore & curatore num. 37.* Flaminius *de reſignat. lib. 3. quæſt. 7. num. 6.* vbi communem dicit, & de

*confidentijs quæſt.*20.*num.*21.quod & ſimiliter procedere aſſerendum eſt in quibusſibet cauſis ſpiritualibus,vel ab eis dependẽtibus, ex *d.c.fin.de iudic.lib.6.*docet Alexand. *conſil.*80.*volum.*7. Gigas *reſponſ.*14.*n.*3.Azor *inſtitut.moral.p.*2.*lib.*6.*cap.*6.*lit.D.*Paz *in praxi tom.*1.*tempore* 2.*num.*22. Alex.Trentacinq.*d.loco n.*8.Andreas Gail *obſeruat.lib.* 2.*obſeruat.*108.*num.*9.Amator Roderic. *de modo videndi proceſſum c.*2.*n.*15.Thom.Sanchez *de matrimon.lib.*7.*diſputat.*37.*num.*29. *in ſolutione quinti argumenti*, vbi etiam ex pluribus aſſerit,minorem in ſpiritualibus nõ ideò maiorem cenſeri, vt à reſtitutionis remedio excludatur,ſed tantùm vt abſque tutore vel curatore in iudicio agere,& experiri poſſit,ita Seraphin.*deciſ.*1169.*n.*8.

24 Duodecimò fallit in omnibus cauſis, in quibus minor abſque alicuius autoramento procuratorem conſtituere poteſt: etenim in his omnibus abſque tutore vel curatore ſtandi in iudicio perſonam habet, vt refert Gomeſius alios afferens *in d.c.ſi annum de iudic. lib.*6. quemadmodum & è conuerſo in quibuſcumque caſibus minor poteſt ſine tutoris vel curatoris interuentu iudicium ſuſcipere, & in ijſdem legitimam habet perſonam conſtituendi procuratorem ſine tutore vel curatore,*l.*3. *in principio*,vbi Bartolus & Angelus,*ff.rem ratam haberi,l.ſi vnus,§.idem ait, ff.de iniurijs,l.etiam,§.abſens,ff.de manumiſ. vindicta*, Speculator *titulo de actore*,§.1.*verſic.Licèt filiusfamilias*, Angelus *conſil.*143. *tria videntur, in princip.*Socinus *conſ.*239. *præſentis conſultationis difficultas, colum.*4. *verſic.Probatur ratione lib.*2.Iaſon *conſ.*48. *in caſu conſultationis colum.*2.*verſic. Tertio idem confirmatur tit.*1. Tiraquel.alios referens *in leg. connub.gloſ.*5.*poſt dictas leges num.*183.

25 Decimotertiò limitatur etiam prædicta regula,cùm minor de caſtrenſibus, & de patris teſtamẽto litem agit,ſiquidem ad talium rerum proſecutionẽ legitima perſona minor abſque curatore, & abſque tutore impubes, dummodò doli capax,reputatur, vt ex Innocentio *in cap.ex parte de reſtitut.ſpoliator.* & in *tractat.exceptionum* Domini Nepotis de Montealuano *art.*6.*num.*18.tenet Alexand. Trentacinq.*dict.lib.*2.*reſolut. reſolutione* 6. *num.*10.*in principio.*

26 Decimoquartò reſtringitur in minore cõuento & citato poſtquàm lis à tutore vel curatore cœpta eſt, nam tunc ex ſua perſona comparere in iudicio,& litem proſequi rectè poterit,ſi voluerit: ad id tamen compelli nõ poterit.Ita Bertachin.*verbo minor cõuentus, & verſic.Minor citatus,ſub num,*20.

Extra hos verò caſus nemo ante vigeſimũquintum annum in iudicio adeſſe,aut debitores ſuos conuenire poterit, vt ſuprascripti omnes docent, poſt Bald. *in l.ait prætor,in principio,de minor.*& Bertachinum *verbo minor ſub numerum* 30.*verſic.Minor non poteſt in iudicio*,nec cum ipſo proceſſus ſine tutore vel curatore factus valebit,& ſi fiat, nullus erit, vt tradit Riccius *deciſ.*593.*num.*2. & conducunt tradita per Donel. *comment.lib.* 1.*cap.*13.*paulò ante medium.* 27

SVMMARIVM.

*Ante ſeptimum annum, ſiue maſculus, ſiue fœmina, etiam tutore autore citari, aut in ius vocari nequit.*1.

Maior infante an poſſit ad bonorum diuiſionem citari? 2.

*Citatio ſucceſſit loco vocationis in ius.*3.

Tutor, aut eo deficiente,infantis agnati vel cognati.citari debent. ibidem.

Maiorem infante poſſe ſine tutore citari, voluerunt multi. 4.

*Contrarium an ſit verius?*5.

*Non ſolùm pupillus, ſed etiam pubes minor annis viginti & quinque, ſine curatore citari nequit.*6.

*Minor ſi citatus non comparuerit, verè contumax non dicitur.*7.

Ad incurrendam contumaciam in minore, quo modo ſit curatoris autoritas neceſſaria? 8.

Minori eſt curator ad litem aſſignandus,vt cõtra ipſum in contumaciam procedatur.ibid.

*Minor abſque curatore morã nõ committit.*9.

*Mora ab interpellatione deſcendit.*10.

*Is poteſt in moram ex interpellatione conſtitui,qui alienandi ius habet.*11.

*Minor curatore carens contra ſententiam cõtumacialem habet reſtitutionem.*12.

Minor curatore carens, ſolus citari,contumaciam, & moram incurrere poteſt. 12. *& quomodo hoc accipiatur?*13.

Circa eas res, quæ ſeruari non poſſunt,minor carens curatore, contumax, & moroſus eſſe poteſt. ibidem.

*Vbi minoris carentis curatore obligatio alternatiua, tam bona quæ ſeruantur, quàm ea quæ ſeruari nequeunt,reſpicit, an moroſus & contumax eſſe valeat?*14.

Minor curatore carens, ſolùm extraiudicialiter poteſt interpellari. 15.

Minor licet curatore careat, legitimam perſonam non habet ſtandi in iudicio.ibid.

Ex interpellatione extraiudiciali, ſi vt hæres,vel ſucceſſor minor conueniatur, etiam pro re immobili, moram incurrere poterit. 16.

His

His omnibus caſibus poteſt minor ex interpellatione moram incurrere, quibus alienandi poteſtas ipſi iure conceditur. 17.
Fundamentis contrariæ opinionis reſpondetur. 18. *& ſeqq.*

QVÆSTIO XXXV.

Vocari in ius, citari, denuntiari, & ex interpellatione moram incurrere quis poſsit?

HVius quæſtionis definitionem ſatis ambiguam eſſe, non ſine ratione profert Andreas Tiraquel. *de vtroque retract. titulo de retract. conuention.* §. 1. *gloſſ.* 6. *num.* 20. Tum propter materiæ nimiam perplexitatem: tum etiam propter varias & diſſentientes hac de re noſtrorum exiſtimationes, quibus adeò legentium mentes præpediuntur, vt quid ſit amplectendum penitus ignorent. Verùm poſthabitis, more noſtro, aut reſecatis inutilibus quæſtionem ita breuiter digerendam eſſe putamus. Vocari in
1 ius autore tutore, nemo, ſiue maſculus, ſiue fœmina ante ſeptennium tranſactum poteſt, *l.* 4. *in princip. l. neque* 22. *ff. de in ius vocand.* vbi paſſim Scriptores notant, quibus conſentire credendum eſt Aluar. Valaſcus *in praxi part. cap.* 7. *num.* 40. cùm maiorem infante, inquit, ad bonorum diuiſionem citari poſſe (quamuis id generaliter inficietur Cardoſus *in praxi verbo minor num.* 8. contendens, nullum pupillum, etiam cum tuto-
2 re citari debere, ſed decimoquarto anno maiorem) quia ante id tempus, non pupillus, ſed tutor vocandus eſt, *l.* 1. *ff. de adminiſtratione tutor.* probat Quintilian. Mandoſ. *de commiſ.* 4. *verſic. Ad legitimè comparendum,* Eguinar. Varo *in dict. l.* 4. & ante eum Matthæ. de Afflict. *deciſ.* 262. *num.* 1. Ioachim. Minſinger. *obſeruat.* 35. *cētur.* 2. Andreas Tiraquel. *de retractu conſanguin.* §. 1. *gloſ.* 13. *num.* 20. Ioan. Franc. Fara *de eſſentia infantis cap.* 27. *num.* 6. Decius *conſil.* 446. Cæſar Vrſil. *deciſ.* 262. *in princip.* Coſta *de remedio ſubſidiario remed.* 58. *num.* 2. Camil. Borrell. alios referens *in ſumma deciſion. tit.* 44. *de citatione num.* 528. Anton. Faber *in ſuo Codice titulo de in ius vocand. definit.* 3. Oſuald. *lib.* 23. Donelli *cap.* 2. *litera X.* Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. litera C. concluſ.* 252. *num.* 1. *& ſequentibus,* Aſinius *de execution. cap.* 41. *numero* 3. *&* 4. Qui omnes vno ore conteſtantur, infantem, ſiue ſeptennio minorem, citari non poſſe (ſucceſſit enim citatio 3
in locum illius vocationis in ius, vt aptè nimis aduertit Anton. Faber *in dict. l.* 4.) ſed citandum eſſe tutorem ſi habet, ſin autem non, debere citari pupilli agnatos, vel cognatos.

Illud verò difficilius eſt, quod magis ad 4
inſtitutum noſtrum ſpectat: Qua videlicet ætate quis legitimam perſonam habere credatur, vt ſolus citari validè queat? Nonnulli exiſtimarunt, pupillum infante maiorem in ea ætate eſſe, vt ſine tutore citari poſſit: ita Bartol. *in l.* 1. §. 1. *verſic. Quæro qualiter fiat, ff. de adminiſtratione tutor.* & *in l. qui habet,* § *pupillus in fin. ff. de tutel.* Angel. *in l. ſed ſi ex ſtipulatu, ff. de verborum obligatione,* & expreſſiùs *in dict. l.* 4. vbi etiam voluit Paul. de Caſtro, & Angel. de Aretio, qui etiam de infante id affirmat in §. *neque tamen, verſic. An autem illa, inſtitut. de autorit. tutor.* Panormitan. *conſil.* 29. *in quæſt. præſenti circa finem lib.* 2. Anton. Faber *dict. definition.* 3. *in notis.*

Et mouentur primò ex *dict. l.* 4. vbi ſolummodò infantes vocari in ius prohibentur: ergo qui infantiam exceſſerunt, rectè vocari & citari poterunt.

Secundò id adſtruunt ex *l. ſi dictum,* §. *vltim. de euiction.* vbi ita cauetur, *pupillo, etiam ſine tutoris autoritate poſſe denuntiari, ſi tutor non apparet ex duplæ ſtipulatione benigniùs receptum eſſe Trebatius ait.*

Tertiò in idem expendunt *l. de pupillo,* §. *nuntiare, ff. de noui operis nuntiatione,* dum pupillo, aut pupillæ poſſe denuntiari nouum opus, probat.

Quartò pro ſua ſententia pugnare arbitrantur text. *in l. apud Iulianum* 3. *in fine,* & text. *in l. hac autem* 5. *in princip. ff. quibus ex cauſis in poſſ. eat.* qui indefenſi pupilli bona à creditoribus poſſideri affirmant.

Nihilominus reprobata ſuperiori doctri- 5
na, contrarium voluerunt Alexand. *in dict. l. neque impuberes,* Speculator *in titulo de primo & ſecundo decreto,* §. *reſtat. verſic. Sed pone quòd pupillus,* Bald. *in l. ſed ſi ex ſtipulatu, de verborum obligat.* Roman. *conſil.* 454. incipient. *in re præſenti in princip.* refert Tiraquel. & Cardinal. Tuſchus, vterque *vbi ſupra,* Marc. Anton. Eugen. *conſil.* 45. *lib.* 1. *conſil.* 80. *à num.* 3. *cum pluribus ſeqq.* Sancius *in ſelectis moralibus diſput.* 26. *num.* 18. *ad medium,* Aloiſ. Riccius *in praxi rerum fori Eccleſiaſt. deciſ.* 467. *num.* 4. & eo ſubniti conſtat quod ſcripſit Paulus *in dict. l. ſed ſi ex ſtipulatu* 24. *de verborum obligat.* nempe, ſi ex ſtipulatu Stichum debeat pupillus, non videbitur per eum moram fieri, vt mortuo

eò teneatur, niſi tutore autore, aut ſolus tutor interpelleretur, facit text. *in l. Æmilius, ff. de minor.* ibi: *Venditor denuntiationis, vt pretium ſolueretur, tutoribus ſæpè datis*, textus *in l. hac autem, §. 1. ff. ex quibus cauſis in poſſ. eatur.*

6 Quorum opinioni libenter accedam, dum tamen addere liceat, ne dum pupillum, ſed etiam puberem vigeſimoquinto anno minorem regulariter abſque curatore citari non debere, ſiquidem cùm tunc nullam habeat perſonam ſtandi in iudicio, *l. 2. cum ſimilibus* alibi à nobis congeſtis, *C. qui legitim. perſonam habeant ſtandi in iudicio*. Nec poterit validè ad iudicium citari, vt in propoſito. Conſiderauit Roman. *conſ. 120.* & Alex. *in addition. ad Bartol. in l. poſtulante, ff. ad Trebellian.* quos refert Card. Tuſchus *d. concluſ. num. 9.*

7 Hinc eſt, ſecundùm veriorem ſententiam, quòd ſi minor citatus ſine curatore non comparuerit, verè contumax dici non poſſit, *l. contra pupillum 54. ff. de re iudicata, l. 4. C. ſi aduerſus rem iudicatam*, docent expreſſe innumeris relatis Proſper. Farinac. *tom. 1. prax. criminal. q. 11. à n. 26.* Anton. Faber *in l. minor etiam 8. de minoribus*, inſinuare videtur Gædeus *de ſequeſtr. c. 1. n. 74.* Azebed. *in l. 1. num. 39. tit. 11. lib. 4. Recopil.* & Hieron. Bucaron. *de different. inter iudicia ciuilia & criminal. differen. 48. n. 5.* etſi in criminalibus contrarium defendat, tenet nouiſsimè ſuperiorem ſententiam Ludouic. Poſtius *de manuten. obſeruat. 83. numer. 51.* Vnde C. S. *in dict. l. minor etiam 8.* minorem iudicio non ſiſtentem quaſi cõtumacem appellat, cui ex hac cauſa condemnato reſtitutionem ideò pollicetur, quia tanta rei iudicatæ autoritas eſt, vt tali remedio indigeat: cùm poſtquam iudicatum ſit, non attendatur qua ratione, ſed quid iudicatum ſit, quod reſtitutionis beneficiũ, vti nec appellatio, minori nequaquam concederetur, ſi propriè in contumaciam incideret, *l. 1. l. 4. C. quorum appell. non recipian. l. properandum 13. §. & ſiquidem, C. de iudicijs, l. poſt edictum 78. §. vltim. ff. de iudic.* ex quibus ita obſeruauit Anton. Faber *loco vbi ſuprà*, & Ioan. Garſia *de nobilitate, gloſſ. 6. §. 1. n. 31.*

8 Cuius ſententiæ ſuperiùs exhibitam rationem nequam eludit Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo Læſis, numer. 3. C. de in integrum reſtitution.* ex eo, quod ad incurrendam contumaciam, quæ delictum inuoluit, *l. contumacia 53. de re iudicat.* curatoris autoritas non requiritur, ſed puberis ſolùm perſona ſufficit, vti & ad perpetrationem cuiuſcumque alterius delicti, *l. auxilium ff. de minori.* Nam etſi ad incurrendam contumaciam immediatè curatoris aſſenſus non requiratur, mediatè tamen exigitur, cùm ad citationem intercedere debeat, vt diximus, ſine qua contumacia dari non poteſt. Ita Tuſchus *d. concl. 252. n. 3.* Accacius Ripol. *var. reſolut. c. 3. n. 368. & alijs plurimi*. Sicque accipiendum eſt quod ex Rolando *conſilio 68. n. 33. lib. 2.* refert nouiſsimè Noguerol *tom. 1. allegat. 12. num. 37.* nempe minori eſſe dandum curatorem ad litem, vt contra ipſum vt contumacem procedatur.

Ex quo etiam ſilopendet, vigeſimo & quinto anno minorem, nec moram contrahere poſſe ſine curatoris ſui autoritate, vt ſupponere videtur Andr. Kohol. *exercitatione legali 13. n. 52. verſ. puberem*, & innuit Simoncel. *de decretis lib. 2. tit. 6. inſpect. 12. n. 117.* 9

Et ratio eſt, nam cùm mora preciſè ab interpellatione ſiue citatione deſcendat, vt notiſſimũ eſt, & latiſſimè probat Andr. Kohol. *d. exercit. 13.* & ante eum Iacob. Cuiac. *tract. 8. ad Africanũ in l. 27. de vſuris*, qui ſolus citari, aut interpellari nõ poteſt, nec moram cõmittet. Et confirmatur ex eo, quòd is ſolummodo interpellari, & ex interpellatione in mora conſtitui poteſt, qui alienandi ius habet, tradit Iacob. de Aret. Bartol. Angel. Raphael & Immola *in l. ſi ex legati cauſa, de verbor. obligat.* vbi etiam Alex. *num. 4.* & Iaſon *num. 14.* refert Octau. Simoncellus *dict. inſpect. 12. num. 116.* quod cùm minoribus ſit omnino interdictum, à nemine ita interpellari poterunt, vt in moram conſtituantur. 10 11

Quæ omnia hucuſque præfata, de illo minore ſubaudienda erunt, qui curatoris ſubiacet poteſtati: nam qui eo caret, in ea cauſa eſt, vt ſolus citari valeat. Sic Socinus *de citatione art. 5. q. 20. n. 43. & art. 20. nu. 51. q. principali in fine*, Vrſil. ad Afflict. *dict. deciſ. 262. in princip.* nouiſſimè Accacius Ripol. *reſolut. iuris c. 3. n. 130. & ſequentib.* ac per conſequens vt & citationem cõtemnens efficiatur cõtumax, necnon vt moroſus, & vt ad æſtimationem ex tunc quanti plurimi teneatur, vt rectè ſenſit Gloſſa *in d. l. ſed ſi ex ſtipulatu*, vbi Bartol. *num. 4.* Ioann. de Imola *n. 4.* Caſtren. *nu. 6.* Alex. *num 4.* dicens hoc omnes fateri Aretinus *num. 4.* & alijs relatis Andr. Kohol. *dicta exercit. 53. num. 13.* Etſi fateamur hoc caſu aduerſus ſententiam contumacialem ipſum habiturum reſtitutionem, vt communis docet ſic intelligẽda quã ſequuntur Nellus *de bãnitis 1. p. 1. temp. q. 1. n. 1.* Sfor. *q. 82. art. 7. n. 89. cũ ſeqq.* Caroc. *tract. de minore in delic. excuſando, quæſt. 44.* 12

& tractatu de exception. aduerſus ſent. quaſt.
124 *num.*47. Farinac.*q.*11.*nu.*32. Cartar.
*de execut. ſent. cap. fin. num.*224. *& ſeqq.* Aze
ued. *in l.*3. *tit.*10. *lib.*4. *Recopil. n.*6. *vſque ad*
10. hiſque relatis nouiſſimè Noguerol *tom.*
1. *alleg.*12. *n.*34.

13 In his ſcilicet rebus, quæ ſeruando ſer-
uari non poſſunt, & quarum alienatio adulto
curatore deſtituto permittitur, meritò hoc
intelligit Simoncellus *vbi ſuprà num.* 117.
verſicul. Secundus eſt. Nam in cæteris, quæ ex
aſſeruatione nullo damno afficiuntur, ideo-
que citra ſolemnitatē diſtrahi nequeunt, in-
terpellatione minorem, qui curatorem non
habet, in mora non conſtitui, cenſuit cum an
tiquioribus Bartolus *in dict. l. ſed ſi ſtipulatio-
ne num.*4. Angelus, Raphael Cumanus, Ioan.
de Immola *num.* 4. Aretinus *eodem numero*,
Alexander, qui etiam *numer.*4. communem
dicit, Zaſius *num.*27. Ioan. Andr. *in cap. con-
ſtitutus, de reſtitut. in integr.* Baber. *de mora
part.*3. *num.*12. Simoncellus *dict. num.*117.
verſic. Tertius caſus eſt. Andr. Kohol. *dict.*
14 *exercitat.*13. *nu.*53. id verum putans, etiam
vbi minoris obligatio alternatiua eſt, tam ad
res, quæ ſeruari, quā quæ ſeruari minimè poſ-
ſunt, licèt ipſius minoris, velut debitoris, ſit
electio, quid ſoluere velit. Quibus omnibus
opitulatur *textus in l. is cui, §. ceſſatum, ff. vt
in poſſeſſionem legat.* & *text. in l. cùm quidam,
§. ſi pupillo ff. de vſuris.*

15 Ampliu que ſuperiora coercet idem Si-
moncellus *eodem numero, verſic. Primus eſt*,
vt ſolùm procedant quando adoleſcens ſine
curatore exiſtens ab ipſa parte extraiudicia-
liter interpellatur. Nam ſi à iudice, quamuis
ad petitionem creditoris interpelletur, in
moram nequaquam conſtituetur, quia non ha
bet perſonam ſtandi in iudicio. Quapropter
nihil cum eo iudicialiter agi potuit, ſiquidē
quoad iudicium attinet, minor, licèt carens
curatore, pro nihilo reputatur, vt non malè
in propoſito colligitur ex *d. l. is cui* 5. *§. ceſſa-
tum, ff. vt in poſſeſſ. legat.* vbi minor in mora
eſſe negatur ob defectum curatoris, ſine quo
ſtare nequit in iudicio.

16 Extraiudicium verò interpellatus minor,
qui ſolus rebus ſuis adminiſtrandis præeſt,
etiamſi res immobilis, vel alia, quę ſeruando
ſeruari poſſit, in ſpecie debeatur, in mora cō
ſtitui poteſt: ſi tamen obligatio, cuius vigore
fuit interpellatus à defuncto, cui ipſe hæres
extitit, vel ab ipſius teſtamento originē tra-
hit, quia vt eā ſine alicuius autoritate ſolue
re poteſt, *l. magis puto, §. ſi pupillus, ff. de re-
bus eorum, l.*1. *& l. prædium* 3. *C. quando de-
creto opus non eſt*; ita & in ſolutione poſt in-
terpellationem ceſſando, moram non pote-
rit non incurrere, ex ſentētia Andr. Kohol.
*dict. num.*53. *verſic. At ſi res.* Et tandem ex 17
dictis infertur, huiuſmodi minorem his om-
nibus caſibus poſſe interpellari, & ni ſolue-
rit, ex interpellatione in moram incidere,
quibus leges ipſi rerum ſuarum alienationē
permiſerunt, cùm perpetuum ſit in iure, ei
poſſe interpellationem fieri, qui ſoluere po-
teſt, veluti idem Kohol. *dict. exercitat.* 13.
*num.*51. fatetur.

His ergo ita prænotatis, operæpretium 18
erit fundamentis pro ſtabilienda contraria
ſententia iactis occurrere: parum enim ne-
gotij afferre videtur primum, *ex dict. l.*4. *de
in ius vocando* deſumptum, vbi ideò infantes
dumtaxat in ius vocari prohibentur, quia hi
nec cum tutoris autoritate vocari, aut cita-
ri poſſunt, non aliter ac furioſi, de quibus ſi-
mul idem ſtatuit Conſultus. Etenim *illa lege*,
aut ſequentibus, minimè de illis diſputatur,
qui ſcilicet, ex perſona ſua citari, ſiue in ius
vocari poſſunt: ſed de illis, quos abſolutè, aut
ſecundum quid vocare, vel non licet.

Haud magis vrget *l. ſi dictum* 56. *§ fin. de* 19
euiction. ſecundo loco adducta, quia vt nota-
uit Albericus *in dict. l. ſed ſi ex ſtipulatu, nu.*
5. *& in lege qui Romæ, § qui hæredes. ff. de
verb. obligat.* & melius poſt Gloſſam *in l. mo-
ra num.*26. *ff. de vſuris*, & ex his Tiraquel.
*dict. gloſ.*13. *numer.*17. & Marc. Anton. Eu-
gen. *dict. conſ.*80. *numer.*11. *& ſequent.* ibi
fauorabile erat pupillo, vt ei poſſet denun-
tiari, eo videlicet, vt optimè exponit An-
dreas Kohol. *dict. exercitat.*13. *nu.*55. quia
commonefacit eum ſatis maturè, vt cauſam
inſtruat, documenta defenſioni neceſſaria
conquirat, defenſionem ſuſcipiat, & ſic eui-
tet damnum, quod ſi res euinceretur, in
ipſum eſſet omnino redundaturum, vt etiam
prædixerat Salicetus *in dict. l. mora, numer.*
9. & Caſtren. *in l. ſi ex legati, num.*5. *de ver-
bor.*

Faciliùs enim ſubmouebitur tertium ar- 20
gumentum ex *l. de pupillo, §. nuntiare, de ope-
ris noui nuntiatione.* Nam etſi pupillo nouū
opus nuntiari queat, id tamen ea ratione fit,
de qua in *l. operis* 10. *eiuſdem tituli*, videli-
cet, quia operis noui nuntiatio in rem fit, nō
in perſonam, quod de citatione, aut inter-
pellatione dici non poteſt, cùm magis in per
ſonam fit, quàm in rem, vt rectè concludit
Iacob. Cuiacius *vbi ſuprà.*

Præſidium vltimo loco ex *legibus* 3. *&* 21
5. *ff. quibus ex cauſ. in poſſ. eatur* quæſitum
minus habet roboris, nam reprobatis alio-
rum interpretationibus, melius cum Oſual-
do *dict. lib.*23. *Donelli cap.*11. *litera P.* reſ-
ponderi poteſt, miſſionem eapropter pupillū
in

in ſua bona pati, quia hoc commodum potius, & vtilitatem, quàm ipſius diſpendium reſpicit, cùm non defenſi tantùm pupilli bona cuſtodiæ cauſa poſſideantur, *dict. l. 5. §. 1. in fine.* Vnde hoc ſingulari iure eſſe introductum, meritò ſcribit Iacob. Cuiacius *lib. 10. obſeruat. c. 31.*

SVMMARIVM.

COmmentarienſis intra triceſimum diē tenebatur numerum, & ætatem vinctorum referre. 1.

Pupillus ob cauſam ciuilem incarcerari nequit. 2.

Propter delictum, etiam impubes, poteſt incarcerari. 3.

Minor annis viginti & quinque nō poteſt pro ære alieno in carcerem detrudi. 4.

Contrarium tenent aliqui. 5.

Minor, qui poſt decimumquartum annum cum autoritate curatoris, vel iudicis, ſe obligauit ad laudimij ſolutionem, ſi non ſoluat poteſt incarcerari. ibid.

Nemo carcerari poteſt, niſi contumax fuerit. 6.

In minore nulla datur contumacia. ibid.

L. ſi minor 5. ff. de rebus autor. iudic. poſſid. interpretatur. 7. & ſequenti.

Minor, qui liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem habet, etiam de iure noſtro poteſt carcerari. 9.

Sexagenarij, vel ſeptuagenarij ſenes, an poſſint ob debitum ciuile carceribus detineri? remiſſiuè traditur. 10.

QVÆSTIO XXXVI.

Vt poſsit quis in carcerem ob debitum ciuile detrudi?

NOn abs re prudentiſsimos illos Imperatores Iuſtinianum, Va-
1 lentinianum, & Theodoſium in *l. de his 5. C. de cuſtodia reorum* præcepiſſe comperimus, intra triceſimum diem commentarienſem teneri non ſolùm numerum ingerere perſonarum, varietatem delictorum, clauſorum ordines, verùm & ætatem vinctorum, cùm niſi certæ ætatis carceribus detineri non poſſe, vel ex
2 eo ſolùm monſtretur, quòd impuberum perſona, etiam vt in ius veniat, minimè capturam patitur, *l. neque impuberes 22. ff. de in ius vocando*, facit *l. ergo 22. ex quibus cauſ. maior. l. contra pupillum 54. de re iudicata, l. ſi minor 5. de rebus autorit. iudic. poſſiden.* Vnde communiter Scribentes profetunt, pupillum ob debitum, ſeu ciuilem cauſam, nequaquam incarcerari debere. Ita Bartol. Bald. & Ludouic. Roman. *in dict. l. nec impuberes*, Baptiſt. de Sanſeueri *tractatu de debitore ſuſpecto, & fugit. quæſt. 5. principal. à numer. 1.* Speculator. *tractatu de contumacia, §. fin.* Angel. *in l. nemo carcerem, C. de exactor. tributor. lib. 10.* Roman. *conſil. 120. numer. 3. & ſequentibus*, Boerius *in repetit. l. conſentaneum numer. 161. C. quomodo & quando iudex*, Caſtellus *in l. 66. Tauri, verbo Deſarraigar*, Rodericus Suarez *in l. 2. titulo de los gouiernos, lib. 2. fori, column. fin. verſiculo Limita ſextò*, Simoncellus *tractatu de decret. lib. 2. titul. 6. inſpection. 15. num. 128.* Baeza *de inope debitore, capit. 8. numer. 2.* &
alij plurimi nouiſsimè relati à Salgado *to-* 3
mo 1. de Regia protectione vi oppreſſo, part. 2. capit. 4. numer. 8. Quamuis contrarium in impubere doli capace defendat Bertachinus, *verb. Carceratus, verſ. Carcerari pro delicto poteſt pupillus, fol. mihi 195.* cuius opinionē in criminalibus tantùm amplectendam exiſtimarem. Nam propter delictum, ſi doli capax reperitur, quemadmodum pœna affici poteſt, ita & in carcerem detrudi: vti in expreſſo tenuit Baldus *tractatu de carcere cap. 1. quæſt. 4. per textum in dict. l. fin. C. de cuſtod. reorum*, quem ſequuntur Angel. & Aretinus *in §. in ſumma, inſtitut. de obligat. quæ ex delicto naſcuntur*, & notatur paſsim ab Interpretibus in *l. 1. & 2. C. ſi aduerſus delictum*, & in *l. auxilium. ff. de minor. & in l. impunitas delicti, C. de pœn.* Boher. *vbi ſup. num. 161.*

Sed an pubes minor viginti & quinque 4
annorum ratione æris alieni poſſit incarcerem conijci? nec expeditæ quæſtionis eſſe puto. Negant enim ſibi parum conſtans Baldus *dict. tractat. & quæſt. 4. & in l. 1. C. in integrum reſtitut. petita nihil noui fiat*, Angel. *in dict. l. nemo carcerem, de exactorib. tribut. lib. 10.* Ioan. Baptiſt. Cacialup. *tractat. de debitore ſuſpect. d. quæſt. 5. numer. 3.* Greg. Lopez *in l. 1. titul. 15. part. 5. in gloſſ. verbo Todo home*, Baeza *de inope debitore dict. cap. 8. num. 1.* qui plures enumerat. Boher. *d. loco num. 162.* Romanus *conſ. 120.* Caſaneus *in conſuet. Burgundiæ, tit. des renas, rubric. 5. §. 2. num. 15.* Thomas Cerdan *en ſu viſita de carcel, cap. 2. §. 4. num. 12.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſi, cap. 328. nu. 17.* Parlador. *rerum quotidian. 5. p. §. 6. n. 15.* Bobadilla *in Politica lib. 3. cap. 15. n. 29.* Amator Roder.

tractatu de execution. cap. 5. *num.* 53. & ante eum Matthias Colerus *de proceſſibus executiuis, part.* 2. *cap.* 3. *numer.* 261. vbi hanc ex Horacio Mandoſio communem opinionem vocat Scacia *de commer.* §. 1. *quæſt.* 2. *part.* 3. *limitat.* 17. *num.* 5. & ex eo Hermoſilla *in l.* 4. *gloſ.* 2. *numer.* 6. *in fine, titul.* 5. *part.* 5. & Valaſcus *de priuilegijs miſerabili. quæſt.* 18. *num.* 64.

5 Contrarium videntur ſentire idem Baldus *in l.* 1. *qui bonis cedere poſſunt*, Iaſon *in l. nec impuberes, ff. de in ius vocando*, Dueñas *regular.* 269. vbi communem opinionem appellat, & Baeza *dict. capit.* 8. *à numer.* 13. *cum ſequentibus*, vbi id mordicus defendit Maurus Burgius *tractatu de laudimio, par.* 3. *inſpection.* 36. *num.* 10. vbi inquit, etiam minorem, qui poſt quartumdecimum annum ſe obligauit cum autoritate curatoris, vel iudicis ſoluere laudimium, poſſe hac ratione incarcerari; ſecùs verò ſi abſque dicta ſolemnitate fuiſſet dictæ ſolutioni obnoxius: quia tunc nec perſonaliter nec realiter moleſtari

6 poterit.

In hac diſſidentium Doctorum concertatione, priorem negatiuam ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimò, eo nimirum, quia carcerari niſi contumax non poteſt, *l. nemo carcerem* 2. *C. de exactor. tributor. lib.* 10. in minore verò nulla cadit contumacia, *l. qui ſolidum* 58. §. *etiam in fine, ff. de legat.* 2. & euincunt latè tradita ab Andrea Kohol. *exercitat. legali* 13. *numer.* 53. necnon & à Parlador. *vbi proximè*, etiamſi à curatore fuerit legitime defenſus, argumento *l. cùm & minores, C. ſi aduerſ.*

7 *rem iudicat.*

Sed obſtat, minorem viginti & quinque annis à curatore non defenſum, nec alium defenſorem inuenientem, bonorum venditionem pati, *l. ſi minor* 5. *ff. de rebus autoritat. iudi. poſſiden.* cuius legis deciſionem Caſtrenſis *ibid.* ingenuè profiteatur ſe non intelligere, nec mirũ, cũ vix illius certa ratio exhiberi poſſit: ergo minor contumax eſſe poteſt, cùm alioquin ad bonorum ſuorum diſtractionem ſufferendam minimè adſtringeretur, quæ ſolùm aduerſus moroſos & con

8 tumaces permittitur.

Quare plurimorum in hanc rem Interpretum coniecturis perſpectis, quod propr[ius] *dict. l.* verbis, propoſitæque difficultati conuenire videtur, illud eſt, quod ex antiquioribus ſubdoraſſe videtur Caſtre. & Boher. *vbi ſup.* & deinde ſcripſit Gedæus *de ſequeſtro capit.* 1. *numer.* 74. ſcilicet, venditionem in *dict. l. ſi minor*, non ob puberis contumaciam, ſed curatorum negligẽtiam fuiſſe conceſſam, ita vt aduerſus eum qui ex officio minorem defendere tenebatur potiùs, quàm aduerſus puberem bonorum ipſius alienatio permittatur, cùm rerum ſuarum venditione ſi minor læderetur, curæ, vel tutelæ iudicio conſequi à curatore poſſit quantum ſua interfuiſſet bona non veniſſe: nec refert in ipſorum minorum, non verò curatorum bona creditores mitti: vnde conſequenter inferri videbatur, quod abſurdi cauſa aduerſus hanc interpretationem obijcit Oſualdus *lib.* 23. Donell. *capit.* 11. *litera P.* inciuile eſſe mitti quem contra alium in bona alterius, ſiquidem duplici ex cauſa fit. Tum, quia pubes debitor principalis eſt: tum etiam, quia hoc in curatoris pœnam inductum eſt, vt ob eius ſegnitiem, ſimplicitatem, vel ineptiam, minoris ſubhaſtatis rebus infamia notetur: & in ea cauſa ſit, vt nec integra exiſtimatione & condemnetur, & abire à cura iubeatur: ergo ideò minor, vt Boherius inquit, *dict. numer.* 163. patitur miſsionem & venditionem, nõ vtique incarcerationem, quia miſsionem, & rerum ſuarum diſtractionem ſuſtinet ex contumacia curatoris: carcerationem verò, quæ ex propria contumacia neceſſariò inferri debet, *dict. l. nemo carcerem, C. de exactor. tributo, lib.* 10. ex eo non patitur, quia minor nec moram, nec contumaciam incurrit, quibus detineri vinculis mereatur. 9

Verùm hæc traditio nequaquam illum minorem complectitur, cui libera bonorum ſuorum adminiſtratio credita eſt: ſiquidem cùm iſte quoad bonorum ſuorum diſpoſitionem maior ſit, nulla ratione effici poteſt, vt non etiam in carcerem detrudi poſsit, qui adeò rei ſuę moderator & arbiter eſt, vt quo quo modo obligari, & in rem propriam paciſci valeat. Ita expreſſe docuit Cacialupus *dict. tractatu de debitore fugiti, quæſt.* 5. Maria. Socin. *in rubric. de dilatio.* 5. *part. quæſt.* 20. Boherius *vbi ſuprà numer.* 164. Baeza *de inope debitore, capit.* 8. *numer.* 14. vbi apud nos hoc conſuetudine eſſe receptum loquens de minore, qui curatore caret, & ſua adminiſtrat, quamuis diuerſa ratione, optimè probat, Parlad. *rerum quotid. lib.* 2. *c. fin.* 5 *p.* §. 6. *num.* 15. Bobadill. *in polit. lib.* 3. *c.* 15. *numer.* 29. Amator Roderic. *dict. c.* 5. *num.* 53. Franc. Salgado *vbi ſuprà* relatus *n.* 82. quibus libenter ſubſcribo.

An verò ſenex, qui ſexageſimum, vel ſeptuageſimum annum impleuit, æris alieni cauſa poſsit in vincula conijci? vel ſi illis detineatur, quàm citiſſimè ab eis ſit relaxandus? inferiùs controuerſum inuenies *anno* 70. *quæſt.* 10. 10

SVM-

SVMMARIVM.

COnfeſsio minoris in iudicio ſine tutoris vel curatoris autoritate facta, licèt geminata ſit, nec ipſi præiudicat, nec alicuius eſt valoris. 1.

Ad confitendum non habenti curatorem, datur curator. 2.

Curator, qui ſtatim ac deputatus eſt, intrepidè, & abſque aliquo interuallo confitenti minori autoritatem interponit, nihil facit. ibidem.

Autoritas curatoris non in ipſo examine, ſed in iuramento requiritur. 3.

Confeſsio infantis, etiam cum tutoris autoritate, nullius eſt momenti. 4.

Licèt pupillus maior infante patrem habeat, in iudicio ſine curatore confiteri nequit. 5.

Pater familias minor, etſi filios habeat, nullam ad confitendum in iudicio perſonam ſortitur. 6.

Minor annis viginti & quinque, licèt maior fuerit quatuordecimo, adhuc confitendi eſt incapax. 7.

Confeſsio iudicialis minoris, etiam iurata, nullius eſt momenti. 8.

Iuramentum in contractibus ſolùm, non verò in iudicijs minorem maiorem repræſentat. 9.

Eadem ætas ad negandum requiritur, quæ ad confitendum deſideratur. 10.

Poſitionibus reſpondere minor ſine curatore non poteſt. 11.

Non dicitur nulla minoris confeſsio ſine curatore, quando non ordinem & ſolemnitatem iudicij reſpicit, ſed tantùm veritatis indagationem. 12.

Minoris confeſsio tormentis extorta, an ſine curatore ſit valida? 13.

Minoris ficta confeſsio, quæ ex ipſius contumacia reſultat, vbi id ſtatutum admittit, valet. 14.

Minoris confeſsio ſola autoritate & præſentia ſui procuratoris tenet. 15.

Vbi ſtatutum minorem pro maiore habet, valet ipſius confeſsio, licèt ope reſtitutionis poſſit retractari. 16.

Confeſsio minoris contra aliquem, vt cùm teſtis admittitur, vires obtinet. 17.

Minoris inquiſiti confeſsio in iudicio facta, an valeat? 18.

Si minor confiteatur delictum, de quo minimè poterat conuinci, reſtituitur. 19.

Minor an reſtituatur aduerſus confeſsionem de fide data ad cõtrahendum matrimonium cum aliqua. 20.

D. Didac. de Narbona.

QVÆSTIO XXXVII.

Vt quis poſsit validè in iudicio negare confiteri, aut poſitionibus reſpondere?

POſt exactam curam & diligentiam, quãdo ctiſſimus Proſperus Farinacius *tom. 3. praxis criminalis, q. 81. cap. 10. à num. 352.* velut ſagena, aut euerriculũ iuris, quidquid penes immẽſum pelagus Scriptorum hac in re quoquomodo extiterat, more ſuo congeſsit, nihil reſtat, quod diligentię, laborique noſtro deberi poſsit, niſi quod vtrique ob tanti viri ſcripta meritò pepercimus, ipſius quaſi compendio muneri, iuſtitutoque noſtro affatim perſoluentes. Ita enim generali regula ſatis ambiguam hanc & perplexam concertationem definijt: Confeſsio minoris, ſine tutoris aut curatoris autoritate ipſo iure non valet, nec ipſi minori nocet, etiamſi fuerit geminata, vt ipſe Farinacius docet *n. 360.* quia minor, etiam in criminalibus non habet legitimam perſonam ſtãdi in iudicio, *l. clarum, C. de auto. præſtan. l. in vniuerſis, C. qui tutor. dari poſſ. l. propter, C. de adulter.* Quam concluſionem communem tam in ſcholis, quàm in iudicijs fatentur innumeri ab ipſo relati, præſertim Ant. Gomez *variar. reſol. tom. 3. c. 1. tit. de delictis, n. 64. & ſequent.* Perr. Plaza *in epit. delict. lib. 1. c. 32. n. 3. verſ. Quamuis minor,* Menoch. *de arbitr. caſu 268. n. 2.* Sforc. Odd. *de reſtit in integr. p. 2. q. 65. n. 13. ver. Aut verò habet tutorem,* Simanc. *de Catholic. inſtit. tit. 29. n. 60.* quibus addendus Caldas *in l. ſi curatorẽ habens, verbo Vel aduerſarij dolo, num. 48.* quod intellige, ſiue minor curatorem habuerit, ſiue non quia ad validè confitendum non habenti curator præciſe dandus erit, veluti ex Socino, Baldo, & alijs admonet idem Farinac. *numer. 357.* vt ipſe curator adhibita cauſæ cognitione, & non intrepidè ſtatim ac nominatus eſt, minori confitenti ſuam interponat autoritatem; alioqui ſi abſque vllo interuallo à curatore hoc fiat, confeſsio nulla erit, veluti ſine curatore emiſſa. Ita Foller. *in praxi crimin. verbo Etſi confitebuntur, p. 1. num. 26.* Vrſill. *in addition. ad Afflictis deciſ. 208. poſt num. 2.* Marſil. *ſingular. 48. numer. 31.* Roland. *conſ. 3. num. 34.* quibus adhæret Farinac. *dict. cap. n. 361.* ſubdens, ſtylum contra hoc minimè ſtare poſſe: ideóque etiam probatũ non releuare, vtpotè iuri contrariũ. Et nota prædictã curatoris autoritatẽ non requiri in ipſo minoris examine, ſed

ſufficit quòd interueniat in iuramento, vt multis relatis obſeruat idem Farin. *d. c.* 10. *num.* 365.

4 Et hanc propoſitam regulam multò magis habere locum oſtendit *num.* 353. in confeſſione infantis, quæ nec cum tutoris autoritate valere poteſt, argumento *l. quinque, ff. de in ius vocando, l.* 1. *§. ita tamen, & l.* 2. *in princip. ff. de administr. tutor.* tradunt poſt Cynum, Abbatem, Lanfrancum, & alios, Anton. Columba *in tractatu procedendi in controuerſ. criminal. artic.* 172. *verſic. Confeſſio autem pupilli infantis*, Oddus *vbi ſuprà in ſecundo caſu, verſ. Aut ſumus in minore:* & hoc quidem optimè, quia infans, licèt cum tutore, nullam habet perſonam ſtandi in iudicio.

5 Necnon etiam & in confeſſione eius minoris locum obtinet, qui maior fuerit infante, & patrem habeat, vt etiam nouiſſimè docet Ludouic. Poſtius *de manutention. obſeruat.* 83. *num.* 51. Adhuc enim illi, inquit Farinacius *num.* 354. adhoc vt poſtea confeſſus poſſit condemnari, dandus eſt curator, vel pater ipſe, vel alius arbitrio iudicis, ex ſententia Anton. Gomez *d. tom.* 3. *c.* 1. *tit. de delictis, nu.* 64. *verſ. Quod notabiliter*, & Cæſar Vrſill. *in addition. ad Afflict. deciſio.* 208. *num.* 2. qui notat debere interuenire curatorem ſimul cum ipſo patre.

6 Rurſus eam extendit prædictus Autor *num.* 355. ad confeſſionem minoris patrisfamilias, & habentis filios, qui nec tunc habet legitimam perſonam ſtandi in iudicio, *l. de his, C. de administr. tutor.* cuius autoritate ita ampliat Marian. Socin. *in c. qualiter & quando el* 2. *num.* 993. *de accuſationibus.*

7 Et quod magis ad inſtitutum noſtrum accedit dictam regulam non ſolùm procedere, inquit *num.* 356. in confeſſione minoris quatuordecim annorum, ſed etiam adulti maioris quatuordecim annorum, & minoris quinque & viginti, vt colligitur *ex dict. l. clarum*, & ſentit Marian. *vbi ſuprà*, Bald. *in dict. l. clarum, numer.* 1. *verſicul. Per hoc etiam non videtur*, Sforc. *dict. quæſt.* 65. *num.* 13. *in* 2. *caſu, verſicul. Aut vero ipſe pupillus, iuncto verſicul. Aut verò habet*; quibus adſtipulatur Pereira *de emption. & vendition. cap.* 13. *num.* 12. Iul. Clarus *§. fin. quæſt.* 55. *verſ.* 12. Viuius *opin.* 504. *num.* 1. *cum ſequent.* Ricius *in praxi deciſion.* 593. *n.* 1. licet Dinus, quem alij ſequuntur teſtè Cyno *in dict. l. clarum, num.* 2. *verſic. Sed quid ſi minores*, & ibi etiam Alberic. *num.* 2. in adulto contrarium minus rectè voluerint.

8 Idque item procedit, ſiue minoris confeſſio, ſine curatore emiſſa, fuerit iurata, ſiue non, cùm vtroque caſu dicta regula vim habeat, & talis confeſſio ſit nulla. Nam vt obſeruat Farinac. *numer.* 359. licet enim iuramentum ætatem ſuppleat, & minorem maiorem repræſentet, *Auth. Sacram. puber. C. ſi aduerſ. vendit. cap.* 1. *§. item ſacramenta, de pactis iuram. firmand. in vſibus feudor.* Hoc 9 tamen intelligitur ſecundum Butrigar. & Bald. in *dict. Authent.* ſolum in contractibus, non verò in iudicijs, quod ſequitur Marian. *in d. cap. qualiter & quando, num.* 998. Angel. *de maleſic. in verbo Comparuerunt dicti inquiſiti, & confitentur totum num.* 9. vbi & de eo minore agit, qui contra confeſsionẽ non venire ſpopondit, idem docent Lanfran. Marſil. Ioſeph. Ludouic. & alij apud Farin. *d. n.* 359.

Quæ hactenus dicta, non ſolum in confeſſione, ſed etiam in minoris negatione æquè militant, vbi ex ea aliquo præiudicio minor afficeretur, probat optimus textus in *l. ſi ex cauſa, §. nunc videndum, in fin. ff. de minoribus*, & ex eo Marianus *in d. cap. qualiter & quando, numer.* 996. *verſicul. Vult etiam*, & *numer.* 997. *verſicul. Et quod poſſit*, Mateſil. *ſingul.* 164. *& ibi additio*, Sarmiento *ſelectar. iuris, lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. *verſic. Quartò pro iſta opinione*, & *num.* 9. Caldas Pereira *in d. l. ſi curatorem, verb. Vel aduerſarij dolo. nu.* 40. *verſ. Quam obrem*, & *numer.* 41. *&* 48. *C. de in integr. reſtit.* Mauriti *de reſtit. c.* 252. & Farinac. *eod. loco nu.* 258. vbi id latius proſequitur. 10

Item & ſimiliter procedunt in reſponſione ad poſitiones, quas pupillus, aut alius minor, ſine tutore vel curatore abſoluere minime poteſt. Ita Bartol. *in l.* 1. *§. ſufficit, numer.* 7. *ff. de administrat. tutor.* & in *l. certum* 6. *§. in pupillo, ff. de confeſſis*, quem ſequitur Berrachinus *in repertorio*, *verbo Pupillus, verſicul. Pupillus non poteſt reſpondere.* 11

Cæterùm dicta regula à nobis initio conſtituta, & ad tot caſus producta, aliquibus etiam coercetur, & limitatur. Et primò, vt ſolùm procedat in minorum confeſſionibus, quæ reſpiciunt ordinem, & ſolemnitatem iudicij, non verò in his, quæ proferuntur ad veritatis indagationem, prout in tortura in qua licèt interuenire debeat curator in decreto de torquendo, non tamen debet interuenire in ipſa tortura, vt alibi diximus, & colligitur ex traditis à Menochio *conſ.* 100. *num.* 139. *&* 140. Griuell. *deciſ. Dolan.* 39. *numer.* 6. *& ſequentibus*, Cabreros *de metu lib.* 2. *capit.* 2. *num.* 40. vbi docent, minoris confeſſionem tormentis in caſibus permiſsis extortam, etiam ſine curatore validam eſſe. 12 13

Con-

Confirmat ſuperiorem ſententiam innumeris ſcriptorum teſtimonijs Proſper. Farinac. *num.* 361. qui poſtquam *num.* 363. nonnullos retulerat, quibus contrarium magis placuit, ſcilicet, etiam confeſſiones in tormentis ſine curatore emiſſas nullitatis vitio laborare, tandem *num.* 364. hoc vltimum in pupillis proculdubio admittit, & ſiue ipſius confeſſiones abſque tutore factæ ſolemnitatem, vel ſolam iudicij veritatem reſpiciant, ſemper illas inualidas futuras, ex aliquibus ſcribit *num.* 364.

14 Deinde ſupra ſcripta regula limitatur in confeſſione minoris ficta, quæ ex contumacia reſultat, quoniam poteſt minor tanquam confeſſus condemnari vigore ſtatuti volentis contumacem haberi pro confeſſo, etiam non dato ei curatore, ex Farinacio *ibid. numer.* 366.

15 Qui & rurſus *num.* 367. eandem limitat, vbi confeſſio minoris fuit facta cum autoritate ſui procuratoris, quem iudex conſtituit, ſiquidem huius autoritas ſupplet requiſitam curatoris autoritatem, ſecundum Marſil. *in l. de minore in princip. nu.* 54. *ff. de quæſtio.* Follerium *in practi. crimin. verbo Et ſi confitebuntur p.* 1. *n.* 19. *in fine, & eod. verbo p.* 3. *num.* 49. & Farinac. quem nihil latuit *num.* 367.

16 Item non procedit dicta regula, quando ſtatutum habet minorem pro maiori, & ideò ſi hoc caſu ſine curatore fuerit confeſſus, non erit confeſſio ipſo iure nulla, iuxta Boerij *deciſ.* 63. *numer.* 7. Odd. *de reſtitut. part.* 2. *quæſt.* 65. *articul.* 7. *num.* 27. *& num.* 42. ſed tantùm ope reſtitutionis, vt ſentit Farinacius, quamuis Boerius & Oddus hoc non admittant.

17 Præterea ſimiliter coercetur quoties minoris confeſſio in alterius præiudicium fuit emiſſa, vt teſtificando contra aliquem, nam tunc curatoris autoritas minimè erit neceſſaria, quæ ſolùm deſideratur ne ex inconſiderata confeſſione ſibi ipſi præiudicet, ſic Bald. *in dict. l. clarum n.* 1. *C. de autor. præſt.* Foller. *vbi proximè p.* 1. *n.* 23. quos ſequitur Farin. *d. q.* 81. *c.* 10. *n.* 369.

18 Et denique pro coronide addendum erit, hoc quod diximus, minoris confeſſionem citra curatoris præſentiam iudicio elicitam eſſe nullam, in minore inquiſito nequaquam procedere, multis aduertit Farinac. *n.* 370. qui ita vbique practicari teſtantur.

19 Vtrùm autem contra confeſſionem à minore cum autoritate curatoris factam detur reſtitutio? diſputant egregiè Gutierrez *practic. lib.* 1. *quæſt.* 48. *num.* 3. & *lib.* 3. *quæſtio.* 32. *à num.* 5. Stephan. Gratian. *diſceptat. foren. cap.* 109. *num.* 5[illegible]. & alij relati per Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad cap. auditis* 3. *numer.* 8. *de in integr. reſtitut.* vbi concludit, quòd ſi minor legitimè interrogatus iuxta *dict. l. clarum*, confiteatur delictum, vel debitum, de quo non poterat conuinci, reſtituitur abſque illa probatione læſionis, vel erroris, quia confitendo cenſetur læſus. Idem docet noſter Perez de Lara *in compend. vitæ homin. capit.* 25. *numer.* 42. & hanc quæſtionem multis examinat Sforc. Odd. *de reſtitut. in integrum part.* 2. *quæſt.* 64. *artic.* 7. *per totum*: ſed latiùs Proſper. Farinac. *dict. quæſt.* 81. *cap.* 10. *à numer.* 374. *vſque ad numerum* 390. cui nouiſsimè accedit Ioan. Matienzus Iunior. *in l.* 1. *num.* 181. *cum ſequentib. ff. de minor.* Et quòd in cauſis matrimonialibus poſſit minor reſtitui aduerſus confeſſionem à ſe factam in iudicio, de contracto matrimonio, & fide data, quamuis fuerit in ea adhibitum iuramentum, dummodò ex tali confeſsione ſe læſum oſtendat, & probet, & aliter quàm per ſuam confeſsionem de fide à ſe data, vel contracto matrimonio appareat, ita ex veriori ſententia reſoluit Caldas *in dict. l. ſi curatorem, verbo Aduerſarij dolo, num.* 42. *&* 43. P. Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *diſput.* 172. *num.* 17. pro quo faciunt, quę tradit Baſilius *de matrimon. lib.* 9. *cap. fin. num.* 13. 20

SVMMARIVM.

Pupillus licèt maximè ære alieno oppreſſus, bonis cedere nequit. 1.

Minor iam pubes, an poſſit beneficio ceſſionis vti? 2. *& ſeqq.*

Ceſsio bonorum, alienatio dicitur. 3. *&* 8.

Bonorum ceſsio in fauorem debitorum fuit inducta, vt ita carcerum miſeriam effugerent. 4.

Minor ob debitum ciuile in carcerem mitti nequit. 5.

Ceſsio bonorum, beneficium appellatur. 6.

Quilibet, licèt in alterius poteſtate conſtitutus, bonis cedere poteſt. 7.

Opiniones, quæ circa propoſitæ quæſtionis reſolutionem contrariari videntur, fœdere diſtinctionis componuntur. 8.

Minor qui liberam habet bonorum adminiſtrationem, vel à lege, vel ab ſtatuto bonis cedere rectè poteſt. 9.

Minor in quibus caſibus bonis cedere poteſt, cũ iuramento id facere non tenetur. 10.

Minor carcerari non debet, ſi cùm deſiderat bonis cedere, iudex ad id recuſat ſuum decretum interponere. 10.

QVÆSTIO XXXVIII.

De ætate qua poteſt inops debitor bonis cedere?

1 PVpillum quantumvis ære alieno maximè oppreſſum bonis cedere haud poſſe, omnes concludunt. Sic Bald. quem *ibidem* ſequitur Salicetus in *l. fin. num.* 20. *C. de ceſsion. bonor.* Barb. *in cap. Rainuntius de teſtam.* Brunus *tractatu de ceſsion. bonorum, quæſt.* 3. 4. *quæſt. principali num.* 14. *cum ſequent.* Roderic. Suarez *in l.* 11. *fori ll. lib.* 3. *tit. de los gouiernos, numer.* 16. *&* 17. Octau. Simoncellus *tract. de decret. lib.* 2. *titul.* 6. *inſp.* 15. *nu.* 127. Gaſpar Baeza *de inope debitore cap.* 8. *num.* 3. & Caualc. *de curatore num.* 317.

2 Quod verò apud omnes non ita conuenit, illud eſt, an pubes, minor tamen viginti & quinque annis, poſsit hoc ceſsionis beneficio ſine iudicis decreto rectè vti? Quidam ergo id abſolutè negant, & inter eos potiſſimè Bald. & Salicet. *in l.* 1. *C. de ceſſ. bon.* Iaſon *in §. vltim. nu.* 11. *verſ. An autem minor, inſtitut. de action.* Roderic. Suarez *vbi ſuprà*, Gregor. Lopez *in l.* 1. *verb. Todo ome, tit.* 15. *part.* 5. & anteà Socin. *regula* 46. *fallen.* 13. Alexan. Trentacin. *variar. reſolution. lib.* 3. *num.* 31.

3 Et hanc opinionem multis ſtabilire contendunt. Primò, quia ceſsio nihil aliud eſt, quàm bonorum alienatio, & amiſsio, *l. is qui* 3. ibi: *Is qui bonis ceſsit antè, rerum venditione bonis ſuis non caret. ff. de ceſſ. bonor. l.* 2. *C. qui bonis cedere poſſ.* illis verbis: *Fruſtrà vereris, ne verbum bonorum ceſsionis temerè à te prolatum priuare te, nec dum diſtractis facultatibus iuris rationibus poſsit.* Conducit ex iure patrio, *l.* 1. 2. *&* 3. & fere *totus titulus* 15. *part.* 5. vbi ceſsio, deſertio bonorum dicitur: ſed quæuis alienatio eſt minoribus prohibita, *l. magis puto, §. non paſsim, ff. de rebus eorum*, cum ſimilibus, igitur & ceſsio bonorum.

4 Deinde, nam in id tantumdem ceſsionis hoc ſubſidium inductum eſt, vt debitores, quorum eò redactæ ſunt fortunæ, vt vnde creditoribus integrè ſoluant non habeant, infœliciſsimam carceris miſeriam euadant, *l.* 1. *C. qui bonis cedere poſſ. Eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodeſt* (inquit Imperator) *ne iudicati detrahantur in carcerem.* Cuius ſimile apud noſtros cauetur in *l.* 4. *dict. tit.* 15. *part.* 5. & in *l.* 6. *&* 7. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recopil.* vbi cedentem bonis catenam à ſe abijcere ſcribitur, ideſt, veluti egregiè in *d. l.* 6. *gloſ.* 1. exponit Matienz. carcerem & vincula, quibus aliàs vſque ad ſatisfactionem detinerentur. Cæterùm minor nequaquam poteſt carceribus ob debitum mancipari, vt communis teſtatur, & docent poſt antiquiores à nobis *ſuprà* proprio loco relatos Mathias Collerus *de proceſsib. execut. part.* 2. *cap.* 3. *numer.* 261. Baeza *de inope debitore dict. cap.* 8. *numer.* 2. Amator Rodericus *tractat. de executione cap.* 5. *num.* 53. Seacia *de comm. §.* 1. *quæſt.* 7. *part.* 3. *limit.* 17. *num.* 5. Hermoſilla *in l.* 4. *gloſ.* 2. *num.* 6. *in fin. tit.* 5. *part.* 5. ergo bonis cedere non poterit, quia hoc ſubſidio non indiget. 5

Nihilominus contraria pars, quæ affirmat, & etiã minores bonis cedere poſſe tuetur, nonnulla pro ſe habet, & preſertim quòd ceſsio bonorum eſt & dicitur beneficium, *l. legis Iuliæ* 4. *in princip.* ibi: *Legis Iuliæ de bonis cedendis beneficium, &c. C. qui bonis cedere poſſunt.* Quare ita appellant omnes ſupra relati, & Farinac. *praxis criminal. quæſt.* 26. *num.* 5. Nec immeritò, cùm ideò fuerit inuenta, & permittatur, ne aliter debitor, qui propter inopiam ſoluere nequit iniuriam patiatur, vt ferè eiſdem verbis profitetur Imperator in *l. cùm & filij familias* 7. *C. eodem*, illo *verſic. Tamen ne patiantur iniuriam, debet bonorum ceſsio admitti.* At iniquum eſt minorem, cuius cauſa tot beneficia, & fauores leges inuenerunt, tanto beneficio priuare: ergo ei potiùs quàm maiori erit ceſsione ſuccurrendum. 6

Rurſus in eandem rem expendi poteſt, *dict. l. Regia* 1. *in principio, titul.* 15. *part.* 5. quæ ita loquitur: *Deſamparar puede ſus bienes todo ome que es libre, è eſtuuiere en poder de ſi miſmo, ò de otri, non auiendo de que pagar lo que debe.* Qua generali definitione ambigi nõ poteſt, etiam minores cuiuſcumque ætatis eſſe comprehenſos, quoniam hi vel in ſua, vel in aliena tutorum, vel curatorum poteſtate ſemper exiſtunt. 7

Hanc porrò opinionum contrarietatem eleganti, & ſubtili diſtinctione temperãdam putat doctiſsimus Octau. Simoncellus *dict. tractatu de decretis lib.* 2. *tit.* 6. *inſpectione* 15. *num.* 129. exiſtimat enim, tunc demum priori ſententiæ locum eſſe, cùm minor, qui vult cedere bonis, tantùm habet immobilia, quæ cùm regulariter ab eo ſine iudicis decreto alienari nequeant, vt ſæpiùs hoc opere diximus, nec cedi aliter poterunt, cùm ſpecies alienationis ſit ipſa ceſsio: ſi verò adultus habet ſolummodò bona mobilia, aut iura & 8

actio-

actiones ad mobilia competentia; tunc enim procedet ſecunda opinio, & illis nulla interueniente iuris ſolemnitate cedere poterit: nam cùm huiuſmodi bona abſque vlla ſolemnitate alienare queat, cur eſt quòd bonis cedere non valeat inquit prædictus autor, cùm bonorum ceſsio nil aliud ſit, quàm alienatio? ex iam dictis. Cuius diſtinctioni libenter accedo, & inſuper cum eo *dict. inſpectione nu-*
9 *mer.* 130. ſubiungo, id ſemper omninoque veram eſſe, niſi minor ex ſtatuto, vel alia cauſa bona ſua, tam mobilia, quàm immobilia habeat, & adminiſtret: nam tunc indiſtinctè omnium bonorum ceſsionē eum facere poſſe palam eſt, quia & omnium liberam habet adminiſtrationem, cum alienatione: & hoc caſu, vt & in reliquis, quibus cedendi facul-
10 tas minori conceditur, non tenebitur, cum iuramento cedere, *l. quæ ſub conditione, ff. de condition. inſt.* per quem textum ita ſentiunt Roderic. Suarez *vbi ſuprà*, & ex eo Simoncell. *dicto loco*, qui & *numero ſequenti*, notat,
11 quòd ſi index noluerit decretum apponere in ceſsione bonorum immobilium, quam minor facere deſiderat, non propterea poterit carcerari, quia non ſtat per eum quominus ſoluat, ſed per beneficium ætatis. Idem docet ex Baldo *in dict. l.* 1. *num.* 20. *C. qui bonis cedere*, Gaſpar Baeza *dict. cap.* 8. *num.* 13. *ad finem*. In quo tamen apertè decipitur, quoniam minor nullo caſu poteſt in carcerem mitti, niſi quando habet liberam bonorum adminiſtrationem, vt ſuprà *hoc anno* oſtendimus, & tunc etiam ſine decreto bonis cedere poteſt, vt proximè ex eodem tradidimus: ergo quamuis non per iudicem, ſed per minorem ſteterit, quominus decretū ad ceſſionem bonorum faciēdam conſequatur, adhuc minor carcerandus non erit, quoniam ætatis fauor non patitur, illum propter ciuile debitum in vincula conijci.

SVMMARIVM.

Iuramenti delatio, pars eſt adminiſtrationis bonorum. 1.

Pupillus quamuis pubertati proximus, aduerſario iuramentum deferre nequit. 2.

Adoleſcens ſiue curatorem habeat, ſiue non, an poſſit iuramentum deferre? 3. *& ſequent.*

Maiorem viginti & quinque annis habere iuramenti delationem, vt probabilius traditur. 4.

L. nam & poſtea 9. §. ſi minor, ff. de iureiurando, explicatur. 5.

Curatoris autoritas non impedit reſtitutionis beneficium. 6.

Minor contra iuramentum non reſtituitur. ibidem.

L. ius iurandum, quod ex conuentione 17. *§. pupillus, ff. de iureiurando, interpretatur.* 7.

Vt in actionibus ius, in exceptionibus factum verſatur. 8.

QVÆSTIO XXXIX.

Ius iurandum, vt quis in iudicio, & extra iudicium deferat?

IVriſiurandi delationem, ex 1
illis rebus eſſe, quæ ad liberam bonorum adminiſtrationem ſpectant, commune Scribentium placitum agnoſcitur, deductum ex *l. ius iurandum* 17. *§. pupillus de iureiurando*, cuius poſt antiquiores meminerūt doctiſsimus Iacob. Cuiac. *lib.* 18. *ad edictum Paul. in d. l. iusiurandum, quod ex conuentione* 17. *de iure iurando*, & accutiſsimus Antonius Fab. *in rationali ad eandem l.* Vnde euenire vterque
infert, pupillum, quamuis doli capacem, & 2
pubertati proximū, cuius in adminiſtratione rerum ſuarum nulla, aut exigua poteſtas eſt, ſine tutoris autoritate aduerſario iuramentum deferre non poſſe, *dict. l.* 17. *l.* 1. *§. ſi pupillus, ff. quarum rerum actio non datur, l.* 4. *C. de rebus creditis*, iunctis his, quę ad ipſius expoſitionem ſcribit Oſuald. *lib.* 24. Donelli *capit.* 1. *litera B.* requiritur enim, vt qui deferendi iuramenti facultatem nanciſcitur, eius ætatis exiſtat, qua ſine periculo pa-
trimonium adminiſtret. Hinc eſt nonnullis 3
placuiſſe adoleſcentes, quibus nulli curatores adſunt, aduerſario rectè iuramentum deferre; poſſunt enim prædicti, dummodo nihil alienent, res ſuas gubernare: quo circa ſupradictam ſententiam indubitatam & magis communem cenſet Iaſon *in dict. l.* 17. *§. pupillus nu.* 12. Donellus *dict. lib.* 24. *c.* 12. licèt non minus probabilem alij, vt Quintil. Mandoſ. *de ætate minori c.* 4. *n.* 45. & Anton. Fab. *vbi proximè*, opinionem eorum arbitrētur, qui indiſtinctè adoleſcentibus ſiue curatores habentibus, ſiue non habentibus deferendi poteſtatem concedunt.

Verumtamen licèt hæ opiniones, proba- 4
biles ſint, & vnaquaque ſatis validiſsimis rationibus nitatur, vt apud ipſarum præcipuos fautores videre eſt, mihi magis arridit, & iuri conſonum videtur, viginti & quinque annis maiores, ſiue fœminas, ſiue maſculos

los in iudiciō, vel extra iudicium, ſolummodo iuramentum deferendi poteſtatem habere; quia huius ætatis tantundem, dicuntur liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habere, vt ex *l.* 1. *in fine, de minoribus*; *hoc eodem anno diximus*, quod ad iuramenti delationem omnino neceſſarium eſt, vt *ſuprà* notauimus. Ideoque apud noſtros expreſſa *l.* Regia cauetur, minorem viginti & quinque annis aduerſario non poſſe iuramentum deferre, vt ex his verbis *l.* 3. *titul.* 11. *part.* 3. Conſtat manifeſte: *Dar puede la jura en juizio tambien el contendor como el juez, ſegun diximos de ſuſo. Pero quando el contendor la diere, ò la recibiere, deue ſer de edad de veinte y cinco años.*

5 Hiſque non aduerſatur Vlpiani reſponſum *in l. nam & poſtea* 9. §. *ſi minor, ff. de iureiurando*, ex cuius ſeriè deducitur, quinto & vigeſimo anno minorem iuramentum deferentem reſtitui probata læſione, ac conſequenter in huiuſmodi minori ætate exiſtentem validè deferre, alioqui beneficio reſtitutionis non indigeret, non minus quâm ſi à pupillo delatio facta eſſet. Nam ex *dict.* *l.* accipiendam eſſe de delatione ab adoleſcente curatorem habente, cùm ipſius autoritate facta, vt in rationali ad *dict. l.* optimè interpretatur Antonius Faber *verb. ius*

6 *iurandum detulerit*, & apertiùs Oſualdus *dicto lib.* 24. *capit.* 12. *litera D.* (licèt magis credat *dict.* §. non de iuramento conditionali, ſed conuentionali loqui, quem cum minor ſine curatore detulerit, putat validè delatum) quia ſi captus fuerit, proculdubio reſtituitur, nam licèt curatoris autoritas ætatis defectum ſuppleat, reſtitutionis tamen commodum non excludit, *l. fin. ff. de in integrum reſtitutione, l. minoribus* 2. *C. ſi tutor vel curator interuenerit*, & confirmat Sforcia Oddus *de reſtitutione* 1. *part. quæſt.* 22. *articulo* 1. quæ reſtitutio ex eo non impeditur, quòd minor aduerſus iuramentum reſtitutione non ſubuenitur, *l.* 1. *authent. Sacramenta puberum, C. ſi aduerſus vendit.* quia vt ex Beuſter. *in dict.* §. 4. & Gail *libro* 2. *obſeruationum capit.* 4. *numer.* 11. aduertit Oſuald. *vbi ſuprà litera E.* delationis alia ratio eſt, illic virtute iurisiurandi habetur minor pro maiore, hîc non ęquè.

7 Nec magis hæc omnia ſubuertere videtur *dict. l. iuſiurandum, quod ex conuentione* 17. §. *pupillus*, vbi delatum iuramentum à pupillo ſine tutoris autoritate; ipſi pupillo quandocumque aduerſus iurantem agenti per modum exceptionis propoſitum obſtare Paulus fatetur, necnon & ſucceſſiuè ipſam iuramenti delationem à pupillo ſine tutore factam validam eſſe, cùm aliter obſtare non poſſet, nec exceptionem vllam parere, non magis quàm actionem, vt diſertè eadem ſpecie aduerſus Paulum reſpondiſſe Vlpianum *in dict. l.* 1. §. *ſi pupillus, ff. quarum rerum actio non datur*: ſiquidem pluribus prætermiſsis, quæ in huius *l.* interpretationem comminiſcitur Oſualdus *loco proximè alegato litera C.* dicendum eſt, exceptionem non ex validitate delationis proficiſci, ſed ex facto ipſius: nam vt in actionibus ius, in exceptionibus factum verſatur, *l ſi vnus* 27. §. *pactus ne peteret, ff. de pactis*, Vnde cùm iuramenti delatio facti ſit, quamuis ſecundùm ius non teneat, exceptionem producet quæ ex facto, quod verè preceſsit, naſcitur, cuius iniquitatem (continet enim maximam ex eo, quod ex inutili delatione deſcendit) vt affabrè aduertit Antonius Faber in *dict.* §. temperat & emendat Prætor data replicatione, *l. in duobus* 28. §. *ei qui, ff. de iureiurando.* Cuius replicationis æquitas, vt eiuſdem Fabri verbis vtar, tota ex eo pendet, quòd pupillus rerum ſuarum adminiſtrandarum ius non habeat. Proinde obſtat exceptio inſpectis verbis formulę, ſed in effectu non obſtat, quia replicatione eliditur, qui quidem ſenſus eſt *dict. l.* 1. §. 1. *ff. quarum rerum actio*, vt *ibidem*. Conſiderat Accurſius, *verbo Non obſtare*, à quo deſumpſit Antonius Faber.

SVMMARIVM.

Non poteſt compromittere qui non poteſt alienare. 1.

Compromiſſum eſt alienationis ſpecies. ibid.

Qui non alienare iurauit, neque compromittere poteſt. 2.

Neceſſarium compromiſſum, etiam à minore fieri poteſt. 3.

Minor abſque decreto, & alijs ſolemnitatibus compromittere nequit. 4.

Niſi in re dubia, & incerta, compromiſſum à minore, licèt omnibus adhibitis ſolemnitatibus factum, nullius eſt momenti. ibi.

Compromiſſum in re minoris clara, & aperta, nec cum ſolemnitatibus valet. 5.

Minor compromittens, abſque alia probatione læſus præſumitur. 6.

Minor, qui inutiliter compromiſit, poteſt partem alteram compellere ſtare compromiſſo. 7.

Licèt minor recuſans compromiſſum ſeruare pœnam non debeat, ipſius fideiuſſores debebunt. ibid.

Mi-

Minor curatore carens ſi compromiſerit, tenetur vel compromiſſum ſeruare, vel pœnam ſoluere. 8. *& quomodo hoc accipiatur?* 10.

Etiamſi lege, vel ſtatuto minor ad compromittendum teneatur, ſine tutore vel curatore factum compromiſſum nullius erit roboris. 9.

Minor poteſt compelli ad compromittendum, ſi ad id aliquo iure teneatur. ibid.

De iure noſtro minor curatore carens rectè compromittit. 10.

Minor, qui ſine curatore compromittere nequit, cauſam compromiſſi cœptam proſequi rectè poteſt. 11.

Quoties minor adhibito iuramento compromittit, curatoris autoritate non indiget. 12.

QVÆSTIO XL.

Quot anni ad compromittendum deſiderentur?

1 MInores viginti & quinque annis, vt alienare minimè poſſunt, ita neque compromittere, quia non licet cõpromittere ei, cui non licet alienare, Pinell. *in l. 1. C. de bonis mat. 3. part. num.* 44. Gazman *de euictiõn. q. 1. num.* 15. noſter Lara *in compendio cap.* 22. *num.* 56 Hermoſilla *vbi poſteà* Scaciam referrens idem in minore ſentientem *de iudic. lib. 2. cap 2. nu.* 317. 346. & 351. Eſt enim compromiſſum alienationis ſpecies, vt docet Pariſius *conſ.* 134. *incipit nulli num.* 11. *lib.* 4. Bolog. *conſ.* 6. *columň.* 2. Matth. Gribald. *in ſuis communibus opin. in verbo Compromiſſum, num.* 3. Aſflict. *lib.* 3. *Conſtit. Neapolitan. rubrica* 5. *nu.* 52. *& deciſ.* 285. *num.* 15. Marcus Antonius *de compromiſſis quæſt.* 4. *à num.* 28. *cum ſeqq.* Tiraquellus *de legibus connub. gloſ.* 5. *num.* 203. Antonius Gomez *de contractibus cap.* 14. *de reſtitutione minor. cap.* 15. Iacobus Menoch. *de arbitr. iudic. caſu* 171. *num.* 43. Valentinus Froſter *in tract. de ſucceſſion. abinteſt. lib.* 3. *titul. de vſufructu, quem parentes habent in bonis, q.* 1. 3. *declaratione*, Simoncellus alios referens *de decretis, lib.* 2. *titul.* 6. *inſpectione* 8. *num.* 71. *&* 73. Alexand. Trentac. *variarum lib.* 2. *reſolution,* 6. *nu.* 2. & quamplures alij relati à Hermoſilla *in aditionib. ad gloſ.* 2. *l.* 4. *tit.* 5. *part.* 5. *num.* 14. Vnde qui de non
2 alienando iuramentum emiſit, neque compromittere poteſt, Specul. *intit. de arbitrarijs, §. ſed quæritur, verſic. Sed nunquid vaſſallus,* Hoſtienſis *in cap. cum tempore ſuper verbo licentiam, de arbitrarijs,* Lapus *allegatio.* 102. vbi Mandoſius plures referens, Romanus *conſ.* 369. *circa primum num.* 18. Grarns *reſponſ.* 155. *dubitatur numer.* 20. *lib.* 2. Simoncellus *vbi ſuprà num.* 74. quod ſolùm procedere in compromiſſo voluntario, non verò 3
in neceſſario, vtputa ſi à ſtatuto, vel lege præcipiatur vt ſuper talibus tranſactio fiat, tenent Marcus Antonius *dict. tract. de compromiſſis dict. q.* 4. *num.* 28. vbi fuſiſsimè, & Caldas Pereira *de emptione & venditione, capit.* 15. *num.* 12. Simoncellus *dict. loco num.* 78. Peregr. *deciſ.* 88. *num.* 2. Maurus Burgius *de laudimio, p.* 3. *inſpect.* 24. *n.* 24.

Ergo minor viginti & quinque annis nullatenus abſque curatoris, vel tutoris autoritate, & iudicis intercedente decreto compromittere poterit. Sic Paulus de Caſtro *in l.* 1. *C. qui legit. habent perſonam,* Alex. Trentac. *variarum reſolution. lib.* 2. *reſolutione* 6. *numer.* 2. nam eadem ſolemnitas, quæ requiritur in alienatione minoris, requiritur & in compromiſſo, vt docet Bartol. poſt Gloſſam *in l. nulli, ff. de tranſaction. text. & ibi Gloſſ. in l. non ſolum, C. de prædijs minorum.* Vnde ſicut bona pupillorum abſque decreto alienari non poſſunt, *l. ſi pupillorum. § ſi prætor, ff. de rebus eorum,* Pariſius *conſil.* 101. *num.* 27. *volum.* 1. ita nec de illis compromitti, tenet Blancus *de comprom q.* 3. *num.* 39. Iacobus Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *centur.* 2. *caſ.* 17. *numer.* 43. Et his ſolemnitatibus adhibitis, non aliter compromitti poterit, quàm ſi compromiſſum ſuper re dubia, & incerta prorſus exiſtat, Bald. *in l.* 1. *& in l. præſes, C. ſi aduerſus tranſaction.* Roman. *in repetitione, l.* 1. *numer.* 34. *ff de arbitr.* Iaſon. *in l. mandata num.* 5. *ff. de officio eius,* Decius *in l. cui iuriſdictio numer.* 38. *ff. de iuriſdictione omnium iudic. & in capit. quæ in Eccleſiarum num.* 116. *de conſtitutionibus,* Abbas *in cap. cum tempore, de arbitrar.* Bartolus *conſ.* 159. *viſa, verſicul. Prætereà,* Baldus *conſil.* 98. *per totum, pupillus ſine autoritate, lib.* 5. Roman. *conſilio* 369. *circa primum, in tertio dubio, & conſilio* 175. *dictum vltimum laudum,* Alexand. *conſilio* 22. *opportune, colum.* 1. *quod autem compromiſsio lib.* 2. docent Aſflictis, Tiraquell. Antonius Gomez, Menochius, Valentin. Forſter. omnes *dictis in locis.* Secus ſi compromiſſum fuerit de re 5
clara, quæ nullam habeat dubitandi rationem, vel ſi abſque aliqua rationabili cauſa factum conſtiterit, quia tali caſu nec fieri poterit compromiſſum, nec factum ſortietur effectum. Vt eleganter docuit Bartol. *conſil.* 39. *Quæritur an ſtatutum, in fine, & con-*

conſilio 67. nunquid tutor, in fine, Baldus *in l.ancillæ, C.de furtis*, Petrus Dueñas *regula 36.fallen.* 10.Ioſeph.Ludouic.*deciſ. Peruſina 2.num.* 15. quos ſequitur Octauius Simoncell.*dict.tract.de decretis lib.2.titul.6. inſpectione* 8.*num.*71.

6 Quibus accedit, quòd ſi abſque tutoris vel curatoris autoritate minor compromiſſum fecerit, ſtatim & abſque alia probatione læſus præſumitur, cùm per tale compromiſſum auferatur minori appellationis remedium, *l.1.C.de arbitr.* Maſcardus *de probat. volum.3. concluſ.*1273.*numer.*53. Scotus
7 *tom.1.conſil.fol.*374.licèt poſsit, ſi velit, partem alteram cogere ſtare compromiſſo, iuxta ea quæ tradit Molina *de iuſtitia, diſputat.* 224.*tractat.*2. *& tract.*5. *tom.*6. *diſputatione* 40. *num.* 8. & ſi pœnam qui promiſit, ſi compromiſſo non ſtaret, non tenetur eam ſoluere, dummodò compromiſſum ſeruare
8 nolit, *l.3. in principio, & l.ſi pupillus* 35. *ff.de receptis arbitris*, ſed fideiuſſores tenebuntur ex *dict. l.ſi pupillus*, quia coram arbitro naturaliter obligatur minor, ſiue pupillus, ſiquidem arbitrium magis accedit contractui, vt ex dicta *l.ſi pupillus* notauit Trentacinc. *dict.reſolut.6.num.*2. quare ſi fideiuſſores dederit, remanebunt adſtricti, virtute naturalis obligationis, vt etiam obſeruauit Molina *vbi ſuprà numer.* 8. & ad pœnam tenebuntur, quamuis à principali reo exigi non poſsit. Quod in contrarium obſeruatur, quando pubes, qui curatorem non habebat, compromiſit ſub pœna, nam tunc adſtringitur, aut compromiſſum ſeruare, aut pœnam ſoluere, non aliter ac ſi maior fuiſſet: quamvis ſi ſe læſum oſtenderit, legitimiſque probationibus edocuerit, ei reſtitutio indulgebitur, vt probat Pater Molina *dict. diſputat.* 40. *num.*8. apparetque euidentiùs ex *l.noſtra Regia* 25.*tit.* 4.*part.*6.

9 Quæ omnia, quidquid alij ſentiant, vt *ſuprà num.* 3. notauimus, etiam procedunt, quamuis de neceſſitate ſtatuti, vel legis compromiſſum deſideretur, quia licèt hoc caſu minor teneatur compromittere, & ſi non fecerit, compelli poſſit ad compromittendum, vt ex his quæ tradit Marcus Antonius, videre eſt, & tenet Alexand. *conſil.*65. *& in conſ.*254. *volum.*6. Bald. *conſil.* 358. *column.*2. *volumin.*3. Ruinus *conſil.*97. *numer.* 2. *volumin.*5. Matan. *de ordine iudicior.* 6. *part. art.* 2. *num.*9. Marſil.*ſingular.* 467. Iacobus Menochius *dict. caſu* 171.*num.*44. *&* 45. alios referens Alexan. Trentacin. *dict.reſolutione* 6.*nu.* 2. Tamen hoc ita intelligendum eſt, dummodò tutoris, vel curatoris autoritas interueniat: nam alioquin inutile eſſet compromiſſum, vt tanquam veriſsimum reſoluunt Marcus Antonius *d.tract.de compromiſſis,q.3.à num.*39. vbi contrariæ opinionis fundamenta diſcu- 10
tit: docet Simoncellus *dicto loco numer.* 84. Ioannes Mauricius *de in integr. reſtitutione, capit.*291. quod & locum obtinet in pubere curatorem non habente, qui nec compromittere ex ſua perſona poterit, etiam extante ſtatuto, vel lege, quæ compromiſſum exigat, vt reſoluit Marcus Anton. *vbi ſuprà à num.*41. licèt de iure noſtro Regio. Contrarium ſit veriùs, ex *dict.l.*25.*tit.*4.*p.*3. vbi expreſsè cauetur puberem curatorem non habentem compromittere rectè poſſe.

Animaduertere tamen oportet, quòd licèt, vt ſuperiùs oſtendimus, minor abſque 11
ſolemnitatibus à iure requiſitis compromittere non poſſit; attamen abſque tutoris autoritate cõpromiſſi cauſam iam rite cœptam, proſequi licitè poteſt, vt obſeruauit Paulus Caſtrenſ. *in dict.l.*1. Ruinus *conſil.* 36. *num.*4. *verſic.Vbi etiam,volum.*5. Alex. Trentacin.*dict.lib.*2.*variar.reſolut.reſolut.* 6.*num.*2.

Quibus addendum erit, quòd autoritas 12
tutoris neceſſaria non erit quoties cum iuramento minor compromiſſum celebrauit, nã iuramento vti maior obligatur, ita Alexan. *conſ.*59.*viſo, num.*3.*&* 4. *lib.*5. Cardinalis Tuſchus *practicar.concluſionum, litera M. concluſ.*250.*nu.*26. qui huius materię quàm plurimas limitationes & ampliationes congerit, omnino conſule.

SVMMARIVM.

ALiqui docent, poſt decimumquartum annum omnes ad accuſandum admitti. 1.

Vigeſimum annum accuſatoris legitimam ætatem eſſe, alijs magis placet. 2.*& ſeqq.*

Minor annis viginti & quinque ad accuſandum in crimine adulterij non admittitur. 4.

Verior illorum ſententia traditur, qui vigeſimumquintum annum ad accuſandum deſiderant. 5.

Verbum Specialiter *in l ſi maritus* 15. §. *lex Iulia, ff.ad legem Iuliam, de adulterijs, quo ſenſu accipiatur?* 6.

Pupillus niſi vbi ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequitur, ab accuſando repellitur 7. *& ſequenti.*

Pupilli & adulti hac in parte nulla differentia eſt. ibid.

Minor quare ad teſtificandum, & non ad accuſandum admittatur? 9.

Syn-

Syndicus quinque & viginti annorum eſſe debet. 11.

Etiam de iure patrio ad accuſandum nemo ante vigeſimumquintum annum admittitur. 12.

Iudex poteſt compellere filium legitimæ ætatis nolentem patris necem vindicare, quòd occiſorem accuſet, vt ſic ad aliorum terrorem facilius plectatur. 13.

L.2.tit.1.part.7.explicatur. 14.

Tutor quando ſolus pupilli nomine accuſet? ibidem.

Minor poteſt reuocare accuſationem, quam ſine curatore propoſuit. 15.

Fœminæ vt caſibus, quibus id iure licet, poſſint accuſare, quinque & viginti annorum eſſe debent. 12.

Fœminæ regulariter ab accuſando repelluntur ibidem.

Opinio Baldi Nouelli *exiſtimantis vigeſimum ſecundum annum habentem accuſare poſſe, reprobatur.* 17.

Minor an poſſit maiorem natu accuſare? 18.

QVÆSTIO XLI.

Ad accuſandum?

1 ALiquos propter ætatem ab accuſando remoueri, vtroque tam Ciuili, quàm Canonico iure ſcriptum extat, *in l.qui accuſare* 8. *ff.de accuſat.& in cap.probibentur* 2.*quæſt.*1. Vnde quæſtionis eſt non infructiferæ, qua ſcilicet ætate legitimam accuſatoris perſonam quis ſubire poſſit? Et quidem ſi ab his, qui in iure de perſonis ad accuſandum minimè idoneis expreſſa ſunt, huius quæſtionis reſolutio petenda eſt, ex quo duntaxat in pupillari ætate conſtitutum repellunt, *dict.l.qui accuſare dict.cap.probibentur*, fatendum videbatur non ſolùm adultum, vt eodem argumento ductus exiſtimauit Accurſius *in l.2.verbo pupillis, eodem titulo de accuſationibus*, & Salicetus *in l.2.num.3.C.qui accuſare non poſſunt*, argumento *l.maritus de procuratoribus*, & *l.cùm prætor, de iudic.* necnon & Abbas *in cap.1. n.10. de accuſationibus*: ſed & puberem, ideſt, qui decimumquartum annum iam expleuit, ad accuſandum legitimam perſonam obtinere: alioqui ad demonſtrandum quæ perſonæ propter ætatem accuſare prohibentur, ineptè pupillus ſcriberetur, ſi & qui pupilio maior eſt, æquè ab accuſatione excluditur. Et fortè ab hac vrgentiſſima ratione originem trahit communis practica admittendi ad accuſandum decimoquarto anno maiorem, cuius teſtis eſt Iulius Clarus *dict. quæſt.*14.*num.*7. *in fine*, vbi hoc contra ius commune conſuetudine eſſe inductum affirmat: cui conſentiunt Hippolytus Bonacoſa *communium opinionum crimin.litera A. verſic. Accuſare poſſunt minores*, & rurſus *litera M.verſic. Minor* 25.*annis repellitur folio mihi* 489. Farinacius *tom.*1.*praxis crimin. quæſt.*14.*num.*15.*verſic. Hoc autem vltimum, in fine*, qui omnes contra Baiardum *dict.quæſt.*14. Iulij Clari *num.*25. communem appellant, & confirmatur apud noſtros expreſſa deciſione *l.2. tit.1.p.*7. idemque tenet Mandoſ. in cauſis tantùm criminalibus, *de ætate minor.cap.*5.*num.*20.

Nihilominus communis, & ferè ab omnibus recepta ſententia fert viginti annis maiorem ad accuſandum admitti, quamuis ſuã, vel ſuorum iniuriam non proſequatur. Ita Bart.*in l.2.§.pupillis num.2.de accuſationibus*, Alexand. *in l.de pupillo* 5.§. *in publico, num.*8. vbi etiam notat Imola *num.6.ff.de noui operis nuntiatione*, Hieronymus *in additionibus ad* Angelum *de malefic. in verſic. Ad querelam num.* 29. Salicetus *in l.cautiones num.3.C.qui accuſare non poſſunt*, Franciſcus Viuius *communium opinionum lib.2.opinione* 677.*num.*14. Villalobos *in ærario commun.opinion.verbo minor num.*92.*& in antinomijs eodem verbo num.*17. Hippolytus Bonacoſa *locis vbi ſupra*, Iulius Clarus *in practic.quæſtion.*14.*verſic. Dicebam etiam, & verſic. Quid in maiore*, vbi etiam Baiardus *num.*25. Tuſchus *practicar.concluſ.litera A. concluſ.*160.*num.*18. Tiberius Decianus *reſponſo* 18.*num.*56.*volum* 1. Farinacius *tom.*1.*praxis criminalis quæſt.*12.*num.*15. vbi hanc opinionem cum pluribus *ſuprà relatis* communem appellat. Idemque fatetur Panormitanus *vbi ſuprà*, licèt ab ea diſcedat ſuperiori adhærens, quem in hoc ſequitur Alexand.de Neuo. 2

Pro qua opinione fortiter vrgere videtur textus in *l.qui cùm maior* 14.*verſic. Si vero, ff. de bonis libertor.* vbi inquit Conſultus, quòd ſi patronus minor 25. annis libertum de crimine capitali accuſat, ideò non repellitur ab ipſius bonorum poſſeſſione: ergo ſupponere videtur, minorem, ſed vigeſimo anno maiorem, vt interpretari oportet, accuſatoris legitimam perſonam obtinere. 3

Deinde conducit plurimum pro eadem ſententia *l.1.§.accuſationem, in fine, ff. ad Senatuſconſult.Turpilianum*, in qua ſpecie caue-

cauetur, quòd minor à propoſita accuſatione deſiſtens, in pœnas Senatuſconſulti Turpiliani non incidit: vnde apertè colligitur, minorem rectè accuſare potuiſſe.

Itidem hanc partem adſtruere videtur, quòd minor 25. maior verò viginti annis ad teſtificandum admittitur, *l. in teſtimoniũ* 20. *ff. de teſtibus*: ergo cùm valeat argumentum de teſtificatione ad accuſationem *dict. l. qui eum maior, verſic. Sed ſi non accuſauerit*, & obſeruat Roman. *conſil.* 60. *& conſilio* 487. Corradus *in Breuiar. folio* 231. *num.* 24. *in fine*, Cardinal. Tuſchus *practicarum concluſion. litera A. concluſ.* 160. *num.* 2. dicendum erit, eandem ætatem ad accuſandum ſufficere, quæ ad ferendum teſtimonium requiritur.

4 Et tandem prædicta opinio fulcitur autoritate *l. ſi maritus* 15. *§. lex Iulia, ff. ad legem Iuliam de adult.* vbi in crimine adulterij ſpecialiter ſtatutum extat, minorem viginti & quinque annis ad accuſandum non eſſe admittendum: ergo excepto adulterio, in alijs criminibus & cauſis minor quinto & vigeſimo anno accuſare poterit? ita tamen ſi vegeſimum ſaltim annum excеſſerit, vt prædictam legem interpretantur huius opinionis ſectatores.

5 Quibus omnibus non obſtantibus, ab hac communi & receptiſſima traditione diſcedunt Angelus, Baldus, & eorum oblitus Bartol. Salicetus *in dict. l.* 2. *num.* 4. *C. qui accuſare non poſſunt*, vt certius exiſtimantes, viginti & quinque annis minorem nullatenus regulariter ad accuſandum admitti: & mouentur primò in hanc exiſtimationem ratione qua in *dict. §. lex Iulia* vtitur Conſultus in id, vt ante 25. annum ad accuſandum de adulterio nullus audiatur, illis verbis: *Nec enim viſus eſt idoneus accuſator, qui nondum robuſtæ ætatis eſt.* Quæ ratio cùm in cæteris criminibus etiam locum ſortiatur, & in his ſimul eadem deciſio *dict. §.* locum habere debet, argumento *l. non poſſunt, ff. de legibus, l. illud, ff. ad legem Aquiliam, l. illud, C. de Sacroſanctis Eccleſijs*, ac per conſequens in omnibus generale eſſe debet, vigeſimo & quinto anno minorem, quamuis vigeſimum iam diu agentem, ab accuſando indiſtinctè remoueri, vt in propoſito huic ſententiæ accedens etiam excogitauit Alexander de Neuo *in notis ad Panormitan. in cap.* 1. *de accuſat. litera B.*

6 Nec obſtat verbum *Specialiter* ſcriptum in *dict. § lex Iulia*, quo innuere videtur Scæuola in crimine adulterij eſſe ſpecialiſſimum, vt minor annis viginti & quinque ab accuſando repellatur, ac conſecutiuè, quòd in reliquis delictis, excepto adulterio, liberum eſt minoribus accuſationem inſtituere, vt interpretatur Barnabas Briſon. *lib. ſingul. ad legem Iuliam de adulterijs, folio mihi* 128. quia negatur verbum *Specialiter* in *dicto §.* prædicto ſenſu fuiſſe appoſitum, cùm imò pro eo quod eſt expreſſim, & nominatim ſcriptum accipi debeat, non aliter atque in *l. de crimine, C. qui accuſare non poſſunt, l. negotium, de negotijs geſtis, l. denuntiaſſe, §. qui tamen, de adulterijs*, ita vt *dict. §.* ſenſus ſit, legem Iuliam quoſdam de adulterio accuſare nominatim prohibuiſſe. Vnde infertur, vt optimè expendit Salicetus, verbum illud *Specialiter*, non rationi, propter quam minor ab adulterij accuſatione remouetur, ſed dicto, id eſt, vel crimini, vel prohibitioni generali eorum omnium, qui ab accuſatione ipſius arcentur, adiectum inueniri.

Secundò hæc ſententia roboratur, quia vt 7
initio oſtendimus, pupillus, niſi vbi ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequitur accuſare non poteſt: ergo cùm inter pupillum, & adultum quamuis vigeſimo anno maiorem, quoad accuſationem attinet, nulla differentia exiſtat, videtur æquè adultum, ac pupillum eſſe ab accuſando repellendum. Apparet conſequentia, quia aut pupillus non accuſat, quia perſonam non habet conſiſtendi in iudicio, & hac in parte adultus æquiparatur pupillo, cùm nec perſonam obtineat comparendi apud iudicem, vt ex *toto titulo C. qui legitimam perſonam*, & ex his, quæ ſuo loco enumerabimus conuincitur: aut ideò non admittitur pupillus, quia infirmi, debilis, vel non integri iudicij eſt, & de adulto idem affirmandum erit, *l.* 1. *ff. de minoribus, dict. l. ſi maritus, § lege Iulia, de adulterijs.* Vel tandem non auditur impubes accuſans, propter periculum præſumptæ calumniæ, quod imminet non probanti, & ſimiliter de minore viginti & quinque annis philoſophandum eſt, aut ne fortè pupillus reſtituatur aduerſus calumniam præſumptam, quaſi melius ſit ante tempus occurrere, quàm poſt vulneratam cauſam remedium querere, *l. fin. de tempor. in integrum reſtitut.* & idem de adulto aſſerendum erit, cùm eodem modo ei aduerſus delictum præſumptum reſtitutio concedatur, *l. ſi ex cauſa, §. fin. de minoribus*: ergo à ſufficienti partium enumeratione, quod fortiſſimum argumentum eſt, *l. patre furioſo, ff. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris*, probatur minorem viginti & quinque annis, licèt vigeſimo anno maiorem, pariter ac pupillum eſſe ab accuſatione remouendum.

Tertiò confirmatur ex *dict.l.2.C.qui accuſare non poſſunt*, vbi curatoribus minorum permittitur, vt accuſare poſſint: ergo cùm certum ſit curatorum officium ad annum vſque vigeſimumquintum durare, apparet, niſi transacta ea ætate minoribus conceſſam accuſationem non eſſe, alioqui fruſtrà id curatoribus ita generaliter concederetur.

8 Nec ſuſceptam defenſionem turbare videntur inquit Salicetus *num.5.* quæ pro ſuperiori contraria ſententia ſtabilienda communiter adducuntur. Nō quidem primum de *d.l.qui cùm maior*, quia intelligēda eſt eo caſu, quo minori permiſſa eſt accuſatio, veluti cùm ſuam vel ſuorum iniuriam proſequitur, *dict.l.2.* vbi notant omnes *de accuſation.dict.l. ſi maritus, §. lex Iulia, verſic. Quod verum eſt,* quemadmodum etiam interpretandus erit textus in *dict.l.1. §. accuſationem, ad Turpilianum,* qui ſecundo loco in hanc ſententiam profertur.

9 Minuſque refragatur argumentum de teſte maiore vigeſimo anno ad accuſatorem ſumptū, quia præter quàm quòd in teſtificando minus præiudicij timeri poteſt propter metum præſumptæ calumniæ, quapropter & argumentum non rectè procedere videbatur: ea tamen potiſſimum ratione dicendum eſt, in minori ætate teſtem admitti, ne ſcilicet aliàs rei veritas periret, facit *l. quoniam 13. C. de hæret. cap. vltim. de teſtib. cogend.* quod & in accuſatore nequaquam locum habere poteſt, cùm etſi minor ad accuſandum non admittatur, alius accuſare poſſit, curator ſcilicet, ſed teſtificari non poterit qui non vidit. Quam ſolutionem poſt Salicetum, quamuis ipſius nomine ſuppreſſo, tradit Alex. de Neuo in notis ad Panormitanum *in d. cap. 1. de accuſation. litera D.*

Ad textum vero in *dict.l. ſi maritus, §. lex Iulia,* quarto loco in contrariæ ſententiæ cōfirmationem adductum reſpondetur eſſe interpretandum eo modo quo ab ipſo Saliceto pro ſua opinione ſuprà inducitur.

10 Hæc ſunt rationes & fundamenta, quibus hanc partem conatur adſtruere Salicetus, & quibus eam omnibus alijs opinionibus præferendam arbitratur: quod meritò feciſſet, ſi & ſupradictis ſequētia munimenta annecteret. Videtur enim vel ex eo ſolùm viginti & quinque annis minores ad accuſandum ineptos, & incapaces eſſe, quòd id expreſſe Iuſtinianus Imperator *in l. clarum 4. C. de autoritate præſtanda* edixerit, ſtatuens huius ætatis homines, ſiue pulſantes, ſiue pulſatos in criminalibus ſine tutoribus vel curatoribus audiri non debere, etiam his caſibus, quibus adultos accuſare leges concedunt. Qua deciſione manifeſtè ſupponit Imperator eos, qui nondum quinti & vigeſimi anni metas exceſſerunt, per ſe, etiamſi vigeſimum annum egerint, accuſare non poſſe, alioqui fruſtrà ad accuſandum, vel litem inferendam in omni minore viginti & quinque annis tutorum vel curatorum autoritatem expoſtulaſſet.

Et conuincitur alia ratione, quia ſyndicus, 11
qui publicus criminum accuſator eſt, ante vigeſimumquintum annum creari non poteſt, vt multis oſtendimus *hoc eodem anno,* & probat optimè Hieronym. Bucaron. *de differentijs inter iudic. ciuilia & criminalia different. 142. num. 30.* vbi ex Baldo *in l. exigendi num. 5. C. de procuratoribus*, huius rei illam reddit rationem, quia ſyndicus debet intereſſe in iudicio, & ſuas denuntiationes proſequi, *l. ab accuſatione, §. nuntiatores, ff. ad Senatuſconſult. Turpilianum,* quod huius ętatis minori nequaquam licet: ergo hæc viginti & quinque annorum ætas legitima eſt ad accuſandum, ac conſequēter nemo ante eam accuſandi facultatem obtinebit, quamuis annum vigeſimum expleuerit, vt præſenſiſſe mihi videntur Cardinalis Tuſchus *litera A. concluſ. 160. num. 3.* Hippolyt. Bonacoſa *eadem litera commun. opinion. crimin. verſ. Accuſare prohibentur fol. 20.* qui cùm eas perſonas enumerarent, quę ab accuſando repelluntur, pupillum ſubijciunt, & deinde minorem, innuentes, omnem indiſtinctè quinto & vigeſimo anno minorem accuſatoris perſonam ſubire non poſſe. Quam opinionem (licèt communis in contrarium exiſtat) veriſſimam cenſeo, cui hi omnes fauere videntur, qui vigeſimo anno maiori ita demum accuſandi poteſtatem faciunt, ſi tutoris autoritate iuuetur, vt ſunt Bald. *in dict. l. 2. C. qui accuſare non poſſunt num. 19.* Speculator *in titulo de accuſatore, verſic. Sed quid de pubere,* & alij plurimi, quibus relatis adhæret Villalpand. *in repetit. l. 22. tit. 1. part. 7. 2. part. caſu 4. num. 4.* Gregor. Lopez *in dict. l. 2. tit.* 12
1. part. 7. verb. Menor, Montaluus *in l. 2. tit. 20. lib. 4. fori legum,* & hanc opinionem, etiā inſpecto noſtro iure patrio indubitatam exiſtimo, ſuffultus autoritate *dict. l. 2. tit. 20. fori,* qui illos referens, qui omnino ab accuſando arcentur, ita inquit: *Defendemos, que ninguna muger, ni varon ſin edad cumplida, &c.* Quæ verba ibi Montaluus de ætate viginti & quinque annorum interpretatur, quaſi illa duntaxat legitima, expleta & robuſta ad accuſandum habeatur, argumēto *d. l. ſi maritus, §. lex Iulia, de adulterijs,* iuxta quam ſententiam eſſe interpretandum admoneo quod ſin-
gulariter notat Bonifac. Vitalinis *de maleficijs lib. 4. cap. 2. num. 9. verſic. Sed pone quòd* 13
pater,

pater, videlicet poſſe iudicem ad terrorem aliorum compellere filium nolentem patris necem vindicare, vt occiſorem accuſet, ſi tamen filius maior ſit, alioqui hæreditate priuabitur: quod etiam & ad extraneum hæredem ſimiliter extendit.

14 Nec dictis refragatur *dict. l. 2. tit. 1. part.* 7. vbi decimoquarto anno minores ſolummodò excluduntur ab accuſationis munere, quia reſpondetur prædictam legem ſeptem parriti iuris, vt *ibidem* ſentit Gregorius, nihil aliud diſponere quàm *dict. l. 2. §. pupillis*, & *dict. l. qui accuſare, ff. de accuſation.* dum aſſerunt, pupillos accuſationis eſſe incapaces: ergo cùm *dict. leges*, ex quo ſupponũt pupillarem ætatem excedentes, ac conſecutiuè iam puberes, admitti ad accuſandum debere, loquantur de accuſatione facienda ab ipſo pubere, ſed cum autoritate curatoris, ſiquidem ante huiuſmodi ætatem nemini licet proprio nomine accuſationem, quamuis autorante tutore inſtituere, niſi in caſibus, de quibus *in dict. l. 2. §. pupillis*, vbi obſeruat Accurſius, vt ex his quæ notat & diſtinguit Villalpandus *loco vbi ſuprà num.* 2. enunciatur *dict. l. partitæ*, quæ iudicio Gregorij idẽ diſponit, pari modo accipienda erit, ita vt illius ſenſus ſit, ante decimumquartum annum exactum neminem proprio nomine, etſi cum tutoris autoritate, accuſare poſſe: ſed ſi infans fuerit, qui accuſandi neceſſitatem habeat, tutor non quidem infantis, ſed tutorio nomine accuſet, *l. Polla 2. C. de his quibus vt indignis*, tradit Petr. Gregor. *dict. lib. 32. ſyntagmat. cap. 14. num.* 2. Si verò maior infante, & qualemqualem intellectum habens, ipſius nomine tutor accuſationem interponet, vt intelligendus eſt Tuſchus *dict. concluſ. 161. n. 6.* Secus atque cùm iam minor adultam ætatem ingreſſus eſt, nam tunc ipſe cum conſenſu curatoris accuſabit, veluti poſt Gloſſam in *dict. l. 2. C. qui accuſare non poſſunt*, obſeruat Villalpand. *loco proximè relato*, quod procedit etiamſi vigeſimum annum fuerit ingreſſus: nam, vt ex ſuperiùs dictis comprobatur, qui vigeſimo & quinto anno maior non exiſtit, ſine curatoris autoritate ex ſua perſona neutro iure accuſandi poteſtatem nanciſci-
15 tur. Vnde rectè infert Thom. Grammat. *conſil. 16. num. 6.* quòd ſi minor accuſauerit aliquem, poterit reuocare accuſationem propoſitam, ex quo non tenet accuſatio abſque curatore, vt ſcriptum reliquit Baldus *conſil. 60. incip. factum ſic proponitur volum.* 5. & in nouiori impreſſione *volum. 4. num.* 408. Marſil. *in l. 1. ff. de quæſtionibus.*

16 Quam quidem reſolutionem non ſolùm in viris locum obtinere, ſed ad fœminas etiam protrahendam ſtatuo: nam licèt regulariter ob ſexus ſiue fragilitatem, ſiue verecundiam mulieres ab accuſationis opere arceantur, *d. l. 1. l. qui accuſare, ff. de accuſation. l. mulier de popularib. action. dict. l. 2. tit. 1. part. 7. d. l. 2. tit. 20. lib. 4. fori, dict. cap. prohibentur 2. quæſt. 1.* cùm tamen aliquibus caſibus ipſis accuſandi facultas indulgeatur, vt in crimine læſæ Maieſtatis, *l. in quæſtionibus 8. ff. ad legem Iuliam maieſtatis*, quoties ſuam, ſuorumque iniuriam proſequuntur, vel teſtamentum de falſo dicunt, *dict. l. 2. l. de crimine 12. C. de his qui accuſare non poſſunt*, & nonnullis alijs in caſibus, de quibus per Gloſſam in *dict. l. de crimine*, Gregor. Lopez *in dict. l. 2. part.* & Montalu. *dict. l. 2. fori*, & exactiùs per Petr. Gregor. *lib. 32. ſyntagmat. cap.* 13. non aliter his omnibus ex ſua perſona, & ſine tutoris vel curatoris autoritate accuſationem proponẽt, quàm ſi viceſimum & quintum annum exactum fuerint ſortitæ, cùm robuſta & integra ætas, quæ ad accuſandum neceſſariò requiritur, *dict. l. ſi maritus, §. lex Iulia*, hoc eodem annorum numero viris & mulieribus æqualiter contingat, vt appoſitè nimis ſcribit Sforcia Oddus *tractatu de reſtitutione in integrum quæſt. 2. art. 4. in fine*, vbi ex eo profluere inquit, quòd cùm reſtitutionis beneficium non habentibus integram ætatem donetur, pariter maſculis & fœminis vſque ad annum vigeſimumquintum elargiatur.

Et hac certiſſima opinione retenta, im- 17
pugnanda venit ſententia Nouelli *tractat. ad defenſam titulo quæ perſonæ accuſare non poſſunt num. 13. fol.* 38. quam communem teſtatur Hippolytus de Bonacoſa *commun. opinion. criminal. dict. litera A. verſic. Accuſare poteſt adultus folio mihi* 25. dum aſſerit, adultum maiorem annis duo & viginti, etiamſi ſuam, vel ſuorum iniuriam non proſequatur, accuſare poſſe: nam, vt diximus, verius eſt vigeſimo & quinto anno maiores accuſandi tãtùm plenum ius habere, etiamſi accuſati ætate prouectiores ſint: nam quod ſcribitur à S.
P. *in cap. quærendum 18. 2. quæſt 7.* ſcilicet 18
prohiberi minoribus maiores natu accuſare, de illis duntaxat minoribus ſubaudiendum eſt, qui non ſunt rectæ conuerſationis ac fidei, & quorum vita eſt accuſabilis, aut quorum vita, & libertas neſcitur, vt idem textus ait: nam ſi probatæ vitæ & conuerſationis fuerint, & annum quintum & viceſimum exceſſerint, ex eo quòd accuſatus ætate ſit maior, ab accuſatione non repellentur, argumento *textus in cap. quæritur 38. 2. quæſt.* 7. vbi filius non prohibetur patrem accuſare.

SVM-

SVMMARIVM.

Hi omnes poſſunt nouum opus nuntiare, ad quos res pertinet. 1.

Pupillus nouum opus, neque publicũ, neque priuatum inhibere poteſt. 2.

Pupillus popularem actionem exercere nequit. ibidem.

Pupillus conditionem ſuam meliorem facere poteſt. 3.

Nuntians inutiliter nouum opus, tenetur ad damnum operis. ibidem.

Aditio hæreditatis, etiam opulentæ, non permittitur pupillo ſine tutoris autoritate. 4.

Etiam de iure noſtro Regio, nuntiatio noui operis pupillo ſine tutoris autoritate minime permittitur. 5.

Quæ publica ſunt, ad tutoris adminiſtrationem non pertinent. 6.

Poſt decimumſeptimum annum poſſe adoleſcentem ſine curatore nouum opus nuntiare multis placet. 7.

Vigeſimumquintum annum ad noui operis nuntiationem faciendam eſſe neceſſarium, vt certius traditur. 8.

Qui ſenſerint vigeſimum annum nuntiandi legitimam ætatem eſſe. 9.

Nuntiatio, accuſatio eſt, & ideò accuſatores nuntiatores vocantur. ibidem.

Accuſatio an vigeſimo anno maioribus permittatur? ibid. & ſequent.

Decimumquartum annum agens de iure noſtro, & publicum & priuatum opus nuntiare poteſt. 11.

Mulier qua ætate, ſiue cõmuni, ſiue noſtro iure inſpecto, nũtiandi habet facultatem? 12.

QVÆSTIO XLII.

Ad opus nouum nuntiandum?

QVamuis igitur iure ſtatutum ſit,
1 eos omnes nouum opus nuntiare poſſe, ad quos res pertinet, vel quorum intereſt nouum opus nõ fieri, *l. 1. §. iuris noſtri, ff. de oper. nou. nuntiat. l. 1. tit. 32. part. 3.* & poſt Angelum, & Alexand. *in l. 2. ne quid in loco publico*, tradit Petrus Gregor. *ſyntagmat. iuris lib. 4. cap. 27. num. 10. & cap. 28. num. 1.* Anton. Gomez *in l. 46. Tauri num. 23.* Cardoſus *in praxi iudic. verſic. Nuntiatio noui operis num. 12.* Tamen hoc non ita indiſtinctè procedit, vt cuiuſcumque ætatis homines comprehendat: cùm imò eodem iure caueatur pupillum nouum opus (ſiue publicum, ſiue priuatum fuerit) inhibere non poſſe, *l. de pupillo 5. in principio, ff. eodem*, vbi communiter notant omnes, & præcipuè Donellus *commentarior. lib. 15. c. 46.* Non quidem publicum, quia huius ætatis popularem nullam actionem exercere poteſt, *l. mulieri 6 ff. de pupillar. action.* cum alijs ſuo loco enumerandis, quod perquam neceſſarium erat, vt publici iuris tuendi gratià nouum opus nuntiaret, vel vt ſentit Duarenus *titulo de noui operis nuntiat. cap. 5.* Quia eius ætas ad reipublicæ defenſionem idonea non eſt, *l. 2. de regulis iuris, l. 2. de mun. & honor.* quocirca apud noſtros *l. 3. dict. tit. 32.* ſtatuitur minorem quatuordecim annorum ædificium, quod in publico de nouo ſtruitur, nuntiare non poſſe. Cuius ſententiæ ſtat *ibidem* Gregorius
López *litera E.* Nec priuatum quidem opus, 2
ſiue id quod ad peculiarem ipſius vtilitatem ſpectat, nuntiandi maiorem poteſtatem obtinet pupillus, cùm ob rationis defectum nũtiationis executio ei interdicatur, quocircà niſi tutoris autoritas intercedat, vt à publico nouo opere inhibendo remouetur, ita & à priuato, quod ad ipſius particulare commodum pertinet, repellitur, *dict. l. de pupillo 5. in principio, verſic. Non aliter*, quem ad *verſic. Niſi*, præcedentem, quo de nuntiatione ad peculiarem impuberis vtilitatem ſpectãte agitur, referendum eſſe non incongruè cenſeo.

Nec à propoſita reſolutione deterret; 3
quòd cùm pupillus ſine tutoris autoritate poſſit conditionem ſuam meliorem facere, *l. obligari 9. in principio, ff. de autor. tutor. princip. inſtit. eodem*, videbatur ad ſuum commodum ſine tutoris autoritate factam nũtiationem valere. Nam omiſſa Accurſij interpretatione *in dict. l. de pupillo, verbo rata*, quam communiter ſequuntur Scribentes, & præcipuè Alber. Bald. Quibus accedit Anton. Gomez *in dict. l. 46. Tauri num. 26.* dicendum eſt cum Bartolo *in dict. l. de pupillo in princip num. 1.* quòd licèt euenire poſſit, vt aliquando operis noui nuntiatione fiat melior conditio pupilli: attamen quià etiam deterior reddi poteſt, cùm ſi is, cui ab impubere nuntiatum eſt nouum opus, pateretur damnum, & nuntiatio eſſet fruſtratoria, teneretur nũtians actione in factum ad intereſſe, iuxta textum *in l. rem quam venalẽ 34. de*
dolo. Ergo in re adeò ancipiti melius eſt dãnum præcauere, quàm incertum lucrũ, quod 4
ex nũtiatione pupilli ſine tutoris autoritate prouenire poteſt, inſectari, argumẽto aditionis hæreditatis, quæ pupillo ſine tutoris autoritate non permittitur, quãuis opulẽta hæreditas videatur. *l. obligari 9. §. pupillus, ff. de*

autor.tutorum, §.neque, inſtitut.eodem. Nam vt optimè inquit Duaren.*titulo de acquirenda hæreditate, fol.mihi* 1062. latent plerumque incommoda, quæ pupillum incautum fallere poſſunt, niſi conſilio tutoris ſui regatur: quapropter vtile viſum fuit Iuriſconſultis nihil attingi à pupillo ſine tutoris autoritate & conſilio.

5 Quod vtique pari modo procedit de iure noſtro patrio. Nam etſi ob duritiem corticis *dict.l.3.tit.32.part.3.*quæ poſteaquàm mulieres, & decimoquarto anno minores à publico nouo opere nuntiando repulerat, de iiſdem loquens ita ait: *Comoquier que lo puedan fazer, quando alguna labor nueua fizieſſen en lo ſuyo*, videatur impuberibus hoc iure permiſſum eſſe priuatum opus nouum in illorum præiudicium cœptum propria autoritate, & abſque tutoris cõſilio inhibere: verius eſt etiam hoc iure attento, factam à pupillo nuntiationem in cauſa propria ſine tutoris autoritate inutilem eſſe, cui minimè contraria ſunt verba *dict.l.3.* cùm illis tantùm caueatur impuberibus, etiam tutoribus interuenientibus, publici noui operis nuntiationem eſſe interdictam, quamuis prædicta tutorum autoritate in re ſua nouum opus nuntiare rectè ipſis permittatur: & licèt de tutoribus nullum verbum in *dict.l.* inueniatur, nihilominus dictio illa, *Como quier*, meo iudicio eum ſenſum habet, vt etiam *eo modo* ſignificet, quâ verbi acceptione, & rationi & iuris communis diſpoſitioni *dict.l.* ſententia congruit, decernens decimoquarto anno minorem, etiam eo modo, quo nouum opus in propria re factum nuntiare poteſt, videlicet autorante tutore in publico ædificatum prohibẽdi facultatem non habere: alioqui enim niſi prædicta interpretatio acciperetur, manifeſtum abſurdum *dict.l.* deciſioni ſubeſſet, cùm abſurdius nihil eſſe poſſit, quàm ſtatuere eum, qui nullum animi ſenſum aut iudicium obtinet, atque ideò qui naturali impedimento laborat, in propria cauſa abſque tutoris aſſenſu nũtiare nouum opus poſſe, quod perquam alienum apparet à tot tantiſque eruditiſſimis viris, qui *huius legis* ſanctioni operam dederunt: maximè cùm in nuntiando nouo ædificio in pupilli præiudicium conſtructo adeò tutoris perſonæ detulerint, in *l.1. eiuſdem tituli*, vt tutori concedendam eſſe prædictam nuntiationem definierint.

6 Quæ autem ſit ratio, quare pupillus adhibito tutore priuatum opus nũtiare, publicum verò nec cum ipſius autoritate poſſit? in promptu eſt, quia vt ſentit Accurſius in *dict. l. de pupillo, verbo executionem*, quem cæteri ſequuntur, maximè Duarenus *vbi proximè cap.* 5. Iaſon *in dict.l.de pupillo num.1.* Cùm ad tutoris adminiſtrationem non pertineant ea quæ ſunt publica, quo ad ea nihil operari debet eius autoritas, *l.fin. de curator.furioſ.* Nec quicquam obſtare debet text. *in dict.l. de pupillo, verſic. Non aliter*, vbi probatur tutore autore factam nuntiationem ratam haberi, quia vt *ſuprà* diximus, loquitur denuntiatione ad priuatum commodum facta, de qua paulò anteâ locutus fuerat in *verſ. Niſi.*

Ex quibus omnibus cùm apertè conſtiterit neutro iure pupillum propria autoritate 7
opus, ſiue ad publicum, ſiue ad priuatum cõmodum ſpectans nuntiare poſſe, diſcutiẽdum ſupereſt, qua autem ætate id licitè ſine tutoris vel curatoris interuentu faciat? Et tandem poſt longam hac de re diſputationem multis placet decimoſeptimo anno maiorem prædictum opus rectè nuntiare, vt argumẽto *l.popularis, de populari.actioni*, tradit Gloſſa in *dict.l.de pupillo*, Gregor.Lopez *in dict. l.3.tit.32.part.3.verbo, Catorze años*, Olanus *in concordia antinomiar.iuris commun.& Regij litera N.num.32.* Ioan.Baptiſt.Villalob.*in antinom.litera N.num.12.*

8 Sed hæc opinio Gloſſæ, vt teſtes ſunt Bartol.*num.2.* Iaſon *num.3.* Raphael Cumanus *num.2.*& cæteri Scribentes *in dict.l.de pupillo*, communiter reprobatur, quia maior decem & ſeptem annis, minor tamen 25. in iudicio comparere non poteſt, *l.ad rempublicam, de muner.& honor.l.ſpurij, §.1.de accuſation.l.clarum, C.de aut.præſtand.l.2.C.qui legitim. perſon. habeant*, cum alijs ſuo loco congeſtis. Ergo cùm nuntiatio quædam ſit prouocatio ad iudicium, *dict.l.de pupillo, §.ſi quis ipſi prætori*, adultus, etiamſi decimum & ſeptimum annum excedat, eam exercere, ſiue in publico, ſiue in priuato opere ex ſua perſona non poterit, nec ſi curatoris accedat autoritas: quia, vt iam diximus, hoc ad curatoris munus nequaquam ſpectat. Nec refragatur *dict.l.popularis*, quam pro ſua opinione adducit Accurſius, quia vt optimè expendunt Bartol. Iaſon, & Cumanus *ſuprà*, loquitur in diuerſo caſu, vt apud eós videri poteſt, præcipuè apud Iaſonem *num.3.* ob quam & alias rationes concludunt Bartol. Angel. Ludouic. Romanus *in dict.l.de pupillo*, viginti & quinque annis minores omnino à noui operis nuntiatione ex propria perſona remoueri. In quorum ſententiam, quam communem & veriorem appellat Iaſon, inclinari videtur Ioannes Baptiſta Villalobos *in ærario commun.opinion. litera N.num.51.* cùm inquit, etiam decimooctauo anno maiorem, quamuis ex cauſa reipublicæ nuntiare non poſſe: à quo parum diſtat Franciſcus Duarenus *dict. cap.*

cap.5. dum adulto non aliter nuntiationem permittit, quàm ſi curatoris ſui autoritate interponat.

9 Verùm licèt iſtorũ opinio non ſolùm probabilis, ſed & omninò ſequenda ſit, quocircâ eidem libenter ſubſcribo: attamen probabiliorem, & certiorem nònnulli arbitrantur Imolæ opinionem *in dict. l. de pupillo*, quam legit ſimul cum *l. in Prouinciali num.6.* aſſerentis, adultum viginti annis maiorẽ nouum opus per ſe rectè nuntiare poſſe, quod interpretor, ſiue id ad publicum, ſiue ad ſuum priuatum commodum pertineat, ex generalitate ſequẽtis rationis. Nam nuntiatio nil aliud eſt, quàm accuſatio quædam, vnde accuſatores nuntiatores vocantur *in l. ab accuſatione 6. ff. ad Senatuſconſult. Turpilan.* conducit *l. fin. §. fin.* vbi obſeruat Gloſſa *ad l. Iuliam, de annonis.* Igitur cùm omnis accuſatio, publica licèt, aut priuata, vigeſimo anno maiori indulgeatur, vt cum Iaſone *vbi ſuprà num. 3.* Farinacio *quæſt. 12. praxis criminalis n. 15.* & alijs *hoc eodem anno* oſtendimus: inde apparet, nuntiationem etiam eſſe illi permittendam.
10 Sed quicquid ſibi Imola perſuaſerit, eius opinio reſpuenda erit, quia, vt optimè reſpondit Alexander *in dict. l. de pupillo num.7.* non eſt verum maiorem viginti annis poſſe ante vigeſimumquintum annum accuſare, veluti quaſi certiſſimum, nullis cõgeſtis rationibus alibi demonſtrauimus, niſi quando ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequatur, & tunc requiritur curatoris autoritas, *l. clarum, C. de autoritate præſtanda.* Ergo etiam ſecundùm Imolæ rationem minor annis viginti & quinque nouum opus nuntiare per ſe minimè poterit, quia ante prædictam ætatẽ nec accuſare ipſi permiſſum eſt.

11 Quod de iure communi accipiendum eſt, nam ſi ſecundùm diſpoſitionem iuris noſtri Regij quæſtio terminanda ſit autoritate *dict. l.3.* tenere oportebit decimumquartum annum iam perfectè agentem nuntiationis noui operis in publica & priuata cauſa exiſtere capacem, ſiquidem cùm *dict. l.3.* hæc ætas ſufficiens praſcribatur ad hoc, vt ea conſtitutus ædificium de nouo in publico cõſtructum nũtiare queat, intelligere licet, hanc ætatem ad omnem omnino nũtiationem legitimam reputaſſe, cùm nulla euidens ratio diſcriminis adduci poſſit ad hoc, vt minor ætas in publico opere nuntiando, quàm in priuato expoſtuletur, maximè ſi animaduertitur facilius exiguæ ætatis homines ad opus proprium commodum ſpecialiter reſpiciens nuntiandum, quàm ad id, cuius vtilitas publica eſt, admitti, vt ex ſuprà dictis colligere licet, quibus pupillum, dummodo cum tutoris autoritate, ad priuatam nuntiationem admittendũ prædiximus, ad publicam verò minimè. & in hanc ſententiam incidere videtur Ioan. Baptiſta Villalobos *dict. litera N. num. 12.* dum indiſtinctè affirmat, iure noſtro decimoquarto anno maiorem nouum opus denuntiare poſſe.

Ex quo velut è fonte profluit, mulierem 12 eodem iure patrio attẽto, cùm duodecimum annum tranſegerit cœptum de nouo ædificium nuntiare poſſe, ſiue id in publico, ſiue in priuato loco fuerit factum, dummodò ipſius vtilitatem ſingulariter concernat, prędictum opus non fieri (aliter enim ad nuntiandum nouum opus in publico conſtructum non admitteretur, vt argumento *l. mulieri, de popular. action.* obſeruat Petr. Gregor. *dict. lib. 4. ſyntagmat. cap. 28. num. 1.*) eo videlicet, quia cùm pubertatem, vt legitimam ætatem ad omnem noui operis nuntiationem *dict. l. Regia* deſignauerit, mulier, quæ duodecimo anno pubeſcit, aut viri potens ſit, vt ſuo loco demonſtrauimus, & quæ à nuntiando non repellitur, dicta etiam ætate nuntiare poterit, ſecus atque de iure communi, quo perſpecto mulier integræ ætatis viginti & quinque annorum eſſe debet, vt ad nouum opus nuntiandum admittatur. Nam, vt Imola obteſtatur, ſolus ille ex propria perſona nuntiare poſſit, qui & accuſare poteſt: mulier quæ non ante vigeſimumquintum annum accuſationis particeps, aut capax inuenitur, quemadmodum non in concine *hoc eodem anno* adſtruximus, niſi prædicta ætate nouum opus nuntiare non valebit.

SVMMARIVM.

Pubes, aut proximus pubertati, & doli capax, vt delinquere, & ex delicto teneri poteſt. 1.

Minorem ante decimumſeptimum ætatis annum nulla ordinaria pœna affici poſſe communis teſtatur. 2.

Filia dicta ætate minor, quæ ſuaſionibus matris abortiuit, non meretur pœnam ordinariam. 3.

Pœna erubeſcentiæ, vulgò de Verguença, *poſt decimumſeptimum annum lenonibus infligitur. ibidem.*

Minori auxilium ad delinquendum præbens, pœna ordinaria confiſcationis non plectitur. ibidem.

Poſt decimumſeptimum annum plena pubertas contingit. 4.

Iudex, qui etiam in his Regnis minoribus decem & ſeptem annorum pœnam non minuit, ex hoc in ſyndicatu tenebitur. 5.

Vt verius traditur, tam de iure communi, quàm Regio minoribus quinque & vigiti annorum pœnam eſſe aleuiandam.

Minor præbens domum ad delinquendum, an eadem pœna cum delinquente, vel minori puniatur? remiſſiuè. 7.

Aliquando etiam ſecũdùm delicti grauitatem licet in minores ſæuire. 8.

Minor ob artem ioculatoriam infamiam non patitur. ibidem.

Prætextu minoris ætatis non eſſe ab inferioribus iudicibus pœnam minuendam, enixe defendit Ferdinand. Mendoça 9. *cuius ſententia multis reprobatur.* ibid. & *ſeq.*

Iudici inferiori an æquitas tantùm, vel etiam clementia liceat? 10. 14. & *ſeq.*

De vero ſenſu l. auxilium, §. in delictis, ff. de minoribus agitur. 11. & 13.

Grauiora delicta maiori pœna quàm leuiora plectuntur. 12.

Lex ſemper intelligitur læta in caſu dubitabili. ibidem.

Iudex legibus obtemperare debet. 14.

Omnis lex ad clementiam aperta eſt. ibid.

Humanitas & clementia, eſt in cauſis cuiuſcumque ponderis cum legis rigore miſcenda. 16.

Diminutio pœnæ cauſa ætatis facienda, non in clementia, ſed in æquitate conſiſtit. 17.

Æquitas eſt, quæ non ſtrictam verborum ſignificationem, ſed Legislatoris mentem inſequitur. 18.

Æquitas, qua minorum pœna temperatur, non ſolùm mente, ſed verbis etiam legis continetur. 19.

An detur æquitas ſcripta? 20.

Æquitatis definitio traditur. 21.

Leges ad caſus generales, & vt plurimùm cõtingibiles adaptantur. 22.

Pro qualitate negotiorum, perſonarum, aut temporis, ius debet vel intendi, vel remitti. 23.

Ætas vt præcipua cauſa inter alias ponitur, propter quam debeat à iuris rigore diſcedi. 24.

Æquitas ſemper in ratione vera & naturali fundatur. 25.

Clementia non in ratione, ſed in affectu quodam lenitatis conſiſtit. ibid.

Minores viginti & quinque annis non ſunt ordinaria pœna plectendi. 26.

Ætas iuuenilis maximè ad delinquendum irritat. 27.

Spes eſt iuuenes poſt annum quintum & viceſimum emendatiores futuros. 28.

Pœna inter alia ob id delinquentibus imponitur, vt emendatiores fiant. 29.

Vbi ſperari poteſt delinquentes citra pœnam ſe ſe correcturos, punitio ceſſat. 30.

Adoleſcentis iudicium fragile eſt. 31.

Qui in minori ætate deliquit, licèt poſtea adoleuerit, non eſt ordinariè plectendus. 32.

QVÆSTIO XLIII.

Vt delinquens pœna ordinaria plectatur?

Licèt minor pubes, vel pubertati proximus, & doli capax delinquere poſſit, & vtique 1 ex delicto teneri, vt ſupra *anno decimo cum dimidio* planè oſtendimus, & fatetur Petrus Plaça *in epithome delictor. lib.* 1. *c.* 32. *num.* 11. tamen pœna ordinaria (quamuis cõtrarium defendant relati à Farinacio *tom.* 3. *praxis crimin. quæſt.* 92. *num.* 63. quos ip- 2 ſe meritò refellit) niſi poſt decimumſeptimum annum perfectum non afficitur, vt voluerunt ex recentioribus P. Molina *de iuſtitia & iure tom.* 4. *tractat.* 3. *diſput.* 36. *num.* 6. *ad finem*, quamuis probabilius ducat, hoc arbitrio eſſe iudicis relinquendum Dominic. Taſſo *obſeruationum iuriſdictional. verſ.* 12. *obſeruat.* 1. *num.* 136. nouiſſimè Larriategui *ſelectarum lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 11. vbi neminẽ 3 pœnam furti ordinariam ante decimumſeptimum annum ſubire debere teſtatur, vt nec aborti filia, quæ ſuaſionibus impiæ matris abortiuit, ex ſententia Carrancæ *de partu c.* 16. *§. vnic. num.* 30. etſi cõtrarium poſt alios nouiſſimè defendat Cabreros *de metu lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 21. *verſic. An mulier:* & hanc ſententiam magis veritati fauere inquit Plaça *vbi ſupra, verſic. Secundò huic ſententiæ*, vbi eam ſequentibus fundamentis ſtabilire, probareque videtur ex iure noſtro ex *l.* 5. & 10. *tit.* 11. *lib.* 8. *Recollection.* vbi lenonibus poſt decimumſeptimum annum pro primo delicto pœna erubeſcentiæ, quam vulgò de *Verguença* dicimus, infligitur, vt teſtis eſt Padilla *de leg. pœnali* 1. *part. cap.* 10. *num.* 6. & huic ſententiæ accedere videtur Noguerol *tom.* 1. *allegat.* 12. *num.* 182. dum ideò minorem mitiùs puniendum contendit, qui nondum quindecim annos egerat, & quia non tanquam reus principalis accuſabatur, ſed tanquam auxiliator: quo caſu non poteſt minori pœna confiſcationis imponi, ex Carroc. *de minor. in delict. accuſand. quæſt.* 54. *in fine.* Ruginel. *in practic. quæſt. cap.* 35. *n.* 69.

Primò, quia poſt hãc ætatem plena pubertas contingit, *l. Mela, de alimentis & cibar.* 4

ſegat.

legit. cum traditis ſuprà *anno* 18. *quæſt.* 1. qua aduocati officio (ad quod integrum & maturum iudicium expoſcitur) quilibet fungi poteſt, *l.* 1. *§. pueritiam, ff. de poſtulando,* & nos ſuprà *dict. anno* 17. *quæſt.* 2. multis confirmauimus: ergo etſi tunc delinquerit, ordinario ſupplicio corripi poterit, cùm ea ſit ætate, qua ſemper homines rectè calent.

5 Secundò ex *authent. ſi qua tibi, C. de Epiſcop. & Cleric.* vbi minor decem & octo annorum criminis reus factus, à delicto prorſus excuſatur: ergo & à pœna ordinaria ipſius excuſari debebit? Quare hanc ſententiam ius noſtrum patrium amplectitur *in l.* 8. *tit.* 31. *part.* 7. ibi: *E ſi fueſſe mayor deſta edad, è menor de diez è ſiete años, deuenle menguar la pena que daria à los otros mayores por tal yerro,* vbi notat Gregor. Lopez, & ex ea ita docent Villalobos *in antinom. iuris commun. & Regni litera M. num.* 15. Anton. Gomez *tom.* 3. *variarum reſolut. de delictis cap.* 1. *num.* 63. *verſic. Sed hodie,* Plaça *vbi ſuprà num.* 11. Azeued. *in l.* 2. *tit.* 1. *num.* 22. *in fine, lib.* 2. *recollect.* Baeça *de inope debitore cap.* 8. *num.* 13. & refert nouiſſimè Sebaſtian. Guazzinus *in defenſorio reorum defenſa* 33. *cap.* 17. *num.* 1. *verſic. Sed quia,* Petr. Cauall. *reſolution. criminal. centuria* 2. *caſu* 334. *num.* 1. *ad finem,* P. Molina *dict. loco num.* 6. vbi inquit ex *d. l.* minoribus ſeptendecim annorum neceſſariò his Regnis pœnam à iudicibus eſſe minuendam, quam ſi non minuerint, tenebuntur in ſyndicatu (vt de minoribus viginti & quinque annis etiam reſoluit Farinac. *tom.* 3. *praxis crimin. quæſt.* 92. *num.* 163. *&* 365.) & quòd vltra hanc ætatem poterit quidem iudex etiam moderare, ſi expedire viſum fuerit, attenta qualitate delicti, & circunſtantijs concurrentibus.

6 Nihilominus tametſi hæc ſententia, ait Petr. Plaça *vbi ſuprà, verſic. Secundo,* veritati magis faueat, nec admodum inuitus ipſe in mitiorem partem poſt decimumſeptimum annum ante vigeſimumquintum criminis reo pœnam vtique alleuiarem ob minorum fauorem: tametſi priorem partem multi & graues Autores defendant: in quo quidem vltrò ipſi conſentio, & ſiue iure communi, ſiue noſtro Regio inſpecto ſemper conſultius, & æquius eſſe affirmo, quinto & viceſimo anno minores extraordinariè, & leuiter punire, vt comprobat text. *in l. auxilium, §. in delictis, ff. de minoribus, l. ſi adulterium, §. fratres denique, ff. ad legẽ Iuliam, de adult. l.* 1. *§. impuberes, ad Senatuſconſult. Sillan. l. ferè in omnibus,* & ibi optima Gloſſa, *ff. de regulis iuris, l. aut facta, §. perſona in fine,* iũcto principio eiuſdem *l. ff. de pœnis, l. ſi fratres tui, C. ex quibus cauſis infamia irrogat. l. quicumque, C. de ſeruis fugit. cap. fin. de ſentent.* 7
excommunicat. cap. pœnitentes, & ibi Gloſſa, *verbo iuuenibus* 50. *diſtinct. cap. hoc ſit* 26. *quæſt.* 7. *cap. interfectorum, cap. in adoleſcentia* 33. *quæſt.* 2. & eandem concluſionem latiſſimè proſequitur, ac confirmat Tiraquellus *de pœnis temperã. cauſa* 7. *per totam,* Beroius *conſ.* 192. *num.* 7. *volum.* 3. qui & *conſ.* 193. diſputat, an minor præbens domum ad delictum eadẽ pœna, aut mitiori cum delinquente puniatur? Sforc. Oddus *de reſtitut. quæſt.* 80. *art.* 7. *num.* 47. Anton. Gomez *vbi ſuprà dict. cap.* 1. *num.* 62. Iulius Clarus *lib.* 5. *receptar. ſentent. §. fin. quæſt.* 60. *num.* 3. Conar. *in Clement. ſi furioſus de homicidio, in initio* 3. *part. num.* 5. *verſ. Quis autem,* communem dicit propè infinitos referens, Hippolyt. Bonacoſa *in ſuo libro commun. opinion. criminal. in prima parte, verſic. Minor non debet,* Roland. à Valle *conſil.* 77. *quia formata num.* 6. *volum.* 3. Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. caſu* 329. *num.* 2. Farinac. *tom.* 1. *praxis crimin. quæſt.* 15. *num.* 49. *poſt verſiculum limita ſecundò, & num.* 25. *poſt verſiculum limita tertiò,* & latius *tom.* 3. *quæſt.* 92. *num.* 41. vbi & numeris ſequentibus varias huius concluſionis ampliationes adducit, & *num.* 103. etiam in criminibus grauibus & atrocibus procedere inquit, vt homicidij, ſecundùm ab ipſo relatos *num.* 113. furti, & ſacrilegij, veluti etiam *num.* 124. *&* 127. teſtatur: necnon falſi, & abortus *num.* 133. *&* 136. Anton. Theſaur. *deciſ. Pedemontan.* 161. Ioſephus Ludouiſ. *in deciſ. Lucenſ.* 17. *num.* 41. Cauallus *vbi ſuprà,* qui & *num.* 11. diſputat, quid obſeruandum ſit, vbi ex ſtatuto aut lege municipali 17. & 18. annum excedentes pro maioribus habentur? Andreas Fachineus *conſil.* 25. *lib.* 2. *num.* 3. *& lib.* 1. *controuerſ. cap.* 71. optimè Philip. Matth. *in l. ferè in omnibus* 108. *num.* 23. *& ſeqq. ff. de regulis iuris,* antea Simanc. *de Cathol. inſtit. cap.* 29. *num.* 22. Petrus Gregor. *in part. iuris Canonic. lib.* 4. *tit.* 15. *cap.* 6. Antonin. Diana *reſolut. moral.* 4. *part. tractat.* 6. *reſolut.* 29. *verſic. Illud verò,* vbi id contra Seſe defendit, etiam in delictis fidei, Guazzinus *in defenſorio defenſ.* 33. *cap.* 17. *num.* 1. vbi id ad quæcumque crimina, licèt grauiora, & ſodomiæ extendit Matth. Vveſembec. *in comment. ad l. Cornel. de ſicar. num.* 26. quamuis antiquis temporibus etiã impuberes ſeruos capitali, & ordinaria pœna fuiſſe ob abiectiſſimam eorum conditionem punitos, obſeruet *in §. item finitur num.* 3. *inſtitut. quibus modis tutel. finiatur,* vt de ingenuis etiam atrociſſimè delinquentibus refert Baldus *in l. & ſi ſeuerior num.* 10. *verſic.*

verſic. Ex prædictis in fine, C. ex quibus cauſis infamia irroget. quem refert Cauallus *vbi proximè num.* 8. qui ideò concludit poſſe tamen caſus eſſe tam atroces, & tot habere circunſtantias aggrauantes, quòd iudicis ſeueritas non eſſet damnanda, ſi puberem mino-
8 rem 25. annis pœna mortis arbitraretur dam nandum, vt antiquitus obſeruatum legitur circa agrorum depopulatores, & frugum nocturnos amotores, ex illa Romuli lege, quam recenſet Plinius *lib.* 8. *cap.* 3. Petr. Gregor. *lib.* 37. *ſyntagmat. cap.* 7. Balduin. *in expoſit. leg. Romuli l.* 56. Polidor. Ripa *de nocturno tempore cap.* 149. cuius hæc fuit ſeries: *Frugem quidem aratro quæſitam furtim nocte pauiſſe, ac ſecuiſſe puberi duodecim tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari iubebant, grauius quàm homicidio conuictum impuberem prætoris arbitratu verberari, noxamve dupliorem ve decernit.* Adhæret ſuperiori ſententiæ nouiſſimè Auguſt. Barboſa *in collectan ad l. ſi fratres tui* 21. *C. ex quibus cauſis infam. irrogetur*, ex *dict. l.* inferens, ideò minorem ob artem ioculatoriam infamiam huic crimini â lege præſcriptam non incurrere.

9 Quorum omnium conſenſus non deterruit D. Ferdinandum à Mendoça (virum profectò vltra vires ætatis doctum, & in omni genere doctrinæ verſatum) quin hoc ipſum intrepidè reprobarit, & contra omnes tenuerit pœnam à lege ſtatutam propter delictum nô poſſe â iudice temperari ex cauſa minoris ætatis, ſiue quia delinquens vigeſimumquintum annnm non egit: quod latiſſimè probare intendit *lib.* 1. *ſuarum diſputat. de pactis cap.* 3. *num.* 35. vbi per totum cap. ex multis cōfirmat, quòd licèt iudici inferiori licitum ſit
10 vti æquitate (quam epicheiam ex Ariſtotele appellat) ſcilicet omiſſo ſcripturæ rigore, & verbis legis, ſecundùm eius intentionem, & legislatoris tacitam voluntatem, veroſimiliter præſumptam iudicare: ſecùs tamen eſt in clementia, quam exercere non ſic iudici ordinario permittitur, ſed Principi, in recognitionem ſupremi dominij reſeruatur, cui ſoli competit ſuprema diſpenſandi poteſtas in pœnis lege iam vel ſtatuto determinatis, iuxta definitionem clementię, quam Seneca *lib.* 2. *de clementia cap.* 3. ſcriptam reliquit. Huius autem differentię inter æquitatem, & clementiam plures rationes Ferdinandus aſſignat, prolixiore forſan quàm oportuerat tractatu, quas ideò ſcribere ſuperſedeo, ex quibus inter alia infert, falſam eſſe communem ſententiam eorum, qui exiſtimant poſſe iudicem inferiorem iuueni delinquenti ordinariam legis pœnam minuere, quia cùm hæc diminutio, vel remiſſio ſit actus clementiæ, ſolùm poteſt per Principem exerceri.

Nec huic opinioni obſtare dicit textum in 11
dict. l. auxilium, §. in delictis, ff. de minoribus, quem ſic interpretatur, vt Iuriſconſultus in eo ſolùm diſpoſuerit iudicem non ita ſeuerè punire debere minores delinquentes in leuioribus delictis, ac ſi in grauioribus deliquiſſent, nam grauiora oportet atrociùs punire, minora autem remiſſiùs & leniùs. Hæc autem remiſſio, aut lenitas, quæ exerceri poteſt in minoribus delictis per iudicem inferiorē, erit ſolummodò in pœnis non determinatis, ſed arbitrio ſuo relictis: nam pœnam à lege ſtatutam nullatenus poterit iudex ordinarius immutare.

Sed hæc interpretatio ad *dict. §. in delictis* 12
abſurdiſſima eſt, & tanto viro prorſus indigna, conuinciturque manifeſtè ex ſequētibus. Primò, quia ſequeretur ex ea Iuriſcōſultum in illo textu nihil noui, vel peculiare propter minores, vel in eorum fauorem ſtatuiſſe, cùm illud regulare in omnibus cuiuſque ętatis ſit, atrociora flagitia grauiori pœna plectenda, leuiora verò non item, vt probat text. *in cap. hoc ipſum, verſic. Hinc etiam* 33. *quæſt.* 2. cum alijs: vnde prædicta deciſio ratione dubitandi omnino careret, cōtra *l. ancillæ*, ibi: *Nulla iuris quæſtio eſt, C. de furtis*, cùm lex ſemper debeat intelligi lata in caſu dubitabili, vt tradit ſingularis Gloſſa per textum ibi in *l. quod Labeo, ff. de Carboniano edicto.*

Secundò conuincitur, quia text. *in dict. §. in delictis* generaliter, & indiſtinctè loquitur tam in delictis, quæ iudicis arbitrio, quâm in his, quæ legis diſpoſitione puniuntur, & ſic in omnibus generaliter debet intelligi, argumento *text. in l.* 1. *§. generaliter, de legatis præſtandis. l. pretio, de publiciana.* Tum magis, quia lex generaliter loquens, per aliam in ſpecie loquentem debet interpretari, iuxta Gloſſam communiter approbatam in *l. ſciendum, verbo non compelli, ff. qui ſatiſdare cogantur.* Innumera autem ſunt iura, quæ licèt loquantur in ſpecie delictorum, quibus à lege certa pœna conſtituta eſt, eam nihilominus in minore mitigandam diſponunt, prout eſt *dict. l.* 1. *ad Sillanian. dict. l. aut facta, §. perſona, ff. de pœnis*, & melior *text. dict. cap.* 1. *delict. puer or.* vbi cùm Pontifex de furto, mendacio, & periurio mentionem faciat, hæc tamen delicta mitiùs in minoribus caſtiganda concludit, cuius etiam notæ ſunt ferè omnia iura, quæ in huius opinionis confirmationem ſuprà retulimus, quorum Ferdinandus non meminit, licèt eis ſatisfacere omnino debuerit, vt eius ſententiæ aſſentiremus.

Ter-

13 Tertiò & vltimò prædicta interpretatio corruit ex verbis *dict.* §. in delictis, quibus Ferdinandi intellectus adaptari non poteſt, inquit enim Conſultus: *In delictis autem minor annis viginti & quinque non meretur in integrum reſtitutionem, vtique in atrocioribus, niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem perduxerit.* Verus itaque & genuinus ſenſus eſt, quòd licèt in delictis minor non conſequatur in integrum reſtitutionem, niſi quatenus ex ætatis miſeratione pœna in eo minuenda & moderanda ſit, hoc tamen in atrocioribus tantùm procedit, quia in alijs leuioribus delictis nō ſolùm pœna minuitur, ſed omnino remittitur, vtputa in delictis, quæ ex culpa, non ex dolo deſcendunt, vt multis obſeruat Proſperus Farinacius *dict. quæſt. 92. num. 95. & ſequentibus*, vel in his, quæ in omittendo conſiſtunt, & alijs ſimilibus, aduerſus quæ minorem reſtitui Farinacius *vbi ſuprà num. 69. &* 70. latiſſimè comprobat. Et ita hunc ſenſum tanquam veriſſimum amplecti videtur Gloſſa *in dict. §. in delictis*, & ibi Bartolus *num. 2.* & cæteri Scribentes: ex quo colligitur minorem in caſu quo non reſtituitur ad omnem pœnam, mitiori ſaltim puniendum eſſe, iuxta noſtram opinionem.

14 Contra quam nō obſtant fundamenta per Ferdinandum adducta, quæ ex pluribus conuinci poterunt, & in ipſius ſententiam retorqueri, præcipuum imò, & vnicum illud eſt, quod licèt iudex ordinarius æquitatem ſequi teneatur, clementia tamen vti non poteſt, vt ex multis cōfirmat. Vnde cùm diminutio pœnæ ex cauſa ætatis ſit actus clementiæ, Principi cenſetur reſeruatus, nec iudici inferiori permittitur exercendus. Sed hæc argumentatio ex pluribus corruit. Primò quatenus in eius priori parte clementiæ vſum omninò iudicibus inferioribus interdictum aſſeuerat, quod adeò à veritate alienum eſt, vt potiùs oporteat eos clementiæ & miſericordiæ deditos eſſe, in cuius rei confirmationem Cicero 1. *Rethor.* ſermonem de iudicibus faciens, ſic inquit: *Iudices qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis: obtemperare autem non poteſtis, niſi quod in lege ſcriptum eſt ſequamini:* ſed in lege ſcriptum eſt: *Omnis lex ad clementiam aperta eſt, authent. de exhibend. reis, §. quoniam verò collat. 5.* ergo iudices (qui legis ſunt miniſtri, iurantque omnia ſecundùm ius agere, *Authent. de defenſorib. ciuitat. §. iuſiurandum collat. 3.*) debent magnoperè eſſe ad clementiam proni.

15 Hinc eſt, quòd prætor ſatis clementer cum reo egiſſe profitetur *in l. ſi eum exceptione, §. verſ. Satis enim clementer, ff. de eo quod metus cauſa*, ſicut enim iudicibus condonatur, vt æquitatem amplecti poſſint, idem in clementia admittendum eſt: *Perinde enim* (vt inquit Seneca *lib. 2. de clement. cap. 3. ad fin.*) *clemētia liberum arbitrium habet, atque æquitas, quippe quæ non ſub formula, ſed ex æquo & bono iudicat, & abſoluere illi licet, & quāti vult æſtimare litem: nihil ex his facit tanquam iuſto minus fecerit, ſed tanquam id, quod conſtituit iuſtiſſimum ſit. Clementia hoc primū præſtat, vt quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronuntiet.* Hactenus Seneca. Et licèt Alphonſus â Caſtro *lib. 2. de poteſt. legis pœnalis cap. 12. concluſ. 3.* hæc omnia procedere arbitretur in his, quæ â lege expreſſa nō ſunt, ſed iudicis arbitrio relinquuntur: & ita intelligit Marcelli reſpōſum *in l. reſpiciendū, de pœnis.* Ego tamen veriùs cenſeo, idem eſſe in pœnis præcisè â lege determinatis, in quibus etiam clementiæ moderamen iudices ſeruare poſſunt, vt tradunt omnes *in cap. qualiter el 2. de accuſation.* Couarru. *lib. 2. variarum cap. 9. num. 8.*

16 Nec contrarium deciditur in *dict. l. reſpiciēdum*, quæ cùm indiſtinctè loquatur, in omnibus caſibus debet intelligi, *Reſpiciendum eſt iudicāti* (inquit Conſultus) *ne quid aut durius, aut remiſſius cōſtituatur, quàm cauſa depoſcit, neque enim aut ſeueritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo iudicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt, planè in leuioribus cauſis proniores ad lenitatem iudices eſſe debent, in grauioribus pœnis ſeueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.* Ecce igitur qualiter in omnibus cauſis, cuiuſcumque grauitatis & pōderis ſint, humanitatem & clementiam cum legis rigore miſcēdam Iuriſconſult. hortetur. Cui conſonat Gregorij autoritas â Gratiano relata *in cap. omnis 45. diſt. Omnis enim*, inquit, *qui iuſtè iudicat, ſtateram in manu geſtat, in vtroque penſo iuſtitiam, & miſericordiā portat, ſed per iuſtitiam reddit peccati ſententiā, per miſericordiam peccati temperat pœnam, vt iuſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam verò per miſerationē indulgeat.* Ex quibus omnibus, & alijs quæ adducit Matienços *in Dialogo relator. 3. p. c. 66. n. 12. & ſeqq.* apertè colligitur, iudicem ordinarium non ſolùm poſſe clementiam exercere in cauſis ſibi comiſſis, verùm ea omnino indigere, vt ſuum officium fideliter & integrè adimpleat: ſequitur ergo ſimiliter eum rectè poſſe minori delinquenti ordinariam legis pœnam minuere ex cauſa ætatis, licèt hæc diminutio, vel remiſſio actus clementiæ iudicetur.

17 Secundò corruit prædicta Ferdinandi argumentatio, quia licèt omnia prædicta ceſſarent,

rent, & fateremur clementiæ vſum alienum eſſe à iudice inferiore: adhuc prædictum argumentum nihil vrgeret cõtra noſtram opinionem, cùm certiſſimum ſit iſtam pœnæ diminutionem cauſa ætatis faciendam, in æquitate mera fundari, non in clementia, vt Ferdinandus putat, quod quidem tũ ex his omnibus, quæ ipſe tradit, tum ex alijs fundamentis lu-
18 ce clarius apparebit. Et primò ex eo quòd in pluribus locis illius capituli ſæpiſſimè inculcat, ſcilicet æquitatem eſſe, quæ non ſtrictam verborum ſignificationem, ſed Legislatoris intentionem & mentem inſequitur: quod etiam dixerat Cicero *in oratione pro Murena: In omni*, ait, *denique iure ciuili æquitatem reliquerunt, verba ipſa tenuerunt*: & *in oratione pro Aulo Cæcina. An tu qui tam diligenter, & tam callidè verbis controuerſias, non æquitate diiudicas, &c.* Cui admodum concinit Conſultus in *l. filio præterito*, ibi: *Licèt ſubtilitas iuris refragari videatur, attamen voluntas teſtatoris ex bono & æquo tuebitur, ff. de iniuſto rupto*, & alibi ſæpè. Cùm igitur prædicta diminutio pœnæ propter ætatem facienda ex mente & voluntate multarum legum & deciſionũ colligatur, vt patet in omnibus ſuprà allegatis, ſequitur dicẽdum, eam ex vera æquitate deſcendere, & deriuari; imò, & quod magis eſt, cùm hæc æquitas, quæ in prædicta diminutione conſiſtit non ſolùm
19 mente & voluntate, ſed verbis etiam, & ſcriptura legum contineatur, vt *in dict. cap. 1. de delict. pueror.* & in *dict. §. in delictis*, & in *dict. l. ſi fratres tui*, cum reliquis, tanquam æquitas ſcripta neceſſariò ſeruanda eſt, & ſtricto iuris rigori præferenda, iuxta Conſtantini Imperatoris reſcriptum in *l. placuit, C. de iudicijs: Placuit*, inquit, *in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ, æquitatiſque ſcriptæ, quam*
20 *ſtricti iuris rationem.* Et licèt Ferdinandus in *num. 9.* inaniter ſe torqueat in huius textus interpretatione, defendens contra communem omnium ſententiam (vt ſui moris eſt) æquitatem ſcriptam dari non poſſe, contrarium tamen verius eſt, vt poſt communem tradit etiam Ioannes Matienç. *in dict. 3. part. cap. 64. num. 1.* vbi latè confirmat, quòd quãdo æquitas eſt ſcripta in ſpecie, rigor autem in genere, vt in noſtro caſu, abſque dubio æquitas præferenda eſt, & ſic iudex nõ ſolùm poteſt ordinariam pœnam delicti in minore temperare & minuere, verùm ad hoc præcisè tenetur, & compelli poteſt iuxta prædicta, vt eſt multorum opinio, quam ſuprà tradidimus ex Farinacio *tom. 3. prax. criminal. quæſt. 92. num. 163. & 165.*
21 Secundò, minorem ex æquitate, nõ ex clementia mitius puniendum perſpicue probatur ex æquitatis definitione, quàm tradit Oldendorpius *in ſuo de iure & æquitate tractatu tit. 3.* Æquitas, inquit, eſt iudicium animi ex vera ratione petitum de circunſtantijs rerum ad honeſtatem vitæ pertinentium, cùm incidunt rectè diſcernens, quid fieri, aut non fieri oporteat. Colligitur ergo ex ea æquita- 22
tem ſemper in circunſtãtijs facti verſari, nam cùm regulariter iura ad caſus generales, & vt plurimum contingibiles adaptentur, *l. nam ad ea. ff. de legib. Nec enim leges*, vt inquit Cõſult. *in l. nec leges, eodem titulo. Nec Senatuſconſulta ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur; ſed ſufficit ea quæ plerumque accidunt, contineri.* Hinc eſt, quòd particularia negotia, quę iuribus decerni non potuerunt, iudici & moderatori relinquantur, vt inſpectis circunſtantijs ex æquitate pronuntiet pœnam augendo, vel
moderando. Hoc eſt quod Iuriſconſulti ſem- 23
per hortantur, vt ſcilicet ſecundum circunſtãtiarum ſpecies æquitas iubeat ius ſtrictũ, & ſummum vel intendi, vel remitti: quod inter alios docuit Paulus Iuriſconſultus *in l. Pomponius la 2. ff. de negot. geſtis: Pro qualitate*, inquit, *perſonarum & actio formatur, & condemnatio moderatur*: & Vlpian. *in l. nonnũquã autem, ff. de iudicijs. Hoc autem*, ait, *æſtimare oportet, eum qui ius dixit, pro conditione cauſæ, vel perſonæ, vel temporis & ita ordinẽ edictorum, & compendium moderari.* Idem Vlpian. *in l. iuſiurandum, §. ait Prætor, ff. de iureiurando, l. Pedius, ff. de incendio, ruina & naufragio*, cum alijs. Ex his autem circũſtantijs, quæ iuris varietatem inducunt, & in quibus æquitas conſideratur, ſeptem præcipuas connumerat *text. in l. aut facta, ff. de pœnis* quas latè expendit Matienç. *d. 3. part. c. 63.*
num. 5. & inter eas ætas etiam reponitur, tã- 24
quam cauſa ſufficiens, per quam à iuris rigore diſcedatur, quòd etiam expreſsè oſtendit Vlpian. *in l. ſacrilegij pœnam, ad leg. Iul. peculat. Sacrilegij*, inquit, *pœnã debebit Proconſul pro qualitate perſonæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexus, vel ſeueriùs, vel clementiùs ſtatuere*: & eſt etiam text. ſingularis in *cap. ſicut dignum, de homicidio*, ibi: *Pleniùs noſti, quòd in exceſſibus ſingulorum non ſolùm quantitas, & qualitas delicti, ſed ætas, ſcientia, ſexus, atque conditio delinquentis ſunt attẽdenda.* Ecce igitur qualiter iudex, qui æquitatem ſequi deſiderat, & ſecundùm eam iudicare teneatur, ætatis rationem habere, vt ſic iuuenis delinquens longè aliter quàm vir perfectus ab eo puniatur.
Quod cùm ex naturali ratione procedat me- 25
ritò æquitati tribuitur, quæ ſemper in ratione vera fundatur, iuxta Oldendorpij traditam

defi-

definitionem,& illam quam adducit Boetius *in cōmentarijs Topicorum Ciceronis lib.3.* vbi æquitatem dicit eſſe, quod naturalis ratio perſuaſit, vt refert Tiraquel.*de retract. lign.g. §.35.gloſ.1.num.30.* Clementiæ verò tribui non poteſt,quæ non adeò clara & perſpicua ratione mouetur, ſed affectu potiùs quodam lenitatis, quo animus iuſtè iratus moderatur,& remittitur iuxta clemētiæ definitiones, quas latè tradit & proſequitur Ferdinandus *dict.cap.3.num.31.*

Cæterùm vt vnde digreſſi ſumus, redeamus,quidquid Ferdinandus Mendoça minùs rectè in contrarium voluerit,vera, omninoque ſequenda erit communis opinio,quæ docet minoribus viginti & quinque annis non eſſe vulgarem, & ordinariam pœnam, etiam in delictis atrocioribus imponendam, ſed arbitrariam leuem,& quam miſeratio ætatis expoſtulat. Quæ pluribus rationibus fundatur, ex quibus tres præcipuas aſſignat Tiraquel.*de pœnis temperandis dict.cauſa 7.num.*
27 *4.* Prima earum eſt, quòd ætas iuuenilis ex his agnoſcitur,quæ maximè ad delinquendū irritant,vt tradit Lactantius Firmian. *lib.de ira Dei cap.*20.cui adſtipulatur Horatius *in Arte Poetica*,dum adoleſcentis proprietates ſic deſcribit.

Cereus in vitium flecti monitoribus aſper,&c.

Vnde cùm hæc ętas ſit proprium vitiorum irritamentum,ſi quid fortè peccauerit adoleſcens,magis eſt adſcribendum ætatis vitio, quàm pertinaci malitię,& improbitati,vt nō ordinaria,ſed mitiori pœna plectatur.

28 Secunda ratio,& quę ex hac prima deſcendit,ea eſt, quòd hac ętate minori tranſacta, & vigeſimoquinto anno accedēte,ſpes ſit eos emendatiores futuros,quod non obſcure cōprobat idem Lactantius *loco ſupra relato. Quammulti,* inquit,*in prima ætate turpes,& omni iudicio damnati,poſtmodum tamen laudabiles extiterunt: quod vtique non fieret,* vt ille ſubdit,*ſi omne peccatū pœna ſequeretur.* Expreſſit in oratione pro Cœlio,quē propter ętatem quoque nitebatur defendere: *Equidē,* inquit,*multos & vidi in hac ciuitate,& audiui, qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent,emerſiſſe aliquando,& ſe ad frugem bonam(vt dicitur) recepiſſe, grauesque homines, atque illuſtres fuiſſe:datur enim conſenſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates, quæ ſi ita erumpunt,vt nullius vitam labefactēt,nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent.* Et aliquibus interiectis ſubiungit: *Ac multi & noſtra, & patrū,maiorumque memoria iudices ſummi homines, & clariſſimi ciues fuerunt,quorum cùm adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent,eximiæ virtutes firmata iā ætate extiterunt. Ex quibus neminem mihi neceſſe eſt nominare,vosmet vobiſcum recordamini.* Quam etiam ſententiam aliquibus exemplis mirè comprobat Valer.Maxim. *lib.6.cap.9.* vbi de Scipione Africano ſic inquit: *Scipio autem Africanus ſuperior,quem Dij immortales naſci voluerunt,vt eſſet in quo virtus ſemper omnes numeros omnibus efficaciter oſtenderet,ſolutionis vitæ primos adoleſcentiæ annos egiſſe fertur:*& de Valario Flaceo ſic ſubiungit:*Caius quoque Valerius Flaccus ſecūdi belli Punici temporibus luxu perditam adoleſcētiam inchoauit.Cæterùm à P.Licinio Pontifice Maximo Flamen factus,quantum priùs luxuriæ fuerat exemplum,tantum poſtea modeſtiæ,& ſanctitatis ſpecimen euaſit.* Tādem de Q. Fabio Maximo: *Nihil,* inquit, *Q. Fabio Maximo,qui Gallica victoria cognomen Allobragi ſibimet,ac poſteris peperit,adoleſcente magis infame, nihil eodem ſene ornatius, ac ſpecioſius illo ſæculo noſtra ciuitas habuit,* Alexand.etiam ab Alex.*lib.3.dier.genial. cap. 13.*meminit Fabij Gurgitij,qui licèt infamatiſſimus,poſteà ætate grauis cenſuram ſeueriſſimis motibus egit. Eiuſdē etiam meminit Macrobius *lib.3.Saturnal.cap.13.*vbi eum à deuorato patrimonio cognominatum dicit: ſed quòd poſtea inſignibus virtutibus vitia prioris compenſauit ætatis. Cùm igitur pœna ob id inter cætera delinquentibus imponatur,vt emēdatiores fiant, vt inſinuat Conſult.*in l.ſi pœna,ff.de pœnis*,facit textus *in c. de his 33.quæſt.2.& in cap.qui ea 38.diſtinct.* tradit optimè D.Auguſtin.*lib.19. de Ciuit. Dei cap.16.*plura adducens Tiraquel.*in l.9. connubiali num.224.* Ceſſante hac cauſa,quia ſcilicet ſpes eſt,vt is qui peccat, citra pœnam ſeſe vltrò corrigat,pœna,vel ſupplicium ceſſare debet,aut certè minui,vt eiſdem ferè verbis voluit Aul.Gel.*lib.6.noct. Attic.cap.14.* & comprobat Matienç.*in Dialog.relat. 3.p. cap.66.num.17.*cui & addi poteſt quod tradit Fabius Quintil.*lib.7.orat.inſt.cap.4.* vbi inter ea,quę in deprecatione plurimum valere ſcribit,illud reponit,ſi ſpes ſit reum in futurum innocenter victurum fore. Hæc autem ſpes ſemper in adoleſcentibus exiſtit,vt probauimus: ergo pœnæ deprecatio,vel diminutio,iure optimo in eiſdem locum habebit. 29 30

Tertia & vltima ratio,ob quam minores mitiùs ſunt plectēdi,ea ſcilicet eſt, quia huic minori ætati viginti & quinque annorum nō ſit plenum rationis iudicium, quod pulchrè animaduertit Iuriſconſult. *in l.1 ff. de minoribus,*vbi inquit,quòd adoleſcentiæ conſiliū fragile eſt,& infirmum: quod confirmat illud Pſal.24.*Delicta iuuētutis meæ,& ignorātias* 31

meas ne memineris, & illud Iob *c.13. Et conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Hinc eſt, quòd adoleſcentes tutorum & curatorum auxilio egeant, §. *impuberes, inſtitut. de Atiliano tutor. auth. de Sanct. Epiſcop. §. 1. collat. 9.* nec rei ſuæ adminiſtratio illis concedatur, *d. l. 1. de minor.* nec negotia ſua gerere poſſint, vt ſuis locis pleniùs *hoc anno* videbitur. Imò ſi in ipſis adminiſtrandis lęduntur, in integrum reſtituuntur *l. ſi curatorem, C. de in integ. reſtitut.* Nec ante vigeſimum ætatis annũ quantumcumque diſcreti ſint, veniam ætatis impetrare poſſint, *l. 2. C. de his qui veniam ætatis*, nec ad rempublicam adminiſtrandam ante vigeſimumquintum ætatis annum admittantur, *l. ad rempubl. de muner. & honor. l. ſpurij, §. 1. de Decurionibus.* Quæ omnia, & alia ſimilia, quæ *hoc anno* videri poterunt, ideò à iure introducta ſunt, vt minorum facilitati ſucurratur, quorum animi leuitas, & mentis inconſtantia facit etiam, vt clementiùs puniantur, quia eorum delicta non tam ex calliditate vel dolo, quàm ex fragilitate, vel conſilij defectu procedere arbitramur.

32 Vnde prouenit, quòd licèt poſteà adoleuerint, & ad maiorem ætatem peruenerint, nihilominus ex delicto anteà in adoleſcentia commiſſo ordinariè puniri non poterũt, cùm fragilitas iudicij attẽdatur, ex qua delictum originem traxit, & quæ miſerationi, pœnæque moderationi cauſam præbuit: non verò capacitas, quæ tẽpore punitionis reperitur, vt pluribus adductis probat Farinac. *tom. 3. prax. criminali q. 92. n. 162.* Baeça *de inope debitore cap. 8. n. 11.* & P. Molina alios referens *d. tom. 4. de iuſtitia & iure tractat. 3. diſputat. 37. num. 7.* Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib. 3. cap. 32. num. 18.* Antonin. Diana *d. 4. p. tractat. 6. reſolut. 29. verſic. Illud verò.*

Nec aliquid proderit vt remiſſio, aut moderatio hæc pœnę propter minorem ætatem fiat, quod ſtatuto, aut etiam Bullis Apoſtolicis exprimatur, hoc prætextu pœnam non eſſe alleuiandam, quia etiam tunc, vt nouiſſimè Sebaſtian. Guazzin. *dict. defenſorio defenſa 33. c. 17. n. 1. verſ. Et quod non propter fides adhibenda eſt*, pœna poteſt moderari, ex Farinacio *q. 92. n. 19.*

SVMMARIVM.

Minor annis viginti & quinque non priuatur hæreditate, quãuis teſtatoris necẽ vẽdicare neglexerit. 1.

Minor ſemel excuſatus ratione ætatis à pœna eiuſmodi negligentiæ, non poteſt, etiamſi maior factus non vindicet mortem teſtatoris, puniri. 2.

L. ſi ea 3. C. de his quibus vt indig. explicatur. 3.

Minoribus non nocet ius ignorare. 4.

Fœmina etiam maior, nulla pœna tenetur, licèt mortem teſtatoris non vindicauerit. 5.

QVÆSTIO XLIIII.

Ob inultã mortẽ defuncti, vt quis quaſi indignus repellatur ab hæreditate?

INnumeris parẽtũ, ac ſuis reſcriptis contineri Alexander Imperator cõmemorat in *l. 1. C. in quib. cauſ. in integ. reſtitut. nõ eſt neceſſaria*, minoribus viginti & quinque annis (præſertim qui per tutores vel curatores non defenduntur) non obeſſe, ſi mortẽ defuncti parentis non vlciſcantur: & ita verum eſſe conſtat ex *l. ſi ea 3. l. minoribus 6. C. de his quibus vt indig.* vbi ipſemet Imperator idem iamiam prædixerat, à quo velut mutuo accepiſſe videtur ſeptem partitum ius noſtrũ in *l. 15. tit. 7. p. 6.* cuius ſpecie cùm nonnulli caſus recenſeantur, quibus ob nõ vindicatam teſtatoris necem hæres ab hæreditate arcetur, eiuſmodi ſcribitur: *Otro tal ſeria ſi èl heredero fueſſe menor de veinte y cinco años*, ex quibus interpretanda erit *l. vltim. tit. 9. lib. 3. fori, & l. 11. tit. 8. lib. 5. nouæ recollect.* vt ibidem notant Matienç. *gloſ. 4.* & Azeued. *n. 13.* amplectuntur ſine cunctatione hanc ſententiam, pręter antiquiores & Gloſſographos locis relatis Hugo Donellus *lib. 21. comm. c. 9.* & ibidem Hiligerus *litera C.* Petr. Greg. *lib. 46. ſyntagm. cap. 9. num. 3.* licèt de pupillo tantum loquatur, Sforcia Oddus *de in integ. reſtit. q. 27. art. 3. n. 40.* Ioan. Gratian. *regul. 208. n. 12.* Peregrin. *de iure fiſci lib. 2. tit. 5. n. 15.* Ruginel. *in practica c. 35. n. 40.* nouiſſimè Noguerol *tom. 1. allegat. 13. n. 17.* anteâ, Baeça *de inope debitore c. 9. n. 10.* vbi & illud ſubijcit. Minorem ſcilicet, ſemel excu- 2
ſatum ætatis ratione non poſſe eo nomine condemnari, licèt poſtea vir factus non vindicet patris ſeu teſtatoris necem, quod priùs docuerat Bald. *in l. minoribus, C. de his quib. vt indig. n. 10.* & ibi Iaſo *n. 6.* tradit Anton. Gomez *tom. 3. variarum c. 3. num. 53. verſic. Imò quod magis eſt*, Azeuedus *in d. l. 11. Recopilat.* & Noguerol *loco vbi proxime.*

A quibus non diſſidet *dict. l. 3.* dum ea ra- 3
tione inquit hæreditatem ab inſtitutis, quaſi ab indignis eſſe auferendam, quia cùm pupilli non eſſent ante habitam quæſtionem de ſeruis, & vindicatam mortem defuncti, teſtamenti tabulas aperuerunt, & recitarũt: vnde

non

non minorum omnium, ſed pupillorum ſolũmodo ſingulare eſſe non priuare hæreditate propter non defenſam mortem teſtatoris inferri videbatur. Nam frequentiſſimum eſt, & paſſim libris noſtris occurrit, vt quoties velut in hoc caſu idem in pupillo, ac in alio quolibet minore viginti & quinque annis diſponitur, reſpectu illius diſpoſitionis ſub nomine pupilli omnes omnino minores intelligantur, *l. fin. C. de interd. matrim. §. nunc admonendi.* Ex quo notant Interpretes, & præcipuè Vveſembecius *ibidem inſtit. quibus alien. licèt vel non*, conducunt tradita à Gerardo Mainardo *deciſion. Toloſan. lib. 3. deciſ. 52. ad calcem.*

4 Quare autem minoribus non obſit crimen inultæ mortis defuncti? nullibi traditur: mihi autem inde petendum eſſe probatur, quòd obligatio vindicandi mortem occiſi teſtatoris â iuris prouenit diſpoſitione, nempe à Senatuſconſulto Silaniano, *l. neceſſarios 5. l. cum fiſco 9. ff. ad Silanian.* docet Franciſcus Duarenus *in dict. l. 1. C. in quibus cauſis in integrum reſtitut. non eſt neceſſaria*: ius autem ignorare minoribus non nocet, imò proficit, *l. quamuis 11. C. de iuris & facti ignor. l. 2. C. de in integrum reſtitut. minor. l. vltim. C. ſi aduerſus delictum.* Ergo rectè ſtatuitur delictum inultæ mortis defuncti, adhuc non petita reſtitutione minoribus quaſi illius iuris ignaris & inſcijs, cuiuſcumque ſexus ſint, nihil obeſſe quominus delatas ipſis hęreditates conſequantur.

5 Vnde licet intelligere *dict. l. vlt. tit. 9. lib. 3. fori*, & *dict. l. 11. tit. 8. lib. 5. recollectionis*, dum perfectæ ætatis & viros eſſe hæredes deſiderant, vt ob crimen inultæ mortis defuncti hæreditate mulctentur, ibi: *Y eſto ſe entienda en aquellos que han edad cumplida, y ſon varones.* Nam cuiuſcumque ætatis fœminas, vt minores, iuris ignorantia ab eiuſmodi pœna excuſari voluit contra iuris communis diſpoſitionem in *l. cùm fratrem 9.* ſimul cum epigraphe *l. ſororem 10. C. de his quibus vt indig.* Vnde meritò *hanc legẽ* noſtram piam, & correctoriam appellat Bernard. Diaz *regul. 319. ampliat. 1.* & poſt eum *ibidem* Azeuedus *num. 15.*

SVMMARIVM.

Poſt decimum annum cum dimidio maſculus, & poſt nouem cum altero dimidio fœmina delictum admittere poſſunt. 1.

Minor annis viginti & quinque, an ex delicto in omittendo teneatur? 2. & ſeqq.

Minor ſi fuerit in exilium condemnatus, & D. Didac. de Narbona. illud non impleuerit effracti exilij pœna non multabitur. 3.

Solùm decimo & octauo anno minores à delicto in omittendo, & negligentia excuſari putant multi. 5.

Minores quinque & viginti annis eſſe immunes à delicto in omittendo, vt verius traditur. 6.

Negligentia prouenit ex ignorantia. ibid.

Ius ſcire ad prudentes ſpectat. 7.

Iuuenis imprudentia laborat. ibid.

Minor, decimooctauo anno maior, qui patrem ab hoſtibus redimere neglexerit, minimè excuſatur. 8.

Minor ſine ſpe reſtitutionis tenetur, ſi non ignorantia, ſed dolo potius, & malitia non fecerit quod iure facere tenebatur. 9.

Delictũ omiſſionis dolo admiſſum grauiſſimum eſt. 10.

Familiaris Sanct. Inquiſitionis ob crimẽ omiſſionis ſine dolo in officio ſeculari commiſſo ab Inquiſitoribus puniendus venit. ibid.

Don Alphonſus de Narbona *Autoris frater* à Carleualij *impugnatione defenditur. ibi.*

Quoties delictum eſt mixtum, quia partim in omittendo, & partim in committendo conſiſtit, ab ipſius pœna minor non excuſatur. 11.

Delicta mixta quæ ſint? ibidem.

QVÆSTIO XLV.

A delicto in omittendo vt quis excuſetur?

DIximus ſuprà *anno 10.* illa quæſtione, *qui doli capaces culpæ & peccati cenſeantur?* necnõ & illa: *Quæ ætas deſideretur, vt ex quocumque delicto poſſit alicui ſaltim leuis, & extraordinaria pœna infligi?* 1 multiſque alijs in locis proximum pubertati, ſiue annum decimum cum dimidio agentem, ſi maſculus ſit, & nonum cum altero dimidio, ſi fœmina, delictũ admittere, & eo teneri poſſe. Nunc verò hoc ita temperari debere ſubiungimus, 2 niſi delictum in omittendo & negligendo conſiſtat: quoniam huius criminis ea natura exiſtit, vt etiam puberibus, minoribus tamen quinto & viceſimo anno prorſus ignoſcat, *l. 2. C. aduerſus delict. l. minoribus, C. de his quibus vt indig. auth. captiui, C. de Epiſcop. & Cleric.* ex quibus, alijſque pluribus idem probat Card. Aluarus *in lucubration. ad Bartol. in l. ſi ex cauſa, §. nunc videndum n. 2. C. de minor.* Igneus, qui hãc opinionem communem vocat *in l. 1. §. impubes*

num.5.ff. ad Sillan. Anton.Gomez *tom.3. variarum cap.1.num.59.* vbi nouiter, & ſingulariter ex hoc infert, quòd minor in exilium condemnatus,ſi illud non impleuerit, poterit reſtitui,quia non adimplere exilium eſt delictum,quod in omittendo conſiſtit:ſed ideò exiſtimarẽ verius magis ipſo iure quàm ope reſtitutionis eum forè tutum:conſentit Proſper.Farinac.*tom.1.prax.criminal.q.11. num.28.*Caldas Pereira *in l.ſi curatorem habens,verbo vel aduerſarij dolo num.64.*

4 Contrarium nihilominus alij defendunt, & minores delictis etiam omiſſionis teneri, vt verius arbitrantur: ſic docet Gloſſa in *l.ſi ex cauſa in dict.§. nunc videndum in verbo ſubuenitur,ff.de minoribus,*vbi aſſerit ita minorem ex delicto in omittendo obligari, vt nec reſtitutionis beneficio ipſi ſit opitulandum. Idem quoque ſentire videntur quibus magis placet hoc caſu eſſe minori reſtitutionis ſuffragium cõcedendum,cùm apertè ſupponant delicto eum affici,cuius pœnam oportet reſtitutione eludere. Ita exiſtimant Fulgoſ.*in l.ſi quis in tantam num.11.C.vnde vi,* Mateſil.*ſingul.164.*Corſet.*ſingul.15.*Tiraquel.*tract.de pœn.temper.cauſ.44.n.43.*Iul. Clarus *in §.final. q.60. in princip.*Menoch. *conſil.100.num.282.iunctio n.304.*qui quidẽ mouentur rationibus,de quibus per Sforciã *de reſtitut.in integr.q.80.art.2.à n.9.*

5 Nec deſunt tamen Interpretes ita nauſeantis ſtomachi,vt nec primam,nec ſecundã opinionem retineãt,ſed vtramque quaſi acidam & inſuauem prorſus euomant,iucũdius, certiuſque exiſtimantes decimooctauo anno minores ſolummodò à negligentiæ, & omiſſionis reatu eſſe omnino immunes. Quorum caput & dux Bartolus exiſtit in *l.ſi quis in tantam,C.vnde vi,* & Iul.Clar. *dict. §.fin.q. 60.in princip.*qui de proximis pubertati ſentire videtur, vt bene obſeruat Sforcia *d.loco num.16.*cuius opinionis fundamentum deſumitur ex *d.auth.ſi captiui. C.de Epiſcop. & Cleric.* vbi à negligentia redimendi patrem ab hoſtibus ſolus ille filius excuſatur,qui nõdum annum decimumoctauum exceſſerit.

6 Verùm quidquid hæc ſuadeant, à communi receptaque omnium opinione, quæ habet omnes omnino minores ante quintum & viceſimum annum nullo omiſſionis crimine teneri,nequaquam erit recedẽdum. Tum,quia frequentiori calculo approbata : tum, quia vrgẽtiſſima illa ratione fulcitur,nempe quòd negligentia prouenit ex ignorantia,*l.regula. 9.§. ſed facti,*ibi:*Sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, ſi non ei ſumma negligẽtia obijciatur,ff.de iur.& fact.ignorat.* At minor quinque & viginti annorum etiam à iuris ignorantia excuſatur,*d. l. regula in principio,* illis verbis: *Quòd minoribus viginti & quinque annis ius ignorare permiſſum eſt.*

Et meritò quidem, nam ius ſcire ad prudẽtes ſpectat, *d.l. regula.§.ſed iuris ignorantiam,*vbi cum nulla iuris ignorantia excuſari Paulus ſcribit, qui ſua prudentia eſt inſtructus:minor verò tantùm abeſt,vt ea ætate ſit prudens, quòd potiùs omnia imprudenter agat,rectè Homer.*Odiſſ.7.* 7

Sic non ſperares iuniorem obuiantem facere,
Semper enim iuniores imprudenter agunt.

Hac de cauſa iure meritò, inquit Paul.Zacchias *medicolegali lib.1.tit.1.quæſt.6.n.88.*à negotijs gerendis legibus eliminatur, & ad ſua propria gubernanda curator datur illi, *§. maſculi inſtit. de curatoribus.*

Hinc colligitur quantum cæteræ opiniones à iuſto rationis tramite deuient, vtpote quæ imprudentes iuuenes eo delicto teneri contendunt, quo nonniſi prudentes ſolent alligari,præſertim cùm nullo expreſſo iuris teſtimonio,aut probabili ratione fulciantur. 8 Nam quæ ex *d.authent.* ſi captiui iuuatur ab ſpeciali illo caſu,perperam generalem ſententiam deſumit, ibi enim naturalis pietas vix patitur,vt ita diu filius à tam immani & reſupina ignorantia manente patre in captiuitate excuſetur:ideò Imperator ab vniuerſali regula, quam nos defendimus,hunc caſum excipit, in reliquis expreſſe illam confirmans,vt patet ex illis verbis: *Qui tamen pro maioribus viginti & quinque annis hic accipiuntur.* Quaſi diceret, licèt aliàs in reliquis omiſſionibus & negligentijs,qui intra quintum & viceſimum annum exiſtunt, maneant impuniti:attamen hoc caſu neglectæ redemptionis paternæ ex ſpeciali prouidentia minor octodecim annorum pro minore viginti & quinque vſurpatur.

Moderatur tamen communis hæc noſtra opinio,vbi conſtare potuerit, non ex mora, & ſimplici ignorantia, ſed dolo & malitia minorem facere neglexiſſe quod iure,vel alia ratione facere tenebatur:tũc enim nec à delicto excuſabitur, nec,quod plus eſt,reſtitutionis beneficium merebitur *dict.l.ſi ex cauſa,§.penult.ff. de minorib.* cuius autoritate ſic profert Caldas *vbi ſuprà,verſic.Interpretes,* Sforc.*dict.quæſt.80.art.3. num.34.* vbi concludit reſtitutioni forè locum,ſi minoris dolus fuerit præſumptus, & non verus: vide Surdum *deciſ.216.à n.6.* 9 Eſt enim tunc cùm 10 dolus adeſt,delictum omiſſionis grauiſſimũ, vt eleganter docet doctiſſimus Frater noſter Don Alphonſus de Narbona *in 3. part.nouæ recollect.lib.4.tit.1.l.20.gloſ.20.num.119.* veluti & leuiſſimum, quando nullo intercedente

ſdente dolo fit,vt *ibidem* conteſtatur chariſſimus Frater pluribus adductis *num.* 119.ideô numeris ſequentibus quaſi veriſſimum concludens *dict.l.*20.*Recopilat.*quæ Familiarem Sanct. Inquiſitionis in officio ſæculari, aut publico delinquentem, ab Inquiſitoribus minimè eſſe puniendum præcipit,tantum in delictis commiſſionis, non verò in omiſſionis & negligentiæ, quæ leuiſſima ſunt, eſſe ſubaudiendam:etſi aliud nouiſſimè placuerit Carleualio *de iudicijs lib.*1.*diſputation.*2.*numero* 519.vbi hanc ſententiam lapſum fratris noſtri appellat. Sed vereor, ne in hoc ipſe miſerè labatur, cùm ea potiſſimum ratione ab ea diſceſſerit, quia omittens facere id, ad quod ex præſcripto officij tenetur,delinquit, & quidem circa officium,quod *dict.l.*20. exigit,vt Familiaris ſuo priuilegio fori non potiatur. Nam etſi verum fateat,vt & Frater agnoſcit,negligentiam & omiſſionem in officio crimen eſſe circa officium,leue tamen eſt vbi ſine dolo,ideò non ex eorum numero,quæ in *dict.l.*excipiuntur,cùm tantũ grauia & enormia, veluti læſæ Maieſtatis, proditionis, ſodomiæ & iſtiuſmodi in ea cauſa ſint: quod ſufficit, vt omiſſionis hæc crimina, licèt in officio admiſſa, Familiarẽ à proprio fori priuilegio non extrahant:quoniam illis tantùm criminibus illud tribuitur,quæ atrocitatem, & malitiæ exuberantiam præſeferunt,vt elegantiſſimis his verbis expreſſit frater noſter *ibidem num.*122.*Ex quibus conſtat,quòd cùm crimina in officijs commiſſa ob eorum grauitatem excipiantur in concordia iſta,quemadmodum etiam & cætera alia cognitione Inquiſitorum ob grauitatem,quam præſeferunt, eximuntur: idèò eadem lex, ſeu concordia de his tantùm criminibus in officijs admiſſis, quæ in committendo conſiſtunt, videtur cogitaſſe,cùm grauiora ſint:non verò de his,quæ in omittendo verſantur, cùm leuiora multò appareant.* Sed hæc verba aut non legit, aut intelligere noluit Carleualius, reprehendendi libidine obcæcatus.

11 Sed vt cœptum iter proſequamur, ſuperior ſententia deinde etiam coercetur, vt per Sforciam *ibidem art.*4.*num.*28. in delictis non meræ omiſſionis,ſed omiſſionis mixtę cum commiſſione, vt eſt non fateri damnum culpa datum, & ſic incidere in pœnam dupli,vel aſportare merces per loca, & non ſoluere pedagium,& ſimilia. Hoc enim caſu minores à delicto non excuſantur, ſed poſſunt reſtitutione iuuari,vt patet ex *dict.l. ex cauſa,verſic. Sed ſi,*& in §. *penultim. eiuſdem legis.* Et reddit elegantiſſimam rationem Sforcia, his verbis: *Quando verò aliquid fit, ſed in facto illo aliquid omittitur,cuius omiſſio delictum eſt in illo facto,licèt iuris ignorantia omiſſum ſit, quia tamen delictum iam factum eſt,non poteſt reddi non factum propter iuris ignorantiam, & ſic non poteſt dici potiùs iuris ignorantia quàm delictum, vt dicitur in caſu præcedenti, ſed potiùs delictum propter iuris ignorantiam commiſſum:quo caſu læſio adſit neceſſe eſt: ſed quia omiſſio huiuſmodi ex negligentia, vel iuris ignorantia potiùs præſumitur in minore, quàm ex dolo, ſubuenitur ei ope reſtitutionis.*

Cætera verò, quæ ad præſentem quæſtionem ſpectare videntur,ſuis locis diſperſa inuenies,nec enim libuit ea hîc denuo transcribere.

SVMMARIVM.

APparitores olim iuuenes fuere. 1.
Ætas Apparitoris, Celeris, Lictoris, ſiue Alguaceli, & Oſtiarij, viginti & quinque annorum eſſe debet. 2.
De iure noſtro octodecim annorum ætas completa ad hæc munera ſufficit. 3.

QVÆSTIO XLVI.

De ætate Apparitoris, Celeris, ſeu Lictoris, quem noſtri Alguacelum vocant?

HVius officij adminiſtratores iuuenes fuiſſe, ab ipſo vrbis conditore Romulo Plutarchus *in ipſius vita* recenſet, his verbis: *Habuit autem lectos iuuenes ad cuſtodiam ſui corporis, ijque quòd Regi quotidie præſto forent, à celeritate miniſterij Celeres nuncupati, &c.* notat Petrus Gregor. *ſyntagmat.lib.*47.*cap.*40.*num.* 10. & Bobadilla *in Politic. lib.*1. *cap.*13.*num.*6. ſed neuter eorum iuuenilem hanc ætatem certo annorum numero definijt. At ego viginti & quinque annorum de iure communi eſſe conſtituo, nam Lictoris, ſiue Alguaceli & Oſtiarij, nobis *Portero*, cuius meminit Petrus Gregorius *dict.cap.num.*25. munus perſonale eſt, vt ex ſe patet: perſonalia verò munera non niſi à maioribus, vbi eorum copia ſuppetit, geri poſſunt, veluti ſuprà *hoc eodem anno* probauimus. 1 2

Cæterùm apud noſtros licèt ex Toletana *l.*17.*tit.*3.*lib.*7.*nouæ recollect.* ad eiuſmodi officium viginti anni completi deſiderarentur, *lege* tamen 16.eiuſdem tituli hoc fuit certis de cauſis immutatum, & ad annos octodecim elapſos Apparitoris, ſiue Alguaceli ætas reducta, vt ex verbis ipſius ſatis liquidò commonſtratur. 3

SVMMARIVM.

ANnum decimumoctauum legitimã ætatem eſſe procuratoris ad iudicia putant multi. 1. & ſeqq.
Minor vbi procurator admittitur, non poteſt de rato promittere. 3.
Minorem viginti & quinque annis non poſſe ad iudicia procuratorem conſtitui, communis docet. 4. & 16.
Minori procuratori, & ipſius fideiuſſoribus datur reſtitutio. 5.
Ætas viginti & quinque annorum legitima appellatur. 6.
Bonifacij Octaui *nullus error deprehenditur in compilatione ſexti libri Decretalium. 7.*
Minorem conſenſu partium, vel exceptione non repulſum poſſe in iudicio procuratorem eſſe, multi docent. 8.
Contrarium vt probabilius recipitur. 16.
Si à principio litis procuratori exceptio minoritatis non obijciatur, ex poſtfacto minimè obijci poterit. 9. & ſeqq. ſed contrarium eſt verius. 15.
Minor procurator, de cuius mandato conſtat, non reſtituitur. 11.
Verius eſt, etiam non repulſum minorem procuratorem eſſe non poſſe, & proceſſum cum ipſo agnitum, nullius eſſe momenti. 12.
Verbum Nequeo *includit omnem potentiam, ſiue iuris, ſiue facti. 13.*
Vbi certa ætas requiritur, actus ante illam ætatem factus nullius eſt roboris. 14.
Inſtitor, qui etiam minoris ætatis eſſe poteſt, circa negotia ſuæ adminiſtrationis ante quintum & viceſimum annum in iudicio vt procurator eſſe non poterit. ibid.
Minor poteſt vt defenſor abſentis ad allegandas cauſas abſentiæ in iudicio comparere, nõ verò vt vel ipſius nomine actionem intendat, vel excipiatur. 17.
In cauſis beneficialibus, & momentaneæ poſſeſſionis, minor procurtor apud acta eſſe non poterit. 18.
In remedio retinendæ ordinario minor vt procurator non admittitur. 19.
Minor iurans ſe nullius iudicialis actus reſtitutionem poſtulaturum, eſt legitimus procurator. 20.
Minor cum iuramento eſt legitimus procurator, ſi fuerit ab aduerſario admiſſus, ſecus ſi recuſetur. 21.
Minor & fœmina coram arbitro procuratorio munere fungi poſſunt. 22.

QVÆSTIO XLVII.

De ætate procuratoris ad iudicia?

HVius diſquiſitionis expoſitio impeditior eſt, quàm vt facilè quis ſe inde extricare poſſit: adeò enim penè innumeris ac diuerſis Gloſſographorum ſententijs implicatur. Nonnulli ad litem procuratorum ſtatunt eſſe poſſe eum, qui ætatis annum decimumoctauum attigerit, illo Vlpiani reſponſo innixi in *l. minor. 51. ff. de procurat.* vbi minori viginti & quinque annis alium iudicio defendenti, & circunſcripto reſtitutio indulgetur. Nimirum quia rectè comparuit, & iudicatum ſolui cautione, vel ſtipulatione fuit obligatus: quod etiam probari contendunt ex Iuſtiniani Imperatoris deciſione *in §. eadem, verſic. final. inſtit. quibus ex cauſis manumit. non poſſ.* Quam omninò de procuratore ad lites accipiendam eo teſtantur, quia de ſeruo manumittendo agitur, vt procurator fiat, quæ vix manumittendi cauſa eſſe poterat, ſi de procuratore rei familiaris, vel ad negotia loqueretur: cùm vt alibi docuimus, cuiuſcumque ætatis, etiam ſeruus, huic muneri deputari poſſit: ad iudicia verò niſi liber, & legitimæ ætatis, ideſt ſeptem & decem annorum inutiliter cõſtitueretur: quemadmodum interpretandam *l. exigendi. 12. C. de procurator.* cenſent, vbi legitimæ ætatis hominem ad litium defenſionem exoptat. Deinde quia eadem ætate quis aduocationis honore fungi poteſt, quod longè grauius, & altioris gradus eſt, *l. 1. §. initium depoſtulando. Nouella Valentiniani eodem titulo,* quibus hanc ſententiam toto nixu defendunt ex antiquioribus Iacob. de Arena, & Oldrad. vt refert Bartol. *in dict. l. minor, & in dict. l. exigendi,* Maſuerius *in practic. titulo de procurator. num. 19.* Iacob. Cuiacius *obſeruat. iuris lib. 22. & ad titulum de diuer. & tempor. præſcript. cap. 29. & lib. 11. Pauli ad edictum in l. cum mandato. 23. de minoribus,* Hugo Donel. *commentar. lib. 18. c. 3.* Hotoman. *in §. 5. inſtitut. quibus ex cauſ. manumit. nõ licet,* Hieron. Treuler. *diſput. ſelect. part. 1. diſput. 9. theſi. 5.* Iulius Patius *legum concil. centur. 2. quæſt. 16.* Euer. Bronchor. *in aſſertione 35. centur. 1.* Buſ. *6. ſubtilit. 6.* Giphanius *in dict. l. minor. 51. de procurator. n. 11.* Rulan. *de commiſſ. part. 1. lib. 4. cap. 13. num. 13.* & eam tenere videtur Octauian. Simoncellus *tractat. de decretis lib. 2. tit. 6. inſpect. 9. num. 91.* dum ex Speculatore *lib. 1. partit. 2. titulo de actore in principio num. 10.*

ſin-

ſingulariter reſoluit minores in iudicio procuratoris officium exercentes non poſſe alterius nomine agentes de rato promittere.

4 Oppoſitam ſententiam videlicet minorem 25. annis litem in iudicio alterius nomine, ſiue intendere, ſiue excipere non poſſe, Scribentium communis ſchola tuetur. Primò, quia ante illam ætatem minores, etiam in propria cauſa legitimam perſonam non habent conſiſtendi in iudicio, *l.2.C.qui legit. perſon. ſtand. in iudic. hab. l. neque tutores.* 11. *C. de procuratoribus*, notat ex pluribus Gailius *obſeruat. lib.2. obſeruat.* 108. *num.* 1. & nos latè probauimus. Igitur nec alterius defenſioni s cauſa intercedere poterit. Cui enim ferendum eſt eundem abſentis eſſe procuratorem, & alterius procuratoris ſolicitudine in propria lite indigere? innuit *l. nemo.* 5. *C. de legit. tutel.*

5 Secundò vrget conſideratio eiuſdem *l. minor.* 51. *de procurat.* vbi minor viginti & quinque annis ſi defenſor exiſtat, defenſor idoneus non eſt, quia ob lubricum ætatis & ipſi, & fideiuſſoribus eius per in integrum reſtitutionem ſuccurritur.

6 Tertiò accedit autoritas *d. l. exigendi* 12. *C. de procurat.* in cuius ſerie filius, qui ſe paternæ defenſioni obtulerat, ob hoc quidem à procurationis officio rectè depellitur, quod nec dum legitimam ætatem compleuerat. Ergo cùm illa tantùm legitimæ ætatis nomen mereatur, quæ quintum & viceſimum annum exceſſit, *l. vltim. C. de his qui ven. ætat. impetrau.* notat in propoſito Accurſius *in dict. l. exigendi*, cuius ſuprà *hoc anno* 17. *q.* 1. *à num.* 17. plura tradidimus, conſequens eſt, huiuſmodi annorum numerum in iudicio procuranti conuenientem, aut neceſſarium eſſe.

Succurrit quartò S.P. Bonifacij VIII. reſponſum *in cap. qui generaliter.* 5. *§. licet, de procurat. lib.* 6. *Licèt autem*, inquit, *quis poſt. 17. annum procurator ad negotia licite deputetur, ad iudicia tamen niſi maior 25. annis fuerit, deputari nequibit*, cui ex amuſſim adſtipulatur Hiſpanicum noſtrum ius in *l.* 19. *tit.* 5. *part.* 3. *ad calcem*, in illis verbis: *E aun dezimos, que los perſoneros que ſon dados para recaudar coſas fuera de juizio, que cumple que ſean de edad de diez y ſiete años. Como quier que los otros que ſon pueſtos para demandar, ò reſponder en juizio, deuen de ſer alomenos de edad de veinte y cinco años*: & *lex* 9. *tit.* 10. *lib.* 1. *fori.* Igitur cùm ita expreſſe ætas viginti & quinque annorum in procuratore ad iudicia à legibus ſit præſcripta, niſi à reſupino nimis & hebetis ingenij cauillari hæc opinio non poterit: quare nec demirari deſinam totius iuris peritiſſimum Iacobum Cuiacium *dict. loco* ita propriæ ſententiæ amore flagraſſe, vt nec veritus fuerit eius propugnandæ cauſa ſummo Eccleſiæ literatiſsimo Antiſtiti Bonifacio VIII. inſcitiæ, & parum verſati terriſsimam notam inurere, probroſum quippe tanto viro facinus, maximè cùm ita ſexti libri Decretalium compilationem edidiſſe Ioannes Lecirier *tractat. de iure primogen. lib.* 1. *quæſt.* 25. *verſic. Octauo*, teſtetur, vt nullius in eo error inueniatur.

Huic opinioni, quaſi certiori omnes calculum addiderunt, ex vetuſtioris Iuriſprudentiæ Patribus Accurſ. *in dict. l. minor. & in dict. l. exigendi*, Bartol. *ibidem num.* 9. Placent. *in ſumma Codic. lib.* 2. *tit.* 13. Angel. *in dict. l. minor num.* 2. Iaſon *in rubric. C. de procurat. num.* 5. Bertachinus *in repertor. verbo minor procurator*, Hoſtienſ. *in ſumma tit. de procurat. §. quis dari in princip.* Ex recentioribus Vantius *de nullitat ex defectu inhabil. ſeu mandat. num.* 133. Lancellot. *inſtit. Canonic. lib.* 3. *tit. de procurat. § poteſt autē*, Quintil. Mandoſ. *de ætati minori cap.* 5. *num.* 65. Ioan. Monach. *in defenſ. iuris tit.* 5. *num.* 12. Petr. Gregor. *ſyntagm lib* 49 *c.* 4. *n.* 11. Didac. Couarru. *in c. tua n.* 4. *de teſtam.* Montal. *in l.* 9. *tit.* 10. *lib.* 1. *fori*, Caſſaneus *in conſuetudin. Burgundiæ rubric.* 4. *§.* 5. *n.* 40. Franc. Pollet. *hiſtor. fori Roman. lib.* 2. *c.* 7. vbi Broidæus *in corol. n.* 3. Cardin. Tuſch. *practic. concluſ. lit. P. concl.* 810. *n.* 2. Caldas *in l. ſi curatorem verbo, hunc contractum n.* 36. *&* 39. Petr. Faber *in l.* 2. *de regul. iur.* ibidem Philip. Matthæus *n.* 26. *cum ſeqq.* Borrellus quā plurimos referens *in ſumma decision. tit.* 66. *de procurator. num.* 39. & deinceps, Moditius *dubit. iuris lib.* 2. *§. prudentum reſponſa dub.* 11. *num.* 17. Sicard. *in dict. l. exigendi n.* 19. Vveſemb. *in parat. titulo de procurat. num.* 4. Thom. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 41. *n.* 8. Anton. Faber *in Iuriſprud. Papin. tit.* 6. *princip.* 7. *illat.* 14. Lucarinus *de fiduciaria tutela c.* 6. *n.* 21. Gutierrez *de iurament. confirmat.* 3. *p. c.* 11. *n.* 1. Amator Rodericus *de modo & forma examin. proceſſ. c.* 3. *n.* 2. Anton. Gomez *in l.* 33. *Tauri in fine*, vbi communem affirmat, Rebellus *de obligat. iuſtit. lib.* 17. *q. vnic. num.* 11. Hieron. Bucaron. *de different. inter iudic. ciuil. & criminal. different.* 142. *num.* 28. *cum ſequentibus*, Ioan. Maria Nouarius *in collectan. deciſ. in pragmat. Regni Neapolitan. collectan.* 116. *num.* 10. Didacus de Cuellar *tractat. de manumiſ. part.* 2. *num.* 72. Ludolphus Scraderus *in ſelectiſſimis iuris quæſt. tom.* 1. *tit.* 6. *num.* 6. & nouiſſimè Ludouic. Poſtius *tractat. de manutent. obſeruat.* 67. *num.* 3. 7

8 Sunt etiam qui mediam viam amplectētes ita demum minoribus viginti & quinque annorū in iudicio procuratorio nomine experiri permiſſum obteſtentur, ſi vel ab aduerſario admittantur, vel negligenter exceptione non arceantur. Quo caſu nec acta de nullitate accuſari poſſe, nec eluſorium iudicium reddi tenuerunt Ioan. Andr. *in dict. cap. qui generaliter, §. fin. & in cap. non iniuſte, de procurat. lib. 6.* quem ſequitur Ægidius Bellamer. *titulo de procurator. deciſ.* 143. cui ſubſcripſerūt Simon de Regno, Robert. de Straton, Gulardus de Noua Eccleſia Auditores Rotæ Romanæ, nouiſsimè Oſuald. *lib. 18. Donelli cap. 3. litera F.* mouenturque autoritate *dict. l. exigendi. 12. C. de procurator.* vbi Imperatores eo Fotonem increpant, quòd nec dum legitimæ ætatis filium à procuratoris officio licèt iuſtè depuliſſet, cùm multò iuſtius fuiſſet huiuſmodi defenſorem audire, quàm abſentem quaſi contumacem & indefenſum, graui condemnatione afficere: ergo niſi minor exceptione dimoueatur, in iudicio comparere, abſentemque defendere poterit.

9 Cæterùm, quia prohibitus procuratoris officium exercere, niſi re integra de impedimento obijciatur, cum eo tanquam cum legitimo procuratore lis terminanda erit, nec exceptioni poſteà cauſa iam conteſtata locus patebit *l. ita demum. 13. C. de procurat.* & probatur, quia fœmina iure ciuili à procuratione arcetur, *l. neque fœmina, ff. eodem titulo,* & tamen acta cum ea vim obtinebunt, ſi non fuerit à parte de impedimento oppoſitum, vt *in dict. l. ita demum* obſeruauit Gloſſa, & notarunt plerique, quos refert Bellamera *dicto loco.* Quare cùm nulla diuerſitatis ratio inter minoris & fœminæ prohibitionem aſſignari poſsit, ſequitur quòd quemadmodum iſta niſi exceptione repellatur, procuratrix eſſe permittitur: ità & ille non depulſus vt procurator in iudicio litem proſequi valebit.

10 Rurſus ideò minorem idoneum procuratorem eſſe Vlpianus negauit in *dict. l. minor 51. de procurator.* ne pars aduerſa reſtitutionis incommoda pateretur, cùm ipſi, & fideiuſſoribus eius per in integrum reſtitutionem ſuccurratur. Sed hæc ratio ceſſat quoties per illum ſtetit quominus exceptione minor ab officio detruderetur: igitur iuri pro ſe introducto tacitè renūtiaſſe videtur, quod iura patiuntur, *l. penultim.* cum ſimilibus, *C. de pactis*, ac per conſequens, non oppoſita exceptione, nil minori obſiſtet, vt tanquam procurator in iudicio litem experiri poſsit.

11 Deinde, quia hoc reſtitutionis periculum deficit in procuratore ad iudicia, de cuius mandato conſtat, quo caſu nō reſtituitur minor, cùm imputare ſibi debeat, qui talem procuratorem elegit, cuius fragilitate aut inſcitia litem perdidit, *l. cum mandato, ff. de minorib.* Igitur non oppoſita exceptione minoris ætatis nulla ratio ſuadet minorem à procuratione arcendum.

Verùm hanc opinionem meritò reproba- 12
runt Vantius *de nullitate ſententiæ ex defectu inhabilitatis, ſeu mandati numero* 133. Zang. *de exceptio. part. 2. cap. 8. num. 24.* & latiſsimè alios referens Alexand. Trentacinq. *dict. lib. 2. practicar. reſolut. titulo de procurat. reſolut. 3. num. 36.* Tum quia cùm quis neque per ſe, neque per alium comparere in iudicio non poteſt, etiamſi de nullitate, vel defectu non excipiatur, iudicium eſt irritum, Bartol. *in l. filiusfamilias, § veterani, ff. de procurator.* argument. *l. 2. ff. de procurat.* Sed minor pro ſe in iudicio eſſe non poteſt abſque curatore, *l. clarum, C. de autoritate præſtanda, cap. ſi annum, de iudic. lib. 6.* nec pro alio, *dict. l. exigendi, & dict. l. minor.* ergo etiamſi non opponatur, proceſſus cum eo geſtus nullius effectus erit.

Tum etiam, quia text. *in dict. cap. qui ge-* 13
neraliter, §. fin. vbi dicitur, quòd minor procurator conſtitui non poteſt, vtitur verbo illo *nequibit deputari,* cuius illa vis eſt, vt includat omnem potentiam, ſiue iuris, ſiue facti, Ioan. Andreas *in cap. cùm plures de offic. delegat. in 6.* ergo etiamſi non repellatur mi-
nor, ad agendum inhabilis cenſebitur. Eſt ita- 14
que tertia ratio, nam quotieſcumque ad aliquem actum certam ætatem iura expoſcunt, actus ante prædictam ætatem operatus nullius eſt valoris, *cap. literas 4. cap. acceſſit 5. de deſponſat. impuber. cap. 1. in princip. de regularib. lib. 6.* Sed procuratoris ætas à lege determinatur, vt *ex dict. cap. qui generaliter* pa-
tet: igitur ante illam, etiam lite iam conte- 15
ſtata, etſi non excipiatur, minor vtiliter procurator eſſe nō poterit: maximè quia in quacumque litis parte ætatis exceptio opponi poteſt, Bartol. *in dict. l. minor,* Salicetus & Fulgoſius *in dict. l. ita demum,* Alexand. Iaſon, & Paulus de Caſtro *in dict. l. exigendi,* Alex. Trentacinq. *dict. loco num. 36.*

In hac opinionum diuerſitate quid ſecurè 16
amplectendum ſit, nōn facile fuerit definiſſe: fatendum tamen erit ſecūdam opinionem & iure & ratione longè probabiliorem videri, cùm ita expreſsè ætatem viginti & quinque annorum leges deſiderent, vt vix poſsit tergiuerſationi eſſe locus. Quare huius ætatis minorem prorſus ab officio repellendum affirmo, nō ſolùm iure communi, verùm & noſtro

Regio

Regio inſpecto: cuius definitionis vis adeò protenditur, vt inſtitor, ſiue ad negotia deputatus procurator, qui cuiuſcumque ætatis eſſe poteſt, etiam in negotijs, ad quæ conſtitutus eſt, in iudicio, ſi minor 25. annis fuerit, experiri non poſſit. Ita Ægidius Bellamera *dict. deciſ. 143. in principio*, Montaluus alios allegans *in l. 9. tit. 10. lib. 1. fori litera A.* quemadmodum neque perſonam habere ſtandi in iudicio nomine alterius, etſi aduerſa pars modò non contradiceret, verùm & aſſenſum præſtaret, argumento eorum, quæ ſuprâ tradidimus, obſeruauit Rota *deciſ. 37. de procurat.* aliàs 800. *in antiquis*.

17 Et procedit prædicta reſolutio, non ſolùm in procuratore, verûm & indefenſore, qui abſque mandato abſentem, vel impeditum in iudicio defendit, dummodò actionem nomine illius vel intendat, vel excipiatur, *dict. l. minor. 51. ff. de procurator.* docet Caſſaneus *in conſuetudin. Burgund. rubric. 3. num. 42.* Donell. *lib. 18. commentar. cap. 11. ad finem*, Anton. Faber, *ibidem*, Philip. Matthæus *in d. l. 2. §. 1. n. 29.* Iulius Pacius *legum conciliat. centur. 2. q. 16.* Nam ſi tantum in iudicio cóparet, vt abſentiæ, infirmatis, vel alterius impedimenti cauſas exponat, etiam minor viginti & quinque annorum idoneus defenſor eſt, quemadmodum & fœmina, Bartolus *in l. penult. §. ad crimen num. 17. ff. de publ. iudicijs*, Odofred. *in dict. l. minor.* Hieron. Bucar. *de different. differ. 145. n. 7.*

18 Quod non ita generale eſt, quin nonnullis in caſibus huius ætatis minores in procuratores eligi, & iudicio comparere ſit permiſſum, vt in cauſis beneficialibus; & momentaneæ poſſeſſionis notat Philippus Francus *in dict. cap. generaliter, §. fin.* quem ſequitur Puteus *deciſ. 155. num. 2. lib. 1.* Nicolaus Boer. *deciſ. 350. num. 4.* Cæſar Contard. *in l. vnic. limitation. 8. num. 21. C. ſi de moment. poſſeſ.* Ferrerius ad Guid. Papæ *deciſ. 35.* Borrel. *in ſumma deciſ. dict. titulo de procurat. num. 46.* Alexand. Trentacinq. *vbi proximè num. 40.* qui pupillum affirmat pubertati proximum hoc caſu legitimam perſonam habere ſtandi
19 in iudicio. Idem de momentanea poſſeſſione loquens tenet nouiſſimè Ludou. Poſtius *dict. tractat. de manuten. obſeruat. 67. à num. 1.* vbi id ſingulare notat, quamuis in remedio retinendæ ordinario nequaquam minor vt procurator admittatur, ex Menoch. *de retinend. remedio 3. num. 452.*

20 Deinde ſuperius prolatum locum habere non poterit, vbi minor iuraſſet ſe nullius iudicialis actus occaſione reſtitutionem poſtulaturum: nam illa iuramenti vis eſt, vt quem nondum legitimam ætatem expleuit, ætatis legitimæ, & neceſſariæ efficiat, *authentic. ſacrament. pubert.* vbi Bartol. *C. ſi aduerſ. vendit.* & *in l. minor. C. de procurat.* Speculator *titulo de actore, §. 1. verſic. Quod ſi minor*, Iaſon *in dict. authent. ſacrament. pubert.* Alexand. *in dict. l. exigendi*, Guidon Papę *quæſt. 35. & 494.* Boherius *deciſ. 92.* quòd dupliciter declarauit Trentacinq. *num. 38.* Primò, ſi iuramentum in futurum conciperetur, nam ſi in præſens, vel præteritum, illo non obſtante in integrum reſtitutio competeret, vt ſi confeſſus eſt poſſeſſionem cum iuramento eſſe veram, Bartol. *conſil. 101.* incipient. *Girald. num. 10.* Angel. *in l. 1. ff. ſi quis in ius vocatus*, Felinus *in cap. P. & G. de officio delegati.* Secundò, ſi iuramento præſtito minor 21
fuiſſet admiſſus, nam ſi ab aduerſario recuſaretur, nec iuramentum illum ad litem habilitare poterit, vt ex Bartolo & Baldo *ibidem* docet prædictus Autor. Cæterùm coram ar- 22
bitratore minor, quemadmodum & mulier, procurare poteſt, ea, nimirùm ratione, quia propriè non eſt iudex, neque exceptiones audit declinatorias. Ita Baldus *in cap. ſi pro debilitate, n. 12. de officio delegati*, Marcus Mantuan. *in gloſſario claſſe 2. cap. 13. num. 3.* Et demùm alijs caſibus minor in iudicio procurator admittitur, de quibus ſatis per Innocentium *in cap. ex parte de reſtitut. ſpoliat.* Vantius *vbi ſupra n. 35.* Trentacinq. *d. loco.*

SVMMARIVM.

Syndicus maior quinque & viginti annorum eſſe debet. 1.

Syndicus quare ita appelletur? ibid.

Procuratoris & ſyndici officium, penè idem eſt. 2.

Syndicus ad denuntianda maleficia deputatus, viginti & quinque annorum eſſe debet. 3.

Mulier ſyndicatus officium, ſaltim inter fœminas, exercere poteſt, & quare? 4.

Eadem ætas requiritur in nominato, quæ in nominante deſideratur. 5.

Pupillus nō habet vocem in electione ſyndici. 6

QVÆSTIO XLVIII.

De ætate ad ſyndicatus officium?

Syndicus à Collegio, Vniuerſitate, vel alio corpore, ſiue vt actor, vel defenſor conſtitutus *l. 1. l. vltim. §. defenſores, ff. de munerib. & honor.* ſiue ad maleficia denuntiāda deputatus (id enim ipſius nominis ſignificatio euincit, ſyndicus itaque ſic appellatur, quaſi ſingulorum cauſas dicens, *cap. 1. extra*

de ſyndic. Gloſ. *in l.* 1. §. *quibus autem, verbo ſyndicum, ff. quod cuiuſque vniuerſit. nomine,* tradit Nicolaus Loſeus *de iure vniuerſit. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 40.) vtroque caſu niſi maior viginti & quinque annorum eligi optima ex cauſa prohibetur. Nam cûm ad ciuitatis defenſionem, & vt illam in iudicio tueatur, ſit creatus, qui ſeipſum, nec alium procuratorio nomine defendere poteſt, vix vniuerſitatis
2 defenſioni ſufficiet. Maximè cùm procuratoris, & ſyndici officium tanta ſimilitudine cohæreant, vt penè idem ſint, *l. item* 6. §. *actor. ff. quod cuiuſcumque vniuerſitatis nom.* notat Nicolaus Loſeus *vbi ſupra num.* 44. Hieron. Bucaron. *de different. inter iudic. ciuil. & criminal. different.* 142. *num.* 30. Minor enim, vt iamiam alibi probauimus, in publicum prodire, & ſuo vel alterius nomine vetatur: igitur ſyndicatus officium minimè exercere poterit.

3 Si verò ad denuntiandum maleficia deſignetur, non ſufficere inquit Baldus *in l. exigendi num.* 3. *C. de procurat.* ſi decimumſeptimum annum exceſſerit, niſi & viginti & quinque maior exiſtat, ſubſcribunt Dinus *in l. de pupillo, ff. de operis noui nunt.* idem Bald. *in l.* 1. *num.* 2. *C. in quibus cauſis in integrum reſtitut. non eſt neceſſaria,* Speculator *de ſyndico, verſic. Sed cui,* Bertachinus vbi mendosè legitur, *verbo minor procurator, verſic.* 3. *fol. mihi* 168. Hieron. Bucaron. *dict. tractatu different.* 142. *num.* 30. ſubdit enim Baldus rationem, etiam ſuperiori dubio accommodatiſſimam, quia iſti ſyndici debent intereſſe iudicio, & ſuas denuntiationes proſequi, *l. ab accuſatione* 6. §. *nuntiatores, ff. ad Senatuſcon ſult. Turpilian.* notat ibidem Gloſſa *verbo nuntiatores,* aliamque nec minus validiorem inſinuat *in l. de pupillo num.* 3. *ff. de operis noui nuntiat.* vbi tenendum menti bis præcipit, minores viginti & quinque annorum ſyndicos ciuitatum eligi non poſſe, nimirum quia minores ad publica officia admitti prohibentur, in quibus poteſt damnum emergere, quemadmodum in ſyndico euenire poteſt, ſi huius muneris pericula & onera, quæ congerit Bucaronius *dict. loco num.* 31. *& ſeqq.* attentè perſcrutentur.

4 Nec refragatur, quòd quemadmodum mulierum fragilitati, & indiſcreto iudicio permittitur munus ſyndicatus agnoſcere teſte Ioanne de Platea, & Luca de Penna *in l.* 1. *num.* 2. *C. de mulieribus in quo loco, &c. lib.* 10. Bucaron. *dict. different.* 142. *num.* 32. *ad finem,* ita ſimiliter & minoribus, quorum eadem mentis infirmitas & conſilij eſt, vt ex Corneo, & Imola tradit Socinus Iunior *conſil.* 50. *num.* 4. *lib.* 3. Sforc. Oddus *de reſtitut. in integrum quæſt.* 1. *num.* 32. eodem munere fungi meritò indulgendum erat: quia hæc difficultas facilè ſubuertetur, ſi inſpiciatur mulieribus (legitimam ſcilicet eandem 25. annorum ætatem excedentibus) tantū ſyndicatus officium eo conceſſum eſſe, vt inter eiuſdem generis fœminas crimina admiſſa denuntient, & hoc quippe fauore reipublicæ, ne mulierum abditiſſima, & in oculto ſæpiùs patrata delicta, viriſque incognita, impunitate ingraueſcant: cùm vix credibile ſit, vel hæc ab ipſis mulieribus ignorari, vel quod certius eſt, cognita ab ipſis taceri poſſe.

Et conducit ſuperiori prolato, quòd ferè 5 ſemper eadem ætas in conſtituto, quæ & in conſtituente deſideratur, maximè vbi de nominando, ſiue eligendo procuratore ad iudicia contenditur, vt ex Tuſcho & alijs ſuo loco meminimus. Sed vt Decuriones ciuitatis ſyndicum creare poſſint, neceſſariò vnuſquiſque viginti & quinque annorum eſſe debet, ex doctrina Speculatoris *titulo de ſyndico,* §. 1. *colum.* 2. *verſic. Sed cuius ætatis,* quam ſequitur Ioan. Andr. *in dict. l. de pupillo,* vbi communiter omnes, præcipuè Baldus & Bar- 6 tolus, qui expreſsè fatentur pupillum non habere vocem in concilio, in electione, vel in conſtitutione ſyndici. Idem probat Caldas Pereira *in l. ſi curatorem verbo hunc contractum num.* 41. *verſic. Et propterea, C. de in integrum reſtitut. minor.* Igitur ſyndicus minoris ætatis quàm viginti & quinque annorum ab ordine Decurionum deputari nequaquam valebit.

SVMMARIVM.

Minor annis viginti & quinque procuratorem ad iudicia conſtituere nequit. 1.

Procurator ad reſignandum non niſi à maiore poteſt nominari. 2.

His omnibus caſibus poteſt minor iā pubes procuratorem conſtituere, in quibus eſſendi in iudicio perſonam habet. 3. *&* 13.

Licèt minor fuerit ſuper ætate diſpenſatus, tamen procuratorem conſtituere nequit. ibid.

Si dato inutiliter procuratore à minore, ſententia fuerit in ipſius fauorem, ſiue in totū, ſiue pro parte lata, ſaltim pro parte vtili conſiſtet ſententia. 4.

Minor etiam pupillus, cum tutore vel curatore optimè procuratorem conſtituit. 5.

Tutor ſolus, vel curator ſine pupillo, aut minore non dat procuratorem. ibid.

Nominatio tutoris, vel curatoris ſimul, cum ipſius mandato, in cauſis minorum exhiberi debet. 6.

Pro-

Procurator à minore debitè conſtitutus, an finita tutela, vel cura reuocatus cenſeatur? 7.
L. ſi quis mancipijs 17. §. *ſi impubes, ff. de inſtitor. actione, explicatur.* 8.
Actio non niſi certis de cauſis in iure expreſſis euaneſcit. 9.
Ratio aſſignatur, quare minoribus nominatio procuratoris interdicatur. 10.
Nominatio procuratoris ad negotia minori iã puberi iure competit. 11.
In cauſis poſſeſſorijs, dummodò ſimul de proprietate non agatur, minor procuratorem nominare poteſt. 12.
Si in procuratoris nominatione minor ſe maiorem dixerit, aut iuramentum appoſuerit, valet nominatio. 13.
Procurator cum autoritate à minore datus, poteſt abſque noua ſolemnitate pro minore cauere. 14.

QVÆSTIO XLIX.

Vt procuratorem quis conſtituere poſſit?

1 CVm enim minor ſuo ipſe nomine in iudicio experiri nequeat, vt proprio loco pluribus adſtruximus, nec liti ſuæ ſolum procuratorem conſtituere poſſe, apud Scribentes communiter inualuit, *l. neque* 11. §. *pupillus, l. non eo minus* 14. *C. de procurator. l.* 3. *tit.* 5. *part.* 3. *l.* 9. ſic interpretanda *tit.* 10. *lib.* 1. *fori,* notant Gloſſographi vbique, Marcus Mantua *in æquilibrio ad l. non eo minus,* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori quæſt.* 9. *per totam,* Petr. Gregorius *ſyntagmat. lib.* 49. *cap.* 4. *num.* 4. *& ſequentibus,* Cardinal. Tuſchus *practicarum concluſ. iuris litera M. concluſ.* 261. Petr. Anton. Anguiſola *lib.* 3. *conſil.* 32. *num.* 3. Seraphinus *deciſ.* 1259. *num.* 2. Monach. *in practica iudic. p.* 6. *cap.* 3. *num.* 6. Oſuald. *lib.* 18. *Donelli cap.* 12. *litera V.* Leonard. Galganet. *de iure publico lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 20. Maceratenſis *lib.* 1. *reſolut.* 96. *num.* 3. vbi ex pluribus hac ętate minorem ad reſignandum procuratorem
2 conſtituere non poſſe defendit, præterquàm in caſibus, quibus ſine tutore vel curatore legitimam habet perſonam ſtandi in iudicio, vt cùm relatis obſeruarunt Palacius Rubeus *in cap. per veſtras.* §. 28. *num.* 5. *ad calcem,* ſicque erit accipiendus Borrellus *in ſumma de-*
3 *ciſ. tit.* 66. *de procurator. num.* 29. Vtputa in cauſis beneficialibus, ſpiritualibus, necnon & dependentibus ab eiſdem, *cap. ſi annum,* vbi frequenter omnes *de iudicijs lib.* 6. quemadmodum & in controuerſijs decimarum, fructuum beneficiorum, ſuper dote, & in cauſa matrimoniali, in quibus omnibus minor 25. annorum, maior tamen 14. poteſt per ſe in iudicio agere, vel conuenire. Ita Ioannes à Montealegre *lib.* 1. *prax. ciuilis cap.* 5. *num.* 12. *vſque ad* 16. & probant omnes ſupra relati; dummodo pubertate inquam nõ ſit minor. Nam ſi decimumquartum annum non attigerit, etiamſi fuerit ſuper ætate diſpenſatus, ſine decreto ad iudicia procuratorem cõſtituere non poterit, Ferretus *conſil.* 282. *n.* 1. *volum.* 2. Si verò in alijs procuratorem de- 4
derit, & ſententia in eius fauorem ſit lata, non ideò quòd dari non potuit procurator, qui nõ eſt reiectus, inualida erit, *d. l. non eo minus.* Nam minoribus ætas in damnis ſubuenire, non in rebus proſperè geſtis obeſſe conſueuit. Cæterùm ſi pars ſententię pro minore, pars contra eum, vt fieri poteſt, ſit prõnunciata, illam ex parte vtili ſuſtinendam monet Sicardus *ex dict. l non eo minus, num.* 1. & refert Oſualdus *vbi proximè.*

Pupillus enim, vel pupilla, adultus, adulta, 5
vel tutore vel curatore interueniente, procuratorem conſtituere poſſunt; *dict. l. neque,* §. *pupillus, & dict. l. non eo minus, C. de procurator. dict. l.* 3. *part.* ſcripſerũt latè Ioannes Gutierrez *de tutel.* & Leonard. Galganet. *eodem tractatu lib.* 2. *tit.* 16. *per totum.* Tutores verò, ſeu curatores ex ſua perſona in rem pupilli, vel adoleſcentis procuratorem ordinare non poſſunt, ſed actorem duntaxat conſtituere, *dict. l. neque tutores, in principio, & l.* 3. *ſupra tit.* 5. *part.* 3. nam pupilli aſſenſus neceſſariò ſimul cum tutoris autoritate interuenire debet, vt pro lite ipſius, vel adulti procurator detur. Neque enim vt anteâ iudicis de- 6
cretum ſpectandum erit, *l. vnic. C. de actore ſeu curatore dando,* cùm illud vti ſuperfluum leges noſtri Regni contempſerint, *dict. l.* 3. *tit.* 5. *& l.* 96. *tit.* 18. *part.* 3. notat Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap.* 20. *num.* 38. erit tamen illud neceſſariò à tutore obſeruãdum, vt cum mandato ſimul documentum exhibeat legitimè dati, vel conſtituti tutoris. Ita Gail *lib.* 2. *obſeruat.* 107. *n.* 1. Vveſembec. *conſ.* 35. *num.* 2. Zang. *de except. p.* 2. *cap.* 8. *num.* 13. Vulteius *ad titulum de his per quos agere num.* 12. Oſuald. *ad Donellum dict. lib.* 18. *cap.* 12. *litera T.* Perez de Lara *vbi proximè.*

Vtrùm autem procurator ab impubere 7
accedente tutore conſtitutus, finita tutela perduret? quæſtionis eſſe puto. Sicardus *in d. l. neque* 11. *num.* 6. & Oſualdus id prorſus negant, contrarium Perez de Lara defendit illo Iureconſulti reſponſo munitus *in l. ſi quis mãcipijs* 17. §. *ſi impubes, ff. de inſtitor. action.* vbi

Gloſ.marginalis ex Bart.&Bald.illud notat, ſed vbi procurator cõteſtatione effectus litis dominus non reperitur, Sichardi potius mihi ſententia arridet, ex vulgari iuris traditione, qua cauetur, mandatum reintegra mandantis morte finiri, *§.rectè, cum ſimilibus, inſtitut.de mandat.* Tum etiam, quia prædictus *§.ſi impubes* loquitur in mercis inſtitore, in quo propter vtilitatem promiſcui vſus, ideſt liberioris commercij, ſingulariter receptum eſt, vt ſi quis iuſta mortis domini ignorantia ductus cum eo contraxerit, obſtrictum ſibi pupillum

8 reddat. Nec obſtat *dict.l.* ratio illis verbis: *Non enim imputandum eſt ei, qui ſciens dominum deceſſiſſe, cum inſtitore exercente mercem contrahat*: nam vt meritò excogitauit Anton. Faber *lib.2.coniectur. cap.11.* ipſe rationis ordo expoſcit, vt loco illius verbi, *Sciens*, neſciens ſupponatur: alioquin eamet ſcientia mortis domini imputari ei debebat, qui ſciē-

9 ter cum inſtitore cõtraxit. Et prædictæ Laræ opinioni minùs proficit exemplum *l.prætor ait 4.verſic. Etiam is, ff.de edendo,* vbi actio de edendo in officio quæſita finito eo durat. Id enim ex eo nimirum prouenit, quia ſemel acquiſita actio, niſi certis & legitimis modis non expirat, *l.euicta re 16.§.ſi ſeruus, l.habere licere 57.in fine, de euictìon. l.ait prætor 3.de iureiurando.* Vnde cùm legibus minimè ſit diſpoſitum, vt actiones ex argentariæ, vel alterius officij adminiſtratione prouenientes, ipſa officij depoſitione euaneſcant, vti mandatum morte mandantis ſpirare ſtabilitum extat, rectè & eo finito durabunt, & exerceri actiones poterunt.

10 Sed vt ad id, in quo verſabamur, regreſſum faciamus: minor ergo viginti & quinque annorum ſine tutoris vel curatoris autoritate procuratorem ad lites in iudicio proſequendas ordinare omnino prohibetur: ea quippe ratione, quòd abſurdum fuiſſet in eligendo procuratore firmum videri iudicium minoris, cuius in omnibus rebus vt lubricum, & imbecillum tutore vel curatore autore regitur. Nec reſiſtit Iuriſconſulti reſponſum in *l. ſi collactaneus, ff.de manumiſſ. vindicta, §. eadem, inſtitut. quibus ex cauſis manumittere non licet,* vbi puberi ſeruum decimumſeptimum annum iam agentem, octauoque decimo conſtitutum, procuratoris habendi cauſa manumittere fas eſt, ſiquidem, vt fuſiùs cùm de

11 procuratore ad negotia fuit ſermo, tradidimus, vterque locus de inſtitore, ſiue de procuratore rei familiaris conſtituendo agit, cuius electio vel nominatio iam puberi, & à decimoquarto anno egreſſo, rectè permittitur: quemadmodum intelligendus erit text. aliâs difficilis, *in l.3.ff.rem ratam haberi,* vt *ibidem* expoſuit Iacob. Cuiac. *lib.22. reſponſor. Papin.* Nam ſi adhuc pupillus, & impubes ſit, nominandi procuratorem etiam ad negotia facultate carebit, exemplo eius, inquit Anton. Faber *in Iuriſprudent. Papinian. tit. 6. princip.7.illat.14.* quod ſcribit Conſultus *in l.ſi tutoris, final. ff.de manumiſſ. vind.* ſi tutoris habendi cauſa pupillus manumittat, probationis cauſam iuſtam non eſſe, ex ratione, cuius ſuprà meminimus, namque perabſurdum eſt, in eligendo tutore firmum videri eſſe iudicium pupilli, cuius in omnibus rebus vt infirmum iudicium tutore autore regitur; maximè, cùm non minùs firmum iudicium in eligendo procuratore, quàm in aſſignando tutore deſideretur.

Sed quamuis ſuperior reſolutio vehementer vera, atque indubitata ſit, nonnullis tamē caſibus deficit, & reſtringitur. Nam ſi de poſſeſſorio agatur, quemadmodum ad huiuſmodi litem experiendam nō ſolùm adultus, verùm & pupillus pubertati proximus legitimā habet perſonam ſtandi in iudicio, *l.1. C.ſi per vim, l.final. C. qui legitim. perſonam,* & alibi probauimus: ita & hoc caſu procuratorem cõſtituere poterit, dummodò ſimul cum poſſeſſorio, & proprietatis cauſa intentata non fuerit, vt ex *dict.l.fin. C.qui legit. perſonam,* alijs congeſtis reſoluit Alexand. Trentacinq. *variarum reſolut.lib.2. titulo de procurat.reſolut.3.num.40.* Cuius finitimū eſt, vbi in procuratoris conſtitutione minor ſe maiorem dixit, procuratorem perinde haberi, atque ſi maioribus annis fuiſſet nominatus ex Federic. Scot. reſolutione *reſponſ.19. n. 3. lib.4. volum.1.* Nec omittēdum erit, etiam nunc à pubere procuratorem cõſtitutum ſubſiſtere, quoties eius nominatio iuramenti religione firmatur, vt notat Quintilian. Mandoſ. *dict. quæſt.9.* & pluribus tradit Borrel. *dicto titulo de procuratorib. num. 53.* Ioan. Gutier. *de iurament. confirmat. p.3.c.11.n.3.* 12 13

Et tandem pro coronide rurſus monendum eſt, omnibus illis caſibus, quibus nondum vigeſimum annum agentibus comparendi in iudicio facultas elargitur, his omnibus, & nominandi procuratores poteſtatem eſſe conceſſam. At verò quibus nullatenus minoribus in iudicio comparere licet, conſtituendi ex ſua perſona, & abſque autoritate curatoris procuratorem ipſi poteſtatem non habent, etſi verum ſit poſſe iam legitimè ab 14 eo, cùm autoritate curatoris procuratore nominato, pro illo abſque noua illius autoritate canere, ex Alexand. in *l.de die, §.qui mulierem num.2. & ibidem* Angel. *ff. qui ſatiſdare,* quibus ſubſcribit Caldas Pereira *de emptione & vendit. cap.8. num. 10.*

SVM-

SVMMARIVM.

Ætas quæ ad actum requiritur, ad ipſius ratihabitionem eſt etiam neceſſaria. 1.

Maior ætas quinque & viginti annorum ad ratihabitionem deſideratur. 2.

Promittens minorem ratum habiturum, durante ipſius minori ætate conueniri non poteſt. 3.

Promittens minorem ratificaturum actum à procuratore geſtum, poſt ratificationem amplius non tenebitur, licèt minor poſteà actũ reſtitutione ſubuertat. 4.

Omnis ratibabitio à minore facta, poteſt in integrum reſtitutionis beneficio infirmari. 5.

QVÆSTIO L.

Ad ratum habendum?

Regulare eſt, ætatem, quæ ad actum requiritur, ad ipſius etiam ratificationem deſiderari; quia vt optimè inquit Donell. *comment. lib.* 21. *cap.* 12. non refert vtrùm quis, quid gerat, an geſtum confirmet: ergo cùm abſolutè ad omnem omninoq́, ſiue actionem, ſiue contractum, abſque periculo reſtitutionis celebrandum, in agentibus, vel contrahentibus maior ætas quinti & viceſimi anni cenſeatur neceſſaria, vt ex integro *titul. de minoribus* conſtat, & multoties à nobis comprobatum extat; ſucceſsiuum eſt, ipſammet ætatem ſimiliter ad eorum confirmationem, ſiue ratihabitionem fore neceſſariã, veluti etiam ex rubrica *C. ſi maior factus ratum habuerit*, & ex alia: *Si maior factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit*, colligitur. Quibus non ſine ratione, ad ratificationem eorum, quæ minori ætate fuerunt geſta, maior ætas expoſcitur. Confirmat hanc ſententiam pluribus Sforcia Oddus *de reſtitutione part.* 1. *quæſtion.* 25. *articul.* 1. vbi & nonnullis, quæ pro contraria opinione vrgere videntur, ſatisfacit.

Vnde inquiunt Bald. *in l. cùm maritum numer.* 3. *C. de ſolution. & in l. ſi procurator. poſterioribus verbis, ff. de condiction. indebiti*, Cardin. Mantica *de tacit. & ambig. conuention. lib.* 14. *titul.* 24. *numer.* 9. quòd ſi quis promiſerit, eum, qui eſt minor viginti & quinque annis, ratum habiturum, intelligitur promiſiſſe, cùm fuerit dictæ maioris ætatis: quia eo tempore debet habere ratum, vt actus de iure valeat, & ſubuerti in integrum reſtitutione non poſſit: quamuis ſi minori ætate ratificauerit, & aduerſus actum poſteà reſtitutionis beneficium implorauerit, non teneri ex ſtipulatu promiſſorem, rectè putet, ex *l.* 3. *in princip. ff. rem ratam haberi*, quam ad id ſingularem appellat Roman. *ſingul.* 555. aliàs 551. Tiraquell. *in l. ſi vnquam in fine, numer.* 1. *verſicul. Et hanc ſententiam, C. de reuocan. donation:* Thom. Grammatic. *deciſion.* 102. *numer.* 107. eo nimirùm, quia minorem ratum habiturum promiſit, id eſt, actum velut ſine mandato geſtum non impugnaturum, quod præſtaſſe videtur, ſimul atque licèt in minori ætate ratificauit, licèt poſteà contra factum teſtituatur, quia de hoc nihil ſtipulatione fuerat comprehenſum, ſed dumtaxat actionem, ſiue contractum ex parte mandati non periclitaturum, vt latiùs apud eundem Manticam *numer.* 9. & 10. videri poterit.

Ex quibus non obſtare deducitur *dict. l.* 3. vbi ratihabitio dicitur à minore viginti & quinque annis facta, quia vt ex dictis licet colligere, ita validè non fuit interpoſita, vt reſtitutionis ſubuerſioni nequaquam eſſet ſubiecta; imò vt *dictæ legis* verba demonſtrant, reſtitutionem fuit paſſa. Nos verò viginti & quinque annorum ætatem eo definimus neceſſariam, vt imminens reſtitutionis periculum auertatur, & vt ab omni impugnatione defectu ætatis proueniente ſit tuta. Quod niſi quinto & vigeſimo anno, ſiue à maſculo, ſiue à fœmina ratificatio fiat, vix accidere poterit, cùm vſque ad illam ætatem cuiuſcumque ſexus perſona nihil agere poſſit, aduerſus quod, ſi inde damnum ſentiat, reſtitutionis non poſſit auxilium promereri, vt ſæpiùs dictum eſt.

SVMMARIVM.

Minor, licèt pupillus, à maiore ad diuiſionem prouocatus, diuidere poteſt. 1.

Nemo cogitur inuitus manere in communione. ibid.

Minor ante quintum & vigeſimum annum an poſſit ſine decreto, & curatoris autoritate ad diuiſionem prouocare? 2.

Diuiſio, alienationis eſt ſpecies. ibid.

Gabella, quæ ex alienatione debetur, debet ex diuiſione præſtari. 3.

Emphyteota diuidendo rem communem cum alijs, alienare videtur. ibid.

Neceſſaria diuiſio, etiam minoribus permittitur. 4.

Communio rerum ſæpenumerò lites, & incómoda parit. 5.

Diuiſio, quámuis vtilis futura ſit minori, ab ipſo ſine debitis ſolemnitatibus fieri non poteſt, & quomodo hoc accipiatur? 6.

Autoritas curatoris, etiam in caſibus, quibus prouocare ad diuiſionem minori permittitur, neceſſaria videtur. ibid.

QVÆSTIO LI.

Prouocare ad diuiſionem quis poſſit?

1 MInorem, etiam pupillum, à maiore prouocatum, communium rerum diuiſionem facere poſſe, per text. *in l. 1. §. ſi communis, l. ſi pupillorũ 7.* ibi: *Neuter enim poterit prouocare, ſed ambo prouocationem ſpectare.* Necnon & per *l. qui neque 8. in fine*, ſecundùm intellectum Octauiani Simoncelli *tract. de decretis lib. 1. titul. 4. inſpect. 2. numer. 24.* nulla dubitatio eſt: maximè cùm id teſtentur Socinus *conſil. 68. in fine, volumin. 1.* alter Socinus Iunior *conſil. 48. numer. 6. lib. 1.* Auguſtin. Beroius *conſil. 22. numer. 20. 36. & 49. lib. 2.* Azor *in ſumma, C. quando decreto opus nõ eſt, numer. 2. verſicul. Item non eſt*, Rofred. *tractat. de libellis part. 7. in rubric. de S. C. Clementiano, ſub numer. 5. verſicul. Octauum*, Vazqu. *de ſucceſſion. creation. lib. 1. §. 10. numer 78.* Guilielm. Redoan. *de alienat. rerum Eccleſiaſt. fol. 41. numer. 4.* & innumeri alij relati à Simoncello *vbi ſupra numer. 23.* quibus addendus erit Ayora *de partit. 1. part. cap. 1. num. 4.* qui hoc caſu tutorum, vel curatorum autoritatem interuenire oportere, meritò ſubiungit, & Cald. Pereir. *de emption. & vendition. capit. 13. numer. 12.* Morquech. *de diuiſ. bonorum, libro 1. cap. 2. numer. 6.* Fontanella *de pactis nuptial. gloſ. 18. part. 5. numer. 4.* Hermoſilla *in l. 4. gloſ. 2. num. 13. tit. 5. p. 5.* & ante eum Anton. Faber *in Iuriſprud. Papin. titul. 1 S. prin. 8. illat. 61.* vbi nouiſsimè Fernandez de Caſtro *in prælection. l. 2. C. de fund. dotali num. 15.* vbi & *numer. 17.* id etiam ad Eccleſiam, vtpotè quæ iure minoris vtitur, alijs adhærens producit, huius rei illam optimam rationem affert, quoniam hæc eſt alienatio neceſſaria, cùm nemo cogatur inuitus manere in communione, *l. 1. ff. famil. erciſcund. l. vltim. C. commun. diuid.* alioqui cogendus eſſet maior ſocius ſpectare pupilli pubertatem, ideſt, vt ad annum quintum & viceſimum perueniret, quod iniquum eſſet, quandoque non contraxit cum pupillo, ſed incidit in pupillum, *l. 3. ex quib. cauſis in poſſ. eatur.* Quod antea dixerat Briſſonius *de adulter. fol. 154.*

Quod verò ita plane non conſtat, illud 2 eſt an minori viginti annorum, cuiuſcumque ſexus ille ſit, liceat ſine decreto, & tutoris autoritate, ſocium, ſiue cohæredem communi diuidundo, aut familiæ erciſcundæ iudicio ad diuiſionem prouocare? Siquidem affirmatiuam partem neruosè contra Ayoram defendit Aluarus Valaſcus *de partition. capit. 2. num. 19.* aſſerens, multò magis minores partitionem, diuiſionemque petere debere quàm alios, quia ipſorum non intereſt in communione eſſe propter lites & incommoda, quæ ex communione naſcuntur, & comprobari inquit doctrina Bartoli *in l. ſi pignori, numer. 7. ff. famil. erciſcund.* & Zaſij *in l. is cui bonis, num. 10. ff. de verb. obligat.* Quam etiam tradiderunt Crauetta *conſil. 268. & conſ. 41. numer. 16. inter conſilia feudalia, volum. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu 171. num. 37.* nempe, tunc poſſe minores ad diuiſionem prouocare, quando diuiſio illis vtilis futura eſt.

Negatiuam verò, non ſolùm veriorem, ſed & communiorem, magiſque receptam, meritò contendunt plurimi relati à Menochio *dict. caſu 171. numer. 34. & conſ. 80. num. 25. lib. 1.* Simoncellus *dict. titul. 4. in principio, num. 2.* Ayora *dict. cap. 1. numer. 3.* Morquecho *adducto libro & cap. num. 5. & 6.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1273. numer. 91.* docens, quòd minor prouocans ad diuiſionem bonorum ipſo iure præſumitur læſus, Ioann. Stephanus Duran. *quæſt. iuris, quæſt. 38. per totam*, vbi idem in Eccleſiâ defendit Federic. Scotus *tom. 1. conſ. reſponſ. 31. num. 3.* Anton. Gomez *2. tom. variar. c. 14. n. 14.* Valaſc. ſibi contrarius *conſultatione 53. num. 5.* Guzman *de euict. quæſtion. 1. num. 14.* docuit antea Gutierrez *de tutelis 2. part. cap. 5. num. 28.* Hermoſill. *dicto num. 13.* & Anton. Faber, & Briſon. *vbi ſupra*, qui omnes mouentur autoritate *dict. l. 1. & totius tituli de rebus eorum*, itemque *C. de præd. minor.* Necnon & ea ratione, quia diuiſio, alienationis eſt ſpecies, *l. 1. C. com. vtriuſque iudic. l. 2. ff. de fund. dotal. l. cùm pater, §. hæreditatem poſt. ff. de leg. ſecundo*: & confirmant ex Interpretibus Gozadin. *conſ.*

58.

58. *numer.* 13. Socin. Iunior *conſil.* 48. *numer.* 4. *lib.* 1. Iac. Æmilian. *conſil.* 33. *nu.* 7. Neuizan. *conſil.* 15. *numer.* 6. Crauet. *conſil.* 264. incip. *quidam fratres num.* 8. *part.* 2. Mantua *conſil.* 161. *numer.* 18. *lib.* 2. Roland. à Valle *conſil.* 84. *numer.* 16. *&* 18. *libro* 1. Cephal. *conſil.* 152. *num.* 7. *& conſil.* 195. *numer.* 26. *lib.* 2. & Menoch. *dict. loco numer.* 35. Anton. Faber *vbi proximè*, qui venditionis inſtar eſſe inſuper notat: alijque congeſti à Simoncello *dict. principio numer.* 3. qui *numer.* 4. *&* 5. hoc ita in-
3 dubitatum eſſe ſcribit, vt ſtatutum diſponens ſolui gabellam de alienatione, vendicet ſibi locum etiam in diuiſione, ex Romano *conſil.* 182. *numer.* 3. Curcio Seniore *conſil.* 66. *numer.* 12. *verſicul. Capio nunc*, Neuizano *conſil.* 15. *numer.* 6. & emphyteuta diuidendo rem cum alijs communem, alienare videatur, ideoque cadat à iure ſuo, vt multi ab ipſo relati probant. Ergo quemadmodum minor ſine decreto, & tutoris autoritate proprias res diſtrahere, vel alienare non poteſt, vt ſuo loco diximus, ita nec communes, quæ non minùs propriæ ſunt, *l. in re communi, ff. de ſeruit. vrb. prædior. l. via conſtitui*, §. *quicumque, ff. de ſeruit. ruſtic. præd.* cum adductis à Simoncell. *ibidem n.* 1. diuidere cum ſocijs abſque prædicta ſolemnitate valebit, vt etiam concludit poſt ſuperiùs adductos Morquech. *d. lib.* 1. *de diuiſion. bonor. c.* 2. *n.* 14.

4 Cui rationi minimè repugnat, quòd etiam propulſatus ad diuiſionem alienat, vt ex ſe patet: & tamen hoc caſu indulgetur minori autorante ſolùm tutore, vel curatore, vt poſſit diuidere, veluti initio conſtituimus: ergo ſaltim hoc modo item ipſi permittendum erat, vt prouocaret ad diuiſorium iudicium; quia licèt prouocatus ad diuiſionem alienet, hoc tamen, vt ſuprà ex Anton. Fabro obſeruauimus, ex neceſſitate, & compulſione facit, non ex facto, & voluntate ſua: vt poſt Gloſſam vltim. in *l. & ideo, ff. de condiction. furtiu.* tradunt Calcaneus *conſil.* 80. *numer.* 2. Benedict. Capra *regul.* 109. *num.* 28. & Vaſqu. *vbi proximè*. Neceſſaria verò diuiſio cuicumque minori permittitur, dummodò non ab alio minore, ſed à maiore prouocetur, veluti in propoſito aliquibus congeſtis teſtatur Octau. Simoncell. *dict. lib.* 1. *de decretis, titul.* 4. *inſpectione* 2. *num.* 25. *& ſequenti*, necnon & Morquech. *dict. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 9.

5 Minuſque contra receptam ſuperiorem ſententiam vrget Aluari Valaſci expenſa ratio, qua oppoſitum vti certius nititur adſtruere. Nam etſi fateremur minoris intereſſe minime in communione perſiſtere, ſed proprias res ſeorſim, & ab alienis ſegregatas poſſidere, ob incommoda litium & contentionum, quæ ſæpenumerò communiones pariunt, *l. in re* 26. *ff. de ſeruit. vrban. prædior. l. cùm pater* 77. §. *dulciſsimis* 20. *ff. de legat.* 2. quibus conſentit Ariſtoteles 2. *Politicor. capit.* 4. *&* 5. Donellus *comment. lib.* 9. *capit.* 11. vbi notat Oſuald. *liter. B.*
Nihilominus hoc non ſufficeret ad concedendum minori, vt ſocium ad diuiſionem 6 poſſet adigere, cùm ſola vtilitas iuſta cauſa alienationis, aut diuiſionis non cenſeatur, vt aduerſus Zaſium, Crauetam, & Menochium *locis vbi ſuprà* reſoluit optimè Simoncellus *dict. inſpect.* 1. *caſu* 3. *numer.* 20. Niſi caſu quo vtilitas minoris conſiſteret in eo, quòd ſocium rixoſum, dilapidatorem, & prorſus inutilem haberet, à cuius communione diſcedere valde ipſi expediret; & tunc poſſet minor ſine decreto ad diuiſionem proclamare, ſed non ſine tutoris, vel curatoris ſui autoritate. Hęc enim perpetuò, & omnibus caſibus neceſſaria erit, in quibus vigeſimumquintum annum nondum agentibus petitio diuiſionis indulgetur, vtputa cùm prouocatur, vel cùm agitur de diuiſione poſſeſſionis gratia adminiſtrationis, aut commodioris culturæ, ſeu de diuiſione fructuum, ſiue de alijs diſcuſſis à Simoncello, Morquecho, & Anton. Fabro *locis ſæpius repetitis*, ſiquidem cùm diuiſio etiam iſtis caſibus in iudicio petenda ſit, minorque nullam in eo ſortiatur perſonam, vt diximus alibi: neceſſario tutoris vel curatoris autoritate inſtructus eſſe debebit, vt poſsit eam coram iudice proponere.

SVMMARIVM.

Pupillus cuius ætatis quis dicatur? 1.
Pupillaris ætas quoad fori electionem, ab ipſo natiuitatis inſtanti computatur. ibid.
Maior quatuordecim annorum de iure communi non gaudet fori electione. 2.
De iure noſtro quoad fori electionem, ille pupillus habetur, qui anno quinto & viceſimo minor, patre caret, aut eſt emancipatus. 3.
Orphani minores, etiamſi diuites ſint, forum eligunt. 4.
Pueri cuiuſcumque ætatis infantes ſolent cognominari. 5.
Clericuli purpurati, qui ſeruitio chori adſunt in Toletana Eccleſia, quare infantes vocentur? ibid.

QVÆSTIO LII.

Pupillus, ſiue orphanus quis dicatur, maximè apud noſtros, quoad effectũ, vt in prima inſtantia poſsit agitare litem coram Auditoribus Regijs, quod Hiſpane dicitur: Ser caſo de Corte.

1 SVprà *anno 7. quæſt. 3.* vbi diſputauimus quãdo pupillaris ætas regulariter incipiat, & finiatur, pro certo conſtituimus, à ſeptimo vſque ad decimumquartum annum ætatis, quem pupillum exiſtimari. Nunc verò ad effectum, de quo quærimus aliter rem ſe habere ſciendum eſt, cùm pupillus, orphanus, & miſerabilis perſona ab ipſo natiuitatis momento cenſeatur; rectè quidem, quia tantò magis miſerabilis perſona infans dicitur, quantò cæteris pupillis ætate eſt inferior: ergo ex tunc meritò pupillus habebitur, vt ad Curiam cauſas deferre, & fori electionem obtinere poſsit, vt docet expreſsè Valaſc. *allegat. 65. num. 13.* aſſerens hoc priuilegium competere tutori dato illi, qui in vtero eſt, agenti nomine partus futuri, refert Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad l. vnic. C. quando Imperat. inter pupill. & vid. à n. 33.*

2 Quod etiam attento iure communi procedere arbitror, licèt in præfiniendo termino huius pupillaris ætatis non ita ius commune cum Regio conſentiat, quoniam vt docent Ioan. Siccardus *in rubrica, C. quando Imperator inter pupillum & viduam,* Roland. à Valle *conſil. 76. num. 42. lib. 1.* Vincencius de Franch. *deciſ. 100. num. 17.* D. Ioann. del Caſtillo *tom. 3. lib. 3. cap. 25. numer. 17. in principio,* Ioannes Nouarius *in praxi electionis fori, quæſt. 6. num 5. & collectanea 89. num. 11.* & Barboſa *vbi ſuprà* de iure communi, maior quatuordecim annorum non gaudet fori electione. Et ita in facti contingentia reſpondiſſe *vtroque dicto loco* refert Nouarius.

3 At verò noſtro iure patrio inſpecto, pupilli quo ad hunc effectum, illi omnes minores quinto & viceſimo anno intelliguntur, qui patre carent, aut extra ipſius poteſtatem degunt, ſi Nouario credimus *d. q. 6. n. 7.* vt ex Gregor. Lopez *in l. 5. tit. 3. & l. 41. tit. 18. part. 3.* & Couarr. *practic. c. 6. nu. 2.* tenent D. Ioannes del Caſtillo *d. c. 25. num. 17. verſ. Cæterum,* Franciſc. Carraſcus *tract. de caſibus curiæ à nu. 16. cum ſeqq.* P. Thom. Sanchez *conſiliorum lib. 4. capit. 1. dubio 63. nu. 3.* ſubdens cum Gregorio Lopez, & Couarru. hoc procedere, licèt tales orphani diuites ſint, tradit Roderic. Acunha *in cap. de-* 4
fenſionis 2. num. 5. 87. diſtinct. & nouiſsimè Carleuali *de iudicijs lib. 1. titul. 1. diſput. 3. à num. 551. cum ſequentib.* vbi rem hanc latè examinat, etſi quamplures contrarium ſentientes *nu. 548.* adducat, quibus nequaquam ſubſcribit, qui omnes ea ratione id à noſtris praxi receptum teſtantur, quia *leges Regiæ* orphano ſimpliciter tribuunt huiuſmodi priuilegium; non diſtinguentes eius ætatem: ergo neceſſariò diſtinguenda eſt ad eos annos, in quibus alieno ductu & conſilio viuendum eſt, vt etiam placuit Carleualio *de iudicijs diſp. 2. n. 232.*

Nec quod pupilli vocentur quidquam noſtræ opinioni aduerſatur, ſiquidem vt pluries diximus, minores aliquando pupillorum nomine inſigniuntur, ob maximam cum illis ſimilitudinem, argument. textus *in princip. inſtit. quibus alienare licet, vel non,* non aliter ac pueri iam puberes, nedum pupilli, ſed & infantes ſolent cognominari, vtpotè iam oſtendimus, & probatur egregiò teſtimonio Victor. Vricenſis *de perſecut. Vvandal. lib. 3.* & Ceſaris Baronij *tomo 2. annal. anno Chriſti 303. num. 36.* his optimis verbis: *Cùm hic audis infantem ne exiſtimes puerum, hunc eſſe nuper natum, qui fari neſciat: nam loquendi vſus erat apud Afros, vt quoſque pueros infantes dicerent, vt ex Victore Vticenſi alibi diximus, qui pueros Eccleſiæ Cantores infantulos vocat,* vti & apud Toletanos nominantur clericuli illi purpurati ſeruitio chori deputati, & ipſorum Collegium Infantium, cuius alibi meminimus.

SVMMARIVM.

PRimum & ſecundum decretum an rectè à noſtris dicatur? 1.

Miſsio ex primo decreto quacumque minori ætate, etiam pupillari, fieri poteſt. 2.

Ex miſsione ex primo decreto nullo damno afficitur pupillus, quia cuſtodiæ tantum cauſa fit. 3.

Miſſio ex primo decreto non tam poſſeſsionem, quam nudam detentionem transfert. ibid.

Poſt litem conteſtatam, vel quaſi, licet ex primo decreto, creditor in bona pupilli mitti non debet. ibid.

Miſsio ex ſecundo decreto an contra puberes, ſaltim decimumquartum annum agentes, locum habeat? 4.

So-

Solùm contra rebelles & contumaces conceditur miſsio ex ſecundo decreto. 5.

L. apud Iulianum 3. in principio, ff. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eatur, intelligitur. 6.

Creditor patris defuncti, etiam contra pupillum, mittitur in poſſeſſionem ex ſecundo decreto. 7.

Regulariter nullus minor, quantumuis pubes, ex ſecundo decreto miſſionem patitur. 8.

L. ſi minor 5. ff. de rebus autor. iudic. poſſid. enucleatur. 9.

QVÆSTIO LIII.

Vt in bona alicuius ex primo vel ſecundo decreto miſsio poſsit fieri?

1 ADmiſſa clarioris explicationis cauſa vulgari illa noſtrorum loquendi formula primi & ſecundi decreti, quam meritò arguit, & eliminare intendit Antonius Faber *errorum tom. 1. decad. 10. errore 6.* dubitandum occurrit circa ætatem in illo neceſſariam, qui ex vno & altero decreto miſſionem paſſurus eſt. Nam etſi ad hoc
2 vt virtute primi decreti bona poſſideantur, nullam & determinatam ætatem in debitore leges, aut illarum expoſitores deſiderent. Imo etiam pupillari fieri poſſe, vno ore teſtentur, ex *l. apud Iulianum 3. in principio,* vbi notat Gloſſa *verbo poſsideri, ff. quibus ex cauſ. in poſſeſ. eatur, l. ſi pupillus 18. l. pupillus 29. de priuileg. creditor.* præcipuè Abbas *conſil. 43. num. 1. 2. part.* Vincent. Carroc. *de exceptionib. exception. 124. num. 4.* quàmuis tutoris citationem deſideret Alexand. *in l. ſi finita 15. §. Iulianus numer. 60. ff. de damno infecto,* quem ſequitur Azebed. *in l. 1. numer. 38. titul. 11. lib. 4. Recopilat.* contra Auendañ. Simoncell. *de decret. lib. 2. titul. 6. inſpect. 15. num. 127.* vbi inquit pupillum ex proprio debito pati primum decretum, ex paterno verò ſecundum, cui conſentit Baeza *de inope debitore cap. 8. num. 2.* & Caualcanus *de curatore num. 317.* Negus ſan. *de pignor. 4. quæſt. princip. num. 18. verſicul. Aut creditor vult vti pacto,* Philipp. Decius *in l. in eo, §. pupillus num. 4. ff. de reg. iur.* Rober. Maranta *de ordin. iudic. 6. p. membro de citatione num. 106.* Mathias Collerus *de proceſſib. executi, part. 2. cap. 3. num. 204.*
3 Ioan. Gratian. *regul. 399. num. 1.* Et ita intelligendi. Vazquius *in dict. l. ſi finita, §. Iulianus,* Auendaño *de primo & ſecundo decreto,* Paz *in praxi tom. 1. part. 2. numer. 21.* dum indiſtinctè inquiunt, iure communi miſſionem ex primo decreto fieri non poſſe contra minorem, & optimè quidem, cùm hac miſſione nullo damno ſuis bonis afficiatur pupillus, ſed potiùs commodo & vtilitate, ex quo in id potiſsimùm ex primo decreto mittitur creditor, vt pupilli debitoris bona indefenſa, & quodammodò deſtituta cuſtodiat, *l. Fulcinius 7. in principio, & §. 1. dict. l. apud Iulianum, in principio, l. hæc autem 5. ff. ex quibus cauſ. in poſſeſſ. eatur.* Ex quibus id ſentire videtur Mathias Collerus *dict. capit. 3. num. 419.* cùm ideo inquit, contra pupillum poſſe peruenire ad primum decretum, quia talis ingreſſus non magis poſſeſsionem, quàm nudam cuſtodiam, & detentionem tribuit, vt etiam probatur ex *l. is cui 5. §. qui ſeruandorum 22. ff. vt in poſſeſ. legat. l. 3. §. genera, ff. de acquirend. poſſeſſion.* conducunt tradita per Menochium *de retinend. poſſeſſion. remedio 3. numer. 212. & 215.* ex cuius doctrina *num. 217. & 218.* ſuperiorem ſententiam eo caſu limitandam cenſeo, quo poſt litem conteſtatam, vel quaſi, miſſio ex primo decreto facienda eſt. Etenim cùm hæc miſſio veram poſſeſſionem transferat, in bona pupilli fieri non debebit.

4 De miſſione verò ex ſecundo decreto nimis controuerſum eſt, qua ætate debitores latitantes, & rebelles illam patiantur? Cùm multis placuerit nihil obſtare, quominus iam puberes, & decimum quartum annum agentes perferant. Quod ex *dict. l. apud Iulianum* probare nituntur Romanus *conſ. 454.* Celſus *in Repertor. ad Felinum, verbo Decretum ſecundum datum contra pupillum,* vbi reiecta Felini ſententia hanc communem vocat Ioan. Gratian. *vbi ſuprà,* & eam innuit Collerus *dict. cap. 3. num. 204.*

5 Quod vtique illis omnibus probari minimè poterit, qui vt ſuprà *hoc anno* indicauimus, pro certo conſtituunt vigeſimo & quinto anno minores contumaces, haud quaquam eſſe: vnde cùm ad ſecundum decretum niſi data contumacia rei, non perueniatur, *dict. l. Fulcinius 7. l. ſi finita 15. §. Iulianus 16. de damno infecto:* ex quibus notat Mathias Collerus *dict. cap. 3. numer. 392.* in bona minoris, vti non contumacis, creditor ex ſecundo decreto non erit mittendus.

6 Nec aliud euincitur ex *dict. l. apud Iulianum*, cuius ſpecie non eapropter quòd pubertatem pupilli ſpectari non debere dicitur ad effectum ſecundi decreti, neceſſariò ſupponitur, extra illum caſum ſemper, & abſolutè verum eſſe, puberis bona ex ſecundo decreto poſſideri, quandoque tunc ſolummodò cùm vrget æs alienum, & dilatio damnū ſit allatura creditoribus, *dict. l. Fulcinius* 7. *§. Labeo autem* 10. quam etiam in minoribus loqui indicat verſiculus, *Idemque* ſequens, adueniente pupilli pubertate poſſideantur, ſi cum ipſo pupillo creditores contraxerunt, *l. ſi pupillus* 18. *l. pupillus* 29. Quæ ita ſunt interpretandæ, *ff. de priuileg. credit*. at ſi cum eius parente, etiam non expectata pubertate, in eius bona creditores mittentur ex ſecundo decreto, quia non tam in ſua; quàm in patris bona mitti videntur: quę vera eſt *dictæ legis* ſententia.

8 Cæterùm ſi nec vrgeat æs alienum, ex cuius dilatione detrimento creditores afficiantur, nec de contractu cum pupilli patre inito ſit controuerſia, etiam iam pubeſcentis bona, donec maior ætàs illuxerit, ſecundi decreti miſſionem non ſuſtinebunt; quod ſecundum iuris communis diſpoſitionem eſſe arbitror, maximè cùm patriæ noſtræ *leges* hac de re loquentes conſpicio, quæ ex eo prædictam ſententiam iuris communis eſſe confirmant; quòd illud corrigentes (etſi hoc perperam diffiteatur ibidem Azebedus) certis de cauſis ſecundi decreti miſsionem fieri in minorum bona permittunt his verbis, quæ referuntur in *l. 3. titul.* 21. *lib.* 4 *recollectionis*: *Otroſi, porque por experiencia ha parecido, que haziendoſe proceſſo contra menor, ò menores, à pedimiento de algunas perſonas, ſe procede, y ha procedido, eligiendo via de prueba el autor, y el menor reo por malicia, y por dilatar el pleito ſe auſenta, ò ſe eſconde, ò le eſconden, ò apartan ſus parientes, ò adminiſtradores: y ſi el autor no pudieſſe tornar a elegir via de aſſentamiento, el proceſſo ſe impediria, y con mucha dificultad ſe podria ſuſtanciar. Por ende ordenamos y mandamos, que el autor en tal caſo pueda dexar la via de prueba. y tornar a elegir via de aſſentamiento en qualquier eſtado que el pleito eſtuuiere*, ex quibus ita docet Paz *in praxi tom.* 1. 2. *p. n.* 2. *&* 21.

9 Ab negari tamen non poterit pro contraria opinione, & aduerſus noſtram plurimum vrgere, *l. minor* 5. *de rebus autor. iudic. poſsid.* cùm inquit, quòd ſi minor viginti & quinque annis à curatoribus non defendatur, bonorum venditionem, ſiue ſecundum decretum, quod idem eſſe fatetur, Oſualdus *ad dict. l. lib.* 23. *Donelli capit.* 11. *liter. P.* paritur, quæ ſententia cum ſuperiori parum cohæret, ſed Boherio *in l. conſentaneum, numer.* 163. *C. quomodo & quando iudex*, & Gædeo *tractat. de ſequeſtro, cap.* 1. *num.* 74. accedentes, hinc miſſionem putamus ex cōtumacia tutorum, ac curatorum dari, ideoque contra tutores magis, quàm contra ipſos minores datam intelligi debere, cùm illi, his damnum tutelæ, curæve iudicio reſarcire teneantur; nec quicquam abſurdi habet, vt falsò exiſtimauit Oſualdus *vbi proximè*, mitti quem contra alium in bona alterius, veluti ex *dict. l. apud Iulianum* notauimus: & ſi aliquid contineret, id tamen prædictæ interpretationi minimè officeret, cùm in *dict. l. ſi minor* 5. propriè non cōtra alium, ſed contra minorem debitorem, & in ipſius bona mittitur creditor, licèt habita conſideratione ad effectum, & damnum, potiùs aduerſus curatores miſſus intelligatur, qui ob non defenſum minorem, quidquid hac de cauſa ei abfuerit, refundere tenentur.

SVMMARIVM.

Contractus à minore abſque debitis ſolemnitatibus factus, nullam aduerſus illum paratam habet executionem. 1.

Minor, etiam curatore carens, nullum actum facere poteſt, ex quo rerum ſuarum alienatio ſequatur. 2.

Executio fit, vt captis debitoris bonis, & alienatis creditori ſoluatur. 3.

Executionis definitio traditur. 4.

Bona minoris non patiantur miſsionem ex ſecundo decreto. ibid.

In criminalibus etiam pupillus poteſt exequi. 5.

In ciuilibus nemo ante quintum & vigeſimum annum ſubiacet executioni. ibid.

Minor, qui cùm contraheret, aut iurauit, aut ſe maiorem dixit, niſi creditor eum minorem ſciret, poteſt ex eodem contractu exequi. ibid.

Apocha minoris in iudicium producta, & ab eo recognita, an poſſit exequi? 6.

Vt executio contra minorem locum habeat, debet contractus, ex quo petitur, omnes ſolemnitates habere, nec ſufficiet, ſi ſola curatoris autoritate ſit factus. 7.

Ceſſaſſe non videtur in ſolutione, qui cùm vellet ſoluere non potuit. 8.

Minor an ex paterno, vel anteceſſoris contractu poſſit exequi? ibid. & ſeqq.

Promiſsio patris per ipſum, hæredemque eius non

non fieri hæredem minorem non comprehendit. 9.

Fiſcus poſtquam alicui ſucceſſit, ſuo vtitur priuilegio. ibid.

Non mutatur contractus natura ex priuilegio ſucceſſoris. 10.

Verius eſt minorem pro contractu anteceſſoris exequi poſſe, ibidem, & ſequenti.

Minori permittitur ſui anteceſſoris debitoribus ſoluere. ibid.

Fundamentis contrariæ ſententiæ reſpondetur. ibid. & ſeqq.

Minor ex contractu anteceſſoris executus, nō iuuatur reſtitutione. 14.

A ſententia de exequendo an poſſit appellari, vel contra illam detur reſtitutio? 15. *& ſeqq.*

Licèt minor non poſſit contra executionem reſtitui, poteſt tamen contra diſtractionē bonorum eius occaſione factam, ſi fortè bona exiguo pretio venierint, optimè reſtitui. 17.

QVÆSTIO LIV.

Vtrùm pro debito fieri poſſit executio, minore exiſtente debitore?

1 ARdua quidem, & elegans quæſtio eſt, ſed quam nullus ex Interpretibus, vt par erat, diſcuſſit, eapropter vt in re adeo deſtituta iudicium noſtrum clarè interponamus, diuiſione, velut face quadam, inter propoſitæ inueſtigationis caligines inceden dum nobis erit. Tres enim caſus conſtituere oportet, quorum primus ſit, vbi de exequendo contractu, aut inſtrumento ab ipſo minore citra ſolemnitatem, & tutoris vel curatoris autoritatem perfecto agitur, quo abſque dubio eſſe conſtituo, executionem in minoris bonis fieri non poſſe, vt de pupillo loquens, ex Bartolo, Saliceto, & Alberico tradit Mathias Collerus *de proceſſibus executiuis par.* 2. *c.* 3. *num.* 2 1 1. & conuincitur quoque in minore, qui ſi curatorem habeat, vt à pupillo parum diſtat, *l.* 3. iuncta Gloſſa *ibidem, verbo Abſimilis. C. de in integrum reſtitution. minor.* Contractum, aut inſtrumentum, ex quo exequi poſsit, ſine ipſius autoritate efficere nequit, cùm nullitatis vitio laboret, quidquid ab homine non ſuæ admini-
2 ſtrationis inſcio adminiſtratore fit, *l. ſi curatorem* 3. *C. de in integrum reſtitut. cum ſimilibus.* Quibus in patria noſtra conſentit *l.* 4. *D. Didacus de Narbona.* *titul.* 11. *part.* 5. maxime cùm ad bonorum alienationem contractus, ſiue inſtrumentum tendit, quę adeò minorum obligationes cohibet, & inutiles reddit, vt quamuis à nullis curatoribus regantur, ideoque adminiſtrationis ſint capaces, teneri ea obligatione prohibentur, qua neceſſariò aut minuendæ facultates, aut alienandę erunt, vti ex Cuiacij ſententia cum Fachineo *lib.* 3. *controuer. capit.* 9. Philip. Matth. *in l.* 2. §. 1. *num.* 15. *de reg. iuris.* Anton. Fabro *de error. pragmatic. decade* 11. *error.* 2. alijſque in locis Oſuald. *lib.* 12. *Donelli cap.* 22. *liter. Q.* Anton. Hering. Genua, & pluribus alijs, vtpotè veriſſimum cōſtituimus ſuprà *hoc eodem anno*, cùm de ætate diſputauimus, quæ ciuilem obligationem admittit. Vnde cùm executionis 3
actus cò dirigatur, vt captis velut in pignus debitoris bonis, poſteaque alienatis fiat virtute inſtrumenti ſolutio creditori, vtpotè ex *l.* 19. *titul.* 21. *lib.* 4. *Recopilat.* necnon & ex traditis à Rodrig. *tractatu de execution. capit.* 6. *à num.* 77. *cum multis ſequentibus*, planè colligitur minorem, ſiue curatorem habeat, ſiuè non, ex contractu à ſe geſto exequi non poſſe.

Et confirmatur etiam ex definitione executionis, quam tradit Salicetus in *authent. & qui iurat, num.* 20. *C. de bonis autor. iudic. poſsid.* quam refert Collerus *in præfatione ad dict. tractatum numer.* 38. nempe executionem eſſe immiſſionem creditoris in bona debitoris, ideſt, miſſionem ex ſecundo decreto, quia ad venditionem bonorum fit, vt ex proximè dictis apparet. Ergo cùm minoris bona non pati eiuſmodi miſsionem, multis *præſenti anno* conſtiterit, conſectarium erit, neque executionem ea ſuſtinere debere. 4

Et meritò maiorem enim vigeſimo & quinto anno eſſe conuenit, qui ex proprio facto (non dico criminali, ſed ciuili: nam ratione delicti etiam pupilli doli capaces exequuntur, velut ſentit Rebuſus *dict. tractatu de ſentent. execut. art.* 15. *gloſ.* 1 *num.* 5.) aut contractu exequendus eſt, vnde infert Anton. de Canario *tractat. de execution. inſtrument. num.* 36. eum minorem, qui cùm contraxiſſet, aut in iudicio debitum fateretur ſe maiorem eſſe iuramento firmauit, ex tali contractu, ſiue confeſſione, niſi creditor illum minorem ſciret, ideò exequendum, quia iuramento maior fuit effectus. Ex cuius doctrina altera Auendañ. *reſponſ.* 4. *numer.* 7. *verſic. Ex quo*, difficilis redditur quę docet, poſſe apocham contra minorem de debito in iudicio productam, & ab eo recognitam, etiam ſine curatore à iudice executioni man dari 5

dari contra eundem minorem, ſicut & contractus guarentigius; vbi & in eo prædictus Autor non minus decipi videtur, quòd contractum à minore ſine curatore celebratum aduerſus ipſum habere executionem paratam exiſtimat, quandoque ex ſuperioribus contrarium verius eſſe conuincitur, necnon & ex Petro Rebuffo *tom.* 1. *ad ll. Gallicas, tractat. de liter. obligator. gloſ.* 2. *numer.* 41. dum inquit, minorem tunc ſolummodò pro penſione domus exequi poſſe, cùm ipſe ad illius ſolutionem tutoris vel curatoris accedente conſenſu, & inſtrumento ſigillato fuit iure obligatus.

7 Etenim hoc caſu, qui ſecundus erit noſtræ diſtinctionis, cùm ad minoris obligationem omnes ſolemnitates de iure requiſitę concurrunt, nempe autoritas tutoris, vel curatoris & iudicis decretum, proculdubio executio vi prædictæ obligationis in bona minoris locum habebit, quod ex traditis à Ioan. Gutierrez *tractat. de tutel.* 2. *part cap.* 4. *num.* 12. non male depromitur: ex quibus concludit quòd ſententia lata contra tutorem vel curatorem non debet exequi in eius bonis, ſed in bonis ipſius minoris: dixi enim omnes ſolemnitates cùm pactum executiuum, aut inſtrumentum guarentigium conficitur, adeſſe debere. Nam ſi abſque iuſſu iudicis ſola curatoris præſentia fiat, ad effectum executionis nihil actũ videbitur, quia neceſſario vt creditori tribuatur licẽtia exequendi, ſiue ingrediendi, & adquirendi poſſeſsionem bonorum minoris poſt moram in ſolutione commiſſam, iudiciale decretum intercedere debet, cùm prædia eorum, qui ſub tutela, vel cura ſunt, ſine decreto prętoris, etiam per ipſum tutorem alienari, obligarivè nequeant, *l. magis puto* 5. §. 1. *cum l.* 1. *ff de rebus eorum*, totus titulus, *C. de præd. minor. ſine decret. non alien.* & facit *l. pupillus* 11. *ff. de acquiren. rerum domin.* ex quibus & multis alijs rationibus hanc ſententiam in ſpecie defendunt Bartol. *in l. creditores* 3. *numer.* 5. *C. de pignorib.* Franciſc. de Aretio in *l. poſſeſsionem* 29. *numer.* 6. *ff de acquirend. poſſeſſ.* & Matth. Coller. *dict. tractat. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 229. vbi numeris ſequentibus fundamentis eorum optimè reſpondit, qui cum Neguſan. *tractat. de pignorib.* 4. *quæſt. principali num.* 18. *verſic. Aut pactum fuit initum, quòd liceat ingredi, & adipiſci.* Menoch. *de adipiſcend. poſſeſſ. remedio* 5. *numer.* 17. *verſic. Quartus caſus*, contrarium certius arbitrantur. Et tandem *num.* 244. poſt longam rationum congeriem, quibus eiuſmodi opinionem amplectendam ſuadet, ſubijcit, quòd cùm creditor in caſu moræ, contra iam adultum peteret executionem, paratam ex vi inſtrumenti, reus euitabit executionem: tum quia ſine decreto iudicis fuerat data creditori iſta poteſtas exequendi: tum etiam quia non poterat doceri, dictas pecunias in rem minoris verſas fuiſſe. Et fuit de iure reſponſum, creditori contra tutorem vel curatorem ſuum regreſſum patere, non verò contra minorem.

Vltimus verò caſus eſt, quando non ex 8
proprio contractu, ſed ex paterno, aut alterius anteceſſoris minor executiuè conuenitur. Qui quidem ita dubius & anceps exiſtit, vt tam affirmatiua, quàm negatiua reſolutio ſatis validiſsimis rationibus nitatur: ſequentibus etenim mouentur qui eiuſmodi ſpecie abnegant minorem exequi poſſe. Primò, quia ceſſaſſe in ſolutione non videtur minor, qui licèt ſoluere velit non poteſt, argumento *l. arbiter Kalendis* 40. *in fine, ff. de arbitr. l. cùm quidam* 17. §. *ſi pupillo, ff. de vſuris, l.* 1. *C. de annali exceptione.*

Secundò ex eo quòd promiſſio patris 9
per ipſum, hæredemque eius non fieri aduerſus hæredem minorem non committitur, *l. cùm filius* 49. §. *in hac ſtipulatione, ff. de verborum obligat.* Et tandem tertiò, exemplo fiſci, qui licèt pro anterioribus temporibus priuati iure vtatur, cæterùm poſtquam alicui ſucceſſit, ſuo vtitur priuilegio, *l.* 1. *C. creditor. euiction. pignor. non deb. l. fiſcus* 6. *ff. de iure fiſci, dict l. cùm quidam* 17. §. *fiſcus* 5. *iuncto* § *debitores, de vſuris.*

Nec minoris ponderis fundamentis adducuntur qui contrarium verius eſſe conten- 10
dunt, cùm vulgare illud iuris axioma pro ſe afferant, quo cauetur, quòd vbi agitur de obligatione, vel contractu iam ante cum perſona anteceſſoris concluſo, perfectoque, & cuius forma non ampliùs pendet; tunc inuariabilis eſt, nec mutatur talis obligationis aut contractus natura ex perſona, ſiue priuilegio hæredis, *l.* 2. §. *ex his, verſicul. Non enim, de verbor. obligat. l. toties* 6. *verſicul. Cæterum, ff. de pollicitation.* Deinde in eandem rem expendunt *l. Æmilius Largianus* 38. *de minorib. l. pupillus* 5. §. *ſed etſi creditor*, iuncta Gloſſa *ibidem, de autor. tutor. l. apud Iulianum* 7. *verſic. Marcellus, ff. ex quibus cauſ. in poſſeſſ. eatur, l. magis puto* 5. §. *ſi pupillus ſtipulanti, de rebus eorum qui ſub tutel ſunt, l.* 1. *C. quando decreto opus non eſt. l. ſi intra* 8. *C. de non numerat. pecun. l. ſub prætextu, C. de hæred. actio. l ſi tibi* 8. *C. mandati.* Quibus aperte profitetur minorem ex contractu anteceſſoris conueniri, & ad ſolutionem exequi poſſe, maximè in illis bonis quæ à contrahente ad ipſum peruenerunt, vti

in

in ſpecie probat Rebuff. *dict. tractat. de liter. obligat. articul. 3. gloſ. 3. numer. 9.* Roderic. Suarez *in repet. l. poſt rem iudicatam*, Neguſan. *tractat. de pignori 4. q. princip. numer.* 17. quem ſequitur Collerus *vbi proximè num.* 218. hanc ſententiam communem vocans ex multis quos *n.* 22. congerit, quibus ego lubenter ſubſcribo.

11 Et hac opinione retenta, quæ proculdubio certior & receptior eſt, haud multum difficile erit pro contraria ſtatutis ſatisfacere. Nam priori loco adductum de impotentia minoris ad ſoluendum, prçterquàm quòd ex *dict. l.* 40. & 17. minimè probatur, in propoſito caſu nequaquam procedere poſſe teſtatur Conſult. *in dict. l. magis puto* 5. *§. ſi pupillus ſtipulanti*, ibi: *Sed ſi pater ſtipulanti fundum ſpoponderit, ſucceſſeritque pupillus in ſtipulatum, fortiùs dicetur, ſine prætoris*, alias *tutoris*, vt obſeruat Gloſſa, *autoritate poſſe eum reddere. Idemque etſi iure hæreditario alij ſucceſſerit, qui erat obligatus*, & Imperatores *in dict. l. 1. C. quando decreto opus non eſt.* Quorum autoritate concludit Collerus *dicto cap. 3. num.* 223. permiſſum eſſe minori ſui anteceſſoris crediteribus abſque tutoris autoritate ſoluere.

12 Minuſque roboris habet ſecundum fundamentum ex *dict. l. cùm filius, §. in hac*, quia licèt ibi obligatio à teſtatore, ideoque & ab anteceſſore deſcenderet, non tantum ex ea, quantum ex proprio facto pupillus hæres conueniendus erat, quod cûm iura minimè admittant, vt initio huius quæſtionis notauimus, meritò ex tali facto pupillum hæredem exequi poſſe diffitetur Conſultus.

13 Nec magis vrget illud de priuilegio fiſci, cûm ex *dictis legibus* potiùs noſtra ſententia ſtabiliatur, quàm oppoſita confirmetur. Ex quo omnibus præmittitur, pro anterioribus ſuæ ſucceſſionis temporibus fiſcum priuati iure vti, etſi poſteà quàm ſucceſſit in his, quæ à teſtatoris facto nullum tractũ habent, ſuo priuilegio potiatur.

14 Igitur ex his omnibus perſpicuum euadit, poſſe anteceſſoris, vel patris contractũ, ſiue ſcripturam, ſaltim in his bonis, quæ ex illius ſucceſſione ad eum peruenerunt, contra minorem exequi, & ita quidem firmiter, vt aduerſus eiuſmodi executionem beneficio in integrum reſtitutionis non ſubueniatur. Textus clarus in *dict. l. Æmilius Larianus* 38. *de minorib.* vbi pactum legis commiſſoriæ initum cum defuncto exercetur etiam contra hæredem pupillam, remoto omni in integrum reſtitutionis obſtaculo.

15 Nec contrarium probat Sforcia Oddus *tractat. de reſtitut. in integrum, quæſt.* 72. *artic.* 6. *numer.* 90. *verſicul. Aut quærimus an ab ipſa ſententia*, cûm inquit, ab ipſâ ſententia de exequendo poſſe peti reſtitutionem in integrum; quemadmodum & ab ea de iure communi appellari poteſt, *l. ab executore, C. quorum appellation. non recipian.* quinimò & vbi ſtatuto cauetur, quòd à ſententia de exequendo, ſiue executiua non detur appellatio, etiam minorem reſtitutionem impetrare poſſe docet, vti & petere aduerſus rem iudicatam, & duas vel tres conformes ſententias.

Quia hoc merum ipſius Sforciæ figmentum eſt, cùm aperte ſit falſum, dari appellationem de iure communi à ſententia de exequendo, quæ ſuſpenſiuum inducat effectum, vt in ſpecie probat Anton. de Canario *dict. tract. de execut. inſtrum. quæſt.* 46. & 47. Conar. *pract. quæſtion. cap.* 23. *ad finem*, Parlad. *dict. lib. 2. rerum quotidian. cap. fin. 5. p. §. 2. num.* 12. Ioan. Heuia *in Curia Philippica* 1. *tom. 2. part. del juizio executiuo. §. 21. num.* 3. & iure noſtro confirmant *l.* 3. & 19. *in fine, titul.* 21. *lib.* 4. *nouæ recollect.* Ergo ſi validum eſſe vult Sforc. hac in re argumentum de appellatione ad reſtitutionem, contra ea quæ ſuprà ſcripſerat, *quæſt.* 15. *nu.* 32. & 44. vti appellatio denegatur à ſententia de exequendo, ita minori reſtitutio non eris concedenda contra executionem: nam quod præſtat maioribus appellatio, minoribus reſtitutio indulget, *l. præſes* 42. *ff. de minor.* & fatetur idem Sforcia *ibidem*, & *q.* 35. *numer.* 76. 16

Sed non ideò ita minori in cauſa executiua reſtitutionem eſſe inhibendam conſtituimus, vt ſi fortè ea ratione ipſius bona exiguo pretio venierint, indeque graui damno afficiatur minor, aduerſus bonorum addictionẽ careat reſtitutionis ſuffragio, cùm aliud ſit denegari reſtitutionem contra ipſam executionem, aut ſententiam de exequendo, aliud verò contra damnoſam pignorum venditionem. In illo enim poſtquàm minor legitimè extitit obligatus nullam patitur læſionem (niſi in executione excedatur, vti rectè inquit Sforcia *dict. quæſt.* 72. *num. 90. in fine*, locum habituram reſtitutionem, vt & appellationem, Rebuff. *tractat. de ſentent. executiu. art. 7. gloſ. 12. num. 10. verſicul. Notandum eſt*) executio namque contractus ex quadam neceſſaria conſequentia prouenit præcedentis obligationis, *l. fin. in fin. C. ad Velleian.* Ideò ex ſe conſideranda non videtur, ſed cum præcedenti obligatione, cum qua vna tantùm reputatur, Affinius *de executionibus cap.* 269. *numer.* 5. in qua ſi læſus non fuit, nec erit in ipſius executione, 17

ne, ſecùs verò in hoc quòd viliùs ſuæ res fue rint diſtractę, licèt ad ſolutionem creditorum. Ergo meritò ei ſubueniendum erit, vbicumque hac ratione damnum minor ſenſerit, dummodò grande, aut ſaltim non minimum fuerit, vt optimè ex *l. ſi creditor, ff. de diſtraction. pignor. l. 1. C. ſi aduerſ. vendition. l. patria 47. titul. 13. part. 5.* admonent Parlador. *dict. lib. 2. cap. fin. 5. part. §. 16. numer. 9.* Amator Roderic. *dict. tractatu de execut. cap. 6. numer. 57.* & conducunt tradita à Ioanne Gutierr. *dict. 2. part. de tutelis cap. 5. num. 81.* vt probet ex *l. ſi emptionem 35. ff. de minor.* aduerſus adiectionem ab alio factam in ea re, quæ maiorũ eius fuiſſet, & ad creditorum ſolutionem, aut alia ex cauſa neceſſaria fuiſſet diſtracta, minorem prætextu læſionis reſtitui, cui finitimum eſt, quod adducto Caſſaneo *conſ. 55. n. 41.* docet Ioan. Baptiſt. Aſſin. *dict. tract. de execution. cap. 15. n. 7.* nempe minorem petentem reſtitutionem aduerſus rei ſuæ venditionem eſſe audiendum, ſi alius plus offerat quàm res vendita ſit.

SVMMARIVM.

Nemo poterat olim presbyter ordinari ante trigeſimum ætatis annum. 1.

Vrgente Clericorum indigentia, ante viceſimum ſaltim annum nullus presbyter ſiebat. 2.

In materia ſacrorum ordinum iuri potiùs Canonico, quàm ciuili ſtandum eſt. 3.

Hodie vt & veteri lege vigeſimusquintus annus inceptus pro presbyteratu ſufficit. 4.

S. Ioannes Euangeliſta quinto & viceſimo anno ætatis fuit Sacerdotio initiatus. ibid.

Hæc ætas cœpta dicitur, cùm anni vltimi vna tantum hora excurrit. 5.

Poſt mediam noctem illius diei, quo quis implet vigeſimumquartum annum, poterit licitè ordinari. ibid.

In computatione huius ætatis non habetur ratio diei biſſexti. 6.

Autores referuntur, qui de pœnis agunt cõtra promotos, & promouentes ante legitimam ætatem. 7.

Suſpenſus, quia ante debitam ætatem ordines ſuſcepit, an poſſit ab Epiſcopo diſpenſari? 8.

Suſpenſus ob ſuſceptos ordines in minori ætate an poſſit ea impleta abſque alia diſpenſatione celebrare? 9.

Suſpenſus propter Sacerdotium ante ætatem ſuſceptum, vtrùm queat in cæteris ordinibus ritè ſuſceptis adminiſtrare? 10.

An Confeſſarius per Bullam Cruiatæ poſſit abſoluere à ſuſpenſione per ordinationem ante legitimam ætatem incurſa? 11.

Prælati Regularium poſſunt abſoluere ſubditos ſuſpenſos propter ordines ante legitimã ætatem ſuſceptos. 12.

QVÆSTIO LV.

Ætas pro Presbyteratu neceſſaria qualis ſit?

Olim presbyter nemo, quamuis probabilis vitæ, conſecrari poterat, niſi qui triginta annorum ætatem adimpleret, vt quamplurimis iuris teſtimonijs comprobatur. Præcipuè ex textu *in cap. Epiſcopus 6. 77. diſtin. c. ſi quis 1. cap. nemo 2. cap. Presbyter 4. cap. ſi triginta 5. 78. diſtin.* & apud Hiſpanos ex textu in *l. 27. tit. 6. p. 1.* ibi: *E quando anduuiere en edad de treinta años, puede recibir orden de Preſte.* Quod regulare fuiſſe, exemplo Chriſti, Ioannis Baptiſtæ, Ezechielis, & aliorum Prophetarum, ex Concilio Neocæſarienſi traditur in *dict. c. Presbyter,* qui non leguntur ante hoc tempus prophetaſſe, vel prædicaſſe. Idque inſinuaſſe videtur D. Gregorius *in c. eſtote 119. 1. q. 1.* cùm ad ſacros ordines, niſi prouectiores ætate admitti prohibet, & Zocimus Papa in *c. ſi officia 2.* dum eam ætatem ad Sacerdotiũ deſiderar, quæ miniſterium implear *59. diſtin.* Quocircà niſi Clericorum indigentia exigente, vel alia quacũque Eccleſiæ neceſſitate poſtulante, hac ætate minores ad Sacerdotium minimè promouebantur: etſi fortè aliquando neceſſitas in cauſa eſſet, vt ab hac generali ætatis pręfinitione diſcederetur, à viginti quinque annis tantumdem Sacerdotes ordinare fas erat, *d. c. ſi triginta 77. diſtin.* vbi id Zacharias Papa Bonifacio Epiſcopo expreſsè ſcribit: itaque accipi poteſt, quod tradit Burcardus *in decretis lib. 2. c. 12.* nẽpe, Leuitam minimè ante 25. annum fieri cõſueuiſſe.

1

2

Quibus non refragatur ſacratiſſimi Imperatoris Iuſtiniani reſcriptũ in *Authen. de ſanctiſſ. Epiſcop. §. Presbyterũ, collat. 9.* vbi Presbyter minor triginta & quinque annorũ fieri nõ permittitur, quia ciuile hoc ſtatutum eſt, cui in hac ordinũ materia ſtare non oportet: argumento eorum, quæ ſcribit Maiolus *de irregularit. lib. 1. c. 30. num. 8.* ſed tantũdem Canonicis ordinationibus, quibus, vt iam cõſtitit, triginta annorũ numerus fuerat pro Sacerdotio præſcriptus. Vnde cũ ex *d. §. preſbyterũ, d. c. nemo,* eſſe deſumptũ, vt ex epigraphe, & ipſius textus verbis ſatis cõiectatur, nõ tri- 3

triginta & quinque annos ad Sacerdotium eſſe neceſſarios tranſcripſit Gratianus, aut quiſquis textum deſumpſit, ſed quinque prætermiſſis triginta reliquit, vt ſic cæteris iuris Canonici locis, vbi eadem ætas deſignatur, maximè conueniret.

4 Sed nouioribus decretis hæc omnia immutata ſunt, & ſacerdotium, quod ante trigeſimum annum iure veteri Hebræorum, vt autor eſt D. Hieronym. *in Ezechiel tit. 3. cap. 11.* conferri prohibebatur, *cap. innouamus 3.* iuncta *ibidem* Gloſſa *60. diſtinct.* hodie, nondum perfecto vigeſimoquinto confertur, *Clement. generalem de ætate & qualitat.* cuius ſimile ſtatuitur à Concilio Trident. *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 12.* & amplectitur à Nauarro *in manuali cap. 25. numer. 116.* Baſconcel. *in harmon. rubric. titul. de temporib. ordination. numer. 9.* Ioanne Guterrio *Canonicar. quæſtion. lib. 1. cap. 26. numer. 8.* Emanuel. Roderic. *quæſt. regul. tomo 3. quæſt. 23. art. 6.* & à pluribus alijs, quorum nomina ſcripſere Petrus Ledeſma *in ſumma part. 1. tractat. de Sacram. ordin. capit. 7.* Garſia *de benefic. part. 7. capit. 4. num. 21.* Sairus *de cenſuris lib. 6. cap. 12. num. 4.* Maiolus *loco vbi ſuprà*, Henriquez *lib. 10. de ordine cap. 19. numer. 2.* Ægid. *de Sacramen. tom. 2. diſput. 20. num. 102.* Auila *de cenſuris part. 3. diſput. 5. dub. 7. §. notandum vndecimo* Franciſc. de Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſt. part. 1. cap. 4. num. 31.* Bonacina *de Sacrament. diſput. 8. quæſt. vnica. punct. 5. numer. 12.* Moneta *de diſtributionib. 2. part. quæſt. 19. num. 12. & de commutat. vltimar. voluntat. cap. 10. num. 187.* tandemque Roderic. Acunha *in cap. ſubdiaconus 4. num. 1. 77. diſtin. & in dict. capit. ſi quis num. 1* Barboſ. *in collectan. ad dict. Clement. generalem, num. 3. & lib. iuris Eccleſiaſt. capit. 33. num. 88.* Antonin. Diana *reſolution. moral 2. par. tractat. 2. Miſcellaneo reſolut. 20. in princip.* & innumeri alij ſuprà *anno 22. & 23.* à nobis coaceruati his locis, vbi de ætate ad Subdiaconatum & Diaconatum ſingulariter egimus. Quod non tam nouum, quàm innouatum dicimus, cùm ex præſcripto diuinæ legis, *Num. 8.* non anteà conceſſum fuiſſet Leuitis in templo miniſtrare, vt etiam in Ioanne Euangeliſta obſeruatum his verbis demonſtrat Cæſar Baronius *Annali tom. 2. anno Chriſti 102. numer. 9. Cæterùm eum non adoleſcentulum putamus,* de Ioanne loquitur, *à Domino electum fuiſſe, vt pueritiæ confinis eſſet: ſed (quod aſſequimur coniectura) à Domino vocatum eſſe annum agentem vigeſimumſecundùm, ac tribus fermè manſiſſe cum Domino, ſicque tempore paſſionis eius natum annis viginti & quinque initiatum fuiſſe Sacerdotio: nam ab ea ætate diuina lege Leuitis conceſſum erat miniſtrare in tabernaculo fœderis, ſecundùm editionem Septuaginta, quæ (vt ſæpè diximus) hoc tempore penes Hebræos erat frequentiori vſu recepta: ſecundùm verò Hebraicam triginta annorum numerū fuiſſe præſcriptum Hieronymus tradit.*

5 Ex quibus omnibus, vt & alibi conſtanter defendimus, ætatem à Concilio pro ſacris ordinibus requiſitam inceptam ſufficere, ſaltim per vnam horam, vt contra omnes, qui ad minus integrum diem expoſcunt, reſoluimus: & facit quod in propoſito nouiſſimè ſcribit Antonin. Diana *reſolut. moral. 5. part. tractat. 5. reſolut. 17. in fine,* nempe, illum qui hodie, verbi gratia, implet ætatem viginti & quatuor annorum, poſſe ſtatim poſt mediam noctem ſacerdotem ordinari, quia iſte reuera dicitur attigiſſe vigeſimumquintum annum, vt etiam docet Sanchez *in opuſcul. tom. 2. lib. 7. capit. 1. dubio 33. numer. 6. & 7.* & Naldus *in ſumma verbo ætas, numer. 3.* quos idem Dia- 6 na refert & ſequitur. In qua quidem annorum computatione non eſſe numerandum diem biſſexti, quia annus à iure determinatus intelligitur annus conſtans ex 365. diebus continuis, tenet ex Henriq. *vbi ſuprà,* & Aloiſio Ricio *in praxi fori Eccleſiaſtici poſt reſolution. 276. in notabili de materia Sacramenti ordinis, verſic. Quod interſtitia, in ſecunda editione,* Rodericus Acunha *in dict. capit. ſi quis num. 1.* vbi contrariam ſententiam amplexum fuiſſe Fornarium *de ordine cap. 3. numer. 5.* & Bonacin. *dict. puncto 5. num. 14.* refert.

7 Cæterà autem, quæ hîc diſputari poterant de pœnis contra promotos, & promouentes ad presbyterium, ante implementum dictæ præfinitæ ætatis, latè diſſerunt ſupra relati, præcipuè Gutierrez de Acunha *in d. cap. ſubdiaconus.* Antonin. Dian. *reſolut. moral tractat. de Sacramentis, reſolut. 182.* & nouiſſimè *part. 5. tractat. 10.* vbi *quæſt. 32.* 8 diſputat, an ſuſpenſus iuxta Bullam Pij II. quia ſuſcepit ſacros ordines extra tempora ante legitimam ætatem, diſpenſari poſſit ab Epiſcopo, vel ſuperiori Regulari? In qua quæſtione nulla electa ſententia, vtramque ſuis defenſoribus munitam, more ſuo, exhibet, vti & *reſolutione 34.* cuius ille titu- 9 lus, *An ſuſpenſus ex ordinatione ante legitimam ætatem poſſit celebrare illa completa ſine alia diſpenſatione?* Secùs verò in reſolu- 10 tione ſequenti. An ſcilicet ſuſpenſus propter ordines ſuſceptos ante legitimam ætatem poſſit exercere ordines alios rite ſuſcep-

cep-

ceptos ante legitimam ætatem poſsit exercere ordines alios rite ſuſceptos? Vbi negatiua reiecta, quam docet Villalobos *tom.* 1. *tractat.* 38. *difficult.* 11. *numer.* 2. affirmatiuam ſententiam cum Henriquez, Auila, & Scortia ipſe ſuſtinet. Et tandem *reſolut.* 55.

11 illud mouens dubium, an confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſsit abſoluere à ſuſpenſione incurſa per ordinationem ante legitimam ætatem? contra Rodriguez *in additionibus ad Bullam Cruciatæ* §. 9. *n.* 59. affirmatiuam ſententiam vt veriorem tenet, quam etiam defendunt Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *numer.* 3. *in gloſſa lit. V.* Medina *in inſtruct. lib.* 1. *capit.* 11. §. 8. Auila *de cenſuris part.* 8. *capit.* 6. *dub.* 2. TrullenK. *in Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 16. *num.* 3. ex Cornejo *in* 3. *part. tract.* 5. *de ſuſpenſ. diſputat.* 4. *cap.* 3.

12 Illud autem coronidis loco ſubijciam, videlicet Prælatos Regularium poſſe abſoluere ſubditos ſuſpenſos propter ordines ante prædictam legitimam ætatem ſuſceptos, vt abſolutè docent Portel *in dubijs regular. verſ. Ordines ſacri, numer.* 14. Hieronym. Rodriguez *in compend. quæſtion. regular. reſolut.* 106. *num.* 26. Antonin. Diana *reſolut. moral. part.* 2. *tractat.* 2. *de dubijs regular. reſol.* 85. vbi & non obſtare ſubiungit, quòd Sixtus Quintus in ſua conſtitutione contra male promotos reuocauit priuilegia regularium ad abſoluendos ſic malè promotos: quia poſteà per alios Pontifices reualidata eſſe affirmat, ex communi Doctorum traditione, de qua Sigiſmundus à Bononia *tract. de electione p.* 2. *cap.* 4. *dubio* 76. *n.* 6. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 19.

SVMMARIVM.

Beneficia, honores, dignitates, aut quælibet alia officia curam animarum principaliter habentia, non poſſunt ante vigeſimumquintum annum ætatis obtineri. 1. & 4.

Eadem ætas requiritur, quamuis cura animarum beneficio adiuncta, ſit ſolum iuriſdictionalis. 2.

Vbi non principaliter, ſed acceſſoriè cura animarum beneficio ſubeſt, maior ætas viginti & quinque annorum minimè requiritur. 3.

Quantò ſublimior eſt dignitas, tantò maior ætas in eligendo ad eam debet deſiderari. 5.

Maior dignitas maiorem requirit prudentiam. ibid.

In vicarijs, in commendatarijs perpetuis, & temporalibus, in coadiutoribus, adiutoribus parochorum, quos vulgò Teniētes *dicimus, eadem ætas expoſcitur.* 6.

Qui habent curæ exercitium, licèt actu tantum, dicuntur curam animarum habere. 7.

Parochus beneficij ruralis, quilibet, etſi annum quintum & viceſimum non egerit, creari poterit. 8.

Qui eius ætatis exiſtit, vt intra annum poſsit ordinari, non poteſt ad concurſum beneficiorum admitti. 9.

Legitima ætas nominationis, vel oppoſitionis tempore adeſſe debet, nec ſufficit ante adeptam beneficij poſſeſſionem illam adimplere. 10.

Si tantùm aptitudine, & non actu requiratur Sacerdotium, aut alius ſacer ordo in beneficio, neceſſariam ætatem ad ordinem tempore nominationis præſentandus habere debet. 11.

Pontificia diſpenſatione minor poteſt eligi ad beneficium curam habentem animarum. 12.

Diſpenſatio ſuper ætate ſine derogatione regulæ Cancellariæ emiſſa, non prodeſt ad beneficium curatum, niſi habenti tertium & vigeſimum annum. 13.

Diſpenſatio ad eiuſmodi beneficium nominatim concedi debet, nec ſufficiet ſi ad ſacros ordines fuerit impetrata. 14.

Diſpenſatio non extenditur ad conſecutiua ſeparabilia. 15.

Ex eo quòd Pontifex ſcienter minorem in Parochum elegit, & ne curam deſereret animarum illi iniunxit, cum illo diſpenſaſſe non videtur. 16.

Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum minore, vt poſſit ad curatum promoueri? 17.

QVÆSTIO LVI.

Quota ætas requiratur in beneficiarijs Parochiam vel Curam animarum habentibus?

SIue de honoribus, aut dignitatibus diſcutiamus, ſiue de reliquis beneficijs, quibus ex natura ſua, vel principali inſtituto ſubeſt animarum cura, ſemper & omni iure inconcuſſum apparebit, inchoatam viginti & quinque annorum ætatem ad ipſorum conſecutionem deſiderari. De dignitatibus ita apertè conuincitur ex *cap.* 11. Con- 1

Concilij Tridentini *ſeſſ.24. de reformatione,* illis verbis: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltem 25. ſuæ ætatis annum attigerit.* & confirmant vltra alios Nauarrus *in manuali, cap.25. num.135.* Sylueſter *in additionibus ſummæ ad finem poſitis, verbo ætas, verſ.1.* Flamin. Pariſius *lib.4. de reſignat. c.9. num.16. & c.11. n.14.* Læſius *de iuſt. & iure lib.2. c.34. dubit.20. nu.107.* Petr. Gregor. *in titul. de elect. cap.11. nu.3.* P. Vazquez *tractat. de beneficijs cap. 3. §.1. dub.2. num.19.* Nicol. Garſia *de benefic. p.7. cap.4. n.41.* vbi Ogedam, Azorium & alios refert Moneta *de commut. vltim. volunt. cap. 10. num.115.* Viuianus de dignitatibus Cathedralis Eccleſiæ loquens *in praxi iuris patronatus lib.1. cap.1. n. 158.* Ricius *in praxi rerum quotidian. reſolut.120. num.3.* Anton. Maſobr. *in ſua praxi habendi concurſum*
2 *requiſit.10. dub.11. nu.24.* Nouar. *in ſingul. iur. canon. concluſ.14.* Squilante *de priuilegijs Cleric. cap.4. num.72.* Auguſt. Barboſ. *de officio & poteſt. Epiſcop. p.3. allegat. 60. num.65. & lib.1. iuris Eccleſ. capit.21. numer.47. & tractatu de Canonic. cap.3. num. 18. & ſequent.* vbi hanc reſolutionem procedere ſubiungit ex Nauarro & Sairo, quamuis cura beneficijs, aut dignitatibus adiuncta iuriſdictionalis ſit.

3 At verò ſi non principaliter, nec ex natura ſua curam animabus impendere illarum poſſeſſores debeant, ſed acceſſorie, vtputa, quia parochialis ipſis dignitatibus vnita eſt, prædicta viginti & quinq; annorũ ætas haut quaquã neceſſaria erit, ſed duo & viginti annorũ ſufficiet, vt alibi retulimus & affabre cẽſet Hieronym. Gonçalez *in regul.8. Cancellariæ, gloſ.9. num.4.* & pro vtraque parte accerſitis fundamentis reſoluit Aloiſius Ricius *in praxi deciſionum, deciſ.735.* Galat. *in Margarit. caſuum conſcientiæ, verbo Parochus 6.* Campanil. *in diuerſ. iuris Canonic. rubricis, rubrica 7. capit.6. num.22.* Auguſtin. Barboſ. *in remiſsion. ad dictum cap.12. Concilij,* vbi licèt hoc manifeſtè affirmet, non tamen, inquit, ita ab eminentiſsimis Cardinalibus Concilij interpretibus fuiſſe declaratum, vt ipſius teſtimonio falſo refert Alfonſ. de Lara *dict. c.19. num.11.* idem Barboſa *dict. tract. de Canonic. cap.13. n.21.*

4 De cæteris vtique beneficijs, quibus ab ordinatione, & primordijs inſita principaliter animarum cura & directio eſt. Idem cauetur *in cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora, de electione,* & *in cap. licèt canon.14. eodem titulo lib.6.* Quæ iura inſtaurantur per Concilium Tridentinum *dict. cap.12.* & illud exponens ſacra Congregatio Cardinalium expreſſe declarauit, vt patet ex ea declaratione, quæ incipit: *Congregatio Concilij cenſuit ad obtinendam parochialem, &c.* quæ extat inter pretermiſſas a Ioanne Gallemart, & ab ipſo in fine Concilij editas, *fol. mihi 724.* quam ſententiam confirmant Staphilæus *de liter. gratiæ, tractat. de qualitat. & ſtatu beneficiatorum. titul. beneficij in obtentione quæ requirantur num.2.* Lapus *allegat.35. num. 4.* Gomecius *de grat. ſpectat. num.86.* Azorius *inſtit. moral. part.2. lib.5. in princ. verſicul. Quartò requiritur,* Garſia *de beneficijs, dict. cap.4. num.41. & 44.* antea Maiolus *de irregular. lib.1. cap.30. num.12.* Filiucius *de ſtatu Clericor. tract.41. cap.5. num.29.* Ricius *in praxi rerum quotidian. d. reſolut.120. num.9.* Moneta *dict. cap.10. nu.114.* Viuian. *dict. lib.1. praxis cap.1. num.188.* Vazq. *vbi ſuprà num.15. & 16.* Qui omnes plane fatentur vigeſimoquinto anno incepto minores ad parochialium regimen aſſumi non debere, eo nimirum, inquit, in propoſito Paulus Zachias medicolegal. *lib.2. tit.1. q.5. numer.4. & ſequenti,* quia quantò maior hæc dignitas cæteris exiſtit, tanto maior ætas in eligendo ad ipſam deſideratur, ex Garſia, quem ibi allegat *de beneficijs part. 7. capit.4.* & hoc non iniuria, quia maior dignitas maiorem requirit prudentiam: maior autem prudentia, ex maiori ætate habetur, quia ex experientia, quæ indiget tempore.

Quorum ſententia locum etiam obtinet 5
in Vicarijs, ſiue Commendatarijs perpetuis Eccleſiarum parochialum, & autoritate Clement.1. *de offic. Vicarij,* tenent cum Azorio *dict. cap.5. verſicul. Prætereà in Vicario,* Filiuc. *de ſtatu Clericor. dict. cap.5. n.29.* Monet. *de commut. vltim. volunt. dict. c.10. num. 114.* & ſimiliter in commendatarijs temporalibus, quibus vltra ſemeſtre eiuſmodi beneficia committi nequeunt, *cap. nemo deinceps 15. de elect. lib.6.* quoniam eadem ætas requiritur in commendis, ac in beneficijs, Ri- 6
cius *in praxi rerum quotid. reſol.310. n.15.* docet Auguſt. Barboſ. *in collectan. ad dict. capit. nemo deinceps num.3. & in paſtorali p.5. allegat.59. n.23. & de iure Eccleſiaſtic. lib. 3. cap.9. n.7.* & demum *de officio Parochi capit.5. numer.4.* vbi inquit, ea omnia ſupradicta de parochiali, quæ datur in titulum, procedere etiam in ea quæ in commendam datur. Itaque debere concedi ei, qui ſtatim poſſit per ſe ipſum ei deſeruire, quamuis minori ex ſtylo dari curatum in commendam vſque ad decimumoctauum annum referant Staphileus *de liter. grat. rubric.*

de qualit. & ſtatu benefic. verſ. Hinc eſt quod de ſtylo, quem ſequitur Rebuffus *in praxi, titul. de commerc. numer.* 34. Itemque & in coadiutoribus parochorum ſuperior reſolutio locum habet: nam vt optimè aduertit Hieronymus Gonçalez *in regul.* 8. *Cancellar. gloſ.* 5. §. 9. *num.* 6. in coadiutore requiritur eadem ætas, & idoneitas, quæ requiritur in titulari; vnde infert, quòd ſi datur coadiutor rectori parochialis, requiritur in in eo ætas 25. annorum, & ſi datur Epiſcopo, debet compleuiſſe 30. annum: necnon & id adiutoribus parochorum, quos vulgo tenientes appellamus ex opinione Azorij, & Filiucij *vbi ſuprà*, eo nimirum quia parochis nullus datur adiutor neque ab ipſis conſtituitur, vel nominatur, niſi Sacerdos. Et denique, quia eiuſmodi adiutores in id creantur, vt parochos ipſos in parochia regenda & adminiſtranda iuuent, ac per conſequens vt cum eis curam animarum exerceant. Qui verò habent curæ exercitium, dicuntur curam animarum habere, quamuis actu tantùm, Gloſſa *dict. cap. ſuper eo, verbo Annexa, verſicul. Vicarius, de præbendis in* 6. & ibi Geminianus *numer.* 4. *poſt medium, verſicul. Et quod Vicarius*, Franchus *numer.* 2. *circa medium, verſicul. Vnde ipſe Vicarius*, Faſtol. *dub.* 25. *numer.* 2. Farinacius *deciſ.* 785. *num.* 4. *in poſthumis* 1. *tom.* licèt contrarium ipſe docuerit *deciſ.* 489. *numer.* 7. *eodem tom.* 1. ergo, illa ætate eſſe debebunt, quam iura gerentibus ſimilem curam præſcribunt.

7

8 Et conuincitur: nam prædicta legitima ętas in his tantùm beneficiarijs depoſcitur, qui acta curam obtinent animarum, non verò in illis, qui habitu ſolummodò habent, vti patet in parocho beneficij ruralis, qui licèt in minori ætate conſtitutus ſit, tale beneficium habitu ſaltim curatum poſsidere poterit, ex ſingulari doctrina Hieronimi Gabrielis *conſil.* 191. *numer.* 20. *lib.* 1. & Garſiæ *de beneficijs* 5 *part. capit.* 3. *numer.* 111. & 115. Igitur cùm abnegari non queat; eiuſmodi parochorum adiutores actu curam ſubire animarum; minus perpenſis proximè dictis diffiteri poterit, eos viginti & quinque annorum eſſe debere.

9 Sed vt ad parochos noſtros reuertamur, adeò enim verum extat, neminem in eorum numerum poſſe cooptari, qui præfinitam ætatem non attigerit: quòd ſi aliquis pro conſequendo beneficio curato ad concurſum, vel publicum examen acceſſerit, qui intra annum poſt electionem ſibi conceſſum ad ſacros ordines ſuſcipiẽdos requiſitum quintum & viceſimum annum aget, nihilominus quaſi incapax, & non legitimæ ætatis, nec eligi, nec ad concurſum admitti validè poterit, ſecundum doctrinam Dominici *in cap. ſi is ad quem, n.* 6. & Franc. *ibidem n.* 1. *de inſtit. lib.* 6. Lambert. *de iure patron. lib.* 2. *p.* 1. *art.* 29. *n.* 4. & Riminald. Senior *conſ.* 764. *num.* 8. *volum.* 4. quam refert Borgnin. Caualcan. *tom.* 1. *deciſ. in indice verbo Officialis*. Adeſſe enim prædicta ætas nominationis, aut oppoſitionis tempore præciſe debet, vt ex Ioanne Gutierrez *conſ.* 44. 10
num. 7. Zeuallos *q.* 693. *num.* 7. Perez de Lara *de anniuerſarijs, & Capellan. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 55. & 58. docet Garſia *de benefic. d. cap.* 4. *num.* 86. Nec ſufficit illam vel intra annum, vel ante adeptam beneficij poſſeſſionem adimplere: vnde fit, vt ſi minor viginti & quinque annis obtinuit nominationem ad beneficia curata, & antequàm beneficium vacaret, reperitur in legitima ætate, non poterit vigore dictæ nominationis in beneficio prouideri, quia tũc temporis cûm nominatus fuit, legitimam ætatem habere debuit, vt patet ex *cap. ſi eo tempore.* 9. *de reſcript. dict. lib.* 6. & optimè reſoluit Rebuf. *tractat. nominat. q.* 9. *n.* 15. P. Baſilius *de matrim. lib.* 8. *c.* 2. *n.* 2. & ſi eius cauſa fuerit prouiſus, irrita beneficij collatio erit, quaſi in eum facta, qui ætatis defectu laborabat, argumen. *dict. cap. licèt canon, de electione lib.* 6. & eorũ quę tradit Garſia *d. c.* 4. *n.* 41. Conducunt tradita à Thom. Sanchez *lib.* 7. *conſ. c.* 1. *dub.* 48. *n.* 6. ſcilicet, quòd vbi 11
beneficiũ habet aptitudine ordinem ſacrum annexũ, ex priuilegio, cõſuetudine, vel ſtatuto, licèt nõ requirat actu ordinẽ illum ſacrũ, at requirit in pręſentando eam ætatem, quã illum ſacrum ordinẽ, quem habet annexum, requirit, *c. ei cui, de præbend. in* 6. Quod etiã procedere multis relatis docet, ſi beneficiũ diaconalẽ tantùm, vel ſubdiaconalẽ ordinẽ requirat, quia eadem eſt ratio, cùm Eccleſia ita indigeat ſeruitio diaconi, & ſubdiaconi in miniſterio altaris, ſicut & Sacerdotij.

Quapropter concludendum erit, dictam ætatem eo inſtanti perfectam deſiderari, 12
quo quis aut eligitur, aut nominatur ad beneficium curam habens animarum, niſi diſpenſationem impetrauerit Apoſtolicam: nam tunc etſi minoris ætatis tempore nominationis fuerit, admitti ad beneficium debebit, ſiquidem diſpenſatio eiuſmodi Pontificalis habilem & idoneum cuiuſcumque ętatis minorem reddit, etiam ad beneficium Curatum: quod ita accipiendum eſt cum Rebuffo *in praxi, titul. de diſpenſat. ratione ætatis, n.* 10. dummodò diſpenſatio

tio cum derogatione regulæ Cancellariæ Innocentij expediatur: alioqui diſpenſatio non ſuffragabitur, niſi habenti tertium & vigeſimum annum, nam virtute dictę regulæ, cùm diſpenſatio conceditur ſuper defectu ætatis, de duobus tantùm annis data intelligitur.

14 Quæ diſpenſatio ad obtinendum beneficium curatum expreſsè concedi debet: nam ſi virtute diſpenſationis, quam minor impetrauit, vt ad ſacros ordines promoueretur, beneficium curatum aſſequi vellet inane ipſius deſiderium foret. Nam diſpenſatus vt presbyteratum recipiat, non ob id beneficium curatum obtinere poterit, eâ nimirùm ratione inquit Rebuffus *in praxi titul. de di-*
15 *ſpenſatione ad plura beneficia*, quia diſpenſatio non extenditur ad conſecutiua ſeparabilia, vt eſt beneficium curatum reſpectu preſbyterij, cùm rectè diſpenſatio ad presbyteratum debitum ſortiri poſſit effectum abſ-
16 que beneficio. Nec magis diſpenſatus minor iudicabitur, quamuis ſcienter Pontifex eum in curatum elegerit, & inſuper admoneat, ne curam animarum negligat, ſi Felino credimus, in *cap. cùm vigeſimum, num. 5. de officio delegati*.

17 Cæterùm vtrùm Epiſcopo ius ſit diſpenſandi, vt minor poſsit ad beneficium, quod Curam habet animarum alligatum, aſſumi? nonnulli diſputarunt, quos recenſet P. Azorius *dict. 2. part. inſtitut. moral lib. 6. cap. 5. verſic. Cæterùm quæſtionis eſt*, ſed tamen illis expretis, qui affirmatiuam ſententiam nullo probabili fundamento tuentur, his meritò adhæret, quibus negatiua magis placet.

SVMMARIVM.

Reprobatur ſententia exiſtimantium nullam de iure præſcriptam eſſe ætatem ad Abbatiam. 1.

Ætas quinque & viginti annorum pro Abbatia deſideratur. 2.

Ad omnes dignitates, excepto Epiſcopatu, quintus & viceſimus annus requiritur. 3.

Ætas pro Abbatia requiſita, incepta ſufficit. 4.

Quoad ætatem attinet, nulla datur differentia inter Abbatiam ſæcularem, & regularem. 5.

Abbatiſſa triginta annorum eſſe debet. 6.

D. Didac. de Narbona.

QVÆSTIO LVII.

Pro Abbatibus conſtituendis quæ ætas requiratur?

Errarunt dubio procul doctiſſimi 1 alioqui Quintanadueñas *libro 1. Eccleſiaſticon cap. 6. numer. 11.* Gabriel Vazq. *tract. de benefic. cap. 3. §. 2. num. 14.* & Auguſt. Barboſ. *de iure Eccleſiaſt. lib. 1. capit. 17. num. 30. in principio*, dum enixè affirmant, in Abbatibus nuſquam in iure Pontificio certam deſignatam ætatem reperiri. Nā quid clarius Concilij Pictauienſis conſtitutione *in c. 1. de ætat. & qualit. ordinandor.* quæ eandem ętatem, quæ ad presbyteratum ad Abbatialem etiam dignitatem expoſtulat? dum ſtatuit vt Abbates, Decani, & Præ- 2 poſiti, qui presbyteri non fuerint, presbyteri omnimodo fiant. Ergo eadem quæ ad Preſbyteratum, ad Abbatiam ſimiliter requiritur ætas quinque & viginti annorum: ſic in eo qui Abbatialem dignitatem eſt eligēdus, deſiderant Syluester *in ſumma verbo Abbas, in principio, & verb. ætas, n. 2. verſ. Quartum quoad beneficia.* Capella Toloſana *q. 318.* vbi etiam Additionator, Maiolus *de irregular. lib. 1. c. 30. num. 13.* Quintilian. Mandoſ. *conſ. 1. num. 1.* Pater Azor *inſtit. moral. p. 2. lib. 6. c. 5. in princip. verſ. Secundò quæritur,* Oldrald. *conſ. 14. n. 11.* Sigiſmund. à Bononia *de electione, dub. 2. n. 1. verſ. Et hanc aſſertionem*, Ojeda *de incompatibil. beneficior. p. 1. c. 24. poſt n. 11.* Cardin. Tuſch. *lit. A. concl. 5. n. 13. & concl. 337. n. 3.* Nicol. Garſia *de benefic. tom. 2. part. 7. c. 4. num. 74.* Vazquez *vbi ſupra*, Campanil. *in diuerſorio iuris Canonici, rubr. 7. cap. 6. num. 101.* & nouiſſimè Auguſt. Barboſ. *vbi proximè*: licèt minus benè ſextum & vigeſimum annū putet ad eiuſmodi dignitatem neceſſarium Turrecremat. *in capit. iuuenes 20. quæſt. 1.* Nam prætérquàm quòd ſupradicta communis ſententia ex *d. cap. 1. de ætate & qualit. ordinand.* ſatis 3 expreſſe colligitur, ex eo etiam confirmatur, quod in alijs dignitatibus quam in Epiſcopatu, ſufficiunt viginti & quinque anni, vt probat text. *in c. cùm in cunctis, §. inferiora, de electione*, & Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de reformat. c. 12. verſic. Nemo deinceps*: igitur & in Abbatia ſufficient, quę proculdubio dignitas eſt Epiſcopali inferior, vt multis oſtendit idem Barboſa *dict. cap. 17. numer. 1. 2. & 3.*

4 Nec requiritur quòd hæc ætas ſit extremè completa, ſufficiet tamẽ quòd cœpta fuerit, vt communiter docent ſuprà relati, præcipuè Sylueſter *dict. verbo ætas nu.2. & verbo Abbas, numer.13. ad finem*, & congeſti à Barboſa *dict. num.30.* quibus ipſe etiam ſubſcribit.

Quod non ſolùm procedit in Abbatijs ſæcularibus, vt obſeruat Barboſa, ſiue hæc in commendam, vel alio modo conferantur, iuxta deciſionem text. in *cap. nemo deinceps, de electione lib.6.* per quem ita tradit Sylueſter *dict. verbo Abbas n.13.* ſed etiam in Abbatijs regularibus: quoniam genericè loquuntur Doctores, dum aiunt, in Abbatijs vigeſimumquintum ſufficere annum, non diſtinguentes inter regulares & ſæculares: maximè Zauarella in *Clement. generalem, poſt num.7. de ætate & qualitat.* Ioan. Selua *tractat. de benefic. part.1. quæſt.5. num.15.* Quibus ſuffragatur argumentum à paritate rationis, quam eandem eſſe inter Abbatem ſæcularem, & regularem, poſt Ojedam *d. part.1. cap.5. num.6.* & Campanil. *dict. capit.6. num.102. verſic. Quod idem*, rectè admonet Barboſa *dict. cap.17. numer.30. in fine:* quare Tamburin. *de iure Abbatum & Prælatorum, tom.5. diſputat.5. quæſt.9. à principio*, eandem ætatem viginti & quinque annorum requirit in Abbate generali, contra Ludouicum Miranda, qui in *manuali Prælatorum tom.1. quæſt.3. artic.1. concluſ.2.* oppoſitum defendit.

Nec ſuperioribus quidquam oberit, in Abatijs monialium triginta annorum ætatem neceſſariò requiſitam fuiſſe per text. in *capit. indemnitatibus 43. in principio, de election. lib.6.* & conſequenter idem in Abbatibus eſſe dicendum: quia conſtitutio hæc, quæ de fœminis tantùm loquitur, ad viros, quorum diſpar cauſa & ratio eſſe videtur, trahi non debet, nec extendi. Nam turpe quidem exemplo videretur, veluti fœmineo vocabulo maſculos contineri, *l. ſi ita ſit ſcriptum 45. in principio, de legat.2.* cum ſimilibus. Quod apertè inſinuauit S. P. in *§. fin. eiuſdem cap.* cùm docet, omnia quæcumque dicta ſunt in *dict. cap. indemnitatibus*, de monialium Abbatiſsis tantûm, vel de Prioriſſis eſſe intelligenda; nec ex illa conſtitutione iura de virorum electionibus tractantia immutata fuiſſe, vt pulchrè animaduertit Gloſſa in *dict. cap. indemnitatibus, in principio, verbo triceſimum*, & nos alibi dicemus *anno* ſcilicet 30. cùm de Abbatiſſæ neceſſaria ætate ſermo inciderit.

SVMMARIVM.

AD Decanatum, & Præpoſituram vigeſimusquintus annus, ſaltim inceptus, requiritur. 1.

Decanatus & Præpoſituræ eadem dignitas eſt. 2.

Ætas quinque & viginti annorum an potiùs in Decano ratione adiūcti presbyterij, quàm animarum curæ deſideretur? 3.

QVÆSTIO LVIII.

Quænam ætas deſideretur in Decanatus, aut Præpoſituræ poſſeſſore?

A Superioribus igitur profluit propoſitæ inueſtigationis reſolutio: Nam ex quo tam ex diſpoſitione iuris communis, quàm ex recentiori ſacri Concilij Tridentini ordinatione prædiximus, omnibus, & quibuſcumque dignitatibus præficiendis, quibus animarum cura iniungitur, neceſſariam viginti & quinque annorum ætatem ſaltem inceptam reputari, conſectarium euincitur, eundemmet annorum numerum etiam in eo requiri, qui Decanatus, aut Præpoſituræ (quod idem eſt, vt ex Azorio refert Filiucius *de ſtatu Clericor. tractat.41. cap.1. numer.20.*) honorem appetit, vt in expreſſo probant Romanæ Eccleſiæ Antiſtites in *capit. cùm in cunctis 7. §. inferiora, de electione, & in cap.1. de ætate & qualitate*, & ibidem communiter Expoſitores, quibus ſubſcripſere Quintanadueñas *Eccleſiaſticon lib.1. numer.11.* Ioan. Azorius *inſtitut. moral. 2.p. lib.6. cap.5. verſ. Secundò quæritur*, Nicol. Garſia *de benef. 2. tom. part.7. cap.4. numer.73.* Vincent. Filiuc. *de ſtatu Cleric. tractat. 41. cap.5. numer.31.* Ioan. Petr. Moneta *de commutatione vltim. volunt. cap.10. n.114.* Adam Contzen. *Politicor. lib.6. cap.4. §.4.* cùm hæc non minor dignitas ſit, Farin. *tom. 2. deciſ. nouiſ. deciſ.533. nu.4.* nec minorem animarum curam ſortiatur, vti Azorius *ſup.* & Ricius *in praxi var. reſol. reſol.166. n.4.* Filiuc. *tract.41. c.1. n.29.* præcipuè notant, quibus addendus erit P. Vazquez *de benef. c.3. §.2. dubio 2. num.16.*

Quæ veriſſima ratio eſt deſideratæ huiuſmodi ætatis ad Decanatum, non verò illa, quam afferunt Garſia & Filliucius videlicet, quia de iure communi annexum ha- 3

habet Sacerdotium, veluti ex *dict. cap. 1. de ætate & qualitate*, & ex *capit. innouamus 3. 60. diſtinct.* colligitur: ſiquidem hoc ſufficiens non erat, vt tempore adeptionis neceſſariò prædictam viginti & quinque annorum ætatem attingere debuiſſet; veluti ipſorum, & fere omnium fert ſententia. Cùm ſat eſſet ſi in ea ætate inueniretur, qua intra annum presbyteratus ordinem ſuſcipere poſſet, *cap. præterea*, iuncta Gloſſa *de ætate & qualitate, cap. licèt, de election. in 6. capit. ſi pro Clericis, de præbendis, eodem lib. capit. ſi is, de inſtit. eodem lib. 6.* & expreſſiùs cauetur Concilij Triden. decreto, *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 12.* Ergo tenẽdum erit eo nimirum tali ætate conſtitutum eſſe debere, qui ad decanatum promoueri deſiderat, non quidem quia dignitati adiunctus presbyterius id poſtulat, ſed imò quia connexa animarum cura vrgentiùs exoptat.

SVMMARIVM.

Prælati inferiores Regularium varijs nominibus inſignuntur. 1.

Prælati inferiores Regularium quinque & viginti annorum ſaltim eſſe debent. 2.

Prælati eiuſmodi parochialiũ Rectoribus aſſimilantur. 3.

Prior Conuentualis non differt à Priore Collegialis Eccleſiæ. 4.

Prior Collegiatæ Eccleſiæ viginti & quinque annorum eſſe debet. ibid.

Prioratus & Abbatiæ idem eſt officium. 5.

Vbi licet cura animarum per ſæculares iudices ſatisfacere, Prior viginti annorum eſſe poteſt. 6.

Prælaturæ nullam habentes curam animarum poſſunt hodie à Regularibus poſt decimumſextum annum obtineri. 7.

QVÆSTIO LIX.

Quæ ætas deſideretur in Prioribus, Guardianis, Miniſtris, & alijs Prælatis inferioribus Regularium?

Prælati Regularium, non quidem ſuperiores, vt Prouinciales & Genarales, de quibus ſeparatim nobis deinceps agendum erit, ſed his proximi, & inferiores, qui ſingulis monaſterijs præficiuntur, varijs nominibus ſolent appellari, alicubi enim Priores, Abbates, Guardiani, & alicubi Miniſtri, Correctores, Præpoſiti, & Cõmendatores nuncupantur, prout vniuſcuiuſque Religionis mores, & ſtatuta præſcribunt. Verùm cùm horum omnium eadem dignitas & officium ſit, nec diſcretio nominum munerum differentiam inter ipſos inducat, vna eademque ætate viginti & quinque annorum omnes eligi indiſtinctè debere quaſi pro regulà hìc tradendum erit, quam de Prioribus & Abbatibus loquentes expreſsè confirmant Additio *ad Capellam Toloſ. quæſt. 318.* Selua *de benefic. 3. part. quæſtion. 5. num. 20.* Petr. Rebuff. *ſuper concord. rubric. de reg. ad Prælat. nomin. fac. §. monaſterijs, in verbo viginti & trium*, Quintil. Mandoſ. *de ætat. minor. c. 5. num. 103.* Petr. Moneta *de commutat. vltimar. volunt. c. 10. n. 114.* qui omnes prædictam ætatem nõ expletam, ſed cœptam ſolummodò requirunt. Quibus addendus erit Gabriel Vazq. *tract. de benef. c. 3. §. 2. n. 15.* 2

Et probatur manifeſtè in *Clement. 1. §. cæterùm, de ſtatu Monachorum*, illis verbis: *Caterùm prioratus conuentuales alicui, niſi vigeſimumquintum annum attigerit, &c. conferri nequeant, aut committi*: faciuntque pro hac ſententia ſequentes rationes. Primùm, quòd Priores, Guardiani, & ſimiles Prælati Conuentuales, parochialium Rectoribus, ſiue Curatis æquiparantur in animarum cura, & ſollicitudine, ad quam ſimiliter ipſi tenẽtur, vt teſtatur harum rerum peritiſſimus Emanuel Rodriguez *tom. 3. quæſ. regul. q. 31. art. 2. in principio*: ſed iſti nequeunt ante dictam quinque & viginti annorum ætatem promoueri, vtpotè ex traditis ſuprà *hoc eodem anno* ſuo loco affatim conſtat, necnon vt ex notatis à Barboſa *tract. de paroch. cap. 2. n. 6.* ergo neque his ſimiles Priores & Guardiani citiùs eligi poterunt. 3

Rurſus hoc conuincitur, quia Prior Conuentualis in nullo differt à Priore ſæculari, qui caput obtinet in Eccleſia collegiata, cùm & pari dignitate fulgeat, *Clemen. & ſi principalis, de reſcript. c. niſi eſſent, circa finem, de præbend.* ex quibus ita docent Federic. de Senis *conſ. 25. n. 4. verſic. Non obſtat quod dicitur*, Grilencon *conſ. 50. n. 5.* Cardin. Tuſch. *lit. P. concl. 108. n. 11.* & nouiſſimè Auguſt. Barboſ. *d. lib. 1. de iure Eccleſ. vniuerſ. c. 30. n. 17.* & ſimiliter Eccleſiã Collegiatã habere dicatur, iuxta Oldrad. *conſ. 281. in princip.* & Barboſ. *vbi proximè n. 11.* At Prior Collegiatæ Eccleſiæ debet eſſe cõſtitutus in ætate viginti & quinque annorũ inceptorum, vt tradit Nicol. Garc. *de benefic. p. 7. c. 4. n. 65.* Filliuc. *in quæſtion. moralibus tom. 3. tract. 41.* 4

cap.5. num.3. quibus accedit Barboſa *de officio & poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 60. num. 64.* & iterum *dict. c. 30. iuris Eccleſ. num. 5.* igitur & eiuſdem ætatis Prior conuentualis eſſe debebit.

5 Quod & inde iuuatur, nam vt initio obſeruauimus, Priores, & Abbates eiuſdem officij diuerſa ſunt nomina: vnde Priores Abbatibus æquiparari docet Barboſa *d. cap. 30. num. 15.* argum. text. *in capit. fin. de regular.* dum inquit, *Patres Abbates, ſeu Priores*: quapropter cùm hanc eſſe Abbatibus neceſſariam ætatem iam *hoc anno* ſatis exhibuerimus, eandem ad Priores, Guardianos, & ſimiles Prælatos deſiderare operæpretium erit.

6 Niſi tales ſint Priores, qui licèt iniunctam habeant curam, & ſolicitudinem animarum: attamen per ſæculares Clerico tanto muneri valeant ſatisfacere. Nam ſi eiuſmodi fuerint, ante prædictum quintum & vigeſimum annum rectè eligi poterũt, dummodò vigeſimum ſaltem peregerint, vt habetur in *dict. Clementin. §. cæterum*, & refert Petr. Moneta *dict. in loco*, & ante eum Syluester *vbi ſuprà numer. 2.* & Additio. *ad Capellam Toloſan. d. q. 318. in fin.* & Selua *d. q. 5. num. 21.*

7 Vel niſi adeò ſimplices, & nomine tenus Priores exiſtant, quòd neque per ſe, neque per alios præfatam curam animarum exerceant, quoniam tunc ſufficiet eos decimumquartum annum exceſsiſſe, vt de prioratu rurali loquentes tradunt Federicus de Senis *conſil. 49.* Maiol. *de irregul. lib. 1. cap. 30. num. 2.* Selua *dict. quæſt. 5. num. 22.* conducit text. *in capit. nullus 28. de elect. lib. 6.* dum eo præcipitur, quòd nullus religioſus ad Abbatiam, ſeu Prælaturam ſuæ, vel alterius religionis de cætero eligatur; niſi anteà fuerit ordinem regularem expreſſe profeſſus. Vnde infert Syluester *dict. num. 2. ad medium*, in decimoquarto anno ſaltim eos eſſe debere, cùm non anteà valeant profiteri: etſi tanti viri illeſa exiſtimatione potiùs crediderim profeſsionis neceſſitatem, *dict. in capit.* non ideò deſiderari, vt eius ſaltim ætatis eligendus eſſe debeat, qua profeſſio emittitur: ſed quia verè religioſus eligatur, qui regularium regimini eſt præponendus. Nam ſi intuitu ætatis principaliter ibi profeſsio exigeretur, ſufficeret vtique, vt quis in Priorem, vel Abbatem eligeretur, quod neceſſariam profeſſi ætatem peregiſſet, licèt nondum eſſet profeſſus, quod plane diffitetur S. P. *in dict. cap.* dum expreſſam profeſſionem deſiderat, & alioquin electionem irritam reddit. Cæterùm cùm hodie ex Concilio Tridentino ætas ſexdecim annorum ad profeſſionẽ requiratur, vt ſuo loco diximus, hæc erit vt minimum neceſſaria ad eiuſmodi ſimplices Prioratus, vt benè aduertit Vazq. *vbi ſuprà.*

Vtrùm autem cum minore viginti & quinque annis diſpenſari poſsit per Epiſcopum, 8
vt Prioratum Conuentualem, vel non Conuentualem, curam tamen habentem animarum, poſsit obtinere, diſputat Capella Toloſan. *dict. q. 318.* vbi negatiuè reſoluit, & cum Franco & Imola *ibidem* additio.

SVMMARIVM.

Archipretbyteratus & dignitatem, & curam habet animarum. 1.

Ætas quinque & viginti annorum ad Archipresbyteratum eſt neceſſaria. ibidem.

Archipresbyter neceſſariò presbyteratus ordinem habere debet. 2.

Iura quæ trigeſimum annum presbyteratui neceſſarium præſcripſerant, à ſancto Concilio Tridentino fuerunt abrogato. ibid.

Archipresbyteratus hodie ſimplex beneficium habetur. 3.

QVÆSTIO LX.

Archipresbyter cuius ætatis eſſe debeat?

VT liqueat quæ ſit neceſſaria ætas in Archipresbytero, poſtquam in ſuperiori quæſtione omnibus dignitatibus curam gerentibus animarum quinque & viginti annos ſaltim inceptos requiri præfati ſumus, admonere ſat erit, Archipresbyteratum, ſiue vrbanum, ſiue ruralem, & dignitatem, & curam animarum habere, vt vtrumque notiſſimum eſt, & poſt alios probat Filiucius *de ſtatu Clericorum tract. 41. c. 1. numer. 28.* ſiquidem his animaduerſis facilè cum Quintanadueñas *Eccleſiaſtic. lib. 1. numer. 11.* Azorio *inſtitut. moral. lib. 6. cap. 5. verſicul. Secundò quæritur*, Garſia *de benefic. 2. tom. part. 7. capit. 4. num. 73.* & eodem Filiucio *dict. tract. cap. 5. num. 31.* affirmari poterit eandem ætatem viginti & quinque annorum ad Archipresbyteratus adeptionem exigi, quæ ad cæteras eiuſdem Curæ dignitates expoſcitur. 1

Cui definitioni nequaquam aduerſabitur 2
diſpoſitio, *c. ſi quis primo, & c. presbyter 4. 78. diſt.* qua præcipitur, vt nemo ad Preſby-

byteratum ante trigeſimum annum completum aſſumatur. Vnde inferri poterat idem eſſe ad Archipresbyteratum protrahendum, cùm neceſſariò huic muneri præficiendus presbyter eſſe debeat, *c. 1. de ætate & qualit.* notat Garſia *dict. c. 4. num. 73.* quia nouiori ordinatione *cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora, de electione*, approbata à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformat. c. 12.* vetus illud ius fuit abrogatum & ea inductum, vt ad presbyteratus ſuſceptionem vigeſimi & quinti anni attingentia ſufficeret, vt poſt Quintanaduenas vbi proximè obſeruat nouiſſimè Rodericus Acunha *in d. cap. Presbyter. n. 1.*

3 Sed licet hæc iure communi attento, ita ſe habeant, & Archipresbyteratus beneficium ſit Sacerdotale, vt tradit Garſia *de benefic. tom. 2. p. 7. cap. 1. nu. 40.* hodie tamen quia ſimplex beneficium habetur, nullam exigens reſidentiam, iuxta communem Eccleſiæ conſuetudinem, de qua per Garſiam *de benefic. tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 1. num. 25. & cap. 2. à num. 3.* facit declaratio Cardinaliũ tradita per Gallemart *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 12. verſic. Simplex beneficium, pagin. 591.* Gonçalez *in regul. 8. Cancellariæ, gloſ. 6. numer. 64.* ætas quatuordecim annorum ad illud ſufficiens iudicabitur, vtpote quę ſimplicium beneficiorum legitima exiſtit, vt ſuprà *anno* 14. ſuo loco reſoluimus.

SVMMARIVM.

Archidiaconatus munus, in curatum, & non curatum diſtinguitur. 1.

Nemo poteſt obtinere Archidiaconatum, cui eſt annexa cura animarum, ante maiorem quinti & viceſimi anni ætatem. 2.

Archidiaconi, oculi ſunt Epiſcopi. 3.

Archidiaconatus, qui ſine cura exiſtit, poteſt à minore poſt vigeſimumſecundum ætatis annum exactum obtineri. 4.

QVÆSTIO LXI.

Ad Archidiaconatus honorem?

1 Archidiaconatus, quorum ſumma dignitas eſt, teſte Vaſconcello *in harmonia, rubric. titul. de officio Archidiacon. numer. 1.* Aloiſio Ricio *in praxi variar. reſolut. reſolut. 168. num. 3. & 4.* & Filiucio *de ſtatu Cleric. tractat. 41. capit. 1. num. 27.* in curatos, & non curatos diſtinguuntur, ſiquidem aliqui ſunt, quibus animarum cura nequaquam inhæret, & nonnulli, quos hæc ſolicitudo animarum, eo modo quo explicat Filiucius *vbi ſuprà*, ita inſectatur, vt ſemper ipſorum obtentores comitetur, veluti non male ex *Pontificali deciſ. cap. dudum 54. de elect.* & ex traditis à Moneta *de conſeruat. cap. 5. num. 147.* & à Farinac. *deciſion. poſthum. 687. num. 7. tom. 1.* deprehendi poteſt. Quocirca non vna omnium ętas deſignari poterit, ſed diuerſa eorum, qui annexam habent curam animarum, & eorum item diuerſa, qui ſine cura ſunt. Ad Archidiaconatus 2 igitur, quorum moderatoribus incumbit ſaluti inuigilare animarum, vigeſimusquintus annus inceptus deſideratur: tum quia hæc omnium dignitatum, quæ ſimilem obtinent curam animarum legitima ætas exiſtit, vt alibi diximus, & verbis cauetur, *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de electione, & cap. innouamus 60. diſtinct.* & Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformat. capit. 12.* Tum etiam, quia idemmet Concilium inter dignitates, quibus dictam ętatem 25. annorum præſcripſit, Archidiaconatum conſtituit, vti ex illa clauſula ſubſequenti liquidò conſtat: *Ad cæteras autem dignitates* (egerat enim iam de Archidiaconatibus) *vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & 22. annis non minus aſciſcantur.* Ex quibus verbis plane conuincitur, Tridentinam Synodum vigeſimumquintum annum ad dictos Archidiaconatus exegiſſe, ac per conſequens de illis tantùm decreuiſſe, qui coniunctam habent animarum curam, vt Congregatio Cardinalium, qui ad explicanda Concilij dubia deputati ſunt, reſpondit, referente Ioanne Gallemart *ibidem*: & ſubinde ex eo coniectari poterat, quòd de his Archidiaconis loquitur, qui oculi ſunt Epiſcopi. Horum enim tam ſumma cura & diligentia animarum eſt, vt teneantur, veluti ex epiſtola Clementis Papę relata in *cap. Diaconi 93. diſtinct.* ſuadetur, quaſi oculi Epiſcopi oberrare, & circum luſtrare, cum verecundia actus totius Eccleſiæ perſcrutantes diligentiùs, ſi quem videant fieri vicinum præcipitio, & proximum eſſe peccato, vt referant hoc ad Epiſcopnm. Vnde cùm ex notatis ambigi non poſſit, Concilium de illis Archidiaconatibus egiſſe, quorum præcipuum munus & officium eſt, curam animabus impendere. Nec etiam dubitari poterit, ipſis eandem viginti & quinque annorum numerum deputaſſe, quem reliquis dignitatibus curam habentibus animarum ſtatuit,

tuit, maximè cùm ita arbitrentur Quintanadueñas *Eccleſiaſt.lib.*1.*n.*11. Moneta *vbi ſuprà n.*147. & Barboſa *tract.de Canonicis, c.*13.*n.*18.

4 Ad reliquos verò Archidiaconatus, qui nihil preter ſpecioſum nomen retinent, vt inquit Vaſconſcellus *vbi ſup. num.*2.& coniunctam nullam habent curam animarum, quales pene omnes ſunt, qui in Hiſpaniarum Eccleſijs hodie conſpiciuntur, vigeſimuſſecundus annus exactus requiritur, ſiquidem hæc definita ætas à Concilio Tridentino legitur verbis relatis, omnibus & quibuſcumque, tam Cathedralium, quàm Collegiatarũ Eccleſiarum dignitatibus ſine cura exiſtentibus, vt etiam manifeſtè affirmat Moneta *loco vbi proximè.*

SVMMARIVM.

*Vicarius Epiſcopi viginti & quinque annorum ſaltim eſſe debet.*1.

*Vicariatus Epiſcopi non eſt beneficium, ideoque vendi abſque labe ſimoniæ poteſt.*2.

*Vicarius eſt Parochus Parochorum totius diœceſis.*3.

Curam animarum habere nemo ante quintum & vigeſimum annum poteſt.ibid.

*Archipresbyteri, & Archidiaconi, Vicarij ſunt natiui.*4.

Ad Archipresbyteratum, & Archidiaconatum quæ ætas deſideretur? ibid.

*Ad Vicarium Capituli ſedevacante eadem maior ætas expoſcitur, etſi annum vigeſimum tertium ſufficere putarint alij.*5.

*Vicarius, etiam officialis propriè dicitur.*6.

Officialis an quinquaginta annorum eſſe debeat? 7.*& ſeqq.*

QVÆSTIO LXII.

Vicarius Epiſcopi cuius ætatis creari debeat?

1 Viginti & quinque annorum eſſe debere, & ratio ſuadet, & multi ex noſtris fatentur, vt Iacob. Rebuff. *in praxi benef. titul.de Vicario Epiſcopi num.* 27. Pat. Azor *inſtit.moral.tom.*2.*lib.*3.*cap.*43.*q.*10. Sbroz.*de vicario Epiſcopi lib.*1.*quæſt.*35.*& quæſt.*36.*num.*9. Auguſt. Barboſ. *in Paſtorali, allegation.*54.*nu.*54. Mauric.de Alzed. *de præcellentia Epiſcopalis dignitatis p.*2.*capit.*2.*num.*3.

2 Ratione inquam illa oſtenditur, quia licèt Vicariatus Epiſcopi non ſit beneficium, vt reſoluit nouiſsimè Antonin.Dian. *reſolution.moral.*4.*part. tractatu* 4.*miſcellan: reſolut.*167. inde inferens abſque labe ſimoniæ rectè emi & vendi poſſe; tamen officium eſt curam habens animarum annexam: vnde Vicarius communiter parochus parochorũ appellatur, ſiue prælatus in tota Diœceſi parochis ſuperior, ex traditis à Thom. Sanchez *de matrimon.lib.*3.*diſpat.*29.*numer.*15.*& ſequent.* Gonçalez *in regul.*8.*Cancellariæ gloſ.*6.*num.*83. Rota *deciſ.*258.*num.*4.*part.*1.*recent.* Auguſt. Barboſ.*de offic. & poteſtat.parochi cap.*1.*nu.*22. etſi parochum totius diœceſis dici poſſe negent. Quibus addendus eſt Genuenſis *practicab.Eccleſiaſ. trienario* 8.*quæſt.*221.*num.*3. vtpotè omnem ſpiritualem iuriſdictionem in ſe habẽs: quare liberam ſacramentorum adminiſtrationem ipſi competere docet cum Rebuffo Azor *dict.cap.*43.*in princip.q.*7. *verſic. Si quæras.* At officio curam animarum habenti nullus ante vigeſimumquintum annũ præfici poteſt, *cap.cùm in cunctis* 7. §.*inferiora, de electione*, iunctis alijs, quæ in hãc rem *hoc eodem anno* ſupra congeſſimus: ergo nec vicariatui. 3

4 Rurſus ad Archidiaconatus & Archipresbyteratus dignitates, quæ natiuę ſunt vicariæ, *cap.*1.*& cap.ad hæc, de offic. Archidiac.cap.*1.*& cap.officium, de officio Archipresbyteri*, qui prædicta ætate minores exiſtant, nequaquam aſſumuntur, vt ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*24.*de reform. cap.*22. & alijs ſuis locis notauimus. Igitur cùm ius quę naturalia videntur, ęmulari ſatagat, §.*minorem, cum ſimilibus, inſtit.de adoption.* eandem ętatem datiuo Vicario requireret, operę pretium erat.

5 Et denique, cùm hoc vicarij munus publicam ſortiatur adminiſtrationem, vt ex ſe patet, non niſi ab eius ętatis hominibus obiri poterit, qui ad publicas eiuſmodi functiones idonei reputantur, nempe ab agentibus quintum & viceſimum annum, *l. ad Rempublicam, ff.de muner.& honorib.* quibus rationibus idem in Vicario Capituli Sedevacante dicendum arbitror, etſi aliquando placuerit ætatem 23. annorum in hoc ſufficere, vt teſtis eſt Auguſtin. Barboſ.*tract. de Canonicis cap.*42.*num.*54. Nam Congregatio Concilij ſub die 11. Auguſt.1614. hoc minimè expedire cenſuit.

Si tamen obijciatur Vicarium eſſe officialem, vt tenet Gloſſa in *c.cùm in generali, de offic. vicarij*, & Azor *dict.cap.*43.*in princip.verſicul. Animaduertendum quoque*; adeo qui-

quidem, vt Vicarius & Officialis idem ſignificent, & in effectu nulla inter eos niſi in nomine ſit differentia, ex Hippolyt. Riminald. *in rubric. ff. de offic. eius, num.* 113. Couarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 20. *num.* 46. Mandoſ. *tractat. de commiſsionib. in commiſ. per breue* 28. *verb. Vicario, & in regul.* 14. *Cancellar. quæſt.* 6. *num.* 16. Menoch. *conſ.* 51. *num.* 38. Gonçal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 5. §. 3. *numer.* 8. quibus ſubſcribit Auguſtin. Barboſ. *dict. allegat.* 54. *num.* 53. vbi & illud ſubnectit, Romanæ Curiæ ſtylum obſeruare, quòd in expeditionibus, ſeu delegationibus ad Italiam, Vngariam, Dalmatiam, Epyrum, & Cretam, & partes Orientales, Siciliam, Sardiniam, & Corſicam concernentibus, Cancellaria verbo Vicario ſemper vtatur. Sed vltra montes Alpinos, vt in Hiſpania, Gallia, Germania, Polonia, Anglia, & in vltramarinis, vt in Africa, verbo tantum Officiali, vti ex Mandoſio didicit *dict. breue* 28. *verbo Vicario Bononienſi, & dict. quæſt.* 6. *numer.* 8. Hieron. Paul. *in practic. Cancellariæ, fol.* 7. *&* 8. & demum ex Sbrozio *lib.* 1. *quæ-*
7 *ſtio.* 2. *num.* 10. Cûm verò Vicarius officialis ſit ante quinquageſimum annum creari non poſſe videtur, quoniam eiuſmodi ætatis officialis eſſe debet, vt argumento *l.* 2. *ad finem verſic. Ergo Sabino, ff. de origine iuris*, docet Dominicus Taſſonus *obſeruation. iuriſdictionali. verſ.* 2. *obſeruat.* 2. *n.* 102. *ad mediũ*, quare & *verſic.* 3. *obſeruat.* 3. *num.* 80. Regios Conſiliarios eiuſdem ætatis eſſe debere affirmat.

8 Quippe obiectio hæc non admodum difficilis videbitur. Nam licèt fateamur Vicarium, officialem dici, non tamen inde neceſſariò infertur, quinquaginta annorum eum eſſe oportere: quandoque nullibi in iure caueatur, tantæ ętatis officiales futuros. Nec id argumento *dict. verſic. Ergo Sabino, dict. l.* 2. euincitur, cûm ibi ſolùm referatur, Sabinum iam grandem natu, & ferè annorum quinquaginta, in equeſtri ordine fuiſſe receptum, quod nihil ad rem pertinet, aut attinere poteſt.

SVMMARIVM.

Epiſcopi, & Eccleſiarum Cathedraliũ Prælati tenentur quotannis per ſe, vel per Viſitatores totam, vel maiorẽ partem diœceſis viſitare. 1.
Viſitator deputari debet, qui idoneus moribus, ſcientia, & ætate fuerit. 2.
Viſitator maior viginti & quinque annis eſſe debet. 3.
Viſitator eſt Vicarius Epiſcopi. 4.
Ante vigeſimumquintum annum nemo debet Vicarius Epiſcopi creari. 5.
Viſitatoris officium habet annexam curam animarum. 6.
Iuuenis prudens eſſe nequit. 7.
Prudentia indiget experientia. ibid.
Viſitator non iuuenis, ſed iam prudens ſit oportet. 8.
Diaconus viſitare poteſt. 9.
Viſitator in maioribus ordinibus eſſe debet. 10.

QVÆSTIO LXIII.

Vt quis valeat ab Epiſcopo in officium Viſitatoris aſſumi?

Piſcopi omnes, & Cathedralium Eccleſiarum prælati quotannis propriam diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitimè fuerint impediti per Vicarios ſuos, vel Viſitatores totam, aut ſaltim maiorem eius partem viſitare tenentur, vt habetur in *cap. Epiſcopum* 11. 10 *q.* 1. & probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 3. Ideò inueſtigandum ſuccedit, an cuiuſcumque, vel certæ alicuius ætatis Viſitatores deputare Epiſcopus debeat, caſu quo ipſe per ſe ex legitimo impedimento viſitationem expedire nequeat? Et ſi Altamirano credimus *tractat. de viſitat. pag. mihi* 186. *numer.* 9. ille ſolus poteſt ab Epiſcopo Viſitator deſignari, qui idoneus moribus, ſcientia, & ętate fuerit, argument. text. *in capit. cùm in cunctis, de electione.* Sed quæ ætas ipſum habilem, eligibilemque afficiat, nec ipſe Altamiranus, nec alius explicat. Mihi tamen videtur, maiorem viginti & quinque annis ætatem legitimam Viſitatoris eſſe. 1 2 3

Primùm, quia Viſitator Vicarius dicitur Epiſcopi, vt colligitur ex dicto Concilij loco, ibi: *Per ſuum generalem Vicarium, aut Viſitatorem*, quare Vicarium viſitantem illum meritò appellat Iacobus Sbrozzius *tractat. de Vicario Epiſcopi lib.* 2. *quæſt.* 122. *cum ſequentibus.* At dicta ætate viginti & quinque annorum poteſt quis Vicarius creari, vt ex Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. allegat.* 54. *num.* 54. Alzedo *de præcellentia Epiſcopalis dignitatis, part.* 2. *capit.* 2. *numer.* 3. & alijs *ſuprà quæſt. præcedenti* oſtendimus, ergo & eadem Viſitator effici poterit. 4 5

Secundum, quoniam eiuſmodi officium annexam habet curam animarum, veluti 6

ex fine, in quem principaliter ordinatur, ſatis colligitur: *Viſitationum autem omnium iſtarum*, inquit Concilium *dict. capit. 3. præcipuus ſit ſcopus, ſanam, orthodoxamque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, &c.* Vnde viſitationem definijt Auguſt. Barboſa *lib. 1. de iure Eccleſiaſtico, cap. 14. num. 2.* eſſe ſolicitudinem, quæ ordinarijs Eccleſiaſticis ad correctionem ſubditorum, & reformationem Eccleſiarum iure incumbit, docet expreſsè Fuſcus *de viſitatione, lib. 1. cap. 3. numer. 7.* & Altamiranus *dict. numer. 9. in fine.* Munus verò curam habens animarum nemo ante quintum & viceſimum annũ poteſt idoneè exercere, vtpotè ſuprà *hoc eodem anno* multis notauimus.

7 Tertiò probatur, ſiquidem non niſi poſt eiuſmodi tempus prudentia ſolet accidere. Ideò Ariſtotel. *6. Ethicor.* negabat, iuuenem poſſe eſſe prudentem, quia prudentia, inquit, requirit experientiam, quę indiget tem-
8 pore. Sed qui ad viſitationis munus eſt promouendus, prudens eſſe debet, vt innuit Concilium *dict. loco*, ibi: *Ex viſitantium prudentia*, &c. & planè obſeruat Altamiranus *vbi proximè, pagin. 185. numer. 1.* inde inferens *num. 9.* non oportere Viſitatorem iuuenem eſſe: ergo neceſſariò maturæ & perfectæ ætatis eſſe debebit.

Nec quòd Diaconus viſitare poſſit, vt conſtat ex *dict. cap. Epiſcopum*, & ex Barboſa *dict. cap. 14. num. 6.* quidquam immutat; quoniam hæc permiſsio non tam Viſitatoris ætatem, quàm ſacrum ordinem reſpicit, qui ſaltim Diaconatus in eo præciſe eſſe debet.
10 Oportet enim, vt optimè ibidẽ ratiocinatur Turrecremata *numer. 3.* quòd potiùs de maioribus ordinibus, quàm de minoribus ſint ad viſitationem mittendi, quia tales inſtructiores ſunt, & maioris autoritatis & grauitatis.

SVMMARIVM.

Infanti, & vtero exiſtenti poteſt dignitas à Principe conferri. 1. *& ſequenti.*

Ætas non à tempore conceptionis, ſed natiuitatis eſt computanda. 2.

Tribunatus poterat ab impubere obtineri. 3.

Infans coronari poteſt. 4.

Refertur ſententia exiſtimantium temporalem dignitatem cum adminiſtratione à maiore quatuordecim annis debere obtineri. 5.

Agitur de emendatione l. vltimæ, C. de teſtam. militis. 6.

Quintum & viceſimum annum eſſe ad ſæculares dignitates neceſſarium aliqui putant. 7.

Diſtinctione propoſita quæſtio reſoluitur. 8. *&* 10.

Infans caput Collegij eſſe poteſt. 9.

Succeſſione, aut Principis beneficio, non verò electione poteſt minor ad dignitates admitti. ibid. & ſeqq.

QVÆSTIO LXIV.

Sæculares dignitates, aut honores an certam aliquam ætatem requirant?

SI verum eſt, quod autoribus 1
Angelo & Alexãdro docet Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. tom. 1. cap. 75. num. 15.* videlicet non tantùm infanti, ſed etiam naſcituro poſſe à Principe dignitatem concedi, neceſſariò fateri adſtringimur, nullam eſſe honoribus, ſiue temporalibus dignitatibus præſcriptam ætatem, quam precisè agere debeat, qui ad eas promoueri iuſtè deſiderat, cùm etiam illarum ſit capax nullius ætatis homo, ideſt, in vtero exiſtens, vt ſentiunt Sforcia *de reſtitut. 1. part. q. 2. artic. 7.* Lucarin. *de fiduciar. tutel. 2. part. c. 6. num. 15.* Anton. Faber *in iuriſprud. Papinian. tit. 4. prin. 3. illat. 7.* Et quamplures 2
alij, qui computandam eſſe hominis ętatem aſſerunt ab inſtanti natiuitatis, non conceptionis. Et quidem ſi rem altiùs intueamur, Gratiani ſententiam iuri conformem experiemur, præſertim ex *l. Lucius 21. §. Imperatores, ff. ad muncipalem*, & ex *l. vnica, C. de mun. & honor. non contin. lib. 10.* quibus infantem Decurionatũ habere poſſe legimus, licèt honorem vel dignitatem eſſe fateatur Conſult. in *l. à Decurionatu 5. ff. de vacatione munerum*, his verbis: *A Decurionatu, quamuis hic quoque honor eſt, ad alium honorem nullam vacationem tribuendam Vlpianus reſpondit.*

Rurſus eandem ſententiam commendat 3
l. vlt. C. de teſtament. militis, vbi antiquis legibus permiſſum refertur impuberem, ſi Tribunatum numerorum merebatur, vltimum elogium conficere poſſe. Et ſi hodie etiam apud noſtros contrarium caueatur in *l. 5. titul. 5. lib. 3. fori legum*, vbi Gloſſ. 1. & apud Luſitanos *lib. 4. ordination. titul. 83. §. 3.* hac verborum ſerie: *Porque ſe algun menor de quatorze años foſe ſoldado, ou tibeſſe na milicia algun officio ou dignidade, nau podera*

por

por iſſo teſtar. Cuius meminit Pinellus *ſele-ctar.lib.2.cap.*10.*num* 57. Idque inde fieri notat Corraſius *lib.*5. *Miſcellanea.capit.*22. *num.*3. Quoniam pupillus cuiuſcumque dignitatis, quæ officium & adminiſtrationem non habet capax eſt. A quo minimè diſſentiunt Petrus Fab. *in l.*2. *paulò ante finem, verſic. Cui ſententia obeſſe videtur, ff. de regul. iuris;* & Oſuald. *lib.*6. *Donelli capit.*28. *liter. C.* dum inquiunt, Tribunatum in *dict. l. vltima* nomen honoris fuiſſe, non officij adminiſtrationis, ideoque ipſius capacem eſſe pupillum, vnde ait Cuiacius *in dict. l. vltim.* veteri militia, ſæpiſsimè nobiliſsimos pueros ad Tribunatum militum fuiſſe promotos, vt fit etiam hodie, vt Dux, vel Imperator exercitus, ſiue Princeps, puer & admodum impubes ab eximia & excelenti virtute: quod & repetit *lib.*17. *obſeruation. cap.*36.

4 Conducitque pro hac opinione quod obſeruant Corraſius *vbi proximè*, Quintiliar. Mandoſ. *de ætate minori, cap* 3. *num.* 14. & concinit noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, cap.*16. *num.*7. Niſque alibi latiùs exornauimus, nempe pupillum, etiam Infantem coronari poſſe, & ad ſummã Regni, vel Imperij dignitatem conſcendere.

5 Nihilominus ad temporalem dignitatem cum adminiſtratione quatuordecim annos requiri enixè defendit Reſtaurus *tract. de Imperat quæſt.*73 *à numer.*24. quod vel inde probari optimè poteſt, quod D. Adrianum poſtmodum conſtituiſſe legimus, ne quis impubes fieret Tribunus militum, ſic Valerianus apud Voſpicum *in Probo: Miraris*, inquit, *quòd ego imberbem Tribunum fecerim contra inſtitutum Diui Adriani?* & de Adriano Spartian. *nullum*, inquit, *Adrianus Tribunum niſi plena barba fecit, aut eius ætatis, quæ prudentia & annis Tribunatus robur imploret.* Quam opinionem adeò veram exiſtimat Iacobus Rebardus *lib.*4. *variar. cap.*8. vt minimè credi poſſe obteſtetur, militarem Tribunatus eiuſmodi dignitatem à Romanis Principibus in pupillos vnquam collatam fuiſſe. Ideoque locum Iu-

6 ſtiniani in *dict. l. vltima*, ſic eſſe emendandum exiſtimat, vt pro *Tribunatum numerorum* legamus *in Tribunatum numerorum.* Hoc eſt, ſub Tribuno militum, quamuis hoc ea ratione diſpliceat Giphanio *ibidem*, qui ipſa Imperatoris loquendi ratio emendatio nem refellit. Nam miles dicitur *mereri*, & non *mereri*, vt loquitur Iuſtinian. & miles dicitur merere in exercitu, vel in legione, ſed non in Tribunatu, in Centurionatu. Et tum etiam, quia refragatur Vegetij teſtimonio *lib.*1. *cap.*4. aſſerentis, olim adoleſcentulos interdum, etiam impuberes, ad officia militaria prouehi ſolitos.

Sed neque hac ſola pubertatis ætate eos exiſtere ſat eſſe, qui hiſce ſunt præficiendi dignitatibus, ab ijs omnibus diſſidẽs mauult Panormitanus *in cap. præterea num.* 5. *de ætate & qualitate.* Quinimò vigeſimoquinto anno maiores illos eſſe oportere exiſtimat. Indeque inferens, eandem ætatem ad Eccleſiaſticas dignitates, quibus animarum nulla cura ſubeſt, eſſe neceſſariam, vt ſuprà *anno* 22. id latiùs retulimus. Conſentit Panormitano Duarenus *tit. de re iudicata in methodica ipſius explicatione, capit.*1. *in fine*, vbi inquit, minorem 25. annis ad honores municipales nequaquam admitti debere. 7

Verùm vt hæc omnia rectè inter ſe cohæreant, diſcrimen conſtituendum erit inter honores & dignitates, quæ iure ſucceſſionis, & Regalis munificentiæ, aut electionis competunt, ſiquidem in illis, ad quas vel proximus agnatus, vel inſtitutus, aut à Principe nominatus admittitur, vt Ducatus, Comitatus, & Marquionatus primæ opinionis ſententiam procedere tenendum erit, dummodo in honore ſolummodò, & nõ in adminiſtratione dignitas conſiſtat: nam ſi adminiſtrationem exercitiumque habuerit, ſuccedet quippe infans in naturali dignitate, ſed non in officiali, vt de fœminis loquens, quibus pariter iudicare, & gubernare interdicitur, *l.*2. *ff de regul. iur.* voluit Baldus *in l. in multis, in princip ff. de ſtatu homini*, quem ſequitur Ludouicus Romanus *conſil.*98.2. *dubio prope finem*, Ioannes Lupus *in repetitione rubric. de donatione inter virum & vxorem, §.*69. *númer.*26. Tiraquellus *de primigenijs quæſt.*10. *num.*19. & hiſque Matiençus *in dialogo relatorum* 4. *part. capit.*7. *numer.*1. & in propoſito infantem dicit Perez de Lara *dict. tractat. cap.*16. *numer.*22. poſſe caput eſſe Collegij, non tamen officiũ exercere, interimque (vt de Tribunatu loquens fuiſſe antiquitus vſitatum ex Apiano commemorat Petrus Fab. *loco iam memorato*) officium per tutores, & Curatores adminiſtrabitur, donec infans ad pubertatis annos peruenerit: quo tempore ſi non in iudicando, vel alio ſimili munere, ad quod pleno iuditio ſit opus conſiſtat, per ſe illud exercere poterit, vt ſecunda fert opinio, quę niſi hoc caſu accipiatur, omnino falſa erit. 8 9

Cæterùm ſi de illis agatur honoribus, vel dignitatibus, quarum adeptio ab electione dependet, & quæ iudicandi, aut ſimile aliud munus adiunctum habent, in his proculdubio 10

bio vltima Panormitani opinio locum ſortietur, cùm rationi ſit & iuri conueniens, ne anteà quis ad tantum promoueatur faſtigiū, quàm iudicium fuerit conſequutus ad id neceſſarium, ſiquidem vt probat textus *in l. ad ſubeunda 45. C. de Decurionibus lib. 10.* ad maiora officia & dignitates potiores, & digniores eligi oportet: *Ne tales fortè nominentur*, ſubiungit, *qui functiones publicas implere non poſſint.* Pro quo faciunt quæ de ætate ad Imperatoriam, & Regiam dignitatem proximè ſcripſimus.

SVMMARIVM.

NVlli ætati deeſt conſilium. 1.

Poſt annum quintum & vigeſimum frequenter homines recto conſilio pollent. 2.

Iuuenum conſilia temeraria dicuntur. 3.

Familiares Regum, *quos* Priuados *dicimus, ſenes eſſe debent. ibid.*

Dominus Eugenius de Narbona *Autoris patruus laudatur. ibidem.*

Munera perſonalia, quæ ad ſui expeditionem conſilium requirunt, minoribus dari non debent. 4.

An maior ætas requiratur, vt quis poſſit in alienis rebus conſilium præſtare? 5.

Fœminæ toto tempore vitæ ſuæ ſine conſilio ſunt. 6.

Executio teſtamenti fratribus relicta, ſororibus non cenſetur legata. ibidem.

Conſilium fœminarum fragile eſt. 7.

Fœminæ antiquitus ſub perpetua tutela erāt. ibid.

Etiam maiori ætate viginti & quinque annorum conſilium in fœminis fauorabiliter præſumitur. ibidem, & 8.

Fœminæ non omnes, ſed aliquæ tantùm conſilio carent. 9.

QVÆSTIO LXV.

Ad Conſilium ſiue proprio, ſiue alieno negotio vtiliter præſtandum?

1 NOn enim poteſt cuilibet ætati deeſſe conſilium, vt ſcribit Aurelius Caſſiodor. *lib. 8. variar. cap. 2.* ſed poteſt prout cuiuſque annorum numerus fert, aut ſanum, vel inſanum conſilium ineſſe. Quapropter diſceptare non immeritò conuenit, quę adeò omnibus numeris abſoluta hominis ætas credatur vt ſuis, alieniſque rebus cōſulere, ſine periculo expediat? Cuius quæſtionis definitio ab Vlpiani quidem reſponſo pēdere videtur in *l. 1. ff. de minor.* vbi dum 2 inter omnes cōſtare ait, fragile & infirmum eſſe minorum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorum inſidijs expoſitum, conſequenter fateri videtur, maiorum quinto & viceſimo anno conſilium optimū, ac congruentiſsimum reputari. Quo etiam argumento paſsim ex Interpretibus id communiter deducitur, præcipuè ex Bertrando *conſ. 37. numer. 10. part. 2.* Tiraquell. *gloſ. 8. poſt ll. connubial. num. 43.* Federic. Scoti *lib. 6. reſponſ. reſponſ. 15. num. 45. verſicul. minor. tom. 3.* Bettazol. *tractat. de clauſulis, clauſul. 10. gloſ. 3. num. 3.* Anton. Sola *in conſtit. Sabaudiæ, titul. de minor. 1. par. gloſſa vltim fol. mihi 112.* & ex noſtro Alphonſo de Lara *in compend. vitæ homin. capit. 25. num. 14.*

3 Et meritò vtique, nam vt ex Catone inquit Cicero, & probat Iacobus Simancas *de Republica lib. 7. cap. 8. numer. 787.* iuuenum, ætatiſque florentis temeritas eſt: quomodò enim ſuis, alieniſque rebus proſpicere poterit, qui temerario quodam auſu & veluti præceps in conſilium agitur? Vnde Alexand. ab Alexan. *lib. 4. dier. genial. capit. 11.* *iuſtum dicentes*, ait, *vt qui alij conſulturi eſſent, ipſi ætate, & autoritate valerent*, & D. Gregor. *lib. 19. moral. cap. 13.* *Iuuenes*, inquit, *dici ſolent, qui nulla conſilij grauitate fulciuntur*, cuius exemplo idem omnes Principes admonet literatiſſimus, ac dilectiſsimus patruus, nec familiæ tantùm, verùm & totius Hiſpaniæ noſtræ decus, eo libellulo, quem noſtro idiomate *Doctrina Politica y Ciuil* inſcripſit, in quo nihil vulgatum, nihil triuiale reperies, ſeu verba: ſeu ſententias ſpectes. Is ergo *aphoriſmo 128.* ita loquitur: *Los moços no ſon buenos para conſejo, que el ardor de la ſangre los haze temerarios.* Quocirca Carol. Scriban. in *Politico Chriſtian. lib. 2. cap. 46.* cùm de eligendis familiaribus Principum, quos *Priuados* dicimus, ageret: *Deligant autem*, inquit, *quos grandior ætas, rerumque experientia docuit, quibus Regni negotia, robora, opes, & hoſtilis potentia cognita, qui conſilio & autoritate valeant, quibuſque in arduis animus & induſtria, in ſecundis moderatio, ad perſuadendum elocutio, & incorruptum ante omnia pectus.* Hinc eſt, iuuenum conſilia, communi calculo exprobari, quod illis Stobæi verbis manifeſtè Iuſt. Lypſ. adnotat in *notis ad 4. lib. Politicorum c. 4. pag. 64.* *Valde iuuenē, nec Magiſtratum gerere, nec conſulere, etiamſi optima mente conſtitutus eſſe videretur.*

4 Vnde infertur rectè ſcripſiſſe Bartolum *in l. 1. C. qui ætate, vel profeſſ. ſe excuſant. lib. 10.* quædam eſſe munera perſonalia, in quibus requiritur conſilium, vt eſſe de Conſilio, vt habere aliquod regimen, quæ non conceduntur minoribus viginti & quinque annorum, niſi in defectum: cui meritò ſubſcribens Caldas Pereira in *l. ſi curatorem, verbo Hunc contractum, numer.* 41. *C. de in integr. reſtitut.* affirmat, huius ætatis minorem, ciuitatis conſiliarium, vel vt optimè interpretatur Accurſius in *l. ſed etſi dolo*, §. 1. *verb. Dolo decurionum, ff. de dolo*, & probatur ex textu in *l. pupillus* 239. §. *munus, de verbor. ſignif.* tradit ex pluribus Loleus *de iure vniuer.* 1. *part. cap.* 3. *num.* 12. decurionem, ſeu rectorem eſſe non poſſe: requiritur enim ad huiuſmodi munera obeunda ſanum conſilium, quod cùm in minoribus deficiat, rectè ab illorum functione arcentur. Quamuis eundem Bartolum *in l.* 1. *C. de mun. & honor. non continuandis inter patrem & filiū lib.* 10. contrarium dixiſſe falſo aſſerat Ioan. Bertachinus *tract. de Epiſcop. quæſt.* 31. *numer.* 57. vbi ex Baldo *in l. fin. C. de teſtament.* concludit, infantem caput Concilij, vel Collegij eſſe poſſe, ſed non officium exercere.

5 Verùm ſupradictis obſtat Sforcij doctrina *part.* 1. *de reſtitut. q.* 1. *art.* 3. *num.* 39. qua maximum eſſe diſcrimē docemur, quoad ætatem pertinet, inter conſilium ad propria & ad extranea negotia: ſentit enim quintum & viceſimum annum iam agentem ſuis in rebus proprio quaſi apto conſilio vti poſſe, in alienis vero minimè, niſi trigeſimum annum exceſſerit, ſicque interpretandum eſſe contēdit Agathenſe Concilium *in capit. Epiſcopus* 77. *diſt.* vbi ad culmen dignitatis Epiſcopalis triginta annorū ætas expoſcitur. Sed vtique non video, qua ratione hæc diſtinctio defendi poſsit, maximè cùm iuris ſit manifeſtè, quinto & viceſimo anno maioribus, pupillorum, ſiue omnium, quibus bonis interdictum eſt, leges bonorū adminiſtrationem permittere, vt *hoc eodē anno* ſatis demonſtratur. Ergo ſignum eſt, homines ſecundùm iuris cenſuram prouectioris ætatis eſſe minimè debere ad conſilium circa aliena negotia capeſsēdum, ac regulariter ſint oportet, vt proprijs rebus conſulant.

Nec contrarium ex *d. c.* probatur, quia prçterquàm quòd nulla ibi conſilij mentio ſit, vel quicquam de hac re dubitare contingit, illa deciſio ſuo tantùm caſu locum habet, vt nec inſubtiliter cùm perfectæ ætatis diſputatio incidit, latiùs obſeruauimus.

6 Quid autem in fœminis dicendum ſit, ſupereſt, vt pro complemento adijciamus: & quidem ſi Socino Iuniori *conſil.* 50. *num.* 4. *lib.* 3. & Aldrouand. *in* §. 1. *numer.* 36. *inſtit. de ſatiſdat. tutor.* quos refert Sforcia *ſuprà art.* 4. *num.* 41. fides adhibenda eſt, nulla fœminis certa ætas præſcribi poterit, qua ſalubre conſilium habere credantur; cùm mulieres fragilis conſilij eſſe, quouſque viuunt, affirment, & roboratur illo Tacito 15. *annal. Plerumque muliebre conſilium deterius.* Vnde aduerſus propria commoda laborare dixerunt Imperatores in *l. ſi pater extrema, C. de ſponſalib.* & ex *l. vltim. C. de leg. tutor.* cum alijs notat P. Sanchez *conſil. lib.* 4. *capit.* 1. *dub.* 40. *num.* 7. quòd relicta à teſtatore proprijs fratribus executione teſtamenti, non cēſetur ſororibus delegata ob imperfectum fœminarum conſilium: & inquit Gloſſa *in princip. inſtit de ſatiſdat. tutor. verbo Idonei*, obſeruatque *ibidem* nota marginalis *liter. A.* conſilium maſculi firmum, bonum, & manens eſſe, ſed fœminæ infirmum & debile (ſi fortè mulieris conſilium dici poteſt. Nam ex Baldo, Guillelmo Benedicto, Tiraquello, & alijs id negat Carolus Tapia *de relig. rebus cap.* 6. *num.* 49. aſſerens, maris, & non fœminæ conſilium dici) vnde Ariſtoteles 1. *libro Politic. cap. poſtremo*, tres hominum gradus excludit à conſilio, ſeruos, pueros, fœminas: qua de cauſa antiquitus ſub perpetua tutela extitiſſe, manifeſti iuris eſt. Et comprobat Cicero *pro Lælio Flacco*, dum nō licere, inquit, abſque curatorum arbitrio quidquam mulieribus agere, & *pro A. Cecina*, quod mulier ſine tutore autore promiſerit, non deberi: & apertiſsimè rurſus *pro Lælio Murena*, mulieres omnes, ait, propter infirmitatem conſilij, maiores, in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. Ex quibus, alijſque pluribus mirè hoc adſtruit Andreas Tiraquell. *in l.* 1. *connubial.* 1. *part.* & Læl. Viſciola *horar ſubſeſſiu. lib.* 17. *cap.* 8. Oſualdus *lib.* 3. *Donelli cap.* 14. *liter. C.* & *lib.* 12. *cap.* 22. *liter. V.* Sed vtut ſit, abnegari non poteſt, mulieribus in eo iura ſubuenire, vt hac in parte viris exæquentur, & veluti anno viceſimoquinto virilem ſexum apti conſilij cō potem arbitrantur, ita & muliebrem eiuſdem participem fauorabiliter dicto tempore præſumere. Vnde eſt, fœminas eodem anno cū viris ſuorum bonorum adminiſtrationem nanciſci, & in integrum reſtitutionis beneficium amittere, vt ex Iacobo Cuiacio *in commentar. ad l.* 1. *de minorib. & ad l.* 5. *ff. qui teſtam. facer. poſſ.* Franc. Cald. *in l. ſi curatorem in definit. verb. Minoribus, n.* 1. *C de in integrum reſtitut.* & Oſuald. *lib.* 1. *Donelli c.* 7. *lit. A.* alibi obſeruauimus. 7

8 Quemadmodum intelligenda ſunt verba Sancti Pontificis Gelaſij in *capit. duas 2. §. ſi virgenes 27. quæſtion.* 1. quæ eiuſmodi leguntur: *Quantò magis vidua, quæ perfectioris ætatis & conſilij exiſtunt.* Vbi cùm eius ætatis mentionem fecerit, qua fœminæ optimum conſilium habere creduntur, perinde eſt, ac ſi id mulieribus certa ætate contingere expreſſe aſſirmaſſet, cuius vtrique annorum numerus ſub inuolucro illius verbi, *quæ perfectioris ætatis*, non obſcure indicare videtur. Nam vt retrò huius Canonis autoritate probauimus, perfecta ætas in fœminis eodem anno vigeſimoquinto cum viris inchoatur: ergo planum fit, quoad conſilium attinet, nullum vtroque ſexu ætatis diſcrimen eſſe.

9 Nec quicquam proficit, quod ex Socino & Aldrouandino proximè retulimus, nempe mulieres quouſque viuunt, conſilij experres videri: quia licèt id in aliquibus verum ſit, in omnibus tamen apertè falſum eſſe Conſultus demonſtrat in *l. ita 5. §. Papinianus, ff. de adminiſtratione & periculo tutorum*, vbi eo caſu quo pater tutelam filiorum conſilio matris geri mandauit, ſalubre mulieris conſilium eſſe admittendum doctiſsimi Papiniani autoritate confirmat. Quod vtique minimè probaſſet, ſi ea eſſet omnium fœminarum natura, vt reddendo vtili conſilio non ſufficeret. Nec minus Iuſtinianus ipſe propriam vxorem in magnis, & ſummi ponderis negotijs, conſilij participem faceret, vt ſic factitaſſe teſtatur in *Authent. vt iudices ſine quoquo ſuffragio, capit. 1. in principio, collation. 2.* vbi ſingulariter *verbo Reuerendiſſimam coniugem*, notat Accurſius conſilium ab vxore ſumendum eſſe: quem ſequuntur Hoſtienſis *in ſumma, titul. de matrimon. §. 1. col. 2. verſic. Sed & in eo habet*, Oldrald. *conſ. 95*. incipienti *ex forma iſtius, circa finem*, Ioan. Andr. *in cap. qui prior ad calcem, de regul. iur. lib. 6. in Mercurialibus*, Alberic. Fulgoſ. Iaſon, Curtius & alij, quos recenſet Tiraquell. *in l. 11. connubial. gloſ. 1. part. 11. num. 2.* vbi ex Barbacia *in rubrica de conſuetud. col. 5. verſ. Tu limita hoc, & in Clement. 1. fol. 6. in paruis, de electione*, id probare contendit ex deciſione *l. bene à Zenone finali, C. de quadrien. præſcriptione.* Nã cùm ibi Iuſtinian. ipſe de propria vxore loqueretur, ſubdit: *Qui enim ſuis conſilijs, ſuiſque laboribus pro toto orbe terrarum die, noctuque laborant, quare non habeant dignam ſua prærogatiua fortunam?* in cuius comprobationem plura *ibidem* prædictus Autor adducit, à quibus libenter abſtinemus, ne vt de Caſaneo *numer.* 28. conqueritur, totas paginas, imò & planè librum de legibus connubial. integrum in ſuum traduxiſſe, furti & nos conueniat.

SVMMARIVM.

R*Eferuntur Autores, qui huius quæſtionis meminerunt.* 1.

Infans cuiuſcumque ætatis iure ſucceſſionis ad Regnum admittitur, qui illius iuriſdictionem per tutores exercere debet. 2. & 4.

Qui ad Regnum naſcuntur, mirabili naturæ arcano, ſtatim ac in lucem prodeunt, ſapere videntur. 3.

Vbi Reges electione fiunt, non niſi quinque & viginti annorum aſſumi debent. 4.

Ad Regni moderationem optimo conſilio opus eſt. 5.

Regia dignitas cæteris præcellentior eſt. 6.

Qui in Regem eſt eligendus, cæteros prudentia antecellere debet. 7.

Reges duplicem Angelum cuſtodem habere creduntur. ibid.

Rex dicitur Gubernator, & Decurio. ibid.

Ad Regem & Imperatorem ſpectat, Conſules, Proconſules, & cæteros Magiſtratus creare. 8.

Indigna res eſt dari honores ab eo, qui eos gerere nequit. ibid.

Rex tutor vocatur, & Regnum pupillus. 9.

Se & alios defendere Rex tenetur. ibid.

Præcipuum officium Regum eſt iudicare. 10.

Qui populo Iſraelitico Imperabant, quare iudices fuiſſent dicti. 11.

Iudex quinto & vigeſimo anno maior eſſe debet. 12.

Reſtauri *ſententia improbatur exiſtimantis Imperatorem decimoquarto anno ætatis eligi poſſe.* 13.

D. Ambroſius *fuit iuriſperitus. ibid.*

Imperatoris perfecta ætas quæ dicatur? 14.

Alex. IV. *ſententiam excommunicationis protulit contra Electores Imperij, vt Corradum Friderici ſecundi filium, qui puer erat, in Regem Romanorum non eligerent.* 15.

Si minor de facto Rex eligatur, curatorem accipere debet. 16.

Vt malitia, ita probitate morum, honeſtate, & prudentia ætas ſuppletur. 17.

Carolus V. *cùm decimumoctauum annum ageret, fuit Imperator electus.* 18.

Regi pupillo grauiter læſo an concedatur reſtitutionis beneficium? 19.

QVÆ-

QVÆSTIO LXVI.

Imperatores, Regeſque, cuius ætatis eſſe debeant?

1 QVius quæſtionis argumentum plerique latiſſimè examinarũt, & inter ipſos egregiè Caſtaldus *tractat. de Imperatore, quæſtion.* 73. *à num.* 24. *cum ſequentib.* Tiraquell. *de primogen. pag. mihi* 468. *num.* 166. *& de nobilitate, fol.* 695. Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo Hunc contractum, numer.* 45. *&* 46. Barboſa *in l. cùm Prætor* 12. *§. fin. num.* 119. *ff. de iudic.* Ioan. Gutierr. *de tutel. cap.* 18. *part.* 1. *per totum*: quapropter illud leui; & ſuſpenſo, vt aiunt, brachio præſcribam: dum tamen lectorem 2 initio admonuerim, hîc nequaquam de illis Regibus, vel Imperatoribus diſquiri, aut ſermonem eſſe, qui iure quodam ſanguinis, aut hæreditario in Regno ſuccedunt, veluti in noſtro, Luſitaniæ, Galliæ, & fere in cæteris Regnis obſeruari non ſine aliorum teſtimonijs docet Pereira *vbi proximè num.* 45. nam hi etiam infantes, & cuiuslibet teneræ ætatis, vtpotè Regni, & Imperij capaces ad ipſius ſucceſſionem admittuntur. Ita Oldrald. *conſil.* 52. Corſerus *de poteſtate Regis, quæſt.* 18. Caſtald. *vbi ſup. num. penult.* Coſta *de Regni ſucceſſione, pagin.* 196. Maynerius *in l. item impuberes num.* 8. *ff. de regul. iuris*, Gulielm. Benedict. *in cap. Raynuntius, verbo Adiectæ impuberi, numer.* 49. & his relatis Pereira *dict. loco*, Petrus Barboſ. *in d. l.* 12. *§. fin. numer.* 119. vbi non tantùm in Regia dignitate, ſed in iuriſdictione etiam pupillum ſuccedere, quam per tutorem excercere debet; pluribus affirmat Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori, c.* 3. *n.* 14. qui infantẽ coronari poſſe ſcribit: idẽ docet Ioann. Corraſ. *Miſcella. lib.* 5. *c.* 22. *n.* 3. & nouiſſimè noſter Perez de Lara *in cõpendio vitæ hominis, c.* 16. *num.* 7. ſubiungens, ei prouidendum eſſe de tutoribus, & ſi à patre non relinquantur, eligi debere à Proceribus Regni, ſeruata for- 3 ma *l.* 3. *titul.* 15. *part.* 2. Hinc ergo Gothi, qui tempore Pelagij Regis Hiſpaniam à manibus Arabum recuperare cæperunt, pro lege ſanxerũt (vt refert Lucas Thudenſis cùm de eodem Pelagio agit & Matienzus *in dialogo* 4. *p. cap.* 7. *num.* 1.) quod filius Regis cuiuſcumque ętatis relictus, ſi modò Catholicus fuerit, ſuccedet in Regno: & meritò, nam vt inquit Forcatulus *in Sphæra legali nu.* 5. Maieſtas, quæ totum temperat orbem, illicò vireſcit: *Quaque die partu eſt edita, magna fuit*, teſte Ouidio *in Faſtis*. Sic Licurgus Spartanus Legiſlator Charilaũ fratris filium protinus Regem inaugurari, quàm ſe maluit, ita vt puer ſolem & imperium ſimul aſpiceret, fœlicitatis ſuæ neſcius, nec legum expers, quas virorum prudentum conſulta appellamus, *l.* 1. *de legibus*. Sed alieno ingenio, nempe patrui pijſſimi repentè ſenili ſapientia imbutus.

Tantùm enim huiuſmodi quæſtio verſatur 4 circa Reges & Imperatores, qui electione, & multorũ ſuffragijs creari ſolent, vt olim pluribus rationibus in vſu fuiſſe recenſet Alex. ab Alex. *dier. gen. lib.* 4. *c.* 23. de quibus meritò dubitatur, an certę alicuius ætatis aſſumi debeant, vel cuiuslibet, etiam minoris, elegiſſe ſufficiat? Et quamuis ſciam hac de re quamplures eſſe diſſidentes ſententias, illa tamen ſemper mihi potior, & ſecurior viſa eſt, quæ ſuſtinet, non niſi quinto & viceſimo anno maiorem in Regem, vel Imperatorem aſciſci poſſe, & vt melius dicam, debere: quam opinionem ſequentibus confirmo.

Primò, quia vt Exodi probatur *c.* 18. & re- 5 fert Ariſtot. *lib.* 5. *Politic.* ad Regni & Principatus gubernationem optimo iudicio, & recto Conſilio opus eſt, quod cùm huius ætatis minores nequaquam comitetur, *l.* 1. *& fere per totum titulũ, ff. de minor.* quibus adſtipulantur quã plurima, quæ in ipſius veritatis confirmationẽ expendimus ſuprà, cùm de numero annorum ad conſilium, tam in propria quàm in aliena cauſa ſcripſimus, operæ pretium eſt, non ante quem ad ſummum maieſtatis faſtigium cooptari, quàm ætatem conſilij & iudicij excefferit.

Deinde, quoniam vt exactè probauimus *anno* 14. huius operis, *q.* 33. vbi quo tẽpore Principum, Regum, & Imperatorũ perſonæ à curatorũ poteſtate vel adminiſtratione eximãtur ſcripſimus, qui iure ſanguinis, & beneficio ſucceſſionis ad Regna vocãtur, etſi eorũ ſceptra teneant, nequaquam per ſe mouere, aut excercere legibus permittũtur, imò aliorũ iudicio & prudentia id facere debent, vſque dum ad legitimã, & integrã hãc quinque & viginti annorũ ętatẽ peruenerint. Igitur quia certũ eſt eiuſmodi ætatẽ, non verò minorẽ, regnandi initiũ eſſe, ante quam perperam quis, & indebitè ad Regnum eligeretur: quia teſte Xenophonte *lib.* 3. *de factis & dictis Socratis*: *Principes non ſunt, qui ſceptra ferunt, ſed qui regere ſciunt.*

Quod & inde ſuadetur, ſiquidem non 6 minor prudentia & diſcretio, quinimò longè maior ad Regni, Imperijque regimen, quã ad Reipublicę adminiſtrationem exquiritur. Nam, vt cæteris Magiſtratibus præſtantior Regalis poteſtas exiſtit, vtpotè elegãtiſſimè ob-

obſeruat chariſsimus frater noſter D. Alphonſus de Narbona *in Commentarijs ad tertiam part. nouæ Recollection. lib. 7. titul. 12. l. 13. gloſ. 3 numer. 2.* Ita & maiori indiget ſcientia & ſolicitudine, argumento eorum, quæ tradit Paul. Zachias *Medicolegali lib. 2. titul. 1. quæſt. 5. numer. 5. & 6.* vnde Antiſthen. apud Plutarchum *de profection. morum*, inquit: *Nedum ſapientia præſtare eum par eſt, qui antecedit imperio, ſed etiam religione & pietate*, & Symmacus *in capit. viliſsimus 45. 1. quæſt. 1. Viliſſimus computandus eſt*, ſcribit, *niſi præcellat ſcientia, & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior.* Conducit *text. in l. honores 7. in princip. ff. de decurion. & eorum filijs, & rubrica C. de potioribus ad munera nominandis, titul. 10.* & apud noſtros *l. 17. titul. 3. libr. 7. Recopilat.* nonnullaque adducta à Carleualio *de*
7 *iudicijs lib. 1. diſputatio. 1. num. 19.* & in propoſito conſentit egregiè Plato *lib. 34. de legibus, dial. 4.* vbi cenſet, ex omnibus ciuibus illos eligendos eſſe ad gubernandum, quotcumque ſint, qui tantùm cæteris prudentia & temperantia præſtant, quantum viri pueris præſtare ſolent: atque ſi quis inter electorum numerum ſimili fermè interuallo cæteros antecellat, Regem, ait, eſſe conſtituendum. Nec mirum, cùm nec humana, quamuis præcellenti ſcientia ipſum ornatum eſſe ſufficiat, ſed ſupernaturali & diuina, vt vel ex eo conſtat, quòd cùm cæteris vnicus tantum Angelus cuſtodię & conſilij deputetur, Regi, vtpote maiori conſilio indigenti duplex ſpiritus deſignatur, ex ſententia Sanct. Thomę *2. ſentent. diſtin. 11. quæſt. 1. articul. 2. ad 4. & 1. part. quæſtion. 113. articul. 2.* vbi etiam Bañez & Perez de Lara *in compend. vitæ homin. cap. 16. numer. 15.* At nemo ante quintum & viceſimum annum præfici Reipublicæ, vel ipſius adminiſtrationi poteſt, ex notiſſima regula *text. in l. ad Rempubl. 8. ff. de muner. & honorib.* ergo neque Regno, nam & Rex, Gubernator, & Decurio dicitur, vt *in l. 6. tit. 5. part. 2.* ibi: *Rei tanto quiere dezir, como Regidor, ca ſin falta à el pertenecia el gouierno del Reino.*

8 Et confirmatur ex eo, quòd ad Regem & Imperatorem ſpectat, Conſules, Proconſules, & cæteros Magiſtratus non minores quinto & viceſimo anno ex præſcripto, *dict. l.* creare, qui Reipublicæ curam & defenſionem ſubeant, *l. vnica in principio, ad l. Iuliam de ambitu*, ibi: *Hæc lex in vrbe hodie ceſſat, quia ad curam Principis Magiſtratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem:* tradit Petr. Gregor. *ſyntagm. lib. 47. capit. 20. num. 6.* & facit *text. in cap. 1. quæ ſint Regalia c. 1. verſ. Iudices, de pace iuram. firmanda*: igitur eiuſdem ſaltim ętatis Rex eſſe debebit, nam vt inquit Plinius Iunior *in panegyrico ad Trajanum*: *Indigna res eſt, honores dare, qui regere non poteſt.*

Pro quo & illud facit, cuius ex Homero 9
meminit Lelius Viſciolus *horar. ſubſeſsiu. libro 13. capit. 16. verſicul. Non omittenda*, ſcilicet, viris Principibus duplicem curam incumbere, & ſe regendi, & ſocios, vnde tutor Regni vocatur *in dict. l. 6. titul. 5. part. 2.* & Regnum, ſiue Reſpublica, pupillus, quarum nullam aſſequi poterit, qui in minori ætate inuenitur. Non primam, quia nemo ſe ipſum regere, & gubernare ante quintum & vigeſimum annum ſcit; quare vſque ad illam ætatem omnes aliorum regimine iuuantur, *text. in princip. inſtitut. de curator.* cum ſimilibus. Nec ſecundam, quoniam nihil adeò naturali rationi congruentius inuenitur, quàm alios gubernare nec poſſe, nec debere, qui ſe ipſum gubernare neſcit, textus optimus *in l. fin. C. de legitim. tutel.* ibi: *Cui enim ferendum eſt, eundem tutorem, & ſub tutela conſtitui? §. minores autem, inſtitut. de excuſation. tutorum.* Nam ſi ſe ipſos gubernare nondum nouere, indecorum eſt, eos Rempublicam regere, *cap. in decorum, de ætate & qualit.* Maximè, cùm ea ſit Stobæi ſententia, vt putet, eum Principē eſſe debere, qui nullis conſiliarijs egeat: refert Petr. Andr. Euorenſis *in exemplis ſententiarum, verbo Regnum, pagina mihi 2.* vnde Plutarchus *in vita Numæ Pompilij, colum. 4.* refert eundem Pompilium anno ætatis ſuæ quadrageſimo in Regem communi populi Romani conſenſu ſelectum, cuius etiam meminit Matienzus *d. dial. 4. p. cap. 9. num. 1.*

Stabilitur prætereà hoc pronuntiatum, 10
vel ea ſola ratione, quia proprium officium Regum eſt, & pręcipuum, populum ſuum rectè, & iuſtè iudicare, & gubernare cum intellectu, & prudentia, ex omnium placito, & præſertim optimi illius Iuriſconſulti & Politici Petri Gregorij *dict. cap. 20. numer. 13.* Quare, inquit, cùm à Deo lex futuro Regi præſcriberetur, inter cętera adiectum eſt: *Habebit ſecum volumen legis Dei, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticę Tribus, legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in dexteram partem, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſrael:* & ab hac

hac præcipua Regni parte, qui optimè imperabant populo Iſraelitico, dicti ſunt Iudices, vt conſtat ex *lib. Iudicum, & in l.* 1. *C. quando Imperator inter pupillum & viduam*, Imperatorem, & Regem iudicare per ſe debere ſcribitur, potiſsimùm de miſerabilibus perſonis, & ab impijs & potentioribus oppreſſis, vt à pluribus Regibus iam diu factitatum recenſet idem Petr. Gregor. *ibidem num.* 15. & expreſſiùs hanc ſententiam confirmat ex noſtris *dict. l.* 6. *titul.* 5. *part.* 2. illis verbis: *En el tiempo de los Gentiles el Rey non tan ſolamente era guardador è caudillo de las hueſtes, è juez ſobre todos del Reino, &c.* Quod cùm ita ſit, quis inficiabitur, non merenter, & indignè illum in Regem eligi, qui nondum eam ætatem fuerit adeptus, qua præcipuum Regis officium, quod in iudicando conſiſtit, valeat adimplere? Notiſſimum eſt enim, vt alibi *hoc ipſo anno* patebit, iudicem non niſi quinto & vice-
12 ſimo anno maiorem eſſe oportere, *dict. l. ad Rempubl.* 8. iuncta *l. quippe* 78. *de iudicijs, l. cùm ex lege* 41. *de recept. arbit. l. quidam* 57. *de re iudicata*, cum vulgaribus.

13 His igitur rationibus hanc opinionem veriorem puto, etſi non me lateat, Reſtaurum *dict. tractat. de Imperat. quæſt.* 73. *à numer.* 24. *cum ſequent.* mordicus defendere decimoquarto anno Imperatorem eligi poſſe, à quo non diſſentiunt Guilielm. Benedict. *in repetit. cap. Rainuntius, verb. Adiectæ, n.* 5. *de teſtam.* & Cabed. 2. *part. deciſ.* 76. *numer.* 8. dum aſſerunt, Regem ante vigeſimum quintum annum poſſe adminiſtrare: ſed malè quidem, nam vt egregiè inquit D. Ambroſius de iuriſprudentia optimè meritus, vt atteſtatur Ioan. Matienzus *in dialogo Relatorum* 1. *part. cap.* 7. *numer.* 4. *Imperatoris perfecta ætas, eſt omnium perfecta ætas, vbi perfecta eſt virtus*, ideſt perfectus virilis vi-
14 got, qui vigeſimoquinto anno accidit, *l.* 1. *ff. de minor.* vt vel ex eo colligitur, quod de perfecta ætate hoc accipit Ambroſius, quam nemo dubitat hanc eandem eſſe, *l. minor* 31. *ff. de minorib. l. cùm de indebito* 25. *verſ. Sin autem el* 1. *de probation.* cum multis alijs *huius anni initio* congeſtis.

Quam ſententiam adeò veram exiſtima-
15 uit S. P. Alexandr. IV. vt ſententia excommunicationis comminata Germanicis electoribus obſtiterit, ne Corradum Friderici ſecundi filium puerum in Regem Romanorum eligerent, quòd eſſet inhabilis, ineptus, atque ob id ineligibilis ad tantum munus, nempe, qui Eccleſiæ defenſor eſſet eligendus, non puer: cuius excommunicationis integram ſeriem extare apud Ioannetum in vita eiuſdem Alexandri Quarti teſtatur Simon Maiolus *de irregularitate lib.* 1. *c.* 30. *num.* 4.

Et vt omnia complectar, illud præter- 16
eundum minimè duxi, quod ſcripſit Dominic. *in capit. grandi, circa finem, de ſupplend. negligen. prælator.* & poſt eum Ludouic. Gomeſius *in cap. ſi annum num.* 6. *de iudicijs lib.* 6. videlicet, quòd licèt habens 14. annos non poſſit eligi in Regem, niſi attingat vigeſimumquintum annum, per text. *in dict. l. ad Rempubl.* ſi tamen de facto eligatur, ſecundum opinionem aliorum, & præſertim Iacob. de S. Georgio *in inueſtitur. feudor. fol.* 2. debet illi curator decerni attento negotio maximi ponderis, ad quod homines 14. annorum reputantur incapaces, & infirmi conſilij. Vide Guilielm. Benedict. *in repetit. capit. Rainuntius, verſ. Adiectæ impuberi, numer.* 71. *de teſtament.* quem refert Cabedus 2. *part. deciſion.* 76. *numer.* 7. vbi quærit, an Rex cogatur ante vigeſimumquintum ætatis annum curatorem ſuſcipere? Cui opinioni mirè conueniunt quę infrà de ætate, qua Regum, & Imperatorum cura finitur notauimus. Niſi fortè ipſius puberis iu- 17
dicio, & prudentia, ætatis defectus ſuppleri videatur, ſiquidem vt malitia ſupplet ætatem, *l. ſi alterius, C. ſi minor ſe maior. dixer. c. de illis, de deſponſal. impuber.* ita nimirum probitas, honeſtas, & prudentia, ætatis ſupplet defectum, *l.* 1. *ff. de decretis ab ordin faciend. l. omnes, C. de his. qui veniam ætat. impetrau. l.* 1. *C. de præpoſit ſacr. ſcrin. lib.* 12. *capit. vltim. de deſponſ. impuber. lib.* 6. *c. item* 77. *diſtin.* probat Matienz. *dict. dial. relat. part.* 3. *c.* 58. *num.* 25. Quoniam vt in aliam rem exclamat Guilielm. Benedict. *in repetit. cap. Rainunt. verb. Adiectæ impuberi, numer.* 39. *de teſtam.* abſit, quòd tam excellentes viri ob ætatis defectum, vbi ſcientia abundat, totiuſque virtutis exercitium, à tã ſublimi eis debita dignitate fuiſſent repulſi.
Hac de cauſa inuictiſſimus noſter Carolus 18
V. cùm vix annũ ageret decimumoctauum, communi ſuffragio ad culmẽ Imperialis dignitatis fuit euectus. Quamuis tutius crediderim, etiam hoc caſu curatorem Regi puberi eſſe dandum ob lubricum ætatis, quod adeò iuuenes ſuſpectos, Prætoremque ſolicitum reddit, vt etiam rem ſuam benè gerentibus curatores eſſe præſtãdos decreuerit *d. l.* 1 *ff. de minor.* maximè ſi Oſualdo fides adhibẽda eſt *lib.* 21. *Donelli c.* 11. *lit. C.* aſſerenti
Regi pupillo reſtitutionẽ minimè eſſe cõcedẽdã, quãuis grauiter lędatur: ſat enim erit, 19
ſi prematurę ſciẽtiæ, & moribꝰ, licèt in minori ętate ad Regale faſtigiũ eũ cõſcẽdere poſſe in-

indulgeatur. Sed contrarium magis placet Guilielmo Benedicto *in cap. Rainuntius, verbo Adiectæ impuberi num.* 57. & Cabedo *dict. deciſ.* 76. *num.* 8. vbi reſoluit, quòd ſi in minori ætate Rex ſine curatore adminiſtrans in aliquo contractu lædatur, debet nilominus reſtitui, quod & mihi non diſplicet.

SVMMARIVM.

Antiqua lege ſolùm vigeſimo anno minores à publicis functionibus arcebantur. 1.

Ex nouioribus Conſtitutionibus, nemo ante annum quintum & viceſimum ad Reipublicæ munera admittitur. ibid.

Adminiſtrator bonorum Reipublicæ viginti & quinque annorum eſſe debet. 2.

Tabellio cuius ætatis eſſe debeat? ibid.

Minor annis viginti & quinque ad munera publica, quæ iudicium, & diſcretionem deſiderant, vocari non poteſt. 3.

Ea munera, quæ merè ſunt perſonalia, vt ciuitatis portas cuſtodire, rectè à minore poſſunt expediri. ibid.

Solùm in defectum maiorum poſſunt minores ad perſonalia munera vocari. 4.

Niſi commodiùs per iuuenes munera poſſint exerceri, vel niſi ita ſapientes ac ſenes exiſtant. ibid.

Etiam vrgente neceſſitate hominum, impubes ad perſonalia munera admitti non debet. ibid.

Etiam vbi neceſſitas vrget, congruæ ætatis iuuenis debet officijs præponi. ibid.

Filiusfamilias poſt quintum & viceſimum annum poteſt vocari ad publica munera. 5.

L. 2. *C. qui ætate, vel profeſſione, lib.* 10. *lucem accipit.* 6.

A muneribus patrimonialibus nulla ætas, nec minor, nec ſenilis excuſationem affert. 7.

QVÆSTIO LXVII.

Ad functionem publicorum munerum.

1 Licèt antiqua lege cautum fuiſſe, ne cui intra viceſimum annum muneris publici adminiſtratio daretur, retulerit Alexand. ab Alexand. *dier. genial. lib.* 4 *capit.* 6. *paulò poſt principium*, in iure noſtro tantùm abeſt vt prædictæ legis veſtigia deprehendantur, quò d imò expreſsè ab Vlpiano definitum legimus in *l. ad Rempub.* 8. *ff. de muner. & honorib. & in l.* 2. *de vacat. muner.* neminem ante viceſimum quintum annum ad Rempublicam adminiſtrandam, vel ad munera, quæ non patrimonij ſunt, vel honores admitti oportere: quod ſimiliter ab Imperatoribus præcipitur in *l.* 1. *&* 2. *C. qui ætate vel profeſſione, lib.* 10. & à Regibus Hiſpaniæ *in l.* 2. *titul.* 9. *lib.* 9. *recollection.* vnde ad prædicta ſiue ciuilia, ſiue perſonalia munera, vel honores viginti & quinque annorum ætatem adeò neceſſariam eſſe, vt ea minores ab ipſorum functione aut arceantur, aut excuſentur, proferunt manifeſtis verbis Hugo Donell. *comment. iuris ciuil. lib.* 17. *capit.* 24. *verſicul. De minore viginti & quinque annis*, Philipp. Matthæus *in l.* 2. §. 1. *numer.* 8. *&* 9. *ff. de regul. iur.* vbi etiam loquitur de adminiſtratore bonorum Reipublicæ, ipſi eandem ętatem conſtituens, Caldas Pereira in *l. ſi curatorem, verbo Hunc contractum, numer.* 41. *verſicul. Hinc etiam, C. de in integrum reſtitut. minor.* vbi generaliter de quibuſcumque muneribus Reipublicæ adminiſtrationem expectantibus loquitur, necnon & de tabellionis officio, Nicolaus de Paſſeribus *in conciliat. legum, folio mihi* 7. *numer.* 18. Quam ſententiam antea docuerant Gregor. Lopez *in l.* 8. *verbo Entendidos, titul.* 9. *part.* 2. Ludouic. de Miranda *de ordine iudic. quæſt.* 4. *artic.* 2. *concluſ.* 1. Curia Philip. 1. *part.* §. 2. *numer.* 12. Barboſa *in l. cùm Prætor.* §. *vltim. num.* 67. *de iudicijs*, Phębus *deciſ.* 92. *numer.* 2. Emanuel Barboſa *in remiſſ. ad Il. Luſitaniæ, tom.* 1. *titul.* 93. *lib.* 1. *numer.* 1. Alphonſ. Azeuedus *in rubr. numer.* 20. *titul.* 14. *lib.* 6. *nouæ Recollect.* qui nonnullis antiquorum adhærens, diſtinctione hac in re vtendum eſſe arbitratur. Nam ſi munera ex illis ſint, quæ ad ſui adminiſtrationem iudicium, & diſcretionem expoſtulant, vt eſſe de Conſilio, aut Reipublicæ clauum, vel regimen obtinere, ſupradictę ſententiæ in his locum eſſe, & non niſi quinto & vigeſimo anno maiores ad ea admittendos, vel cogendos putat, ſecus atque ſi munera, quorum cauſa vocantur, merè ſint perſonalia, vt ciuitatis oſtia cuſtodire. Nam tunc dicta ætate minores admittendi, aut compellendi erunt, quia in his, quæ corporis labore expediuntur, non tam ætas quàm robur, & recta membrorum diſpoſitio attendenda eſt. Cui quidem diſtinctioni libenter aſſentior, eo tamen adhibito, quòd prædictis muneribus perſonaliſsimis non niſi in defectum maiorum minores ſubſtituantur, vt etiam innuere videtur idem Azeuedus *ibidem*, & comprobatur expreſſe ex

ex *dict. l.* 2. *C. qui ætate, in finalibus verbis,* tradunt Rodericus Suarez *allegat.* 12. *numer.* 3. idem Azebedus *ad Curiam Piſanam lib.* 1. *capit.* 12. Auendañ. *de exeq. mandat.* 1. *p. cap.* 19. *numer.* 16. Eman. Barboſ. *vbi ſuprà numer.* 2. (niſi per iuuenes commodiùs munera exerceri poſsint, nam tunc iuuenis admittetur, ex Tiraquello *de primogen. in præfat. numer.* 174. & Maſtrillo *de Magiſtratib. lib.* 2. *capit.* 5. *numer.* 74. vel niſi iuuenis ſcientia, & doctrina par ſit grandæuo, vt *ibidem* aduertit Maſtrillus *numer.* 76.) & tandem, quòd non ita teneræ ætatis, quamuis neceſſitas hominum cogat, ad honores vel onera promoueantur, aut vocentur, vt adhuc ipſa impubertate detineantur. Quæ ſententia eſſe videtur eiuſdem Vlpiani in *l.* 2. *ff. de iure immunit.* & Caldas Pereira *num.* 42. Emanuel Barboſa *ibidem numer.* 2. *in fine.* Azor *inſtitut. moral. lib.* 6. *cap.* 6. *verſicul. Septimo.* Oportet enim, vt congruam ad illa ætatem obtineant, *l. ſed & reprobari,* §. *amplius, ff. de excuſatio. tutor.* ex quo id ſingulariter notant Roman. *in l. ſi vero,* §. *de viro, fallen.* 53. *ff. ſoluto matrimon.* facit *l. non tantum, ff. de Decur.* refert Tiraquell. & Maſtrill. vterque *vbi ſup.* iſte *num.* 77. ille *n.* 176.

5 Quæ quidem de omnibus indiſtinctè accipienda ſunt, ſiue in patria poteſtate, ſiue extra patriam poteſtatem exiſtant: cùm ita legitimæ ætatis filiusfamilias ad munera & honores euocari poſſit, quemadmodũ & qui emancipationis beneficio fuit à paterna ditione liberatus, *l. filiusfamil.* 3. *C. ne filius pro patre, l. filios* 5. *C. de Decurion. lib.* 10. tradit Anton. Faber eius rei rationem aſſignans *in iuriſprudentia Papin. titul.* 8. *princ.* 6. *illat.* 4. Et confirmatur apud noſtros noua pragmatica, anni 1623. vbi hæc ſubduntur verba: *Y que à los que teniendo veinte y cinco años cumplidos, eſtuuieren por caſar, ſe les puedan echar las dichas cargas y oficios Concegiles, y ellos tengan obligacion à admitirlas, aunque eſtèn en la poteſtad y caſa de ſus padres;* ex quibus verbis ſimul infertur, prædictam ætatem perfectè exactam, & completam eſſe debere, vt demonſtratur ibi: *Veinte y cinco años cumplidos.*

6 Nec dictis repugnat *dict. l.* 2. *C. qui ætate vel profeſſione lib.* 10. ex qua prima, & leui inſpectione probari videtur à patria poteſtate liberos eſſe oportere, qui muneribus onerandi ſunt, vt ibidem parum conſideratè obſeruauit Accurſius, quia vt in expoſitione *dict. l.* acutè nimis conſiderauit Iacob. Cuiac. filios patria poteſtate fuiſſe liberatos ibi ponitur ex facto, non quod idẽ non ſit, ſi in poteſtate fuerint, vt nuper adſtruximus.

Et vt hæc nullo obſcuritatis vitio laborent, lectorem admonitum velim, hucuſque de muneribus prænotata, de illis eſſe ſubintelligenda, quæ ciuilia, aut perſonalia ſunt, non verò de patrimonialibus, à quibus vt nulla excuſatio eſt, *l. munerum* 18. §. *patrimoniorum, ff. de muneribus,* nec ætatis conceditur: vnde eſt quoſcumque admitti, & compelli ad patrimonialium munerum functionem, ſiue ij ſenes ſint, vt *anno* 70. apparebit, ſiue adoleſcentes, & vigeſimoquinto anno minores, veluti ex *l. neque* 5. *l. etiam minores* 7. *C. de muner. patrim. lib.* 10. *dict. l. ad Rempubl.* 8. conſtat ex Gloſſ. & Bartolo, docet Anton. Cardo. *in praxi iudicum & aduocator. verbo Minor num.* 20. 7

SVMMARIVM.

NEmo poteſt niſi ex conſuetudine, aut legitima cauſa decurio creari. 1.

Decuriones Rempublicam regunt, ideò apud noſtros Regidores *vulgò appellantur.* 2.

Impubes, licèt decurio creari poſsit, tamen vt talis nec vocem, nec ſedem habebit in Concilio ciuitatis, ſed nomine tantùm decurio erit. 3.

Diſpenſatus in ætate ad decurionatum, niſi ſpecialiter diſpenſatur vt vocem habeat in Concilio, ſuffragium in eo ferre minimè poterit. 4.

Pupillus decurio non poteſt diſpenſari, vt vocem habeat, ibid.

Diſpenſans cum pubere ad decurionatum ex certa ſcientia minoritatis, tacitè cum eo, etiam vt vocem habeat in Concilio diſpenſaſſe videbitur: ſecùs verò ſi cum impubere diſpenſet. 5.

De iure noſtro quilibet poſt decimumoctauum ætatis annum, & officium, & ſuffragium decurionis habere poteſt. 6.

Sportula, honorarium, ſiue vt noſtri dicunt, propina *pro ingreſſu alicuius in curia cæteris debita, minori decurioni non debetur.* 7.

Vbi etiam minor decurio ex conſuetudine ſedem, licèt non vocem habet in Concilio, ſportula pro nouo decurione ipſi debetur. 8.

Minori decurioni nullum ſalarium debetur. 9.

QVÆSTIO LXVIII.

Ad Decurionatus officium, & vt quis in Concilio ciuitatis vocem habeat?

1 Ropè diximus ad functionem publicorum munerum, Reipublicæque adminiſtrationem, viginti & quinque annorum ætatem eſſe præſcriptam, inde eſt, anteà decuriones, qui publicarum rerum curam, & velut clauum tenent, niſi ex cauſa, aut conſuetudine creari non poſſe, *l. ad Rempublicam* 8. *ff. de munerib. & honoribus*, *l. non tantum* 11. *l ſpurij* 6. *ff. de decurion. l. ſi pater, C. quando prouocare non eſt neceſſe*, *l.* 1. *C. qui & aduerſus quos*, docent poſt Bartol. *in l. cùm vos, C. qui ætate, lib.* 10. & alios antiquiores, Volateranus *in phylologico lib.* 29. *fol.* 315. Curia Piſana *lib.* 1. *cap.* 12. *numer.* 4. vbi & notat Azeued. Conrad. Lancellotus *tractat. de decurionib. num.* 16. Roder. Suarez *allegat.* 12. *numer.* 1. *& ſequent.* Anton. Gomez *tom.* 3. *de delictis, cap.* 1. *numer.* 55. *verſic. Decurio tamen*, Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verb. Hunc contractũ, num.* 41. *C. de in integrum reſtit.* Menoch. *de arbitr. centur.* 6. *num.* 7. Petr. Gregorius *ſyntagm. iuris lib.* 18. *cap.* 13. *num.* 5. Guid. Pancirolus *de magiſtrat. municipalibus capit.* 1. *in principio*, Bobadilla *in politica prætorum, lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 11. Nicolaus Loſæus *de iure vniuerſitatis p.* 1. *cap.* 3. *num.* 29. Philipp. Matthæus *in l.* 2. *§.* 1. *num.* 9. *de reg. iur.* Leonar. Galganet *de iure publico, lib.* 4. *tit.* 24. *num.* 55. & qui hanc ætatem non attingunt, in ea ætate eſſe dicuntur, qua nondum decuriones creari poſſunt, *l. Imperatores* 13. iuncta *ibidem* gloſſæ expoſitione, *ff. de iure fiſci.*

2 Meritoque, quoniam Magiſtratus hi municipales ciuitates, & ipſarum bona regunt, & adminiſtrant, vnde *Regidores* vulgò apud noſtros appellantur; cuiuſmodi adminiſtrationem adoleſcentibus committi iura nolunt, quòd nec proprijs quidem rebus ſuis adminiſtrandis illi idonei habeantur, *l.* 1. *cum ſimilibus*, *ff. de minoribus*, abſurdumque videretur anteà quis publicis rebus, quàm priuatis præfici, vti in propoſito annuunt Roderic. Suarez *dict. allegat.* 12. *num.* 2. *ad finem*, Anton. Gomez, Caldas Pereir. Philip. Matthæus, & Bobadilla omnes *locis citat.*

3 Turbarent procuidubio hæc omnia *l. Lucius* 21. *§ fin. ff. ad municipal. & l.* 1. *C. de muner. & honorib. lib.* 10. quibus infantem decurionatus munere fungi poſſe plane oſtẽditur, niſi maiorem ætatem proximè deſignatam requiri, non vtique ad officij adeptionem ſimpliciter, ſed & ad ipſius exercitium, & executionem profiteremur: licèt enim impubes qualiſcumque poſsit fieri, aut creari decurio, vt *dict. ll.* ſuadent interim dum vigeſimumquintum ætatis ſuæ annum excedit, idem eſt ac ſi decurio non eſſet, cùm nullum decurionis opus expedire queat, vt ex illis Conſulti verbis *dict. l. ſpurij* non obſcurè confirmatur: *Minores*, hæc ſunt, *vigintiquinque annorum decuriones facti, ſportulas decuriorum accipiunt, ſed interim ſuffragium inter cæteros ferre non poſſunt.* Ex quibus ita docent Conradus, Curia Piſana, Bobadilla *vbi ſuprà*, Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, capit.* 16. *numer.* 22. & alij poſtmodũ referendi. Ergo ad hoc vt quis nõ ſolùm nomine, ſed re ipſa, & exercitio decurio ſit, optimè diximus viginti & quinque annis maiorem eum eſſe oportere, alioqui quamuis vt decurio (ſi ita fert conſuetudo ciuitatis) ſedem habeat in Concilio, auditoris ſolummodò, & teſtis in eo vices geret, vti ex Budæo *in dict. l. ad Rempubl.* obſeruat Bobadilla, cùm ante prædictum tempus ſuffragium ferre non valeat. *dict. l ſpurij* 6. cuius verbis trãſcriptis ita ſentit Petr. Gregor. *tit. de electiõn. cap.* 8. *num.* 1. Nuñez de Auendaño *de exequendis mandatis c.* 19. *numer.* 16. etſi de impubere loquatur, Nicol. Loſæus *d. n.* 29.

Quod procedit, etiamſi talis minor decurio à Principe, aut ætatis veniam, aut diſpenſationem ad decurionatum obtinendum, vel curiam ingrediendam fuerit adeptus. Nam & his caſibus, eum ſuffragium in rebus, ſiue electionibus Concilij non habere indubitatum teſtatur Caldas Pereira *dict. verb. Hunc contractum, numer.* 43. vbi poſt longam diſputationem ad hoc veniam nihil proficere concludit: & idem de diſpenſatione loquens ſentit Curia Piſana *num.* 5. vbi Azebedus ita obſeruatum vidiſſe notat. Et conducunt ſuperiùs tradita *anno* 22. *quæſt.* 4. de Canonici ætate ad eligendum. Quod verum accipe, niſi in diſpenſatione habilis quoque minor iam pubes redderetur ad vocem & ſuffragium in curia præſtandum, ſiquidem tunc virtute eiuſmodi ſpecialis diſpenſationis poſſet ante dictam maiorem ætatem in Concilio eligere, & inter cæteros animi ſui iudicium validè proferre: quia deſignatio hæc ætatis ad vocem habendam in rebus ciuitatis eſt iuris poſitiui, quod Prin- 4

ceps

ceps noua lege, aut priuilegio inuertere poteſt, vt notiſsimum extat, & conuincitur ex his quę tradit Caldas Pereira *dict. verbo num.* 43. maximè vbi naturalis ratio non reſiſtit. Nam ea repugnante infringuntur principales diſpoſitiones, nulliuſque ſunt roboris: vnde optimè in propoſito ſcribit Rodericus Suarez *dict. allegat. numer.* 6. *& ſequentib.* Principem minimè diſpenſare poſſe cum pupillo, vt ſit decurio, & vt talis vocem habeat, quia patitur naturalem defectũ intellectus, quod ſuppleri à Principe, eiuſque ſuprema iuriſdictione impoſsibile conſtat, *l.* 2. & ibi Gloſſa *verbo Indulgere*, *C. de his qui veniam ætat.* cum ſimil. ab eo congeſtis, pro quo faciunt quæ notat Cald. Pereira *loco vbi ſuprà num.* 42. *verſic. quæ ſententia.*

5 Hinc profluit, quòd etſi Princeps certior factus de infantia ſupplicantis ex certa ſcientia, vt aiunt, cum eo diſpenſaret, vt decurionatum, & ſuffragium obtineret, adhuc ſuffragandi cum legitimam perſonam non ſortiri, ex quo naturale vitium diſpenſationis materia eſſe non poteſt, at verò ſi ſciens eum puberem, ad decurionatus adminiſtrationem, & vſum ipſius allegiſſet, licèt de voce nihil exprimeret, tacitè cum eo diſpenſaſſe videbitur, vt & vocem in Concilio quaſi decurio habeat, ex traditis à Roderico Suarez, & Caldas Pereira *locis non ſemel allegatis* ab illo *num.* 24. & ab iſto *d. n.* 42. *verſic. Quæ ſententia.*

6 Sit ergo horum omnium ſumma concluſio, neminem de iure communi decurionem, vt vocem habeat in curia creari ante quintum & vicesimum ætatis ſuæ annum exactum, niſi iam pubes ad id ſpeciale reſcriptum impetrauerit, aut niſi ex certa ſcientia minoris ætatis eum Princeps ad tale munus aſſumpſerit; iuris communis hanc diſpoſitionem eſſe admonui, ſiquidem ex noſtris legibus annum decimumoctauum agredienti decurionatus munus obire permittitur, *l.* 16. *titul.* 3. *lib.* 7. *nouæ Recollectionis*, abrogata antiqua *l.* 17. *eiuſdem tituli*, qua non niſi vigeſimum excedenti id concedebatur: obſeruant Curia Piſana, & Bobadilla *ſuprà.* Qua vtique ætate & ad Concilium decuriones communiter admittuntur, & conſequenter vocem habent; nedum ex præſcripto *dict. l.* ſed etiam ex doctrina Ioann. Andreæ *in additionibus ad Speculato. titul. de ſyndico*, §. 1. *verſic. Sed cuius ætatis*, cuius meminit Rodericus Suarez *dict. allegat.* 12. *num.* 2. qua cauetur, eandem ætatem requiri ad vocem in Concilio habendam, quæ ad receptionem in Concilio deſideratur. Ergo cùm decimooctauo anno apud noſtros decuriones admittantur, ipſomet tempore & ſuffragium admiſſi ferent.

Ex quibus fit, decurioni hac ætate minori honorarium, ſiue ſportulam, vulgò *propina*, 7
quæ à nouo decurione pro introitu alijs Curialibus ſoluitur, vt ex vetuſtiori illo ſæculo moris fuiſſe obteſtatur Pancirolus *proximo loco c.* 3. minimè deberi, quod eſt in promptu. Nam hoc ſtipendium his qui receptioni in curia adſunt erogatur, quapropter cùm patrio iure nemo decurionum ante annum decimumoctauum curiam ingrediatur, aut aliorum receptionibus aſſiſtat, honorarium promoreri non poterit.

Idque non mutat *d. l. ſpurij* 6. quæ minores, 8
decuriones, & hac ratione inter cæteros ſuffgium non ferentes, ſportulas decurionum accipere fatetur, id eſt, vt exponit Pancirolus *vbi ſup.* nummos à nobis curialibus pro curiæ ingreſſu ſolutos, *l. ſi ſponſus* 5. §. *fin. ff. de donat. inter.* quia hæc procedit in curijs, vbi non legitimæ ætatis decuriones ſedem habent, quod ſufficit, vt diuiſionum, quæ inter præſentes fiunt, participes ſint, cùm non tam ſuffragij cauſa, quàm aſſiſtentię debeantur.

Quod etiam de ſalario ipſis è publico deſignato pariter accipiendum eſt, cùm ante le- 9
gitimam ætatem nemo illud poſsit lucrari, niſi Regio aſſenſu, & reſcripto interueniẽte, vt ex Bartolo, Suarez, & Auẽdaño tradit Bobadilla *in politica dict. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 11. ibi: *Y para aſsiſtir en el Cabildo ſin votar, y para lleuar ſalario baſta menor edad con licencia y facultad Real.* Idque ſimiliter de illis ſalarijs acciperem, quæ ſolent decurionibus à Concilio ex ipſius patrimonio præſtari, quoties eius cauſa abſunt, & iter faciunt.

SVMMARIVM.

Vero exiſtentem poſſe notarium, aut tabellionem creari, multi docent. 1.

Tabellionatus viliſſimum officium dicitur 2.

Communis docet, maiorem annis quatuordecim tabellionatui ſufficere. 3.

Tabellionatus publicum officium eſt. 4.

Pupillus & ſeruus teſtamentum ſcribere poſſunt. 5.

Verius eſt quinto & viceſimo anno maiorem tabellionem eſſe debere. 6. *etiam de iure Regio.* 8.

Munus ſcribæ, & notarij, perſonale eſt. ibid.

A muneribus perſonalibus excuſantur minores. 7.

Ætas ad tabellionatum requiſita, tempore ex

examinis completa eſſe debet. 9.
Notarius an poſſit ita creari, vt poſt legitimã ætatem exerceat? 10.

QVÆSTIO LXIX.

Notario & Tabellioni, quæ ſit ætas præſcripta?

1 Diſcrepant in ea præfinienda noſtri, Angel. *in l.* 1. *C. de muner. & honor. non conti. lib.* 12. tenet, vtero exiſtentem, tabellionem poſſe creari, ſed abſque exercitio, donec ad pubertatem peruenerit. Quod nõ diſplicuit Petro de Rabena *in dictis notabilibus iuris, pagina mihi* 158. *verſicul. Dum ſemel obijſſet*, Iacobo de Canis *tractatu de tabellion. titul. quis poſſit notarium facere, verſic. fallit quintò, ad extremum*, nec Bartol. *in d. l.* 1. *num.* 2. Quintiliano Mandoſio *de ætate minori, cap.* 1. *num.* 25. & Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom.* 1. *cap.* 75. *num.* 12. 13.
2 *&* 14. Qui ideo aſſerunt, poſſe naſci notarium, ſi concedatur alicui priuilegium, vt ipſe, & qui naſcentur ab eo, ſint tabelliones: ita tamen vt non poſſit exercere officium ob lubricum ætatis: qui omnes eadem leuiſſima hac ratione mouentur, videlicet, quia infanti militiæ dignitas, *l. fin. C. de milit. teſtament.* & ius annulorum aureorum concedi poteſt, *l.* 1. *&* 2. *C. de iure annulor. aureor.* ergo & tabellionatus officium nondum nato indulgeri poterit: quaſi valeret argumentum ab eo qui homo eſt, ad eum qui tantùm fieri ſperatur, *l.* 2. *de mortuo inferendo*, aut à dignitate ad viliſimum munus, vt ita eſſe tabellionatum ſcribunt Paz *in praxi vltima annotatione de tabellione, numer.* 4. & deinceps Cardoſ. *in ſimili praxi aduocator. verb. Tabellio num.* 5.

3 His fortè de cauſis pene vniuerſa Gloſſographorum iuris ſchola potiùs admittit, iam puberem, & decimumquartum annum tranſcendentem, tabellionatui, notariatuivè eſſe idoneum. Sic contendit Bald. de Peruſio. *tractat. de tabellion. in princip. num.* 62. Iacob. de Canis *in ſimili tractatu loco vbi ſuprà*, Quintil. Mandoſ. *de ætate minori cap.* 5. *numer.* 37. *& regula* 18. *Cancellar. quæſt.* 2. *num.* 8. Gregor. Lopez *in l.* 8. *verb. Entendidos, tit.* 9. *part.* 2. Anton. Gomez *variar. tomo* 3. *cap.* 1. *num.* 57. Cagnolus *in l.* 2. *§. impuberes, num.* 20. *ff. de regul. iuris*, vbi inquit, quòd impubes non poteſt eſſe notarius, etiãſi exercitium actus conferatur poſt pubertatẽ, Paz & Cardoſus *locis iam citatis*, Hierony. Portol. *in ſcholijs ad Molinum* 3. *part.* §. *notarius, numer.* 77. Anton. Sola *in conſtitut. Sabaudiæ, titul. de Tabellion. gloſ.* 1. *num.* 4. Ioan. Baptiſta Aſſin. *in praxi*, §. 3. *cap.* 4. *numer.* 4. Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, cap.* 20. *num.* 106. indicare videtur Dominic. Taſſonus *obſeruat. iuris dictionali* 3. *verſ.* 9. *num.* 1. & ante eum Sforc. Oddus, reſtitutionem negans minori notario, in his decepto quæ ſpectant ad artem notariatus, *q.* 23. *art.* 6. *num.* 23.

Eoque nituntur, quòd officium Tabellionatus eſt publicum, *l. generali* 3. *C. de tabellion. lib.* 10. impuberes verò à cunctis officijs publicis arcentur, *l.* 2. *§. fin. ff. de reg. iur.* ergo & à tabellionatu, ac notariatu. Et probari vlteriùs hæc ſententia poteſt ex *cap. Monachus* 9. 77. *diſtin.* vbi nouitius, qui tantùm pubes eſſe poterat, vt ſuprà *anno* 14. oſtendimus, notarius efficiebatur. 4

Aliquod vtique impedimentum ſuperioribus afferre non videri, *l. impuberem* 22. *in princip. ff. ad legem Cornel. de falſis*, huius frequentioris ſententiæ propugnatores ſubijciunt. Nam etſi ea comprehendatur, impuberem teſtamentum ſcribentem in edictum de falſis ideo non incidere, quoniam falſi crimen requirit dolum, quod vix in eam ætatem cadit: inde tamẽ quia pupillus ſcribẽdis teſtamentis operã dat, nõ rectè infertur, illum notariũ ſeu tabellionẽ eſſe poſſe, cùm longè diuerſum ſit teſtamẽtũ ſcribere, & tabellionis munere fungi. Nec enim quia ſoli tabelliones id facere ſolent, quicũque ad ſcribẽdũ adhibetur, notarius aut tabellio credẽdus erit: cùm ſeruus tale officiũ exercere nõ poſſit, *dict. l. generali* (quamuis alia ratione tabellionis publici ſerui ſint dicti) & tamen teſtamentũ ſcribere non prohibetur, *d. l. impuberem, verſic. Sed hoc poteſt dubitari, l. ſeruus* 28. *ff. de teſtament.* igitur ſimiliter optimè inter ſe conuenient, impuberem tabellionem creari non poſſe, & nihilominus teſtamenta ſcribere. 5

Cæterùm, quæ harum opinionum vti verior ſit ſequenda, non facile erit definire: mihi verò, vt quod hac in re ſentiam liberè proferam, neutra placet, imò certius arbitror, notarium, aut tabellionem neminem ordinari ſeu effici potuiſſe, qui infra quintum & viceſimum ætatis annum conſiſteret. Et moueor quippe hac efficaci ratione, nempe quia ſcribæ, tabellionis, vel notariatus munus perſonale eſt, *l fin. §. hi quoque, & §. Maſtigophori, ff. de mun. & honor.* conſentit Pancirolus *de Magiſtrat. municipal. capit.* 6

7 *pit.* 21. Ad munera verò perſonalia nullus ante dictam maiorem ætatem admittebatur, *l. ad Rempubl.* §. *ff. de muner. & honorib. l.* 2. *de vacation. muner. l.* 1. & 2. *C. qui ætate vel profeſſione, lib.* 10. cum notatis ſupra *hoc eodem anno*, vbi de requiſita ætate ad functionem publicorum munerum: ergo neque ad tabellionatum admitti debebat.

8 Ita obſeruatur hodie apud noſtros ex diſpoſitione *l.* 30. *titul.* 25. *lib.* 4. *Recollect. legum Hiſpaniæ*, vbi notat Alphonſ. Azebed. Caldas Pereira *in l. curatorem, verbo Hunc contractum, numer.* 41. *C. de in integrum reſtitut.* Paz *vbi ſuprà numer.* 12. Anton. Cardoſus *dict. verbo Tabellio. numer.* 7. quamuis ex antiqua *l.* 13. *tit.* 2. *lib.* 7. *Ordinamenti, & l.* 16. *titul.* 3. *lib.* 7. *Recollect.* decimumuſoctauus annus ſufficeret ad prædictum tabellionatus officium obtinendum.

9 Quam ætatem exactam præciſe tempore ipſo examinis & approbationis habere debet, vt patet ex verbis *dict. l. Regiæ*, ibi: *Y no los examinen ſi no tuuieren la dicha edad*, & merito. Nam qui eliguntur ad aliquod officium, debent eſſe idonei tempore quo eliguntur, *l. excuſantur* 2. §. 1. *ff. de excuſation. tutor. cap. ſi eo tempore, de reſcriptis, lib.* 6.

Vnde concludit Bartol. *in dict. l. impuberem*, Bald. de Peruſio, Iacobus de Canis, vterque *vbi ſup.* Alphonſ. de Azeued. *in dict. l.* 30. Perez de Lara *eod. c.* 20. *n.* 106. minorem ea lege notarium creari nõ poſſe, vt poſt legitimam ętatem exerceat, licèt contrariũ audierim ſemel obſeruatum his Regnis.

SVMMARIVM.

Minor etiam infans, tenetur ſoluere tributum, non perſonæ, ſed rebus ipſis impoſitum. 1.

Decima venditionis, ſiue gabella non debebitur, licèt pupillus de facto ſine tutore aliquid vendiderit. 2.

De iure communi, minor poſt quartum decimũ annum recuſans ſoluere gabellam, incidit in pœnam. 3.

Attento iure Regio, etiam qui decimumquartum annum exceſſit, minorque annis viginti & quinque exiſtit, niſi dolo tributum ſoluere detrectauerit, à commiſſo excuſatur. 4.

Minor excuſatur, ſi merces, venditionem, aut quid ſimile gabellario ex ignorantia non manifeſtauerit. 5.

QVÆSTIO LXX.

Ob nonſolutum vectigal, quod pro euectione rerum, aut inuectione penditur, vel ob non redditam gabellam, vt quis in commiſſum, vel alias pœnas incidat, cuius ætatis eſſe debeat?

Rę mitto, impuberem, & quemcumque alium minorem teneri vectigal, gabellam, ſeu tributũ non perſonæ, ſed rebus ipſis, aut earum euectioni, aut inuectioni generaliter inditum, vt quilibet maior ſoluere. Ita docet Sforcia *de reſtitut. part.* 2. *quæſt.* 83. *articul.* 4. *numer.* 30. 31. & 32. iuncto *num.* 49. vbi reſoluit, nequaquam minori eſſe ſubueniendum reſtitutionis fauore, vt debitam gabellam, aut tributum non ſoluat. Et probatur expreſſe *ex l. Imperatores* 7. §. *fin. ff. de publican. & vectigal.* vbi non aliter commiſſi pœna ob non præſtitutum vectigal pupillo remittitur, quàm ſi illud intra diem trigeſimum intulerit: etſi de gabella ex venditione debita aliud ſit dicendum, vt eleganter animaduertit Laſarte *de decima vendition. capit.* 14. *numer.* 59. cùm hæc debeatur ratione contractus, quem pupillus per ſe, & abſque tutoris autoritate celebrare nequit. Vnde ſi de facto contrahat, vti ex nullo contractu gabella non debebitur, niſi poſt modum nouo accedente pupilli conſenſu, ex autoritate tutoris, claudicans, & quæ verè nulla erat venditio, perficiatur: quo caſu inquit Laſarte debebitur decima vltimo gabellario, non primo, ſi diuerſi fuerint pro diuerſis temporibus gabellarij. 1 2

Quo ita ſuppoſito, dubitandum ſuccedit, qua ætate qui debitum vectigal, aut ſimile tributum ſoluere recuſauit, rerum amiſſione, multa pecuniaria, vel alijs pœnis contra eiuſmodi fraudatores ſtatutis coerceatur? Et quidem ſi ius commune ſpectamus, poſt quartum decimum annum nullam omnino minori non ſoluenti pœnæ excuſationem eſſe videmus *in dict. l. Imperatores, dict.* §. *fin.* vbi communiter Scriptores notant. Nec aliud deducitur *ex l ſi ex cauſa* 9. §. *ſi in commiſſum, ff. de minoribus*, quæ minori iam adulto, & à pupillaribus annis egreſſo, vt ibidem obſeruat Gloſſa, & Anton. Faber *in rationali.* Necnon & Iul. Paſtus *legum conciliator. centur.* 2. *cap.* 96. ſi is in commiſſum inci- 3

cidiſſe vectigalis dicatur, in integrum reſtitutionem pollicetur: quia ex ea potiùs ſuperior regula *dict. l. Imperatores* cõfirmatur, & ſtabilitur, dum beneficio reſtitutionis puberem indigere teſtatur, vt incurſam commiſſi pœnam euitet, planè & neceſſariò ſupponens, illum poſt pupillares annos dictam pœnam etiam intra trigeſimum diem incurrere, in quo à pupillo eum differre conſtat, qui non niſi poſt horum dierum lapſum ex commiſſo damnum patitur, vt *dict. l. Imperatores* cauetur.

4 Sed iure noſtro patrio hoc in melius mutarum legimus, quo non ſolùm pupillis, ſed etiam adultis, minoribus tamen quinto & viceſimo anno, à commiſſo, eiuſque pœnis immunitas beneficio ætatis indulgetur, niſi dolo & malo animo vectigal ſoluere detrectauerint. Sic habetur in *l. 6. titul. 7. p. 5.* illis verbis: *Otroſi dezimos, que ſi alguno que fizieſſe algunos deſtos yerros, fueſſe menor de catorze años, que non caeria en eſta pena, queriendo dar el portazgo: eſſo miſmo dezimos que debe ſer guardado, ſi aquel que lo fizieſſe, fueſſe mayor do catorze años, è menor de veinte y cinco años: fueras endeſi le fueſſe probado, que lo fiziera à ſabiendas malicioſamente,* vbi notat Gregorius ex deciſione huius *legis*, amplius minoribus non fore reſtitutionem in integrum neceſſariam, vt à commiſſo liberentur, cùm ipſo iure fauore ætatis ſint tuti: quod etiam placet Ioann. Gutierrez *de gabellis, lib. 7. quæſt. 47. num. 25.* & Bobadillæ *in Politica 2. part. lib. 4. capit. 5. numer. 40.* vbi ita ait: *Tambien es de ver, ſi tendra eſcuſa el menor cercano à catorze años, malicioſo y capaz de dolo, que ſacaſſe coſas vedadas, y ſi podra ſer reſtituido por ignorancia. Y digo que ſi, y aun ſin reſtitucion ſe eſcuſaria, aunque fueſſe mayor de catorze, y menor de veinte y cinco años, por razon de la dicha ignorancia, ſegun vna ley de Partida ſingular, que en eſto corrige el derecho comun. Pero ſi ſe le probaſſe al tal menor malicia, ò dolo verdadero, no ſe eſcuſarà por reſtitucion, como ſeria, ſi por mandado de ſu padre, ò amo, ò de otra perſona lo ſacaſſe, ò ſi de noche, ò por trochas y veredas, y lugares inuſitados y deſviados ſe ſalieſſe: que yà en eſtos caſos el dolo verdadero haria culpable, y no ſe eſcuſaria.* Cuius opinionis alij extitere, etiã in terminis iuris communis, duce Alberico, vt refert Sforcia *dict. art. 4. num. 50.* vbi eorum rationes adducit, & tandem diſſidentes opiniones fœdere diſtinctionis ad pacem & concordiam redigit.

5 Et hanc ſententiam procedere etiam affirmat Bobadilla *vbi ſuprà* in gabellis, vel alijs rebus ad quarum profeſsionem, & manifeſtationem quis de iure ſub certis pœnis tenetur, vt patet ibi: *Y la dicha diſculpa del menor de catorze años, procede tambien en caſo de alcaualas, ò de no regiſtrar ganados, ò coſas dezmeras*, ex Didaco Perez *in l. 26. gloſſa De ſacar, titul. 9. lib. 6. Ordinamenti*, Mexia *de pane, concluſ. 1. numer. 19.* Quibus accedit Gutierrez *vbi proximè*, dicens, id pariter locum habere in minore qui vendidit, vel emit rem aliquam, & venditionem gabellario non manifeſtauit intra terminos *l. 31. titul. 19. lib. 9. Recopilat.* argum. *l. denique 3. §. & ſi hæres, ff. de minorib.* & ſuaderi poteſt ex *l. fin. §. Diuus quoque Pius, ff. de publican.* vbi ei, qui intra legitimam ætatem viginti & quinque annorum extiterat, vt ibidem meritò exponit Gloſſa, & vſus ſui cauſa mancipia ducebat, in ſolaque ipſorum profeſſione errauit, non quidem ope exceptionis, ſed ipſo iure ignoſcitur.

SVMMARIVM.

HÆc quæſtio difficilis eſt, & à nemine tractatur. 1.

Eleemoſyna an præcepti, vel conſilij ſit? 2.

Poſt ſeptimum annum quilibet regulariter præceptis Eccleſiaſticis tenetur. 3.

Diuites per iudicis officium ad eleemoſynæ præſtationem cogi poſſunt. 4.

Præceptum miſericordiæ omnibus officijs, & ætatibus commune, & obligatorium dicitur. 5.

Pupilli, & minores tenentur moderatas eleemoſynas facere, & tutores id conſentire debent. ibid.

Pupilli, & minores quare miſerabiles perſonæ habeantur? 6.

Eleemoſynæ ab ijs tantùm fieri debent, quibus facultates ſuppetunt. 7.

Qui non habent dominium, vel adminiſtrationem rerum, minimè ad eleemoſynas tenentur. 8.

Qui oſtiatim victum quærunt, an obligentur præcepto eleemoſynæ? 9.

Text. in c. in ſingulis 1. 9. 86. diſtin. verſ. Diues & pauper *interpretatur. ibid.*

Eleemoſynam per liberalem donationem, vel ſaltim per mutuum fieri debet. 10.

Minor ante viceſimumquintum annum, nec mutuare, nec donare poteſt. 11.

Minor ex illis tantùm rebus, quæ à curatore recreationis cauſa fuerunt conceſſæ, eleemoſynam faciendi ius habet. 12.

Vera huius quæſtionis reſolutio traditur. 13.

In caſu extremæ neceſſitatis omnes, licèt minores,

nores, ad eleemoſynam tenentur. 14.

Ad eleemoſynam ſpiritualem omnis ratione vtens quacumque ætate obligatur. 15.

QVÆSTIO LXXI.

Eleemoſyna qua ætate tutè fieri poſſit?

1 A Paucis hac de re eſſe agitatum, meritò notat Octauian. Simoncel. *tract. de decret. lib. 1. tit. 2. inſpect. 2. n. 19. verſ. Videmus*: & quamuis affirmet Tiraquel. *in legum connubialibus gloſſ. 5. n.* 218. ſaltim dubitaſſe, an minor ſine iudicis decreto poſſit eleemoſynas facere? in meo tamen codice Lugdunenſi anni 15*36*. huiuſce rei nec verbum quidem extat, etſi fatear quæſtionem adeò eſſe perplexam & ancipitem, vt Tiraquellum ipſum hæſitãtem & ambiguum circa ſui definitionem reddere poſſet, cũ vtraque pars vrgentiſſimis nitatur rationibus, vt ſequẽtia monſtrabũt.

2 Contendit igitur in primis minorem, quãuis impuberem, doli tamen capacem, poſſe eleemoſynas facere, quòd piũ hoc opus præcepti, & non conſilij eſt, *c. ſicut ij.* 8. 47. *diſt.* probãt relati à Zenedo *in collectan.* 27. *p.* 1. Medina *in codice de eleemoſyna quæſt.* 3. Reginald. *lib.* 4. *n.* 244. Roderic. Acunha *in d. c. ſicut n.* 1. aſſerentes dari tum diuinum, tũ naturale, tum etiam Eccleſiaſticum præceptum
3 largiẽdi eleemoſynam temporalem. At poſt ſeptimum annum, quo regulariter omnibus malitia & vſus rationis cõtingit, fideles præceptis diuinis & Eccleſiaſticis obtemperare tenẽtur, veluti ſuprà *anno* 7. cùm de ætate ad confitendum peccata, ad obligationem audiendi ſacrum, & abſtinẽdi à carnibus diebus prohibitis, planè oſtendimus: ergo & eodem tẽpore pauperibus ſubuenire præſtitis eleemoſynis nedum poterunt, ſed etiam præciſè cogentur.

4 Et cõfirmatur ex eo, quòd diuites poſſunt, ſaltim per iudicis officium ad eleemoſynam cogi, vt cõmunis teſtatur, & docent Scribentes *in d. c. ſicut ij*, Nauar. *in manuali c.* 23. *n.* 73. Syluester *verbo eleemoſyna q.* 6. Couar. *lib.* 3. *variar. c.* 14. *n.* 5. *in princip.* Morla *in empor. iuris tit. de legib. q.* 13. *n.* 8. Leſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 12. *dub.* 12. *n.* 75. Tiraquel. *de nobilitat. c.* 29. *n.* 46. Sarmient. *de redditib.* 3. *p. c.* 4. *n.* 2. quibus accedit Roderic. Acunha *vbi proximè n.* 10. & nouiſſimè Anton. Dian. *reſolut. moral.* 5. *p. tract.* 8. *reſolut.* 4. vbi id etiam procedere extra caſum extremæ neceſſitatis docet cum Lorca 2. 2. *ſect.* 3. *diſp.* 39. *membro* 4. *num.* 47. & Sãnchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 66. Ergo quia debitum eſt, ad cuius ſolutionem omnes tam pueri, quàm ſenes cuiuſcumque ætatis, ſi bonis affluant, iure naturali, diuino & Eccleſiaſtico indiſtinctè obligantur.

Item hoc expreſſiùs conuincitur ex Diuo 5
Ambroſio *in illud Lucæ: Generatio viperarum*, cuius fit mentio in *c. in ſingulis.* 19. 86. *diſtinct.* vbi ita legitur: *Miſericordia communis eſt vſus, ideò commune præceptum omnibus officijs, omnibus ætatibus neceſſaria, & ab omnibus deferenda: nõ Publicanus, non miles excipitur, nõ agricola, vel vrbanus, diues & pauper: omnes in commune admonentur, vt conferant non habẽti*: præceptum miſericordiæ erga pauperes omnibus ætatibus cõmune eſt? ergo ab eo nec pupillus excipietur: vnde docet ConincK. *diſputat.* 27. *dub.* 5. *num.* 61. & poſt eum Diana *vbi ſupra reſolut.* 35. pupillos & minores poſſe moderatas eleemoſynas facere, & tutores teneri id conſentire.

Tamen non deſunt quæ cõtrarium ſtabili- 6
re videantur, nempe minores, maximè qui curatoribus ſubſunt, ante quintum & vigeſimũ annũ minimè pauperibus eleemoſynas erogare teneri: quoniam dum minori exiſtunt ætate, bonis & facultatibus, etiamſi diuites ſint, carent, quibus ſe miſericordes egẽtibus exhibere poſſint, cũ omnes penes tutores & curatores ſint, ipſorũque adminiſtrationi, & regimini ſubijciãtur, adeò vt minoribus nec nummum quidem citra illorum cõſenſum & autoritatem elargiri iure liceat, *l. ſi curatorẽ habens, C. de in integ. reſtitut. minor. §. nũc admonẽdi, inſtit. quib. alienare licet, vel nõ*, cum vulgarib. & hinc fortè inter pauperes, & miſerabiles perſonas legibus recẽſentur *l.* 1. *C. quando Imperator inter pupillum, & vidum*, iunctis alijs, quæ in hanc rem *hoc anno*, vbi de ętate pupilli quoad fori electionem egimus,
fuſè notauimus. Cæterùm eleemoſyna ab his 7
tantùm fieri debet, quibus ſuppetunt facultates, iuxta illud Tobiæ. 4. *De tua ſubſtãtia fac eleemoſynam*, probat expreſſe apud noſtros *l.* 9. *tit.* 23. *part.* 1. his quidem verbis: *Mas la*
corporal, de eleemoſyna loquitur; *nõ la puede* 8
fazer ſi non aquel que hà de los bienes con que viuẽ los omes en eſte mũdo: & rurſus *l. ſequẽti*, ibi: *E para ſer fecha con derecho ha meneſter q̃ la fagan de lo ſuyo, q̃ lo ganò derechamẽte*: vnde certũ eſſe apud omnes inquit P. Vazquez *tractat. de eleemoſyna c.* 4. *n.* 1. quòd ille qui non habet rerum dominium, nec habet adminiſtrationẽ, nõ poteſt de illis vllã facere eleemoſynam ſine cõſenſu ſuperioris, cuiuſmodi ſunt vxor, filius, ſeruus, religioſus, & pupillus, quo loco pupilli appellatione etiam mi-

norem complectitur, cui pariter rerum ſuarum adminiſtratio eſt prohibita.

9 Nec his aduerſatur *dict. cap. in ſingulis*, vbi planè definitur, etiam pauperes, & qui omnibus fortunæ bonis ſunt deſtituti, ad eleemoſynam alijs pauperibus impertiendam conſtringi, ita vt obſeruet Rodericus Acunha *ibidem num.* 5. quòd oſtiatim victum quærentes teneantur ex eleemoſynis partiri pauperibus alijs extremè & grauiter indigẽtibus, dummodò dantibus non veniat periculum. Quoniam ſi id rectè perpendatur, vel intelligendum erit reſpectu aliorum pauperum, quibus extrema, & maior ineſt egeſtas, vt ſubindicat Acunha *dicto loco*, ad quã ſubleuandam citrà dubium etiam pauperes minori neceſſitate laborantes ex debito charitatis tenentur: vel cum Turrecremata *ibidem n.* 2. accipi poterit reſpectu ſpiritualis eleemoſynæ, quæ miſericordia eſt alienæ calamitatis, & mali proximi: ad hanc etenim eleemoſynam præſtandam vbicumque, & quandocumque ea proximus indigeat, omnes indiſtinctè, ſiue diuites, ſiue pauperes ſint, neceſſariò tenentur, vt multis oſtẽdit prædictus Autor, & egregiè probatur ex *ex d. l. 9. Part.* ibi: *La ſegunda es, porque la limoſna eſpiritual nunca fallece à ninguno, ca quier que ſea ome rico, o pobre, ſiempre la puede fazer ſi quiſiere: mas la corporal*, de qua contendimus; *non la puede fazer ſi non aquel que hà de los bienes con que viuen los omes en eſte mundo.*

10 Sub hæc autem, & ex eo itidem præfatâ ſententia robur accipit, quòd vt ſentit Valentia 2. 2. *q.* 32. *punct.* 3. Bañez *in eadem q. art.* 6. *dub.* 6. Sotus *lib.* 4. *de iuſtit. q.* 7. *art.* 1. *ad* 4. & plures alij, eleemoſyna facienda eſt per liberalem & irreuocabilem donationẽ, vel vt alijs magis placet, ſaltim per mutuum: ſic Nauar. *in ſumma c.* 17. *n.* 61. *& c.* 24. *n.* 5. Couarru. *in cap. peccatum part.* 2. *n.* 4. *§.* 1. Ioan. de Medina *de reſtitut. q.* 3. *in princip. & tractat. de eleemoſyn. c. an extremè indigenti*, Toletus *in ſumma lib.* 5. *c.* 24. Ioan. Lupus *in rubr. de donation. §.* 65. *n.* 46. Almain. *in* 4. *diſtinct.* 15. *q.* 2. nouiſſimè Roderic. Acunha *in c.* 1. *n.* 4. 82. *diſtinct.* qui has opiniones non in elegãti diſtinctione conciliat, & Antonin.
11 Diana *d.* 5. *p. tractat.* 8. *reſolut.* 5. Sed minor ante vigeſimumquintum ætatis annum, nec mutuum (quia ſpecies alienationis eſt, ex qua dominium transfertur, *l.* 2. *& totus titulus, ff. de rebus creditis*) nec vllam donationem efficere poteſt, etiam iudicis decreto interueniente, *l.* 1. *in princip. verſ. Sed etſi nõ mortis, ff. de tutel. & ration. diſtrah. l. ſi quando.* 3. *verſ. Cùm autem, C. ſi maior factus alienationem, l.* 1. *tit.* 4. *part.* 5. cum pluribus ſuo loco *anno* 25. enumerandis: ergo à fortiori neque eleemoſynam, vt in expreſſo docet Ludouic. de Molin. *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 224. 12
n. 12. affirmans minorẽ ex illis tantùm pecunijs, vel alijs rebus, quæ ipſi à curatore recreationis cauſa fuere conceſſæ, poſſe eleemoſynas facere. 13

Sed nec huic, nec illi opinioni omnino acquieſcit Octauius Simoncellus *tract. de decretis d. lib.* 1. *tit.* 2. *inſpect.* 2. *n.* 19. *in fin.* imò potiùs mediam quandam ſententiam amplectitur ſic diſtinguens. Aut enim eleemoſyna de bonis mobilibus, quæ ſeruando ſeruari nõ poſſunt, aut de immobilibus à minore eſt faciẽda. Priori caſu rectè per ſe, abſque iudicis decreto, & alijs ſolemnitatibus in pauperes eam erogabit, cùm illorum liberam habeat diſpoſitionem, Gloſſa & ibi Scribentes *in l.* 1. *§. fuit quæſitum, ff. ad Trebellian. l.* 2. *C. ſi aduerſ. donation. vlt. reſponſ. l. lex quæ tutores, C. de adminiſt. tutor.* Secus verò in poſteriori, cùm de immobilibus pauperũ ſubleuare inopiam deſiderat, magis vt liberalem & magnificum erga eos ſe oſtendat, quàm vt charitatem & miſericordiã in illos propter Deum exerceat. Nam ſi vt Catholicũ decet, bona ſua, quamuis immobilia, cum debita tamen prudentia & moderatione, ſola pietate, ac religione permotus diuiſerit, tenebit vt iuſtè facta eleemoſyna, quaſi tũc id operatus ſit minor quod quilibet Chriſtianus, & cordatus pater familias non ſolùm faceret, ſed & facere ex lege charitatis teneretur. Cuius diſtinctionẽ prorſus veriſſimam puto, ac iuxta eam eſſe accipienda fundamenta, quæ pro ſecunda opinione ſuprà conſtituimus.

14 Quo ſuppoſito, pari negotij afferre videntur rationes, quibus ſtabiliri prima ſententia videtur, quoniam vel procedunt in caſu extremæ neceſſitatis, quo nemo ab eleemoſyna excuſatur, dummodò vſu polleat rationis, & præcepti, aut alterius obligationis ſit capax. Nam extremè indigentibus ſubuenire tã naturalis & diuini, quã humani iuris præcepto obligamur, cui omnes ſtatim poſt infantiam parere tenemur, vt ſuprà citati Scriptores teſtãtur, & ex his Roderic. Acunha *in d. c. ſicut ij n.* 1. 2. *&* 3. & nouiſſimè Anton. Diana *reſolut. moral. p.* 4. *tractat.* 4. *Miſcell. reſol.* 215.

15 Vel accipienda ſunt prædicta fundamẽta vti ſuprà ex Turrecremata obſeruauimus, de eleemoſyna ſpirituali, ad quã proculdubio, etiam pueri maximè ratione vtentes prçciſè tenẽtur, vtpote quam rectè abſque periculo propriæ ſubſtantiæ, & patrimonij exhibere poſſunt, cũ nõ in præſtatione aliqua pecuniaria conſiſtat, ſed in corporali auxilio, & alijs operib⁹ charitatis, vt prędict⁹ Autor oſtẽdit.

SVMMARIVM.

Conditiones, quæ in perpetuum ſunt impeditiuæ nuptiarum, pro non ſcriptis habentur. 1.

Conditio, quæ in tempus ſolummodò matrimonium ſuſpendit, adimpleri debet. 2.

Conditio, quæ in tantum tempus differt matrimonium, vt poſt id vix credatur aut virũ, aut fœminam collocari poſſe, ab omni diſpoſitione reijcitur. 3.

Menſuram temporis, quæ eiuſmodi cõditionem reijcibilem efficit, arbitrio iudicis eſſe relinquendam putat Ægidius. 4.

Si vltra quintum & viceſimum annum fœminæ apponatur conditio non nubendi, reijci debet. 5.

Text. in l. ſed ſi. 62. §. fin. ff de condition. & demonſtrat. nouè interpretatur. 6.

Conditio impeditiua nuptiarum an turpis etiã habeatur de iure Canonico? 7.

Patris Baſilij *opinio reijcitur.* 8.

Conditiones non nubendi, & religionem ingrediendi non ſunt eiuſdem naturæ. ibid.

QVÆSTIO LXXII.

Vtrùm conditio non nubendi intra certum tempus, habeat à iure determinatam ætatem, vltra quam ſi apponatur, debeat quaſi in fraudem matrimonij adiecta reijci?

1 Licèt conditiones illæ, *Si non nupſerit, ſi vxorem nõ duxerit*, & ſimiles, quæ directè & in perpetuum tam viros, quâm fœminas à matrimonio retrahũt, pro non ſcriptis habeantur, *l. quoties.* 22. *l. cum tali.* 72. *§. Mæuiæ, l. cùm in legatum.* 63. *l. hoc modo* 64. *l. ſed et ſi.* 63. *§. final. ff. de condit. & demonſtrat. l. ſeruo.* 65. *§. ſi teſtor, ff. ad Tre-*
2 *bellianum*, cùm vulgaribus. At cùm non vt in perpetuum, ſed vt ad certum tempus matrimonium impediant, legatis, aut alijs quibuſcumque diſpoſitionibus adſcribuntur, valẽt. Et ità cõditionalia legata, aut promiſſa reddunt, vt non aliter ea conſequi valeãt, quàm ſi conditionibus obtemperetur, *dict. l. cùm tale.* 72. *§. Mæuiæ, dict. l. ſed ſi hoc.* 62. *§. fin.*
3 vbi notant communiter Scribentes: quia vt benè inquit Benedictus Ægidius *in relectione l. Titiæ ſi non nupſerit 3. part. num.* 25. *de condict. & demonſtrat.* tunc magis cura mariti quærendi, quàm viduitas iniuncta videtur, niſi in tam longum tempus matrimonium protraheretur, vt non eſſet veriſimile poſt illud virginem inuenturam virum, cui nuberet. Nam tunc vti in fraudem matrimonij addiectæ, non aliter ac ſi nulla temporis præfinitione eſſent appoſitæ, remittendæ erunt, argumento *dict. l. hoc modo.* 64. ibi: *Quod ſi ita ſcriptum eſſet*, ſi Ariciæ non nupſerit, *intereſſe an fraus legi facta eſſet. Nam ſi ea eſſet, quæ alicubi nuptias non facilè poſſit inuenire, interpretãdum ipſo iure reſcindi, quod frau dãdæ legis gratia eſſet adſcriptum: legem enim vtilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ cauſa latam adiuuandam interpretatione*, facit *l. hæres meus.* 79. *§. fin. ff. eodem*, & probant præter antiquiores Leonardus Galganet. *de condition.* 1. *p. c.* 10. *n.* 14. Cardin. Mãtic. *de coniecturis vltimar. voluntat. lib.* 11. *tit.* 19. *n.* 8. P. Sanchez *de matrimonio lib.* 1. *diſputat.* 34. *n.* 36. Ioan. Gutierrez *eodem tract. c.* 21. *n.* 27. & Ægid. Benedictus *d. loco.*

Sed quod autem ſit hoc longum tempus, 4
ad quod ſi producatur matrimonium, vix poterit à virginibus contrahi, nõ omnes explicant, etſi iudicis arbitrio eſſe relinquendum ex Iaſone doceat Benedictus Ægid. *vbi ſupra*, imò ſolus P. Sanchez *loco citato* id opti- 5
mè præfinijt, dum inquit valere cõditionem, vt fœmina non nubat ante vigeſimumquintũ annum, quia vſque ad illud tempus non reputat ius eſſe magnam moram: ergo ſi vltra vigeſimumquintum ætatis annum conditione aliqua differatur matrimonium fœminæ, in tam longum tempus dilatum videbitur, vt poſt illud non ſit probabile ipſam virginem poſſe inuenire maritum paris conditionis, ac per conſequens hoc caſu talis conditio velut impeditiua nuptiarum ex propoſita doctrina reſcindenda erit, cùm idem ſit in totum matrimonium prohibere, aut per illud vitæ ſpatium, quo ſolet communiter contrahi.

Et quamuis hoc impugnari videatur ex 6
dict. l. ſed ſi. 62. *§. finali de conditio. & demonſtrat.* vbi illa conditione, *Si à liberis impuberibus ne nupſerit*, dilatum eſſe legatariæ matrimonium inquit Conſult. donec curam, & tutelam, quam impuberem habere deſiderabat teſtator, obijſſet, quod neceſſariò poſt vigeſimum & quintum annum legatariæ futurum videbatur, cùm neque vir, neque fœmina ante hanc ætatem tutelam gerere poſſit, vt *hoc anno* conſtabit. Attamen ſi bene *dict.* §. verba perpendantur, parum à propoſita ſententia diſcrepant, cùm apertè demonſtrent, illa conditione non tutelæ officium ei fuiſſe iniunctum, ſed ſolùm curam tutelarem, quam rectè ante prædictam maiorem ætatem

ætatem impendere potuiſſe nemo dubitauit, ſaltim poſtquam plenam pubertatē quatuordecim annorum exceſſit, qua & ſibi & alijs conſulere rectè potuit, præſertim in his, quæ ad optimam educationem ſpectant. Vnde cùm talis conditio non vltra quintum & viceſimū annum neceſſariò nuptias producat, vt diximus, interpretandum erit, curam impuberum, quā legatariæ iniunxerat teſtator, eius qualitatis fuiſſe, vt pubertate liberorum ante maiorem ipſius ætatem finiretur, cùm in longius tempus nulla conditionis adiectione queat matrimonium præpediri.

7 Quod verum attento iure ciuili fatetur P. Baſilius Pontius *lib. 3. de matrim. c. 6. n.* 17. iuncto *n.* 12. non quidē inſpectis Canonicis, & Eccleſiaſticis diſpoſitionibus, nam cùm illis apertè caueatur, conditionem nunquam nubendi turpem nō eſſe, nec talem, quæ reijci mereatur, vt ex traditis à Sanchez *d. diſput.* 34. *n.* 15. conſtat, & probatur expreſſius *ex cap.* 2. *de condit. appoſitis*, vbi ſerui manumiſſi ſub illa conditione, vt monachi fierent, & cōſequenter vt à matrimonio abſtinerent, coguntur in religione perſeuerare, planè inferri videtur, nec illam conditionem eſſe improbam, qua matrimonium in tam longum tempus producitur, vt poſt illud puella ſit nuptijs inepta, quod latuiſſe P. Sanchez maximè miratur Baſilius *dict. num.* 17.

8 Sed vereor hanc Baſilij opinationem parū eſſe tutam, cùm nullibi caueatur cōditionem nunquam nubendi de iure Canonico honeſtā & validam eſſe, neque id à P. Sanchez relati *n.* 15. aſſerunt, ſed tantùm conditionē ingrediendi religionē valere, vt in *d. c.* 2. quod diuerſum exiſtit, quia hæc conditio nō directè tendit ad nuptias impediendas, ſed per accidens & indirectè. Directè autem ſolum tendit, vt alliciat ad ſtatum perfectiſſimum, nec præſumendū eſt, vti optimè ratiocinatur Sanchez, ius voluiſſe conditionem hanc ob matrimonij fauorē annullare. Quod minime de illa conditione nunquam nubēdi dici poteſt, ex quo principaliter & directè viduitatē inducit, quod omni iure exoſum & improbum habetur, quaſi malè de matrimonio, ipſiuſque Sacramento ſentire videatur, qui lucri ſpe, aut iacturæ metu ab eo, ſiue viros, ſiue fœminas retrahere nititur.

SVMMARIVM.

Orphanum ſolùm dici minorē quatuordecim annorum multi docent. 1.

Orphanus Græcè, pupillus eſt. 2.

Orphanus ſecundùm D. Hieronymum *ille dicitur, qui vtroque parente caret. ibid.*

An minor ſola matre carens orphanus cenſeatur? ibid.

Legatum orphanis relictū, an maioribus quatuordecim annis debeatur? 3. & 6.

Verius eſt, minorem annis viginti & quinque, ſiue maſculum, ſiue fœminam patre carētem orphanum eſſe. 4. & *ſeqq.*

Fœmina poſt vigeſimum quintum annū ætatis maiori dote indiget ad nubendum. 7.

QVÆSTIO LXXIII.

Parentibus orbati in quam ætatem orphani dicantur?

QVamplurimis placet ſolū ad decimumquartum annū orphanitatē extendi, & ideò non ampliùs quē propriè orphanū dici poſſe. Huius ſententiæ extitere Alberic. *in l.* 1. *C. quādo Imperat. inter pupil. & viduam*, & Paul. Caſtrenſ. *in rubric. eiuſdē tit.* Cynus *in l. orphanotrophos.* 31. *C. de Epiſc. & Cleric.* Ioan. de Platea *in l. vniuerſi, C. de fund. rei priuat. lib.* 11. Roland. à Valle *conſil.* 76. *n.* 43. *tom.* 1. Quibus ea potiſſimum ratio fauet, quòd orphanus pupillus eſt, nā ita Græci pupillū vocant, quod tamen nomen D. Hieronymus ei adſcribit, qui patre & matre quoque caret, vt Autor eſt P. Gregorius *ſyntag. iuris vniuerſi lib.* 12. *c.* 1. *n.* 5. licèt P. Thom. Sanchez proximè referendus *n.* 6. ſolo patre & non matre deſtitutum orphanum dici credat, etiāſi minor ſit viginti & quinque annis: ſed vt notiſſimū extat, & vberrimè probauimus ſuprà *anno* 14. nemo vltra decimūquartum annū pupillus exiſtit: ergo neque orphanus. Quod adeò verum, & menti tenendum putat Paul. Caſtrenſis *vbi proximè*, vt inde inferat legatum, vel quantitatem orphanis à teſtatore relictam non debere inter illos diſtribui, qui ſunt maiores quatuordecim annis. Idem ſentit pluribus relatis Thom. Sanchez *conſilior. lib.* 4. *c.* 1. *dubio* 63. *num.* 5. vbi poſtquam dixerat orphanum intelligi virum nempe intra quatuordecimum annum, & fœminam intra duodecimum, ex Gregorio Lopez *in l.* 41. *tit.* 18. *p.* 3. *verſ. A los huerfanos*, ſubdit, fortè hoc procedere quoad omnes alios effectus dempto caſu electionis fori.

4 Tamen hanc opinionem omnino ſuſpectā iudico, eamque potius amplector, quæ vt veriſſimū arbitratur, orphanos eos omnes poſt amiſſos parentes eſſe & dici, qui minores nuncupantur, ideſt nondū quintum & viceſimum annū agentes, vt planè ſupponit Imperator *in dict. l. orphanotrophos.* 31. *in princip. C. de Epiſcop. & Cleric.* dū orphanotrophos, quibus orphanorum ſolicitudo & procuratio com-

commiſſa eſt, vt interpretatur Hotomanus, & Briſſonius, pupillorum quaſi tutores appellat, & adoleſcentum verò quaſi curatores: ergo dantur orphani adoleſcentes, quibus orphanotrophi curatorum munus & officium exhibent, ac conſequenter non ſolùm orphani eſſe videntur, qui ea ætate ſunt, vt tutoribus indigeant, verùm & qui ea exiſtũt, vt curatoribus opus habeant, vtpote etiam praxi his Regnis eſſe receptum, maximè vbi de fori priuilegio diſcutitur, docet Gregor. Lopez *in d.l.6. verbo, Huerfano*, his verbis: *In practica tamen in iſto Regno, quoad iſtum caſum, ſi ſit orphanus carens patre, licèt maior quatuordecim annorum, minor tamen viginti & quinque annis: & ita practicatur.* Quod tam reſpectu virorum, quàm fœminarum ſubintelligendum admonet.

5 Nec quòd pupillus orphanus ſit, quicquã aduerſatur quominus etiam adoleſcens idem nomen mereri poſſit, ſi parentibus fuerit orbatus. Nam vt proximè ex Petro Gregorio notauimus, orphani vocem, quam Græci ad ſolum pupillum referebant, D. Hieronymus etiam ei adſcripſit, qui licèt impubes non eſſet, patre & matre quoque fuerat orbatus, vtpote apta vtrumque complecti, maximè ſi pubes parentibus deſtitutus adhuc intra minores annos exiſtat: nam ſi illos exceſſerit, verè orphanus non erit, quaſi iam tunc parentibus, ſiue eorum auxilio carere minimè videatur, qui ea ætate inuenitur, vt ſibi & alijs rectè in rebus neceſſarijs conſulat, argumento *l. 1. ff. de minoribus*.

6 Ex quibus infertur contra Paulum Caſtrẽſem *vbi ſuprà* legatũ pro orphanis ſiue alendis, ſiue maritandis, vt frequentiùs relinquitur, non ſolùm puberibus, viris ſcilicet poſt quatuordecim annos, & fœminis poſt duodecim deberi, & præſtari poſſe, ſed etiam maioribus, dummodò quinque & viginti annorum ætatem nõ excedant. Et ita in propoſito ſentire videtur Thom. Sanchez *d. loco n. 6.* eam reddens rationem, quia cùm legatum relinquatur pro orphanis maritandis, & maritari non poſſint intra pupillarem ætatem, tale legatum dari poteſt puellis patre orbatis in ea ætate cõſtitutis, vt nubere valeant: etſi fatear vſu, & conſuetudine eſſe receptum in diſtribuendis portionibus pro nuptijs orphanarũ, quas noſtri *Suertes de huerfanas* vocãt, nullã ætatis haberi rationẽ, ſed indiſtinctè omnes ad eas admitti, & meritò, cùm tantò magis dote fœmina ad nubendum indigeat, quantò ætate eſt prouectior, præſertim ſi vigeſimum quintum annũ iam exceſſerit, poſt cuius lapſum difficile eſt virum ſaltim paris conditionis inuenire, vt colligitur ex traditis à P. Thom. Sanchez *de matrim. lib. 1. diſput. 34. n. 36.* & à nobis ſuprà *hoc eodem anno* in quæſtione vtrùm conditio non nubendi intra certũ tempus habeat à iure determinatam ætatem, vltra quam ſi apponatur, debeat quaſi in fraudem matrimonij adiecta reijci? 7

SVMMARIVM.

AN *ætas viginti & ſex annorum perfecta, ſit in Referendario neceſſaria?* 1.
Relatoris ætas viginti & ſex annorũ eſſe debet. 2.
Referendarij propriè Relatores ſunt. 3.
Relator, Iuriſperitus eſſe debet. 4.
Garſiæ Toletani *lapſus deprehenditur.* 5.
Hodie Referendarij ætas viginti & quinque annorum ſit oportet. 6.

QVÆSTIO LXXIIII.

Referendarij quæ ſit ætas?

NEmo enim hãc aſſignat, nec Gomezius ipſe, qui *in regulas Cancellariæ in vtriuſque ſignaturæ compendio pagina mihi 317. cum ſeqq.* exactã Referendariorũ tractationem inſtituit. Cæterùm ego cẽſeo ſeptem & viginti annorum ſaltim eſſe debere, vel, vt propriùs loquar, ſex ſupra viginti, quorum ita ſit finis lapſus, & perfectus, vt ſequẽtis anni principium & exordium meritò dici queat. Ducorque argumẽto à ſimili, cuius in iure noſtro non leuis autoritas eſt, vt latè comprobat Nicolaus Euerard. *in locis argumentum legalib. loco à ſimili pag. 128. in parua editione*, quoniam vt ſuprà adſtruximus, 2 Renuntiatorum, ſiue Relatorũ cuiuſcumque Tribunalis munus, nõ anteà ab aliquo licitè valet exequi, quã eius ætatis exiſtat, vt præfatum annorum numerum peruixerit. At verò Referendarij ſiue Pontificis, ſiue Principis alterius, propriè Relatores ſunt, qui libellos ſupplices, vulgò *Petitiones* dictas, legebant, ipſiſque referebant, vt optimè aduertit Ioan. Matienç. *in dial. relator. 2. p. c. 1. n. 7.* & probatur manifeſtè ex *authentico de Referẽdarijs, authẽtico, quomodo oporteat Epiſcop. §. non autem aliter*, ibi: *Liceat quidem petentibus Epiſcopis, aut per eos, qui vocantur Referendarij ſanctiſſimæ Maioris Eccleſiæ, aut per religioſos apocriſarios cuiuſque Diæceſeos ſanctiſſimorum Patriarcharum ſuggerere, &c.* notat *ibidem* Gloſſa *verbo, Referendarij*, quam immerẽter ex eo reprehẽdunt Iacob. de Belluiſo, & Bart. *in d. authent. de Referendarijs in fine*, Speculator *titulo de ſupplication. in principio, num. 1.* & Matienҫus *vbi proximè*, quia

quia Referēdarios aduocatos appellat ſtantes in curia, vt præſtent aduocationem venientibus, & dicta eorum referant: quod ſi rectè inſpiciatur, nihil aliud eſt quâm aſſere-
4 re Referendarios eſſe Iuriſperitos, qui referendis cauſis venientium ad curiam in ea aſſiſtunt. Nam quemadmodum Relatores iuris ſcientia eſſe prædítos oportere admonet Matiençus *dict. loco cap. 6. num. 1.* vnde apud noſtros *l. 2. tit. 9. lib. 3. nouæ recollectionis* cauetur, neminem anteà debere admitti ad referendi munus, quâm ſcientiæ iuris Cæſarei, vel Pontificij, ſaltim decem annis operam nauarit in Academia approbata huius, vel alterius Regni, ſimiliter in Referēdarijs eadem ſcientia deſideratur, veluti expreſſe indicat Petrus Gregorius *ſyntagmat. iuris lib. 15. cap. vltim. num. 18.* & meritò, cùm Relatores ſint, vt dicebamus, & planius docet Imperator *in authentic. vt litigantes iurent, §. quia verò,* illis verbis: *Iubemus expectabiles Referendarios in cauſis quas docent, ſeu referunt ad noſtram tranquillitatem, &c.* & rurſus: *Nihil enim aliud facere eos concedimus, niſi ſolas noſtras iuſſiones in quocumque negotio, aut ex ſcripto, aut non ſcripto prolatas competentibus, aut deputatis inſinuare iudicibus,* quibus planè concinit Aurelius Caſſiodorus *variarum lib. 6. cap. 17.* ita: *Nemo tamen ſermones noſtros tantum meretur, quàm qui Referendarius eſſe dignoſcitur. Per eum nobis cauſarum ordines exponuntur, per eum interpellantium vota cognoſcimus*: & paulò poſt: *Non tantùm impellator formidat negotij ſui caſum, quantum ſuſtinet iſte in relatione periculum,* & apud noſtros occurrit euidens teſtimonium Fr. Placidi de Sandoual *in Hiſtoria Caroli Quinti Imperatoris lib. 1. anno 1516. §. 58.* vbi ſic refert: *Y de la confeſſion reſultò, que mandò llamar al Licenciado Zapata, y al Doctor Caruajal ſus Relatores, y Refrendarios, y de ſu Conſejo y Camara, &c.*

5 Ex quibus deprehenditur lapſus Garſiæ Toletani *in lucerna rubricarum trium poſteriorum librorum Codicis titulo de excuſation. muner. num. 6.* vbi Referdēariorum munus & officium idem fuiſſe quod apud noſtros *Secretario, Eſcriuano, o Recetor del Cōſejo* perperam hallucinatur, niſi Receptoris nomen pro Relatoris voce irrepſiſſe benignè credamus, quod vix antecedentia Secretarij, & Tabellionis verba admittent, quæ de Receptoribus, non verò de Relatoribus eum ſenſiſſe aperrè conuincunt.

6 Cæterùm poſt hæc ſcripta cùm Auguſtini Barboſæ tractatus Eccleſiaſtici iuris vniuerſi in manus incidiſſet *lib. 1. cap. 22. num. 4.* ætatem Referendarij didici hodie ſaltim viginti & quinque annorum eſſe debere, ex cōſtitutione 41. *Sixti V.* incipienti, *quemadmodum* ſub data 10. Kalend. Octob. 1586. quæ parum ab ea diſtat, quam initio ſola ratione duce eidem muneri præſcripſimus.

SVMMARIVM.

SEruum manumittere præciſe tenetur, qui vt illum manumitteret, legatum agnouit, etiamſi plus ſit in ſeruo quā in legato. 1.

Minor annis viginti & quinque, ſiue maſculus, ſiue fœmina, etiamſi legatum agnouerit, manumittere non cogitur. 2. *& ſeqq.*

Semel data libertas à minore, beneficio reſtitutionis non poteſt retractari. 3.

QVÆSTIO LXXV.

Vt is cogatur ſeruum ſuum manumittere, qui legatum cum onere manumittendi agnouit?

NEminem latet eum neceſſariò ad ſerui ſui manumiſſionem adſtringi, qui vt illum manumitteret, legatum à teſtatore accepit, adeò quidem, vt etſi plus ſit in pretio ſerui, quàm in legato, ideò à manumiſſionis onere non ſit exemptus, *l. generaliter. 24. §. ſi quis alienum, l. debitor. 45. in principio, & in §. fideicommiſſaria, ff. de fideicommiſ. libertat. l. ſi ea. 13. C. ad leg. Falcid.* ea vtique ratione, vt appoſitè nimis arbitrantur Iacob. Cuiac. & Anton. Faber, vterque in expoſitione *l. 33. ff. de minorib.* quia tanti ſeruum ſuum æſtimaſſe videtur, qui ſimile legatum agnouit, quantum eſt in legato, non pluris, *l. Imperator. 70. § ſi centum, delegat. 2. l. ſed ſi non ſeruus. 36. ad legem Falcidiam.* Sed ab hac generali definitione 2
minor excipitur, qui ſupra viceſimum annum quintum nō expleuit, *l. ſi rogatus. 20. in principio, ff. de manumiſ. vindict.* cui beneficio reſtitutionis in integrum conceditur, vt ſi rogatus fuerit manumittere ſeruum ſuum, qui pluris quàm in teſtamento ei legatur, ſit, & legatum acceperit, non cogatur præſtare libertatem, ſi legatum reddere paratus ſit, *d. l. ſi minor. 33. ff. de minoribus.* Quòd ita acci- 3
piendum eſſe rectè *ibidem* admonet Dionyſ. Gotofred. & confirmat Anton. Faber *eodem loco,*

loco, *& in Iuriſprudentia Papiniana tit.6. princip.1. illat.3.* Oſuald. *lib.21. Donelli c. 12. litera B.* ſi libertas ſeruo nōdum ſit â minore præſtita. Nam ſi iam præſtitiſſet, nullus vtique eſſet locus reſtitutioni aduerſus libertatem, *l.verum.11.§.1.l.ſi ex cauſa 9.§. final. & leges ſequentes, ff. eodem, totus titulus, C. ſi aduerſus libertatem.* Vnde colligitur vigeſimumquintum annum exceſſiſſe debere eum qui agnito legato ad prædictam manumiſſionem conſtringendus eſt: quod etiam & in fœminis obſeruandum apparet quoties ſimili fideicommiſſo grauatæ exiſtunt, ſiquidem hæc ætas maior, quæ ad huiuſmodi compulſionem deſideratur, in maſculis & in fœminis æqualis eſt, vt pluries oſtendimus.

SVMMARIVM.

Patris poteſtas apud Græcos tertio anno poſt filij pubertatem finiebatur. 1.

De iure communi & Regio an ætas quinque & viginti annorum liberet à patria poteſtate? 2. *& ſeqq.*

Verius eſt nullam ætatem à patria poteſtate liberationem inducere. 4.

L.cum filiofamilias.50.§.ſic autem.4.ff.delegat.3.intelligitur. ibid.

In longinquis habitans, vel vbi ſtatus ipſius notitia haberi non poteſt, emancipatus præſumitur. 5.

Senex emancipatus creditur. ibid.

Filius viginti annos, aut decem ſaltim ſecundum alios ſeorſim viuendo, vel negotiando, emancipatus iudicatur. 6.

Filijfamilias ferè ſemper iuuenes ſunt. ibid.

Officialis maioris ætatis præſumitur, & contrarium alleganti incumbit probationis onus. 7.

QVÆSTIO LXXVI.

Vtrùm legitima ætas viginti & quinque annorum filios à paterna poteſtate eximat?

1 ANceps, nimiſque dubia exiſtit huius quæſtionis reſolutio: nam ſi Græcorum leges ſequendas eſſe arbitramur, eas noluiſſe ſcribit Balduin. *in ll. Romuli cap.17. num.6.* patriam poteſtatem diuturnam eſſe,
2 ſed finiri tertio poſt pubertatem filij anno. Si verò ius commune potiùs ſectandum duxerimus, eo decerni refert Petr. Cornel. Brederodius *in lib. ſentent. & regular. iuris ciuil. verbo ætas, verſic. Ætas Diaconi, in fine*, viginti & quinque annorum ætatem ſoluere filium à patria poteſtate: ad idque adducit *l.3.tit.49.lib.8.C.* quæ nec verbum quidem de hac re agit. Sed eius ſententia aptiùs probari videtur ex *l.cum filiofamilias.50.§.ſic autem.4.ff.delegat.3.* vbi tunc ſui iuris eſſe quis dicitur, cùm ad annum vigeſimumquintum deuenit. Nec minûs luculenter ex Ariſtotele *lib.1. magnorum moralium cap.31. circa medium*, his verbis: *Nam quemadmodū membrum patris eſt filius, niſi iam virilem induerit ætatē, qua ab ipſo ſeparetur, &c.* Verùm ſi ad noſtrum Partitarum ius recurrimus, faciliùs hæc Brederodij ſententia probari poſſet ex *l.31.tit.11.part.4.* vbi ex quo ea diſponitur filium legitimæ ætatis, ideſt viginti & quinque annorum, vt exponit Azeuedus *in l.9.tit.1.n.6.lib.5. nouæ collection.* poſſe à patre aduentitia bona, & ipſorum vſumfructum vindicare, manifeſtè probatur, eadem ætate filium liberari â paterna ditione, alioqui nihil ab eo conſequi poſſet, argumento *l.1.C. de bonis maternis*, & *l.5. tit.17. eadem partita*: quare hoc *ex dict. l.* expreſsè deduci reſoluit Azeuedus *vbi proximè*, & fortiùs ſuaderi poteſt *ex l.8.tit.11. lib.1. fori legum*, vbi ſi antiquam lectionem ſequimur, quam alternatiuam fuiſſe teſtatur Roderic. Suarius, vt refert idem Azeuedus inter modos exeundi à patria poteſtate viginti & quinque annorum ætas connumeratur. 3

Cæterùm his parum refragantibus tam iure communi, quàm patrio certius eſt hodie nullam ætatem, etiam ſexagenariam, filios à parentum poteſtate extrahere. Ita docet Gloſſa *in l.fin.§.pupillus, ff. de verbor. obligat.* Suarez *lib.1. legū fori, tit.11.l.9. verſ. Vnum nota*, Didac. Perez *lib.3. Ordin. tit.8.l.1.* Anton. Gomez *in l.47. Tauri num.1.* Pinel. *in 2. part. l.1. num.34. C. de bonis maternis*, Azeued. *loco vbi ſuprà num.7.* Matienç. *in l.8. gloſ.1. num.2. lib.5. Recopilat.* P. Sanchez *de matrimon. lib.6. diſputat.39. numero 10. & lib.4. ſummæ cap.35. num.29.* & conducit quod ex Seneca notat Dionyſ. Gotophred. *in iuridicis Senecæ tit.7.* ſcilicet ætatem non eſſe modum diſſoluendi patriam poteſtatem. Nec contrarium ſuadetur ex *dict. l.cum filio 50.* quæ poſtquâm dixiſſet ſcripturam illam, *cum ſui iuris fuerit factus*, variam eſſe, & voluntatis habere quæſtionem, nam aliter aliàs accipiatur, & plerumque poteſtatis liberationem continere, ſubijcit plerumque etiam pubertatem comprehendere, vel vicesimumquintum annum, quaſi dice- 4

ret. Hæc enim clauſula non ſemper denotat liberationem à patria poteſtate, quia pleruńque ætatem ſignificat, qua patresfamilias à tutorum vel curatorum ſubiectione extrahuntur, vt pubertatem, & viceſimumquintum annum: ergo non ſentit hac maiori ætate filium à patria poteſtate liberari. Minuſque vrgent, vt optimè ſentit Azeuedus *dicto loco num.7.* patriæ leges ſuperiùs expenſæ, quia præterquam quòd ex illis non conuincitur manifeſtè ætatem viginti & quinque annorum liberaſſe à patria poteſtate, prædictæ deciſiones prout id ſignificare videntur, abrogatæ exiſtunt poſteriori definitione *l. 48. Tauri*, quæ eſt *l. 9. tit. 1. lib. 5. nouæ recollect.* vbi cùm ageretur de his, quæ neceſſaria ſunt, vt exeunte filio à parentis ſubiectione poſſit vſumfructum bonorum patri quæſitum repetere, quæ ſpecies eſt *dict. l. Partitæ*, ætatis mentionem non facit, ſed matrimonij tantùm: ergo abrogaſſe; aut neglexiſſe quaſi inuſitatum videtur hæc lex quidquid de liberatione à paterna ditione per ætatem anteà legibus continebatur? alioqui eius recordari debuiſſet, ne diminuta, & parum concinnè ſcripta appareret.

5 Non tamen diffitear, quòd licèt filius nulla ætate liberetur à patria poteſtate, ſi verò ſenex fuerit, & in longinquis, vel vbi ſtatus ipſius notitia haberi non poſſit, emãcipatus, & paterno iure ſolutus cenſebitur: quoniam rarò euenit, vt in ſenectute quis patrem habeat, aut ſui iuris non exiſtat, vt eleganter animaduertit Matienςus *in l. 22. tit. 11. gloſ. 3. num. 4.* & conducunt tradita per Afflict. *deciſ. 183. num. 2.* Alexand. *conſil. final. num. 12. volum. 4.* Tuſchum *practic. concluſio. iuris litera E. concluſ. 109. num. 7.* Ioan. Gar-
6 cia *de nobilitate gloſ. 30. num. 3.* ſcilicet filium viginti annos ſeorſum viuendo, & negotiando, vel decem ſaltim ſecũdum Afflict. *vbi ſuprà*, emancipatum præſumi: frequenter enim filijfamilias pueri iuueneſque ſunt. Vnde Imperator *in l. fin. §. filijs autem, C. de bonis quæ liber*, cùm filijs bonorum ſuorum alienationem abſque parentum conſenſu prohibuiſſet, inter alia illud ſubijcit: *Melius eſt coarctare iuueniles calores, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, &c.* indicans filiosfamilias ferè ſemper iuuenes eſſe,
7 non verò ſenes. Non aliter ac officialem præſumimus non minorem, ſed maiorem eſſe, ex doctrina Baldi *in l. cùm te minorem num. 1. C. de probat.* Maſcard. *de probat. tom. 2. concluſ. 666. num. 50.* Garſias Maſtril. *de magiſtrat. lib. 2. cap. 5. num. 89.* quibus etiam placet cõtrarium allegantem probationis onus ſufferre debere: & meritò, cùm ad munera & officia, non niſi congruæ & legitimæ ætatis promoueantur, etiam exiſtente hominum penuria, vt *ibidem* obſeruat Maſtrillus *num. 77.*

SVMMARIVM.

Vota realia filijfamilias, poſt ipſius maiorem ætatem viginti & quinque annorũ emiſſa à patre irritari non poſſe, multi docent. 1. Sed contrarium eſt verius. 2.

Ætas viginti & quinque annorum non liberat à patria poteſtate. ibid.

Filiusfamilias, niſi peculium habeat, ex voto non obligatur. 3.

Pater vt damnum ex filij voto euitet, poteſt, etiam maiori filij ætate, illud irritare. 4.

QVÆSTIO LXXVII.

An ætas 25. annorum ſit præſcripta, ne vlteriùs vota emiſſa à filiofamilias, quæ realia ſunt, irritari valeant à patre?

HAnc quæſtionem latè examinat 1
eruditiſſimus P. Thom. Sanchez *lib. 6. de matrimon. diſputat. 39. num. 10. & lib. 4. ſummæ capit. 35. num. 28.* vbi refert communiter à Doctoribus affirmatiuam ſententiam defendi, præcipuè ab Angelo *verbo votum 2. num. 6.* Syluestro *eodem verb. 4. quæſt. 2. dicto 2.* Nauarro *in ſumma cap. 12. num. 70.* D. Antonin. *2. part. tit. 11. cap. 2. num. 6.* Soto *lib. 7. de iuſtitia quæſt. 3. art. 2. verſic. Ex his ſic diſpoſitis*, Angles *in floribus 2. part. quæſt. de voto art. 7. difficultat. 12. dubio 8.* Metina *lib. 1. ſummæ cap. 14. §. 7.* Ludouico Lopez *1. part. inſtructorij c. 48. verbo vota perſonalia*, Vega *lib. 4. ſummæ caſu 414.* Manuel *2. tomo ſummæ cap. 91. num. 3.* Philiarco, & alijs ab ipſo relatis. Quibus nouiſſimè addẽdus erit Ioannes Henriquez *in compendio caſuum moralium cap. 6. n. 24.*

Sed nihilominus probabilius cenſet, poſſe 2
patrem quacumque ætate filiusfamilias vota emiſerit, ea irritare. Tum, quia ratione ætatis nec eximitur filius à patria poteſtate, nec bonorum aduentitiorum liberam adminiſtrationem conſequitur, vt vtrumque *hoc eodem anno* planè probauimus: ergo quacumque ætate circa hæc aduentitia, in quibus pater vſum fructum habet, fuerit votum à filio nuncupatum, poterit ab ipſo patre reſcindi.

Tum

3 Tum etiam, quia vt dicitur in *l.2. de pollicitationibus*, filiusfamilias ex voto non obligatur, niſi vt ibidem communiter notant Interpretes, peculium habeat caſtrenſe: ergo extra caſum peculij caſtrenſis filius minime voto reali teneri poterit, & ſi tenetur, ita reuocabiliter erit, vt queat illud à patre irritari, ſine cuius permiſſu emittere non potuit.

4 Et demum ex eo dicta ſententia neceſſariò ſuadetur quòd ſolùm ratione damni quo afficitur, permiſſum eſt patri realia filij vota irritare, vt docent Syluester *vbi ſupra quæſt. 5.n.6.* & plures relati, & ſecuti à Suarez *tom. 2 de relig. lib.6. cap. 5. num.9.* Igitur quocũque tempore pater hoc præiudiciũ ſenſerit, irritandi ius habebit. Quare hanc negatiuam opinionem ſuſtinendam eſſe, quaſi probabiliorem cenſeo cum Tabiena *verbo votum 2. quæſt 5. num.6.* & Vibaldo *in candelabro 3. part. cap.14. num.92.* vbi eam valde probabilem dicit, & ſic tenere aliquos neotericos, quibus addendus erit Fulgent. de Ouiedo *in Republica Regulari part.1. tractat.3.q.2.*

SVMMARIVM.

Filio maiori quinto & vicesimo anno tenebatur pater de iure noſtro vſumfructum aduentitiorum reſtituere. 1.
Hodie apud noſtros non maiori, ſed vxorato filio, aut nuptæ filiæ pater vſumfructum reſtituere cogitur. 2.

QVÆSTIO LXXVIII.

An filius iure Hiſpanico, perueniendo ad legitimam ætatem, poſsit vſumfructum bonorum aduentiorum à patre conſequi?

1 Hac de re etſi raptim, & quaſi per tranſenam ſcripſerimus *hoc eodem anno*, illa videlicet quæſtione, vtrùm legitima ætas viginti & quinque annorum filios à paterna poteſtate eximat, materiæ tamen, & inueſtigationis vtilitas expoſcit, vt ſpecialem ipſius diſputationem inſtituamus: maximè cùm vtraque pars ſuo, nec leui fundamento nitatur, ſiquidem affirmatiua fulciri videtur ſingulari deciſione *l.31. tit.11. part.4.* cuius ad calcem hæc verba ſubijciuntur: *Fueras ende ſi la oui[?]e de entregar* (de dote agit) *à los fijos que nõ fueſſen de edad, que la puede tener el padre ò la madre faſta que ſean de edad*: ergo à contrario, cùm legitimę ætatis fuerint, nempe viginti & quinque annorum, licebit filijs dotem, ac per conſequens cætera aduẽtitia bona à patre vindicare. Cùm ſolùm vſque ad prædictã ætatẽ parentibus indulgeatur, vt poſſint dicta bona retinere, vti apertè demonſtrant illa verba: *Faſta que ſean de edad*: & ita Francorum & Biturigum moribus receptum eſſe teſtatur Nicol. Boher. *decis.197. num.3.*

2 Roboratur ſimiliter aduerſa & negatiua pars *ex l.48. Tauri quæ eſt l.9. tit.1. lib.5. nouæ recollection.* vbi ſolùm filio vxorato, & nuptæ filiæ vſusfructus omnium bonorum aduentitiorum conceditur, & promittitur, adeò vt neceſſariò cõſtringatur pater ad integram ipſius reſtitutionem: ergo extra caſum matrimonij filius aduentitia bona, ſiue eorum cõmoditatem à patre conſequi non poterit, quamuis annum exceſſerit quintum & vigeſimum, quia id tantundem matrimonio, non verò ætati conceditur, quod indubitatũ cenſeo. Nam etſi oppoſita ſententia probari videatur ex *dict. l. Partitæ*, attamen quoad hãc partem correcta & abrogata exiſtit deciſione *dict. l. Tauri*, quę poſterior eſt, & cui vt recentiori ſtare oportet: quare hanc ſententiam defendit, & in practica obſeruari teſtatur P. Molina *de iuſtitia tom.1. tractat.2. diſputat. 228.* & melius *2. tom. diſputat. 291.* Alphonſus de Azeuedo *in dict. l.9. num.7.* qui primus hanc quæſtionem exagitauit, & P. Thomas Sanchez *lib.6. de matrimon. diſput.39. num.7. & 10. & lib.4. ſummæ c.35. n.29.*

SVMMARIVM.

Impuberem poſſe nominari in teſtamento executorem, quoad ea quæ corporalia ſunt, & in facto conſiſtunt, non verò quoad induſtrialia, volunt aliqui. 1.
Poſt decimumſextum ætatis annum omnes indiſtinctè ad executoris munus admitti, tenuerunt alij. 2.
De procuratore negotiorum ad executorem teſtamenti valet argumentum. 3.
Vt certius defenditur quinque & viginti annorum executorem eſſe debere. 4. *& ſequentibus.*
Ætas procuratoris ad negotia quæ ſit. 6.

QVÆSTIO LXXIX.

Quis poſsit executor in teſtamento deputari?

1 ETiam impuberem poſſe ſaltim quoad ea, quæ corporalia ſunt, & ab ipſo teſtatore expreſſa, velut demittere legatariũ in corporalem poſſeſſionem, numerare ei pecuniam, & ſimilia, circa quæ ipſius cadat affectus, non verò quoad induſtrialia, & maiorem vſum rationis requirentia, docet ex Iacobo de Arena, & Baldo *in l. id quod pauperibus. 24. num. 7. C. de Epiſcop. & Cleric.* Iacob. de Canis *tractat. de executoribus vltimar. voluntat. 1. particula num. 26. verſic. Nemo impubes.*

2 Sed hæc diſtinctio communiter reprobatur, & ferè ab omnibus indiſtinctè profertur, non ſolùm pupillum, imò & decimoſeptimo anno minorem ab executoris munere arceri. Ita ſentit Gloſ. *in cap. 2. in principio de teſtament. lib. 6.* Additio *ad Capellam Toloſanam quæſt.* 154. vbi ita conſuetudine obſeruari teſtatur Gregor. Lopez *in l. 2. titulo 10. gloſ. penultim. part. 6.* Couarru. *in capit. tua num. 4. de teſtament.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo hunc contractum num. 41. C. de in integrum reſtitut.* Quintilian. Mandoſ. *de ætate minori cap. 5. num. 66.* & Ioan. Matiençus *in l. 14. gloſ. 1. num. 61. titulo 4. lib. 5. Recopilat.* P. Sanchez *conſiliorum lib. 4. cap. 1. dubio 40. num. 10.*

3 Et ratio eſt, quia vt inquit Mandoſius *vbi ſupra*, valet argumentum de procuratore negotiorum ad executorem teſtamenti: at minor decimoſeptimo anno non poteſt procurator ad negotia conſtitui, *cap. qui generaliter. 5. §. fin. de procurator. lib. 6. l. 19. in fin. tit. 5. part. 3.* vbi notat Gregor. iunctis alijs, quæ pro hac opinione infra adducemus *anno 27.* ergo nec poterit executor teſtamentarius deputari.

4 Verùm nec iſta opinio aliquibus probatur, imò de ipſius veritate dubitat Speculator *in titulo de inſtrument. editione, §. nunc verò aliqua num. 75.* qui tenet vigeſimoquinto anno maiorem debere executorem in teſtamento deſignari, ex quo & Ioanne Andrea ſic de iure certum exiſtimat Iacob. de Canis *vbi ſupra*, quamuis de cõſuetudine hac ætate minores admitti, ibidem fateatur: conſentit Spinus *in ſpeculo teſtamentor. gloſſ. 28. num. 36. in fin.* Oldendorp. *tractat. de executor. vltim. volunt. cap. 4.* & Alcibiades Lucarinus *lib. ſingulari ad titulum inſtitut. de fiduciaria tutela cap. 6. num. 21.*

Quod ex duplici ratione contendunt. Prima, quia indecens & indecorum eſt, vt alterius res gubernet, & adminiſtret, qui pro ſuis gubernandis, & adminiſtrandis alieno auxilio eget, *l. fin. C. de legitim. tutel. cap. indecorum, de ætate & qualitate*: & cùm hoc officiũ requirat animi iudicium, & maturum conſilium, difficilè poterit conſilium præſtare alijs qui ſibi non habet. Secunda, quia hac ætate minores nullam habent perſonam ſtandi in iudicio, *l. exigendi. 12.* iuncta explicatione Gloſſæ *ibidem verbo legitimam, C. de procuratoribus*, & infra *anno 27.* latiùs patebit: quod maximè ad executoris teſtamentarij officium requiritur, cùm ſæpiùs illud gerentes cogantur iudicem adire. 5

Nemo dubitauit hanc poſtremam opinionem tutiorem eſſe, & quam teſtamentorum conditoribus ſequendam proponere, ac conſulere debemus, nedũ propter rationes, quarum propè meminimus, ſed etiam quia magis ipſis expediens, & vtile erit voluntatis ſuæ executionem eis committere, qui integro iudicio pollent, quàm illis, qui nec iudicium, nec ætatem integram ſortiuntur: ſed non ideò primam & ſecundam opinionem improbabilem arbitramur, quinimò in iuris ſtricta diſputatione vtramque ſuſtineri poſſe ſentimus, ſi verum eſt ſecundæ ſententię vnicum præſidium. Nam cùm indubitatum conſter eum munere procuratoris ad negotia fungi poſſe, qui pupillaris ætatis exiſtit, dummodo vſu rationis polleat, vt ex *l. ſed & ſi quis 7. §. pupillus de inſtitor. actione, l. 1. §. magiſtrum nauis, verſic. Eius autem, ff. de exercitoria actione, l. denique. 3. §. ſeruus autem, ff. de minor.* & ex alijs *anno 17.* probauimus, vbi de numero annorum procuratoris ad negotia fuit ſermo, ſi deſumi valeat argumentum ab eiuſmodi procuratore ad executorem teſtamuntarium, vt admittit Mandoſius *vbi ſupra*, eadem pupillari ætate quilibet vtens ratione executor nominari & eſſe rectè poterit, vt communis praxis ſaltim apud nos obſeruar, licèt contrarium aduerſus nonnullos mordicus defendant Syluester *in ſumma verbo teſtamentum quæſt. 1.* Angelus *verbo executor num. 2.* Spino *vbi ſupra num. 36.* quos refert & ſequitur Sanchez *dict. dubio 40. num. 8.*

SVMMARIVM.

AEtas quinque & viginti annorum requiritur in moniali ad ipſius conſecrationem. 1. & ſeqq.

Con-

Conſuetudo notoria allegatione non indiget. 3.
Monialis ex vniuerſali conſuetudine, etiam ante prædictam ætatem poteſt conſecrari. 3. *& quare.* 4.
Pontificale Romanum probat. 5.

QVÆSTIO LXXX.

Moniali, vt conſecrari poſsit, quæ ſit ætas præſcripta?

1 ANnum vigeſimumquintum pro monialium conſecratione eſſe conſtitutum apud omnes, ſine diſceptatione eſſe tradit Simon Maiolus *de irregular. lib. 1. cap. 29. num. 40. verſic. In velo*, cui conſentiunt ex recentioribus Zerola *in praxi Epiſcopali part. 1. §. 20. verſic. Monachi, ſeu regulares*, optime Viualdus *in candelabro aureo 2. part. cap. 5. de electione, Abbas num. 49.* Maceratenſ. *variarum reſolut. lib. 1. reſolution. 112. caſu 14.* Peſcara Caſtaldus *in praxi ceremoniar. lib. 2. ſectione 12. cap. 7. num. 1.* Armendar. *in additionibus ad Recopilat. legum Nauarræ lib. 1. de ætatibus num. 2.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi allegat. 27. numero 57. & de iur. Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 44. num. 15. & 19.* Roderic. Acunha *in cap. placuit 5. num. 2. 77. diſtinct.*

2 Et probatur manifeſtè ex *cap. placuit. 14. cap. virgines. 15. 20. quæſt. 1. cap. placuit. 5. 77. diſtinct.* necnon & ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium, his verbis: *Moniales virgines, quas ſolas conſecrari fas eſt, ante vigeſimumquintum annum completum non eſſe conſecrandas*, referunt Armendar. & Barboſa *dictis in locis.*

3 Sed quamuis hoc iure inſpecto nullam dubitationem obtineat: tamen de vniuerſali conſuetudine poſſunt conſecrari ante vigeſimumquintum annum, prout de eiuſmodi cõſuetudine teſtantur Syluester *in verbo conſecratio virginum num. 5. 1.* Antonin. *in ſumma part. 3. tit. 2. cap. 2. de conſecratione virgin. §. 2.* Maceratenſis *vbi ſuprà*, qui aſſerit in toto ſtatu Mediolanenſi eſſe notoriam, & ideò ſufficere eam allegare, ex Natta *conſil. 228. num. 5.*

4 Quam conſuetudinem ſatis piam, & rationabilem vocat, cùm ſoleat imminere neceſſitas periclitantis pudicitiæ virginalis; ſaltim ex pollutione voluntaria, vt ſentit Nauar. *in manuali cap. 16. num. 3. verſic. Interrogatus*, quam eſſe iuſtam cauſam recedendi à præſcripta hac ætate, docet text. *in dict. cap. virgines.*

5 Et huic reſolutioni minimè reſiſtere inquit verba Pontificalis Romani nouiter impreſſi *part. 1. num. 6. de benedictione, & conſecratione virgin. fol. 186.* (qui liber probat iuxta Mohedanum *de fide inſtrumentorum deciſ. 5.*) dum in eo præcipitur, Moniales cõſecrandas interrogari debere, an attingant 25. annum; quia his verbis non cenſetur dictæ conſuetudini derogatum.

SVMMARIVM.

MOnetariorum Collegium erat antiquitus. 1.
Artifices non niſi certæ ætatis poterant in Collegium aſſumi. ibid.
Monetarius quinque & viginti annorum eſſe debet. 2.
Officiũ monetarij perſonale eſt, maximè apud noſtros, vbi ad priuilegiorum participationem ſuis proprijs manibus illud exercere debet. 3.
In his, quæ corporis labore expediuntur, non tam ætas, quàm robur attenditur. ibid.
Auri laminas attenuantes, vulgò Batidores de oro, *argentarij, æris fuſores, ſtatuarij, & ſimiles, an certæ alicuius ætatis eſſe debeant?* 4.

QVÆSTIO LXXXI.

Monetarij, alijque iſtius generis officiales, qua ætate allegi poſsint?

1 CVm monetarij domus huius ciuitatis præturam gereret Colendiſſimus frater D. Alphonſus de Narbona, in receptione cuiuſdã monetarij, ſiue cuſoris admodũ iuuenis, fuit dubitatum, an de iure certæ alicuius ætatis huic officio deputandus eſſe deberet? Qua de re conſultus reſpondi; quòd licèt nullibi hac de re ſit expreſſa conſtitutio, ex aliquibus tamen vt certum elicitur non niſi maiori ætate viginti & quinque annorum antiquitus eum fuiſſe aſſumptum; ſiquidem monetariorum Collegium erat, *l. ſi quis. 13. de Murilegulis* docet Petrus Gregor. *ſyntagmat. lib. 3. cap. 10. num. 17.* cui apud noſtros æquiualet certus eorum numerus: at non ab omni ætate artifices ad corpora, ſiue collegia allegi poterant, vt Diuo Pio placuit, qui reprobauit prolixæ, vel imbecillæ admodum ætatis homines, *l. ſemper. 5.* paulò

paulò ante finem, ff. de iure immunitatis, vbi
a obſeruat Gloſſa *verbo imbecilla*, eſſe imbecillam ætatem hoc loco interpretandam *ex l. non tantum.* 11. *ff. de Decurion.* vbi minores viginti quinque annorum à munere Decurionatus arcentur: ergo non erit incongruum coniectare, eadem ætate etiam monetarios fuiſſe ad ſui operis exercitium in collegium aſſumptos.

b Quæ ſententia ex eo etiam confirmatur, quòd hoc officium, vt cætera huius generis, perſonale eſt maximè his Regnis, vbi ad immunitatem conſequendam monetarij ſuis proprijs manibus illud exercere tenentur, *l. 2. verſic. penultimo, tit. 20. lib. 5. & l. 15. tit. 14. lib. 6 Recopilat.* Perſonalia verò munera non niſi ab excedentibus dictam ætatem geri poſſunt, vt ſuprà *hoc anno* oſtendimus: ſed vt prædicto loco ex Azeuedo *in rubrica num. 2. tit. 20. lib. 6. recollectionis* notaui, cùm in his, quæ corporis labore expediuntur, non tam ętas, quàm robur, & recta membrorum diſpoſitio attendenda ſit, ſi eligentium arbitrio conſtiterit, eum qui ad monetarium hoc munus eligendus eſt, viribus neceſſarijs ad ſui officij debitum exoluendum pollere, nullo habito ætatis diſcrimine recipi & nominari poterit, maximè vbi maioris ætatis viri ad id non ſuppetunt, argumento *l. 2. in fine, C. qui ætate ſe excuſant*, & eorum quæ tradunt Rodericus Suarez *allegat.* 12. *num.* 13. Auendañ. & alij *vbi proximè* à nobis relati, Azeued. *ſupra & ad Curiam Piſſanam lib. 1. cap. 12.*

Et cùm hæc omnia pariter in alijs operarijs & artificibus procedant, quorum etiam collegia fuiſſe refert Guidus Pancirol. *in notitia vtriuſque Imperij tractat. de corporibus artificum*, veluti in bractearijs, ſiue auri laminas ad inaurandum attenuantibus, vulgò *Batidores de oro*, in argentarijs, æris fuſoribus, de quibus *in l. vltima, C. de immunitatibus*, fabris carpentarijs, nec non & in marmorarijs, ſtatuarijs, & denique in reliquis ſtructoribus dicendum erit, cùm de eorum examine agitur, ex eo ſolùm reprobari non poſſe, quòd dictam viginti & quinque annorum ætatem minimè exceſſerunt, quandoque in his non tam annorum numerus, quàm virium quantitas ſpectanda ſit, quam ſi vt par eſt nanciſcantur, & ſimul periculo facto ſuæ artis periti inueniantur, approbandi erunt, & approbationis inſtrumentum, quod *Carta de Examen* nuncupamus, ipſis elargiendum.

SVMMARIVM.

Qui res alienas adminiſtrat, tam diuino, quàm humano iure rationem reddere tenetur. 1.

Etiam minor, doli tamen capax, ſiue tutorem vel curatorem habeat, ſiue nō, ad rationum præſtationem obligatur. 2.

Mulieres caſu quo adminiſtrationis munere fungi poſſunt, etiam reddere rationes debent. 3.

Obligatio reddendi rationes naturalis eſt. 4.

Non videtur reddidiſſe rationes, qui reliqua non ſoluit. ibid.

Condemnatus reddere rationes, etiam ad ſolutionem reliquorum condemnatus cenſetur. 5.

Seruus, qui adminiſtrauit, rationibus manet obnoxius. 6.

Pater filio, vel è contra, ad rationes tenetur. ibid.

QVÆSTIO LXXXII.

An minor 25. annis, qui aliena negotia adminiſtrauit, rationes præſtare teneatur?

Qui res alienas adminiſtrauit, vt diuino, ita & humano iure adminiſtrationis ſuę rationes præſtare conſtringitur: ita ex illo Lucæ 16. *Redde rationem villicationis tuæ*, & ex *cap. qualiter & quando el 2. de accuſationibus, l. 2. verſic. Et ſanè, de negotijs*
geſtis, l. cùm tale. 72. §. Titius 1. de condit. & 1
demonſtrat. §. ſicut autem, inſtit. de obligation. quæ quaſi ex contract. naſcunt. docent Menochius *de arbitr. caſu* 209. *num.* 9. & nonnullis relatis Antonius Sola *in conſtit. antiq. Sabaudiæ*
lib. 3. cap. 44. gloſ. 1. num. 5. in fin. Ioan. 2
Gutier. *de tutel. 3. part. cap. 1. num. 9. & cap. 45. num. 4.* Muñoz de Eſcobar *tractat. de ratiocinijs 1. part. cap. 1. num. 5. & cap. 3. num.* 31. nec refert cuius ætatis is ſit, dum tamen aliquò iudicio polleat. Nam & minor, qui alterius negotia adminiſtranda ſuſcepit (vt fieri poſſe *anno* 17. explicauimus) prætextu minoris ætatis ab hoc onere non liberatur, veluti expreſſe ex Ruin. *conſil. 97. num. 4. & 6. lib. 5.* locis vbi ſupra concludunt Menochius *num. 9.* Muñoz de Eſcobar *num.* 11. Bertazolus *de clauſul. clauſul.* 10. *gloſſ.* 16. *numero 3.* de minore, qui alterius minoris nego-

negotia geſſit, agens, Anton. Sola *numer.9.* qui hoc ita verum arbitratur, vt locum habere non dubitet etiam vbi ſtatutum ſtet, quo diſponatur, minorem non poſſe contrahere, vel quaſi contrahere, niſi adhibita certa ſolemnitate, ex ſententia Ruini *vbi ſup. num.* 5. ex qua & notandum venit, nihil referri ad effectum, & neceſſitatem reddendi rationes, an minor adminiſtrans curatorem habuerit, necne: cùm vtroque caſu cogi poſſit eas exhibere, vt ibidem Ruinus ſubindicat *num.*4.

3 Et quod eiuſmodi definitio, etiam fœminas minores complectatur, his ſcilicet in caſibus, in quibus adminiſtratorio munere fungi poſſunt, ambigi non oportet: nam ſuppoſito quòd fragilitas ætatis neminem à ratiociniis releuat, ſi mulier adminiſtrauerit, vel in caſu Muñoz de Eſcobar *dict. cap. 3. num.* 15. aut Ioannis Gutierr. *dict. cap. 1. nu. 23.* ſemper ad rationum præſtationem tenebitur.

4 Maximè ſi ratio perpendatur, quæ etiam minores adminiſtrantes rationibus reddit obnoxios: ideò enim, vt ſuſpicor, fit; quia obligatio hæc præſtandi rationes velut naturalis eſt, cùm eò principaliter reſpiciat, vt ſuum vnicuique tribuatur, *l. quamuis 32. in princ. de condi. & demonſtr.* vbi reddere rationes exponit Africanus, eſſe reliqua ſoluere: vnde cõmuniter Scribentes deducunt, obligatum, ſeu condemnatum ad reddendas rationes, adeò ad reliquorum ſolutionem cenſeri obſtrictum, vt niſi ſoluerit, reddidiſſe rationes non videatur. Ita Cuiacius *tractat. 9. ad Africanum in dict. l. quamuis,* Ioann. Gutierr. *d. 3. part. cap. 1. num.* 75. Muñoz de Eſ-

5 cobar *dict. 1. part. cap. 2. n. 5.* vbi & *n. 6.* ex Afflicto *deciſ.* 157. notat, condemnatum ad reddendam rationem, ita ad reliqua ſoluenda condemnatum cenſeri, vt pro eis abſque noua ſententia executari poſſit. Hinc eſt, quòd ſeruus, qui tantùm naturali iure tenetur, *l. nec ſeruus 41. ff. de peculio, l. ſerui 14. de obligation. & action. l. quod attinet, de regul. iuris,* cum vulgarib. rationes præſtare cogitur, vt idem Muñoz ſingulariter obſeruat,

6 *dict. cap. 3. num.* 5. & etiam pater filio, inter quos ſolũ naturale vinculum ſubſiſtit, *l. ſed ſi damnum 9.* aliàs *l. peculium, §. præterea, ff. de peculio,* ex qua ita admonet Anton. Faber *in Iuriſpruden. Papinian titul. 8. prin. 7. illat. 7.* Quòd cùm ita ſit, minores, qui ab egreſſa infantia naturali obligatione teneri ſuperiùs diximus, ſiue maſculi, ſiue fœminæ, ad redditionem rationum, cùm adminiſtrauerint, obligari conuenientiſsimum eſt.

D. Didac. de Narbona.

SVMMARIVM.

Pupillus, nec cenſum, nec ſcripturam priuatam recognoſcere poteſt. 1.

Minor annis viginti & quinque non poteſt cenſum, ſcripturam, ſigillum, computum, aut quid ſimile recognoſcere. 2.

Recognitio coram Iudice facta, vim habet iudicialis confeſſionis. 3.

Recognoſcens ſcripturam, omnia in ea contenta fateri videtur. ibid.

Minor annis viginti & quinque nequit in iudicio confiteri. 4.

Recognitio inſtrumenti in id deſideratur, vt poſſit aduerſus recognoſcentem via executiua competere. 5.

Pro facta habetur recognitio, vbi contumaciter non fit, ab eo, qui illam facere tenetur. 6.

Minor contumax eſſe non poteſt. ibid.

Recognitio priuatæ ſcripturæ à die qua conficitur, inducit hypothecam. 7.

Obligatio bonorum, vel hypotheca, non poteſt à minore contrahi. ibid.

Excepta cenſus recognitione, an omnis recognitio ſit coram iudice facienda? 8.

Scriptura priuata delegationis, quæ vulgò dicitur librança, *ſiue* letra, *ſi coram tabellione abſque iudice, vel ſine eius mandato recognoſcatur, paratam habet executionem.* 9.

Apocha contra minorem producta, & ab eo ſine curatore recognita, an habeat executionem paratam? 10.

Contra recognitionem à minore, ſine curatore factam, an detur reſtitutio? ibid.

Recognitio ſcripturæ cenſus, vel alterius rei, an poſſit in iudicio, vel extraiudicium ſola curatoris autoritate fieri? 11. *& ſeqq.*

Confeſſio, vel recognitio bona fidei, & de actu præterito facta à minore, etiam ſine ſolemnitatibus valet. 13.

QVÆSTIO LXXXIII.

Ad recognitionem cenſus, emphyteúſis, ſcripturæ priuatæ, vel alterius rei, cuius ætatis quis eſſe debeat?

PVpillum recognoſcere cenſum poſſe, negat Anton. Sola *in conſtitut. Sabaudiæ de iure emphyt. 2. part. gloſſ. 2. numer. 6. folio mihi 95.* vti & ſcripturam priuatam Emanuel Barboſa *in remiſ-*

miſsionibus ad ll. Luſitaniæ 1. part. lib. 3. titul. 25. §. 9. numer. 12. quod nobis liber ad puberem eriam, minorem ramen quinto & viceſimo anno producere. Nec enim nouum videri debet quę de pupillo dicta ſunt, ex paritate rationis, minori vtique accommodare, *l 3. verſ. quia autem, ff. de tutelis, l. qui neque 8. verſicul. Sed ſi curator, ff. de rebus*
2 *eorum qui ſub tutela ſunt*. Itaque ſtatuo, omnem omnino minorem, ſiue pupillum, ſiue puberem, nec cenſum, ſcripturam, ſigillum, computum, aut quid aliud poſſe in iudicio recognoſcere, moueorque in hanc ſententiam ſequentibus rationibus.

3 Primò, quia recognitio coram iudice facta vim habet iudicialis confeſſionis, vt probat Srephan. Gratian. *diſceptation. forenſ. tom. 1. cap. 183. num. 10. & tom. 2. capit. 287.* fere per totum, præcipuè *num. 27.* latè Mathias Colerus *de proceſ. executiu. p. 3. cap. 1. num. 98. cum ſequent.* nouiſsimè August. Barboſa *in collect. ad cap. 2. num. 4. de fide inſtrument.* & meritò: nam recognoſcens, exempli gratia, computum, vel ſcripturam, omnia in ea conrenta fateri videtur, ex ſententia Angeli, & Immolæ in *l. ita ſtipulatus, §. Griſogonus*, vbi etiam Alexan. *de verbor. obligat.* Bald. *in authen. contra qui propriam, C. de non numer. pecun.* Iaſon. *in l. ſi quis in aliquo documento, C. de edendo,* Didac. Caſtillo *in l. 11. Tauri num. 13.* quibus ſubſcribit Ioann. Gratian. *tractat. regalar. iuris, regula*
4 *390. numer. 2.* Sed qui nondum quintum & viceſimum annum exceſſit, abſque curatore confitendi in iudicio nullam habet perſonam, vr tradit Caldas Pereira *de emptione & vendition. cap. 13. numer. 12.* Iul. Clarus *lib. 5. §. fin. q. 55. num. 12.* Franciſcus Viuius *commun. opin. tom. 2. opin. 504. nu. 1.* Ricius *in praxi deciſion. 593. numer. 1.* iunctis alijs, quos in eandem rem *hoc anno* concenturiauimus: ergo nec aliquid recognoſcendi facultatem habebit.

5 Rurſus, nam ad id recognitio interponitur, & à creditoribus deſideratur, vt poſſit competere ius executionis aduerſus ipſum recognoſcentem, veluti ex Couarr. *lib. 3. variar. capit. 7. numer. 6.* animaduertit Felicianus *Commentar. de cenſibus, lib. 3. cap. 6. num. 7. verſic. Tertiò inquirendum, in fin. & num. 8.* conducit *l. 5. tit. 21. lib. 4. noua Recollect.* & traditur à Rodriguez *de execution. cap. 1. art. 2. num. 1.* & ab alijs per Barboſam *vbi ſup. nu. 5.* Sed minor nihil efficere poteſt, ex quo valeat exequi, vrpotè ex Colero, & alijs ſuprâ *hoc eodē anno* probauimus eo loco, vbi diſcuſſimus, vtrùm pro debito fieri poſſit executio, minore exiſtente debitore: igitur pariter nec recognitionem efficere poterit, ex qua in executionem incidat.

Deinde ſuadetur, ſiquidem permiſſa recognitione minori, permitteretur etiam, 6
vt eo non faciente, vbi facere teneretur, ob contumaciam facta recognitio à iudice cenſeretur, veluti ſecundum ius eſſe docet Colerus *de proceſsibus executiu. part. 3. capit. 1. numer. 101. & 102.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. dict. 1. tom. cap. 183. num. 15.* & relati ab Amatore Rodrig. *tractat. de execution. cap. 1. art. 2. num. 10. verſic. Verum tamen*, quamuis ipſe aliud ſentiat *numer. 11.* cum alijs ab eo enumeratis, *num. antecedenti, verſ. Cæterum.* Quod nequaquā dici poteſt, cùm adoleſcens ante vigeſimumquintum annum nondum in ea ætate exiſtat, qua poſſit contumax haberi, & puniri, vr ex veriori ſententia ſupra reſoluimus cum Farinacio *tom. 1. praxis criminal. q. 11. à num. 26.* Anron. Fabro *in l. minor etiam 8. de minoribus*, & alijs.

Præterea etiam confirmatur ab alio in- 7
conuenienti, quoniam ſi habilis cenſeretur minoris perſona ad recognoſcendum ſimpliciter, & abſolutè, neceſſariò habilis etiā reputari deberet ad priuatæ ſcripturæ recognitionem, quod perquam abſurdum foret, cûm priuatæ ſcripturæ recognitio à die ipſius tacitam hypothecam, & obligationem bonorum recognoſcentis inuoluat, vr ſentit Rebuff. *1. tom. ad ll. Gallicas, tractat. de chirograph. recognitione, art. 1. nu. 41.* Petr. Surdus *conſil. 547. num. 7. volum. 4.* Amator Roderic. *de execution. cap. 1. art. 2. num. 20.* Quæ quidem obligatio, & hyporheca bonorum nemini licet ante quintum & viceſimum annum contrahere, *l. ſi præſes, C. de prædijs minor. l. ſi pupillorum, §. 1. de rebus eorum*, ex quibus ita docet Bald. *conſil. 108. verſicul. Solutio prima pars, lib. 1. & conſil. 369. lib. 2.* Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris, litera M. concluſ. 249. num. 40.* Caldas Pereira *de emption & vendit. cap. 13. num. 15.* & communis DD. veluti *hoc anno* ſuprà latiùs probauimus.

Et demum hæc ſententia inde vires aſſu- 8
mit, quòd prædicta recognitio, vt in plurimum, excepta cenſus recognitione in iudicio fieri debet, vr de computorum recognitione loquens, tradit Bald. *in l. 1. in princip. C. de execution. rei iudicatæ*, Alexand. *conſil. 92. viſis narratis in princip. lib. 7.* Iaſon, & Ruinus, quibus relatis conſentit Stephan. Gratian. *dict. 1. tom. diſceptat. c. 183. num. 5.* & de recognitione ſcripturæ probat apud noſtros *d. l. 5. tit. 21. lib. 4. Recoll.* ibi: *Ordenamos y mādamos, q̄ de aqui adelāte los co-*

nocimientos reconocidos por las partes ante el juez que manda executar, ò las confeſſiones claras, fechas ante el juez competente, trayan aparejada execucion: & abſolutè docent congeſti à Rodriguez *vbi ſuprà num.* 1. vbi & *num.*6. cum Auilès *in cap.*10.*prætorum numer.* 35. dictam generalem concluſionem ſingulariter tantùm limitat in ſcriptura priuata delegationis, quæ Hiſpane vocatur *libranca*, ſiue *letra*, quæ coram publico tabellione recognita, licèt ſine iudice, vel abſque eius man lato, paratam habet executionem, ex deciſ. *l.*8.*tit.*4.*lib.*3 *Ordinam*. iuncta *l.*9. *titul.*16.*lib.*9. *Recopilat.* ex quibus ita notat Parlad. *lib.*2. *rerum quotidian.* 1.*part.* §. 5.*nu.*19. ergo cùm abſolutè loquendo, vno vel altero caſu excepto, recognitio fieri in iudicio debeat, minor, qui nullam habet perſonam ſtandi in iudicio, vt notiſsimum eſt, & multis locis probauimus, nequaquam re-
10 cognoſcere poterit. Vnde infertur lapſum fuiſſe Auendañum *reſponſ.*4.*numer.*7.*verſicul. Ex quo*, dum putat, quòd apocha producta contra minorem de debito, & ab eo recognita, etiam ſine curatore, poſsit mandari executioni à iudice contra minorem, ſicut & contractus guarentigius, vt in *l. tam ex contractibus, ff. de iudicijs*. A quo parum diſtant Azeuedus *l.*5.*num.*10.*titul.* 21.*lib.* 4.*noua Recopil.* Gutierr. *pract.lib.*1.*quæſt.* 123. Emanuel Barboſ. *in dict. remiſſion. dict. lib.*3.*tit.*25.§.9.*num.*12. & alter Barboſa *vbi proximè in dict. cap.*2.*num.*8. qui etiam Gutierrez adducit *pract. lib.*1. *quæſt.*123. exiſtimantes minorem reſtitui aduerſus recognitionem abſque tutoris autoritate factam, cùm imo certius ſit, vti nullã, reſciſſione minimè indigere, vt in ſimili docet Caldas *in l. ſi curatorem, verb. Vel aduerſarij dolo, n.*48.*in fin.* Nam vt ex ſuperioribus planè colligitur, minor recognoſcendi nullam habet poteſtatem.

11 Sed an curatoris autoritate id facere valeat? non leue dubium eſt: videtur enim, nec autorante curatore recognitionem iudicialem minori licitam eſſe. Nam ſi ita permitteretur, & fas eſſet adoleſcenti ſuffragãte curatore priuatam debiti ſcripturam, computum, vel cenſum agnoſcere, quodammodò alienatio, quæ neceſſariò ex tali recognitione euenire debet, ei permiſſa inueniretur, ac conſequenter vna via prohibitum, alia videretur illi manifeſtè conceſſũ, contra id quod de iudiciali confeſſione minoris, à qua recognitionem non differre, ſupra notauimus, docet Bald. *in cap. vltimo, col.*2. *de confeſſis*, videlicet, adultum, neque cum autoritate curatoris confiteri in iudicio poſſe rem, de qua conuentus eſt, aduerſarij eſſe quia eſſet quædam alienatio rei immobilis, quæ minori, itemq; & curatori interdicta videtur, vt iam oſtendimus.

Nihilominus accedente curatoris autoritate minorem poſſe, ſiue iudicio, ſiue extraiudicium ſuperiora omnia recognoſcere, verius exiſtimo, cùm recognitio nihil aliud ſit, quàm confeſſio quędam, vt iam diximus, quę rectè ab ipſo poteſt aſsiſtentia Curatoris emitti, ſecundùm Pereiram, Viuium, & Riciũ *ſuprà relatos*, & in hanc ſententiam inclinare videntur Auẽdaños, Azeuedus, Gutierrez, & Barboſa *dictis locis*. Nec obſtat Baldi doctrina pro contraria opinione adducta, quia omninò falſa, & improbabilis eſt: quare illam refellunt, licèt diuerſis rationibus, Anton. Gomez *de contract lib.c.*14.*num.*15. & Octauian Simoncellus *tract. de decretis lib.*2.*tit.* 6.*inſpectione* 9.*n.*96. 12

Quod intelligendum cenſuit Rota *in Romana dotis* 10.*Ianuarij* 1618. corã Cardin. Sacrato, vt refert Oliuerius Beltr. *in additio. ad Alexan. Ludouiſ. deciſ.* 188.*nu.*11.*in fine*, in recognitione, & confeſſione obligatoria de pręſenti. Nam confeſſio a muliere, vel minore per viam recognitionis bonę fidei, & de actu præterito, tenet etiam ſine ſolemnitatibus. 13

SVMMARIVM.

M*Ora abſque interpellatione non contrabitur.* 1.
Minor abſque interpellatione moroſum reddit debitorem. ibid.
In extraiudicialibus dies interpellat pro homine. 2.
Ætas interpellat pro minore. ibid.
In cauſis pijs abſque interpellatione mora committitur. 3.
Debitor præfixo tempore minori cuiuſcumque ſexus, non ſoluens, tenetur ad vſuras. 4.
Debitor non ſoluens minori, excuſatur à mora & vſuris, ſi curatore careat, cui poſſit ſolui. 5.
Tutor legitimus tenetur vt reliqua ſoluat, minori curatorem petere, & niſi fecerit ad vſuras tenebitur. 6.
Tutor legitimus liberatur ab vſuris reliquorũ admonendo puberem vigeſimo anno maiorẽ, vt curatorem petat. 7.
Pubes poſt vigeſimum ætatis annum ſagax & induſtrius præſumitur. ibid.
Debitor, ſi etiamſit minor, non tenetur ad vſuras minori. 8.
Vbi debitor quintum & vigeſimum annũ exceſſit, abſque interpellatione nec mora, nec vſura contrahuntur. 9.

QVÆSTIO LXXXIV.

Vt ex ſolo tempore tardæ ſolutionis, abſque interpellatione, nec mora fiat, nec vſuræ debeantur, quæ ſit ætas neceſſaria?

1 QVamuis ſit receptiſſimum citra interpellationem moram haud quaquam contrahi poſſe, *l. mora, ff. ſoluto matrimonio, l. ſi pœna, ff. quando dies legat. cedat, l. ſi quis filium, §. ſtipulatio. ff. de collation. bonor. l. ſi ex legati cauſa, ff. de verborum obligation.* cum ſimilibus: minoris tamen ita fauor producitur, vt abſque interpellatione moroſum conſtituat debitorem non ſtatim ſoluentem, *l. cùm verò 26. §. apparet, de fideicom. libert.* ibi: *Certè minoribus viginti & quinque annis & in hoc tribuendum eſt auxilium, vt videatur in re mora eſſe, l. in minorum 3. C. in quibus cauſis in integrum reſtitutio non eſt neceſſar.* vbi Cæſares ita reſcribunt: *In minorum perſona re ipſa, & ex ſolo tempore tardæ pretij ſolutionis, recepto iure moram fieri creditum eſt.* Docent Tiraquell. *de priuileg. piæ cauſæ, priuilegio* 141. Capit. *deciſion.* 14. *in fin.* Ioannes Griuellus *deciſ. Dolana* 150. *numer.* 15. Stephanus Gratian. *diſceptation forenſ. tom. 2. cap.* 241. *num.* 3. qui omnes hanc moram ideò irregularem appellant.

2 Quod ſummam habet rationem & æquitatem, nam quemadmodum vbi dies apponitur, ipſe dies, maximè in extraiudicialibus, interpellat pro homine, vt ex multis reſoluit Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſium tom. 4. cap. 707. num. 28.* ita in propoſito minor ætas admonet pro eo creditore,
3 cuius inſcitia, & in rebus agendis ignorantia monitore indiget, non aliter ac in cauſis, quæ pietatem continent, vt libertatis, ipſa pietatis & miſerationis ratio aduerſus pigrum & deſidioſum debitorem clamat, *dict. l. cùm verò 26. §. apparet*, ex qua poſt Tiraquellum *vbi proximè* obſeruat Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. dict. tom. 2. capit. 349. numer.* 23. quoniam vt in *dict. §. apparet*, inquit Vlpianus, qua ratione decretum eſt in re moram eſſe circa pecuniaria fideicommiſſa, quę minoribus relicta ſunt, in libertatibus idem admittitur; ergo quia id æquitas, & quodammodo naturalis ratio poſtulat, quæ pro minore debitorem ſtimulat, argumento *l. 5. tit. 19. p. 2.* ibi: *E eſto es, porque el hecho, e la naturaleza que han con la tierra los llama.*

Hinc eſt, à tempore tardę ſolutionis debitorem minori ad vſuras (etiam quas non percepit, ſi tamen percipere potuit, vt probat Grati. *d. c. 241. n. 47.*) teneri, *l. Titia Seio 87. §. vſuras 1. ff. de leg. 2. Vſuras,* inquit, *fideicōmiſſi poſt impletos annos vigintiquinque puellæ* (procedunt enim huc uſque dicta etiā in fœminis) *ex quo mora facta eſt, deberi reſpondit. Quamuis enim conſtitutum ſit, vt minoribus viginti & quinque annis vſuræ omnimodo præſtentur, tamen non pro mora hoc habendum eſt, quam ſufficit ſemel interueniſſe, vt perpetuò debeantur.* Cuius ſententiæ quaſi nouatores exiſtunt Cæſares in *l. in minorum 3. C. in quibus cauſis in integrum reſtitut. non eſt neceſſaria*, & in *l. curauit 5. C. de action. empti.* 4

Niſi minor tutore vel curatore careat, 5
cui ſolutio præfixo termino fieri valeat: quoniam tunc & à mora, & ab vſurarum præſtatione excuſabitur, cùm nihil ei poſsit imputari, qui etſi ſoluere vellet, non poſſet, *l. cùm quidam 17. §. ſi pupillo*, vbi Gloſſa *verbo Non potuit, ff. de vſuris*, & ibi ferè omnes, Sadolet. in *l. quod te, numer. 80. ff. ſi certum petat.* Honded. *conſil. 36. num. 15. lib. 2.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tomo 2. dict. capit. 241. num. 10.* qui & *numer.* 24. tutorem legitimum inquit hoc caſu minimè excuſari à mora & vſuris, reliqua non 6
ſoluendo, ſiquidem tenetur curatorem minori petere, vt ſoluat: cui conſentit Ioann. Griuellus *deciſion. Dolana* 150. *numer.* 9. vbi non ſufficere ſcribunt admonere puberem vt curatorem petat, ſed etiam tutorem conſtringi vt illum dare realiter faciat.
Niſi minor eſſet eius ætatis, induſtriæ, & peritiæ, vt intelligat qualis curator ipſi magis expediat, vtpotè eſſe præſumitur vigeſimo anno maior, ex ſententia Griuelli *vbi proximè num.* 11. nam ſi ignarus & inexpers fuerit, non diceretur tutor bona fide verſari per interpellationem factam tali minori, quia ad effectum petendi curatorem propinquos admonere tenebatur, vt anteà etiam placuerat Muñoz de Eſcobar *de ratiocin. capit. 6. numer. 29. & capit. 15. numer. 38.* & alijs, quos ipſi referunt. 7

Cæterùm ſi debitor minoris etiam eſſet minor, licèt aſſignato tempore à ſolutione ceſſaſſet, non ideò moroſus, & ad vſuras obligatus iudicaretur, conquaſſantur enim hoc caſu priuilegia, & mutuò eliduntur: ita Iaſon *in authentic. quas actiones, C. de ſacroſanctis Eccleſijs*, Petr. 8

de

de Bellapertic. *in d.l.in minorum,n.*2.quibus ſubſcribit Stephan. Gratian. *d. cap.*241.*numer.*51.

Ergo cùm ex ſuperioribus planè eliciatur hoc totum fauore minoris ætatis eſſe meritò inductum, ea ceſſante, maioreque quinto & viceſimo anno effecto creditore, proculdubio licèt ſolutionis dies aduenerit, abſque interpellatione nec mora, nec vſuræ committenrur, *dict.l.Titia Seia* 87.§.*vſuras* 1.*ff.de legat.*2.cum ſimilibus. Ex quibus poſt antiquiores ita docent Couar. *lib.*3.*variar. cap.*17.*num.*4. *in princip.* Menoch. *de arbitrar. caſu* 220. *numer.*17. Baeza *de decima tutor. cap.*15.*num.*3. Petr. Barboſ. *in l. de diuiſione* 5.*numer.*55.*ff.ſolut.matrimon.* vbi ſcrupulum, qui ex *dict. l. curauit* 5. *C de action.empti*, aduerſus dicta vulgo conficitur, mirè componit, Menchaca *controuerſiar.vſufreq.cap.*9.*num.*5. Sforc. Oddus *de reſtitut.part.*2.*quæſt.*72.*artic.*9. *num.*109. Ioannes Griuel. *dict. deciſion.* 150. *num.* 7. *cum ſequent.* Stephan. Gratian. *vbi ſuprà numer.*4. Mareſcot. *variar. reſolution. lib.*2.*c.*124. *num.*16. Eſcobar *de ratiocinijs cap.*15.*num.*32. Aluarez *de priuileg pauper. quæſt.*25.*nu.*13. & multis relatis nouiſſimè Auguſt. Barboſa *in collect.ad d.l. in minorum* 3.niſi iam in minori ætate mora fuerat contracta, quoniã hoc caſu etiam poſt maiorem ætatem perſeuerauit, & vſuræ debebuntur, *dict.l.Titia Seio* 87.§.*vſuras*.

ANNVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

SVMMARIVM.

An certa ætas fuerit ad Quæſturam aſſignata? 1.

Quæſtura an ſit Magiſtratus? 2.

Quintum & viceſimum annum ætatem Quæſtoris eſſe putat Iuſtus Lypſius 3.

*Ad Magiſtratum quintus & viceſimus annus ſufficit.*4.

*Contrariæ hac de re opiniones, in concordiam rediguntur.*5.

QVÆSTIO I.

Ad Quæſtoris officium.

Paulus Manutius *de legibus Romanor.* & Ioann. Corraſius *in rubrica tituli de officio Quæſtoris, nu.*2. negant vllam certam ætatem Quæſturæ fuiſſe; ſed vt aduertit Iuſtus Lypſius *in commen.ad lib.*3.*annal.Taciti pagin.*36.*verb. Quinquennio maturius*, ij maximè aberrant. Nam fuiſſe apparet ex eo loco Taciti, quæm ipſe Lypſius explicat, ibi: *Quinquennio maturius, quam per leges Quæſturam peteret.* Et ex ſimili Spartiani *in Iuliano*, cuius hæc ſeries: *Quæſtor ante annũ quàm legitima ætas ſinebat, deſignatus eſt.* Necnon & ex Suetonio *in Caligulam c.*1.*Quæſturam*, inquit, *quinquennium antequàm per leges liceret, & poſt eam Cõſulatum ſtatim geſſit.* Minimè enim nec anno, nec quinquennio antequàm per annales, ſiue annarias leges de hac agẽtes fas eſſet ad hoc Quæſturæ munus accedi potuiſſet, niſi & ipſis certa aliqua ætas fuiſſet ad id ſtatuta, quam etſi non deſignauit, inſinuauit tamen determinatã & præſcriptam fuiſſe Caliſtratus *in l. honor.*14.*verſic.nam neque, ff.de muner.& honoribus*, cùm inquit, ſiue maiores, ſiue minores Magiſtratus (vt eſſe Quęſturam notat Corraſius *vbi ſup.*& Philip. Broidæ. *in corolla* [...] *ad c.*8.*lib.*5.*Hiſtoriæ fori Romani Franciſ*[...]*Polleti n.*1. 2 qui ea ratione primũ Magiſtratũ eam appellat, ideſt cęterorũ ianuã, & aditũ ſiue primordium honorum, vt vocat Conſultus *in l.*1.*ff.de officio Quæſtoris*, & ex eo Pancirolus *in notitia Imperij Orientalis, cap.*72.*in princip.* Etſi nõ omnes Quæſtores Magiſtratus fuiſſe obſeruet Petr. Gregorius *lib.*47.*ſyntagm. cap.*

cap. 12. *numer.* 2. & Ioannes Matienz. *in dialog. relator. dialog.* 1. *cap.* 2. *& ſequentib.*) ab omni ætate geri non poſſe.

3 Hoc ſuppoſito, circa definitionem huius ætatis maximam diſſenſionẽ inter Scriptores inuenio. Nam Plinius *ad Trajanum*, his verbis vigeſimumſecũdum annum Quæſturæ ætatem fuiſſe adſtruere videtur: *Cautum eſt, Domine, Pompeia lege, ne quis capiat Magiſtratum, neve ſit in Senatu minor annorum triginta. Secutum eſt deinde edictum Diui Auguſti, quo permiſit, minores Magiſtratus ab annis duobus & viginti capere.* Quem locum ad prouincias tantùm, & propriè ad Bithyniam ſpectare obſeruat Iuſtus Lypſius *vbi proximè*: ideoque abſolutè verum putat quintum ſuprà viceſimum annum legitimam huius honoris adipiſcendi ætatem extitiſſe.

Idque ex eo probat, quòd Tiberius vigeſimo anno ætatis quæſturam ſuſcepit, vt refert Velleius, atque ideo ipſum nõ niſi quinquennio maturiùs fuiſſe creatum Dio & Tacitus notant: ergo legitimus Quæſturæ annus videtur vigeſimusquartus, aut vigeſimuſquintus non expletus.

4 Pro qua opinione ſtare videtur Caldas Pereira in *l. ſi curatorem, verb. Hunc contractum numer.* 42. *verſicul. Quæ ſententia, C. de in integrum reſtitut.* dum abſolutè ad Magiſtratum quintum & viceſimum ætatis annum deſiderari affirmat.

Sed nihilominus ex Carolo Sigonio *libro* 2. *de antiquio iure Romanor. cap.* 1. Broidæo *vbi ſuprà*, & Iacobo Menochio *lib.* 2. *de arbitrar. centur.* 6. *caſu* 540. *num.* 6. Planè deprehenditur, hanc primam Quæſturæ digniratem ante annum vigeſimumſeptimũ peri non potuiſſe, quare exiſtimo ita diſcordantes eiuſdem rei ſententias non aliter in concordiam & cohęrentiam adigi poſſe, niſi pro diuerſitate temporum omnes veras fareamur. Nam vt Autor eſt Conſultus *in dict. l.* 1. *de officio Quæſtoris.* Pancirolus, & Matiençus *vbi ſuprà*, varij fuerunt, & non vno miniſterio ab Imperatoribus Quæſtores inſtituri, quibus fortè & diuerſa ętas fuit ſtatuta, niſi potius coniectemur, Quæſturam peti potuiſſe vigeſimoquinto ętatis anno, ſed non exerceri niſi vigeſimoſeptimo accedente, vt de Prætura notat Petrus Gregor. *in Decretal. tit. de election. cap.* 11. *numer.* 6. poſtulari trigeſimonono anno, & non geri ante quadrageſimum: & de Ædilitate, cuius etiam vigeſimoſexto anno petendi ius erat, ſed non niſi vigeſimoſeptimo exercendi.

SVMMARIVM.

R*Elatio, officium antiquiſsimum eſt.* 1.

Quæſtores idem quod Relatores, ibid.

Ætas Relatoris viginti & ſex annorum eſſe debet. 2.

Antiquitus vnus ex Senatoribus Relatoris officio fungebatur. 3.

QVÆSTIO II.

Ad Relatoris officium quæ ſit ætas legitima?

RElatoris nomen, etſi moderniſſimum eſſe inde ſatis liqueat, quòd illius niſi noſtris Regijs ſancionibus, & ordinationibus nullibi fiat mentio, vt rectè obſeruat Ioannes Matienzus *in dialog. Relator.* 1. *part. cap.* 2. *in principio*: ipſius tamen officium, licèt diuerſo nomine, antiquius eſt, vt primos iuriſprudentiæ Patres non latuerit. Hinc eſt Vlpianum in *l.* 1. *ff. de officio Quæſtoris*, Relatores fuiſſe Quęſtores dixiſſe, illis verbis: *Ex Quæſtoribus, quidam ſolebant Provincias ſortiri, ex Senatuſconſulto, quod factum eſt Decimo Druſio, & Porcena Conſulibus, ſanè non omnes Quæſtores Prouinciam ſortiebantur, verum excepti erant candidati Principis. Hi etenim ſolis libris principalibus in Senatu legendis vacabant.* Et paulò poſt: *Ex his ſicuti diximus, quidam ſunt, qui Candidati Principis dicebantur, quique epiſtolas eius in Senatu legerent.* Quorum verborum perpenſa ſerie ita ſubiungit Marienzus *vbi ſuprà capit.* 4. *numer.* 7. Huiuſmodi Quæſtoribus, ni fallor, adęquari poſſunt Relatores hodierni, & maximè ij, qui ſummo Senatui aſſiſtunt. Nam ſicut Quæſtores olim legendis libris, vel epiſtolis, alijſvè cauſis in Senatu vacabant coram Principe, aut Senatu, ita & Renuntiatores nil aliud muneris obtinent, quàm proponendi, exponendi, referendi, legendique cauſas, coram Principe, Conſiliarijs, ſeu Audiroribus eius, *l.* 6. *titul.* 3. *lib.* 1. *Ordinamen.* 1

Ergo cùm Quæſtoris & Relatoris idem munus & officium eſſe affatim conſtet, ętas Quæſtoris, quam ſeptem & viginti annorum fuiſſe retro *hoc ipſo anno* ex Sigonio 2

lib.

lib.2.de antiq.iur.Roman.c.2. Broideo *in coroll.ad c.8.lib.5.Hiſtor.fori Romani,* Franciſc. Pollet.*nu.1.* & Menoch. *lib.2. de arbitrar.centur.6.caſu 540.num.6.* docuimus; Relatori etiam neceſſaria erit, in quo apud noſtros hæſitationi nullus locus extat, cùm *l.2.titul.9.lib.3.nouæ Recollect.* ita caueatur: *Mandamos, que ningun Letrado pueda auer, ni aya oficio ni cargo de juſticia, ni Peſquiſidor, ni Relator en el nueſtro Conſejo, ni en las nueſtras Audiencias, ni Chancillerias, ni en ninguna ciudad, villa, ni lugar de nueſtros Reinos, ſi no conſtare por fe de los notarios de los eſtudios, auer eſtudiado en los eſtudios de qualquier Vniuerſidad deſtos Reinos, ò de fuera dellos, y reſidido en ellos, eſtudiando Derecho Canonico, ò ciuil, alomenos por eſpacio de diez años, y que aya edad de veinte y ſeis años por lo menos.* Extremè quidem completorum, ita vt vigeſimumſeptimum annum iam agere incipiat, veluti ſuprà, vbi de ætate iudicis ordinarij, & Regij Senatoris diſcuſſimus, fuit oſtenſum, & ſuadetur ex æquiparatione noſtri Relatoris cum antiquo Quæſtore, cuius, vt iam præſtitimus, hæc erat propria ætas, & quam ideò Catholicos Principes hac noſtra lege in Relatore expoſtulaſſe non improbabiliter ſuſpicor.

3 Maximè quidem illo ſæculo, quo Relatoris, ſiue renuntiatoris cauſatum tanta erat dignitas, & excellentia, vt non niſi ab vno ex Senatoribus ipſius munus poſſet obiri veluti colligitur ex his quę refert F. Prudentius de Sandoual *in hiſtoria Imperatoris Caroli V. anno 1516.lib.1.§.58.ibi: Y de la confeſſion reſultò* (facta videlicet à moribundo Ferdinando vulgò *el Catolico*) *que mandò llamar al Licenciado Zapata, y al Doctor Carbajal ſus Relatores y Refrendarios, y de ſu Conſejo y Camara, &c.* & eo Ferdinandi Diez teſtimonio, vt plura alia omittam, comprobatur, qui cùm à Cõſilijs Ioan. Caſtellæ Regis ab anno 1407. ad annum 1454. exiſteret, Relatoris etiam officio fungebatur, vtpotè ipſius ſubſcriptio declarat, quam in antiquis pragmaticis legimus, ita exaratam: *Yo el Doctor Fernando Diez Oidor y Relator del Rei*, cuius item meminit Ioannes Matienzus *dict.dial.1. cap.3.num.5.* qui & *capit.5.num.3.* in multis ſupremis Conſilijs, Auditorijs, & Parlamentis etiam hodie ſeruari docet, vt Conſiliarij Relatoris munus ſubeant, veluti Franciæ Pariſienſi, Toloſano, & alijs, Rotæque auditorio, & Aragonum Conſilio. Tunc enim quis abnegabit eàdem ſexti & vigeſimi anni exactam ætatem, quæ in Senatoribus deſiderabatur, in Relatoribus etiam fuiſſe neceſſariam, quãdoque vel hac ſola de cauſa vnam, ipſamque iuris ſcientiam & ætatem Iudicis & Relatoris eſſe debere Catholici noſtri Legislatores in *d.l.2.* rectè conſtituant, & referat Ioan. Matienzus *vbi proximè c.6.n.4.*

SVMMARIVM.

QVi nondum legitimæ eſt ætatis, poteſt ad Epiſcopatum, dignitatem, vel aliud Eccleſiaſticum munus poſtulari. 1.

Poſtulandus ad Epiſcopatum, vel aliam dignitatem, ſeptem & viginti annorum eſſe debet. 2.

Pœnæ contra poſtulantes, & poſtulatos ante legitimam ætatem recenſentur. 3.

Hic annorum numerus quare magis quàm alius fuerit poſtulationi deputatus? 4.

QVÆSTIO III.

Vt poſtulari quis poſſit?

ETſi certum ſit, eum qui 1
nondum legitimæ eſt ætatis, poſſe ad Epiſcopatum, dignitatem, vel aliud munus Eccleſiaſticum poſtulari, argumento text. *in capit. cum nobis olim 19.§.penult.& fin.capit. dudum 22.§.fin.de electione.* Ex quibus ita obſeruat Petr. Gregor.*ſyntag.iuris lib.17. cap.12.num.22.* Filiucius *tractat.de benefic. Eccleſ.cap.3.num.2.* Auguſt. Barboſ. *de iure Eccleſiaſt.lib.1. cap.19.num.9.* vnde inquit Anton. Cucchus *inſtit.maior. lib.4. titul.2. de poſtulat.Prælatorum numer.11.* triginta annis minorem ad Epiſcopatum eſſe poſtulandum, & quemcumque alium, qui infra ætatem ad dignitatem aliquam, vel curam expetitur. Hoc tamen non ita indefinitè verum agnoſcitur, vt quacumque minori ætate liceat quemlibet poſtulare, ſed illum dumtaxat, qui etſi minor ſit requiſita ætate ad dignitatem in Cathedrali, vel in alia Eccleſia, ſi Regularis Mendicantium fuerit: 2
maior tamen ſeptimo & vigeſimo anno conſiſtit, vt *extrauaganti vnica, de poſtulatione Prælator.* inter communes expreſſe cauetur illis verbis: *Illum, qui vigeſimumſeptimum non attigerit annum, ad Cathedralem, necnon profeſſorem cuiuſuis Mendicantium Ordinis, ad inferiores Cathedralibus Eccleſias, ad monaſteria extra ſuos Ordines poſtulari edicto perpetuo prohibemus.* Et ne hoc quoquomo- 3

do fiat, ſcienter poſtulantes, ea vice poſtulandi & eligendi facultate priuat, & per triennium eos ſuſpenſos declarat ab omnibus beneficijs, quæ in illa Eccleſia obtinuerint, ad quam inhibitam eiuſmodi poſtulationem fecerint. Poſtulatos verò, qui in Romana Curia ſuam poſtulationem fuerint proſecuti, ſæculares vſque ad trigeſimumquintum annum, Regulares verò in perpetuũ ad adminiſtrationes ſuorum ordinum, & omnia beneficia inhabiles pronuntiat, vt patet ibi: *Poſtulatos verò, qui poſtulationis de ſe factæ negotium fuerint per ſe, vel per alium in Romana Curia proſecuti, illud ibi proponi in publico, vel priuato Conſiſtorio facientes, etiam ſe dumtaxat diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ committendo, ſi ſe annum xxvij. non attigiſſe ſciuerint (vt præfertur) vſque ad xxxv. annum. Cæteros verò ſæculares, & Religioſos extra ſuorum adminiſtrationes ordinum perpetuò ineligibiles, ac impoſtulabiles eſſe decernimus ac prorſus inhabiles ad quaſcumque dignitates Eccleſiaſticas, & beneficia quælibet obtinenda.* Ita ex hoc textu communiter deducunt Interpretes, & præſertim *ibidem* Ioan. Monachus, & Barboſa, Viuianus *in rationali lib. 1. pagin. 97.* Alagona *in compendio pag. 39.* & anteà Rebuff. *de pacif. poſſeſſ. num. 184. pagina mihi 229.*

Cur autem vigeſimusſeptimus annus magis quàm quilibet alius poſtulationi fuerit deputatus? voluntatis eſt quæſtio, quam non admodum facile erit expedire. Nec enim omnium, quæ ita à maioribus fuerunt conſtituta, ratio reddi poteſt, *l. non omnium 20.* quæ ſic debet interpretari, *ff. de legibus*, fortè Eccleſiaſtica quiete, & ſoliditate ductus Pontifex, quam hoc numero ſignificari aduertit Petr. Bungus *de myſterijs numeror. numer. 27.* tot annorum ætatem in eum præſcripſit, qui vt baſis, petra, caput, & ſolidũ Eccleſiæ fundamẽtum eſt ad Prælaturas poſtulandus, vt vel ipſa ætas, & numerus annorum, futuram ſtabilitatem, & optatam in eo pacem fœliciter præſagiat. 4

ANNVS VIGESIMVSNONVS.

SVMMARIVM.

Antiquitus reſtitutio minoribus læſis intra annum vtilem poſt egreſſam maiorem ætatem concedebatur. 1.

Nouiori conſtitutione vſque ad annum vigeſimumnonum ætatis reſtitutio competit, etiã Eccleſiæ, vel vniuerſitati. 2.

Vbi minor fuerit enormiter læſus, etiam poſt quadriennium datur reſtitutio. 3.

Non ſolùm reſtitutio debet intra quadrienniũ poſt maiorem ætatem peti, ſed etiam lis ſuper ea cœpta finiri. 4.

Pereiræ *opinio reijcitur.* 5.

Correctio legum maximè eſt vitanda, ibid.

De iure noſtro an lis ſuper reſtitutione debeat etiam intra quadriennium finiri? 6.

Etiamſi aduerſus temporis lapſum reſtitutio poſtuletur, non niſi quadriennium poſt maiorem ætatem conceditur. 7.

Quadriennium ignoranti non currit, quia à die ſcientiæ computatur. 8.

Tempus reſtitutionis non currit impedito aduerſarij, vel iudicis facto. 9.

Ætas viginti & quinque annorum reſtitutionem excludit. 11.

QVÆSTIO I.

Reſtitutio in integrum vſque ad quam ætatem à minore læſo peti poſſit?

Minoribus viginti & quinque annis, ſiue maſculis, ſiue fœminis in his, quę vel prætermiſerunt, vel ignotauerunt poſt impletam maiorem ætatem intra annum vtilem reſtitutionis remedio ſubueniebatur, *l. 1.* 1

l.1.C.ſi minor ſe maiorem dixerit, l.1.C.de temp.in integr.reſtit.& ff.de diuerſis,& temporal.præſcr.l.1. Qui quidem annus ideò vtilis appellatus erat,quia nec feriati dies, nec abſentiæ,nec minorum ætates in eo computabantur,*d.l.1.C.de tempor.in integr. reſtit.* Gloſſa *verb. Superuacuam in l.fin. eiuſdem tit.* Duaren.*ad titulũ C.de minoribus,* Oſualdus *lib.21.Donell.c.10.lit.T.* iſque incipiebat currere ex quo viceſimi ſexti anni dies illuxerat,*dict.l.vlt.* vbi communiter omnes commemorant, niſi veniam ætatis minores impetraſſent. Nam tunc non à die veniæ impetratæ, ſed quo iudici intimata eſt, currere incipiebat,*l.5.in princip.C.de temporibus in*
2 *integr.reſtit.* vbi notant omnes. Nouiori tamen iure quadriennium continuum à die,ex quo annus vtilis currebat,eius loco minoribus ad petendã reſtitutionem in integrũ poſt 25. ætatis annum impletum ab Imperatore conceditur in *d.l.fin.in princip.C.de temp.in integr.reſtit.* & habetur *in c.1. de in integr. reſtit.lib.6.*& vtrobique DD.*c.conſtitutus de in integr.reſtit.* vbi Abb.& alij notant *l.2. 3. & vltim.ff.ſi tutor vel curator interuenerit, l.2.* poſt principium, *tit.17.& l.8. & fin.ad finem tit.19.p.6.* vbi etiam Greg.Lop.*gloſ. 5.l.7.tit.29.part.3.*& apud Luſitanos extat *ordinat. Regia lib.3.titul.86.§.fin.* Bartol. Ioan.Fab.& fere omnes Scribentes communiter in *dict.l.fin.C.de temp. in integr.reſtit.* Decius *conſ.29.& conſ.42.* Boer.*deciſ.39. n.7.& in c.1.n.9.de in integr.reſtit.* Socin. Nepos *conſ.70.n.24.vol.1.* Corn.*conſ.275. n.1.* Riminal.Iunior *conſ.72.nu.75.vol.1.* Afflictis *deciſ.175.* Hugo Donell. *commentar.iur.ciuil.lib.21.c.5.& c.9.* Belon.*conſ. 46.nu.15.* Minſig.*deciſ.imper.obſeruat.51. centur.1.* Aſcanius Clemens *de patria poteſt. effect.13.n.18.* Turzian.& Belacomb. *tom.1.comm.opinion.lib.2.tit.24.n.2.& 3.* Rota *deciſ.648.num.6.lib.3.* nouiſſim. Gama *in additione deciſionis 76.n.1.* Moditius *dubit. iur.lib.1.§.plebiſcitum,dubit.66.nu.2.* Oliban.*in praxi de action.p.2.lib.1.c.15.n.19. & 20.& in comment.de action.1.p.lib.3.§. rurſus nu.2.eum ſequent.* Iul.Clarus *§.fin. q.60.circa princip.* Mantic.*de tacit.& ambig. conuen.tom.1.lib.4.tit.6.n.45.* Conſtantin. Armenopol.*in praxi iuris ciuilis, lib.1. tit.12.* Bertazol.*de clauſ.clauſul.10.gloſ.16. n.6.* Octau.Veſt.*in praxi lib.8.c.3.n.14.* Menoch.*conſ.100.num.289.* Maſcar.*de probat. concluſ.1058.n.32.& concl.1255.n.15.& 16.& concl.1282.n.2.* Petr.Auguſt. Morl. *in emporio iur.p.1.tit.5.q.5.& q.10.nu.3.* Cald.Pereir.*in l.ſi curatorẽ habens,verb.Sua facilitate,n.35.& verb.Infra legitimum tempus n.1.C.de integr.reſt.minor. & qq.forenſ. lib.1.q.22.n.20.* Baptiſt.Coſta *de facti ſcien. & ignor.cent.2.diſtin.59.nu.6.* Vincent.de Franc.*deciſ.206.n.20.* Sforc.Oddus *de in integr.reſtit.p.1.q.20.* Ioan.Petr.Surd. *deciſ. 136.n.2.in princ.* Alex.Trentac. *variar.reſolut.lib.2.reſol.2.nu.27.* quod etiam & in Eccleſia,ſeu alia vniuerſitate læſionem paſſa obſeruatur, quia minori comparatur,*d.c.1. & 2.de in integr.reſtitut.lib.6.Clemen.1.eodem,* inciuile vtique foret, ſi nullo tempore tutus eſſet qui cũ his contraxit ;ipſiſque noxium, ſiquidem nemo cũ illis hoc metu contraheret,argum.*l.24.§.1.de minor.* Oddus *p.1.q.20.art.3.* cui conſentit Nicol. Loſeus *de iure vniuerſit.3.p.c.18.n.20.* Oſuald.*lib. 21.Donell.c.10.liter.S.* Ex quibus omnibus apertè comprobatur læſum,vel deceptum in minori ætate vſque ad 29. ætatis ſuę annum impletum reſtitutionis in integrum remediũ intentare poſſe,nec alioquin audiendum eſſe ſi tranſacto prædicto termino efficaciſſima hac reſtitutionis medela ſubueniri expoſtulet. Quã ſentẽtiam probarunt quoque Azo, Specul. Angel.Fulgoſ. Alber.Bald. Paul.de Caſtr. Alex.Aretin. Iaſſ.Ioan.de Platea, Tiraquel.& alij, quos refert & ſequitur Sforc. Odd.*de reſtit.in integr.q.119.art.4.nu.39.* Lauren.Temin. *in ſua praxi & theori. caut. 102.n.7.* Niſi minor enormiter ſe læſum pro 3
bauerit,quia tunc etiam poſt 29. annorũ ætatem,hoc eſt tranſacto quadriennio,admittẽdus erit, Gama *deciſ.76. in addition. num.1.* Morl.*in empor. iur.tit.5. in præludio nu. 35. verſ.Vnde 3.* Pereir.*vbi proximè d.ver.Infra legitimum tempus,n.9.* Caſtill.*lib.3. quotid. cap.23.num.49.verſ. Quartò obſeruandum.*

Declaratur tamen hæc regula, vt non ſo- 4
lùm intra prædictam 29. annorum ætatem, hoc eſt infra quadrienniũ poſt vigeſimũquintum annũ impletum reſtitutio à minore peti debeat; verũ etiam & lis ſuper ea mota intra dictum quadrienniũ finienda ſit, vt ſatis optimè Iuſtin.docuit in *d l.fin.C.de temp.in integr.reſtit.* ibi: *Temporis continuatio obſeruetur ad interponendam conteſtationem, finiendamque litem.* Et cauetur expreſſe in *Clemen. 1.de in integr.reſtit.* ſub illis verbis: *Et cauſa reſtitutionis huiuſmodi finiri debet infra quadrienniũ.* Per quæ iura ita probauit Hoſtienſis *in cap.cum ex literis,de in integr. reſtit.* Gloſſ.in *d.l.fin.C.de temp.in integr.reſtitut.* Federic. *de his quæ in foro verſantur, dict.cap.17.* Octau.Victor. & alij, quos ipſe refert *in praxi lib.8.c.13.num.4.* Surd. *dict. deciſ.136.num.2.verſ.Eſt etiam,* probat aliquibus adductis Oſuald.*dict.cap.10. liter.V.*

Vn-

5 Vnde omninò reijcienda eſt opinio Pereir. *in d.l.ſi curatorem habens, verb. Infra legitimum tempus n.* 1. dictorum iurium correctionem falsò inducentis, qui dum contrariam ſententiã conatur defendere, *in d.l.fin.* loco verbi *finiendam*, ſupponẽdum eſſe aſſerit, *inchoandam*, & in *dict. Clement.* 1. ſimiliter legi *inchoari* pro *finiri*: quod qua diuinatoriũ fuerit, & iuris communis correctoriũ, nemo eſt qui neſciat: quippe cùm ſenſus clarus harum deciſionũ omnimodo ſubuertatur, ac propterea tãquam friuolũ, & diuinationis plenũ, vt tanti viri pace dicam non admittendum, imò potiùs totis, vt aiunt, viribus impugnandum cum legum, & canonum correctio, per quam maximè vitari debeat, *c. cũ expediat, de elect. lib. 6. l. ſi quando in princip. C. de inoffic teſtam.* vbi Gloſſa & Doctores.

6 Nec me latet in Hiſpania noſtra propter dictas ll. Regni, id expreſſe ſtatuentes contrarium ſeruari, vt quadriennium ſolùm detur ad inchoãdã litẽ ſuper reſtitutione, nõ verò ad illam finiendam: quæ licet vlteriùs protrahatur, nihil obſtabit, quia prӕterquàm quòd peculiaribus Regni noſtri legibus ſtabilitũ eſt, vſus tamen, & cõmunis praxis obſeruat, vt & in Gallia vſitatum eſſe teſtatur Rebuffus *in commentarijs legum Franciæ, tomo 2. fol.* 140. quem refert & ſequitur Caldas Pereira *vbi ſup.*

7 Declaratur deinde prædicta regula vt locũ habeat, etiamſi à minore, maiore iam facto, aduerſus temporis lapſum minorem qua driennio, reſtitutio petatur, cui equidẽ proculdubio quadrienniũ integrum poſt perfectam ætatem prolapſi temporis reſtitutione cõceditur, quemadmodũ & ad cætera omnia, quę ab ipſo dũ minor eſſet, geſta fuerũt, vt per *Clement.* 1. *de in integr. reſtit.* tradunt Bellamera, Panormitan. Baldus, Alexand. Fulgoſius, Octauian. Veſter, & alij plures relati ab Sforcia *de reſtit. in integr. q.* 119. *artic.* 4. *n.* 39. & de communi & veriori ſententia teſtatur Surd. *deciſ.* 136. *n.* 2. Quidquid Sforcia, & quos ipſe ſequitur, cõtrarium voluerint aſſerentes, dictã Clementinam ſpecialiter in Eccleſia procedere, nec eius deciſionem protrahendã eſſe, quia cùm nulla ſpecialis ratio reddi poſſit, propterquam minori ſit in caſu dictę Clementinæ quadriennium concedendũ, & iure ciuili expreſſum non reperiatur contrariũ, ſtandum erit etiam eodẽ iure diſpoſitioni iuris Canonici, vt optimè obſeruauit Afflict. *q.* 175. *n.* 2. & 3. & Cald. Pereir. *vbi proximè n.* 8.

8 Tertiò declaratur in probabiliter ignoranti, aduerſus quẽ prædictum quadrienniũ non currit, vt ex pluribus reſoluit Menochius *de recuper. poſſeſſ. remed.* 15. *n.* 115. *cum ſequentib.* Mauritius *de in integr. reſtit. c.* 59. *n.* 13. & 14. Sforc. Oddus *eod. tract. q.* 20. *nu.* 37. *verſ. In contrarium*, Maſcard. *de probat. concluſ.* 1276. Simoncell. *de decretis. lib.* 3. *tit.* 9. *n.* 6. Flamin. Pariſ. *de reſignat. lib.* 3. *tit.* 7. *n.* 82. Cald. Pereir. *vbi ſup. à num.* 3. *cum ſequent.* & *quæſt. forenſ. conſ.* 11. *in fin.* & Cardin. Tuſchus *lit. R. concluſ.* 298. *n.* 9. 16. & 43. Tantum enim à die ſcientiæ currere incipit, Sich. *ad rubric. C. de in integr. reſtitut. n* 3. Tiraquel. *de retractu, §.* 35. *gloſ.* 4. *n.* 44. Menoch. *lib.* 1. *de præſump. q.* 71. & *de recup. poſſeſſ. remed.* 5. *n.* 115. vbi ex Socino docet ſufficere præſumptam ſcientiam, quos refert Oſualdus *vbi ſup. lit. T.*

Quemadmodum nec quadriennij tranſactio obeſſe poteſt minori, quãdo aduerſarij, vel iudicis facto, aut timore impeditus, vel alia legitima cauſa occupatus reſtitutionem petere diſtulit, optimus text. *in l. intra vtile* 40. & ibi Gloſſa *verbo Intra ætatem*, & Bartol. *ff. de minor.* Gloſſ. *verb. Finiri, in Clemen. vnica, de in integr. reſtitut.* & ex pluribus reſoluit Caldas Pereir. *dict. verbo infra legitimum tempus, num.* 2. & 4. Oſualdus *d. loco, lit. T.*

Sed cùm hac de re plures fœliciori calamo latè ſcripſerint, vt Mauricius, Sforcia & Pereira, omnes quidem ita eleganter, & prolixè, vt vix ipſorum ſcriptis, aliquid ab aliquo poſſit addi, operæpretium duxi, quæſtioni finem imponere, ne in recenſendis aliorum ſcriptis tempus abſumam. Si tamen prius ſubijciam hucuſque dicta de tempore intelligi debere, quo reſtitutio, quæ iam cõpetebat, vtpotè quia in minori ætate adfuit læſio, peti poteſt: nam ſi quintus & viceſimus annus exceſſerit, ceſſat omnino reſtitutionis ſuffragium, quamuis contrahens lædatur, vt omnes fatentur: & tam de maſculis quàm de fœminis loquens, notat Morla *in emporio, tit.* 5. *in prӕludio* 3. *num.* 9. Caldas Pereira *in dict. l. ſi curatorem, verbo Minoribus*, quibus accedit Auguſtin. Barboſ. *in l. minoribus* 5. *n.* 5. *C. de in integr. reſtitut.* 10

SVMMARIVM.

TVtor, curator, vel eorum filij, cuius ætatis pupillam ducere prohibeantur. 1.

Poſt vigeſimumquintum annum ætatis filia poteſt abſque conſenſu patris impunè nubere. 2.

Ætas quinque & viginti annorum in fœminis, cauſa diſpenſationis reputatur ad contrahendum matrimonium cum conſanguineis. ibid.

Ho-

Hodie de iure ciuili nemo poteſt ante vigeſimũ nonum annum pupillæ, illam vxorem ducere. 3.

De iure Canonico, quid hac in re obſeruetur? 4.

QVÆSTIO II.

Pupilla, ſiue adulta, qua ætate poſſit à tutore, curatore, vel filijs eorum in vxorem duci?

1 PRohibentur tutores, curatores ipſorumque filij, & liberti ex oratione Marci, & Commodi, itemque ex Senat. Conſult. pupillas, ſeu adultas vxores ducere, *l. libertum* 64. *l. non ſolùm* 67. §. *ſed videamus, ff. de ritu nuptiarum,* non quidem perpetuo, ſed ante redditas adminiſtrationis rationes, & intra vigeſimumſextum annum ętatis earum, *l. non eſt* 66. *in princip.* ibi: *Non eſt matrimonium, ſi tutor, vel curator pupillam ſuam intra viceſimumſextum annum non deſponſam à patre, nec teſtamento deſtinatam, ducat vxorem. ff. de ritu nuptiar. l. qui pupillam* 7. illis verbis: *Et poteſt adulterij accuſari, qui tutor vel curator fuit, & infra viceſimumſextum annum duxit vxorem,* &c. *ff. ad l. Iul. de adult. l. ſi patris* 6. vbi idem cauetur, *C. de interdicto matrimonio:* ergo poſt eiuſmodi ætatem, & redditas rationes licita erit tutoris, aut curatoris & pupillæ coniunctio, vt meritò docet Ioann. Gutierrez *de tutelis* 2. *part. capit.* 12. *num.* 3.

2 Sed qua ratione ſolummodò, dum pupilla hanc ætatem excedit, tutoris cum ea matrimonium permittitur? an fortè ne careat coniugio pupilla, cùm tot annorum fœminæ difficulter quibus iungantur, inueniant. Vnde prædicta ætate abſque patris aſſenſu impune nubent, *l. viduæ* 18. *l. in coniunctione* 20. *C. de nupt. Authent: ſed ſi poſt, C. de inoffic. teſtament. l.* 5. *tit.* 7. *part.* 6. iunctis alijs, quæ infrà *anno* 30. notabimus, & vt conſanguineis collocentur, tantæ ętatis prætextu ſolent indulgentiam & diſpenſationem à Romanis Pontificibus obtinere? Fortaſis & hac etiam de cauſa; ſed aliam indicare videntur Imperatores in *dict. l. ſi patris* 6. ſcilicet, vt præterierint tempora reſtitutionis in integrum, intra quæ auxilio Prætoris rationes, quæ redditæ eſſent, retractari poſſent. Nam antiquitus poſt minorem ætatem viginti & quinque annorum annus non continuus, ſed vtilis ad petendam reſtitutionem concedebatur, *l. fin. C. de tempor. in integrum reſtitut.* quo elapſo firmatis iam tempore rationibus, ceſſat vtique impedimentum nuptiarum, nempe ſuſpicio fraudis tutoris, vel curatoris in reddendis rationibus, qua plerumque tutores, vel curatores huiuſmodi nuptias appetunt, ex quo pupilla, etſi tutori non nupſerit, ius impugnandi præſtitas rationes ætate amiſit.

At verò inquit nimis appoſitè Iacob. 3
Cuiacius *in recitatione ad titulum de interdicto matrimonio, non longè à principio,* cùm hodie ex *dict. l. fin. C. de temporibus in integrum reſtitution.* anno vtili quadriennium continuum ad petendam reſtitutionem Iuſtinianus ſubſtituerit, dicendum videtur, ante nonum & vigeſimum annum tutoribus & curatoribus non licere pupillas, ſiue iam adultas in vxores ducere.

Quod etſi iure ciuili attento procedere 4
fateamur, ex ſanctiori Canonum ordinatione, cui hac in re ſtare oportet, aliud fore obſeruandum rectè admonet Ioann. Gutierrez *de tutelis dict. capit.* 12. *numer.* 8. ſiquidem cùm eo iure nulla extet prohibitio, quâ terreri poſſint tutores vel curatores à pupillarum coniunctione, imò expreſsè caueatur, eos omnes licitè matrimonium inire, qui nominatim non prohibentur, cõſectariũ erit aſſerere, tutoris & pupillę matrimonium iure Canonico non interdictũ, ſed permiſſum eſſe, vt in ſpecie docet Gloſſa *in c.* 1. *verbo Quandoquidem* 30. *q.* 3. Iaſ. alios adducẽs *in l. filius à patre, ff. de liber. & poſthum.* Gregor. Lop. *in l.* 6. *tit.* 17. *p.* 7. maximè poſt Concilium Tridentinum, cuius ſeruata forma inter omnes (exceptis illis ab ipſo præſcriptis, quibus nec tutores vel curatores, nec pupillæ annumerantur) verum intercedere coniugium certum exiſtit.

ANNVS

ANNVS TRIGESIMVS.

SVMMARIVM.

Naturalis ætas quæ ſit? 1.
Adam fuit in ætate triginta annorum creatus. 2.
Ea ætas propriè naturalis dicitur, quæ capax eſt vſus rationis. 3.
Perfecta naturalis ætas quinque & viginti annorum deſignatur à Petro Gregorio. 4.

QVÆSTIO I.

Naturalis ætatis quis eſſe dicatur?

1 NEc illud hac noſtra tractatione omittendum duximus, quod ſolet ab aliquibus hæſitari, videlicet, quis naturalis ætatis eſſe credatur? Cui dubitationi reſpondent Theoph. *inſt. de libertinis*, & Caluin. *in Lexicon verbo Naturalis ætas*, eum naturalis ætatis eſſe, qui minor eſt annis triginta, veluti & qui maior eſt, legitimæ ætatis vocatur: non quòd trigeſimo anno natum natura minimè agnoſcat (quoniam omnis ætas naturalis eſt) ſed quòd ſpecialiter lex ætatis, quæ annos triginta excedit, meminerit; ideò dicitur hanc eſſe legitimam.

2 Quibus & nonnihil ſuffragari videtur, quòd Adamus primus homo, in id creatus, vt non ſolùm ſupernaturalibus, ſed & naturalibus omnibus potiretur, non maior trigeſimo anno fuit conditus, vt Iudæorum peritiores tenere docet D. Hieron. *epitaphio Paulæ matris Euſtochij*, & Petr. Bungus *de miſterijs numeror. num. 30. pag. mihi 485. in fine.*

3 Sed vtut ſit, certius eſt, eam ætatem naturalem dici, quę rationis & intellectus eſt particeps; forte quia tunc verè natus dicitur homo, cùm ad vſum rationis accedit, vt ex *l. in ſponſalib. 14. ff. de ſponſal.* alibi notauimus. Hinc ergo, cùm antiquitus *in c. per baptiſmũ 2. de conſecrat. diſt. 4.* ita legeretur: *Nã ſi poſt baptiſmũ*, loquitur de paruulis, *ad ætatem naturalẽ perueniunt*, vt patet ex decreto Lugdonenſi anni 1572. Poſteà in Gregoriano Pariſienſi anni 1587. eadẽ ſententia ſic ſcribitur: *Nam ſi poſt baptiſmũ vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti peruenire potuerit*, &c. quaſi idem ſit peruenire ad ætatem naturalem, ac ad eam, quæ præcepti eſt capax, & vſus rationis dicitur, vt iam ſuo loco ſatis probauimus.

Idcirco Petr. Gregor. *ſyntag. iuris lib. 47. c. 9. n. 16.* perfectam naturalem ætatem viginti & quinque annorum vocat, quia tunc perfectiori intellectu & ratione homines vtuntur, *l. 1. ff. de minor.* à qua, vt diximus, ætas naturalis denominatur. 4

SVMMARIVM.

Prudentiam non ætate, ſed moribus æſtimandam, aliqui docent. 1.
Adoleſcentiam prudentem ætatem multi appellant. 2.
Trigeſimo anno prudentiam aduenire probatur. 3.
Epiſcopus trigeſimo anno creatur. 4.
Quadraginta annorum ætatem prudentiæ eſſe nonnullis magis placet. 5.
Verius eſt prudentiam regulariter trigeſimo anno viris, & paulò citiùs fœminis aduenire. 6.
Prudentia experientia adquiritur. ibid.
Senes in dubio prudentiſſimi cenſetur. 7.
Senes adeò prudentiſſimi præſumuntur, vt niſi quindecim teſtibus contrarium non probetur. ibid.
Senes decrepiti, & iuuenes imprudentes præſumuntur. 8.
Poſt quinquageſimum annum nemo inſanus prudens eſſe poterit. 6.

QVÆSTIO II.

Prudentia quando in hominibus incipiat?

Etſi

1 ETſi prudentiam non ætate, ſed moribus eſſe æſtimandam paſſim admoneant Sapientes, ex eiſque Ioan. Matienços *in Dialog. Relator. 3. p. c. 58. n. 25.* Vincent. Turturet. *in parallelis ethicis, & iuridicis diſſertatione 15. paulò poſt principium*, & Roderic. Acunha *in cap. porrò 6. num. 4. 84. diſtinct.*

2 Tamē certo annorum numero eam communiter hominibus accidere multis placuit, vel ipſa adoleſcentia, vtpote pluribus conatur adſtruere Turturetus *vbi proximè*, cui ſuffragantur tradita à Tiraquel. *de iure primogen. in præfatione num.* 101. dum eſſe aliquos notat, quibus prudentia ante pilos venit, Guilielm. Benedict. *in repetit. cap. Rainunt. verſic. Adiectæ impuberi num. 35. & ſequent.* Ioan. Neuiçan. *in ſylua nuptiali lib. 5. num.* 16. Alciat. *in proœm. lib. 9. paradoxar.* Ioan. Matienços *vbi proximè num.* 14. vel anno trigeſimo, aut quadrageſimo, vt plerique malunt, quorum ſentētiæ cùm receptiores ſint, magiſque veritati cōfines, ſuis rationibus & munimentis ſeparatim inſtruendæ à nobis erunt, vt quæ ſit potior, ex eorum concurſu faciliùs deprehendatur.

3 Pro triginta annorum ætate, quam prudentem eſſe aliqui proferunt, ſtat *Conſilium Tridentinum ſeſſ. 7. de reformat. capit.* 1. vbi eam maturam appellat, & meritò, nam vt ait Turturetus *ſuprà*, in eo omnes conueniunt, quòd ætas primò peracta trigenaria matureſcat: at maturæ, vel prudentis eſſe ætatis non differunt.

4 Deinde, quia vt conſtat *ex principio diſtinctionis 36.* & ex his quæ *ibidem* notat Rodericus Acunha, oportet ordinandum in Epiſcopum eſſe prudentem, aliter quis inhabilis ad Epiſcopatum cenſeretur: ſed trigeſimo anno poteſt Epiſcopus ordinari, vt probatur ex *cap. cùm in cunctis 7. de electione cap. Epiſcopus 6. 77. diſtinct.* ex alijſque pluribus ſuo loco referendis: ergo quia hæc eſt prudentię ætas. Vnde noſtri, *Quien à treinta no aſeſa, no comprarà debeſa*; & rurſus, *Quien à treinta no tiene ſeſo, y à quarenta no es rico, rapalde del libro*, referunt Ferdinandus Nuñez, & Cęſar Oudin. *vbi infrà.*

5 Alteram verò opinionem, quæ in quadrageſimo anno hominum prudentiam collocat, non tam rationes, quàm authoritates confirmant, Dionifij Alicarnaſei *lib. 2. antiq. Roman.* & Iacob. Menoch. *lib. 2. de arbitrar. centur. 6. n.* 13. ille enim de Numa Pompilio Romanorum Rege creato ſic ait. *Id cōſilium vbi placuit elegerunt Numā Pompil. Pomponij viri apud Sabinos illuſtris filiū, ferme quadragenarium, quæ ætas eſt prudentiſſima, &c.*

D. Didac. de Narbona.

Sed hæc Dionyſij authoritas, propoſitæque rationes impellunt primam opinionem vti veriorem eligere, eaque proferre, circa trigeſimum ętatis annum in maſculis, & paulò citiùs in fœminis prudentiam incipere, vt non malè ex ipſo Dionyſio, cui ſubſcribit Simancas *de republic. lib. 6. cap. 9. num.* 795. comprobari mihi videtur, dum ætatem ferme quadragenariam prudentiſſimam appellat, quaſi ſupponens, antecedentem tricenariam prudentem eſſe, cùm prius ſit eſſe quem prudentem, quàm prudentiſſimum. Nam vt inquit Ariſtotel. *lib. 6. Ethicor. cap.* 8. prudentia non niſi experientia, quæ actibus acquiritur, comparari poteſt, quam eſſe Conſulti ſententiam *in l. iuſtitia, ff. de iuſtitia & iure* notat Vaconius *lib. 1. declarationum, declaratione 29. num. 7.* & conducunt tradita à Matienç. *dict. Dialogo, & cap. 6. num. 6.* Vnde cùm maioris experientiæ ſit oportet, qui prouectioris eſt ętatis, *cap. ſciendū 26. quæſt.* 4. Tiraquel. *vbi ſupra num. 71. cap. vltim.* 84. *diſtinct.* notat Matienços *num. 7.* ita & maioris prudentiæ exiſtat operæpretium erit. 6

Hinc conſtat ſenes non ſolùm prudentes, ſed etiam in dubio prudentiſſimos cenſeri, nam quò quiſque ſenior eſt, eò præſumitur prudentior, vt docet Bald. *in cap. 1. in principio de renuntiatione*, & probatur ex *capite porrò 6. 84 diſtinct.* ex verbiſque Hieronymi ad Nepotiarum, ibi: *Senectus ætate fit doctior, vſu prudentior, proceſſu temporis ſapientior*: ex quibus fatetur Tiraquel. *in dict. præfat. de iure primogenit. num. 98.* maiorem prudentiam præſumi in ſenibus, cui aſſentitur Matienços *dict. capit. num. 19.* aſſerens, adeò ſenes prudentia & ſapientia præditos præſumi, vt niſi per quindecim teſtes contrarium probari minimè valeat, argumento ſingularis textus *in l. vnicuique 7. in principio, C. de proxim. ſacror. ſcrinior. lib.* 12. Roderic. Acunha *in dict. cap. porrò 6. num. 4. & 5. 84. diſtinct.* & Turturer. *dict. diſſertatione* 15. 7

Niſi adeò ſint ſenes atriti & decrepiti, vt omni ſenſu, & ratione deſtituti repuераſcere videantur. Nam cùm 8

Nec prudens ſit puer vllus.

vt eſt apud Lucretium, nec adoleſcentibus vtpote inexpertis poſſit adeſſe prudentia aliqua, iuxta Ariſtotelem *lib. 3. Ethicor. cap. 6.* quem ſequitur ex noſtris Federic. Scotus *tomo 1. reſponſ. lib. 1. reſponſ. 33. num. 20.* quibus adſtipulatur Matienços *dict. cap. num. 7.* vbi inquit iuuenes vix poſſe eſſe prudentes.

At ſi eo tempore, quo ipſa ſenectute homines prudentiores communiter exiſtunt, 9

 ali-

aliquis ne quidem prudens ſit, nulla in poſterum ætate talis efficietur, quoniam à quinquageſimo anno nemo inſanus, expertus incipere eſſe poterit, vt vel ipſa experientia magiſtra, vulgò apud noſtros in prouerbium abijt: *Quien à veinte no es galan, ni à treinta tiene fuerça, ni à quarenta riqueza, ni à cincuenta experiencia, ni ſerà galan, ni fuerte, ni rico, ni prudente*: cuius meminerunt Ferdinaudus Nuñez, aliâs el Comendador *in ſuis prouerbijs Hiſpanicis litera Q. & ibidem* Cæſar Oudin.

SVMMARIVM.

Nunquam dubitatum fuiſſe de viribus electionis S. Pontificis propter defectum ætatis, aliqui affirmant. 1.

Pontificatui ſupremo nullam fuiſſe determinatam ætatem, qui dicant? 2.

Pontificatus beneficium eſt curam maximam habens animarum. 3.

Eligendus in Pontificem, triginta ſaltim annorum eſſe debet. 4. & 8.

Epiſcopus etiam Pontifex ſummus appellatur. 5.

Epiſcopus triginta annos habere debet. ibidem.

Valet argumentum de inferioribus cathedris ad Romanam Cathedram. 6.

Pontifex eſt Romanus Epiſcopus, & ſic appellatione Epiſcoporum continetur. 7.

S. Petrus vti ætate prouectior, S. Ioanni, quamuis dilecto, in Primatu Eccleſiæ præfertur. ibid.

Si minor annis triginta eligatur Pontifex, irrita electio non erit, quia magis de congruentia, quàm de eſſentia dicta ætas requiritur. ibid. & ſeqq.

Nulla exceptio obijci poteſt, quæ à duobus partibus Cardinalium factam electionem infringat. ibid.

Infans Pontifex eſſe nequit, niſi fuerit ab Spiritu Sancto electus. ibid.

QVÆSTIO III.

Pontificatui Supremo qualis ætas ſit ſtatuta?

1 QVamuis de neceſſaria ætate ad Supremum omnium dignitatum apicem hæſitari non debere, ea ratione proferant Campanil. *rubric. 7. cap. 6. num.* 50. noſter Alphonſus Perez de Larà *in compend. vitæ homin. cap. 29. num. 22. in principio*, & Auguſt. Barboſa *tractatu de iure Eccleſ. lib. 1. cap. 1. num.* 83. quia à ſæculo non eſt auditum, dubitatum fuiſſe de viribus electionis Romani Antiſtitis ob defectum ætatis: attamen cùm id, quod nunquam accidit, facillimè poſſit aliquando euenire, vti & accidiſſe in electione cuiuſdam Benedicti, qui nondum decennis fuit in Pontificem aſſumptus, refert Henric. Spondanus *in epithome annalium Baronij anno Chriſti* 1033. *num.* 2. conuenientiſſimũ nobis viſum eſt, ne fortè aliquid intactũ relinquamus, hanc etiam Pontificis ætatem in diſquiſitionem vocare: maximè cùm circa ipſius definitionem interſe Scribentes nimis diſſidere videantur, ſiquidem Pater Azorius 2
inſtitut. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 5. verſic. Decimoquinto quæritur, Maiolus *de irregul. lib. 1. cap. 30. num. 13. verſic. Pontificatui*, Alphonſus Ojeda *de incompatibilitate beneficior. 1. part. cap. 24. num. 24. & 26.* & Ioan. Petrus Moneta *de commutat. vltim. volunt. cap. 10. num.* 111. probabilius arbitrantur Pontificatui Supremo nullam certam ætatem eſſe iure conſtitutam, qua propter reſoluit Maiolus *vbi ſuprà*, Ojeda *dict. num.* 26. & ex Iacobat. *tractat. de Concilio lib. 3. art. 1. verſic. Et idem de infante*, Iul. Lauor. Campanil. & alijs, Auguſtin. Barboſa *dicto cap. num.* 83. ſufficere eum, qui ad ſummum hoc faſtigium eligitur, eius ætatis eſſe, quæ poſſit vſum rationis habere, ideſt, vt alibi explicauimus, ſeptimi anni eſſe completi, quem meritò refellens Moneta *prædicto numero* 111. quatuordecim ſaltim annorum eſſe oportere diiudicat, eo nimirùm, quòd huiuſmodi ætatem omnibus beneficijs ſufficientem Tridentina ſynodus *ſeſſ. 23. cap. 6. de reformatione* decreuit.

In quo quidem manifeſtè decipitur prædictus Autor: nam Concilium *dict. cap.* beneficijs ſimplicibus, & nullam habentibus curam animarum dictam ætatem præſcripſit, vt prænotatum extat, è quorum numero Pontificalis dignitas non eſt, cùm ſummam obtineat animarum curam, & ſolicitudinem, veluti in comperto eſt. 3

Quocirca verior & ſequenda mihi videtur illorum opinio, qui contendunt primæ, & Apoſtolicæ Sedi præficiendum trigeſimo anno maiorem eſſe debere, cuius opinionis argumenta hæc ſunt. 4

Primò, quòd Epiſcopus (qui etiam Pontifex Summus appellatur *capite in ſingulis* 2. 77. *diſtinctione, capite de his verò, de conſecratione diſtinctione quinta, capite ſi Epiſcopus*, 18. *diſtinctione, capit. ſi officia.* 5

59. *diſtinct. cap. ſi quis Epiſcopus. 36. 2. q. 6.* ex quibus & alijs ita reſoluit Quintil. Mandoſ. *in gloſ. facultatum, §. ſuperſcriptio, verſ. Seruus ſeruorum Dei*) Dominus don Didacus de Caſtejon & Fonſeca, vir tam literis, quàm Reipublicæ natus, vt vtrumque ſcripta teſtantur, & non diffitetur Supremus Caſtellæ Senatus, cui (ò fors!) merenter, vt & omnium animis præeſt, *tractat. de Primatu Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ contra Bracharenſem*, quem non & abſque ſtupore, & ſine numine inter tot perennes publici muneris ſudores & anxietates mirè conſcripſit, & breui lucem videbit, 1. *part. cap.* 5. §. 2. *&* 5. triginta annorum eſſe debet, vt ſuprà *hoc eodem anno* probauimus: ergo credendum non eſt Vicarium Chriſti, caput corporis totius Eccleſiæ Paſtorem ouilis Domini, Præſulem Apoſtolicæ Sedis, & tandem veriorem Pontificem Summum fore minoris ætatis.

6 Præcipuè cùm valeat argumentum ab inferioribus Cathedris ad Romanam Cathedram, vt ex Butrio & Iacobatio tradunt Ojeda, & Perez de Lara vterque *vbi proximè*.

7 Secundò accedit, quòd Papa Epiſcopus Romæ cognominatur, vti apparet ex *capit. Oſius. 7. 6. quæſt. 4. c. licet. 6. de electios. &* *dict. cap. ſi quis. 36.* & ex epigraphe textus *in cap. ſtatuimus diſtinct. 4.* obſeruat Roderic. Acunha *ibidem num.* 2. & ante eum retulit Ojeda *dict. num.* 24. Nec mirum, cùm vniuerſalis ſit Epiſcopus omnium Eccleſiarum, teſte Perez de Lara, & Acunha *in dictis locis*, ideoque aliquando Epiſcopotum appellatione comprehenditur, ex ſententia vtriuſque Igitur neceſſariò ætatem Epiſcopis requiſitam agere debebit, alioqui in ſponſum Eccleſiæ elegi non poterit.

8 Quibus argumentis hanc ſententiam defendit Selua *de benefic. 3. part. quæſt.* 5. *num.* 24. *in fine*, Ojeda *vbi ſuprà num.* 24. Moneta *dict. cap.* 10. *num.* 111. qui probabilem dicit, Alphonſus de Lara *loco iam relato num.* 22. Roderic. Acunha *in dict. cap. Epiſcopus* 6. *num.* 17. 77. *diſtinct.* qui pro ſe Henriquez & Campanil. allegat, & decens eſſe concludit, vt nullus minor annis triginta eligatur in Summum Sacerdotem, quod ſaltem de congruentia admittendum tenet Barboſa *dicto numero* 83. Sed ita accipiendum ſubiungo, dummodò alius ætate prouectior non exiſtat, qui ad tantum munus æquè dignè conſcendere valeat, nam ſi ſenior adſit, is potiùs eligi debet exemplo Petri, qui hac ratione fuit dilecto Ioanni prælatus, vt Diuus Hieronymus contra Iouinianum profert his verbis: *Quæritur cur non Ioannes electus eſt, virgo ſcilicet, vt eſſet caput Eccleſiæ? Reſpondetur, ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat: ne adhuc adoleſcens & puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur.*

9 Licèt benè verum ſit, quòd ſi ante huiuſmodi ætatem aliquis eligatur, electio viribus non carebit, ſed ſubſiſtet, vt concludit optimè Barboſa *dict. cap.* 1. *num.* 83. ea vtique ratione, quia nulla exceptio electo ad primam ſedem obijci poteſt, quæ legitimè a duabus partibus eligentium factam electionem irritet, *dict. cap. licet.* 6. *de electione*, cuius autoritate ita probant Speculator *in capit. vbi, in* 7. *ſpeciali de electione lib.* 6. Ojeda *dict. cap.* 24. *num.* 25. niſi fortè ita teneræ ætatis ſit electus, vt infantiam non exceſſerit, nam tunc veluti nullius ordinis capax exiſtit, ita nec Pontificatus conſecrationem ſuſcipere poterit: ideoque propoſita infantilis ætatis exceptione deijcietur, dummodò talis electio ab Spiritu Sancto non ſit perfecta, vt poſt Syluestrũ *verbo excommunicat.* 9. *quæſt.* 2. *verſic.* 7. expreſsè affirmat Maiolus *dict. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. & poſt eum Ojeda *loco relato num.* 26.

SVMMARIVM.

NVlla fuit olim ad Cardinalatum ætas præſcripta. 1.

Cardinalatui nulla eſt dignitas maior in Eccleſia, excepta Pontificia. 2.

Cardinalis, Diaconus poſt vigeſimumſecundum ætatis annum creari poteſt. 3.

S. P. diſpenſare poteſt cum minore, vt ad Cardinalatum aſcendat. 4.

QVÆSTIO IIII.

An iura certam aliquam ætatem in Cardinalibus poſtulent?

1 COnſuetudinem ipſam olim docuiſſe nullam certam ætatẽ Cardinalatui fuiſſe requiſitam; ſed illam ſolummodò deſideratam, quæ ad annexum ordinem ſiue Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus iura depoſcunt, admonent Simon Maiolus *de irregularitate lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 13. *verſic. Ad Cardinalatum*, & Ioan. Nicol. *in Enchirid. Sacerdotum tit.* 3. *de pluralitate beneficior. n.* 34. Verùm cùm Baſilienſis Cõcilij Patribus indecens videretur minorem ætatẽ Cardinalatui, quàm Epiſcopatui ſufficere: cũ

2 tamen poſt Pontificiam nulla ſit dignitas in Eccleſia, quæ Cardinalatu maior, vel ipſi

æqualis ſit, vt ex vniformi Scribentium ſententia tradit Anaſtaſ. Germon. *tractat. de indultis Cardinal. §. Epiſcopus num.* 7. & nouiſſimè contra Mauric. de Alcedo, Antonin. Diana *reſolut. moral. part.* 5. *tractat.* 2. *reſolut.* 1. eiuſdem Concilij *ſeſſione* 23. decreuerunt eandem completam triginta annorum ætatem ad Cardinalatum, etiam Subdiaconalem fore neceſſariam, quæ ad Epiſcopatum præſcribitur. Quibus poſtmodum acceſſit Concilium Tridentinum *ſeſſione* 24. *de reformatione cap.* 1. *verſic. Ea verò omnia*, quod ita interpretantur Azorius 2. *tom. lib.* 6. *cap.* 3. *verſic. Decimoquarto quæritur*, Maiolus *vbi ſuprà* Ojeda *de incompatibilit. benefic.* 1. *part. cap.* 24. *num.* 27. Garſia *de beneficijs part.* 7. *cap.* 4. *num.* 78. qui & *num.* 79. opti-
3 mè ſubiungit, hodie ex conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Poſtquam verus*, Cardinalem Diaconum eſſe poſſe, qui in vigeſimo ſuæ ætatis anno fuerit inſtitutus: quod etiam obteſtatur Paleotus *de Sacri Conſiſtorij conſultatione* 6. *part.* 4. *quæſt.* 1. *verſic. Quod ad ætatem* Ioan. Petrus Moneta *de commutat. vltim. voluntat. cap.* 10. *num.* 112. Squilant. *de priuileg. clerical. cap.* 4. *num.* 77. Campanil. *rubric.* 7. *cap.* 6. *num.* 47. Maſobr. *in praxi habend. concurſum requiſit.* 10. *dubio* 11. *num.* 15. *& ſequentibus*, Nouarius *in ſingul. canon. concluſ.* 19. & noſter Perez de Lara *in compend. vitæ hom. cap.* 29. *num.* 18. Barboſ. *lib.* 1. *iuris Eccleſ. cap.* 3. *num.* 33. & nouiſſimè Diana *vbi ſuprà reſolut.* 19.

4 Dictiſque non repugnat quod nouiſſimè ſcripſit Rodericus Acunha *in cap. Epiſcopus* 6. *num.* 17. 77. *diſtinct.* nempe noſtris temporibus ex receptiſſima conſuetudine, quacumque minori ætate Cardinales creari, quia id non tantùm conſuetudine, quàm Pontificis diſpenſatione fit, qua interueniente dubitari non poteſt, cuiuſcumque ætatis, dummodò ratione pollentes, nominari poſſe, veluti poſt Maiolum *vbi proximè* innuit etiam Moneta *dicto loco* Auguſtin. Barboſa *vbi ſuprà num.* 34. & docet expreſſe Antonin. Diana *dicto loco in fine*, vbi ex Moſconio *de maieſtate milit. Eccleſiæ lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. obſeruat Gregorium XI. minorem decem annis fuiſſe ad Cardinalatum aſſumptum.

SVMMARIVM.

Nemo ante trigeſimum ætatis annum perfectum Epiſcopus creari poteſt. 1.

Ætas ad Epiſcopatum requiſita, extremè completa eſſe debet. 2.

Triginta annorum ætas, matura dicitur. 3.

Iuuentuti quale tempus fuerit præſcriptum? 4.

Circa Epiſcopi ætatem aſſignandam, magis iuri Canonico quàm ciuili erit deferendum. 5.

Epiſcopus ante legitimam ætatem conſecratus non ſuſpenditur, & quare. 6.

Puer nondũ quinquennis Archiepiſcopus Rhemenſis fuit creatus. ibid.

Adminiſtrator datur puero Archiepiſcopo vel Patriarchæ creato. ibid.

In coadiutore eadem ætas, quæ in Epiſcopo deſideratur. 7.

QVÆSTIO V.

Quotum ætatis annum in Epiſcopo Canones poſtulent?

Q Vampluribus Conciliorum decretis, & ſummorum Pontificum definitionibus extat cõſtitutum ad dignitatem Epiſcopalem neminem promoueri poſſe, quantumuis ſcientijs excultum, & moribus ornatum, niſi in confinio poſitum adoleſcentiæ trigeſimum ſaltim annum expleuerit, *cap. qui in aliquo.* 5. 51. *diſt. cap. Epiſcopus.* 6. 77. *diſtinct. cap. cùm in cunctis.* 7. *de electio.* Concil. Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *de reformat.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *de reformat. cap.* 1. vbi hanc ætatem maturam appellat: ex quibus ita docent Syluester *in ſumma verbo ætas num.* 2. *verſ. Quintum*, Hoſtienſ. *in ſumma titulo de electìon.* §. *quis eligendus, in princip.* Burcard. *lib.* 2. *decretor. c.* ... Vibaldus *in candelabr. aureo* 1. *part. de ſacrament. ordinis num.* 30. *verſic. Ætas autem*, Anton. Cuchus *inſtitution. maiorum lib.* 4. *tit.* 1. *de electione num.* 138. qui eodem *lib. tit.* 2. *numero* 11. triginta annis minores ad Epiſcopatum poſtulari poſſe aſſerit, P. Gabriel Vazquez *de benefic. cap.* 3. §. 2. *dubio.* 2. *num.* 16. Azor *inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *in princip.* Ioan. Nicol. *in Inchir. Sacerdot. tit.* 3. *de pluralitate benefic. num.* 3. Vgolin. *de offic. & poteſt Epiſcop.* 1. *part. cap.* 1. §. 1. *n.* 6. Quintanadueñas *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 11. Maiolus *de irregularit. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 8. *verſ. Poſteà, & num.* 13. *in fine prioris verſ.* Petrus Gregorius *ſuper Decretal. titulo de electìon. cap.* 11. *num.* 3. vbi in Gallia ſufficere affirmat, ſi nominatus Epiſcopus à Rege 27. annorum ſit, Rebuffus *de pacificis poſſeſſion. numero* 184. *pagina mihi.* 239. Vigelius *in method. iuris Pontific. libro* 3. *capit.* 10. *regul.* 18.

Piaſecius *in praxi Epiſcopal. 1. part. cap. 1. num. 23. ad fin. cap. 9. & 11.* Nicol. Garſ. *de benefic. part. 7. cap. 4. num. 76.* Cardoſ. *in praxi verbo hæreſis num. 49.* Moneta *de conſeruatoribus cap. 5. num. 155. & de commutat. vltimar. voluntat. cap. 10. num. 113.* Filiucius *de ſtatu Clericorum tractat. 41. capit. 5. num. 32.* Auguſt. Barboſa *tractat. de iure Eccleſ. lib. 1. cap. 1. num. 83.* Petr. Bungus *de myſter. numer. n. 30. pag. 477.* Viuianus *in praxi iuris patronatus lib. 1. c. 1. num. 188.* Vincent. Turturetus *in parallelis ethicis & iuridicis diſſertat. 15.* vbi eam iuridice tractat *folio mihi 155.* Alcedus *de præcellentia Epiſcopi part. 1. cap. 3. num. 22.* nouiſſimè pluribus congeſtis ad docent Rodericus Acunha *in dict. cap. Epiſcopus num. 17. & in cap. nullus Epiſcopus 1. num. 6. 60. diſtinct.* Antonin. Diana *reſolut. moral. 5. p. tract.*
2 *2. reſolut. 19. in princip.* Qui omnes æquali conſenſione inſuper affirmant hanc triginta annorum ætatem ad Epiſcopatum præſcriptam, completam eſſe debere, maximè hodie ex Bulla Gregorij XIV. publicata die 15. Maij 1591. vt poſt alios optimè obſeruat Antonin. Diana *vbi proximè.*

3 Quam vtique ideò eiuſmodi annorum iura depoſcunt, quia vt inquit Concilium Tridentinum *vbi ſupra*, hæc matura ætas hominis eſt, ante cuius implementum ob iuuenilis intemperantiæ exuberantiam nemo commodè ad Eccleſiarum regimen aſſumi poteſt, & poſt cuius lapſum vix eſt qui Epiſcopalibus curis, atque ærumnis ſufficiens inueniatur, cùm ſenectus homines ad Epiſcopatum inhabiles reddat, *capit. Archidiaconum Florentinum*, iuncta Gloſſa *ibidem 85. diſtinctione*, tradit Franciſcus Viuius *lib. 2. deciſionum deciſ. 243. num. 21.* Vnde cùm Apoſtolicis conſtitutionibus, vt teſtis eſt Clemens Romanus *lib. 2. earum cap. 1.* caueretur, non minorem natu quinquaginta annorum oportere eum eſſe, qui Paſtor, & Epiſcopus conſtituendus erat, hoc, ni decipior, ea ratione Agathenſis primùm, & mox Lateranenſis Concilij Patres immutarũt, quia quinquagenarij nihil à ſenectute illa diſtant, qua nemo ad Epiſcopatum congruit vt promoueatur.

4 Neque dictis obeſt Nicolai Papæ reſcriptum in *cap. quorundam 1. 34. diſtinct.* ex cuius ſerie colligitur iuuenem, ac per conſequens trigeſimo anno minorem, Epiſcopali munere fungi poſſe, cùm de Lanfredo Epiſcopo ibi legatur iuuenem fuiſſe. Quia reſpondetur non rectè inferri ex eo, quòd ibi Epiſcopus dicitur, illum trigeſimo anno maiorem non fuiſſe, cùm iuuenis appelletur nedum qui trigeſimum annum egit, verùm & qui ſupra quinquageſimum etiam quintum expleuit: ſiquidem hoc temporis ſpatio à vigeſimoquinto anno iuuentus concluditur, vti ſuo proprio loco ſupra *anno 25.* ex Cuiacio tradidimus.

Prætereà non magis obſtat *authentic. de* 5
ſanctiſ. Epiſcop. cap. 1. collat. 9. quæ Epiſcopis initiandis annum trigeſimumquintum, & quidem expletum præfixit: ſiquidem in re hac grauiſſima Eccleſiaſticis potiùs ſanctionibus, quàm ſæcularibus ſtandum eſt, vt in propoſito expreſsè reſoluit P. Azorius *dict. cap. 5. in fine principij*, & Vincentius Turturetus *dict. diſſertat. 15.*

Quocirca irrefragabile exiſtit, Epiſco- 6
pum nullum conſecrari poſſe, niſi triceſimo ætatis ſuæ anno elapſo, vnde quaſi monſtruoſum refert Cæſar Baronius *tom. 10. annal. anno Chriſti 925. num. 8.* puerum nondum quinquennem Archiepiſcopum Rhemenſem fuiſſe creatum. Hæc illius ſunt verba: *Illud planè tunc primum contigit in Eccleſia Dei videri monſtrum, nunquam hactenus in orbe Chriſtiano viſum, nec auditum, imò nec puto mente conceptum, cùm videlicet puer nondum quinquennis nondum alicuius inferioris ordinis capax, vix ferula prima addiſcens elementa, Rhemenſis eligitur Archiepiſcopus.* Cuius rei fideliſſimum teſtē adducit Frodoardum *lib. 4. cap. 19.* confirmat Henric. Spondanus *in eiuſdem Baronij epithome ad annum Chriſti 1033. num. 2.* ſubdens illi fuiſſe ad functiones Epiſcopales obeundas coadiutorem Epiſcopum datum, cuius ſimile ſuprà tradiderat anno Chriſti 933. his verbis: *Quo tempore res accidit, quæ nunquam in ea Eccleſia fuerat audita, vt poſt Stephanum non alius, niſi temporaneus ſubſtitueretur Antiſtes, nempe Triphon monachus, qui ſedit vſque dum Theophylactus filius Romani Imperatoris adoleſcens tùc ſexdecim annorum legitimæ eſſet ætatis, vt poſſet fieri Patriarcha. Quem tamen hoc anno revera creatum fuiſſe Patriarcham, ex Curopalate conſtat, dum numerat annos ſedis eius viginti tres, ſed loco ipſius Triphonem conſtitutum eſſe adminiſtratorem eius Eccleſiæ.* Quamuis ſi triceſimo anno minimè expleto Epiſcopus initiaretur, non ideò in ſuſpenſionem *extrauagantis Pij II.* quæ incipit *cum ex ſacrorũ, incideret*, quia vt docet Suarius *de cenſuris diſputat. 31. ſect. 1. num. 29.* quem ſequitur Rodericus Acunha *in d. cap. Epiſcopus. num. 18.* ex ipſius verbis & circunſtantijs ſatis colligitur ibi ſermonem non eſſe de Epiſcopis, ſed tantum de promotis ante legitimum tempus ad reliquos ordines ſacros.

7 Et procedit hæc noſtra reſolutio non tantùm in ipſis Epiſcopis, verùm etiam in coadiutoribus eorum, ſiquidem ex ſententia Seluæ *de benefic.* 2. *part. quæſt.* 4. *num.* 9. Caputaquenſ. *deciſ.* 127. *part.* 1. Rotæ *deciſion.* 347. *num.* 3. *& per totam part.* 3. *diuerſor.* & aliorum, quos refert & ſequitur Hieron. Gonçalez *in regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 5. §. 9. *num.* 6. in coadiutore eadem ætas & idoneitas ac in titulari deſideratur, quo circa inquit, ſi Epiſcopo aſſignatur coadiutor, triginta annorum eſſe debebit.

SVMMARIVM.

Licèt viuente reſignatario coadiutor non ſit Beneficiatus, attamen eaſdem qualitates ac proprietarius habere debet. 1.

Eadem ætas in coadiutore, quæ in Beneficiario requiritur. 2.

Ad beneficij optionem quæ ætas deſideretur? ibidem.

Vbi coadiutor non quoad ſpiritualia, ſed quoad temporalia datur, ſufficit ſi quinque & viginti annorum fuerit. 3.

Siue ſit coadiutoria cum exercitio, ſiue cum iure tantùm ſuccedendi, ſemper eiuſdem ætatis cum beneficiario eſſe debet. 4.

Ætas coadiutoris tempore gratiæ adeſſe debet. 5.

Vbi certus ordo requiritur in coadiutore, ſufficiet ſi tempore gratiæ aptitudo adſit ad illum ſuſcipiendum. ibid.

QVÆSTIO VI.

Coadiutor Epiſcopo, Canonico, Rectori Parochialis, aut alteri Beneficiario deputatus, cuius ſit ætatis oportet?

Etſi coadiutor interim dum coadiutus viuit, nõ ſit, nec reputetur beneficiarius, vt fatentur cõgeſti à Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 49. & rurſus *collectanea in Concilium ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 7. *num.* 7. qualitates nihilominus omnes habere debet requiſitas ad obtinendam præbendam, exemplo reſignatarij. Sic docent Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 19. Nicol. Garſia *de benefic. part.* 7. *cap.* 4. *in fine*, Hieron. Gonçalez *in regula* 8. *Cancellariæ gloſ.* 5. §. 9. *num.* 6. & 90. Moneta *de optione canonica cap.* 4. *num.* 151. & 155. Ludouic. à Sarabia *tractat. de iuriſdict. adiunctorum quæſt.* 29. *num.* 7. Campanil. *in diuerſorio iuris Canonici rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 103. quibus adhæret Auguſtin. Barboſa *locis vbi ſuprà.*

Hinc eſt coadiutorem huiuſmodi eiuſdem ætatis eſſe oportere, quæ in beneficiario præcisè deſideratur. Ita Gonçalez, Garſia & omnes *ſupra relati* cum Squilante, qui id nouiſſimè docet *de priuilegijs Clericorum cap.* 4. *num.* 79. vnde inquit Gonçalez *dict. num.* 9. quòd ſi datur coadiutor Rectori Parochialis, requiritur in eo ætas quinque & viginti annorum, quia hæc in ipſo Rectore eſt neceſſaria, *cap. nemo deinceps, de electione lib.* 6. & ſi datur Epiſcopo, trigeſimum annum exceſſiſſe debet, iuxta Ioann. Andr. *in cap. final. num.* 5. *de Clerico ægrotant.* & Abbat. *ibidem num.* 1. *verſic. Tertiò quæritur*, tradit latè Selua *de beneficijs* 2. *part. quæſt.* 4. *num.* 4. Caputaquenſ. *deciſ.* 127. *part.* 1. Rota *deciſ.* 347. *num.* 3. *per totam part.* 3. *diuerſorum*: & ſuadetur argumento eorum, quæ de optione loquens, tradit Moneta *dict. tract. cap.* 5. *quæſt.* 2. *num.* 26. ſcilicet optantem illius ætatis eſſe debere, quæ ad beneficium optandum requiritur: itaque accipiendum notat *num.* 28. quod inquit Alberic. *conſilio* 347. *num.* 1. & 4. nempe poſſe eum qui habet præbendam Diaconalem, optare Sacerdotalem. a

Quod intelligendum erit ſecundum Abbatem & Seluam *præcitatis locis*, ſi quoad ſpiritualia etiam coadiutor Epiſcopo deputetur: nam ſi tãtùm quoad temporalia Epiſcopatus deſignaretur, tunc ſufficeret, ſi vigeſimumquintum annum egiſſet, cùm hæc ætas ſit perfecta ad temporalem adminiſtrationem, eaque poſſit eſſe tutor & procurator, *l. fin. ff. de legitima tutela, cap. qui generaliter, de procuratoribus lib.* 6. iunctis his quæ ſupra *anno* 25. de vtroque loquentes tradidimus. 3

Nititurque ſupra dicta ſententia eiuſmodi ratione, quia ſiue detur coadiutoria cum exercitio, & iure miniſtrandi, celebrandique diuina officia loco alterius, ſiue abſque adminiſtratione, cùm iure tantùm futuræ ſucceſſionis in beneficio, vt plerumque fit, maxime in Toletanæ noſtræ Eccleſiæ Canonicatibus: vtroque caſu oportet coadiutorem eius ætatis eſſe, quæ ad tale beneficium deſideratur, vt vel adminiſtrandi legitimam perſonam habeat, ſi coadiutoria hoc permittat: vel ſuccedendi in beneficio, quandocumque illud vacare contigerit, ſi ita ſit expreſſe conceſſum. 4

Vnde infertur prædictam ætatem in coadiutore tempore gratiæ adeſſe debere, aliter 5

ter enim gratia nullius erit momenti, vti incapaci & inhabili facta: ſic docet Hieronym. Gonçalez *dict. gloſ.*5.§.9.*num.*90. vbi aſſerit ſufficere, quòd coadiutor tempore gratiæ ſit in ætate legitima, vt promoueri valeat ad ordinem requiſitum pro tali beneficio, pro quo fuit conceſſa coadiutoria, quamuis tunc ordinatus non ſit, ex Rota *deciſ.* 347.*num.* 3.*part.*3.*diuerſor.*& argument.*cap.licèt canon, & cap.commiſſa, de electione lib.6.* etiãſi ſtatuto Eccleſiæ caueatur, quòd actu ſit ſacerdos, vt obſeruat Caputaquenſ. *dict. deciſion.*127.*num.*2.& Rota *deciſ.*1.*per totam, de præbendis*, quibus ſubſcribit Gonçalez *dicto loco.*

SVMMARIVM.

Olim ætas Inquiſitorum quadraginta annorum eſſe debebat. 1.

Si ante requiſitam ætatem quis in Inquiſitorem aſſumatur, electio erit nulla. 2.

Nouiori iure triginta annorum ætas ſufficit ad Inquiſitoris officium. 3.

Qui ad trigeſimum annum ſcientiam & prudentiam non fuit adeptus, vix erit ſi poſteà doctus & prudens ſit. 4.

Inquiſitores poſſunt ab Eminētiſſimis Cardinalibus huic muneri præpoſitis, qualibet minori ætate deligi. 5.

Commiſſarius S. Inquiſitionis triginta annorum eſſe debet. 6.

QVÆSTIO VII.

De ætate Inquiſitoris, & Commiſſarij Sanctæ Inquiſitionis.

S. P. Clemens V. in Cõcilio Vienneńſi nolens ſplendorem ſolitum negotijs Fidei per actus indiſcretos & improbos quorumnis Inquiſitorum hæreticæ prauitatis quaſi tenebroſi fumi caligine obſcurari, illo Sancto Concilio approbante ſtatuit, vt nullis ex tunc, niſi qui quadrageſimum ætatis annum attigerint, tale Inquiſitoris officium committatur, veluti ex *Clementina nolentes*, 2.*de hæreticis* euidentiſſimè patet, & docent Syluester *in ſumma verbo hæreſis.* 2. *num.* 1. Simanc. *de Catholic. inſtitut.tit.*34.*num.*5. Conradus Brunus *tractat.de hæreticis lib.*4. *cap.*1. Rebuffus *de pacific. poſſeſſionib num.* 184.*folio mibi.*239. Menochius *de arbitra-* 2 *rijs centuria* 6.*lib.*2.*caſu.*540.*num.*8. Ioannes Rojas *in ſingular. fidei.*106 *num.*7. Antonius Cardoſus *in praxi iudicum & aduocator, verb. hæreſis num.*49. D. Garſias Maſtrillus *de magiſtratib. lib.*2. *cap.*5. *num.*48. & ſi minori ætate ad hoc officium quis eligatur, electionem eſſe nullam ſubiungunt poſt Gloſſam *in dict. Clement. verb. committi*, Ancharranus *ibidem num.*2. & Zauarella *num.* 3. Moſcouius *de maieſtate milit. Eccleſiaſt.lib.* 1. *part.*1.*cap.*11. Homobonus de Bonis *tractat. de ſtatibus part.*1.*cap.*8.

3 Quod etſi iure communi attento parum difficultatis obtineat, attamen ex Pontificio reſcripto prædictum tempus coarratum & coanguſtatum extat, ita vt iam hodie annum triceſimum attigiſſe ſufficiat, vt cauſis Fidei præponi quis, & ipſarum cognitionem ſuſcipere valeat, quod ex Simanc. ſententia *dicto loco* tolerabile eſt. Tum quia ad hoc ſpeciale Sedis Apoſtolicę reſcriptum eſſe reſtatur, licèt de eo non conſtet: tum etiam propter 4 vitæ breuitatem. Nam ſi intra illius ætatis ſpatium & ſcientia & prudentia non contingit, vix eſt vt poſteà vel veniat, vel acquiratur, vt meritò poſt Iacob. Sept. *vbi ſuprà n.* 12. tradit Rojas *loco nuper relato*, & confirmant de noſtris Hiſpaniæ Inquiſitoribus loquentes Zanardus *in directorio Theolog. part.* 1.*cap.*6.*quæſt.*12.& nouiſſimè Antonin. Diana *reſolution. moral.*4.*part. tractat.*8.*reſolut.* 54. vbi cum eodem Zanardo & Sanctarello 5 *tractat. de hæreſ. cap.*40.*dubio* 1.*num.*5. hoc eſſe limitandum affirmat in Inquiſitoribus ab Eminentiſſimis Cardinalibus S. Romanæ Inquiſitionis creatis, quorũ nominatio qualibet minori ætate facta tenet, quia eliguntur de ſcientia S. Pontificis, à quo ſi in quacumque ætate eligantur, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ætatem, vt teſtatur Farinacius *de hæreſ. quæſt.*186.*n.*51.

6 Quam vtique triginta annorum ætatem, quam regulariter ad Inquiſitores eſſe neceſſariam prædiximus, etiam pro Commiſſarijs eiuſdem Sanctæ Inquiſitionis requiri meritò notant P. Molina *tom.*5.*tract.*5.*diſput.*28.*n.* 23. Azorius *tom.*1.*lib.*8. *c.*18.*q.*4. Pegna *in directorio Inquiſitor. p.*3. *commentar.*61. & ipſis relatis Antonin. Dian. *vbi ſuprà*, licèt aliud voluerint Gloſſa & Ioannes Andreas *in dict. Clement.*2.*de hæretic.* Nam cùm eiuſmodi commiſſarij in cauſis ſibi deputatis Inquiſitorum officio fungantur, eiuſdem ætatis ſint oportet.

SVMMARIVM.

Concionatores triginta annorum eſſe debent. 1.

Chriſtus non anteà prædicare, & ſigna face-

facere cœpit quàm triginta annorum eſſet. 2.

*Cap.oportet.*12.§.*q.*1.*illuſtratur.* 3.

Præcipuum munus Epiſcoporum in prædicatione conſiſtit. 4.

Epiſcopus non niſi triginta annorum creari poteſt,ibid.

*Cap.adijcimus.*19.16.*q.*1.*enucleatur.*5.

*Diaconum teneri prædicare Euangelium quomodò accipiatur?*6.

*Prædicandi munus non eſt actus alicuius ordinis.*7.

Religioſis Societatis Ieſu indultum fuit, vt poſſint prædicare, quamuis ſacris initiati non ſint. 8.

Chriſtus quare cùm puer eſſet, inter Doctores non docens, ſed interrogans fuit inuentus. ibid.

QVÆSTIO VIII.

Prædicatoris officio & munere quis dignè fungi valeat?

1 NOn niſi triginta ànnis natum Prædicatoris officio, & docendi munere rectè vti poſſe, egregia admonent teſtimonia, quorum aliud agens meminit Petr. Bungus *de myſterijs numerorum num.*30. *paulò poſt principium,* his verbis: *Ezechiel anno trigeſimo videns viſiones Domini iuxta fluuium chobar prophetiæ dona promeruit, vt ipſe.*1.*c. teſtatur. Quem locum exponens Gregorius Pontifex: Vt oſtendatur, inquit, cuius autoritatis ſit Ezechiel in prædicatione, ætatis ſolidæ fuiſſe deſcribitur. Hoc quippe regulare eſt omnibus Prophetis. Nec contra hæc quiſpiam mouere debet, quòd Ieremias & Daniel prophetiæ ſpiritum adhuc pueri perceperint, quia miracula in exemplum operationis trahenda nequaquã ſunt. Omnipotens enim Deus & linguas infantium facit diſertas, & ex ore infantium & lactentium perficit laudem: aliud ſiquidem eſt, quod nos doctrinæ diſcimus vſu: aliud quod de miraculo ſcimus. Porrò quis vnquam in hûc mundum ſanctior prodÿt Ioanne Baptiſta? Neque hic tamẽ delegatã ſibi à Deo prouinciam obire ſuſtinuit, niſi eoſdem cum Chriſto ſuo impleſſet ætatis annos: tunc enim in deſerto incepit prædicare baptiſmum pœnitentiæ, & Domini præparare vias, vt annorum maturitas, & virile decus, barba, officio*
2 *autoritatem conciliaret. Chriſtus enim Deus & homo, in quo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, & qui ab initio quo hominem induit, magno omnium hominum ſtupore ſumma quæque miracula edere potuiſſet: deſtitit tamen donec trigeſimus appeteret annus, & tunc incepit ſigna facere, & docere. Nec priùs inclaruit, atque in hominum lucem prodÿt, quàm hunc ætatis annum attigiſſet, legitimum ſcilicet, & maturum tempus oſtendens ætatis, his qui omne tempus, atque omnem ætatem, vel ad ſacerdotium, vel ad docendum putant opportunum, &c.*

Inde luce donatur textus in *cap. oportet* 3
12. 8. *quæſt.* 1. dum concionatorem debere eſſe inquit optimè doctum, irreprehenſibilem, pauidum, & maturum, ideſt, ſaltim triginta annorum, vt iuxta proxime dicta licet interpretari. Quoniam ante hoc tempus vix maturitas contingere ſolet, quæ in oratoribus Euangelicis meritò prærequiritur.

Vnde cùm Epiſcopi proprium & præci- 4
puum munus ſit prædicare, iuxta illud Apoſtoli *ad Titum Epiſcopum*: *Prædica verbum, inſta opportunè, argue, obſecra, increpa*: & poſt pauca, *Opus*, inquit, *fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.cap.Epiſcopus el* 3. 88.*diſtinct.* docet Concil. Trident. *ſeſſ.*5.*de reformat. cap.*2.*in principio*, vbi etiam obſeruat Barboſa *de iure Eccleſiaſt.lib.*1.*cap.*13.*num.*1.*&* 20. non niſi tricefimo anno maioribus Epiſcopalis dignitas conceditur, vt proximè *hoc eodem anno* oſtendimus, & probat textus *in cap.qui in aliqua* 5. 51.*diſtinct. cap. Epiſcopus* 6. 77.*diſtinct. cap. cum in cunctis* 7.*de electione*, Concil. Tridenr. *de reformat. ſeſſ.*7.*cap.*1. vbi hanc ætatem, vtpote prædicationi congruentem maturam appellat.

Nec aliud probatur ex *cap.adÿcimus.*19. 5
16.*quæſt.*1. quo præcipitur, *Vt præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare*, quoniam nõ de quibuſcumque ſacerdotibus ſubaudiri debet, ſed de illis dumtaxat, quibus matura triginta annorum ætas acceſſit, vt ſic in omnibus illius veſtigijs inhæreant, qui fuit ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; ideoque & verus prædicator, *cap.cùm ex iniuncto.*12.*in principio, de hæretic.* ex quo ita aduertit Fuſchus *de viſitat. lib.*1.*cap.*18.*num.*3.

Minuſque dictis obſtrigilatur *text.in cap.* 6
perlectis 1.*verſic. Ad Diaconum.*25.*diſtinct. cap.in ſancta* 2. 92.*diſtinct.* vbi cauetur, Diaconum, ac per conſequens in diaconali ætate conſtitutum, ex officio teneri ſacrum Euangelium prædicare, quia vt rectè interpretatur Nauar.*conſil.*7.*num.*3. *de officio delegat.* poſt Gloſſam *in dict.cap.adÿcimus, verbo Sacerdotes*, Durand. *in rational. diuinor. lib.* 2. *cap.*9.*num.*10. & Auguſtni. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.*1.*cap.*25.*num.*27. hæc loca intelli-

telligenda ſunt non de prædicatione, hoc eſt de explicatione Euangelij, cuius eſt noſter ſermo; ſed de eius lectione à Diacono decantanda, quæ & prædicatio dicitur.

7 Etſi noſtris temporibus Diacono aliàs idoneo, quamuis non maturæ ætatis vtrumque, ſcilicet legere & prædicare ab Epiſcopis, vel eorum Vicarijs generalibus ſoleat præuio examine concedi, & plerumque, quod maxime eſt dolendum, etiam pueris in minoribus tantùm conſtitutis, non ſine magno dedecore & ludibrio Apoſtolicæ huiuſce dignitatis prædicandi munus iniungunt. Nam licèt non ignorem Epiſcopo licere Clerico nondum ſacris ordinibus inſignito hanc licentiam concedere, quia prædicare non eſt actus alicuius ordinis ſacri, vt reſoluunt Sairus *in floribus deciſ. tit. de tempor. ordin. deciſ.* 2. Redin. *in promptuario receptar. ſententi. tit.* 17. *n.* 24. Vgolin. *de poteſt. Epiſcop. c.* 42. §. 2. *n.* 1. Poſſeuin. *de offic. curat. c.* 3. *n.* 14. *in fine*, quibus nouiſſimè ſuſcribit Auguſt. Barb. *d. lib.* 1. *de iure Eccleſ. c.* 13. *n.* 19. *& in collectan. ad Concil. d. ſeſſ.* 5. *c.* 2. *n.* 4. etſi aliud ſen-
8 tiat Henriquez *in ſumma lib.* 6. *c.* 28. §. 8. dũ ait S. P. Paulum III. ſingulari priuilegio indulſiſſe Religioni Societatis Ieſu, vt ipſius Regulares valeãt prædicare, licèt ſacris initiati nõ ſint: tamẽ inde minimè infertur ipſi, aut eius Vicario eſſe permiſſum ante legitimam, & prudentem ætatem Clericos tanto muneri præficere, quãdoque ea ratione Chriſtus duodecimo ſuæ ætatis anno in medio Doctorum ſedens in templo non docens, ſed interrogans voluit inueniri, vt non auderent homines in infirma ætate prædicare, veluti eleganter obſeruat Petrus Bung. *d. n.* 30.

SVMMARIVM.

IN populo Romano multi Quæſtores fuerunt. 1.

Quæſtoris apud Romanos, & apud noſtros iudicis appellationum, idem munus erat. ibidem.

Quæſtoris ætas triginta annorum eſſe debebat. 2.

Iudex appellationum, quem vulgò Alcalde de Alçadas *nuncupamus, triginta annorum ſit oportet. ibid.*

QVÆSTIO IX.

De ætate Tribuni plebis, & Iudicis appellationum?

MVlti fuerunt in populo Romano Tribuni, eorumque multiplex & varium munus, vt optimè recenſet Prateius *in Lexicon*, *verbo Tribunorum*, & Petrus Gregor. *ſyntagmat. iuris lib.* 47. *cap.* 34. *num.* 1. Sed illius tantundem noſter ſermo erit, qui Tribunus plebis ideò cognominabatur, quia ipſi plebs nominatim commiſſa erat; eiuſque defenſio contra Patrum, Conſulum, Patritiorum, & aliorum Magiſtratuum iniurias & oppreſſiones; quorum loco Defenſores ciuitatis ſucceſſerunt, *l.* 3. 4. 5. *&* 6. *C. de defenſorib. ciuitat.* & apud noſtros, niſallor, iudices appellationum, quos vernacula voce Alcaldes de Alçadas *nuncupamus*, vt ex eo Libij *lib.* 3. non malè coniectari licet, vbi Tribunitium auxilium, & prouocationem, duas arces libertatis tuẽlæ vocat. Nam vt inquit Petr. Gregor. *dicto loco*: appellabantur enim Tribuni contra vim Magiſtratuum; eſtque poteſtas adiecta Cõſulatui, fræni inſtar, quod à libera voluntate nocendi plebi eos reuocaret: ſicque lex. 12. tabular. de illis cauet, vt Cicero teſtis eſt *lib.* 3. *de legib. Plebs quos contra ſe auxilij ergo decem creaſſit, Tribuni eius ſunto, quodque ij prohibeſſint, quodque plebem rogaſſint, ratum eſto.* 1

Hic ergo Tribunus plebis non antea creari poterat, quàm trigeſimum ætatis annum exceſſiſſet; qui tanto muneri præficiendus erat, vt ex Philippo Broidæo *in Corollario ad cap.* 8. *lib.* 5. *Hiſtoriæ fori Romani, Franc. Polet. num.* 1. conſtat, fortè quia nondum hac ætate perfecta vix prudentia contingit, vt ſupra *hoc ipſo anno* oſtendimus, huic maximè neceſſaria, qui cæterorum Magiſtratuũ, etiam Conſulum, corrigendis, & emendandis ſententijs conſtituebatur: ſiquidem autore Demoſten. 1. *Olymp. Prudentes facilè ex omnium ſententijs vtilia eligunt.* Vnde rectè facturos exiſtimo vrbanos noſtros Præſides, alioſve; quibus nominandi ſimiles appellationis iudices cura iniungitur, ſi eos non anteâ ad hoc faſtigium euexerit, quàm prudentem ætatem fuerint adepti. 2

SVMMARIVM.

DE iure ciuili ad matrimonij valorem non ſolùm contrahentium, ſed eorum etiã, in quorum poteſtate ſunt, conſenſus requiritur. 1.

Etiam patris conſenſus deſidatur ad illius cõiugium; qui in aui tantum poteſtate exiſtit. 2.

L. ſi nepotem. 3. *ff. de ritu nuptiar. nouiter intelligitur.* 3.

In coniunctione omnium filiorum, etiam natura-

ralium ſimpliciter, conſenſus parentum eſt neceſſarius. 4.

Omni iure conſenſus parentum in filiorum nuptijs requiritur. ibid.

Licèt hodie non de eſſentia, de honeſtate ſaltim patris conſenſus in nuptijs filiorum exigitur. 6.

Culpam incurrit filius, qui contra patris voluntatem matrimonium contrahit. ibid.

Filius, qui irrequiſito patris conſenſu matrimonium contrahit, exhæredari poterit. 7.

De iure noſtro abſque fratrum conſenſu nubens, hæreditate priuatur. 8.

Poſt annum vigeſimumquintum ætatis tam maſculus quàm fœmina, abſque patris conſenſu poſſunt matrimonialiter copulari. 9.

Puellæ raro ex ſe ipſis nubunt. ibid.

Puellæ de nuptijs interrogatæ, præ verecundia tacent. ibid.

Non licet filios exhæredare, qui poſt maiorem viginti & quinque annorum ætatem conſortium inierunt. 10.

Filia maior inhoneſtè viuens, non poteſt ex hac cauſa à patre exhæredari. ibid.

Ex diſpoſitionibus Regni, pœna priuationis hæreditatis paternæ multari poteſt filia ante annum trigeſimum nubens. 11.

Ætas in propoſito extremè completa eſſe debet. 12.

Dictio poſt quid ſignificet? ibid.

Ætas per accuſatiuum requiſita completa eſſe debet. 13.

Ætas requiſita in genitiuo, cum verbo ſubiunctiui, & cum præpoſitione per perfecta ſit oportet. 15.

Vtrùm poſtquã ex diſpoſitione Concil. Tridẽtini ſolo conſenſu, Parochi, & teſtium præſentia matrimonium perficitur, prædicta maior ætas excuſet à pœna exhæredationis? 16.

Negatiuam partem multi tuentur, etiamſi indigno nubat filia. ibid. & 17.

Princeps ſæcularis an poſſit aliquid ſtatuere contra filios inuitis parentibus matrimonia celebrantes? 18. & 23.

Pro affirmatiua & veriori ſententia multi referuntur. 19. & 21.

Legatum ea conditione puellæ relictum ſi intra quintum & viceſimum annum ætatis citra patris voluntatem non nupſerit, quando ei debeatur? 20.

Pœna exhæredationis ſolùm habet locum in filijs, qui non legitimæ ætatis indignas nuptias appetunt. 22.

Inæqualis & indignus matrimonio non ſolùm dicitur quis ratione morum, ſed etiam ratione ætatis. 24.

De iure noſtro tam patris, quàm matris conſenſus in filiorum nuptijs requiritur. 25.

QVÆSTIO X.

Vt filia poſsit matrimonio copulari, non aſſentiente, vel reluctante patre?

1 NVptiæ conſiſtere non poſſunt, inquit Paulus *in l. 2. ff. de ritu nuptiar.* niſi conſentiãt omnes tam qui coeunt, quàm ij, in quorum ſunt poteſtate, quod apud Iuriſconſultos receptiſſimum fuiſſe, quamplurima iuris teſtimonia demonſtrant, *l. filius emancipatus. 25. ff. eod. l. 3. §. ſi emancipatus, ff. de bonorum poſſeſſ. contra tabulas, l. in ſponſalibus. 7. ff. de ſponſal. l. Paulus. 11. de ſtatu hominum, l. 1. ff. vnde vir & vxor, l. ſi vxor, ff. ad legem Iuliam, de adulterijs, l. neque filium 12. l. ſi vt proponis. 7. l. in coniunctione. 20. C. de nuptijs, §. 1. inſtit. eodem* indicauit Ouidius *de Pyrami & Thisbes amore* ſcribens.

Tedæ quoque iure coiſſent, ſed vetuere patres.

Et expreſſius Tertullianus *lib. 2. de vxore in fine, Nam neque in terris filij ſine conſenſu patrum ritè & iure nubent* Apulcius quoque *lib. 6. de Aſino auri: Impares nuptiæ,* inquit, *& præterea in villa ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri:* ſentit itidem Comicus *in Andria,* dum de Glicerio ſenex verba faciens inquit:

Adeò impotenti eſſe animo, vt præter ciuium
Morem atque legem, & ſui voluntatem patris,
Tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probro?

2 Nec tantùm illorum, in quorum poteſtate coniugium ineuntes exiſtebant conſenſus requirebatur verùm & illius, in cuius ditionem & familiam poſtea recaſuri erant. Ex quo nepos, qui in aui poteſtate degebat, neque ſpõſalia, nec matrimonium citra patris voluntatem celebrare vtiliter poterat, quamuis eius mancipio adhuc non contineretur, *l. oratione. 16. ff. de ritu nuptiar.* quod rectè ſtatutum neque diffitebitur quiſquis rationi æquitatique conueniens duxerit, vnumquemque filio vxorem propria voluntate quærere, ex qua veluti certo hæredes ſperat ſibi agnaturos, qui neque bona tantùm, ſed nomen familiæque ſplendorem ſunt habituri. Quibus 3
neque aduerſatur Pauli locus in *l. ſi nepotem, 3. ff. eodem,* vbi ſi nepos ex filio, & neptis ex alio filio in aui ſint poteſtate, nuptias eo ſolo autore inter ipſos contrahi poſſunt. Nam ſpreta eius literæ inuerſione, qua Iuriſconſulti mentem eruere nititur Antonius Faber *in*

in Iuriſprudentia Pap.tit.9. princip.4. illat. 4. dicendum arbitror, ideò patris conſenſum in illa ſpecie non deſiderari, ſed ſolius aui interuentionem ſufficere, quia in ea deficit ratio, quæ in nuptijs nepotis cum extranea patris ſimul conſenſum neceſſariò exigebat, videlicet periculum, ne fortè inhoneſtæ, vel alicuius ſibi inuiſæ familiæ vxor proprio filio deligeretur, ex qua ſuſcepti liberi contra ipſius voluntatem neceſſarij hæredes forent. Etenim cùm eiuſdem ſanguinis & gentilitij ſponſa ſit nepori, qui patrui ſui filiæ coniungitur, vix credi poteſt tale conſortium patri diſpliciturum, quod cùm vereri minimè poſſit, exigendi illius aſſenſum, nulla ſubeſt cauſa, cui quodammodo aſſentiri videtur Pater Baſilius Legionenſis *lib. 2. de matrimonio cap.1.§.2.num.18.*

4 Qui quidem parentum conſenſus in coniunctione filiorum (ſiue naturalium ſimpliciter, ſiue etiam legitimorum, vt obſeruauit Didacus Perez *in l.1.verbo con la fija, tit. 15.lib.8.ordinamenti,* Ægidius Benedictus *in repetitione dict.l.Titia part.3.à num.35. ff.de condit.& demonſtrat.* Emanuel Barboſa *in remiſſionibus legũ Luſitaniæ lib.4.tit.88. §.1.num.2.*) nec à ciuilibus tantùm ſanctionibus expetebatur, ſed etiam Eccleſiaſticis & Pontificijs, quibus dilucidè apparet priſciori ſeculo matrimonia non aliter conſtitiſſe, quàm ſi contrahentium placito parentum ſuffragaretur aſſenſus, *cap. aliter 1. 30.quæſt.5.c.honorantur, cap. non omnis 32. q.2.cap.tua Sanctitas.31.quæſt.5. cap.1. de deſponſatione impuberum, c.vnic. 32.q.3.cap. final. 32.q.2.* Concilium Pariſienſe tempore Pelagij Papæ conuentum, vbi ſub excommunicationis pœna fuit decretum, vt filiam, neque viduam, neque innuptam quis contra licentiam parentum, Regio etiam brachio poſtulato ducere, vel abducere præſumeret, quod habetur *tom.2.Concilior.fol.649.* Quã opinionem ex Tertulliano, Baſilio, Theodoro Balſamone, Ambroſio, & alijs vti veriſſimam meritò defendunt Duarenus *titulo de nuptijs c.2.q.2.* Baſilius Legionenſis *d.lib.2.*
5 *de matrimon.c.1.§.1.per totum.* Neque deſunt Sacræ Scripturæ exempla, quibus id ſuaderi poſſit, *Geneſ.c.24.* Iſaac accepit vxorẽ, quam pater ei dedit, & Rebecca vxor ipſius parentis ſui placitum ea in re ſecuta fuit, de qua diſputationem inſtituens Ambroſ. *lib. 1.de Abraham c.vlt.* quamplurima huius rei teſtimonia congerit, & cõferre videtur quod *Exodi 34.& Deuteron.7.* præceptum de matrimonio filiorum, parentibus potiùs datur quam filijs, ne iungantur videlicet cum Cananæis: *Filiam tuam non dabis filio eius, neque*
filiam illius accipies filio tuo: licèt poſtea pijſſima fuerit deliberatione ſtatutum matrimo- 6
nium à filijs cõtractum, non ſpectato parentum cõſenſu, robur habiturum, *cap. ſufficiat 27.q.2.c.tuæ fraternitatis de ſponſalibus c. cum cauſa de raptoribus, cum ſimilibus* decreuit Concilium Colonienſe ſub Paulo III. *p. 7.c.43.*& Maguntinenſe ſub eodem *in decretis fidei cap.36.& 37.* nec non & Cõcilium Tridentinum *ſeſſ.24.de reformatione matrimon.c.vnic.* Quamuis nunc etiam inficias iri non poſſit patris conſenſum in matrimonio filij vel filiæ dehoneſtate requiri, ex Gloſſæ receptiſſima ſententia *in cap.cùm virum verbo paterna, de regularibus, & in d. cap. ſufficiat, verbo ſolus.27.q.1.* tradunt Decius *in dict.l. nuptias n.7.* Ancharran. *conſ.21.col.2.verſ. His non obſtantibus,* Marcuard. *lib.2. Parergon.c.4.* ex textu *in d.c.1. 30.q.1.* Campeg. *de dote priuilegio.13.p.1 n.3.* ita vt filiæ cõtra parentũ voluntatẽ nubentes culpæ reatum incurrant, vt ex plurium Theologorum ſententia conſtat, quos refert Gutierrez *canonicarum quæſtionum d.c.20.n.3.cum ſeqq.* Menochius *conſil.69.n.25.* Antonius Theſaurus *forenſium quæſtionum lib.1.q.70.n.7.* Mantica *de coniecturis vltimar.voluntat.tit. 18.n.17.* Didacus Spino *in ſpeculo teſtamentorum gloſ.14.n.80.* Latiſſimè Marta *de iuriſdictione caſu 70.centur.1.* Cancer. *variar. reſolut.lib.1.c.24.num.3.* Maſtrillus *d.deciſ. 163.n.20.* & antea Robert. Bellarmin. *cõtrouerſ.tom.2.lib.1.c.19.verſ.Tertia propoſitio.*

Et eo vſque inquærenda filij vxore iure ci- 7
uili parentum deſideratur conſenſus, vt ſi irrequiſito eo filius eam ducere attentauerit, quaſi ingratus, & paternæ ſucceſſionis indignus exhæredari poſſit, *l.3.§.ſi emancipatus,* vbi frequẽter omnes *ff.de bonor.poſſeſ.cõtra tabul.* cuius ſimile apud noſtros ſtabilitum extat *in l.5.tit.1.lib.2.fori legum, l.10.tit. 1.p.4.l.5.tit.10.p.4.l.5.tit.7.p.6.l.1.tit. 6.lib.5.ordinam.l.49.Tauri,* hodie *l.1.tit.1. lib.5.nouæ collect.legum.* Adſtipulatur ex antiquiorib. Angelus *in l.1.§.ius naturale n.6.* vbi Baldus *n.3.* Iaſon *ſub n.11.ff.de iuſtit.& iur.text.*& ibi Bart.& Angel. *in l.edicimus, C.de murilegulis lib.11.* Ludou.Roman. *in rubric.C.ſoluto matrim.in prima lectura n. 31.& in 2.lect.n.39.* Bald. *in l.omnem, ſub n.71.C.ad Tertullian.& in tractatu ſtatutor. in verbo conſenſus n.7.* Felin. *in c.1.n.16.& n.21.de ſponſalib.* Arnoldus Ferro. *in conſuetud.Burd.tit.de dote,§.2.colum.penult.* Ioan. Lupus *in cap.per veſtras, de donat.inter virum & vxorem,* §. 3. incipienti. *Sed filia, num.9.& in* §.4.incipienti *Redeũdo num.5.* latè Caſſaneus *in Catalogo gloriæ mundi in*

12.

11. *part. conſiderat. 36. folio mihi.* 177. Mēchaca *de ſucceſſ. creation. lib.* 1. §. 10. *num.* 637. *& à num.* 640. *vſque ad numer.* 647. Acoſta *in l. cùm tale, §. arbitratu, §. 6. & 7. ff. de condit. & demonſtrat.* Baeça *de non meliorand. dotis cauſa filiabus cap. 2. ſub num.* 4. *& eodem tractatu cap.* 18. ferè per totum: conducunt tradita ab Auend. *de exequend. mandat. cap.* 14. *fol.* 96. Anton. Gomez *in d. l.* 49. *Tauri num.* 1. nouiſſimè Acacius Ripol. *variarum reſolut. cap.* 8. *num.* 43. Hippolyt. Maia *conſult.* 21. *num.* 7. Quod nec tantùm noſtro iure locum obtinet, vbi ſolius parentis conſenſus defuit, verùm & illo caſu, quo ſoror poſt mortem patris fratrum non ſpectato placito, imò ipſis reluctantibus ſeipſam alicui matrimonio copulauit, *l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *Ordin. dict. l.* 1. *tit.* 6. *eodem lib.* 5. & vbique notat Didac. Perez *l.* 2. *l.* 6. *tit.* 1. *lib.* 3. *fori legum,* quarum materiam latè diſcutit ibidem Montal. & Roderic. Suarez *in repetit. dict. l.* 2. *à num.* 2. *cum ſequent.*

8

Sed hoc vtique non omni caſu, aut tempo-
9 re perpetuum definitur, ſed quouſque legitimæ ætatis metas filius, aut filia tranſilierit (in omnibus autem indiſtinctè ſupraſcripta locum habere communis Scribentium traditio continet) argumento *dict. l.* 1. *§. ſi emancipatus, ff. de bonorum poſſeſſ. contra tabul.* probat Menchaca *de ſucceſ. creat. part.* 1. *lib.* 1. *§.* 1. *num.* 634. Surdus *de alimentis tit.* 1. *q.* 6. *n.* 1. maximè de iure noſtro, vt probatur *in d. l.* 10. iuncta *l. ſequenti in fine, tit.* 1. *part.* 4. quidquid ſecus voluerint Gloſſa *in c. Quintanallis verbo exhæredare, de iureiurand.* Alex. de Neuo *in cap.* 1. *num.* 9. *de deſponſ. impuber.* Syluester *verbo hæredi* 2. *q.* 2. Menoch. *conſ.* 69. *num.* 9. P. Thom. Sanchez *lib.* 4. *de matrimon. diſput.* 2. *n.* 11. Cald. Pereira *in l. ſi curatorem verbo læſis n.* 32. *& quæſt. forenſ. lib.* 1. *q.* 18. *num.* 8. Barboſa *in l.* 1. *part.* 4. *num.* 31. *cum ſeqq. ff. ſoluto matrimon.* Luſit. Ægidius *in repetit. l. Titiæ part.* 3. *num.* 31. *verſ. Quia verò:* vnde ſi vigeſimumquintum annum fœmina expleuerit (licèt rarò ex ſe ipſis, ſi ordinarium rerum curſum reſpicias, puellæ nubant, *c. honorantur.* 32. *q.* 2. tradit Antonin. Galeatius *conſ.* 123. *n.* 14. *volum.* 1. imò ſi de nuptijs interrogetur ſubticēt præ verecūdia, *l. in coniunctione* 20. *C. de nuptijs,* ex qua ita inferunt Tiraquel. *in l.* 9. *connubial. gloſ.* 1. *p.* 9. *n.* 152. & Auguſtin. Barboſa *in collectan. eiuſdem legis num.* 3.) nubendi ita liberum conſequetur arbitrium, vt inſcio, ſiue renitēte patre, cuius voluerit conſortio adhærere poterit, *l. viduæ* 18. ibi: *Viduæ intra quintum & viceſimumquintum annum degentes, etiam ſi emancipationis beneficio gaudent, tamen in ſecundas nuptias ſine patris ſententia nō conueniant, l. in coniunctione* 20. *C. de nuptijs,* his nec ab ſimilibus verbis: *In coniunctione filiarum in ſacris poſitarum patris expectetur arbitrium: ſed ſi ſui iuris puella ſit intra quintum & viceſimum annum conſtituta, ipſius quoque aſſenſus exploretur,* quamuis id ob diminutas hominum ætates quidam ad vigeſimum annum reſtringere conati ſint, quos refert & ſectatur Baldus Nouellus *de dote priuileg.* 16. *verſ. Vnde ex quo, & in l.* 1. *n.* 148. *ff. ſoluto matrim.* Sed tamen rectiùs eſt id ad 25. ætatis annum perducere, vt ſtabilitum eſt, & probat Celſus Hugo *conſ.* 38. *num.* 10. ſicque ſenatum Pedemontanum cēſuiſſe refert Gaſpar Anton. Theſaur. *quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 70. *num.* 8.

Nec ex eo puella iuſta exhæredationis 10
pœna poterit coerceri, aſſeuerante Iuſtiniano *in authentic. ſed ſi poſt, C. de inoffic. teſtament. Sed ſi poſt viginti & quinque annos,* inquit, *ſe differente filiam marito copulare, ea in ſuum corpus peccauerit, vel ſine conſenſu ſuo marito ſe, libero tamen, copulauerit, eam exhæredare non poterit, authentic. vt cum de appellat. cognoſc. §. aliud quoque.* Eandem ſententiam, diuerſo tamen idiomate protulit noſtra *l. Regia* 5. *tit.* 7. *part.* 6. ibi: *Pero ſi el padre alongaſſe el caſamiento de ſu fija de manera que ella paſſaſſe de edad de veinte y cinco años, ſi deſpues deſto fizieſſe ella yero, ò enemiga de ſu cuerpo, o ſe caſaſſe contra voluntad de ſu padre, no podria el desheredarla por tal razon:* & exhibet elegantiſsimam rationem, *Porque ſemeja que el fue en culpa del yerro que ella fizo, porque tardò tanto, que la no casò:* conducit *l.* 10. *tit.* 1. *part.* 4. ſubſcribunt Paul. & Iaſon *in dict. authentic.* Abbas & Hoſtienſ. *in dict. cap.* 1. *de deſponſat. impub.* idem Abbas *conſil.* 12. *lib.* 1. Anton. *in cap. accedens, de procurat.* Pariſ. *conſ.* 29. *n.* 63. *verſ. His tamen non obſtantibus lib.* 3. Ripa *in l.* 1. *n.* 57. *verſic. Secundus caſus, ff. ſoluto matrim.* Et eſſe communem opinionem, etiamſi indigno amplexui tradatur, obſeruarunt Imola & Alex. *in d. l.* 1. *ſoluto matrim.* Decius *in l. nuptias, col. fin. ff. de reg. iuris,* Crotaſ. *in repetit. l. ſi liberos n.* 99. *ff. de ritu nupt.* Michael Craſſus *ſentent. §. teſtamento q.* 42. *n.* 5. Baeça *de non meliorandis d. c.* 18. Gaſpar Anton. Theſaur. *qq. forenſ. lib.* 1. *q.* 70. *n.* 1. Aloiſius Riccius *in praxi rerum quotid. tom.* 3. *reſolut.* 75. *n.* 10. vbi addit, filiam poſt eiuſmodi ætatem poſſe inhoneſtè viuendo patri cornua ponere, id eſt, vt intelligi debet, non impunè, ſed abſque metu paternæ exhæredationis: & nouiſſimè Acacius Ripol. *reſolut. c.* 8. *n.* 195. *&* 205.

Quod

11 Quod tantùm de iure communi procedere autumo: nam etſi Partitarum ius idem ſtatuat, vt ex *dictis ll.* palam fit, tamen regalis fori deciſione perſpecta in *l. 6. titul. 1. lib. 3.* (cuius autoritati potiùs quàm ſeptem partito iuri deferendum eſſe, *Taurinæ l. 1.* verba demonſtrant) perſpicuum redditur, filiam niſi annum trigeſimum agat, contra patris voluntatem nubentem, poſſe ab ipſo exhereda tionis pœna affici, eius ſeries, niſi Salmantini præli anni 1569. incuria mendoſe legitur, huiuſmodi habetur: *Si el padre, ò la madre, ò otros parientes tuuieren en ſu poder manceba en cabello, è non la caſaren faſta treinta años, y ella deſpues caſare ſin ſu mandado, no aya la pena caſando ella con home conueniente:* quem annorum numerum in filijs Gallico iure Henrici Secundi conſtitutione, anni 1556. etiam deſideratur, vt à paternis bonis abdicari non poſſint, qui inconſultis parentibus matrimonio colligantur, vt refert Petr. Gregorius *ſyntagm. lib. 9. capit. 3. num. 24.*

12 Quiquidem annorum numerus completus eſſe debet: nam ſi puella quintum & viceſimum tantùm annum de iure communi, aut triceſimum ex noſtra conſtitutione attigerit, nec poſterioris anni vltimam diem exceſſerit, quoad huius legis commodum illegitimæ ætatis cenſebitur, ac conſequenter, quæ Kalendis Februarijs nata fuit, illuminante iam ſole, vigeſimoquinto, vel trigeſimo anno, incipiẽtibus Kalendis Februarijs, quæ more Romano à media nocte incipiunt, & ſequentis noctis meditullio finiuntur, *l. more Romano, ff. de ferijs.* Quã explicat Anton. Auguſtin. *lib. 4. emendat. c. 13.* Tiraquel. *de retract. §. 1. gloſ. 11. ex nu. 1.* quoad noſtrum inſtitutum pertinet, nondum orto ſole, vigeſimum & quintum, ſiue triceſimum annũ minimè expleuiſſe credetur, eo nimirùm, quia verba *d. authent. ſed ſi poſt*, exactam, trãſactamque huiuſmodi ætatem requirunt. Quid aliud dictio illa *poſt* ſignificare videtur, cùm inquit Imperat. *Sed ſi poſt viginti & quinque annos*, &c. niſi vigeſimum & ſextum annum fœminam incipere debere, vt contra patris ſui iudicium nubens, ab ipſo exhæredari non poſſit? vt notat eleganter Franc. Aretinus in *l. ſi cui legetur, in princip. nu. 1. ff. de legat. 1.*

13 Deinde quia tempus ætatis in dictis legibus deſignatur per accuſatiuum, qui caſus ex natura ſua, & abſque verbo rem perfectam indicante, anni complementum requirit; ex eleganti doctrina Dionyſ. Rainerij, & Baldi per text. *ibidem in l. in annis, ff. de condit. & demonſtrat.* Cyni, Baldi, Alexandri, & aliorum in *dict. l. ſi cui legetur*, vbi etiam Iaſon *num. 13.* quos ſequitur Ægidius Benedictus *in relect. l. Titia ſi non nupſerit 3. p. num. 32. verſ. Pro quo.* 14 Rurſus viginti & quinque anni mathematicè completi eſſe debent, quia in plurali deſiderantur, vt ex Gloſſa *in Clement. Generalem, de ætat. & qualit. verbo in* 18. Felino, Ioanne Gutierr. Nicolao Garcia, & alijs dicemus infra *anno 40.* vbi de requiſita ætate ad Canonicatum Pœnitentiariæ, & probatur hæc ſententia ex *§. aliud quoque dict. auth. vt cùm de appellat. cognoſ.* ibi: *Si verò vſque ad vigintiquinque annorũ ætatem peruenerit, & in d. l. 6 fori*, dum inquit: *E no la caſaren faſta treinta años*, vbi ſcribitur ætas in plurali, 15 & vt meritò obſeruauit P. Thom. Sancius *lib. 4. de matrimon. diſput. 24. num. 9. in d. §. aliud*, exigitur ætas in genitiuo, & cum verbo ſubiunctiui, & cum præpoſitione *per*, quæ omnia perfectionem & complementum important. Quod expreſsè Hiſpanica *d. l. 5. tit. 7. p. 6.* definitur illis verbis: *Pero ſi el padre alongaſſe el caſamiento de ſu fija, de manera que ella paſſaſſe de edad de veinte y cinco años.* Quam opinionem meritò ſubſtinuerunt P. Molina *de iuſtitia & iure, tomo 1. tract. 2. diſput. 176.* Sanch. & Ægidius *vbi ſup.*

16 Vtrùm autem hæc ſuo robore perſiſtant poſtquam ius Canonicum ad matrimonij validitatem patris conſenſum minime neceſſariam decreuit, ſed imò illo aut inſcio, ſeu reluctante, ſola contrahentium voluntate, parrochi, & teſtium præſentia effectum ſortiri ſtatuit? Magna inter Interpretes contentio eſt. Quidam enim quaſi veriſſimum putant, hodie filiam, quantumuis indigno, & inæquali contra patris aſſenſum, ante prædictam ætatem copulatam, exhæredari non poſſe, ne alioqui libera contrahendi matrimonij facultas coanguſtetur. Ita poſt Abbatem, & alios quos refert Couarruuias *2. part. de matrimonio cap. 3. §. 8. numer. 5.* tenent Roderic. Suarez *vbi ſuprà*, Menchaca *de ſucceſſ. creation. §. 10. nu. 644.* Ioann. Gutierrez *practicar. quæſtion. lib. 2. quæſt. 1. numer. 8. & 27.* Surdus *de alimentis dict. tit. 1. quæſt. 6. num. 1. & num. 6. cum ſequentibus*, Iacobus Cuiacius *lib. 3. obſeruat. capit. 6.* Montalu. *in l. 10. tit. 1. part. 4.* Villalobo *liter. M. num. 60.* Olanus *in concordia iuris vbi de correctione legum, num. 71.* Nauar. *in ſumma capit. 14. numer. 15.* Alderan. Maſcard. *de generali ſtatuto, interpretat. concl. 1. num. 178. & ſequentib.* Vurmeſer *pract. obſeruat. foren. lib. 1. titul. de dote, capit. 2.* Menoch. *de præſumption. lib. 4. præſumption. 189. numer. 60. & de arbitr. iudic. lib. 2. caſu 453. numer. 8.* Molina *lib. 2.*

*de primogen.cap.*16.*num.*6. Anton. Cuchus *lib.*5.*inſtit.maior.tit.*12.*numer.*182. Iulius Clarus *practic.quæſt.*82.*ſtatuto* 3. *verb.Sed nunquid.* Riminald.*conſ.*133.*à num.*1.*vſque ad num* 32.*volum.*2. Azeued.*lib.*5. *Recopil. tit.*1.*l.*2.*num.*5.*& ibidem* Matienz.*gloſ.*4. *num.*2. Gratian.*reg.*83.*nu.*11. Fuluius Pacianus *de probat.lib.*2.*cap.*3.*num.*108. Zeuallos *commun.contra commun. q.*5. Paulus Duran.*de condition.impoſsibil.*2 *part.cap.*3. *num.*79. ex Theologis Victoria *ſumma de matrimonio, numer.* 269. Veracruz 3.*part. ſpeculi art.*20.*concl.*3.Corduba *in ſumma q.* 171. Henriquez *lib.*11.*de matrim. capit.*6. *num.*2. Ludouic. Lopez 1. *part. inſtructorij* 112.*editione cap.*294.§.*ſequitur & alia quæſtio, &* 2.*part.de matrimon.cap* 39. Manuel Rodriguez *tom.*1. *ſummæ cap.*14. *numer.*4. Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom.*1.*p.*2. *lib.*4.*cap.*2. Sanchez alios referens *d. lib.*4. *de matrimon.diſput.*25.*num.*2. *& ſequentib.*
17 vbi etiam *num.*3. prædictam ſententiam locum habere ſcribit, in fœmina quæ indigno nupſit, cùm rationes pro hac opinione adductæ æque & hoc caſu procedant, vt ſenſiſſe videtur Ioan.Lupus, Couarr. Nauar. Villalobos & alij *vbi ſup.* Molina *nu.*8 Gutier. *d quæſt.*1 *num.*5. Gratian. Matienz.*num.*3. Fuluius Pacian. *num.*115. Anton. Cuchus *num.*182. Henriquez *num.*3. Ludouic.Lopez *d.cap.*294. & fere omnes ſuprà congeſti D. Garſia Maſtrill. plures refert *deciſion.* 163.*numer.* 10. licèt ipſe contrariam amplectatur ſententiam, Martinus de Larriategui *ſelect. iuris ciuilis,lib.*7.*capit.*11.*numer.* 4. *ad finem*, nouiſsimè Antonin. Diana *reſolut. moral. tom.*1.. *tractat. de immunitate Eccleſiaſtica, reſolut.*74. Hippolytus Maia *dict.conſultat.*21.*num.*10. & in hanc ſententiam inclinare videtur Cabreros *lib.* 2. *de metu, capit.*19.*num.*89. dum reſoluit Prin-
18 cipem ſæcularem non poſſe aliquam legem ferre aduerſus filios contra iuſtam parentum voluntatem matrimonia celebrantes: quod pluribus relatis confirmat Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad Concilium Tridentin. ſeſſ.*24.*de reformat.matrimonij capit.* 1. *n.*3.*&* 4.

19 Alij verò, nec inferioris notæ Scriptores oppoſitam ſententiam magis veritati cõgruere validiſsimis arbitrantur rationibus, quorum præcipui poſt antiquiores exiſtunt Bald. Nouell. *de dote* 6. *part. priuileg.* 16. *num.*6. Ioan.Lupus *in d cap. per veſtras, de donat.inter virum & vxor. nota* 3. §.3. *numer.*9.*& toto* §.8. Montalu. *in l.*2. *titul. de los caſamientos,lib.*3 *fori.* Didac. Perez *lib.* 8.*ordin.titul.*15.*l.*1.*verſicul. E ſi qualquier,* Barboſa *in l.*1.*part.*4 *num.*36 *ff.ſoluto matrimon.* Sarmien.*lib.*1.*ſelectar.cap.*11.*num.* 8. Gaſpar Anton. Theſaur. *quæſtion.forenſ. lib* 1.*quæſt.*70.*nu.*7.*& ſeqq.* anteà Menoch. *conſil.*69.*volum.*1. Mieres *de maiorat.part.* 1.*q.*50.*num.*7. Sarmient.*lib.*1.*ſelectar.cap.* 11.*num.*8.D.Garſia Maſtrill. *d. deciſ.* 162. *num.*20. vbi hanc opinionem magis veridicam, iuriq́ue conſentaneam Siciliæ Conſiſtorium cenſuiſſe refert, licèt contrariam in practica receptiorem fateatur. Et ex Theologis Sotus *in* 4. *diſtin.*29. *q.*1. *art.*4. *ad* 4. Viguerius *lib.inſtitut.cap.*26.§.7.*verſ.Sextò*, Bartholomæus Ledeſma *de matrim. dubio* 24.Molin.*lib.*1. *de iuſt. & iur. tract.*2. *diſput.*176.Salon 2.2.*poſt quæſt.*61. *tract. de domin.q.*5.*art.*5. Vega *lib.*5.*ſummæ, caſu* 559.

Ex quo infert Benedict. Ægid.*in relect.* 20
l.Titiæ ſi non nupſerit,100.3.*part.num.*31. *de condit. & demonſtrat.* quòd ſi hodie puellę quidquam relinquatur ſub conditione, ſi ante vigeſimumquintum ætatis annum, non niſi de parentum conſenſu nupſerit, ſi interim citra parentum conſenſum nubat, non conſequetur legatum, quia talis teſtatoris voluntas ſine lege non procedit, ſed legi potiùs conformis eſt, quod enim ille lucri inuitamento, hoc lex pœnæ metu prętendit: porrò iuſta palam eſt teſtatoris voluntas, quę legis diſpoſitioni conformis eſt, vt ipſe concludit.

Et fulcitur hæc ſententia, cui ex animo 21
veluti certiori aſſentior, pluribus non contemnendis rationibus, quas lato calamo proſequitur doctiſsimus Pat. Rebellus *de obligation. iuſtitiæ* 2.*part. quæſtion.*14. *ſection.* 2. *à numer.* 16. *cum ſequentibus*, Pater Baſili. Legionenſis *tract. de matrimon. lib.*2. *cap.*1. §.3. *per totum*, vbi cùm exactè & diffuſe ab illis ſcriptas lector videre poſſit; rectè nos facturos exiſtimamus, ſi in illis recenſendis, vel tranſcribendis, nec oleum, nec operam, quod aiunt, perdiderimus.

Qua in re & illud notare oportet, præ- 22
dictam ſententiam eo tantùm caſu reputari veriorem, quo filia indigno, aut inhoneſto viro nupſerit: nam ſi competenti, vel honore, aut diuitijs prædito adoleſcenti copuletur, quemadmodum pater- 23
num dedecus, & ignominia ceſſat, ita & exhæredationis pœna inefficax reddatur oportet, cùm nulla ex alia cauſa irrogetur, quàm iniuriæ, & offenſionis, quæ ab impare, & ignominioſo filiæ connubio in patrem reſultat, vt etiam nouiſsimè tradit Hippolyt. Maia *dict. conſult.*

*ſult.*21.*num.*13.vnde inquit Azorius *inſtit. moral.p.*2.*lib.*2.*c.*2. *verſ.Certe*, quòd ſi abſolute leges proferantur de filijs contrahentibus qualecumque matrimonium ſine conſenſu patris, prædictas leges nullius ponderis ac firmitatis eſſe, Canoniſtarum opinionē ſequens, præcipuè Ioan. Andr. in *cap. ſtatutum de hæret.lib.*6. Abbatis *in c.*1. *de deſponſat.impub.* & Felin.*ibid.n.*13.& *in c. Eccleſia deconſt.n.*59. Federic.*conſ.*36. Decij *conſ.* 131. & aliorum, quos recitat Couarruu. *loco ſuprà allegato*, quo caſu veriſſimum eſt, quod nouiſſimè optimis rationibus defendit Antonin. Dian. *vbi ſup.* At verò ſi ſpeciatim tales leges vel ſtatuta decernanr, ne filij ſub exhæredationis pœna ante vigeſimamquintū, puta, vel triceſimum annum ſine patris conſenſu, inhoneſtum, vile, & abiectum conſortium ineant, talia ſtatuta rationi & æquitati congruentia videntur ita vt pater filium contra ipſius placitum illicito adhærentem amplexui ante prædictam ætatem à propria ſucceſſione abdicare exhæredatione poſſit, cùm prædicta coniugia frequenter ſoleant familias perturbare, odia & diſſenſiones generare, quorum aut nullus, aut exitioſus exitus ſperari probabiliter poteſt: quapropter concludendum eſt, prædictas ſanctiones robur habere, non vtique quaſi à ſupremo ciuili legiſlatore editas, ſed quatenus rationi, & æquitati, publicæque familiarum concordiæ, ac paci conueniunt. In quam ſentētiam etiā inclinari videtur Baſilius *d.lib.*2.*de matrimonio, cap.*1.§.3.*in principio*, de cuius veritate maximè apud noſtros nec ambigi poteſt, extante deciſione *d.l.*6.*tit.*1.*lib.*3.*fori ll.* vbi non ſolum ante triceſimi anni ætatem, filiam indigno nubentem exhæredari poſſe monſtratur, verumetiam & poſt prædictam ætatem, nam poſtquam de parentibus ſermonem inſtituerat, qui in ſua familia & poteſtate filiā habuerunt, circa cuius connubium ita deſidioſè, & negligenter verſati fuerunt, vt iam triceſimum annum agens optato caruerit coniugio, hæc ſubijcit: *Y ella caſare ſin ſu mādado, no aya la pena, caſando ella con home conueniente.* Ergo exhæredatio, qua filiæ coercentur contra patris arbitrium matrimonia celebrantes, non ſolùm ex hac *lege* locum habere debet in eis, quæ ante prædictam ſtatutam ætatem alicuius inhoneſti, vel inæqualis viri ſocietatem elegerunt, ſed & in his, quæ iam anno triceſimo expleto, inæqualiter & minus debitè contra patris aſſenſum fuerunt copulatæ, vt *d. deciſionis* poſteriora verba, ibi: *Caſando ella con home conueniente*, ſine difficultate euincunt, vbi inconueniens & indignus homo ad matrimonij contractum, 24
non ſolòm ille ſubintelligendus eſt, qui ex humili familia originem ducit, vel malis moribus imbutus eſt, *l. ſedea, ff. de ſponſal.* ibi: *Indignum moribus & turpem ſponſum*, & probat Menoch. *lib.*4. *de præſumpt. præſumpt.* 189.*numer.*85. Sanchez *de matrimon.lib.*4. *diſp.*26.*num.*24. & 26. ſed & illum indignum, & inæqualem cenſeri, qui aut longè maioris, vel inferioris ætatis exiſtit, vtputa, ſi quadraginta ſit annorum, & vxor quindecim tantum habeat, vel è contra. Ita Pariſ. *conſ.* 39.*n.*23.*lib.*3. Menoch. *vbi ſup.n.*85. Sanchez *eodem loco num.*25. D. Garcia Maſtrill. *deciſ.*163 *n.*8.

Ex qua etiam deciſione, & illud notabilitet infertur, quòd licèt iure communi attento matris conſenſus in filijfamilias nuptijs neceſſarius non ſit, quemadmodum neque in filia nuptui collocanda, *l. in coniunctione* 20.*C.de nuptijs*, eo nimirùm, quia fœminæ non habent filios in poteſtate, *l. illud* 4.§. *ad teſtamenta ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul* §.*cæteri, inſtit. de hæred. qualit. & different.* & probat Anton. Faber *in Iuriſpruden. Papin.tit.*9 *princ* 4. Tamen de iure noſtro Hiſpano vtriuſque ſimul parentis, patris ſcilicet & matris in filiorum conſortio deſideratur conſenſus, vt in *d. l.* canetur eius initio, ibi: *Si el padre, ò la madre, ò otros parientes*, &c. & expreſſiùs in *l.*5. antecedenti *eiuſdem tituli*, ſimilibus verbis: *Si la manceba en cabello caſare ſin conſentimiento de ſu padre, è de ſu madre, no parta con ſus hermanos con la buena del padre, ni de la madre: fueras ende, ſi el padre ò la madre le perdonaren: è ſi el vno la perdonare, y el otro no, ſiendo ambos viuos, aya ſu parte en la buena de aquel que la perdonare, è ſi el vno fuere viuo, y el otro no, è al tiempo que caſare aquel que es viuo, la perdonare, parta en los bienes de ambos a dos.* Quibus adſtipulatur Acacius Anton. Rupol. alia ſimili Catalaniæ deciſione motus *variar.reſolut.c.*8.*num.*305. 25

ANNVS TRIGESIMVSQVINTVS.

SVMMARIVM.

QVi ab infantia ad annum quintum & triceſimum abſque victoria in ſtadio decertabat, artem deſerebat. 1.
Poſt hanc ætatem omne virium completur augmentum. 2.

QVÆSTIO VNICA.

Athletæ qua ætate artem deſererent & quanam corporis vires firmentur?

1 EX Macrobio *in ſomno Scipionis lib.* 1. *capit.* 6. ſcribit Petrus Faber *Agoniſticon. lib.* 3. *capit.* 12. *in principio*, eos qui à puerilibus annis ad annum vſque quintum atque trigeſimum, ſine vllius victoriæ præmio in palæſtra & ſtadio decertaſſent, veluti deſperata victoria artem deſinere ſolere, & meritò: nam vt Autor eſt idem Macrobius, hac ætate elapſa, omne virium completur augmentum, & nullo modo iam poteſt quiſquam fortior 2
fieri. Vnde prorulit Cælius Rhodigin *lib.* 30. *antiquarum lection. capit.* 2. *in fine*, hoc anno trigeſimoſexto accidere, ideſt incipiente trigeſimoſexto, at qui ad hanc ætatem, iuſtumque corporis robur illaudati peruenerunt, de conſequenda in poſterum victoria optimè deſperare poterunt, & ab illa arte deſiſtere, qua maiori robore opus eſt, non aliter atque ille, vti omni diſcendi fiducia deſtitutus, poterit ſtudia deſerere, qui ab infantia ad maiorem viginti & quinque annorum ætatem literis totis viribus incumbens, oleum, vt aiunt, & operam pendidit, veluti ſuprà anno 25. pleniùs monſtrauimus.

AN-

ANNVS QVADRAGESIMVS.

SVMMARIVM.

Canonicus Pœnitentiarius quadraginta annorum eſſe debet. 1.

Ætas in plurali requiſita, completa ſit oportet. 2.

Vtrùm ſi nemo legitimæ ætatis idoneus ad Canonicatum inueniatur, poſſit tunc Epiſcopus diſpenſare vt minor admittatur? 3.

Si intra Diœceſim non reperiatur qui legitimam ætatem, & cæteras qualitates habeat ad dictam præbendam, vel poterit Epiſcopus minorem ad illam admittere, vel idoneum extra diœceſim quærere. 4.

Quare maior ætas in Pœnitentiario, quàm in Epiſcopo ſit neceſſaria? 5.

QVÆSTIO I.

Ad Canonicatum pœnitentiariæ quæ ætas ſit neceſſaria?

1 NEc ardui, nec operoſi laboris erit diſquiſitionis huiuſmodi explanatio, omnibus obuiam ſententiam Tridentina Synodus, cùm hac de re ſermocinaretur, *ſeſſ.* 24. protulit *de reformat. capit.* 8. *in fine*: *In omnibus*, inquit: *Cathedralibus Eccleſijs, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, aut Iure Canonico, & annorum quadraginta.* Ita docent Alphonſus Ojeda *de benefic. in compatibil.* 1. *part. cap.* 24. *nu.* 18. Ioan. Gutierr. *Canonic. quæſt. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 40. Nicolaus Garſia *de benefic.* 2. *tom. part.* 7. *cap.* 4. *numer.* 32. Pat. Valer. Reginald. *in praxi fori pœniten. lib.* 30. *tractat.* 30. *num.* 164. *in fine*, Filiucius *de ſtatu Clericorum, tractat.* 41. *cap.* 5. *num.* 25. P. Vazquez *de benefic. cap.* 3. §. 2. *dub.* 3. *numer.* 23. Auguſtin. Barboſa *tractat. de Canonic. cap.* 26. *num.* 10.

2 Quæ quidem quadraginta annorum ætas adeò exacta requiritur, vt ſi tantùm fuerit incepta, non ſufficiat, quamuis Azor alioquin doctiſſimus, *inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *quæſt.* 6. *ad finem* aſſerat, in Canonico Pœnitētiario, qui iuxta Cōcilium Tridentinū, in omnibus Cathedralibus Eccleſijs, vbi id commodè fieri poterit, vnione præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo debet inſtitui, requiri annum quadrageſimum inchoatum: ſed vt optimè expendit Nicolaus Garſia *dict. loco, numer.* 35. quadraginta anni completi eſſe debent, ex quo in plurali à Concilio exiguntur, Gloſſa *in Clementina generalem, de ætate & qualitate, verbo in* 18. Felinus *in capit. cùm vigeſimum num.* 1. *de officio delegati*, Corn. *conſil.* 213. *numer.* 7. *volumin.* 1. Ioan. Gutierrez *dict. cap.* 26. *num.* 10. & alij plurimi relati ab eodem Garſia *d. loco num.* 35. tradit in propoſito Viu. *in praxi iurispatronatus lib.* 1. *c.* 1. *num.* 190. & Barboſa *vbi ſuprà*.

3 Sed dubium exoritur, vtrùm ſi aptus tantæ ætatis ad prædictam prębendam nullatenus inueniatur, poſſit ab Epiſcopo in prædicto defectu diſpenſari? & pro negatiua facit. Nam contra Concilij Canones & ſtatuta neutiquam Epiſcopo, vel Nuntio permittitur diſpenſatio; cùm inferior non poſsit in ſuperioris legē diſpenſare, vt tanquam notiſsimum cùm de Abbatiſſa loquitur, refert Garſia *dict. c.* 4. *n.* 71. Ergo cùm prædicta quadraginta annorum ætas à ſancto Cōcilio in Pœnitētiario requiratur, minimè eius defectus diſpenſationi ſubiacebit Epiſcopi. 4 Sed nihilominus affirmatiuam veriorem, & tenendam ſancta Cardinalium Congregatio cenſuit, ſcilicet defectum ætatis quadraginta annorum non obſtare, vbi aliàs aptior pro loci

loci qualitate non reperitur, quod vt locum obtineat, ſufficit vt intra diœceſim aptus non repetiatur; neque enim, extra ipſam, quæ dictis polleat qualitatibus, quærenda, ſeu inueſtiganda perſonæ aptitudo eſt, vt argumento *capit. nullus* 61. *diſtin.* & *cap. ſacrorum* 63. *diſtinct.* tenet Petr. Nauarra *de reſtitutione, lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 197. noſter Salazar de Mendoça *in libello de inſtitut. Canonic. Pœnitent. in Eccleſia Toletana*, §. 3. Squilante, & Nouarius, quos refert & ſequitur Auguſtinus Barboſa *dict. capit.* 26. *numer.* 11. & ſi in Diœceſi non reperiatur perſona apta, Epiſcopuſque velit eum eligere extra Diœceſim, non poterit eligere niſi habentem dictas qualitates, ſi talis ibi commode reperiri poſsit, vt concludunt Garſia *d.* 7. *p. c.* 4. *num.* 34. & Barboſ. *vbi proximè.*

5 Nec obſtat quòd in Epiſcopo, cuius maior dignitas, & animarum cura eſt, triginta annorum ætas solùm requiritur, *cap. Epiſcopus* 77. *diſtinct. capit. cùm in cunctis, de elect.* cum alijs à nobis ſuprà *anno* 30. congeſtis: quia vt rectè inquit Ojeda *dict. loco numer.* 18. plures qualitates in Pœnitentiario, quàm in Epiſcopo deſiderentur, vt ex verbis Concilij apparet: ergo nil mirum, ſi vt omnes concurrant, maior ætas in eo deſideretur.

SVMMARIVM.

Pro diuerſitate temporum, diuerſæ ſunt deſignatæ Abbatiſſæ ætates. 1.

Hodie ex noua Concilij Tridentini diſpoſitione, Abbatiſſa, aut alia quæuis monialium præfecta, non niſi quadraginta annorum eligi debet; vel triginta ſaltim, ſi in monaſterio, aut extra illud quadragenaria nulla idonea reperiatur. 2.

Ætas ad Abbatiſſam neceſſaria, nec Epiſcopi, nec Nuncij diſpenſatione ſuppleri poteſt. 3.

Fœmina cur tardiùs ad Abbatiam, quàm maſculus eligatur? 4.

Ætas ad Abbatiſſam neceſſaria, an completa eſſe debeat? 5.

Electio minoris in Abbatiſſam nullius eſt momenti. 6.

QVÆSTIO II.

Abbatiſſa, Prioriſſa, vel alia quoquomodo appelletur, monialium Præfecta, quot annorum ſit eligenda?

Varia iura de hac ætate fuiſſe ſtatuta refert Simon Maiclus *de irregular. lib.* 1. *cap.* 29. *numer.* 18. *verſicul. Nec ſolis*, & Alphonſus Viualdus *in candelabro aureo, de electione Abbatiſſarum, capit.* 5. *numer.* 1. Nam Leo, huius nominis primus, quadraginta annos deſiderari præſcripſit, vt in ipſius vita canit Eccleſia, cuius definitionem poſtmodum D. Gregorij autoritate fuiſſe abolitam conſtat ex *capit. iuuenculas* 20. *quæſt.* 1. vbi nullam niſi ſexagenariam Abbatiſſam fieri præcipitur, eo nimirum, inquit Cardinalis Turrecremata *in eodem textu*, vt in perfecta ętate, viuens in ſanctimonia, quæ hoc numero deſignatur, digna ad aliarum regimen inueniatur; à qua conſtitutione pene eodem tempore diſcedens Iuſtinianus Imperator, licèt rei ad ſe non pertinenti immiſcens, decreuit, quinquagenarium Abbatiſſam eſſe debere in Authent. *quomodò oporteat Epiſcopus*, §. *quanta*, *l. nullam*. *C. de Epiſcop. & Cleric.* & tandem Bonifacius Octauus ſuper eandem rem conſtitutionem ſuam proferens, cuius mentio fit *in capit. indemnitatibus* 43. *in principio*, *de electione. lib.* 6. ita cauit: *Nec in Abbatiſſam, nec Prioriſſam vbi per Prioriſſam monaſterium gubernatur, de cætero eligatur aliqua, niſi triceſimum annum compleuerit.* Ex quo ita docet Petr. Gregorius *titul. de electione. cap.* 11. *numer.* 3. vbi etiam inquit, Abbatiſſas aliquando potuiſſe eligi 25. annorum, propter deciſionem text. *in capit. cùm in cunctis*, §. *inferiora, de electione.* Confirmat ſuperiorem ſententiam Martinus Rauault *in floſculis beneficialibus, pagina mihi* 41. *verſicul. Beneficium, vbi eſt electiuum.* Quintanadueñas *Eccleſiaſt. lib.* 1. *num.* 11. Petr. Bung. *de myſter. numer. num.* 30. *pagina mihi* 477. P. Gabriel Vazquez *tractat. de benefic. cap.* 3. §. 2. *num.* 14. 1

2 Verum vltimo loco Concilium Tridentinum circa huiuſmodi Abbatiſſarum, Prioriſſarum, aut aliarum Præfectarum monialium ætatem agens, his verbis, *ſeſſ.* 25. *de re-*

regularibus, capit. 7. definijt: *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocumque alio nomine præfecta, vel præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis eligi poſſit; ſi hoc enim incommodum ſuperiori, qui electioni præeſt, videatur, ex his quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio ſuperiore conſentiente, eligatur.* Quod ita obſeruandum eſſe teſtantur Silueſter *in ſumma verbo ætas, verſic. Quartum,* Anton. Cuchus *inſtitut. maiorum, lib.* 4. *titul.* 1. *numer.* 287. Viualdus *vbi nuper,* P. Azorius *inſtitut. moral.* 1. *tom. lib.* 13. *capit.* 10. *in principio,* Pat. Emanuel Rodriguez *quæſtion. regul. tom.* 1. *quæſtion.* 15. *artic.* 3. Zerola *in praxi Epiſcopali* 1. *part. verbo Abbatiſſa,* §. 1. Valer. Reginald. *in praxi fori pœniten. lib.* 30. *tractat.* 3. *numer.* 166. Nicol. Garſia *de beneſic.* 7. *part. capit.* 4. *numer.* 71. ſubijciens ita hos quadraginta annos à Concilio requiſitos completos eſſe debere, quòd nulla nec Epiſcopi, nec Nuntij diſpenſatione poſsit ante ipſorum lapſum ad Prioriſſæ, vel Abbatiſſæ officium admitti. Idem docet Aloiſius Ricius *in deciſ. Curiæ Archiepiſcop. Neapol. deciſion.* 309. *numer.* 9. *part.* 4. Armendar. *in additionib. ad Recopilat. Regni Nauarræ lib.* 1. *titul.* 18. *l.* 7. *de Epiſcop. numer.* 102. Azor *inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 6. *capit.* 5. *quæſt.* 9. Sigiſmund. à Bononia *de electione, dubio* 62. *numer.* 6. & Auguſtin. Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 45. *nu.* 19. qui & multos refert eandem ætatem in Abbatiſsis poſt Concilium deſiderantes, quibus addendi ſunt Leſius *de iuſtitia lib.* 2. *cap.* 34. *dubio* 20. *numer.* 107. *verſic. Aduerte tamen,* Leonard. Galganetus *de iure publico lib.* 3. *tit.* 5. Roder. Acunha *in capit. placuit* 5. *n.* 2. 77. *diſt.*

4 Quibus non aduerſatur, quòd in Abbatibus regularium vigeſimumquintum annum inceptum ſufficere ſupra proprio loco retulimus, quia præter diſcriminis rationem, quam ibidem aſſignauimus, & illa exhiberi poteſt cum Gloſſa *in dict. capit. indemnitatibus, verbo Triceſimum,* Turrecremata *in dict. cap. iuuenculas,* & Vazquez *vbi ſuprà*: nempe fragilitatem muliebris ſexus in cauſa eſſe, vt prouectiori ætate mulier aſſumi ad Abbatialem dignitatem debeat, quàm vir: nam licèt fœmina citiùs maſculo ſeneſcat, non tamen citiùs iudicij maturitatem conſequitur, imò nec pari annorum numero, ſed multo tardiùs. Vnde quamuis Monachus præpoſituræ idoneus vigeſimo & quinto ſuæ ætatis anno iudicetur ob diſcretionem, & conſilij maturitatem, quæ regulariter eo tempore hominibus aduenit: Monialis verò non niſi quadrageſimo anno ad Prioratum, vel Abbatiſſatum ſecurè eligi, aut promoueri poterit (etſi ad eum poſtulari hac ætate minor queat, ex doctrina Gloſſæ *in dict. capit. indemnitatibus, verbo Eligatur*) quia frequenter mulieres nec dum in iſta ætate rectè ſapiunt.

Inde eſt non malè ſenſiſſe Nicolaum Garſiam *de beneficijs, dict.* 7. *part. capit.* 4. *numer.* 71. dictam ætatem 40. annorum completam eſſe debere: nam quanto maior fuerit mulier effecta, tantò magis erit præpoſituræ conuenientior: cùm regulariter mulieres prudentiam, qua in hoc regimine ſummè indigent, non niſi longo tempore conſequantur. Etſi rectiùs contrarium, nempe quadraginta annorum ætatem à Concilio pro Abbatiſsis & alijs monialium præfectis requiſitam, non deſiderari completam, aduerſus Garſiam defendat Ioan. Nouar. *ſingular. iuris Canonici concluſione* 13. *numer.* 3. quoniam hoc videtur Concilij verbis magis congruentius, quæ ſolùm requirunt, eligendam, non minorem quadraginta annis eſſe debere: ergo ſufficiet ſi prædictam ætatem attingat, argumento textus *in l.* 1. *ff. de manumiſſ.* ibi: *Iam autem minor non eſt, qui diem ſupremum agit anni viceſimi.* 5

Ante prædictum verò tempus, ſi fortè aliqua fuerit in Abbatiſſam vel Prioriſſam electa, viribus electio proculdubio carebit, maxime ſi in Monaſterio non deſunt aliæ moniales quadragenariæ atque habiles, licèt non adeo idoneæ, ſicut electa, vt declarauit ſacra Congregatio Concilij *in Viterbienſi* 16. *Maij* 1623. teſtè Barboſa *vbi proximè num.* 20. 6

SVMMARIVM.

D*iaconiſſarum duplex genus erat.* 1.
Officium Diaconiſſæ in quibus conſiſteret. 2.
Diaconiſſa Spiritu Sancto aſsimilatur, & quare. ibid.
Ætas Diaconiſſæ neceſſaria, quanta ſit? 3. & 4.
Diſſidentes hac de re opiniones componuntur. 5.

QVÆSTIO III.

Diaconiſſa quâ ætate antiquitus ordinaretur?

1 DIaconiſſarũ olim duplex genus erat vnũ ſcilicet earum, quæ ita cognominabantur, quia ipſarum viri, facta iam tori ſeparatione, fuerant Diaconi conſecrati, non aliter atque eadem ratione nonnullæ presbyteræ, & Epiſcopæ etiam nuncupabantur, vt ex *capit. Presbyter* 18. *capit. mulieres* 19. 32. *diſtin.* & ex ſecunda Synodo Turonica *Canone* 14. *&* 20. docent Michael Medina *lib.* 4. *de continentia, controuer.* 6. *capit.* 7. Vazquez *de Sacrament. tractatu de ordine, quæſtion.* 8. *num.* 6. Ægid. Coninch *eodem tractat. diſputat.* 20. *dub.* 10. *numer.* 96. Paul. Layman *in Theolog. moral. lib.* 5. *tractat.* 9. *cap.* 11. *numer.* 7. nouiſſimè Roderic. Acunha *in dict. cap. preſbyter num.* 3. *& in dict. cap. mulieres num.* 1. & Auguſtin. Barboſa *tract. iuris Eccleſiaſtici lib.* 1. *c.* 36. *n.* 12.

2 Alterum verò illarum erat, quæ in Eccleſia ab Epiſcopo inſtituebantur, non quidem vt exercerent officia dictorum ordinum (eſt enim hoc illis iure diuino interdictum, §. 1. *circa princip.* 15. *quæſt.* 3. *capit. vxoratos in fine, de conuerſione coniugator.* docet Gloſſ. *in capit. Diaconiſſam* 27. *quæſt.* 1. S. Thom. *in* 4. *diſtin.* 25. *quæſt.* 2. *artic.* 1. *&* 2. Campanil. *in diuerſ. rubric. rubric.* 11. *capit.* 2. Suarez *de cenſur. diſput* 51. *ſection* 2. *in princip.* Belletus *diſquiſition. Clerical. par.* 1. *titul. de diſciplin. Clerical.* §. 8. *numer.* 5. Ochogau. *de Sacrament. tract. de ordine, quæſt.* 8. *numer.* 4. & quamplures alij congeſti à Barboſa *iuris Eccleſiaſtici lib.* 1. *capit.* 33. *numer.* 83. vbi & numeris ſequentibus id rationibus probat, & rurſus eodẽ *lib.* 1. *capit.* 36. *numer.* 6. quibus adſtipulantur Vazquez *diſputat.* 245. *num.* 12. Ægidius *vbi ſuprà numer.* 95.) ſed vt haberent curam fœminarum, cuſtodiendo ſcilicet Eccleſię ianuas, quibus ipſę ingrediebantur, & presbyteris miniſtrando cùm baptiſmum ſuſcipiebant, vti ſcribit Clemens Romanus *Apoſtolicar. conſtitut. lib.* 8. *cap.* 28. his verbis: *Diaconiſſa non benedicit, neque facit aliquid eorum, quæ Presbyteri, aut Diaconi faciunt, niſi quòd ianuas cuſtodit, & Presbyteris miniſtrat, cùm mulieres baptizantur; idque propter decorem & honeſtatem.* Necnon & ipſas comitando, quoties Epiſcopum adire deſiderabant, illarum curam gerebant. Nam vt inquit idem Clemens Romanus *lib.* 2. *capit.* 26. Diaconiſſa repræſentat Spiritum Sanctum, quatenus ſine ea nulla mulier adire poteſt ad Epiſcopum, aut Diaconum, ſicut nec in Chriſtum quis credere poteſt, niſi docente Spiritu Sancto. Tandemque & circa infirmarum mulierum curationem earumdem ſolicitudo, & officium verſabatur, teſtibus eodem Clemente *lib.* 3. *cap.* 19. Iacobo Cuiacio *de præſcriptionibus cap.* 31. *in fine*, & Barboſa *dict. cap.* 36. *num.* 7.

Prioris igitur generis Diaconiſſæ ſimiliter, atque Preſbyteræ, & Epiſcopæ, quacumque ætate inuenirentur, cùm ipſarum viri, præuia tori ſeparatione, Diaconi conſecrarentur, ita cognominabantur, quia non à proprio officio, nec ab vllo ordine, quem ſuſcepiſſent, ſed à maritis, quorum vxores erant, tale nomen ſortiebantur, vt iam obſeruauimus. 3

Poſterioris etenim generis, quibus Epiſcopi conſecratio, & miniſterium, cui præficiebantur, conuenientiſsimum Diaconiſſarum nomen indidit; non niſi ſexaginta annorum elapſa ætate ordinari poterant ſecundùm præceptum Apoſtoli 1. *ad Timoth.* 5. *Vidua*, inquit, *eligatur, non minus ſexaginta annorum, capit. quomodo* 31. *quæſt.* 1. poſtea verò Valens & Theodoſius nullam niſi emenſis quinquaginta annis ad Diaconiſſarum conſortium transferri ſtatuerunt, *l. nulla* 9. *C. de Epiſcop. & Cleric.* à quo diſſentiens Iuſtinianus Imperator, ante quadrageſimum annum eas ordinari vetuit. *Authentic. de Sanctiſsim. Epiſcop.* §. *Diaconiſſam collation.* 9. Quod priùs fuerat à Calcedonenſi Concilio ſtatutum, *canone* 73. quem retulit Gratian. *in capit. Diaconiſſam* 27. *quæſtion.* 1. & confirmatur ex Concilio Carthaginenſi III. *in capit. Sanctimoniales*, iuncta explicatione Gloſſæ 20. *quæſtion* 1. probant Medina *dict. lib.* 4. *controuerſ.* 6. *capit.* 8. *in fine*, Iacob. Cuiac. *loco vbi ſup.* 4

Hanc verò, vt ita dicam, conſtitutionum diuerſitatem circa Diaconiſſarum ætatem concordare nituntur Iulius Labor. *variar. lucubration. tom.* 1. *titul.* 4. *cap.* 34. *num.* 31. *verſicul Atque hinc*, Pamel. *in ſchol.* 72. *in librum Tertulliani de exhortatione caſtitat.* Vazquez *in* 3. *part. tom.* 3 *diſput.* 245. *cap.* 3. *num* 4 Sebaſt. Cęſ. *de Eccleſiaſt. Hierarchia p.* 2. *diſput.* 9. §. 3. *num.* 4. *&* 5. & his relatis Auguſtin. Barboſ. *d. c.* 36. *n.* 3. ita ſcilicet, vt tem- 5

tempus 40. vel 50. annorum virginibus, 60. verò viris deligendis fuerit ſtatutum, vtpotè quę propter experientiam voluptatis maiori indigerent examine & probatione.

Quibus non obſtant text. *in cap. iuvenculas 20. quæſt. 1. cap. placuit 77. diſtin.* cum ſimilibus, quia de diuerſis fœminarum conſecrationibus loquuntur, de quibus videndi ſunt latè Simon Maiolus *de irregul. lib. 1. cap. 29. à num. 2.* Roder. Acunha *in dict. cap. placuit num. 2. 77. diſtin.*

SVMMARIVM.

Ncillæ meretricum, quadragenariæ eſſe debent. 1.

Societas inhoneſtarum, honeſtiſſimas fœminas deturpat. 2.

Mores à coniuncto formantur. 3.

Circa maris ripas habitãtes, frequenter ſunt crudeles. 4.

Conditio habitandi cum meretrice teſtatoris legato iniuncta, à legatario tantùm ſene, non verò à iuuene eſt adimplenda. 5.

Focaria, idem quod meretrix eſt. ibid.

QVÆSTIO IV.

Vt ancillari mulier meretrici poſsit?

1 Xtat apud noſtros magnanimi ac prudentiſsimi illius Principis Pphilippi II. reſcriptum *in l. 7. verſ. Otroſi, titul. 19 lib. 8. Recollectionis legum Hiſpaniæ,* quo nec leue ſupplicium merentibus, ac publicè proſtitutis fœminis interminatur, quæ nondum ſenes, & quadragenarias famulas ſibi aſſociare præſumpſerint. Huiuſcemodi enim Rex loquitur: *Otroſi, porq̃ con ſu exemplo no ſe crien facilmente otras, mandamos, que las tales mugeres no puedan tener, ni tengan en ſu ſeruicio criadas menores de quarenta años.* Cuius quidem deciſionis ratio hone-
2 ſtatem, bonóſque mores proſpicit, cùm nil ita pudori, ac caſtitati ſit noxium, quã ſummę integritatis fœminas aliarum luxurioſe vitam degentium congreſſu, vſu ac familiaritate, vti. Hæc enim Hermionis *apud Euripedem in Andromache* doloris & querimoniæ cauſa legitur.

Malarum fœminarum introitus, ingemiſcit, *me perdiderunt.*
Quæ mihi loquentes hos blandè perſuaſerunt ſermones.

Et alibi.

Sed nunquam, nunquam (neque enim ſemel dicam)
Oportet prudentes, quibus eſt vxor,
Ad vxorem in domibus accedere ſinere
Mulieres, ipſæ enim præceptores ſunt malorum.

Sed propriùs & quaſi de re loquens dixit Eccleſiaſt. *cap. 19. verſ. 3. Qui ſe iungit fornicarijs, nequam erit*, ex quo electionis vas illi D. Paulus 1. *ad Corint. 1. Si quis* (inquit) *inter vos eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi cibum non ſumite.* Eueniet quippe, niſi improbatum, vel impudicarum mulierum, conſortia vitentur, illarum contage ſubuerti, quæ earum iniqua participatione fruuntur, *capit. ſæpè 28. quæſt. 1.* Mores enim à coniuncto formantur, *authentic. de Monachis, §. cogitandum*, vbi etiam 3
Gloſſa *de Monachis*, & probatur egregiè ex Iuriſconſ. *in l. Ædiles 25. §. Pædius ait ff de æditilio edicto*, ibi: *Vtputa ſi imitatione conſeruorum apud emptorem talis factus eſt aleator fortè, vel vinarius, vel erro euaſit* Proinde littorales ferè ſemper homines, & qui cir- 4
ca maris ripas habitant, immanitatis nonnihil ex immaniſſimo contrahunt elemento; ex quo *ſalſuginoſa vicinia* de illis quaſi prouerbialiter circumſerebatur, qui maris finitima crudelitate aſſiduè inficiantur, teſtante Eraſmo *adagiorum prima Chiliada, centuria 6. adagio 37.* Cui & magnoperè conuenit Plautianũ illud in mercatore: *Aliquid mali propter vicinum malum*, necnon & Plutarchi illud axioma, *in libello de liberis educandis: Si iuxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.* Vnde Pindarus.

Claudo vel vni ſi propinquus manſeris,
Diſces & ipſe claudicare protinus.

Iterum aſſentitur Plutarchus *in commentar. de ratione dignoſcendi, verum amicum ab adulatore*, vbi tantam habere vim aſsiduam cõſuetudinem ſcribit, vt imprudentes etiã imitemur vitia eorum, quibus conuiuimus. Cõſentit D. Ambroſ. 2. *de officijs: Plurimum*, inquit, *prodeſt vnicuique bonis iungi adoleſcentibus quoque vtile, vt claros, & ſapientes viros ſequantur: quoniam qui congreditur ſapientibus, ſapiens eſt; qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoſcitur, & ad inſtructionem itaque bonis iungi plurimum proficit, & ad probitatis teſtimonium: Oſtendunt enim adoleſcentes eorum ſe imitatores eſſe, quibus adhæſerint, & ea cõualeſcit opinio; quod ab ijs viuendi acceperint ſimilitudinem, cum quibus conuerſandi, hauſerint cupiditatem. Inde tantus Ieſus Naue, quòd eum non ſolùm erudiuit ad*

ad legis ſcientiam Moyſi copula, verū etiam ſanctificauit ad gratiam. Et infrà: *Pulchra itaque copula ſeniorum atque adoleſcentium, alij teſtimonio, alij ſolatio ſunt, alij magiſterio, alij delectationi.* Multa in propoſito adducit Ioannes Buſæus *de ſtatibus hominum, de ſtatu adoleſcentiæ, cap.* 3. & conducit Seneca *lib.* 3. *de ira*: *Sumuntur*, inquit, *à conuerſantibus mores, & vt quædam in contactis corpore vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus combibctores, in amorem vini traxit: impudicorum fœtus fortemque etſi liceat, virum emollit. Auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem, & diuerſa ratio virtutum eſt, vt omne quod ſecum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & ſalubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turbam aliorum verſari: quæ res quantum poſſit intelliges, ſi videris, feras quoque conuictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtiæ, vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt.*

Hinc appoſitè nimis Stephanus Forcatolus *in cupidine Iuriſperito capit.* 12. *num.* 1. cùm dubitaretur in *l.* 13. *C. de conditionibus inſertis*, an turpis eſſet conditio iniuncta alicui, habitandi cum focaria, ſiue cū meretrice teſtatoris (nil enim eſt aliud focaria quàm meretrix, vt ipſe Forcatulus *ibidem* probat) reſpondit eam licitam eſſe, ac parendi neceſſitatem inducere, cùm delegatarij ſenis perſona agitur, non verò cùm de iuuenis.

SVMMARIVM.

Vinum infantibus noxium. 1.
Regibus vinum niſi poſt decimumtertium annum dari conſueuerat. ibid.
Etiam puberibus, & iuuenibus vinum prohibetur. 2.
Vini potatio generat libidinem. ibid.
Immoderatus vini vſus impedit corporis augmentum, & ingenium hebetat. 3.
Vinum inflammat. 4.
An vinum alicui ætati, maximè ſenectuti conueniat? 5.
Quadragenarijs vinum conuenientiſſimum eſt. 6.
Plus vini in ſenectute bibendum 7. *& quare.* 8.
Legibus Romanorum non licebat fœminis vini potatio. 9.
Communio ſub vtraque ſpecie fuit ea ratione prohibita, ne pueris, aut fœminis vinum propinaretur. 10.
Fœminæ rariſſimè inclinantur.

QVÆSTIO V.

Vinum cui ætati conueniat?

Vinum infantibus noxium eſſe docet Ariſtoteles, non quidem *lib.* 7. *politic. cap.* 17. vt minùs verè teſtantur Cælius Rhodigin. *lib.* 28. *lect. antiquar. cap.* 28. & Martin Delrio 1. *tom. adagiali Sacro, adag.* 793. *in princip.* ſed *libro de ſomno & vigilia cap.* 4. *paulò ante finem*, cui conſentit Auicena *cap.* 8. *doct.* 2. *fen.* 3. *primi. Pueris vinum ſi offeras*, inquit, *perinde videri, ac ſi igni aggerere ignem perrexeris, materia præſertim debili ſuccenſa*, vnde *l.* 2. *tit.* 5. *p.* 2. *E por eſta razon*, inquit, *defienden los antiguos, que no dieſſen vino a los Reyes faſta que fueſſen de edad de treze años, è aun entonce meſuradamente, è temprado.* Quod nec recenter tantùm naris, verùm iam pubeſcentibus iuuenibus fuiſſe interdictum Auerroes inter medicæ profeſſionis ſectatores, nominis fere præcipui, autor eſt, *ſuper Auicenæ Canticis*, eo videlicet, quia his ætatibus vigeat præcipue calor, vt idem aſſerit, & optimè conteſtatur Hieronymus ita proferens: *Vinum & adoleſcentia duplex incendiū voluptatis, quid oleum, flammæ adijcimus? Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus?* & alibi *ad Furiam* iuueniles medullas, ait, vino plenas tanta libidine inflamari, vt nequeant conferri ignes Æthnæ. Sic Plinius *lib.* 14. *c.* 22. præmium ebrietatis, ſcribit, libidinem eſſe pernicioſam, & apud Plautum *in Bacchidibus.*

Iſthoc illecebroſius fieri nihil poteſt,
Nox, mulier, vinum homini adoleſcentulo.

Vnde ab Ariſtophane *apud Athenæū lib.* 10. vinum, lac Veneris dicitur, ipſo enim magnopere alitur, & excreſcit. Ita ſacri Canones ſufficienter demonſtrant in *cap. luxuriam* 7. 35. *diſtinct. Luxuriam*, inquit Proſperus, *facit & nutrit vini perceptio nimia, non natura, cap. venter* 5. *cap. vinolentum* 6. *eadem diſtinctione*: ex quo Apuleius *lib.* 2. *Met. Ecce, inquam*, de vino loquitur, *Veneris hortator, & armiger, liber aduenit vltrò, vinum iſtud ſorbeamus hodie omnes, quod nobis reſtinguat pudoris ignauiam, & alacrem vigorem libidinis incutiat.* Ergo meritò iuuenibus quaſi pernicioſa vini potatio inhibetur, ne illa nimis incalcentes libidine intemperatæ cupiditatis exardeſcant; & inſuper ne, vt Gelius ait *lib.* 4. *noct. Attic. c.* 19. Si nimio vino vtantur

tur hebetiores fiant, & improceres, minuſque adoleſcant: nam vt inquit Propertius.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

4 Sed alia & naturali quidē ratione vini vſum etiam adultis lethaliter officere perſuadere conatur Cœlius Rhodig. *dict. lib.* 28. *cap.* 29. Pueros, inquit, inſigniter vini hauſtu oblædi, quòd laxis rariſque ſint corporibus, & de inſiti caloris exuperantia inflāmari facilè valeant, neruis porrò imbecillibus admodum, nec cerebro item valido, quibus de cauſis in vini crebriori hauſtu multiplex ſeſe nocumentum promit.

5 Cæterùm, nec adultis tantùm, quinimò & ſenibus vinum nequaquam prodeſſe, niſi cum moderatione, vt ita temperatum iam decrepiti ebibant, vt ſit aromatites adiuncto mali punici acore, aut cidoneorum ſucco, & cucumeris, ſcribit Auerroes *vbi proximè.* Quocirca in illam adducitur ſentētiam Celius Rhodig. *in d. cap.* 28. vt exiſtimat, cuilibet ętati periculoſum vinum eſſe, eoque miratur minus Ariſtotelem *d. loco* ſcripſiſſe, pueris & nutricibus vinum haud quaquam impertiendum, quaſi ſcribere deberet, ne dum pueris, verùm adultis & ſenibus vini potum minime propinandum, cùm omni ętati noceat, vt ipſe interpretatur. Cuius expreſſe contrarium defendit ex noſtris Marcel. Fortunat. *de veritate & errore, part.* 2. *numer.* 155. vbi intrepidè audet affirmare, quod cùm vinum ſimile quid ſit calori naturali, citoque conuertatur in mundiſſimum & naturalem ſanguinem, omnibus ætatibus conueniens eſt.

6 Verumtamen quidquid Cælius ſenſerit, veriſſimam arbitror Galeni ſententiam, qui in ſanitatis moderamine inquit, ſicuti pueris inimiciſsimum cenſetur vinum, ita adultiori ętati accommodum maximè: cui adſtipulatur Delrius *loco ſuprà adducto*: non quidem ijs, quos vulgò adultos nuncupamus, ſcilicet quintum & viceſimum annum habentibus, vt placuit Gotophredo in *l.* 1. *C. quando tutores vel curatores eſſe deſinunt*, & Caluino *in Lexicon verb. ætas, verſicul. ætas prima*, ſed prouectioris & ſubſiſtentis ętatis, vt ipſemet interpretari videtur, *lib.* 5. *de ſanitate tuenda, cap.* 12. *Et tali quidem natura*, inquit, *mediocre profecto dandum eſt vinum, ſicut ipſa quoque mediocris eſt*: ergo cùm dixit adultiori ætati vinum acommodandum eſſe, de illa ętate ſubaudiendus erit, quæ mediocris vel ſubſiſtens à medicis appellatur, & quam Fernelius *lib.* 3. *part. natural. cap.* 10. ſtatuere videtur ante annum quinquageſimum. Quod clariùs definiſſe videtur quidam vir medicus, vt verbis Andreæ Laurentij vtar *tom.* 2. *ſuorum operum, tractat. de ſenectut. capit.* 7. omnium quotquot ex Arabica Schola prodierunt, celeberrimus Rhaſis dictus, ſcribit, iuuenes à vino abſtinere debere, ſed cùm ſtatim ad quadrageſimum peruenerunt, quotieſcumque illud conſpiciunt, aut redolent, ſummum Deum laudare, eique meritas agere debere gratias, quòd tam gratum, & amicum, naturæque noſtrę adeò familiarem ſuccum creauerit, quod ex Platone 2. *de legibus*, Arabs ille deſumpſit.

7 Igitur quidquid caueatur antiqua illa Romanorum lege, cuius meminit Petrus Ærodius *de iudicijs lib.* 4. *titul. de extraordinar. crimin. capit.* 31. de non guſtando vino, ſiue à viris, ſiue à fœminis à pube vſque ad trigeſimum annum à quadraqueſimo anno modico vino vtendum eſt, vt Galenus admonet, & interpretatur Rhaſis, donec ætas paulum ingraueſcat, & ad ſenectutem perueniat, quo tempore aliquantulum plus eſſe bibendum, ipſa ſenectutis debilis & frigida natura edocet, ita fortè vt vltra tertiam vicem in vnoquoque prandio poculum non contingatur, *cap. quando presbyteri* 9. 44. *diſtinct.* ex quo antiquitus circumferebatur parœmia illa: *Senes non minus vino quàm aquilas cadauerum ſucco bibere.* Nec mirum quidem, cum adeò vinum ſenibus conuenire credatur, vt paſſim lac ſenum vocitetur, vt præter ſupra citatos docet Vliſſes Aldrouand. *ornithologiæ lib.* 1. *§. de moribus aquilæ, fol. mihi* 26. indeque ſcribit Plato *dict. l.* 2. *de legibus*. Deos hominibus vinum quaſi remedium aduerſus ſenectutis duritiem eſſe largitos, vt reiuueneſcere videamur, & mæſtitię nos obliuio capiat, ipſaque affectio animi, ſicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat. Quidquid aliud placuerit Marcello Fortunato *ſuprà*, illis verbis: *Decrepitis autem*, de vino loquitur, *quamuis optimum videatur ad confortandum corpora eorum, & ad augendum calorem naturalem, & excludendam humorum ſuperfluitatem*; *tamen multò minùs quàm iuuenes bibant eiuſdem vini quantitatem.*

8 Quod ea ratione ſenibus maximè conuenire putat Cœlius *dict. cap.* 29. & Vlyſ. Aldrouand. *vbi ſuprà*, quia aduentitium ipſorum frigus, eo recaleſcit, ſpirituum exhilaratur triſtitia, bilis atræ vis reprimitur redundans, ſomni conciliatur appetentia, præfacti recluduntur meatus, renidet denique ætatis laſſitudo vniuerſa. quam etiā in-

inſinuaſſe videtur Andreas Laurent. *d.tract. de ſenectute c.7.*

9 An autem in fœminis idem dicendum ſit? ſtatuendum ſupereſt. Et quidem ſi Romanorum legibus adherendum eſt, facile erit definire cum mulieres ipſorum conſtitutionibus vſque adeò toto vitæ tempore vino abſtinerent, vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necarint. Idcirco ſcribit Tertullian. *in Apologet. cap.6.* & oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, vt ſpiritu iudicarentur. Probat Arnobius *lib.2.* potionibus abſtinuiſſe vini, & Lactantius *lib.1. cap.22.* Plinius *lib.4. capit. 13.* vbi ait: *Non licebat id*(vinum) *fœminis Romæ bibere.* Idem teſtatur Valerius *lib.2. cap.1.* & alij quamplures, quorum meminit Ludouicus de la Cerda in *dict.cap.6. Tertulliani numer.195. cum ſequentibus,* niſi ſacrorum cauſa certis diebus, adijcit Fortunatus *vbi proximè*, & apud Maſilienſes *vbi ſuprà*, lex iubebat, vt omnium ætatum fœminæ aquam biberent, refert Petrus Ærodius *vbi ſuprà* quo loco multa conducentia congerit. Quapropter Sponſam Chriſti vinum fugere debere, vt venenum, libris noſtris cauetur in *dict. capit. vinolentum 6. 35. diſtin.* quia vinum & ebrietas incendium, imò luxuria eſt, vt affatim demon- 10
ſtrauimus, tradit Fuſcus *de viſitatione lib. 2. cap. 18. num. 48.* Quod ita Eccleſia tenet, vt vel hac ſolâ de cauſa prohibuerit communionem corporis Chriſti etiam ſub ſpecie vini, ne paruuli & mulieres, à quibus omnino vinum abeſſe debet, hac occaſione ab ipſius frequentia retraherentur, vtpotè egregiè notat P. Petrus de Ieſus Maria *in ſufficientia concionatorum, tract.9.c.6. ad finem.* 11

At verò quia fœminarum natura frigidiſſima eſt, qua ratione rariſſime inebriari illas, docet Plutarchus *lib. Sympoſiacon 3. capit. item 3.* necnon & Macrobius *Saturnalium lib.7. capit.7.* vbi Plutarchi non meminit, licèt quæcumque in illo capit. continentur, ab illo ſumpſerit, vt notauit Tiraquellus in *l. 9. connubiali part. 9. gloſ. 1. num. 210.* vini vſum ipſis eadem ferme ætate ac viris, aut paulò minori, ob citiſſimam illarum ſenectutem, neceſſariſſimum ſuccenſeo: ſed cum modò, & non vſque ad temulentiã, alioqui exitioſum potiùs, quã vtile, & beneficum eis vinum reputabitur.

A N N V S
QVADRAGESIMVSTERTIVS.

SVMMARIVM.

QVadrageſimuſtertius annus fuit ætas Conſulatui deputata. 1.

Ratio traditur, quare hìc annorum numerus ſit ad Conſulatum neceſſarius. 2.

Ob inſignem alicuius virtutem recedebatur à preſcripta Conſulatus ætate. 3.

L. vnic. verſ. Sed ſi euenerit, ff. de offic. Conſulis.
L. ſi rogatus 20. §. fin. ff. de manumiſ. vindict. } *explicantur.* 4

Benemeritus de Republica poſt decimumquartum annum poterat ad Conſulatum admitti. 5.

Iurati cuius ætatis eſſe debeant? 6.

QVÆSTIO VNICA.

Conſulatui quæ fuerit ætas præſcripta, & quæ ſit hodie ad iurati munus?

ADoleſcentiæ temeritatem verentes, vt Autor eſt Cicero, 1
Philippica 5. paulò ante finem, leges annariæ grandiorem ætatem ad Conſulatum conſtituebant, ſcilicet trium & quadraginta annorũ, veluti idem Cicero explicat his verbis, *de Alexandro Macedone* ſcriptis: *Nonnè tertiò & triceſimo ano mortem obijt quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor quàm Conſularis?*

laris? & eandem deſignat Alexand. ab Alex. *dierum genial. lib. 3. cap. 3. in ipſius calce*, ira: *Illud quoque non omittendum, quòd licet Imperium Conſulare annuum eſſet, nulliquè niſi exacto quadrageſimo & tertio ætatis anno Conſulatum capere, anteà licuerit*. Et his aſſentientes Petrus Gregorius *lib. 47. ſyntagmat. capit. 15. numer. 17. & ſuper Decretal. titul. de electione cap. 11. num. 6.* vbi priſcis legibus Romanis conſtitutum ſcribit, ne quis conſulatum ante quadrageſimum annum peteret, neve ante quadrageſimumtertium gerere poſſet, Philippus Broidæus *in Corollario ad dict. capit. 8. lib. 5. Hiſtoriæ fori Romani Franciſci Polleti num.* 1. Vincent. Turruret. *in parallel. ethicis & iuridicis, diſertat.* 15. *circa principium*, à quibus neſcio qua ratione tantum diſcedunt Ioann. Corraſ. *in l. vnica numer. 12. ff. de officio Conſul. & eo relato*, Iacob. Menochi. *de arbitr. lib. 2. centur. 6. caſu* 540. *n.* 5. falsò profetentes, Romanos lege lata cauiſſe, ne quis ante vigeſimumquintum annum Conſulatum peteret, quandoque vt notauimus ex Cicerone (quem licèt Corraſius adducit, eum minimè legit) ipſa lege huius ętatis adoleſcentes omnino à Conſulatu arcebantur, donec annum tertium & quadrageſimum agerent. Non quidem extremè & mathematicè, vt aiunt, exactum, veluti ex verbis Alexandri ab Alexandro *ſuprà* relatis patet: ſed cœptum, & inchoatum, vt magis placuit Broidæo *loco vbi proximè*.

2 An autem hæc ætas ideò eſſet annarijs legibus requiſita, quia ſemper prudentiſſima fuit habita, vt alibi notauimus? videant alij. Mihi tamen potiùs arridet, nulla alia ratione leges illam expoſtulaſſe, quàm quia ad Ptęturam, quæ dignitas erat immediatè Conſulari antecedens, quadrageſimum annum deſiderabatur, vt vtrumque docet Broidęus *dict. loco* vnde cùm ex ſententia Petri Gregorij *dict. cap. 15. num. 10.* inter omnes Magiſtratus biennium perfectum intereſſe debuiſſet, non anteà Conſulatus neceſſario adipiſci poterat, quàm annus quadrageſimustertius ætatis fuiſſet inceptus.

3 Quod non ita perpetuum erat, quin ob excellentem, eximiamque aliquorum virtutem, & Magiſtratuum ordo peruerteretur, & progreſſus ætatis ſpectari non oporteret, vtporè in Scipione Africano conſpicitur, cui primùm Ædilitatem, deinde Conſulatum populus Romanus ob inſignem eius virtutem ante legitimum tempus detulit, vti Liuius *lib.* 21. Alexand. ab Alexand. *dict. capit. 15. in fine*, Corraſ. & Broidæus *dictis in locis* referunt, alia in huius veritatis confirmationem adducentes, quæ illam abſque dubio irrefragabilem reddunt.

Hinc veram lucem accipiunt Iuriſconſulti reſponſa in *dict. l. vnica, verſicul. Sed ſi euenerit, ff. de officio Conſulis, & in l. ſi rogatus* 20. §. *fin. de manumiſſ. vindicta*, quibus euenire poſſe ſcribitur, minorem viginti annis Conſulem eſſe. Quod ex magna ſcilicet cauſa intelligendum eſt, vt merito in *dict. l. vnica numer.* 19. admonet Corraſius; non quod iure communi liceat. 4
Nam vt prope notauimus, quadrageſimus tertius annus eò requirebatur, niſi anteà aliquid dignum operæ pretium, veluti Alexand. ab Alexand. loquitur, Reipublicæ fuiſſet ab aliquo præſtitum, quod dignum conſulari remuneratione fuiſſet: nam tunc poſt decimumquartum annum hæc ſuprema dignitas dari conſueuerat, quod cùm prorſus Philippum Mattheum latuiſſet *in l. 2. §. 1. num. 4. ff. de regul. iuris*, abſolutè, & quidem perperam ex *d. l. vnica* docuit puberem, qui decimumquartum annum exceſsit, Magiſtratum gerere potuiſſe. 5

Verùm cùm Conſularis hæc dignitas fuerit obſoleta, & omnino extincta, licèt eodem nomine inferiora aliqua munera noſtris temporibus inſigniantur, vt Hiſpali, ad ſimilitudinem eorum, de quibus in *cap. licet ex ſuſcepto* 10. *de foro competenti*; non tamen eadem quadrageſimi & tertij anni ætate praciſè geri debent. Sed vel inferiori, aut maiori, vt vniuſcuiuſque ciuitatis aut oppidi iura expoſtulant, vnde in hac ciuitate Toletana, alijſque huius Regni, Iurati, qui his inferioribus Conſulibus reſpondent, vt obſeruat Petrus Gregor. *dict. cap. 15. num. 4.* decimooctauo anno expleto eſſe debent, ex *l. 16. tit. 3. lib. 7. nouæ Recollectionis*. 6

ANNVS QVADRAGESIMVSQVINTVS.

SVMMARIVM.

Communis ſententia docet poſt quinquageſimum annum potentiam concipiendi in fœminis abſumi. 1.

Idem teſtantur nonnulli ex medicis. 2.

Quinquagenariæ mulieres à nuptijs remouebantur. 3.

Quinquagenariæ fœminæ partus mirabilis appellatur. 4.

Multi docent elapſo quadrageſimo ætatis anno ſterilitatem mulieribus aduenire. 5.

Verius eſt, quintum & quadrageſimum annum fœminis concipiendi terminum eſſe. 6.

Nonnullæ mulieres, etiam in ſenectute partus ediderunt. 7.

Fundamentis aduerſantium opinionum reſpondetur. 8. *& ſequent.*

L. ſi ſterilis 21 *ff. de actionibus empti, nouiter intelligitur.* 10.

Spes vendi poteſt. 11.

L. ſi quis maior 12. *C. de legitim. hæred. explicatur.* 12.

Plinius quantum potuit ab Ariſtotelis opinionibus diſſenſit. 13.

QVÆSTIO VNICA.

Concipiendi facultas in fœminis ad quod vitæ tempus producatur?

1 NVlla in re magis concors, vnanimiſque omnium exiſtit ſententia, quàm in deſignanda ætate, qua ex naturę præſcripto fœminis concipiendi poteſtas abſumitur, vno inquam ore Interpretes fatentur quinquageſimo anno hoc contingere: ita Solinus *Polyhiſtor. capit.* 4. Paulus Pariſius *conſilio* 29. *numer.* 12. *volum.* 2. Socinus *conſilio* 126. *volum.* 2. Tiraquellus *in l.* 6. *connubiali, num.* 22. Vacon. *tom.* 2. *commun. opinion. lib.* 8. *titul.* 30. *de adoptionibus numer.* 6. Menochius *de præſumptionibus lib* 5. *quæſt.* 24. *à num.* 4. *& lib.* 6. *quæſt.* 42. *num.* 29. *& q.* 53. *num.* 17. necnon *& lib.* 2. *de arbitrarijs cent.* 1. *caſu* 89. *num.* 58. Boſius *tit. de partu ſuppoſito num.* 15. Petrus Gregor. *ſyntagm. lib.* 9. *cap.* 6. *numer.* 3. Barnab. Briſon. *de iure connubiorum, fol.* 32. Stephanus Forcat. *in cupidin. Iuriſperito capit.* 15. *numer.* 5. Ripa *de nocturno tempore cap.* 162. *n.* 4. Maſcard. *de probationib. concluſ.* 1147. *à nu.* 4. Farinacius *de falſitat. q.* 150. *n.* 252. P. Thom. Sanchez *de matrimonio lib.* 7. *diſputat.* 32. *num.* 16. *verſ. At minori ætate*, Caldas Pereira *de poteſtat. eligendi cap.* 4. *num.* 6. Valençuel. Velazquez *conſ.* 96. *à numer.* 13. Emanuel Barboſa *in remiſſionibus ad leges Luſitaniæ lib.* 4. *tit.* 105. *num.* 1. vbi plures caſus refert, Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ hominis cap.* 10. *num.* 30. Alphonſus Carrança *diſput. de vera humani partus deſignatione cap.* 5. *num.* 67. & Auguſtinus Barboſa *in collectanea ad c.* 2. *n.* 8. *de frigid. & maleficiatis.*

Quæ omnium receptiſſima ſententia aliquibus neque contemnendis rationibus fulcitur. Prima; quia ſic naturales fatentur, vt videre eſt apud Ariſtotel. *lib.* 7. *de Hiſtoria animalium capit.* 5. vbi nonnullas quinquageſimo anno peperiſſe memorat, & *lib.* 5. *capit.* 14. ibi: *Homo mas ad annum vſque ſeptuageſimum, videlicet, termino vltimo poteſt generare; fœmina vſque ad quinquageſimum;* ſimiliter *lib.* 7. *Politicorum capit.* 16. his verbis: *Nam cùm ſit finis gignendi, vt plurimum, viris quidem ſeptuageſimus annus, mulieribus autem quinquageſimus.* Adſtipulatur Plinius *lib.* 7. *naturalis hiſtoriæ capit.* 14. illo verſiculo: *Mulier poſt quinquageſimum annum non gignit.* Quibus conſentiunt Hippocrates *lib.* 2. *popul. part.* 2

part. 1. textu 18. vbi id Cotiarij vxore com probat, quæ cùm iam eſſet mēſtruis orbata, & multos annos habuiſſet, filium conceperat, non ſine magna multorum admiratione, Bottonus *lib. 2. de morbis mulier. cap. 8.* Ludouic. Mercatus *de ſterilium & prægnãtium affectionibus lib. 3. cap. 2. de fœminæ ſterilitate per collationem ad virum, verſ. Coniugum præter hæc omnia.*

3 Secundò probatur legis Iuliæ & Papiæ teſtimonio, qua quinquagenarię mulieres ea ratione à nuptijs remouebantur, quia vt Dionyſius Alicarnaſeus refert *lib. 4. antiquitatum Romanorum*, exiſtimabatur, quinquageſimum annum pariendi, vterumque geſtandi terminum eſſe, *l. ſancimus 27. C. de nuptijs.* Cuius rei cupidis plura inferiùs ſuppeditabit ſimilis illa altera diſceptatio, vſque quo generandi virtus in maſculis perduret?

4 Deinde tertio loco roboratur hæc ſententia Pauli reſponſo *in l. ſi ſterilis 11. in principio, ff. de actionibus empti*, ibi: *Si ſterilis ancilla ſit, cuius partus venit, vel maior annis quinquaginta, cùm id emptor ignorauerit, ex empto tenetur venditor.* Necnon & Imperatoris reſcripto *in l. ſi maior 12. C. de legitimis hæredibus*, vbi quinquagenariæ mulieris partum mirabilem appellat Iuſtinianus.

5 Alia eſt ſententia exiſtimantium quadrageſimum annum fœminis generandi finem addùcere, ita Fulgoſius *conſil. 212. columna penultima, circa medium*, Ægidius Boſius *in practica, titul. de partu ſuppoſito numer. 15.* Farinacius *dict. quæſt. 150. numer 252.* quorum reſolutio doctiſsimi Plinij expreſſa autoritate iuuatur *d. cap. 14.* vbi poſtquam mulierem tranſacto iam quinquageſimo anno minimè gignere edixerat: *Maiorque pars*, inquit, *quadrageſimo profluuium genitale ſiſtit.*

6 Verùm ego nec iſtorum, nec illorum opinioni ſecurè acquieſcendum, ſed media via incedendum eſſe puto: quapropter in eã ſum exiſtimatione, vt indubitanter cenſeam non quinquageſimum vel quadrageſimum, ſed quintum & quadrageſimum annum regulariter mulieribus concipiendi terminum eſſe: moueor enim in hanc ſententiam irrefragabili Principis Philoſophiæ autoritate *dict. lib. 5. Hiſtoriæ animalium capit. 14.* cuius hæc manifeſta verba illud proculdubio euincunt: *Homo mas ad annum vſque ſeptuageſimum, videlicet termino vltimo poteſt generare, fœmina vſque ad quinquageſimum: verùm id raro, paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata eſt, ſed magna ex parte maribus quintus & ſexageſimus annus finis progenerandi eſt, fœminis quintus & quadrageſimus.* Cui penè eiſdem verbis conſentit Philippus Maſſarius *lib. 4. practicæ medicæ capit. 6. Sed quod ad rem noſtram*, eandem diſputans quæſtionem, inquit, *illud eſt certum, generationis terminum ac finem deſinitum fuiſſe, viris quidem ad ſummum annum ſeptuageſimum, fœminis verò quinquageſimum. Verùm id raròpaucis contingit, ſed magna ex parte maribus ſexageſimus quintus finis generandi eſt, & fœminis quadrageſimus quintus.* Subſcribit etiam Ludouicus Mercatus *lib. 1. de communibus mulierum affectibus capit. 4. circa principium*, aſſerens, rarò fœminas à quadrageſimo quinto vlterius fœcundas eſſe contingere: in quam opinionem inclinari videntur Fulgoſius, Ægidius, & Farinacius locis ſuprà pro ſecunda concluſione adductis, dum mulierē quadrageſimum annum excedere expoſtulant, vt ſterilis, & ad concipiendum inepta credatur. Et in expreſſo, quòd quadrageſimo ſexto anno, ideſt poſt quintum & quadrageſimum quieſcat in fœminis generandi potentia, nouiter reſoluit Acatius Antonius Ripol. *reſolutionum variarum capit. 8. numer. 271.*

Cuius ſententiæ illa ratio exhiberi poteſt; quia licèt hoc tempore fœmina concipere poſsit, vt quamplurium mulierum teſtimonia demonſtrant, quæ etiam maiori ætate partus ediderunt, de quibus per Barboſam, Carrançam, & alios *vbi proximè*: illud autem per accidens, & inſolitum eſt, ac per conſequens minimè ad conſequentiam adducendum, argumento *l. nam ad ea, ff. de legibus.* Quod autem frequentius accidit, & communiter experitur, id erit inſpiciendum: vnde cùm ferè ſemper contingat, quinto iam & quadrageſimo anno exacto, vel in fœminis genitale profluuium ſiſtere, vt Plinius ait; vel adeò, ſi quod habent, frigeſcere, vt vix poſsit generationi deſeruire, ex traditis à Fulgoſio, Ægidio, & Farinacio *vbi proximè.* Hinc eſt, hac ætate mulieres neque immeritò à Philoſophis ſteriles & effœtas reputari. 7

Nec à ſuſceptæ opinionis curſu depellent, quæ in vtriuſque ſuperioris aduerſæ ſententiæ fulcimentum ab interpretibus adducuntur. Non vtique ea, quibus prima initi videtur, ſiquidem Ariſtotelis omnia illa verba è diuerſis locis decerpta, vel tantùm quaſi mirum, & præter ordina-

rium naturæ curſum referunt; aliquando quinquagenarias fœminas vterum geſtaſſe, & in lucem emiſiſſe, vel ipſas etiamſi pariendi nimia fœcunditate polleant, ad quinquageſimum tantùm annum, vt in ſummum gignere poſſe. Quod in cauſa eſſe non debet, quominus eiuſdem Ariſtotelis ſententiam, quam nos probamus, nempe quinto & quadrageſimo ætatis anno, fœmininum prolificandi terminum eſſe, veram profiteamur. Cùm hoc ſecundùm communiter accidentia fuerit definitum, illud verò, vt ſæpiùs dixi, vel fere nunquam, vel ratò eueniat, vnde in conſideratione eſſe non debet, vt inde communis regula deſumatur.

9 Et minus refragatur Iuliæ legis & Papiæ autoritas ſecundo loco pro eadem ſententia inducta, quia vt alibi dixiſſe recordor, Tiberius Imperator huius legis conditor falſa opinione ductus exiſtimauit, ſexageſimum annum in maſculis, & quinquageſimum in fœminis vltimum eſſe procreationis terminum; quod poſteà quaſi incertum à D. Claudio rectè immutatum eſt, vt ex Suetonio *in eius vita* apparet *capit.* 23. & Alexandro ab Alexandro *lib.* 4. *dierum genialium cap.* 22. refert Barnabas Briſon. *lib. de iure connubi. fol. mihi* 34. eiuſque emendationis extat teſtimonium in *dict. l. ſancimus* 27. *C. de nuptijs*: ergo cùm falſitatis obtentu prædicta lex fuerit abrogata, vix aliquid certi, quod noſtræ opinioni obſiſtat, ex ea elici ab aduerſantibus poteſt.

10 Nec fortiùs vrget tertium ipſorum fundamentum deſumptum ex *dict. l. ſi ſterilis* 21. *ff. de actionibus empti*, quia, vt verba ſuadent, ibi principaliter non agebatur de aſſignanda certa, & determinata ætate; qua frequenter mulieres inhabiles conceptioni redduntur, ſed potiùs illum ætatis terminum præſcribere Iuriſconſulto cordi fuit, quo præter miraculum, & ſtuporem partus ſperari non poteſt. Acciderat enim illa ſpecie, cuiuſdam ancillæ fœtum fuiſſe venditum, & vt propriùs dicam, quod ex quadam ancilla ſperabatur, veniret: ſed cùm illam dominus ſterilem, ſiue quinquagenariam eſſe ſciret; quapropter & pariendi facultate orbatam, inquit Conſultus, fraudis cauſa ex empto venditorem teneri: quoniam licèt ſpes ſit in commercio, & vendi poſſit, *l. ex empto* 11. aliàs *l. emptorem*, *§. vltim. ff. eodem*, *l. nec emptio* 8. *ff. de contrahenda emptione*, nec venditor, etiamſi euentus non ſequatur, aliqua actione teneatur, *dict. §. vltim. l. ſi iactum retis* 12. *ff. de action. empti*, *l. nam hoc modo* 11. *ff. de hæreditat. vel action. vendita*: nihilominus in præſenti ſpes vendi non potuit; nam vt inquit optimè in *dict. l.* Anton. Faber, quiſquis futurum ancillæ partum vendit, neceſſe eſt aſſeueret, vel prægnantem ancillam eſſe, vel ſaltem fieri prægnantem poſſe: quod vtrumque impoſſibile eſt, ſi ſterilis, vel quinquagenaria ſit ancilla, cùm huius ætatis fœmina, etſi aliquando partum ediderit, ita miraculo ſit proximum, vt illum mirabilem rectè appellet Imperator in *dict. l. ſi quis maior* 12. & iuris præſumptionem contrà ſe habere, ex multis doceat Pariſ. *dict. conſil.* 29. *num.* 46. *volum.* 2. quòd tale partum ſuppoſitum, & non legitimum ſit. Ergo hoc in caſu illam ętatem deſignaret Conſultus operæpretium erat, non qua regulariter fœminæ à generatione arcentur, qualis quinti & quadrageſimi anni eſt, ſed qua ad ſummum, & velut termino vltimo, etiam quæ maximè pariunt, concipere poſſunt, quã cùm quinquageſimi anni eſſe Philoſophus teſtetur *dict. lib.* 5. *Hiſtoriæ animal. capit.* 14. ibi: *Homo mas ad annum vſque ſeptuageſimum videlicet termino vltimo poteſt generare, fœmina vſque ad quinquageſimum*: & repetit ferè omnibus in locis ſuprà relatis, & indicare videtur Solinus in
Polyhiſtoria cap. 4. hinc eſt, Paulum quin- 11
quagenariam ancillam conſtituiſſe illam, ex qua vendita partus ſpes erat, vt clariùs liqueret, emptorem fuiſſe ſcienter à venditore deceptum; eoquòd talis mulieris partum ei vendiderat, quam ſciebat ratione prouectioris ætatis citra miraculum parere non poſſe.

Ex quibus infertur, necquidquam ob- 12
ſtare Imperatoris reſcriptum in *dict. l. ſi quis maior* 12. *C. de legitim. hæredibus*. Nam ibi non probatur, quinquageſimum annum pariendi terminum eſſe; ſed potiùs quadrageſimum & quintum annum excedentem, ac per conſequens quinquagenariam non ſine miraculo parere: cùm id etſi aliquando eueniat, ita ſit raro, vt ſine admiratione percipi non poſſit. Nos verò illud definimus, quod frequenter in fœminis natura operatur, & quod ipſis commune eſt.

Supereſt ergo, vt vnico ſecundæ opinio- 13
nis fundamento reſponſum præbeamus, vt magis noſtræ ſententiæ veritas illuceſcat: aſſerit enim Plinius *loco ſuprà enarrato*, maiorem partem fœminarum quadrageſimo anno genitale profluuium amittere, quo maximè Ariſtotelis, noſtræque ſententiæ contrariatur. Et fateor, niſi hoc loco

loco magis dictum, minuſque ſcriptum aſſeramus, ne tanto Philoſopho obſiſtere videatur: quamuis illum adeò diſſentiendi ab Ariſtotelis opinionibus libidine fuiſſe delectatum, Turnebus memoret *lib. 22. aduerſariorum c. 4.* vt nõ rarò ab eo diſcedat. Sed vtut ſit, magis enim hac parte Ariſtotelicæ, quàm Plinianę ſententiæ deferendum, illius autoritas, & in Philoſophia principatus, iſtiuſque vel contradicendi auiditas, vel ſuſpecta fides, de qua maximè notatur, ſummoperè compellunt.

ANNVS QVADRAGESIMVSSEXTVS.

SVMMARIVM.

E*Vocare, quid ſignificet.* 1.
Euocatus miles, Græcè Anacletus dicitur. 2.
Quadrageſimo ætatis anno miles euocati nomen merebatur. 3.

QVÆSTIO VNICA.

Ad euocatorum militiam.

3 EVocati milites ideò ſic dicti, quia precibus, rogatione, & id generis inuitationibus, è ſocijs, ex equite, expediteque deligebantur, cùm euocare pro elicere aliquid precibus, & blando ſermone accipiatur: vnde euocare deos Plinius *lib. 28. c. 2.* Macrob. *lib. 3. Saturnal. c. 8.* Liuius *lib. 5. ab vrbe condita*, necnõ & pro ex ſegregatis & diuerſis locis diuerſos cogere, euocationis vſurpatur vocabulũ, Cicer. *pro Rabirio*, & expreſſiùs Cæſar 1. *Belli ciuilis, Magnus numerus*, inquit, *equitum Romanorum, & Decurionum, quos ex municipijs Domitius euocauerat*, & Lucanus *lib. 1. Sparſas*
2 *cohortes euocare*, dixit. Hi, inquam, quos Anacletos Græcè nuncupatos Dio his verbis teſtatur: *Euocatorũ manus, quos aliquis Anacletos Græcè, quaſi reuocatos, quòd defuncti militia iterum ad eam reciſcantur, dixerit*, veterani enim fuerunt, inſinuante etiam Lipſio *lib. 1. de militia Romana, dialogo 5.* gnari, prudenteſque militię, qui expletis ſtipẽdijs, ſponte gratia Conſulũ, aut Ducũ militiã ſubibant. Qua ætate ſic lecti euocati nominarentur? Nec obuium eſt, fateor, me nuſquam legiſſe, alius fortè. Coniecturis ergo hoc eliciendum arbitror. Ex illis fuiſſe certum eſt, qui iam militia perfuncti emerita ſtipendia habebant: quare, & à militia vacantes, nec
eius legibus comprehenſi: igitur ſic lectos, 1
hoc euocatorum nomen non ante annũ quadrageſimumſextũ vel quinquageſimum ſortitos exiſtimo, cùm illa ætate milites vacationem à militia, & veteranorum priuilegia impetraſſe, latiùs proprio loco tradiderimus pro mille teſtis mihi Dionyſius de L. Siccio omnia quaſi adamuſſim exprimens: *Erat in iſtis*, inquit, *L. Siccius, qui cohortem ducebat virorum octingentorum, qui iam ſupra ætatem militarem erant, nec in militiæ leges cadebant (vti nec ipſe Siccius) honorantes tamen virum, & benificijs pluribus ab eo affecti, euntem ad bellum noluerunt deſerere; atque erat hæc manus exercitus totius, ſiue præliorum peritia, ſiue in periculis conſtantia longè Princeps.* Quid non de euocatis Dionyſium locutum, his verbis pronuntiat? Omnia quæ de eorum delectu ex veterum monumentis cõgeſſimus, breui oratione receſuit, & quod magis eſt, noſtram de illorum ætate ſuſpicionem, *Qui iam ſupra ætatem*, inquit, *militarem erant, nec in militiæ leges cadebant, veterani ergo fuerunt*, nil aliud ſignificat, militarem ætatem tranſegiſſe, & militiæ legibus iam non teneri, qui euocatorum muneri & nomini adigebantur, quàm annos quadrageſimumſextum, aut quinquageſimum attigiſſe, quorum altero militia & ſtipendia implebantur.

ANNVS QVADRAGESIMVSSEPTIMVS.

SVMMARIVM.

Aedilium cura circa plura verſabatur, & præcipuè cira rerum venaliũ pretium, & menſuram. 1.

Iu omne ad Ædiles antiquitus ſpectabat, quod hodie apud noſtros illis qui vernacula lingua Fieles executores *dicuntur, incumbit.* 2.

Ædilium ætas quæ fuerit? 3.

Ædiles, Magiſtratus Curules appellabantur. 4.

A Magiſtratu ad Magiſtratum, biennium intercedere debebat ibid.

Fiel executor, *an certæ alicuius ætatis eſſe debeat?* 5.

QVÆSTIO VNICA.

Vt quis Ædilis fieret, & apud noſtros ſit Fiel executor?

1 FRequens enim eſt in iure noſtro Ædilium mentio: nam vt inquit Cicero *lib.* 2. *officior.* maximum eorũ munus erat, cùm altiora, & præſtãtiora obirent, ex quibus quam plura refert Petr. Gregor. *ſyntagm. iuris lib.* 47. *cap.* 31. *à numer.* 6. *cum ſequent.* Guid. Pancirol. *de magiſtratib. municipalibus, cap.* 19. & vt prçcipuũ, ius quod de macello dicebant, & curam illam, quam circa forum venale, & venalia ipſa gerebant, propoſitis edictis, vt res ſine vitio & morbo, iuſtoque pretio, pondere, & menſura venderentur. Vnde ſi pondera, & menſuras improbas reperiebant, publice frãgebant, *l. item quæritur* 13. §. *ſi quis menſuras, ff. locati,* meminit Iuuenal *ſatyr.* 10.

Et de menſura vis dicere, vaſa minora
Frangere, pannoſus vacuus Ædilis.

Et Perſ. *ſatyr.* 3.

Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas.

Quorum omnium, vt obſeruat Petr. Greg. *vbi proximè num.* 7. cura & ſolicitudo ad Politicos Decuriones noſtri temporis ſpectat, præſertim ad eos, qui ſingulis menſibus, ſaltim apud noſtros, in id deputantur, quos *Fieles executores* dicimus, & quibus poteſtatem ineſſe citra ordinem & figuram iudicij multandi vſque ad ſummam ducentorum marapetinorum laniones, piſtores, & cæteros huiuſce generis officiales, contra edicta, ſiue, vt dicimus, *Aranceles*, vendentes, docet Bobadilla *in Politica lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 135. vt & antiquitus Ædilibus poteſtas erat flagellandi in vendendis vtenſilibus delinquentes, *l. eos* 12. *ff. de Decurionibus.* 2

Eiuſmodi igitur Ædiles non niſi certa ætate creari poterant: ſic colligitur ex Latino Pacato *in panegyrico ad Theodoſium*, illis verbis: *Cuius quidem rei ita fuit cura maioribus, vt non ſolùm in ampliſſimis Magiſtratibus adipiſcendis, ſed in Præturis quoque, aut Ædilitatibus capeſſendis ætas ſpectata ſit peritorum, nec quicquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occuparit.* Sed quæ fuerit hæc ætas non ſatis inter Scriptores liquet, cùm inuicem hàc de re contrarientur. Nam Gruechius *lib.* 1. *de Comitijs Romanor. cap.* 3. Liuius *lib.* 10. *decad.* 4. Petr. Gregor. *ſuper Decretal. titul. de electione, c.* 11. *num.* 6. referunt, non licuiſſe Ædilitatem ante vigeſimumſextum annum petere, nec ante vigeſimumſeptimum eam gerere: quibus adſtipulari videtur Vincent. Turturet. *in parallelis ethicis & iuridicis, diſſertat.* 15. *in principio*, aſſerens apud Romanos ad ineundos Magiſtratus Curules (ita enim Ædiles appellabantur, vt ex Cicerone *lib.* 6. *epiſtol. ad Atticum* 108. notauit Petr. Gregor. *dict. lib.* 47. *cap.* 31. *num.* 4.) vigeſimum- 3

mumſeptimum annum tantundem fuiſſe requiſitum. Quod omnino diſplicuit Philippo Broideo *in corollario ad d. cap. 7. lib. 2. Hiſtoriæ fori Romani Franciſci Polleti, num. 2. & in corollario à d. cap. 8. lib. 5. num. 1.* cui magis probatur Ædilitatem poſt annos ſeptem & triginta dari conſueram; & ſi verum eſt, quod ipſe Broideus recenſet, & fatetur ipſe Petr. Gregor. *dict. lib. 47. cap. 15. numer. 10.* nempe Ædilatum tertium honorem fuiſſe ad conſequendum vltimum Conſulatus: vix credi poteſt ad illum vigeſimumſeptimum annum requiſitum, cùm ad Tribunatum, quæ inferior dignitas fuit, & ſecunda in ordine ad Conſulatum, triginta anni deſiderarentur. Probabilius enim apparet maiorem annorum numerum ad illud munus fuiſſe deſideratum, quod maioris erat honoris, & dignitatis, alioqui inconcinna eſſet, & parum ordinata ætatum hæc deſcriptio, præſertim cùm eodem Petro Gregorio Autore *dict. capit. 15. numer. 10.* nemo poſſet à Quæſtura ad Tribunatum, à Tribunatu ad Ædilitatem, ab Ædilitate ad Præturam, à Prætura ad Conſulatum aſcendere, niſi inter omnes iſtos Magiſtratus ſaltim biennium intereſſet.

Illud autem hîc notare non deſinam, 5
quod ſuperiorum velut conſectarium exiſtit: ſcilicet apud noſtros nullam horum Ædilium, ſeu Decurionum, quos *Fieles executores* appellari diximus, determinatam eſſe ætatem, imò ipſam Decurionatus, huic muneri congruam haberi; vnde hi omnes indiſtinctè ad id deputantur, qui Decurionatus honore fulgenr. Nam ex quo ipſi Concilio hæc munera, vel ex priuilegio, aut venditione Regia fuerunt adiuncta, vt obſeruat Bobadilla *vbi ſuprà*, nil aliud deſideratur ad ex exercenda, quàm quòd ſint Decuriones cæterorum ſuffragijs electi, qui eorum adminiſtrationem ſunt habituri.

ANNVS QVINQVAGESIMVS.

SVMMARIVM.

Adoleſcentia vtrùm ab impubertate incipiat? 1.

Adoleſcentiam, & pubertatem vnam, eandemque ætatem eſſe, decimoquartoque anno incipere, & quinto & vigeſimo finiri, multi docent. 2. *& ſeq.*

4 *Vt certius probatur adoleſcentiam à vigeſimo quinto anno incipere, & vſque ad quinquageſimum in viris, & quadrageſimū in fœminis perduci.* 4. *& ſeqq.*

Qui adoleſcentiam ad trigeſimum annum deſignauerint? 7.

L. non aliter 63. ff. de legat. 3. nouè intelligitur. 9.

Seniores qui dicantur? 10.

Aliquando pro qualibet minori vel maiori ætate adoleſcentia vſurpatur. 11.

Quæ ætas adoleſcentiæ appellatione contineatur, ex conſuetudine magis quàm ex iure eſt interpretandum. ibid.

Iuuentus & adoleſcentia eadem ætas eſt. 12.

Adoleſcentia, florida ætas appellatur. 13.

L. 1. C. Theodoſ. de his qui veniam ætatis impetrauer. explicatur. 14.

Codex Theodoſianus anſit apocriphus? ibid.

QVÆSTIO I.

Adoleſcentia quod vitæ tempus habeat?

Hanc non immeritò ambiguam 1
ætatem (vt puberum dixit Petr. Faber. *Agoniſticon lib. 3. c. 9.*) propterea appellare poſſumus, quia ambiguum, prorſuſque incertum eſt, quo termino incipiat, & claudatur, cùm aliquando ipſis pueritiæ, aut impubertatis limitibus circūſcribi, ex eo conſtet, quòd adoleſcentia pro pueritia, & impubertate

tate promiſsinè vſurpatur, vt apud Concilium Toletanum IV. in *cap. omnis ætas* 1. vbi fatentur Expoſitores 12. *q.* 1. *Omnis ætas ab adoleſcentia*, inquit, *in malum prona eſt, nihil incertius, quàm vita adoleſcentium, ob hoc conſtituere oportet, vt ſi qui impuberes, aut adoleſcentes in clero exiſtunt: omnes in vno condaui commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agãt.* Cuius lectionẽ ſi retineas, indubitanter propoſitam ſententiam elicies: ſi verò originalem, & quã eodem Concilio *c.* 23. inuenies, huic præpoſueris, pro *impubereſque puberes* reponas, adoleſcẽtiam, & pubertatem vnam eandemque ætatem eſſe conijcies, & ideò decimoquarto anno debere incipere iuxta textum in *cap. quicumque in princip.* 77. *diſtin.* & vigeſimoquinto finiri, vt poſt Accurſium in *l. non aliter* 69. *verb. ætatem, ff. de legat.* 3. *l. hæreditatum* alias *computationi* 68. *verb. A prima ætate, ff. ad legem falcidiam*, & Gloſſam *in cap.* 1. *de ætate & qualitat. ordinand. & in proœmio* 6. *libri Decretalium*, Bertachinum *in repertorio, verb. adoleſcẽtia*, defendunt Iacob. Cuiacio *in l.* 2. *ff. de excuſationibus, & libro ſingulari reſponſor. Vlpij Marcelli in d. l. non aliter*, vbi quintum & viceſimum annum ex l. Letoria, finem eſſe adoleſcentiæ ſcribit Hieronym. Verruti *in Lexicon vtriuſque iuris, verbo Adoleſcentiam, & ibidem* Iacobus Spiegel. Franciſcus Hotoman. Petrus Rebuf. *in l. pupillus eſt* 239. *verſ. Tertiò adoleſcent. de verborum ſignificatione*, Pater Azor *inſtit. moralium lib.* 6. *c.* 5. *verſic. Tertiò quæritur, in fine*, vbi ſic explicat *textum in capit. innouamus* 3. 60. *diſtinct.* quo præcipitur, ne Decanatus vel Archidiaconatus adoleſcentibus conferatur. Et tandem Quintilianus Mandoſius *de ætate minori c.* 5. *num.* 1. qui id etiam ad fœminas producit, eo addito, quòd illæ à duodecimo anno adoleſcere incipiunt, noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, c.* 22. *n.* 1.

3 Quorum exiſtimatio ex aliquibus iuris teſtimonijs vim accipere videtur, præcipuè ex illo Vlpiani in *l. cum filiofamilias* 50. *in fine, de legatis* 3. quo manifeſtè probatur legatum alicui, cùm adoleuerit, ſcriptum, in annũ quintum & viceſimum cenſeri relictum, niſi aliud ex teſtantis voluntate poſſit deprehendi: Itemque ex alio Vlpij Marcelli *in d. l. non aliter* 69. *de legatis* 3. qui iuuenem eum definit, cuius ætas adoleſcentiam exceſsit, id eſt, vigeſimumquintum annũ, vt ibidem Accurſius exponit. Et demum iuuatur prædicta ſententia ex *l. patri* 27. *§. item ex diuerſo, ff. de minoribus*, ex Eccleſiaſtes *cap.* 11. ibi: *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bonis ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, l. ſi actor* 10. *C. de appellationibus, cap. interfectores* 5. *iuncto cap. in adoleſcentia* 14. 33. *q.* 2. & conducit illud Hieronym. *ad Nepotianum: Sicut ignis in lignis viridibus ſuffocatur, ita ſapientia in adoleſcentia tentationibus, & libidine impedita, non explicat ſuum fulgorẽ, niſi labore & ſtudio, & oratione incentiua iuuentutis intra repellantur.* Necnon & Ciceronis *pro Marco Cælio: Det iuuentus aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad innanis haſce adoleſcentiæ cupiditates.* Quibus adoleſcentia pro iuuentute ponitur, vt aliquando vſitatum teſtatur Cuiacius in *dict. l. non aliter*, D. Gregorius *in* 3. *part. paſtoralis*, Simon Scardus, quem refert noſter Perez de Lara *in compendio vitæ hominis, capit.* 30. *numer.* 2. Ioannes Ruſcus *de ſtatibus, vbi de ſtatu adoleſcentiæ, capit.* 1. & nos obſeruauimus ſuprà *anno* 25. de iuuentute diſputantes, quam cùm tunc temporis adeſſe definierimus, conſectarium elicitur, adoleſcentiam ipſi ſimultaneam ijſdem terminis circumcludi debere.

His tamen non acquieſcit, & meritò, Franciſcus Conanus, dum *lib.* 5. *commentarior. c.* 11. mauult, adoleſcentiam vltra vigeſimumquintum annum, & vſque ad ſenectam protendi, id eſt, ad annum quinquageſimum in maſculis, & quadrageſimum in fœminis, quem ſenectutis eſſe initium infra dicemus, adeò vt totum id tempus ætatis complectatur, quod medium eſt inter pueritiam & ſenectutem, ex Cicerone, qui id planè inſinuat, *lib. de ſenectute*, his verbis: *Qui citiùs adoleſcentiæ ſenectus, quàm pueritiæ adoleſcentia obrepit?* Idque neceſſariò probari affirmat ex *l. ſi verò non remunerandi* 12. *§. ſi adoleſcens, ff. mandati*, vbi propterea adoleſcens luxurioſus, qui alicui mandauit, vt pro meretrice fideiuberet, actione mandati non tenetur, quia ſimilis eſt ita fideiubens ei, qui perdituro pecuniam ſcienter mutuauit. Quod de adoleſcente maiore viginti & quinque annis eſſe intelligẽdum inquit, alioqui erit ineptũ quod de meretrice, quod de perdituro loquitur, cùm non teneatur minor, cuiuſcumque mandati, quod ipſe dederit nomine, ſi hoc ei, damnoſum futurum ſit. 4

Et roboratur proculdubio ex eo quod dicitur in *l.* 1. *in fin. ff. de minoribus*, ibi: *Et ideò hodie in hanc vſque ætatem*, ſcilicet viginti & quinque annorum, *adoleſcentes curatorum auxilio reguntur.* Si enim vigeſimoquinto anno adoleſcentia finiretur, dixiſſe ſufficeret, adoleſcentes curatorum auxilio hodie regi, vt intelligeretur eorum gubernationẽ ad quintum & viceſimum annum perdurare, nec 5

tus

opus fuiſſet illa verba *In hanc vſque ætatem* adijcere. Quę cùm ex abundanti ſcripta non credantur, manifeſtè euincunt, adoleſcentiam præfatum annorum numerum tranſcendere.

6 Quod euidentiùs ſtabilitur autoritate *l. tutores qui 39. §. quod de peculio, final. de adminiſtr. tutor.* vbi adoleſcens nominatur qui in ea ætate extiterat, vt rerum ſuarum adminiſtrationē ſortiretur, his verbis: *Quod de peculio ſerui actoris, quem adoleſcens poſtquam res ſuas adminiſtrare cœpit, manumiſit,* &c. vb. Gloſſa *verbo Retinere potuit* hunc adoleſcentem maiorem fuiſſe viginti & quinque annorum agnoſcit; à qua non diſſentit Iacob. Cuiac. *lib. 5. reſponſ. Papinian. in expoſit. d.* §. licèt in eo planè decipiatur Accurſius, quòd ideo tali ætate adoleſcentem dici hallucinatur, quia quondam fuerit; non quia ſit.

7 Inde fortè Vincent. Turturet. in *Parallel. ethicis & iuridic. in diſſertationib. extra ordinem, diſſertat.* 4. pro rato habet, adoleſcentiæ appellatione eam ætatem venire, quę decimooctauo & trigeſimo anno clauditur, qua maximè homines ſperare ſcribit, docet Caluinus *in Lexicon verb. ætas, verſ. ætatem in gradus quinque*: & ante eos Auicenna *fen. 1. lib. 1. doctrin. 3. c. 1.* vbi ait: *Ætates omnes ſunt quatuor, ætas adolendi, quæ vocatur ætas adoleſcentiæ, & eſt fere vſque ad triginta annos.* Præſenſerat Caietanus, dum hoc potiſsimo fundamento concludit *in ientaculis Noui Teſtamenti, ientaculo 6. q. 4.* D. Ioannem Euangeliſtam eum adoleſcentem non fuiſſe, qui amictus ſindone Chriſtum ſequebatur, his verbis: *Et quidem quòd non fuerit Ioannes Euangeliſta conſtat ex ætate, nam tūc temporis Ioannes non erat adoleſcens, quoniā tranſierat trigeſimum ætatis ſuæ annum.* Tenet eandem ſententiam Ioann. Buſæus *de ſtatibus hominum, de ſtatu adoleſcentiæ capit. 1.* à quibus paululum recedens Guilielm. Rouill. *in deſcription. iuſtitiæ & iniuſtit. lib. 2. c. 12.* à decimo quinto anno vſque ad trigeſimum octauum adoleſcentiam præſcribit.

8 Quocirca cùm affatim commonſtrauerimus, adoleſcentiam vltra vigeſimumquintum annum progredi, neceſſariò communem penè omnium Scribentium traditionem, quæ cum minori ætate eam abſoluit, neglexiſſe, & impugnaſſe videmus, Franciſci Conani accedentes veridiori ſententiæ, quam nouis, & validiſſimis fundamentis communiuimus.

9 A cuius defenſione vix deterret, quamuis formidabile Marcelli reſponſum in *dict. l. non aliter 69. delegat. 3.* quod directè in eo Conani opinioni aduerſari videtur, quòd iuuenem eum eſſe definit, qui adoleſcentis exceſſit ætatem, quoad incipiat inter ſeniores numerari. Vnde inferendum ſtatim occurrit, non poſſe adoleſcentię totum illud tempus adſcribi; medium inter pueritiam & ſenectutem, cùm obteſtāte Conſulto, poſt adoleſcentiam ſequatur iuuentus; vſque ad ſenectutis initium computanda, ſiquidem reſpondetur Conſultum ibidem non affirmare propriè & ſtrictè loquendo iuuenem eſſe, qui adoleſcentiam fuit tranſgreſſus, ſed imò adeò abuſiuè hoc iuuentutis nomine vti homines ſolere, vt etiam poſsit iuuenis exiſtimari *Is qui adoleſcentiæ exceſſit ætatem,* ideſt, qui iam ad ſenectutem peruenit, vbi 10 adoleſcentia terminatur, *quoad incipiat inter ſeniores numerari*; ſiue valde ſenes: ſunt enim ſeniores, quibus maior quàm ſenibus ætas ineſt, vnde Ouid. *lib. 12. Metamorph.*

Tum ſenior, quamuis obſtet mihi longa vetuſtas.

Galenus etiam, qui totam ſententiam complectitur *lib. 3. aphoriſ. commentar. vltim.* hoc modo: *Senes à ſenioribus nonnulli Hippocratis ſectatores diſtinguunt, nomen ſeniorū vltimæ ætati tribuentes, & hoc perpetuum eſſe exiſtimantes; ſenes autem in priori ætate ſtatuentes, quæ media eſt inter iuuenes & ſeniores*: & ſuffragantur quæ infra *anno 60. q. 1.* hac de re velut incumulū coegimus. In quo quidem optimè reſpondiſſe Conſultum ſæpiſſimè experientia didici, cognoui virum quemdam doctiſſimum, qui etiam prouectiſſimos, & annis obſitos, iuuenes, ſiue adoleſcentes frequenter cognominabat. Quæ vtique *d. l.* interpretatio ipſius verbis congruētiſſima mihi videtur, etſi non improbabiliter etiam dici poſſet, adoleſcentiam ibi à Marcello impropriè pro pupillari, aut minori ætate fuiſſe ſumptam, prout *in iuribus ſupra allegatis.*

Vnde colligitur, mirum videri non debere, ſi aliquando pro infantia (ſi Virgilio credimus *lib. 2. Georgicor.* eo carmine. 11

(Ac dum prima nouis adoleſcit frondibus ætas)

pro ętate pupillari, vt in *dict. capit. omnis ætas*; & in *l. infitiando 69. §. infans, ff. de furtis*, pro pubertate, & minori ætate, vt in *d. l. tutores 39. §. adoleſcens, de adminiſtrat. tutor. l. Aurelio 20. §. Gaius, de liberat. legata, l. negotiorum 24. §. curator, l. fin. §. fin. de appellation.* & tandem pro iuuentute vſurpetur adoleſcentia, vt diximus; cùm etiam aliquando pro ſenectute accipi ex *d. l. non aliter* deprehendatur, cuius deciſione item admonemur,

mur, vt ſi aliquando dubitare contigerit, cuius ætatis homines adoleſcentum appellatione contineantur, veluti ſi adoleſcentes ſeruos legauerit, qui plures diuerſæ ætatis habebat, vel ſi propter adoleſcentiam diſpenſatum ſit, vt poſsit quis cum conſanguinea matrimonium inire, vt notat Perez de Lara *in compendio vitæ homin. capit.* 31. *numer.* 52. aut aliquid adoleſcentibus lege aliqua, vel ſtatuto indulgeatur, id ſecundum vulgarem loquendi vſum eſſe dirimendum, ſiquidem niſi deficiente hac conſuetudine ad ſtrictam adoleſcentium ſignificationem, cuius ſuprà meminimus, recurrendum non erit.

12 Scrupulus tamen ille ſupereſt; ſi enim verum eſt, vt probat ex Seruij Tullij inſtituto Franciſc. Polletus *Hiſtoriæ fori Romani lib.* 2. *capit.* 6. *in fine*, & ſuprà *anno* 25. conſtituimus, iuuentutem proximam ſenectuti ętatem eſſe, quomodo nunc adoleſcentiam eſſe fatemur? Reſpondetur adoleſcentiam, & iuuentutem non diuerſas cenſeri ętates, ſed vnam diuerſis nominibus appellatam, vt optimè probat ex Tacito Turturetus in *Parallelis diſertatione* 15. vbi iuridicè agit his verbis: *Sæpè inuenies adoleſcentiam & iuuentam in non admodum diſsimili ſenſu acceptam.* Hinc adoleſcens pro iuuene multis in locis inuenitur, veluti in *dict. l. patri* 27. *§. item ex diuerſa, de minoribus, dict. cap. interfectores*

13 5. iuncto *capit. in adoleſcentia* 14. 33. *quæſtion.* 2. Conſentitque idem Franciſc. Conanus *loco vbi ſuprà*, pro quo facit ſingularis deciſio textus *in l. cùm hi* 8. *§. modus, ff. de tranſact.* vbi enumerans Cōſultus hominis ætates, pueritiæ tantùm, iuuētutis & ſenectutis recordatur, velut innuēs adoleſcentiā & iuuētutem vnam conſtituere ætatem, alioqui inepta & diminuta eſſet ætatum computatio omiſſa adoleſcentia, Hippocratemque iuuentutem ſub adoleſcentia comprehendiſſe Valleſius docet *lib.* 1. *controuer. capit.* 8. *& in commento aphoriſmor. eiuſdem Hippocratis lib.* 1. *comment.* 13. & expreſſius probatur, nam vt ex noſtris conſtat, adoleſcentia, florida ætas appellatur. Ita Albericus *in dictionario, verbo Adoleſcentia primò*, Guillelm. Robill. *loco vbi ſuprà, in principio*, Andreas Tiraquel. *de pœnis temperandis, cauſa* 7. *numer.* 1. vbi & numeris ſequentibus adoleſcentiæ & iuuentutis nominibus promiſcue vtitur, Nanus Mirabelius *in Polianthea, verbo Adoleſcentia, in principio*, Vincentius Turturetus *dict. diſertat.* 4. At verò vt ex Segarra explicante Galenum *lib.* 2. *de temperamentis* colligitur, nomine florentis ætatis non intelligitur vna ſola, ſed quid commune adoleſcentiæ & iuuentuti. Cui & in hoc conſentit Veiga *lib.* 1. *artis medendi*, vbi pluribus Galeni teſtimonijs adſtruit, probat expreſſe ſuperiorem ſententiam D. Gregorius *dict.* 3. *part. paſtoralis*, vbi obſeruat aliquando in Scripturis adoleſcentiam & iuuentutem, pro eodem gradu ætatis vſurpari. *Hinc*, ait, *per Paulum diſcipulo dicitur: Præcipe hæc, & doce: nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Sciendum namque nobis eſt, quia in ſacro eloquio aliquando adoleſcentia iuuentus vocatur. Quod certiùs oſtenditur, ſi Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Si enim vtraque vnum eſſe non diſcerneret, quem monebat in adoleſcentia, iuuenem non vocaret*, refert Ioannes Buſęus *de ætatibus, de ſtatu adoleſcentiæ capit.* 1. etſi aliquando impropriè pro disiunctis & diuerſis ponuntur, adoleſcentia iuuentuti pręponitur, textus elegans in *dict. l. fin. §. fin. ff. de appellationibus*, ibi: *Pendente cauſa appellationis, iuuenes adoleuerunt*, vbi licèt abuſiuè iuuentus pupillarem ætatem ſignificet, proprietamen docetur, iuuentutem in ordine, adoleſcentiam pręcedere, vt etiam Eccleſiaſtes *dict. cap.* 11. cauetur: *Lætare ergo iuuenis*, inquit, *in adoleſcentia tua*, & ſuadetur ex Galeno *lib.* 2. *de temperamentis cap.* 2. vbi ſic ait: *Igitur mihi cum pueros iuuenes, adoleſcentes meliùs conſideraſſem*: neque aliud probatur *in dict. l. non aliter*, ex rationibus iam aſſignatis.

Quod attento iure antiquo dictum velim: 14 nam ſi hac de re nouierem Imperatoris Conſtantini deciſionem in *l.* 1. *C. Theodoſiani, de his qui veniam ætatis impetrauerunt*, inſpiciamus, quę vitæ noſtræ terminum in pueritiam, adoleſcentiam, firmatam ætatem, legitimam, ſiue iuuentam, & ſenectutem diſſecat, diffiteri haud quaquam valebit, ſuperius tradita conſiſtere poſſe, & conſequenter adoleſcentiæ ętatem ſenectuti proximam non eſſe, ſed imò iuuentutem. Verùm cum iſthæc conſtitutio non ſit recepta, neque in Pandectis adſcripta, parum oberit ſuperiori noſtræ ſententiæ, maximè atteſtante Franciſco Duareno *titul. de ſoluto matrimonio, tractatu de dotibus, & dotium iure, capit.* 4. *in fine*, hunc Codicem, qui Theodoſij titulo & nomine inſcribitur, valde mendoſum eſſe, nec Theodoſij eſſe, ſed Alarici Gothorum Regis potiùs, qui in Theodoſij conſtitutiones multa immutauit.

SVM.

SVMMARIVM.

Senectus vario modo in iure accipitur. 1.

Senectutem quadrageſimo anno incipere, qui teneant. ibid.

Quinquageſimum annum exactum ſenectutis initium eſſe, verius exiſtit. 2.

Minor pars hominum ad annum quinquageſimum peruenit. 3.

Annus quadrageſimusnonus climatericus minor appellatur. ibid.

Maiores quinquaginta & quinque annis à muneribus perſonalibus excuſabantur. 4.

In ſexageſimo ætatis anno, alij initium ſenectutis conſtituunt. 5.

Septuageſimum alij deſignant. 6.

Multi docent ſenectutis principium nullo certo temporis ſpatio concludi, ſed à iudicis arbitrio pendere. 7.

Vt certiùs eligitur, quinquageſimum annum in maſculis initium ſenectutis eſſe. 9.

Senectus nil aliud eſt quàm tempus decreſcendi. ibid.

L. vltim. C. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant lib. 10. exponitur. 10.

L. ſi paterfamilias 15. §. in adrogationibus, ff. de adoptio. intelligitur. 11. & ſeqq.

Senectutis tres ſunt partes. ibid.

Septuageſimus annus excuſationẽ affert à muneribus ciuilibus & perſonalibus. 14.

Senectus in fœminis quadrageſimo anno contingit. 15.

Fœminæ decennio ante quàm viri ſeneſcunt. ibid.

Terminus pariendi in prima ſenectutis parte non contingit. 16.

QVÆSTIO II.

Initium ſenectutis quale?

1 CVm ſenectus reſpectu annorum & ætatis vario modo in iure accipiatur, vt ex Gloſſ. Ioann. Platea, Floriano, & Menochio, docet Alexand. Trentacinq. *variarum reſolution. lib. 1. titul. de verborum ſignif. reſolution.* 4. *numer.* 1. & ante eum Paul. Pariſ. *conſil.* 29. *numer.* 28. *volum.* 2. ex eo noſtri incuſari non debent, quòd certum hac de re nihil protulerint, cùm de ea non conuenire inter Scriptores affirmet Ioan. Buſæus *de ſtatibus hominum, de ſtatu ſenectutis capit.* 1. Sunt enim quibus à quadrageſimo & quinto anno ſimilem ætatem exordiri probatur, vt Cicero *in Catone*, ex quo ita refert Caluinus *in Lexicon iuris, verbo ætas, cap.* 28. & confirmare videtur ex medicis Segarra relatus à Petro Garſia *in Auicen. fen. 1. lib. 1. doctrin. 3. capit. 3. diſput. 16. cap. 3.* dum inquit canitiem à quadrageſimo anno incipere.

Quorum vtique opinio cùm quamprope re homines ad ſenectutem perducat, in alium quinquennium à nonnullis porrigitur & quinquageſimum ætatis annum exactum ſenectutis principium eſſe verius arbitratur, ita Gloſſa *in prooe. 6. decretal. verb. Perfectus*, vbi etiam Ioan. Andr. eadem Gloſſ. *in cap. 1. de celebratione Miſſar. & in l. non aliter, §. vlt. de legat.* 3. Grammat. *deciſ.* 34. *n.* 3. & 4. Franc. Hotom. *de verbis iuris, verb. ætatis gradus*, Albericus *in dictionario, verb. Senectus, verſicul. Senectus licet incipiat*, Iacob. Cuiac. *in l. 2. ff. de excuſatio.* Andr. Gaill. *obſeruat. lib. 5. obſeruat.* 92. *num.* 7. qui in Camera quinquagenarios pro ſenibus reputari ſcribit, Cardinal. Tuſch. *practicar. concluſion. iuris lit.* I. *concl.* 103. *num.* 6. vbi ea ratione, inquit, minorem partem hominum 3 peruenire ad annũ quinquageſimũ, vel fortè ea de cauſa, quia vt ſcribit Ioann. Garſia *de nobilitate, gloſ.* 48. *numer.* 3. annus quadrageſimus nonus climatericus eſt minor, ideoque & fatalis, Proſper. Farinat. *tom. 2. prax. criminal. quæſt. 76. part. 3. num.* 84. Thom. Gramm. *deciſ.* 34. *numer.* 4. & nouiſſimè Auguſt. Barboſ. *in collectan. ad prooemi. lib. 6. decretal. numer.* 24. Ioann. Maria Nouar. *in praxi electio. & variar. fori quæſt.* 19. *nu.* 1. & ex Galeno pluribus in locis ita obſeruant ex Medicis Alexander Maſſar. *in praxi medica lib. 5. cap. 14. circa finem*, & Petr. Garſ. *vbi proximè*, confirmarique poteſt ex textu *in l. vltim. C. qui ætate vel profeſſ. ſe excuſant. lib.* 10. iuncta *l.* 2. *C. de his qui non implent ſtipend. eodem lib.* & ſimilibus, quibus 4 habetur, maiores quinquaginta & quinque annis, vt ſenes, à muneribus perſonalibus excuſationem obtinere, & expreſſiùs ex verbis Barnabæ Briſonij *lib. 2. de Regno Perſarum, pagina mihi* 208. vbi ſic ait: *Annos iam nati quinquaginta, aut eo plus ſenilem ordinem ingrediebantur.*

5 Ab iſtis tamen plerique diſſentiunt, & in ſexageſimum annum perfectum ſenectutis principium reponunt, vt colligere licet ex Caſaneo *in Catalogo gloriæ mundi part. 11. conſideration. 17. in fine*, Iacob. Cuiacius *lib. reſponſor. Marcel. in l. non aliter, de le-*

legat. 3. Franciſc. Pollet. qui ex Tuberone & Gellio id tenet, *lib.* 2. *Hiſtoriæ fori Roman. capit.* 6. *in ſine*, Borrell. *in ſumma deciſion. titul.* 56. *numer.* 25. Pat. Thom. Sanchez *tom.* 2. *de matrimon. lib.* 7. *diſputat.* 32. *numer.* 16. Caluinus *in Lexicon vbi ſuprà*, Thomas Accius *de infirmitate capit.* 19. *numer.* 8. Amatis *deciſion. Ferrarienſ.* 25. *numer.* 17. Stephan. Gratian. *diſceptation. forenſ. tom.* 5. *capit.* 805. *num.* 43. & Ioan. Buſæus *vbi ſuprà*, qui ferè omnes autoritate Conſulti adducuntur *in l. ſi paterfamilias* 15. §. *in adrogationibus, ff. de adoption.*

7 Septuageſimum annum, alij ſenectutis initium conſtituunt, Accurſium ſectantes in *l. inuiti verbo Senes, ff. de teſtibus*; ex quibus ſufficiat Abbatem referre in *capit. quoniam frequenter numer.* 18. *verſ. Ego puto, vt lite non conteſtat.* Baptiſtam de S. Blaſio *in rubricam Decreti numer.* 91. Pariſium *conſil.* 29. *numer.* 39. *vol.* 2. Thom. Accium *dict. tract. de infirmitate legali c.* 19. *num.* 7. eo nimirum, quia hac ætate maiores, ſenectutis cauſa à tutelis, & muneribus perſonalibus vacationem merentur, *l. maiores* 3. *ff. de iure immunit.* §. *item maior. de excuſat. tutor.*

8 Et tandem fortè hac opinionum diuerſitate commoti, multi in ea fuerunt ſententia, vt exiſtimarent, nullum à iure ſenectutis initium eſſe præſcriptum, ideoque à iudicis arbitrio omnino pendere, qua ætate quis ſenex haberi debeat. Sic poſt innumeros antiquiores, quos ipſi recenſent, proferunt Menoch. *de arbitr. caſu* 59. Gail *vbi ſuprà numer.* 7. Ojeda *de incompatibilitate benef.* 1 *part. capit.* 27. *numer.* 18. Ioann. Garſ. *de nobilitat. gloſ.* 48. §. 1. *num.* 6. Hieronym. Gonçalez *in regul.* 8. *Cancellar. gloſ.* 5. §. 9. *numer.* 87. Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom.* 2. *capit.* 328. *numer.* 2. Nouarius *in praxi vbi ſuprà quæſt.* 19. *num.* 3. Alphonſ. Perez de Lara *in compen vitæ homin. capit.* 31. *numer.* 53. Paul. Zachias *quæſt. medicolegali lib.* 1. *titul.* 1. *quæſt.* 9. *numer.* 43. Velaſcus *de priuileg. miſerabil. perſon. quæſt.* 18. *numer.* 22. & probari videtur ex *l.* 2. §. *quem ita, ff. de excuſation. muner. l. Prætor* 13. *ff. eod.*

9 E quibus omnibus illorum potiùs traditio mihi probatur, qui ab anno quinquageſimo expleto ſenectutem dinumerant: congruit enim hęc magis naturali rationi, quam leges ſemper amplectuntur, argumento *l. adoptio enim la* 2. § *illud, ff. de adoption.* §. *minorem*, cum ſimilibus *inſtit. eodem.* Nam cùm ſenectus vt ex medicis tradit Petr. Garſia *dict. diſputat.* 16. nil aliud ſit quàm ętas decreſcendi; vnde eam *inclinantē* meritò appellat Galenus *lib.* 5. *de ſanitate tuendæ capit.* 2. decretioque in homine ab anno quinquageſimo contingat, ex Galeno, qui teſte eodem Petro Garſia, ſub inclinante & decreſcente ætate, omnem ſenectutem ab anno quinquageſimo complectitur: vnde inquit Cœlius Rhodig. *lib.* 30. *antiquar. lect. cap.* 2. autoritate Ariſtotelis *in Politicis*, animi vigorē minui à duodequinquageſimo anno, & ex Dioſcoride, Pierio Valeriano *lib.* 17. *Hieroglyphic.* cum de *Ibi* agit, conſtat, & infra dicemus anno cēteſimo de longiſſima noſtræ vitæ meta diſputantes, conſectariū erit aſſerere, eodem etiam tempore ſenectutem inchoari.

Cui ſententiæ parum aduerſatur textus in *dict. l. vltim. C. qui ætate vel profeſſione ſe excuſ. lib.* 10. qui licèt pro hac opinione ab ipſius ſectatoribus adducatur, eam minimè probat, cùm non quinquageſimum annum, ſed quintum & quinquageſimum ſenectuti adſcribat ſiquidem vt infrà *anno* 70. vbi de ætate ad excuſationem munerum perſonalium latiùs adſtruemus, iſtius legis ſcriptura mendacij conuincitur, & loco illorum verborum: *Quinquaginta quinque*, cum Iacobo Cuiacio *ibidem*, Contio, quem citat Gloſſa marginalis, & Moneta *de diſtributionib.* 2. *part. q.* 7. *numer.* 10. *ſeptuaginta*, reponendum eſt. 10

Nec plus negotij faceſſunt *dict. l. ſi paterfamilias* 15. §. *in adrogationibus, de adoption.* vbi ſexaginta anni pro ſenectutis initio conſtitui videtur, vt tertiæ opinionis aſſertores contendunt, & *dict. l. maiores* 3. *de iure immunitat.* cum ſimilibus, quibus ante ſeptuageſimum annum ſenectus non admittitur, iuxta id, quod in quarta ſententia continetur. Quia ſcire oportet, ſenectutem in tres partes diuidi, ex ſententia Galeni *dict. lib.* 5. *ſanitatis tuendæ, capit. vltim.* cuius meminit etiam ex noſtris Iacob. Cuiac. in *dict. l.* 2. *de excuſation.* & ex medicis Maſſarius & Petr. Garſia *locis vbi ſup.* nempe in primam, mediam, & vltimam. Prima eſt eorum, qui adhuc ſatis validi & robuſti ciuilia negotia poſſunt obire, quæ durat ab anno quinquageſimo (quem ſenectutis eſſe initium præfinimus) ad annum ſexageſimum. Secunda verò, ſiue media eorum eſt, qui iam parum validi & imbecilles ciuilia munera non poſſunt obire, quæ incipit anno ſexageſimo; & ad ſeptuageſimum protenditur. Tertia, aut vltima, in qua ſumma eſt virium imbecillitas, & coguntur à ciuilibus abſtinere. 11

Nam

12 Nam vtique ſenectutis diuiſionem, quam ex Philoſophis tradidimus, proculdubio Iureconſulti noſtri ſectantur, vt nec ex eo ſolo licet conie ctari, quod alijs in rebus fecerint: ſed etiam quia ipſa ſenilium annorum dimenſio & effectus, quibus ab illis variè præſcribitur, eam manifeſtè præferunt. Ideoque prima ſenectutis parte (præterquam Decurionibus ob rationes, quas ſuo loco exhibebimus) quaſi robuſta & ciuilibus negotijs (vt Galenus ait) conuenientiſſima, nulli exemptionem, vel immunitatem concedunt: & meritò, nam licèt, vt prænotauimus, qui in ea exiſtunt, dilabi ad ſenectam incipiant: attamen hoc anno leniter, & citra virium amiſſionem fit, vt tunc propriùs iuuenes, quàm ſenes appellari, duce Galeno ſentiat Petrus Garſia *dicta diſputatione 16.* quod dixiſſe mihi videtur Marcellus *in l. non aliter. 69. de legat. 3.* cùm iuuenes eos haberi poſſe definijt, qui nondum inter ſeniores connumerantur, ſiue inter eos (vt alibi explicauimus) qui ad mediam ſenectutis partem, quæ à ſexageſimo anno initium ſumit, iam peruenerunt: vbi manifeſtè ſentire videtur, primam ſenectutis partē potiùs iuuentuti, quàm ſenectuti eſſe annectendam.

13 Secundam, ſiue, vt alij malunt, mediam ſenilis ætatis partem, multis ad priuilegium, & excuſationem proficere varijs reſponſis Iureconſulti tradiderunt, de quibus anno ſexageſimo huius operis latiſſimè diſcuſſimus. Nunc verò *dicta l. ſi paterfamilias*, §. *in adrogationibus* tantùm proferre libet; cuius ſpecie ſexageſimus annus, qui mediæ ſenectutis initium eſt, ideò in adrogatore deſideratur, quia tunc incipiunt homines difficùlter generare ob laſſitudinem, & frigiditatem membrorum, eo modo quo profuſe nimis explicabimus infrà *anno 65.* vbi de termino generationis in maſculis ſermo inciderit. Non verò, vt aliqui falſo voluerunt, quia eo tempore primò ſeneſcunt. Quamuis bene verum ſit, eo non incongruè dici poſſe ex tunc ſenes appellari, quia vt notauimus, integra ſenectutis illa prima pars, ſaltim quoad iuris effectus, ſenectus non creditur.

14 Pariter etiam ad vltimam ſenectutem prouectus, nempe ad ſeptuageſimum annum exactum, vti ab alijs rebus, etiam ab omnibus, & quibuſcumque muneribus ciuilibus atque perſonalibus liberos & immunes reddunt, *dict. l. maiores. 3. dict.* §. *item maior inſtitut. de excuſatio.* non quaſi eo ætatis anno ſenectutem ingrediantur, vtpote aliquorum fert opinio, imò quia iam imbecilles, & ciuilibus negotijs obeundis ineptiſſimi agnoſcuntur. Igitur ex prænotatis planè concluditur, Iuriſprudentiæ noſtræ parentes, Conſultos inquam, ſenectutis diuiſionem â Philoſophis & Medicis traditam fuiſſe ſecutos, ideoque iuxta ſubiectam materiam, vt docuit Trentacinq. *dict. tit. de verbor. ſignific. reſolut. 4. num. 1.* aliquando ſexagenarios, aliquando ſeptuagenarios ſenes reputaſſe, & cōſequenter cum illis aſſeruiſſe ſenectutis naturale initium quinquageſimum annum eſſe.

Quod vtique de maſculis neceſſariò ſubaudiendum erit. Nam in fœminis diſpar ſenectutis ratio habetur, ideoque & diuerſum initium ipſius conſtituere oportet, quod præcisè à quadrageſimo anno erit ſtatuendum, cùm teſte Quintiliano *declamat. 306. paulò ante finem*: *Inter pares quoque annos citius fœmina ſeneſcat*, & ita quidem citius, vt decennio ante fiat, veluti non malè conie ctari licet ex his quæ elegantiſſime tradit P. Thomas Sanchez *d. 2. tom. de matrimon. lib. 7. diſputat. 32. num. 17.* & Acacius Anton. Ripol. *variarum reſolut. iuris cap. 8. num. 272.* vt probet, æquè ſenem dici mulierem quinquagenariam ac virum ſexagenarium: quod cùm ita ſit, ambigi non poterit, ſaltim per decennium peruenire ſenectutem fœminas, ac per conſequens ab anno quadrageſimo in ipſis incipere, vt expreſſe ſenſiſſe videtur Plinius *lib. 7. natur. hiſtor. cap. 14.* vbi dum fœminam poſt lapſum quinquageſimi anni minimè ob ſenectutem concipere dixerat, ſic ait: *Maiorque pars quadrageſimo*, ſcilicet anno *profluuium genitale ſiſtit*, qui quidem licèt in eo errauerit, quòd ſtatim in ipſo ingreſſu ſenectutis mulierem conceptioni inhabilem facit, vt infrà *anno 63.* monſtrabimus, rectè tamen procedit, cùm â quadrageſimo anno mulieris ſenectutem conſtituit, vt etiam feciſſe videntur Imperatores *in authentic. de ſanctiſſim. Epiſcop.* §. *Diaconiſſam collatio. 9.* Calcedonenſeque Concilium *in cap. Diaconiſſam. 27. quæſt. 1.* & iuris noſtri conditores *in l. 7. verſic. Otroſi tit. 19. lib. 8. recollectionis*, dum ad comitatum & ſocietatem meretricium eam ſenem definiunt, quæ quadraginta annorum ſit, vt ſuprà *anno 40.* oſtendimus *quæſt. 4.*

Et confirmatur, nā cùm ſterilitas, ſiue concipiendi finis ſenectuti adeò ſimultanea non ſit, vt ſtatim in ipſius principio contingat, argumento *text. in cap. cùm ſic præditus. 4.* ibi: *Ita ſenex ſit, & ſterilis, de conuerſione coniugatorum*, ex quo ita ſentire videtur Ripol. *loco vbi proximè numero 269.* Sed aliquibus annis tranſactis, ideſt, quadrageſimo & quinto ætatis anno, vt ex Philoſophorum ſententijs probauimus *anno 45.* pla-

planè conuincitur ante prædictum tempus ſenectutem neceſſariò adfuturam: ergo quadrageſimo ſaltim anno, quem muliebris ſenectæ primam eſſe partem contendimus, licèt benè verum ſit quoad aliquos effectus attinet, vtputa ad excuſationem à ieiunio, & ad hoc vt omni prorſus incontinentiæ ſuſpicione careat, ad aliosque ſimiles eam mulierem ſolummodo ſenem intelligi, quæ ætatis ſuæ quinquageſimum annum exceſſit, ſecundamque ſenectutis partem egit, vt ſuis locis commonſtrauimus, & probare videntur P. Sanchez *vbi ſupra*, Stephan. Gratian. *diſceptation. forenſ.* 1. *part. cap.* 120. *num.* 14. Amatis *deciſione Marchiæ* 72. *num.* 21. Ripol. *dict. cap.* 8. *num.* 269.

SVMMARIVM.

Grandis natu an ſit prope quinquageſimum annum exiſtens? 1.
L. non tantum. 11. *ff. de decurion. nouè explicatur.* 2. *& ſeq.*
Vita noſtra iuris præſumptione terminum centum annorum non excedit. 3.
Quinquagenarius dicitur, qui parum ab ea ætate diſtat. 5.
Grandæuus ſenex vocatur. 7.
Grandis ætas quæ ſit? 8.

QVÆSTIO III.

Grandis natu quis ſit, & quæ ætas grauis & ingraueſcens?

1 Pomponius *in l.* 2. *ad finem, verſ. Ergo Sabino, ff. de origine iuris*, dubium hoc abſoluiſſe videtur, dum grandem natu Sabinum appellat, nondum quinquageſimum annum agentem, his verbis: *Ergo Sabino conceſſum eſt à Tiberio Cæſare, vt populo reſponderet, qui in equeſtri ordine iam grandis natu, & ferè annorum quinquaginta receptus eſt*, ex quibus Alexander Scotus *in vocabulario vtriuſque iuris verbo, grandis*, paulò minorem quinquagenario grandem natu dici affirmat: & fortè huic opinioni adhærens Siriacus Papa *in c. quicumque* 3. 77. *diſt.* grandæuum illum vocat, qui vltra trigeſimum annum exiſtit, vt *ibidem* interpretatur Gloſſa & Turrecremata, & poſt eos Scotus *d. loco verbo, grandæuus*. Nec mirum, cùm ipſe Cicero omnium rerum peritiſſimus in 5. *Philippica*, grandem ætatem Conſularē dicat, eo periodo: *Legibus enim annalibus cùm grandiorem ætatem ad Conſulatum conſtituebant, &c.* Et tamen vt ex ipſo conſtat *ibidem*, Conſulum ætas trium & quadraginta annorum legibus deſignabatur, ita inquit de Alexandro Macedone ſcribens: *Nonne tertio & triceſimo anno mortem obijt, quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor quàm Conſularis?* cui conſentiunt quamplures ſuprà *anno* 43. à nobis in eandem rem adducti.

Sed his meritò acquieſcerem, ni Caliſtratum aliter ſentientem conſpicerem *in l. non tantum.* 11. *ff. de Decurionibus*, vbi poſtquam dixerat non tantùm eos, qui teneræ ætatis, ſed etiam qui grandes natu ſunt, decuriones eſſe prohiberi, teneram ætatem in minore vigeſimo & quinto anno, & grādem in maiore quinto & quinquageſimo exēplificat, vt hæc ipſius legis ſeries demonſtrat: *Non tantùm qui teneræ ætatis, ſed etiam qui grandes natu ſunt, Decuriones fieri prohibentur: illi quaſi inhabiles rempublicam tueri ad tēpus excuſantur: Hi verò in perpetuum à mouentur, non aliàs ſeniores, ne ſeniorum excuſatione iuniores onerentur ad omnia munera ſuſcipienda ſoli relicti. Neque enim minores viginti & quinque annis Decuriones allegi, niſi ex cauſa poſſunt, neque hi qui annum quinquageſimū & quintum exceſſerunt.* Ex quibus apparet tantùm abeſſe, vt circa quinquageſimum annum quis grandis natu dicatur, veluti placet Pomponio, quòd imò vltra quintum & quinquageſimum ſit oporteat, ex ijſdem planè deprehenditur, fortè quia hac ætate maior pars, etiam longioris vitæ, quæ terminum centum 3
annorum ſaltim iuris præſumptione non excedit, *l. an vſusfructus* 56. *ff. de vſufructu*, *l. proponebatur* 76. *verſ. Nam & legionem, ff. de iudicijs, l. ſi vſusfructus* 8. *de vſufructu legat.* decurſa videtur, vt ex Plutarco aduertit Petr. Bungus *de miſter. Numeror. n.* 27. *paulò ante finem*, ibi: *Habebis* 54 *qui apud Plutarchum eſt numerus dimidiæ vitæ humanæ.*

Verùm diffidentia hæc placita, & Conſultorū reſponſa facilè componi poſſe arbitra- 4
bar, ſi prius vt certum conſtitueretur grandē ætatem eam vitæ partem eſſe, quæ à quinquageſimo anno ad ſexageſimumquintum intercedit, vt vel ex eo manifeſtè probatur, quòd grandis ætas eadem cum ingraueſcenti & graui habetur: vnde Accurſius in *dict. l. non tantùm, verbo grandes*, aliàs *graues* dici notat. At verò grauem, vel ingraueſcentem ætatem à quinquageſimo ad ſexageſimumquintum annum protrahi ex Medicis Fernelius Phiſiol. *lib.* 3. *cap.* 10. & Paulus Zachias *quæſt. Medicolegal. tom.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 28. vbi hoc Iuriſperitorum traditionibus maximè conuenire aduertit.

Quo

5 Quo ſuppoſito iam apparet Pomponium *in dict.l.2. de origine iuris*, non malè Sabinum ferè quinquagenarium grandem natu vocaſſe: nam licèt quinquageſimum annum nondum fuiſſet ingreſſus, parum tamen defuerat vt ingrederetur, veluti aduerbium *ferè* demonſtrat, cuius ſignificatio eſt *paulum adfuit quin*, vt docet Valla *lib.2.* & Theſaurus linguæ Latinæ *eadem dictione*. Qui verò modico tempore ab anno quinquageſimo diſtat, rectè quinquagenarius habetur, vt proximè cingendus pro cincto, *l.filius. 43. de teſtament.milit.* & perditum quod ſtatim eſt perdendum, *l.ſi quis cum.ff.pro emptore*, atque ſimiliter vt verè quinquagenarius grandis natu nuncupatur.

6 Nec quod Caliſtratus *in dict.l.non tantum* grandes natu pro maioribus quinquagenarijs acceperit, ſcilicet pro his, qui ſupra quinquageſimum annum quintum etiam ſortiuntur, negotium nobis affert, quoniam vt præmiſimus, cùm totum illud vitæ ſpatium, quod à quinquageſimo ad annum quintum & ſexageſimum excurrit, grandis, ſiue grauis, vel ingraueſcens ſit ætas, qui intra hoc terminum conſiſtunt, etiamſi quinquageſimum annum peregerint, grandes natu meritò appellantur.

7 Hinc eſt parum attétè fuiſſe locutos Gloſſam & Turrecrematam *in dict. c.quicumque 3. 77.diſtinction.* cùm grandæuum in eodem textu maiorem trigeſimo anno interpretantur. Tum quia, vt optimè obſeruat Simon Maiolus *de irregularitate lib.1.cap.30.num.14.* hoc nō congruit Latinæ elocutioni, quæ pro ſene grandæuum accipit, vt apud Pliniū *lib.2.cap.7. Alios* legitur, *grandæuos ſemperque canos*, & ſimiliter apud D. Auguſtin. *lib.5. de ciuitate Dei*, vbi de Conſtantino loquens ſic ait: *Grandæuus ægritudine & ſenectute defunctus eſt*: neque ea interpretatio conuenit conſueto loquendi vſui Canonum: nam Gelaſius Papa *in cap.illud 13.quæſt.2.* accepit grādæuum pro ſene, & facilè morituro, ibi: *Si ei quicquam humanitùs contigerit, quia grandæuus eſt*, idem quoque apertiùs probatur, proſequitur Maiolus, *1.Regum cap.4.* ibi: *Senex erat, & grandæuus*, nam de Heli loquitur, qui nonagenarius erat, vt notat Albericus *in verbo grandæuus*: tum etiam quia grandæuus prouectioris ſenectæ homo eſt, vt ex Virgilio *& alijs* admonet Theſaurus Latinus *verbo grandæuus*: ergo idem cū grandi natu eſſe non poterit, etſi minoris ætatis eſſet, vt Gloſſa & Turrecremata arbitrantur, adhuc grandi natu aſſimilari nequiret, qui vt probauimus, quinquagenarius eſſe incipit.

8 Eſtque minoris ponderis, quod de ætate Conſulari pro grandi à Cicerone vſurpata initio expendimus: quoniam vel ibi impropria eſt locutio, vel quod certius exiſtimo, grandem ætatem alio ſenſu Conſularem accepit, nempe comparariuè, & habito reſpectu ad minorem & iuuenilem ætatem, quam leges annariæ præſcriptione dictæ grandioris ætatis tertij & quadrageſimi anni omnino à Conſulatu arcere voluerunt, veluti ex eodem loco Ciceronis deprehenditur, ibi: *Legibus enim annalibus, cùm grādiorem ætatem ad Conſulatum cōſtituebant, adoleſcentiæ temeritatem verebantur.*

SVMMARIVM.

An ætas triginta annorum pro Generalibus & Prouincialibus Regularium ſufficiat? 1.

Eiuſmodi Prælati prudentes eſſe debent. ibid.

Præpoſituræ omnes Regularium beneficia regularia appellantur. 2.

Generalis ſupremus ſuæ Religionis vocatur. 3.

Epiſcopi ætas quæ ſit? ibid.

Generales aut Prouinciales quinquaginta annos habere conuenientiſſimum eſt. 4.

Opiniones hac de re contrariæ conciliantur. 5.

Quinquageſimo anno minores, ſi virtutis excellentia polleant, ad eiuſmodi prælaturas poſſunt admitti. 6.

QVÆSTIO IIII.

Cuius ætatis Generales & Prouinciales eligi debeant?

PVtarem triginta annorum eos neceſſariò aſſumi oportere: tum quia prudentia, qua maximè excellere debent, vt ex ſe patet, & ſubindicat Emanuel Rodriguez *Quæſt. Regular. tom.3.quæſt.34.artic.2.* hac ætate frequenter euenire conſtat, veluti id late principali diſputatione oſtendimus ſuprà *anno 30.* Tum etiam, quia inter beneficia regularia (ità enim appello Præpoſituras omnes & Prælaturas Religioſorum, ex meliori ſententia, quam pluribus relatis amplectitur nouiſſimè Diana *reſolutio. moral. part.4. tractat. 4. Miſcellan. reſolut. 156.*) 2 Prouincialatus, & Generalatus primum locum & gradum obtinent, reſpondentque inter ſæcularia beneficia Epiſcopatui, & Pontificatui ſupremo. Vnde Generalis, ſupremus etiam ſuæ Religionis Prælatus dicitur, vt 3

obſeruat Auguſtin. Barboſa *lib.* 1. *de iure Eccleſiaſtico vniuerſo cap.* 17. *num.* 23. Ergo quemadmodum ad Epiſcopatum, ſummumque Pontificatum triginta anni ſufficiunt, vt de Epiſcopo eſt *textus in c. qui in aliquo* 5. 51. *diſtinct. cap. Epiſcopus* 6. 77. *diſtinct. cap. cùm in cunctis* 6. *de electione*, & in Concilio Tridentino *ſeſſion.* 7. *de reformatione cap.* 1. & de Summ. Pontifice id docent Ojeda *de incompatibilitate benefic.* 1. *part. capit.* 24. *num.* 24. *&* 26. Moneta *de commutat. vltim. voluntat. cap.* 10. *num.* 111. noſter Alphonſus de Lara *in compendio vitæ homin. capit.* 29. *num.* 22. & nos vtrumque exactè probauimus *ſupra dict. anno* 30. ſuis locis: ita ad Prouincialatus, Generalatuſque ſimilem dignitatem, eadem ætas ſufficiat conſectarium videtur.

4 Sed nihilominus aliud magis placet Rodriguez *dict. art.* 2. vbi diſputans vtrùm ſenes ſint eligendi in Generales & Prouinciales, poſt longam opinionum, & autoritatum congeriem, ita ſubijcit: *Vnde ego exiſtimo ad præfata munera exercenda homines mediæ ætatis, qui quinquageſimum annum attingant, eſſe aſſumendos, cùm huiuſmodi ætate pollentes experientiam agendorum habeant, & ipſis viribus corporalibus neceſſarijs ad gubernandum in ea ætate ſint dotati: & ſic Dominus Rex Philippus Secundus cuidam capitulo noſtræ Sacræ Religionis ſcripſit, vt non eligerent Prouincialem, qui præfatam ætatem non haberet.* Hæc ille, cuius ſententiæ ſuffragatores Platonem adfert *lib.* 6. *de legibus*, Ariſtotelem 7. *Politicor. cap.* 16. & Philoſtratum *lib.* 5. *de vita Apolon. cap.* 9. qui hanc ætatem Magiſtratibus conuenientiſſimam, eamque legibus à populo Romano ad eos præſcriptam referunt.

5 Ego tamen vtramque opinionem ita concilio, vt poſterior hæc Emanuelis Rodriguez conuenientiam potiùs quàm neceſſitatem habeat, cùm maximè expediat eos, qui multorum regimini ſunt præponendi, ætate eſſe prouectos, vt præter ſcientias ſpeculatiuas experimentum etiam longo tempore acquiſitum obtineant, iuxta Auerrois doctrinam *in libro Platonis de Republica tract.* 1. At verò noſtra ſententia, quam primo loco expoſuimus, non tam conuenientiam, quàm neceſſitatem reſpicit, ideſt, non curat quid magis oporteat, ſed quid præcisè circa ætatem eius, qui in Generalem, vel Prouincialem eſt eligendus, debeat obſeruari, ne ipſius defectu electio deficiat, & hoc reſpectu minimè ambigi poteſt triginta annorum ætatem ſufficientiſſimam eſſe, vt qui ea conſtituitur, poſſit validè in tantum faſtigium prouehi: aliter enim abſurdum foret, vt qui ad Epiſcopalem & Pontificiam dignitatem merenter aſſumi poteſt, ad Prouincialatum, & Generalatum prohibeetur conſcendere.

6 Hocque verum agnouiſſe Rodriguez *dict. art.* 2. *in fine*, apparet, dum ſuam ſententiam eo caſu, vel in illis perſonis temperandam docet, quæ virtute & eximijs meritis cæteras præcellunt, quaſi tunc ætas virtute ipſa ſuppleatur: ergo ſentit illam quinquaginta annorum non eſſe præcisè neceſſariam ad Generalatum? alioquin nec dicto caſu minor admitteretur, nec poſſet exuberantia virtutis ætas requiſita ſuppleri, vt nec malitia, vel præcoci iudicio ſuppletur, ex Couarru. *de ſponſalib. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. & Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad cap.* 1. per Gloſſam *ibi num.* 7. *de teſtament. lib.* 6. qui tenent non ſuppleri ætatem malitia, vel intellectu, vbi certa ad aliquid deſideratur.

SVMMARIVM.

Ætas an ſit in legato inſpicienda? 1.
Senes, & non iuuenes ſunt ad legationem eligendi. 2.
Iuuenis ſapiens eſſe non poteſt. 3.
Senes regulariter ſunt prudentes. ibid.
Licèt ſenex ſit præponendus iuueni in legatione, non tamen admodum ſenex & decrepitus. 4.
Quinquagenarios legationibus eſſe aptiores defendimus. 5.
Ductoris exercitus, & legati, eadem ætas eſt. 6.

QVÆSTIO V.

Ad legationis munus ſubeundum?

1 Licèt nouiſſimè Fredericus Maſelaer *in ſuo legato lib.* 1. *capit.* 13. ætatem dicat eius, qui ad legationem eſt deligendus, non eſſe anxiè ſpectandam, ſed prudentiam, & inſuper an cum corporis tum animi dotibus vigeat his Mercurij Miſta, vt agendis per agendiſque rebus conueniens ſit: cæterùm tam ipſe, quàm reliqui omnes, qui hac de re ſcripſerunt, & præcipuè Lucas de Pena *in rubrica, C. de legat. col.* 4. *verſ. Octauo, lib.* 10. Tiraquel. *de iure primogeniorum in præfatione n.* 122. Conrad. Brunus *de legatis lib.* 2. *c.* 6. *pag. mihi* 49. & Anaſtaſ. Germon. *de legatis Princip. & populorum lib.* 1. *c.* 13. adeò

2 adeò ætatis rationem eſſe habendam cenſuerunt, vt non iuuenes, ſed iam ſenes, & prouectos legationibus deputandos crediderint, & ſuadetur ex Marciani reſponſo *in l. ſciendum 4. in principio, ff. de legationibus*, vbi eos, quibus ius poſtulandi non eſt, inter quos iuuenes ante decimumſeptimum annum continentur *l. 1. §. initium, ff. de poſtuland.* legatione fungi non poſſe ſcribit, ſunt enim adoleſcentes parum expertes, omni-
3 noque imprudentes. Vnde Ariſtotel. *de longit & breuitat. vitæ cap. 3.* negat iuuenem poſſe eſſe ſapientem, quia inquit, prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore, quæ cùm in ſenibus reperiatur, inde eſt eos frequenter prudentes reputari, ex eodem Ariſtotele *6. Ethicorum*, & Cagnolo *in l. cùm quidam num. 38. ff. ſi certum petatur*, quibus nouiſſimè accedit Paul. Zachias *Medicolegal. lib. 1. tit. 1. quæſt. 1. num. 41.* & meritò, nam vt loquitur Iob *cap. 12. verſ. 12. In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*; quare Vlyſſes Achille ſe prudentiorem iactat apud Homer. *Iliad. 9.* illis carminibus.

Præſtantior es me, & fortior non parum quidem
Haſta, ego autem te prudentia ſuperauerim
Plurimum, quoniam prior natus ſum, & plura noui.

Ergo ſenibus, & non iuuenibus legatio erit conferenda, quoniam illis eſſe legationem dandam profert Anaſtaſ. Germon. *vbi ſuprà*, qui longa rerum experiẽtia edocti ſunt, quique decipi niſi difficillimè poſſunt, quod ſenibus maximè conuenit teſte Ariſtotele *lib. 2. Ethicor. cap. 16.* vbi *ait*: *Senes incredulos eſſe, quia multos annos vixerunt, & in pluribus decepti peccauerunt, & ob id dici ſolet, quiſquis ſenex ad ſapientiam peruenit, annis peruenit.*

4 Nec tamen, quia in mittendis legationibus cæteris ætatibus ſenectutem prætulimus, attritam, decrepitam, & annoſam huic muneri congruentem decernimus, ſiquidem vt ritè admodum explicat Germon *dicto loco num. 11.* quod de ſenibus dicimus, non de decrepitis intelligimus, ſed de ijs, qui adhuc animo, & corpore firmi, & robuſti ſunt, quique rectè & commodè legationem obire queunt, vt tranſire montes, equitare, longorum itinerum queunt incommoda ferre, & ſi opus fuerit, pedibus etiam iter facere, mare non abhorrere, imò & occaſione etiam libenter nauigare, & ſimilia peragere, de quibus intelligere voluit Plutarchum *in moralibus*, dicentẽ: *Vt adoleſcẽtem, in quo ſenile eſt aliquid, ſic ſenem, in quo adoleſcentis probi eſt aliquid, laudamus.* Hæc Germonius, cui eleganter adſtipulatur Frederic. de Maſelaen. *dict. lib. 1. cap. 13.* abſit tamen à delectu noſtro, inquiens, ſenior ille, ſi ſegnior, ſi repueraſcens, memoria debilitata, mente & conſilio hallucinans, acie hebeſcens, valetudine vacillante torpens: & certè mentis noſtræ velut veſtis, ac organum quoddam corpus eſt, quo quidem perperam effecto, vel nihil, vel incommodè animus agit: quemadmodum artifex fruſtrà valet ſcientia deficientibus inſtrumentis, aut vitiatis.

Hinc modicæ ætatis homines, quinquagenarios ſcilicet, legationibus aptiſſimos Chalcidenſes lege definierunt, vt auctor eſt Heraclides *in Politicis*, & referunt Tiraquel. *dict. num. 122. in fine*, Petrus Gregorius *in Decretalibus titulo de electione capit. 11. num. 6.* Emanuel Rodriguez *Quæſtion. Regular. tom. 3. quæſt. 34. art. 2. ad finem*, & optimè quidem, nam vt inquit Ariſtoteles *7. Politicor. cap. 16.* noſque alibi diximus, mens & intellectus maximè viget circa quinquageſimum annum. Quocirca huius ætatis eſſe deligendos putamus, niſi neceſſitas, aut ſingularis virtus cogat vt non ſeniores, vel natu grandiores aſſumantur: tũc enim etiam iuuenes & inexperti eligi poterunt, *dict. l. ſciendum 4. in fine, ff. de legatio.* Ex qua ita obſeruat Anaſtaſ. Germon. *dict. cap. 13. num. 17.* confert Carol. Scriban. *in Politic. Chriſtian. lib. 1. cap. 26. num. 2.* his elegantiſſimis verbis: *Non tamen iuuenes omnes excludi à legationibus velim, quemadmodum nec adducendo exercitu. Nemo ignorare Africanum poteſt, ætas illi quanta in Hiſpania? quanta in Africa? quanta Magno Alexandro? quãta Pompeio eunti in Mithridatem? & Tigranem? Verùm è millibus vnum fors Africanum dabis: hunc talem & bellis & legationibus præficio, quem non anni, ſed iudicij altitudo ſenibus pariauit: quare iudicio magis quàm ætate ſenem volo: quamquam ſæculum vnum vix vnum, alterumve iuuenem ſenem dabit: vbi dederit, & bellis & legationibus præfice.*

SVMMARIVM.

Vbi agitur de diſſoluendo matrimonio ob impotentiam ſenis, non debet concedi triennium experientiæ. 1.

In ſenibus quinquagenarijs, non habet locum triennium experientiæ. 2.

Senectus à quinquageſimo anno incipit. ibidem.

Senex coniugali vſu langueſcit. 3.

QVÆSTIO VI.

Senum qualis ætas eſſe debeat, vt in illis non ſit expectandum triennium experietiæ, de quo in cap. laudabilem de frigid. & maleficiat?

DOcet ſingulariter Thomas Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſput. 108. num. 21.* non eſſe neceſſarium triennium experientiæ, vbi agitur de diſſoluendo matrimonio ob impotentiam ſenis, ſed ſufficere breuius tempus arbitrio iudicis taxandum, idque meritò, cùm hoc triennium concedatur ad experiendum, an progreſſu temporis, aſſiduoque vſu natura roboretur, vt tandem vir poſſit vxorem corrumpere, quod minimè licet de ſenibus ſperare, quorum natura quotidie debilior redditur, & vires amittit. Vnde ſatis erit, inquit Thomas Sanchez *d. num. 21.* iudicem tempus arbitrarium concedere, quo experiantur, an medicamine aliquo adhibito poſſit natura vires aſſumere ad coniugales congreſſus.

a Ex quo infero prædictam ſententiam in omnibus & quibuſcumque ſenibus locum habituram, etiam in illis qui primam tantùm ſenectutis partem aggrediuntur, quam anno ætatis quinquageſimo ſuprà conſtituimus; quoniam ex hoc tempore decretio & debilitas in homine incipit, vt teſtatur Galenus, quem refert Petrus Garſia *in Auicennam ſen. 1. lib. 1. doctrin. 3. cap. 3. diſputat. 16.* Paulus Zachias *Medicolegal. lib. 1. tit. 2. quæſt. 7. n. 20.* & ex noſtris Ioan. Corraſ. *lib. 5. Miſcellanear. cap. 18.* Ex quibus & alijs idem *hoc anno* ſupra probauimus de initio ſenectutis agentes. Quæ vtique debilitas cùm indies mirum in modum augeatur, & corporis animique vires extenuet, ſi Rhodigino credimus *lib. 30. antiquar. lection. cap. 2.* ſuperfluum ab illa ætate triennij experimentum videtur, cùm nullo vſu, aut exercitio hæc ſenectutis

b imbecillitas poſſit naturaliter excitari, quinimò ipſo vſu, & aſſiduo coniugali actu magis ac magis langueſcat, vt latè probat Ioan. Neuizan. *in ſylua nuptiali lib. 2. n. 2. & 3.* Ergo tenendum erit à quinquagenarijs in omnibus cuiuslibet ætatis ſenibus triennium experientiæ minimè expectari debere, vbi ob eorum impotentiam matrimonium irritum contenditur.

SVMMARIVM.

Sterilis mulier ſi nubat, nulla habet dotis priuilegia. 1. & ſeqq.

Fauore liberorum fuerunt doti tot priuilegia conceſſa. 3.

Septuagenaria nubens, non dicitur propriè vxor, & ideò maritus ea deficiente non habebit lucrum dotis. 4.

Quinquaginta annorum fœmina ſit oportet, vt nubens dotis priuilegia amittat. 5.

Ex legibus Luſitaniæ quinquagenaria, quæ liberos habet, ſi nubat, priuatur adminiſtratione, & alienatione bonorum, & inſuper nulla gaudet communione bonorum cum marito. 6.

QVÆSTIO VII.

Cuius ætatis mulier eſſe debeat, vt nubens nulla dotis priuilegia habeat?

STerili mulieri nubenti, nō competere dotis priuilegia ex magis veriori ſententia docet poſt Sotum *de iuſtit. lib. 1. quæſt. 6. art. 8. in fine*, Bartol. *in l. ſi quis poſthumos num. 1. in fine, ff. de liber. & poſthum.* Alexandrum, Ripam, Socinū, & alios *in l. 1. ff. de ſoluto matrimon.* Petrus Barboſa *ibidem 1. part. à num. 86. vbi num. 99.* poſt latum huius quæſtionis examen hanc opinionem magis communem dicit, cui adſtipulatur Benedict. Ægidius *in repetit. l. Titiæ ſi non nupſerit, part. 3. num. 80. in fine; ff. de condition. & demonſtrat.* 1

Et ſuadetur manifeſtè ex *l. adigere. 6. §. quamuis, ff. de iure patronatus*, vbi probatur legem matrimonij fauorem reſpicientem in ſterilis, & liberos ſuſcipere non valentis perſonam locum non habere, vt patet ibi: *Quamuis nulla perſona lege excipiatur, tamen intelligendum eſt de his legem ſentire, qui liberos tollere poſſunt. Itaque ſi caſtratum libertum iureiurando quis adegerit; dicendum eſt non puniri patronum hac lege.* 2

Deinde quia præcipua ratio concedendi tot priuilegia doti, fuit ipſa proles, cuius ſuſceptioni quamplurimum iura conſulere voluerunt, vtpote rei maximè ad publicam vtilitatem pertinenti, *l. 1. ff. ſoluto matrimon.* ex qua ita obſeruat Bonus de Curtili *tractatu de nobilitate 2. part. num. 44.* & Barboſa *vbi ſupra num. 81. & ſequentibus*: ergo cùm hæc ratio ceſſet in muliere ſterili, debet 3

etiam in ea ceſſare conceſſio priuilegiorum:

4 Vnde infert Iaſon *conſil.115.num.1.lib.1.* quòd ſi mulier ſeptuagenaria matrimoniū contrahat, non dicetur propriè vxor, nec in ea locum habebit ſtatutum cōcedens lucrum dotis marito, ſi vxor decedat in matrimonio ſine liberis: conſentit Phanuc. *de lucro dotis gloſſa 3. num. 3. ad finem*, Ferronius *in conſuetudinibus Burdigaliæ lib. 1. tit. 4. §. 6. colum. 3.* vt refert Barboſa *vbi proximè n. 96.*

5 Sed quamuis ex hac Iaſonis doctrina dicendum videatur, nubentem ſeptuaginta annorum ſaltem eſſe oportere, vt in ea dotis priuilegia, & fauores nullum ſortiantur effectum, probabilius tamen, iurique magis cōſentaneum exiſtimo; poſt quinquageſimum ætatis annum mulierem in ea cauſa eſſe, vt ſi fortè nuptias appeterit, omni dotis priuilegio & fauore carere debeat, quoniam hæc vitæ longæuitas fœminas, etiam quæ maximè pariant, ſteriles & infœcundas reddit, ex illo Philoſophi *de hiſtoria animal. lib. 5. cap. 14. Homo mas ad annum vſque ſeptuageſimum, videlicet termino vltimo poteſt generare, fœmina vſque ad quinquageſimum*: probat *l. ſi ſterilis. 21. in principio, ff. de action. empt. l. ſi maior. 12. C. de legitim. hæredibus.* Quibus, & multis alijs id ipſum ſupra *anno 49.* ea quæſtione *concipiendi facultas in fœminis ad quod vitæ tempus producatur*, latiùs oſtendimus.

6 Et confirmatur expreſſiùs ex ordinatione Luſitaniæ *lib. 4. tit. 105.* vbi ſtatuitur, mulierem quinquagenariam habentem liberos, & nubentem, non ſolùm priuari ſuarum rerum adminiſtratione & alienatione, verum etiam tacita & legali illa bonorum communicatione, quæ inter coniuges ſimpliciter contrahentes inducitur iure Regio, *ex ordin. d. lib. 4. tit. 46. & tit. 95.* quod etiam referunt Anton. Gamma *deciſione Luſitana 90. & deciſ. 120. num. 3.* Caldas *de nomination. emphyt. quæſt. 20. num. final.* vbi id etiam perperam ad virum ſexagenarium vxorem ducentem conatur producere, quem ideò meritò reprehendit Ægid. Benedict. *loco iam relato num. 75. qui & dict. num. 80. ad finem*, noſtram ſententiam probare videtur, dum de hac quinquagenaria ſterili loquens, tali mulieri non competere priuilegia doti conceſſa ſcribit.

SVMMARIVM.

Poſt impleta ſtipendia milites efficiebantur veterani, & vacationem conſequebantur. 1.

Cauſaria miſſio ex quibus cauſis concederetur? 2.

Stipendia militaria, vicena eſſe debebant. 3.

Qui vicena ſtipendia compleuerunt, veterani & honeſtè miſſi dicebantur. 4.

Ætas, qua quis vacationem à militia conſequitur, deſcribitur. 5.

Concordia Iuſti Lipſij *hac in re adducitur.* 6.

Etiam de iure noſtro quinquageſimus annus excuſationem affert à militia. 7.

QVÆSTIO VIII.

Ad ſtipendia militaria implenda, & vt quis veteranus fiat, & à militia excuſetur?

1 Milites, qui honeſtè compleuerunt militiæ tempus, remiſſionem habere tutelarum Modeſtinus reſpondit in *l. ſed & milites 8. ff. de excuſation.* & veteranos, qui honeſtè militiæ tempus expleuerunt, vacationem à paganorum habere tutelis; idem in eadem: quæ quidem vtrobique Conſulti verba ſtatutam militiæ certam ætatem, qua expleta militem veteranum dici, honeſtèque miſſum, proculdubio demōſtrant, & apertius Imperatores in *l. 2. C. de his qui non impletis ſtipendijs ſacramento ſoluti ſunt lib. 10.* Sed quot annorum numerus ad explendam militiam, quot verò ad veteranum ſufficeret? nec ex illis coniectatur, licèt ex ipſiſmet Imperatoribus, quamuis diuerſo in loco, vtrumque deprehendatur. *Veteranis*, inquiunt *in l. 9. C. quandò prouocare non eſt neceſſe, qui in legione, vel vexillatione militantes poſt viceſima ſtipendia honeſtam, vel cauſariam miſſionem ſunt conſecuti* (ſic enim interpoſita diſtinctione legendum, ſecus ac in vulgaribus Iuſtus Lipſius defendit *de militia Romanorum lib. 1. dialogo 2.* Nec immeritò, quia certè cauſaria miſſio poſt expleta ſtipendia non datur, ſed propter aduerſam valetudinem, vel ſenium, aut quia corporis debiles ſunt, *l. 2. C. de his qui non impletis ſtipend.*) Hinc colligitur militiæ ſtipendia vicena eſſe oporrere, militemque illa in legione vel vexillatione adimplere, vt ex veteranis fieret: & fulcitur ex *l. finali, eodem titulo*, necnon & ex *l. viginti, C. de re milit. lib. 12.* Sed expreſſius Polibius: *Pedites viginti oportet ſtipendia implere.* Et interiùs: *Pedites debent conficere annua ſtipendia viginti.* Idem ex Liuio conſtat, apud quem Liguſtinus quidam detrectat militiam Macedonicam, & ſic ſe excuſat: *Viginti duo ſtipendia in exercitu emerita* 2

habeo, & maior ſum annis quinquaginta: vnde apud *Tacitum* 1. *annalium*, cùm milites per ſeditionem expreſſiſſent, vt *ſextus decimus ſtipendij annus finem adferret*, Conſcriptis diſplicuit & Principi, & eo abrogato, mos priſcus repoſitus; decretumque vt viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur, quod deinceps ſeruatum Suidas teſtatur. *Veteranus Romanis dicitur militia dimiſſus, in viginti autem annos merebant*: docent ex pluribus Claud. Cotheræus *de iure militum lib.* 1. *cap.* 24. & 25. Anton. Auguſtin. *lib. ſingular. ad Modeſtinum in l. ſed & miles*, §. *Modeſtinus*, *ff. de excuſation.* Franciſc. Poletus *in hiſtoria fori Roman. lib.* 3. *in corollario ad cap.* 10. *num.* 7. Iuſtus Lipſius *de militia Roman. lib.* 1. *dialogo* 2. Garſias Toletanus *in lucerna rubric. titulo de his qui non impletis ſtipendijs lib.* 10.

4 Qui quidem ſtipendiarij, ſeu qui vicena compleuerunt militandi curricula, Veterani & honeſtè miſſi nominabantur, vt ex Suida vbi ſupra inſtruimur, & probatur ex *l. fin. C. de his qui non impletis ſtipend.* obſeruarunt Theophylus *in* §. 1. *inſtitut. de teſtament.* Prateius *in Lexicon iuris verbo veterani*, Claud. Cotheræus *vbi ſuprà num.* 24. Petrus Gregor. *in ſyntagm. iuris lib.* 19. *cap.* 3. *num.* 22. & 23. & *cap.* 4. *num.* 3. nouiſſimè Cabreros *tractat. de metu lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 50. & de his intelligendus erit titulus *de veteranis lib.* 12. & *ff. de priuileg. veteran.* & *de veteranorum ac militum ſucceſſ.*

5 Verùm cuius ætatis veteranus quis effici poſſit, vt â militia vacationem mereatur? nec in competto eſt. Tubero apud Agelium *lib.* 1. *cap.* 28. *noct. Atticar.* de anno quadrageſimoſexto inſinuare videtur, quaſi vltra illam ætatem, nec ſtipendia adimpleri militaria, nec conſequenter veteranum fieri liceret. Anno vno minus Cenſorinus numerare videtur, *de die natali*, aliter Seneca *de breuit. vitæ lib.* 2. *Lex*, inquit, *à quinquageſimo anno militem non cogit*, Liuius *Decade* 4. *lib.* 10. Imperatum à Senatu Q. Petilio Prætor. vt omnes minores quinquaginta annis ſacramento legerentur, & *Decade* 5. *lib.* 2. illud præcipuum datum ſorti Macedonicæ, vt centuriones militeſque veteres ſcriberet, quos vellet Conſul vſque ad quinquaginta annos: & rurſus P. Licinius Conſul. Senatuſconſult. recitari iuſſit primum, quòd bellum Senatus Perſeo iuſſiſſet. Deinde, quòd veteres Centuriones quamplurimum ad id bellum ſcribi cenſuiſſet, nec vlli, qui non maior quinquaginta eſſet, vacationem militiæ eſſe, Cornelius Nepos in vita Pomponij Athici incidit, inquit, Cæſarianum ciuile bellum, cùm haberet annos circiter ſexaginta, vſus eſt ætatis vacatione, & optimè quidem, nam vt ſcribit Ioan. Platea *in l. cùm in num.* 1. *verſic. Vltimò nota*, *C. de his qui non impletis ſtipendijs lib.* 10. quia hac ætate non ſuppetunt vires, ſexagenarij ſenes quoad arma & militiam dicuntur, ab eaque ceſſationem conſequuntur.

6 Nec quidem loca inuicem inter ſe pugnare videntur, ſed elegantiſſimè Lipſius diligens antiquitatis inueſtigator bellè iſta cum Seruij inſtituto conciliat ſic eius verba. Sed an non igitur plura bicenis ſtipendijs? imò triginta erunt, ſi totum id tempus militarunt ab anno 17. ad 46. caue erres, continua olim militia non fuit (ſicuti cùm legiones perpetuæ inſtitutæ) ſed per annos ferè, aut certè ſingula bella inibant, militiam & deſinebant: lex igitur volebat; vt in annis illis triginta vrilibus quiſque neceſſariò impleret ſtipendia ſua viginti, poterat quidem priùs, & exẽpli cauſa, qui continuò militabat, implebat eà 37. *anno*, ſed poterat, nõ debebat: hi ſunt anni triginta illi, de quibus lex Tullia capiẽda cùm iuniorum ætatem annis triginta diffiniuit. Item Salluſtius ad Cæſarem, cùm monet illum, vt videat ne militia iniuſta ſit, cum alij triginta, pars nullum ſtipendium faciat. Itemque in Tacito, veterani queruntur tricena aut ſupra ſtipendia ſe numerare. Et rurſus: Sed iterum hic aliqua hæſitatio ad annum quadrageſimumſeptimum, quem finem militiæ dicti Scriptores faciunt, at alij disertè quinquageſimum. Seneca *de breuitate vitæ cap. vltim.* Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, Fabius, vt militia vacaret, ex lege quoque quinquagenarius eſſet, Legem vterque nominat, an poſterioribus temporibus latam? an potius iam olim illa lex, ſiuè mos? nam & in Liuio bello Macedonico decretum nulli, qui non maior annis quinquaginta eſſet, vacationem militiæ eſſe. Qui igitur conciliamus iſta cum inſtituto Seruij? Belle: nam exiſtimo manſiſſe quidem illud de annis quadraginta ſex communiter: ſed pone aliquem caſu, aut morbo ſtipendia ſua intra id tempus non impleſſe: dico cogi potuiſſe vſque ad annum quinquageſimum: iſte igitur quinquageſimus annus plenè liberat, ſiue facta ſtipendia, ſiue infecta. Cui & aſſentire videtur Tiraquellus *in Alexand. dict. lib.* 1. *cap.* 17. *litera T.* Ex quibus apparet militem quadrageſimoſexto anno ætatis, ſi continuò militaſſet, ſtipendia adimplere conſueuiſſe, & veteranum fieri ſin minus caſu aliquo vel morbo, quinquageſimo ætatis anno: nam citra illud tempus nemini conceſſa militandi facultas, niſi in caſu à Tiraquello *vbi ſupra* relato.

Apud

7 Apud noſtrates verò, qui viginti annos continuè & ſucceſſiuè militarit, veteranus efficitur, & bellica ſtipendia adimpleuiſſe Regali ſanctiore decernitur à Philippo II. Hiſpaniarum Rege anno 1569. edita, etſi per id tempus nequaquam militiam fuerit inſequutus, cùm ad quinquageſimum annum completum peruenerit, ita à militia ex Regio indulto excuſatur, vt cogi minimè ad bellum poſſit, vti ab ordinatione Regia fratri noſtro D. Ferdinando de Guzman militiæ Regni Toletani ſummo Præfecto miſſa deprehendi, ibi: *Primeramente ſe os aduierte, que aunque quando los años paſſados ſe tratò deſta materia, ſe acordò, que los hombres que huuieſſen de ſeruir en eſta milicia, fueſſen de diez y ocho à veinte, y haſta quarenta y quatro años: Deſpues ſe ha conſiderado, que aſſi por ſer eſta gente para la defenſa del Reyno, à que todos los naturales del eſtan obligados, como por la dificultad que auria de aueriguar la edad de quarenta y quatro años, y que podria auer fraudes en los que ſe huuieſſen de elegir para ella, conuiene que ſe eſtienda à cincuenta, y que los deſta edad abaxo, haſta los diez y ocho ſean comprehendidos en la obligacion de poder ſer elegidos, y compelidos à ſeruir en la dicha milicia, en caſo que no lo quiſieran hazer de ſu voluntad.* Quod eorum opinioni magnoperè conuenit, qui exiſtimant etiam de iure communi maiores quinquageſimo anno ad bellum cogi non poſſe. Ita Gloſſa *in l. 2. C. de his qui non implent ſtipend.* Florian. *in l. inuiti la 1. ff. de teſtibus*, Bertachinus *verbo maior ſub num. 10. verſic. Maior. 50. annorum*, Tiraquel. *in l. 6. connub. gloſ. 1. num. 8.* Sed verius eſt prædicto iure ſeptuageſimum annum ſolummodò ab hoc onere immunitatē afferre, quia perſonale eſt, vt probabimus *anno 70.* vbi de excuſatione à muneribus ciuilibus & perſonalibus, & confirmatur de iure antiquo patrio in *l. 2. tit. 19. part. 2.* Cæterùm hodie prædictæ nouiori ordinationi ſtandum erit, qua à quinquageſimo anno eiuſmodi muneris vacatio conceditur.

ANNVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Ingenium an quinquageſimoſecundo ætatis anno deficiat? 1. & 4.

Scribendi, libroſque conficiendi quæ ſit aptior ætas? ibid.

Ingenium, etiam in brutis, & inanimatis rebus agnoſcitur. 2.

Ingenium quot modis accipiatur? 3.

Poſt annos duodequinquaginta ſolùm debilitatur ingenium, non verò in totum abſumitur. 5.

QVÆSTIO VNICA.

Ingenium quando in homine finiatur?

Avtore Ariſtotele *in Politicis* obteſtatur Eraſmus Roterodamus *adagiorum Chiliad. 1. cēturia 5. adagio 36. in fine*, poſt annos duodequinquaginta ingenij vigorem in hominibus naturaliter euaneſcere, eo forſitan, quia tunc in ſenectute exiſtunt, quæ quinquageſimo anno incipit, vt ſuprà ex meliori ſententia probauimus, cui etſi mens aliqua eſſe ſoleat, acumen & ingenium ſemper deficit. Vnde meritò Velazquez de Azeuedo *in ſua arte memoriæ lectione 4. §. 5. verſic. La quar-* 1

quarta, notat totum hoc vitę ſpatium vſque ad quinquageſimum, vel quinquageſimumſextum ætatis annum aptiſſimum eſſe ad lucubrationes cuiuſcumque ſcientiæ, vel materiæ literis mandandas, quaſi eo tempore ingenium vigeat, & poſtmodum velut ipſo ſenio intercidat, quæ ineptiſſimos homines, & belluis non abſimiles reddit.

2 Cui ſententiæ haud repugnat Conſult. in *l. Ædiles aiunt. 38. §. quæſitum, de ædilitio edicto*, qui etiam in animalibus ingenium agnoſcit his verbis: *Idem*, ait, *ſi nata ſit*, de mula loquitur, *eo ingenio aut corpore, vt alterum iugum non patiatur, ſanam non eſſe*, vt & in his etiam, quæ anima & ſenſu carent, Imperator in *l. ſi quis intra. 7.* ibi: *Et plena deſcriptio comprehendat, quod ſpatium, & quod ſit ruris ingenium, C. de bonis proſcriptor.* & Virgil. 2. *Georgicor. Nunc locus aruorum ingenijs*, Tacituſque *lib. 5. Locorum ingenio*, ſcribens, *ſeſe contra imbelles Regias copias tutabatur*. Quibus probari videbatur adhuc poſt ſenectam homines irrationales, & ſenſu carentes efficientem, ingenium ad futurum vti & brutis & inanimatis adeſt.

3 Siquidem ingenium aliud in hominibus, aliud verò in brutis & inanimatis ſignificat: eſt enim hominis ingenium, vt poſt alios obſeruauit Couarrubias *in Theſauro linguæ Hiſpanicæ verbo ingeniū*, naturalis quædam vis, ſiue perſpicuitas intelligendi, & ratiocinandi ſolis hominibus indita: at verò in cæteris creaturis ingenium prò ipſarum natura, aut provi cuicumque animali ingenita accipitur, vt in dicta *l. ſi quis intra 7.* notat Gloſſa marginalis, & expreſſiùs Barnabas Briſonius *lib. 9. de verborum ſignificatione, verbo ingenium.* Vnde cùm diuerſo ſenſu ingenium in brutis & in hominibus vſurpetur, à diuerſiſque non fiat illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de muneribus*, ex eo quòd in brutis hoc ingenium datur, inferri vix poterit, etiam & illud in hominibus poſtquam, iam ſenectute incipiunt ad brutalitatē delabi, dari debere. 4
Etſi non me lateat eundem Ariſtotelem *lib. 7. Politicorum cap. 16.* aſſerere mentem, & intellectum pleriſque maximè vigere circa quinquageſimum annum, cui conſentit Philoſtratus *lib. 5. de vita Apolonij cap. 9.* dicens Claudium annos natum quinquaginta Imperium eſſe adeptum, quo tempore in hominibus vigere maximè ſolet ingenium: & Manuel Rodriguez *tom. 3. Quæſt. regular. quæſt. 34 art. 2.* ea ratione ſentiens quinquageſimo ætatis anno fore Generales & Prouinciales Religionum eligendos.

Itaque exiſtimo præſignato annorum numero non in totum ingenium extingui, ſed magna ex parte debilitari, eamque intelligendi & ratiocinandi vim amittere, quam vulgò acumen nuncupamus, cùm hæc ferè ſemper iuuentutem comitetur, nec ideò ea amiſſa ingenio carere quinquagenarios abſolutè credendum eſt, cùm id ſaltim retineant, quod Reipublicæ adminiſtrationi, & cuicumque muneri publico obeundo ſat eſt, nempe cordatum, maturumque ingenium. 5

ANNVS
1 # QVINQVAGESIMVS
QVARTVS.

SVMMARIVM.

Teſtes de immemoriali deponentes, quinquaginta & quatuor annorum ſaltim eſſe debent. 1.

Teſtis ſuper immemoriali, de viſu quadraginta annorum præcisè deponere debet. 2.

Tempus litis non computatur in quadrageſimo anno. 3.

Fœminæ ſi ſecundum & quinquageſimum annum egerint, de immemoriali poſſunt teſtificari. 4.

Quinquaginta annos cum alterius dimidio ad imme-

immemoriale teſtimonium proferēdum ſufficere, qui affirment? 5.
An quis poſt decimum quartum annum poſſit de his quæ in pupillari ætate vidit, teſtificari? 6.

QVÆSTIO VNICA.

Teſtes ſuper immemoriali præſcriptione deponentes, cuius ætatis eſſe debeant, vt probent?

1 TEnet communis, quinquaginta & quatuor annorum ſaltem eos eſſe debere ex ſententia Floriani *in l. ſeruitutes num. 36. verſic. Tu dic contra. ff. de ſeruitutibus*, Caputaquenſ. *deciſ. 290. part. 3.* Rotæ *deciſ. 76. num. 3. & deciſ. 254. num. 2. & deciſ. 445. num. 1. part. 1. in recentioribus, & deciſ. 248. ſub num. 3. part. 2.* ibidem Lapi, Geminiani, & Lanfranc. *in cap. 1. de præſcriptio. lib. 6.* Crauetæ *de antiquitat. tempor. 4. part. § abſolutis num. 3.* Federici Scoti *tom. 3. reſponſo. 13. num. 37. lib. 6.* Hortenſ. Caualcan. vbi numerus iſte annorum mendoſe legitur, *in praxi teſtium part. 1. numero 28.* quibus conſentiunt Proſper. Farinac. *deciſ. 254. num. 1. & deciſ. 481. num. 4. tom. 1. nouiſſimar. & deciſ. 243. num. 10. tom. 2. nouiſſim.* Alexand. Ludouiſ. *deciſ. 298. num. 1.* & ibidem Oliuer. Beltramin. *num. 12.* Ioan. Baptiſt. Coccin. *deciſ. 345. num. 4.* Sixtinus de Regalibus *lib. 1. cap. 5. num. 153.* Camillus de Medicis *conſil. 152. num. 62.*

2 Et meritò; nam cùm teſtes de immemoriali deponentes, neceſſariò de viſu quadraginta annorum debeant teſtari, *l. 41. Tauri* Gloſſa, quam Rota paſſim ſequitur *in cap. 1. verbo memoria de præſcript. in 6.* Farinac. *dict. deciſ. 254. num. 1. & 2. & dict. deciſ. 244. num. 10.* Ioan. Baptiſta Coccin. *dict. deciſ. num. 3.* Caſtill. *tractata de tertijs cap. 27. num. 7.* oportet vt tempore quo videre cœperint, doli ſint capaces, & illius intellectus, qui regulariter in teſtibus, vt fidem ſaltim in ciuilibus faciant, deſideratur. Vnde cùm puberum is ſit, veluti ſuo loco ſuprà *anno 14.* probauimus, quartumdecimum annum eo tempore habeant, operæpretium erit, ex ſententia Rotæ *deciſ. 557. in fine, part. 4.* nouiſſimè Beltraminij & Coccini *vbi proximè*, ac per conſequens vt ſecundùm rectam computationem quinquageſimumquartum annum excedant ad validè de immemoriali deponendum.

Cuius ætatis completæ teſtes eſſe debebunt, omni eo tempore ſubducto, quo lis cœpta fuit, ex doctrina Bartoli *in l. Celſus num. 26. & ſequentibus, ff. de vſucapion.* quam proſequitur Rota *deciſ. 248. num. 4. part. 2. in recentioribus*, & apud Farinacium *dict. deciſ. 244. num. 10.* & ideò infert Oliuerius Beltraminus *loco vbi ſuprà*, ſi quam plures anni ſint, quibus lis cœpta ſit, adeò quòd veriſimiliter non poſſint repetiri teſtes, qui deducto de medio tempore litis habeant huiuſmodi ætatem, tunc immemorabilis dicetur improbabilis authore Seraphino *deciſ. 1450.* 3

Quod vtique de viris tantùm dictum velim, non verò de fœminis, quibus vt citiùs pubertas contingit, ſcilicet duodecimo anno, ita & breuiori temporis ſpatio, annorum nempe duorum & quinquaginta, licèt de immemoriali deponere, ex ratione ſuperius perpenſa. 4

Nihilominus non defuerunt, qui hanc ætatem quatuor & quinquaginta annorum non eſſe præcisè neceſſariam in teſte de immemoriali deponente aſſererent, quinquageſimum tantùm annum ad hoc ſufficiens tempus exiſtimantes: ita docet poſt Milleum, Florianum, Lapum, Dominicum, Francum, Crauetam, Caſtaneum, Caſtillum, & Couarrubiam, Ludouic. Molina *lib. 2. cap. 6. num. 40. 41. & 42.* Ioan. Matiençus *in l. 1. tit. 7. gloſ. 9. lib. 5. Recopilat.* Ioan. Garſia *de expenſis & meliorationibus cap. 9. num. 9.* Valençuela Velazquez *conſil. 93. num. 33.* Velazquez de Auendaño *in dict. l. 41. Tauri gloſ. 12.* Caſtillus *dict. tractat. de tertijs cap. 27. num. 7. & 8.* Vbi ex his omnibus reſoluit ſufficere huiuſmodi teſtes eſſe quinquaginta annorum cum dimidio, cùm teſtis, qui decem annos cum dimidio expleuit, doli capax eſſe cenſeatur, & eius ætatis, qua poſſit quidquid videat, ſenſu & intellectu percipere. Vnde vulgò circumfertur, quòd poſt decimumquartum annum quilibet de his poteſt teſtificari, quæ in pupillari ætate fieri vidit, vt alibi probauimus, & tradidit idem Caſtillo *dicto loco*, cuius ſententiam non inficiabor ſatis etiam probabilem & tutam eſſe. 5 6

ANNVS

ANNVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS.

SVMMARIVM.

NVlla ætas ab honoribus excuſat. 5. Decurionatus honos dicitur. ibid. Maiores quinto & quinquageſimo anno ad Decurionatum inuiti vocari nequeunt. ibid.
L. à muneribus. 12. C. de Decurionib. lib. 10. illuſtratur. 2.
Condemnatus extra ordinem, vel ſaltim interlocutoria, vt ab honoribus in perpetuum abſtineat, tantùm pro tempore quo iudicis officium durauerit, condemnatus præſumitur. ibid.
Ab honore ad eundem, vel alium honorem, quæ vacatio eſſe debeat? 3.
Decurionatus ex ſui natura, plus oneris & muneris, quàm honoris habet. 4.
Munera quæ ad Decuriones ſpectabant, recenſentur. 5.
Aliquem Decurionem albo adſcribere. ſupplicij loco habebatur. 6.
Honores ſunt qui contineant infamiam. ibidem.
Chriſtiani pœnæ cauſa ab Ethnicis Decuriones fiebant. 7.
Decurionatus magis pro munere quàm pro honore fuit receptus. 8.
Ætas quare à Decurionatu excuſet? 9.
A muneribus mixtis nulla ætas excuſat. 10.
Decurionatus an ſit munus mixtum? ibid.
A muneribus, quæ exigui laboris ſunt, Decurio ætate excuſari nequit. 11.
Senex Decurio electionibus officialium intereſſe debet. ibid.

QVÆSTIO VNICA.

Quo ſenectutis tempore Decurionatus immunitas contingat?

LIcèt apertiſſimum ſit nullã ætatem, quamuis ſeptuagenariam, ab honorum functione excuſationem parere, vt inquit Iuriſconſult. *in l. in honoribus.* 8. *in princip. ff. de vacatione & excuſatione muner.* & fuſiùs infrà dicemus: Decurionatus attamen excipitur, qui licèt honor ſit *l. ſpurij 6. in princip. & poſterioribus verbis, ff. de Decurion. l. à Decurionatu 5. ff. de vacatione muner.* notat Petr. Faber *in l. 2. n. 9. de regul. iuris*, Ferrer *lib. 1. ſelectar. c. 12.* anteà Cuiac. *lib. 1. reſponſ. Papinian. in d. l. 8.* Oſuald. *lib. 2. Donelli c. 21. lit. E.* Nicolaus Loſæus plures referens *de iure vniuerſit. p. 1. c. 3. n. 26.* ad cuius dignitatem maiores annis quinquaginta & quinque inuiti vocari conſtitutionibus prohibentur, *l. 2. §. vltim. l. non tantum. 11. ff. de Decurionibus*, quibus meritò ſubſcribunt Cuiacius *vbi ſuprà*, Guidus Pancirolus *tractatu de magiſtratibus municipalibus cap. 2. circa finem*, Petrus Gregorius *lib. 18. ſyntagmat. cap. 12. num. 10.* 1

Et niſi mens decipitur, id ipſum ſignificare voluiſſe Imperatores mihi videtur in *l. à muneribus. 12. C. de Decurionibus lib. 10.* ex quo à muneribus Decurionatus, ſiue ab ipſo Decurionatu, nec ſententiam Præſidis in perpetuum, nec annos quinquaginta excuſare affirmant. Non quidem ſententia, quantumuis Præſidis, & eo animo lata, vt in perpetuũ vacationem inducat, quia vt communiter *ibidẽ* Scribentes proferunt, quãdo iudex extra ordinẽ, ſeu per interlocutoriam non verò diffinitiuè, & præhabita cauſæ cognitione in pœnam pronuntiat aliquem ab honoribus, vel muneribus immunem eſſe debere, talis ſententia non in perpetuum, ſed prout iudicis officium durat, excuſationem affert, *l. Imperator. 43. in principio, ff. de pœnis, c. præſenti, de officio legati in 6.* obſeruat Gloſ. *in l. ſi certarum, §. final. ff. de teſtament. milit.* 2

Nec

Nec tandem quinquaginta annorũ ætas immunem aliquem à Decurionatu efficere poterit, inquiunt, ſiquidem, vt *proximè* notauimus, quinquaginta & quinque deſiderantur ad eiuſmodi excuſationem.

3 Cuius diſcriminis rationem, ſcilicet, vt cùm nulla ætas ab honoribus, à Decurionatu tamen, qui honori adſcribitur, quinquaginta & quinque annorum excuſet, illam eſſe putat doctiſsimus Cuiacius *vbi ſuprà*, quia ab honore ad eundem, vel alium honorem eſt certi temporis, puta quinquennij, vel triennij vacatio, *l. 17. §. præſcriptio ad municipalem*, à Decurionatu ſuſcepto ad alium honorem nulla intercapedo eſt, *dict. l. à Decurionatu 5. ff. de vacatione munerum.* Sed certè hæc potiùs veræ rationis confirmatio, quàm ipſamet legitima differentiæ
4 ratio mihi videtur, vt ex proximè dicendis planum fiet. Quocirca eam eſſe probabiliùs exiſtimo, quia Decurionatus natura ſua plus oneris & muneris quàm honoris habet, argumento *l. relegatorum 7. §. fin. de interdict. & relegat.* idque ex eo apparet, quòd omnia ciuitatum munera per Decuriones explicabantur, vt non obſcurè Vlpianus indicat in *l. 2. in princip. ff. ad municipalem: Quoties filiusfamilias*, inquit, *voluntate patris Decurio creatur, vniuerſis muneribus, quæ Decurioni filio iniunguntur, obſtrictus eſt pater*: quod vno verbo in *d. l. à muneribus 12.* Imperatores inſinuarunt: dum *à muneribus Decurionatus*, pro eo quod eſt à Decurionatu, Præſidis ſententia, vel annis quinquaginta
5 non excuſari reſponſitarunt: ſciebant enim ad Decurionatus officium pertinere pecuniam publicam tractare, ſiue erogandam decernere, annonam prouidere, curatores frumenti, oleique comparandi, vel operum publicorum, vel alterius negotij proprio periculo conſtituere: Tutores etiam dare, ab eiq; ſatis exigere, idoneis quidem fideiuſſoribus: Tributa itidem, cenſus, vel Reipublicę legata à debitoribus extrahere, & tandem quæcumque ad optimam publicæ rei adminiſtrationem expediebant, ipſius curæ, & ſolicitudinis eſſe, *d. l. 2. §. 1. l. non debere 8. dict. l. libertus, §. præſcriptio, verſicul. Exigendo, l. Lucius 21. l. vlt. §. Imperatores, ff. ad municipal. l. ex facto, ff. de negot. geſtis, l. Decuriones 5. ff. de adminiſtrat. rerum ad ciuitat. pertin.* Quibus muneribus adeò De-
6 curionatus officium laborioſum, omnibuſque inuiſum, exoſumque extiterat, vt quoad poſſet quiſque Curiam defugeret. Nec mirum quidem, cùm ſupplicij loco haberetur aliquem albo Decurionum adſcribere. Quò reſpexiſſe videtur Conſult. in *dict. l. relegatorum, §. fin.* & Imperator *in l. 1. C. de infamibus lib. 10.* cùm inquiunt eſſe honores qui contineant infamiam, vt ex his nouiſsimè obſeruat Iacobus Gallus *in apicibus iuris, in explicatione dict. l. relegatorum in fine fol. mihi 126.* ſed expreſſiùs id edixit Macer Iuriſconſult. *in l. 2. de bonis eorum qui ante ſententiã*, ibi: *Si is, de cuius pœna Imperatori ſcriptum eſt, veluti quòd Decurio fuerit, vel quòd in inſulam deportari debuerit, &c.* Vnde Chriſtiani pœnæ cauſa ab impijſsimis deteſtandiſque illis Principibus Curijs addicebantur, vt autor eſt Caſſiodorus *lib. 1. Hiſtoriæ Tripart. capit. 9. & lib. 6. capit. 7. & lib. 7. capit. vltim.* refert Barnab. Briſon. *ſelectar. iuris ciuilis lib. 4. cap. 13.* vbi etiam ſubijcit, pro his, alijſque muneribus Decurionatui plura fuiſſe priuilegia indulta, inter quę & illud potiſsimum conceſſum exiſtimo, vt honorum numero haberetur, vt fortè, ciues eius dignitate, & Priuilegijs allecti muneris onus nedum minimè recuſarent, ſed appeterent.

Hinc eſt Decurionatum apud Conſultum muneris potiùs quàm honoris loco habitum. Nam cùm ex Modeſtini ſententia in *l. honorem 10. ff. de muneribus & honoribus*, honorem ſuſtinenti munus imponi non poſsit, è contrario verò ſuſtinenti munus honor deferri queat; ita & Decurionatum habenti, quaſi muneris geſtori, alius honor indici poteſt; *l. à Decurionatu 5. ff. de vacatione muner.* & cui pœna iniuncta erat, ne honores adipiſceretur; non ea res facit, inquit Vlpian. *in dict. l. relegatorum 7. §. item poteſt alicui, de interdictis & relegatis*, vt Decurio eſſe deſinat. Cùm fieri poſsit, vt quis Decurio ſit, ad honores autem non admittatur. Quod cùm veluti conuenientiſſimam rationem excuſationis Decurionatus, prætextu maioris excuſationis Decurionatus, ad differentiam cæterorum honorum tradidiſſet, *vbi proximè* Cuiacius, meritò veridicę rationis confirmationem, quam ipſiſſimam diſcriminis rationem appellaui.

Ergo cùm Decurionis officium in eo à reliquis honoribus diſtet, quòd illi potiùs muneris quàm honoris & dignitatis nomen conueniat; quapropter ipſius, non aliter pleriſque in rebus, atque ſi munus eſſet, ratio habetur, æquiſſimum erat, vt veluti à conſimilium perſonalium munerum functione grandior ætas excuſat, *l. maiores 3. de iure immunitat. l. 1. C. qui ætate ſe* ex-

excuſant, cum ſimilibus alibi referendis. Ita & à Decurionatu, alijs omnibus proculdubio granius, & pene incõpatibile munus, nec eadem vtique 70. annorum ætas, ſed quinquaginta & quinque vacationem afferret.

Sed dicer aliquis, & obloquetur: ſi enim
10 vt inferiùs anno 70. aparebit, cûm de honorum immunitate ob ſenectutẽ diſcuſſerimus, nulla ætas nedum ab eis honoribus excuſat, qui omnino in dignitate, & ſplendore conſiſtunt, verûm & ab illis, qui partim in honore, partim etiam in perſonali munere exiſtunt, quare mixti appellantur. Quomodo ergo, quinquaginta annorum ætatem ideò à Decurionatus honore excuſare affirmamus? quia licèr dignitas ſir, muneris tamen plurimum habet. Sed facilis erit diſſolutio, ſi ex ſupradictis obſerues, Decurionatum non ſolûm partim, verùm omnino in plurium munerum adminiſtratione conſiſtere, quorum reſpectu honor exiguum quid eſt, & id flocci pendibile, cùm nullus priſciori illo ſæculo reperiretur, qui vltroneus & nullo imperio cogente, vellet illum obire.

Conſtar ergo ex ſuperioribus, quinqua- 11
ginta & quinque annorum ætatem à muneribus Decurionatus excuſationem afferre, quod ita temperandum erit, niſi munera adeò exigui laboris, & leuiuſculæ occupationis exiſtant, vt cito abſque ſenectutis oppreſſione expediri poſſint, vtputa electiones officialum, quæ ad Decuriones ſpectare inquiunt Imperatores in *l. 2. C. de Decurionibus lib.* 10. ſenes etiam Decuriones, & qui ob eam cauſam vacationem meruerunt, nulla admiſſa ſenectutis excuſatione intereſſe debent, *l. Decurion.* 41. *C. eodem titul. & lib.* vbi illam rationem aſsignat Ioann. de Platea, quia augebunt numerum duarum partium Decurionum, ſeu vniuerſitatis: & ſic exiſtente ſufficienti numero, res citiùs expedietur.

ANNVS SEXAGESIMVS.

SVMMARIVM.

SEniores qui dicantur? 1.
Senior dicitur comparatiuè, habito reſpectu ad minus ſeniorem. 2.
Senior apud noſtros quid ſignificet? 3.
Iuuenis ad quam ætatem dicatur? 4.
L. non tantum 11. *ff. de Decurionibus, illuſtratur.* 5.
Adverbium aliàs *pro alio caſu ſolet accipi.* 6.
Seniorum excuſatione iuniores onerari non debent. 7.
Senior etiam pro valde ſene accipitur. 8.
Senectutis tres ſunt partes. 9.
Septuagenarios ſeniores dici, qui affirmant? 10.

QVÆSTIO I.

Inter ſeniores qua ætate homines connumerentur?

SI Seruio Tullio credendũ eſt,
1 is enim, vt refert Aulus Gelius *lib.* 10. *noct. Attic. capit.* 28. poſtquam ad annum quadrageſimum ſextum iuniores definijt, ſupra illum annum ſeniores appellauit, planè ſentiens, primam ſenectutis partem ætatem ſeniorum eſſe. Cui concinit Varronis ſententia, qui à quadrageſimo quinto ad ſexageſimum exiſtimat ſeniores dici, ſenes verò vſque in finem vitæ. Qui-

Quibus manifeſtè ſubſcribunt Caluinus in *Lexicon iuris, verbo ætas, verſicul. ætatem in quinque,* Thom. Accius *de infirmitate legali part. 1. capit. 19. numer. 23.* & ante eum ſubtiliſsimus Iacob. Cuiac. *lib. ſingular. reſponſion. Vlpij Marcelli, in l. non aliter 36. de legat. 3.* vbi differentiam notat, quam inter ſeniores & ſenes Varro conſtituit, ſeniores ita dici affirmans, quaſi non valde ſenes, cùm ipſis maiores exiſtant ſenes, & his omnibus planè ſenes. Moueturque in hanc exiſtimationem ex *dict. l. non aliter, & ex l. non tantum 11. de decurionib.* vbi idem ſeniorum & ſenum diſcrimen preſcribitur. Senioreſque illi denominantur, quibus annus quinquageſimus illuxit, & demum Virgilij teſtimonio adducitur *lib. 6. Æneidorum.*

Iam ſenior, de Caronte loquitur, *ſed cruda Deo,*
Viridiſque ſenectus.

Ex quo apertè deducit, ſeniores eſſe crudi, & viridis ſenectutis homines.

2 Verumtamen hęc Cuiacij præſidia non ita firmam opinionem reddunt, vt contrarium, & quidem magis probabiliter tentari, & amplecti nequeat, maximè cùm ipſa nominis ſignificatio euincat, ſeniorem comparatiuè dici habito reſpectu ad minus ſenem. Vnde theſaurus linguæ Latinæ, *Senior*, inquit, *comparatiuum, valde ſenem ſignificat.* Cui propriſſimæ ſignificationi accedit Philoſophorum & Medicorum ſententia, qui eodem ſenſu ſeniores accipiunt, & à ſenibus diſcernunt, vt diſertiſſimis his verbis profitetur Galenus *lib. 3. aphoriſmor. comment. vltim. Senes à ſenioribus nonnulli Hippocratis ſectatores diſtinguunt, nomen ſeniorum vltimæ ætati tribuentes, & hoc perpetuum eſſe exiſtimantes; ſenes autem in priori ætate ſtatuentes, quæ media eſt inter iuuenes & ſeniores.* Quibus verbis relatis idem ſentire videtur Petr. Garſia *in Auicennam fen. 1. lib. 1. doctrin. 3. capit. 3. diſputation. 16.* faciunt tradita à Ioanne Buſæo *tractatu de ſtatibus hominum, de ſtatu ſenectutis capit. 1.*

3 Et conducit pro hac opinione quod obſeruat Pat. Mariana *in notis ad caput 16. Matthæi verſic. 21.* & poſt eum expreſsiùs Sebaſt. Couarruu. *in theſauro linguæ Hiſpanicæ,* verbo *Señor,* ſcilicet ætate prouectos, ideò ſeniores (quod apud noſtros *Señores* valet, & apud Latinos *Domini, cap. 1. de cenſibus, capit. 1. de probib. feudi alienat. per Lotar.* cum ſimilibus traditis ab Alberico *in dictionario verbo Seniores ab antiquis, cap. de illis 6. quæſt. 3.*) Bobadilla *in Politic. lib. 2. capit. 16. numer. 23.* & nouiſſimè Auguſtin. Barboſ. *in collectan. ad proœmium Cod. numer. 10.* & Velaſcus *de priuileg. miſerabil. quæſt. 18. numer. 32.* fuiſſe appellatos, vt vel hoc honoris cognomento obſequium, & reuerentiam conteſtarentur, quia ſenectutem proſequebantur. Quocirca cùm priſciori ſæculo illi tantùm ſenes honore, & veneratione digni arbitrarentur, qui mediam ſenectutem agebant, vt manifeſtè deprehenditur ex verbis Caliſtrati in *l. ſemper 1. iuncto verſic. Hoc circa, ff. de iure immunit.* vbi cùm initio dixiſſet, ob prædictam reuerentiam ſenes à munerum functione excuſandos, *dicto §.* ſubiungit velut per neceſſariam conſequentiam, eos prædicta ex cauſa à ſimilibus functionibus non excuſari, qui ſeptuagenarij non exiſtunt: ergo ſignum eſt prædictę mediæ ſenectuti honorem ſolummodò fuiſſe delatũ, ac per conſequens eo tempore ſeniores verè extitiſſe.

4 A quo minimè diſſentit Conſultus *in dict. l. non aliter*, nam vt ſuprà *anno 50.* explicauimus, cùm de adoleſcentia contigit diſputare, ex eâ potiùs velut præcipuum opinionis noſtræ ſuffragium deſumitur. Siquidem cùm ſignificare Marcellus voluiſſet, quàm variè iuuenes vſurparentur, adeò quidem hoc eſſe affirmat, vt ſecundùm latiſſimam hanc aſſertionem iuuenes etiam poſsint hi omnes appellari, qui ſenes ſunt, donec incipiant inter ſeniores connumerati, ideſt, vſque dum annum ſexageſimum ætatis agant.

5 Nec aliud voluiſſe Caliſtratum *in dict. l. non tantum*, credet qui eiuſdem verba ſecum attentè penſitauerit, ait enim quinquaginta & quinque annis maiores, quos non ſeniores vocat, ſed grandes natu, à Decurionatu in perpetuum eſſe immunes, & interiecto puncto ſecundum veriorem ſcripturam Gotophredi ſubiungit, *non aliàs ſeniores,* ſiue vt interpretandum reor, non alijs in caſibus etiam ſeniores in perpetuum excuſantur, *Ne ſeniorum excuſatione,* proſequitur, *iuniores onerentur ad omnia munera publica ſuſcipienda ſoli relicti.*

6 Et hunc eſſe iſtius legis congruentiſſimum ſenſum inde patet, quòd aduerbium *aliàs* pro *alio caſu* ſolet à Iuriſconſultis adſcribi, vt in *l. qui teſtamento 20. §. mulier teſtimonium 6. ff. de teſtamentis*, ex qua ita obſeruat Puteus *deciſion. 170. in fine libr. 3.* & Auguſtinus Barboſa *tra-*

ctat. de clauſul. & diction. diction. 9. *numer.* 3.

7 Deinde, quia ſi appellatione ſeniorum primæ ſenectutis homines, ſeu quinquagenarij in *dict. l.* continerentur, planè abſurdum eſſet inconueniens, quod ex ipſorum excuſatione notat Conſultus, ſcilicet, *Seniorum excuſatione iuniores onerari ad omnia munera publica ſuſcipienda, ſoli relicti*: ſiquidem etiamſi quinquagenarijs, vel quadragenarijs à Decurionatu immunitas concederetur, non ideò iuniores onerati viderentur, nec ſoli relicti ad cætera publica munera ſuſcipienda, cùm illa etiam ſeniores obire teneantur donec annum ſeptuageſimum ætatis expleuerint, *l.* 2. *in fine, ff. de decurionibus, l. & qui originem* 3. §. *quamuis, ff. de muneribus & honoribus, l.* 2. §. *numerus, ff. de vacation. muneror.* & pluribus ſuo loco probauimus. Ergo cùm tunc ſolùm iuniores grauati cognoſcerentur, quando qui ſeniores eſſe incipiũt, & ſexageſimum annum exceſſerunt, ab omnibus, & quibuſcumque publicis muneribus immunes redderentur, quia ſoli munerum functioni relinquebantur, ex neceſſitate rationis tenendum erit primæ ſenectutis homines ſeniorum denominatione hac ſpecie non fuiſſe deſignatos, ſed eos tantumdem qui ad ſecundam ſenectutis partem annum ſexageſimum agentes peruenerunt, nec ſeptuageſimum fuerunt egreſsi, vt noſtra fert opinio.

8 Minuſque fauet Cuiacio Virgilij locus: nam etiam qui cum eo ſentiunt ab anno quadrageſimoquinto ſeniores dici, aliam eſſe hoc carmine ſenioris ſignificationem, & progreſsioris ætatis hominem indicare arbitrantur: è quibus clariùs id exprimit Adrian. Turneb. *aduerſarior. lib.* 22. *c.* 18. *in principio*, vbi relato Virgilio, ſic ait: *Scribit Maro de Charonte lib.* 6. *Æneidor. hic ſeniorem quiſpiam intelligeret, qui iam* 45. *annum exceſſit, nam ab hac ætate ſeniores dicebantur apud Romanos: in iuniores enim & ſeniores diuidebãtur Romani. Quã in ſententiã diſcedere videtur Seruius. Mihi tamen videtur eſſe qui progreſſiore eſſet ætate, cùm ſcribat*: cui plurima meritò canities inculta iacet: *ſed ætatem bene ferret, vt ſenectus cruda videretur, & viridis*, &c. cui concinit Philoſtratus *in Philoctetem*: *Canum quidem*, inquit, *vt iam ſexaginta annos natum, ſed præter multos iuuenes vigentem.*

9 Ex quibus omnibus planè conuincitur, ſeniores, propriè loquendo (fateor enim aliquando impropriè ſumi, vt ſentit Paul. Zachias *medicolegali tomo* 1. *titul.* 1. *quæſt.* 7. *numer.* 23.) eos eſſe, qui mediam ſenectutem patiuntur, & ſexagenarij exiſtunt. Nam vt ex Philoſophis dictum extat ſuprà *anno* 50. ſenectutis tres ſunt partes. Prima ſenũ à quinquageſimo anno ad ſexageſimum: ſecunda, vel media, à ſexageſimo vſque ad ſeptuageſimum, quam exitam, vel ſenectam ætatem Lypſius vocat in *Criticis lib.* 1. *capit.* 21. *pagina mihi* 423. eorum ſcilicet, qui comparatione præcedentium ſeniores vocantur: & quidem vltima à ſeptuageſimo ad extremum vitę computanda, decrepitorum eſt; vt hanc noſtram ſententiam præſenſiſſe videtur Aul. Gellius *noct. Atticar. libro* 15. *cap.* 7. vbi annum ſexageſimum & tertium agentes ſeniores vocitat, Mathias Colerus *in capit. quoniam frequenter* 5. *in principio num.* 3. *vt lite non conteſtata*, cùm, in- 10
quit, communiter inchoari annos ſenij ab anno ætatis ſexageſimo. Etſi non me lateat voluiſſe Gloſſam *in d. l. non aliter*, quòd ſeniores dicantur in ſeptuageſimo anno conſtituti: ſed hoc non ſemper habere veritatẽ, tum ex ipſa Gloſſa, tum etiam ex ſupradictis patet, vt etiam fatetur Paulus Zachias *d. q.* 7. *num.* 23.

SVMMARIVM.

Sexagenarios tantùm ſenes, qui debiles, & infirmi exiſtunt, à ieiunio excuſari, multi exiſtimant. 1.

Contrarium tamen alij vt probabilius defendunt. 2.

Septuagenarijs ſolummodò qui excuſationem à ieiunio præſtent? 3.

Ad hunc effectum nullam eſſe determinatam ætatem in ſenibus, ſed ex arbitrio pendere aliqui tenent. 4.

Secunda opinio vt verior defenditur. 5.

Sexageſimo anno vires humani corporis incipiunt debilitari. 6.

Senes & infantes nequeunt ieiunium tolerare. ibid.

Senum valetudo infirmitas eſt. 7.

Senibus parum, ſed ſæpè cibum ſumere conuenit. ibid.

Sexagenarij, etiam à ieiunio voti & Religionis ſunt immunes. 8.

Qui poſt ſexageſimum annum vouit ieiunium, vel religionem fuit profeſſus, an ad ieiunandum teneatur? 9.

Senes facillimè ieiunium ferrè, quomodo intelligatur? 10. *& ſeqq.*

Senectus in duas partes diſtinguitur. 12.

Fœminæ ſi ſexagenariæ, aut ſaltim quinquagenariæ fuerint à ieiunio erunt immunes. 13.

An dari poſsit opinio, quæ cùm ſpeculatiuè ſit probabilis, practicè tamen omni probabilitate careat? 14.
Senilis ætas ad ieiunÿ excuſationem incepta ſufficit. 15.

QVÆSTIO II.

Quæ ſenectus à ieiunio excuſet?

HAc ergo in diſquiſirione plures ex Interpretibus, tam noſtris, quàm Theologis, quid dicant, ignorant, & confundentes omnia Andauatorum more pugnant, quapropter vt expedite res ſe habeat, vniuscuiuſque ſententiam facili verborum ſerie proferamus, vt ſic qualis fuerit amplexanda, commodiùs appareat.

1 Et inprimis receptiſſima eſt quamplurium opinio ſexaginta annorum ſenes, debiles, & quodammodo ipſa ætate ingraueſcentes à ieiunij præcepro immunes eſſe; non vero eos qui robore, & oprima corporis habitudine vigent. Sic teſtantur Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tractat. 8. capit. 3. numer. 1. & 2.* Syluius *in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 147. articul. 4.* Tannerus *in 2. 2. diſput. 3. quæſt. 3. dubio 5. num.* 101. Læſius *de iuſtitia lib. 4. capit. 2. dub. 6. numer.* 41. Fagundez *de præcept. Eccleſiæ, tractat. 4. lib. 1. cap. 8. num. 10. & 11.* Filiucius *tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 6. num* 112. Reginald. *tom. 1. lib. 4. cap. 17. ſect. 1. num.* 209. Valentia *tom. 3. diſputat. 9. queſt. 2. punct. 5.* Azorius *lib. 7. part. 1. cap. 17. articul. 4. dubio 9. concluſ. 2.* Villalob. *in ſumma tom. 1. tract. 23. dubio 4. num. 6.* Campanil. *in diuerſ. iuris Canonic. rubr. rubric. 7. capit. 6. numer.* 151. Bonacina *de legibus diſputat. 10. quæſt. 1. punct. vltim. numer. 4.* Vgolin. *de poteſtate Epiſcop. cap. 9. & alÿ*, quos omnes ſumma cura & diligenria nouiſſimè congeſsit Antonin. Diana *reſolution. moral. part. 1. tractat. de ieiunio, reſolution. 20. in principio*, vbi & *verſic. Sequenti* iſtius ſententię præcipuas rationes ſubijcit, quas hîc tranſcribere ſupervacaneum duxi, illic enim vidiſſe non pœnitebit.

2 Contrariam verò ſenrentiam, nempe, ſexagenarios, quanruuis vegero ſolidoque corporis robore præſtantes, ieiunij legibus non adſtringi, alij, & quidem non inferioris notæ Scriprores, toto nixu defendunr. Hi ſunt Armilla *verbo Ieiunium* 3. Angles *floribus 1. part. quæſt. 6. difficult. 6.* Llamas *in ſumma part. 3. capit. 5. §. 26.* vbi ita S. Pontificem Pium V. reſpondiſſe teſtatur, cùm hac de re inrerrogaretur, Lopez *2. part. inſtructorij capit. 111. fol. 703.* Molfeſius *in ſumma tom. 1. tractat. 10. cap. 4. num. 37.* Ludouic. de S. Ioan. *1. part. ſummæ, tractat. de ieiunio, articul. 6.* Ortiz *in ſumma capit. 19. numer. 11.* elegantiſsime Pater Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſputat. 32. num. 17. verſic. Quare Caietan.* Alphonſ. Ciacon. *de ieiunijs, fol. mihi* 55. Ægid. Trullenk *in expoſitione Bullæ Cruciatæ §. 4. dubio 4. num. 4.* Portel. *in dubijs regul. 1. part. verſicul. Ieiunium numer. 1.* alter Sancius *ſelectarum, diſput. 54. numer. 8.* Diana *vbi proximè verſic. Attamen*, & nouiſſimè *1. part. tractat. 14. reſolut. 83.* Quam ſenrentiam ex noſtris etiam vti magis probabilem ſequuntur Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. capit. 805. numer. 21.* Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ hominis capit. 31. numer. 50.* & Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. q. 18. numer. 72. & ſeq.*

Cæterùm, nonnulli tertio loco aſſerunt, 3
tantummodò ſeptuagenarios ſenes ab indicto fidelibus Eccleſiaſtico ieiunio deobligari: ita Gabriel *in 4. diſtinct. 16. quæſt. 3. articul. 1. notabili 4.* Syluester *verbo Ieiunium quæſt. 6. diſt. 2.* Roſella *eodem verbo numer. 15.* Tabiena *ſimili verbo num. 18. quæſtion. 17.* Toletus *lib. 6. cap. 4. nu. 1.* in quam ſententiam inclinari viderur noſter Gregor. Lopez *in l. 25. titul. 4. part. 1.* dum *gloſſa* 1. ſenes tantùm decrepitos à ieiunio excuſari teſtatur.

A quibus omnibus diſſentiunt Caietan. 4
2. 2. quæſt. 147. art. 4. circa ſolution. ad 2. §.
quoad primum, de ſenibus, & in ſumma ver-
bo ieiunium cap. 2. Nauarrus *in manuali Hi-*
ſpano capit. 21. numer. 15. & Latino cap. 16.
Medina *lib. 1. ſummæ cap. 14. §. 10.* Pedraza
in ſumma, præcepto 3. §. 13. Valentia 2. 2.
diſput. 9. quæſtion. 2. punct. 5. §. impotentia ad
ieiunium, Philiar. *de officio Sacerdot. tom. 1.*
part. 2. lib. 3. capit. 25. cauſæ ob quas, Graf.
1. part. deciſion. lib. 2. capit. 37. num. 45. Palacius *in 4. diſtinct. 15. diſput. 8. concluſio. 4.* Rodriguez *1. tom. ſummæ 2. edition. capit. 24. numer. 1. & in expoſition. Bullæ Cruciatæ, §. 7. numer. 2.* Alphonſ. à Rnicibus
in medicina medicorum incipientium lu-
minari 2. folio mihi 65. Qui tenent, ſe-
nibus nullum eſſe determinatum tem-
pus, quo incipiant à ieiunij præcepto eſ-
ſe immunes, ſed ex fortitudine & cor-
porali robore meriri oportere. Quare to-
tum hoc prudentum iudicio eſſe relin-
quendum tutius arbitrantur. Cui videtur
aſſen-

aſſentire Marcellus Fortunatus *de veritate & errore 2. part. num.* 158. putans decrepitos tantùm (nulla præfixa ætate) à ieiunio excuſari.

5 Hæ igitur ſunt ſententię, in quas frequentiùs ab Interpretibus itum eſt; vtra enim harum ſit verior? noſtri iudicij erit definire. Et quidem ſine cunctatione affirmo, ſecundam illorum opinionem qui obteſtantur, ſexagenarios etiam vegetes, & robuſtioris naturæ, minimè Eccleſiaſtico ieiunio irretiri, probabiliorem eſſe, quamuis illam Fagundez *vbi ſuprà* parum tutam, licèt non omnino improbabilem appellet, quę vtique ſequentibus validiſsimis rationibus confirmatur.

6 Primùm, quia hac ætate fere ſemper corporis vires ſenio conflaceſcunt, & deficiunt, vt autor eſt Petrus Garſia *in Auicennam diſputat. 16. cap. 3. numer.* 4. dum media ætate interperfectam, & ſenectutem calorem reddi imbecilliorem, & actionum robur incipere minui, ex Hippocrate coniectatur, idque neceſſariò probare videtur Ariſtoteles *in Politicis*, quem refert Cœlius Rhodigin. *lection. antiquar. lib.* 30. *cap.* 3. *ad calcem*, aſſerens, corporis minui vigorem ab anno ſexto & triceſimo; qua virium defectione ieiunium tolerare minimè poſſunt, quia ſi tolerent ipſis nociuum, & pene lethale erit. Nam vt pulchrè ſcribit Auicenna 4. *princ. c.* 1. *de cibatione in feb.* quod accepit à Galeno 1. *de ratione victus* 6. ſenes debiles, & infantes eſſe ex his, qui non poſſunt tolerare famem.

7 Deinde quia etſi fateamur, vt contrariæ opinionis ſectatoribus placet, huius ætatis ſenes aliquando viribus, & optima ſanitate pollere, etiam iſtos quidem Eccleſiaſtico ieiunio non eſſe adſtrictos veridius arbitramur. Nam ſuppoſita virium decretione, quæ naturaliter hoc tempore contingit, ſenum valetudo, vt eſt in prouerbio, infirmitas eſt: habet enim tantùm ſanitatis, & rectæ habitudinis ſpeciem, ſed fauillacea vtique & illuſoria eſt, quocirca, crebriori magis cibo, & refectione indiget, quàm inedia, & ieiunij maceratione, vt ſuprà ſcripti omnes conſentiunt: & probatur Galeni teſtimonio 1. *aphoriſm. comm.* 17. vbi aſſerit quibus virtus debilis fuerit, cùm humorum defectu parum, & ſæpè eſſe porrigendum de alimento: ergo cùm talis fuerit ſexagenariorum natura & conditio, ſæpiùs oportebit illis cibum præſtare; alioqui corpus abſumetur, & ieiunium obſeruando lædebuntur.

8 Quibus, alijſque rationibus, quas ſigillatim ex ſuperiùs relatis quàmplurimi proſequuntur, indubitatum exiſtimo, ſexaginta annorum ſenes non tantùm ab Eccleſiaſtico ieiunio eſſe immunes, verùm etiam à quocumque alio, ad quod ex voto priuatim, vel in alicuius religionis profeſsione emiſſo, ſeu ex pœnitentia illis iniuncta tenebantur; ſic docet Sancius *dict. diſputat. & num.* 8. *ad finem*, refert Diana *eodem loco, verſic. Notandum eſt*, quidquid ſecus immeritò voluerint Ludouic. de S. Ioan. 1. *part. ſummæ tractat. de ieiunio art.* 6. Laiman *in Theologia Morali lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *nu.* 2. Quorum ſententiam eo tantùm caſu veram arbitrarer, 9
quo iam ſexaginta annos nactus voueret ſe ieiunaturum, vel religionem profiteretur, quia vt optimè in propoſito notat Thomas Sancius *in ſumma lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 55. cum eo impedimento ſe obligauit, quapropter inquit, niſi ſuperueniat maior, & notabilis debilitas ratione ætatis, quàm illa quæ tempore voti aderat minimè prædicto caſu à ieiunio excuſabitur.

Sed hucuſque dicta euertere, ac demoliri conatur Hippocrates *aphoriſm.* 13. *primæ ſectionis*, vbi aſſerit, ſenes facillimè ieiunium ferre, cui conſentiunt Galenus, & cum eo reliqui Expoſitores, præcipuè Alex. Maſſarius *in practica medica lib.* 5. *cap.* 15. *fol. mihi* 738. Ludouic. Mercatus *in Auicennam lib.* 2. *de ſanitate, claſſe* 3. *artic.* 4. *in princip.* Ioan. à Ruicibus *d. luminari* 2. *fol.* 62. ergo minimè tutum videtur ſuperius prolatum, videlicet ſexagenarios ob ſenectutis imbecillitatem, qua famem ſuſtinere non poſſunt, ieiunij legibus eſſe ſolutos. 10

Verùm hæc difficultas dupliciter euitari poteſt: primùm enim vt placuit Mercato *vbi ſuprà* fatendo, quòd licet facilè, ideſt tardiùs fameſcunt ſenes, dum tamen famem patiuntur, citiùs & vehementiùs læduntur, ſiquidem corpora debilia, & ſicciora, & ob id lapſa, certum eſt magis lædi, & morti approximare quò magis exiccantur. Quod ſenibus facillimè ex ieiunio ſuccedit, quo periculo imminente, nemo prudens affirmabit, quantumvis facilè ieiunium ferant, illos ieiunare teneri. 11

Quæ vtique interpretatio licèt optimo iure difficultatem exſoluat, nihilominùs quoad rem noſtram pertinet congruentiùs ſecundo modo illam exponit Ioannes Sorapan. *in medicina Hiſpanica part.* 1. *aphoriſm.* 13. inquiens: ſenilem ætatem in duas partes diſtingui, quarũ altera à quinquageſimo anno ad ſexageſimum protenditur, altera verò à ſexageſimo initium ſumens, vſque ad vltimum vitæ terminum perducitur, prima enim ſenectutis parte conſtituti, ideſt, qui iam fuerunt 12

runt quinquaginta annos nacti, ſexaginta verò non attigerunt, optimè famem & ieiunium ferre, de quibus accipiendum eſſe monet Hippocratis teſtimonium in argumento adductum. Qui ergo ſecundam ſenectutis partem agunt, ætatiſque ſunt ſexaginta annorum, vix poſſe ob caloris defectum & humidi exiccationem, inediam, & ieiunium innoxie ſufferre ex illo Auicennæ, quia ſenes, & debiles, & infantes ſunt de genere illorum, qui non tolerant famem. Quam diſtinctionem anteà fuerunt amplexati Cælius Rhodiginius *lectio. antiquar. lib.27.c.20.* & Maſſarius *vbi proximè.* Quo ſuppoſito concludit, prędictus Autor, rectè Eccleſiam naturali ratione ductam accepiſſe, ſexagenarios à ieiunij pręcepto eſſe immunes, ſiquidem prædictæ ætatis homines non ſine magno periculo famem patiuntur.

13 Quod etiam in fœminis procedere, vt ex quo ſexageſimum annum expleuerint, nulla ieiunandi obligatione adſtringantur, tenent Pater Sancius *dict. lib.7. de matrimon. diſputat.32.numer.17.* Ægidius TrullenK *in expoſitione Bullæ, §.4. dubio 4. numer.4.* alter Sancius *dict. diſputat. 54. numer. 11.* & indicare videtur Baſilius Poncius *de matrimon. lib.9. capit.12.numer.3.* licèt non improbabile cenſeant, quinquagenarias tantundem ad ieiunium non teneri, ea nimirum ratione quia cùm ob ſenectutis cauſam ſexagenarijs hominibus ieiunij præceptum relaxetur, etiam fœminis quinquagenarijs eadem ratione relaxandum erat, cùm æquè ſenex dicatur mulier quinquagenaria, ac ſexagenarius vir, vt ſæpiùs in huius operis progreſſu indicauimus: ergo illa ætate excuſandę erunt fœminæ à ieiunio, quemadmodum & ſexageſimo anno viri. Quam opinionem, licèt ſpeculatiuè, non improbabilem dicant Pater Sancius, & TrullenK illam tamen in practica minimè tutam arbitrantur, vti & nouiſsimè Velaſcus *de priuileg. miſerabili quæſtion. 18. numer. 75.* quorum diſtinctionem meritò aduerſus Thomam Sancium reprehendit alter Sancius *vbi ſuprà numer.11.* cui ego libenter ſubſcribo.

14 Cùm vix ſit intelligibile aliquid eſſe ſpeculatiuè probabile, & tamen in praxi non eſſe tutum. Nam vt egregiè explicat prædictus Autor, probabilitas practica ab ſpeculatiua differt tanquam effectus à ſua cauſa: id ergo quod quis opere exequitur iuſtè, vel iniuſtè, ab eo naſcitur, quod ſpeculatiuè iudicauit poſſe fieri licitè, vel illicitè; qui verò ſpeculatiuè exiſtimauit iuſtis rationibus aliquid poſſe fieri, id etiam tutò executioni mandate poterit: ergo quod ſpeculatiuè iuſtum, & æquitati conueniens videtur, iiſdem rationibus & in practica tutum exiſtimari debet, aliter enim otioſa, & nullius effectus erit illa probabilitas ſpeculatiua, ſi nullatenus poſſumus ea vti, quod etiam in propoſito nouiſſimè arbitratur Antonin. Diana *reſolution. moral. part. 2. titul.13. de opinione probabili reſolutione 12.*

Ergo ſecurè defendi poterit, nedum 15
ſexagenarias fœminas, verùm etiam quinquagenarias à ieiunij vinculo & obligatione in poſterum exui, non aliter atque ſexaginta annorum homines liberari diximus. Quod in vtriuſque ſexus perſonis adeo verùm eſt, vt quamuis prædictæ ætatis vltimus annus inchoatus ſolummodò, non verò exactus, & mathematicè completus ſit, prædicta ieiunij excuſatione vti poſſint, quia in fauorabilibus annus inceptus habetur pro completo, argumento *l. qua ætate, ff. de teſtament.* ita ex Flaminio *de reſignatione lib.12.quæſt.8. à numer.19.* Ioan. de la Cruz *præcept. 3. articul.4.* Medina, Ledeſma, & alijs, docet Ioannes Sancius *dict. diſputat.54.numer.10.* quibus nouiſſimè accedunt Naldus *in ſumma verbo Tempus, numer.2.* & Antonin. Diana *d. part.5.tract.14. reſol.83.* & Velaſcus *de priuileg. miſerabil. d.quæſt.18.num.74.*

SVMMARIVM.

Sexagenarij Sacerdotes, & Regulares euiuſcumque ſexus, poſſunt diebus Quadrageſimalibus vti lacticinijs. 1.

Oua & lac carnem eſſe liquidam probatur, ibid.

Oua ſenibus conueniunt. 2.

Caſeus ſenibus nocinus. ibid.

Dies Dominici, Quadrageſimales non ſunt. 3.

Obtentu priuilegij Bullæ Cruciatæ an poſſint Sacerdotes, vel Regulares diebus Dominicis, vel non Quadrageſimalibus, vti lacticinijs? 4.

Omnibus diebus ieiunij extra Quadrageſimam, etiamſi Iubilæi, aut pœnitentiæ fuerint, licet eſus lacticiniorum non ſexagenarijs. 5.

QVÆSTIO III.

Vt poſſint Sacerdotes diplomatis Cruciarij obtentu quæcumque ſementinã trahunt originem carnis, diebus Quadrageſimalibus edere?

1 SAtis exploratũ eſt Sanctæ Romanę Eccleſię Antiſtitem Piũ V. & poſtmodum ſucceſſores eius annuo priuilegio, quibuſcumque Sacerdotibus illud ſumentibus indulſiſſe, vt cùm ad ſexageſimum annum perueneſint, poſſint licitè omnibus diebus Quadrageſimalibus lacte videlicet, caſeo, & ouis (quę carnem eſſe liquidam ſcribit Marcellus Fortunatus 2. *part. de veritate & errore nu.* 37. & ex D. Hieronym. *lib.* 2. *aduerſus Iouinian.* Cardin. Bellarmin. *controuer. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 4.) vti, quemadmodum ex diplomatis ſerie, quam hac in parte Iubet inſerere, planum fit. *Et ſub hoc indulto*, hæc eſt, *veſcendi carnibus, ouis, & lacticinijs comprehenduntur omnes cuiuſvis Militiæ Regulares, Patriarchis verò, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijſque inferioribus Prælatis, necnon & alijs perſonis regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint, ſæcularibus id minimè conceditur, niſi ſexagenarij fuerint.* Etſi rem minimè dubiam fulcire oportet, idē probat Thomas Sancius *lib.* 7. *de matrimonio diſput.* 32. *numer.* 15. *ad finem*, vbi etiam *verſic. Præterea*, probat prædictum priuilegium, etiam in fœminis religioſis, & ſexagenarijs habere locum, quem in hoc ſequitur Baſilius *de matrimon lib.* 9. *capit.* 12. *num.* 3. Emanuel Rodriguez *in explicat. eiuſdem Bullæ* §. 7. *dubio* 2. *nu.* 10. vbi etiam Ægid. TrullenK §. 4. *dub* 6. *num.* 1. Alphonſ. à Ruicibus *in medicina medicor. incipient. luminari* 2 *fol. mihi* 65. Ioann. Sancius *ſelectar. moralium, diſputat.* 51. *númer.* 28. Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ homin. capit.* 31. *numer.* 51. nouiſsimè Antonin. Diana *reſolut. moral. tom.* 1. *tractat. de ieiunio, reſolut.* 20. *circa finem.*

2 Cuius quidem indulti ratio, ſi illam vtique rimari poſſibile eſt, non ea mihi videtur, quam excogitauit Rodriguez *vbi ſuprà*, ſcilicet, ideò ſexagenarijs Presbyteris permiſſum fuiſſe tempore Quadrageſimali lacticinijs veſci, quia etiam eadem ætate à ieiunij præcepto illis immunitas condonatur, vt hac de re hoc itidem anno pleniùs conſtat. Hæc enim non primordialis cauſa, quinimò veræ cauſę & rationis huius priuilegij conſimilis effectus eſt, proueniunt ergo ab vnica ratione in ſexagenarijs non ieiunandi facultas, & poſſibilitas edendi lacticinia, nempe à virium tenuitate, & deficientia, qua fere ſemper illius ætatis hominibus naturaliter conuenit, non ſolùm copioſo, & frequenti, verùm craſſioris, & boni ſucci alimento depaſci: quare ſenibus oua conducere mollia, & tremula, quia plurimum, & citò nutriunt, docet medicorum doctiſsimus Andreas Laurentius *ſuorum operum tom.* 2. *tractat. de ſenect. cap.* 6. vbi licet caſeum ijs fugiendum eſſe admoneat: lac tamen, & butyrũ illis prodeſſe, quòd humectet, & calefaciat, affirmat. Ergo eiuſmodi ratione S. Pontificem ſexagenarijs in Sacerdotio conſtitutis priuilegium lacticinijs vtendi præſtitiſſe cui dentiſsimum eſt. Quod ita accipiendũ erit, vt licèt ſint robuſti, & viridioris naturę, nihilominus his veſcendi habeant facultatem. Quemadmodum è cõtrario huius ætatis minores veluti quinquagenarij, quamuis debiles & infirmi, citra medicorum conſenſum ea comedere non poſſunt, vt ſuprà ſcripti omnes fatentur, & præcipuè TrullenK §. 4. *dub.* 4. *n.* 4. & *dub.* 6. *n.* 1.

3 Difficultas verò minimè contemnenda in eo verſatur, vtrùm hæc libertas edendi oua, lac videlicet, & caſeum diebus Quadrageſimalibus ſexaginta annorum Sacerdotibus intuitu Bullæ Cruciatæ elargita, etiam ad Quadrageſimæ dies Dominicos extendatur? Dubitandi ratio ea eſt, quia Dominici Quadrageſimales dies non ſunt, *capit. Quadrageſima, de conſecration. diſtinct.* 5. & probat latè TrullenK *vbi ſuprà dubio* 8. *num.* 2. ergo in priuilegio minimè comprehenſi videntur.

4 Cuius quæſtionis reſolutio ab ea vtique pendere videtur, quam communiter Scribentes differunt, ſcilicet, an Regulares, & Presbyteri ſæculares ſumendo Bullã poſsint diebus Dominicis Quadrageſimę vti lacticinijs? Negatiuã verò acriter defendunt Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 10. Vega *in ſumma tom.* 1. *cap.* 14. *caſ.* 29. Ortiz *in ſumma cap.* 19. *numer.* 8. Sed affirmatiuæ, vt probabiliori meritò accedunt Nugnus *in* 3. *part. tomo* 2. *tract. de Bulla Cruciatæ* §. 8. *dubio* 5. Villalobos *in ſumma tom.* 1. *tract.* 27. *clauſul.* 5. *numer.* 11. Fernandez *in exam. Theolog. moral. part.* 3. *capit.* 9. §. 5. *num.* 5. Llamas *in ſumma part.* 3. *cap.* 5. §. 6. cum alijs, quos refert & ſequitur Antonin. Dian. *reſolututio. moral. tom.* 1. *tractat. de Bulla Cruciat. reſolut.* 5. Ergo eodem modo affirmandum eſt, poſſe licitè ſexagenarios Presbyteros ex Bullæ priuilegio in diebus Dominicis Quadrageſimæ lacticinia edere. Nam quamuis id tantùm diebus Quadrageſimalibus concedatur, vt ex tenore Bullæ colligitur, eo nimirùm factum eſt, quia cæteris diebus abſtinentiæ extra Quadrageſimales ouorum & lacticiniorum vſus interdictus non extat iure communi, vt docet Sancius *in ſumma tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 5. & Diana *d. loco reſolut.* 3. *in fin.*

5 Ex quo etiam infertur, in ieiunijs, quæ vel inter annum peraguntur, vel Iubilæi, aut pœnitentiæ cauſa Sacerdotibus indicuntur, ſimili ratione ſexagenarijs ouorum, & lacticiniorum eſum licere, quemadmodum & quibuſcumque Bullam non habentibus id permiſſum eſſe defendit Thom. Santius *vbi proximè*, Portel. *in additionib. ad dubia regularia, verbo Ieiunium num.* 7.

SVMMARIVM.

M*Atrimonium replendo orbi fuit inſtitutum.* 1.

Senilis ætas ad matrimonium contrahendum inepta videtur. 2.

Inter valde ſenes & ſteriles nulla eſt differentia. ibid.

Sexagenarij homines, & quinquagenariæ fœminæ Lege Papia, ſiue Popea, vt alij legunt, à matrimonio retrahebantur. 3.

Sexagenarius numerus viduitati eſt conſecratus. ibid.

Propter ſenectutem alterius ex coniugibus ſeparari poterat matrimonium. 4.

Legem Papiam Claudius Cæſar *ſuſtulit.* 5.

Matrimonij Sacramentum, etiam in fragilitatis ſubſidium fuit inſtitutum. 6.

Illa impotentia impedit contrahendum matrimonium, vel contractum dirimit, quæ directè ordinatur ad actum generationis. 7. *& ſequenti.*

Qui coire poteſt licèt parum ſemen, aut ſterile, vel non prolificum habeat, rectè matrimonium contrahet. ibid.

Senex cuiuſcumque ſexus ſit, legitimè matrimonium contrahit. 9. *& ſeq.*

Minor cum edentata contrahens, non habet contra matrimonium reſtitutionis beneficium. 10.

Senex ita exhauſtæ & debilis naturæ, vt venereis congreſſibus ſit impotens, à contrahendo matrimonio repellitur. ibid.

Alimenta decrepito ſeni, qui poſt mortem teſtatoris vxorem duxit, relicta, etiam vxori præſtari debent. 11.

Senem matrimonium contracturum minimè præſumitur. ibid.

Filius, qui octuagenarij eſſe dicitur, poteſt ſequenti matrimonio legitimari. 12.

QVÆSTIO IV.

Cuius ætatis ſenectus antiquitus impediret matrimonium cõtrahendum, vel dirimeret contractum, & quæ hodie idem operetur?

CVm viri, ac fœminæ coniunctio, & replendo orbi, & inſtruendo ſeculo à Domino fuerit excogitata & inducta, annuente Tertulliano *lib.* 1. *ad vxorem c.* 2. Quare in id potiſſimum conſulti dixere, matrimonium contrahi, vt ſubſequatur proles, *l.* 1. *ff. ſoluto matrimon. l.* 2. *in princip. ff. de in dicta viduitat. tollen. cap.* 1. *ad finem, de frigid. & maleſic. l.* 1. *titul.* 20. *part.* 2. quam non alia ratione nuptiarum præmium appellauit D. Ambroſius *in cap. pudor* 32. *quæſt.* 2. illius ætatis oportet contrahentes exiſtant, ex qua primarius hic poſsit matrimonij finis ſperari, argumento *l. nuper, C. de naturalib. liberis*. Nam ſi adeò fuiſſent ſenio cõfecti, ac extenuati, vt minimè vel vterque, aut eorum quilibet, generationi ſufficeret, à matrimonio ineundo retraherentur, vtilius fore quis nõ videt? Admonet apud noſtros egregia *lex.* 2. *dict. tit.* 20. *part.* 2. iſta ſerie: *Apercebidos deben los homes ſer en ſus caſamientos para catar que caſen, demanera que puedan fazer linage para poblar la tierra, aſſi como dize en la lei antes deſta: e para eſto poder fazer ha meneſter que ſe guarden de las coſas q̃ en eſta ley dize, que ge lo podrã embargar. Eſto ſeria ſeyendo la muger è el marido muy niños, ò muy viejos, porque à los vnos embargaria mengua de edad, è a los otros enflaquecimiento de dias.* Quocirca inter valde ſenes & ſteriles nullam eſſe differentiam, inquit Iodoc. Danaudet. *parium & ſimilium, verbo Senectus.* Imò à ſene ad ſterilem valere argumentum. 1 2

3 Hinc erat, vt lege Iulia & Papia ſiue Popea (vt legendum docet Tiraquellus *in l.* 6. *connubiali gloſ.* 1. *part.* 6. *numer.* 20.) de marirandis ordinibus à Tiberio Cæſare edita, de qua optimè ſcripſerunt Conanus *lib.* 8. *c.* 1. Couar. *de ſponſal.* 2. *part. c.* 7. §. 8. *num.* 2. *&* 3. Iuſtus Lypſ. *ad* 3. *Annal. Cornel. Taciti fol.* 136. nouiſsimè Acunha *in c. quædam* 6. *diſt.* 2. ſexagenarij homines, & quinquagenariæ fœminę à matrimonij contractu remouerentur, teſte Vlpiano *in fragmentis, titul.* 17. *de ſolidi capacitate inter virum & vxorem*, cuius meminerunt Lactan. Firmian. *lib.* 1. *de falſa relig. cap.* 16. Alexan. ab Alexan. *dier. genial. lib.* 4. *cap.* 22. Barnabas Briſſonius *lib. de iure connubi. fol. mihi* 32. Tiraquel. *in dict. l.* 6. *num.* 20. Petr. Gregor. *ſyntagm. lib.* 9. *c.* 6. *num.* 3. Stephan. Forcatulus *in cupidin. Iuriſperito. cap.* 15. *num.* 5. Mathias Colerus *de aliment. lib.* 1. *c.* 15. *nu.* 24. & ante eos Paul. Pariſius *conſ.* 29. *numer.* 1. *volum.* 2. Lelius Viſciola *horar. ſubſeſſiuar. lib.* 10. *cap.* 15. Didacus Medrano *de conſenſu con-*

connubial. capit. 5. num. 1. ad finem, Anton. Faber *in iuriſpruden. Papinianea titul. 9. princ. 3. illat. 3.* & nouiſſimè D. Ioannes de Pareja *in otio quadrimeſtri 2. p. num. 25.* improbabat autem lex huiuſmodi nuptias, vt alio loco ſcripſimus, tanquam liberorum quærendorum cauſa minimè contractas, vtroque côiugij fine, & fructu deſtitutas. Nam vt ſexagenarius generandi, ita & quinquagenaria pariendi, impotens credebatur, quapropter ſexagenarium numerum viduitati eſſe conſecratam ſcripſit Petr. Bungus *de myſter. numer.* vbi de numero 40. paulò poſt principium, & vbi de 60.

4 Et fortè hunc vel vtriuſque, vel alterius tantumdem annorum numerum eadem ratione diuertendi à matrimonio iuſtam cauſam fuiſſe, Gaius ſenſit in *l. vel ſenectutem 61. ff. de donation. inter virum & vxorem*, cùm ſenectutis ratione, propter quam ſatis commodè retineri non poteſt bona gratia, diſſolui poſſe matrimonium fatetur. Qua de re extat veſtigium apud Senecam *lib. de remedijs fortunæ*, illis verbis: *Nouimus veterum matrimoniorum repudia, & fœdiores malè cohærentium rixas. quammulti, quos in adoleſcentia amauerant, in communi reliquere ſenectute, quoties annile diuortium riſimus* Quaſi ad eum caſum ętate fuerint perducti, à qua, lege inhibente, incipere, aut exordiri matrimonium vix poterat, argumento *l. pluribus 140. §. etſi placeat, de verbor. obligat.* Quò reſpexiſſe videntur Imperatores *in l. 6. C. Theodoſian. de cenſ. ſiue adſcript.* cùm de viduis loquentes ita reſcripſerunt: *Quarum maturitas polliceatur eas nulli iam eſſe nupturas.*

5 Verùm enim verò huic, de quo nobis ſermo, legis Iuliæ Capiti, Claudius Cæſar abrogauit, vt cum Suetonio *in eius vita capit. 13.* ſuprascripti omnes fatentur, & Seuerus etiam Imperator edicto leges Papias excluſit, aſſerente Petro Gregorio *dict. libro 9. ſyntagmat. capit. 6. numer. 9.* Quibus eleganter poſtmodum Iuſtinianus noſter conſentit *in l. ſancimus 27. C. de nupt.* ibi: *Sancimus nuptias, quæ inter maſculos, & fœminas maiores, vel minores* (expungendum enim eſt hoc verbum, vt merito obſeruat Lælius Viſciola *dicto loco*: quoniam lege Iulia non minorum, ſed maiorum ſexaginta annis matrimonia interdicebantur) *ſexagenarijs, vel quinquagenarijs Lege Iulia, vel Papia prohibitæ ſunt, homines volentes contrahere, & ex nullo modo, vel ex nulla parte tales nuptias impediri.* Cuius etiam conſtitutionis idem Iuſtinianus recordatur in *l. ſi maior 12. C. de legitim. hæredib.* ibi: *Maximè cum & anteriore noſtra lege huiuſmodi nuptias permiſimus, impares eas videri minimè concedente.*

Quod ſimiliter iure Pontificio obſeruatur, nedum illa tantùm ratione, qua Cæſares in hanc ſententiam fuerunt adducti, nempe quia compererant, etiam ſexaginta annos natis generandi virtutem ineſſe, vti alibi indicauimus. Verùm quia ex diuina conſtitutione matrimonij Sacramentum non modò ad liberos procreandos inſtitutum eſt, ſed etiam in fragilitatis ſubſidium, & quorumdam humanitatis ſolatium, *capit. nuptiarum 27. quæſt. 2.* hac de cauſa & ſenum matrimonium conſiſtere poſſe, *ibidem* teſtatur Gloſſa, quam communiter Interpretes ſequuntur. 6

Deinde quia illa impotentia naturalis, tum ex parte fœminæ, tum etiam viri præcedens matrimonium impedit, vel contractum dirimit, quæ directè ordinatur ad actum generationis, vt probant D. Thom. Ricard. & reliqui Theologi *in 4. diſtinct. 34. & ibidem* D. Antonin. *3. part. ſummæ titul. 1. capit. 12. §. 2.* Viguerius *in ſuis inſtitut. Theolog. capit. 16. §. 7.* Angel. *in verbo matrimonium 3. impedim. 16. §. 2.* Nauarrus *in manuali capit. 22. numer. 59.* & alij, quorum meminit Ioannes Matienƺus *lib 5. recollectionis, tit. 1. gloſ. 1. rubricæ numer. 191.* & expreſſe apparet ex text. *in capit. 1. cap. 2. & 3. de frigid. & maleficiat. l. 6. titul. 3. part. 4. & l. 4. titul. 8. eadem part.* Etenim ſi non ad actum generationis, ſed ad generationis effectum, & vt proles ſubſequi poſſit, impotentia ſe habeat, vtputa quia vel modicum ſeminis vir emittit, vel adeò ſterile, & non prolificum, vt minimè generationi deſeruiat, aut mulier natura ita ſterilis ſit, vt deficiat ſpes concipiendi: hæc inhabilitas nec impediot matrimonium contrahendum, nec dirimet contractum, quia ad hoc vt validè coniugium iniri poſsit, aptitudo tantum & potentia ad copulam deſideratur, non verò poſsibilitas generandi. Ita D. Gregor. *in cap. quod autem 33. quæſtion. 1.* D. Thom. *in 4. diſtinct. 34. quæſtio. vnic. artic. 2. ad 3.* quem omnes ſequuntur, Barboſa *in l. 1. part. 1. numer. 98. ff. ſoluto matrimonio*, Nauarr. *conſil. 2. numer. 15.* Ioannes Gutierrez plures referens *lib. 1. canon. quæſt. capit. 16. numer. 4.* & præcipuè *numer. 12.* vbi id expreſsè fatetur: optimè Pat. Thom. Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſputat. 92. numer. 26.* licèt contrarium niſus fuerit defendere Couarruuias *peculiari tractatu de frigid. & maleficiatis. quæſtion. 6.* ergo cùm ſenes inuicem copulari, carnaliter- 7

terque commiſceri poſsint, nihil obſtabit quominus matrimonium inter eos recte conſiſtat, quamuis primarius matrimonij effectus, qui in prolis generatione cōſiſtit, ob eorum generandi impotentiam deficiat, vt eodem loco ſentire videtur Matiezus & Tho. Sancius.

8 Quapropter hanc ſententiam quaſi tutiorem paſsim vtriuſque ſcholæ amplectuntur Interpretes D. Thom. *in 4. diſtinct. 34. dict. quæſt. vnic. artic. 2. ad 3.* Nauarr. *in manuali cap. 22. num. 53. & conſil. 4 numer. 15. & 19. de deſponſat. impub.* Socinus *conſil. 65. volum. 3. in princip.* vbi in octuagenario loquitur, Pariſ. *conſ. 29. & conſil. 26. volum. 2.* Petrus Dueñas *regul. 350. num. 1. limit. 1. & num. 10.* Neuizan. *conſil. 34.* Borghin. Caualcan. *2. part. deciſ. 18. num. 6.* Couarru. *in 4. 2. p. cap. 8. §. 2. num. 10.* Petrus Mocius *de contractib. tit. de matrimon. §. qui poſſunt contrahere matrimonium, vel non, num. 9. & 11.* Rojas *de ſucceſsionib. cap 2. ex nu. 21.* Petr. Gregor. *dict. lib 9. ſyntagm cap. 6. num. 12.* Mantica *de coniectur. vltim. voluntat. lib. 11. titul. 13. num. 4.* Paulus Pariſius *dict conſil. 29. num. 2. vol. 2.* Ioan. Matienzus *lib. 5. Recollect. tit. 1. gloſ. 1. rubricæ num. 191.* Ioan. Gutierrez *Canonic. quæſtion. lib. 1. capit. 16. num. 6. & 12. & in repetitio. §. ſui num. 173. inſtit. de hæred. qualit. & differen. & tractat. de matrimon. cap. 112. num. 12.* antea Menchaca *lib. 3. controuer. vſufrequen. capit. 41. numer. 4.* Zenedus quamplurimos referens *in collectaneis ad Decretales, collectan. 38. numer. 1.* P. Thom. Sancius *de matrimon. dict. diſput. 92. numer. 19. & dict. lib. 7. diſp. 101. numer. 7.* Lancellotus *in conſuetudinem Alexandrinam, verbo Maritus, nu. 34.* Genuenſis *in praxi practicabilium, q. 695. numer. 2.* Lælius Viſciola *vbi ſuprà*, Anton. Faber *in Iuriſprudentia Papinian. tit. 9. princ. 3. illat. 3.* Alphonſ. de Lara *in compendio vitæ homi. c. 31. nu. 36.* & nouiſsimè Auguſtin. Barboſ. *in collectan. ad d. l. ſancimus n. 4.*

9 Quam opinionem in quocumque ſene locum habere, etiamſi decrepitæ ætatis ſit, dūmodo nullo alio impedimento laboret, tenent poſt antiquiores Couarruu. *vbi proximè*, Petrus Dueñas *regul. 350. limit. 1.* Paul. Pariſius *vbi ſup. numer. 2.* Mantica *de coniectur. mente teſtat. lib. 11. titul. 13.* Andreas Gail *lib. 2. pract. obſeruat. cap. 141. num. 8.* Rojas *in epitome ſucceſſion. cap. 2. numer. 21.* Matienzus *in l. 10. gloſ. 3. numer. 4. titul. 8. lib. 5. nouæ Recollectionis,* Manuel Rodrig. *quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 13. artic. 1.* Thom. Sanch. *dict. diſput. 92. nu. 10.* Ioann. Gutierrez *de matrim. cap. 112. numer. 13.* quidquid ſecus voluerint Portius *in princ. inſt. de nuptijs*, Ant. Gomez *in l. 9. Tauri num. 57. in fin.* Henriquez *lib. 17. de matrim. cap. 7. num. 3. in Commento litera X.*

Hocque rectius in fœmina, quamuis nimis vetula, & ſenio attrita, procedere, quæ veluti patiens, & nulla ad concipiendum indigens ſeminis effuſione, certum eſt: vnde ſcribit Speculator *ſub titul. de reſtitution.* quem ſequitur Ioan. Mauricius *eodem tract. cap. 265.* quòd ſi minor cum edentata vetula matrimonium contrahat, quamuis poſtea illum matrimonij pœniteat, reſtitutione non iuuabitur, ex ſuperiori concluſione, quam ex Syluestro *verbo Matrimonium 8. q. 16. diſt. 4.* Anton. Cuch. *lib. 5. inſtit. maior. titul. 12. num. 262.* & Petr. Barboſa *in l. 1. p. 1. num. 97. ff. ſoluto matrimonio*, optimè reſoluunt P. Thom. Sanchez, & Ioan. Gutierrez *dictis in locis*, iſte *num. 14.* ille *num. 22.* vbi & vterque numeris ſequentibus poſt longam diſputationem, & diſſidentium autorum congeriē, id minimè locum habere exiſtimant in ſene, cuius adeo debilis & exhauſta natura exiſtit, vt prorſus impotens ad venereos congreſſus eo vſque ſit, vt iudicio medicorum, quorum ea res eſt, nulla arte poſſit aut medicamento iuuari. Quod etiam Alphonſo de Lara placuit *vbi ſup. n. 37.* & nouiſſimè multis relatis Franciſco Torreblanca *tractat. de iure ſpirituali lib. 2. cap. 15. num. 19.* & Auguſt. Barboſa *in collectan. ad cap. 2. numer. 6. de frigid. & maleficiatis, & in collectan. ad l. ſancimus 27. n. 5. C. de nupt.* 10

Ex quibus deducitur improbabile videri quod ex Menochio certiſſimum arbitratur Mathia Colerus *dict. lib. 1. de alimentis cap. 15. num. 24.* Nempe quòd ſi quis leget alimenta ſeni decrepito, qui poſt obitum teſtatoris animum ad nuptias adijcit, huic vxori alimenta ex tali legato non debebuntur. Nā cùm teſtator quilibet præſumatur ſuam voluntatem iuris diſpoſitioni conformare, *l. conficiuntur 8. C. de iure codicilor.* & de iure ſenes ſexaginta annos nati, & vltra, ad nuptias apti non cenſeantur, vt ex *d. l. ſi pater*, & ex eodē Menochio ipſe teſtatur; iſta vxor ab eiuſmodi decrepito ſene ſi non contra, ac ſaltem præter voluntatem teſtatoris ducta eſſe videtur, cùm de ita prouectæ ætatis hominibus nuptiæ minimè præſumantur, argumēto textus *in l. 6. C. Theodoſi. de cenſ. ſiue adſcript.* vbi de viduis iam ſenio affectis loquens: *Quarum maturitas*, inquit, *polliceatur eas nulli iā eſſe nupturas*, ſiquidem cùm, vt ex ſuperioribus conijcitur, huius ſententię ratio incerta ſit, & ſentētia ipſa incertitudine laboret neceſſum eſt: ergo cùm iuris diſpoſitione non ſo- 11

ſolùm ſexagenarij, verùm ſeptuagenarij, & vlterioris ætatis libere matrimonium contrahere, valeant, ad illudq́ue ineundum idonei exiſtimentur, alimentis ſeni, quamuis decrepito legatis, vxori etiam eius, quã poſt mortem teſtatoris duxit, relicta intelligentur. Nam ſi ea eſt præſumptio teſtantium, vt legum diſpoſitionibus illos iudicia propria ſubieciſſe credatur. Etenim cùm cuiuſcumque ætatis ſeni leges ducere vxorem permittant, nulla ratione eius vxori alimenta denegari poterunt.

4 Et in tantum verum eſt, ſenes quamuis iam decrepitos, matrimonium validè contrahere poſſe, vt tali matrimonio ſecuto, legitimatus cenſeatur, non ſolùm ille filius, de quo dubitari non poteſt quin fuerit in iuuentute conceptus, ſed etiam qui contra cõmunem naturæ vſum octuageſimo contrahentis anno progenitus diceretur, ex eleganti doctrina Ioannis Andreæ, & aliorum *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, quam ex neotericis refert & amplectitur Marc. Anton. Genuenſis *in praxi practicabilium quæſt. 695. num. 3.*

SVMMARIVM.

Prælato ſeni poteſt dari coadiutor. 1.

Si coadiutor propter coadiuti ingraueſcentem ætatem petatur, ſexaginta annorum ætas in eo ſufficiet: ſi verò propter ipſius ſenium, ſeptuaginta erunt neceſſarij. 2.

Ætas ingraueſcens, & ſenio confecta, ſexaginta annorum eſt. 3.

Ætas ingraueſcens in infirmo quinto & quinquageſimo anno verificatur, etiam quoad effectum coadiutorem dandi. 4.

Vbi propter ſenium, & infirmitates Prælati petitur coadiutor, in ſexageſimo ſaltim anno coadiutus eſſe debet. 5.

Teſtes deponentes de ætate per aſpectum, debent ita deponere, vt ex eorum dictis poſſint decem anni detrahi, manente requiſita ætate, aliter enim non probant. 6.

Coadiutor cuius ætatis eſſe debet? 7.

Et iam ſi ſtatuto Eccleſiæ caueatur, vt coadiutor acta ſit Sacerdos, ſufficiet, licèt non ſit ordinatus, quòd in ætate exiſtat, qua intra annum poſſit ordinari. 8.

Conſeruator eius ætatis eſſe debet, quæ requiritur ad qualitatem tribuentem habilitatem ad conſeruatoris munus. 9.

Optans beneficium cuius ætatis eſſe debeat? ibidem.

QVÆSTIO V.

Prælato ſeni vt coadiutor detur?

SVppoſito quòd ſeni Prælato poteſt coadiutor aſſignari, vt ex *cap. ex parte, de Clerico ægrotante. cap. vnico, eodem titul. lib. 6. cap. quamuis, cap. petiſti, cap. nihil, §. ecce 7. quæſt. 1.* docent pluribus relatis Iacob. Menoch. *de præſumption. lib. 6. præſumpt. 46. numer. 3.* Borrel. *in ſumm. deciſion. titul. 9. num. 1. & ſequentib.* Hieron. Gonçalez *in regula 8. Cancellar. gloſſ. 5. §. 9. numer. 21.* Ioann. Perr. Moneta *tractatu de diſtribut. 2. part. quæſt. 7. numer. 2. in fine, & numer. 6.* Videndum erit, quot annorum ſenectus in id ſufficiens credatur? maximè cùm de ea re non ſatis liqueat inter Scriptores. 1

Et puto diſtinguendum eſſe, an coadiutor petatur propter titulari vel coadiuti ingraueſcentem ætatem: an verò propter ipſius ſenium; ſiquidem priori caſu ſexagenarium, & poſteriori ſeptuagenarium coadiutũ exiſtere, neceſſarium erit, vt multorum autoritate, & ſacræ Romanę Rotæ definitionibus diſtinguunt Paul. Æmil. Veral. *1. part. deciſion. 129. 139. 131. & deciſion. 311.* Hieron. Gonçalez *vbi ſuprà num. 84. & ſequentib.* (licèt *numer. 87.* arbitrio iudicis potiùs relinquendum malit, quis ſenex dicatur, tam ad hunc, quàm ad alios effectus. Quod etiam ſenſiſſe videtur Flaminius Pariſ. *de reſignat. lib. 5. quæſt. 1. numer. 56.*) Ioan. Aloiſ. Ricius *collectan 1623.* Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad dict. cap. vnic. de Clerico ægrotante lib. 6.* 2

Hinc meritò erroris notâ afficiuntur Franc. *in dict. cap. 1. §. verum, in princip. de Cleric. ægrot. lib. 6.* Quintil. Mandoſ. *de ſignatur gratiæ, verbo Coadiutoriæ, verſic lic t ſufficiant.* Camillus Borrel. *loco relato numer. 1.* Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. dict. lib. 5. quæſt. 3. numer. 55.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 5. cap. 805. numer. 30.* Cardinal. Tuſchus *practicar. concluſ. iuris litera C. concluſ. 402. numer. 1.* Perez de Lara *in compendio vitæ homin. capit. 31. numer. 55.* & Velaſcus *de priuileg. miſerabil. quæſt. 18. numer. 56.* Qui abſolutè, & nulla adhibita diſtinctione conſtituunt, non niſi ſeptuagenario coadiutorẽ aſſignari debere, ſuffulti aliquorum autoritatibus, quibus noſtra potiùs, quàm ipſorum ſententia euincitur: necnon & eo, vt ſcribit Borrellus, quòd illa ætas propriè ingraueſcens dicitur, in quo 3

vtique

vtique infelicius decipitur. Nam vt planè profitetur Paul. Æmil. quem ipſe pro ſe adducit *deciſ.* 311. ætatis ingraueſcentis, & ſenio confectæ tempus ſexaginta annorum eſt, cui conſentiunt Gonçalez & Barboſa *vbi ſuprà*: & confirmatur, quia, vt colligitur ex *l. non tantum.* 11. iuncta explicatione Gloſſæ *ibidem verbo grandes, ff. de Decurionib.* ætate graues dicuntur qui annum quintum & quinquageſimum exceſſerunt: ergo qui in ſexageſimo perſiſtunt, rectè ingraueſcentis ætatis cenſentur, ideoque & coadiutorum capaces, etiamſi nulla infirmitate vexentur, quidquid ſecus voluerint Pariſius, Gratianus, &

4 Lara vbi ſuprà. Nam ſi fortè ſenes & infirmi eſſent, quinquageſimoquinto anno ad effectum impetrandi coadiutorem ingraueſcentis ætatis reputarentur, vt in ſpecie concludit Paul. Æmilius *dict. deciſ.* 130. inquiens, quòd conceſſa coadiutoria propter ingraueſcentem ætatem, & morbum Gallicum, vel calculi, quo laborabat coadiutus tempore conceſſæ coadiutoriæ, licèt ingraueſcens ætas eſſet verificanda in 60. anno, tamen quia cùm ea narratæ fuerunt infirmitates, ſufficit quòd verificetur in 55. anno cum infirmitatibus, propter quas etiam datur coadiutoria. Cui adſtipulatur pluribus relatis Camil. Borrel. *ſuperiori loco num.* 2. & Hieron. Gonçalez *num.* 81.

5 Quibus non aduerſatur eiuſdem Pauli Æmilij *deciſ.* 315. vbi expreſſe dicitur ætatem ingraueſcentem cum infirmitate verificari in 60. anno, cuius præſidio hanc opinionem ſupra relati Pariſius, Gratianus, & Lara tuentur, quoniam intelligenda eſt, non quidem vt ſonat de coadiutoria propter ingraueſcentem ætatem, ſed propter ſenium, & infirmitates obtenta, quo caſu ſexageſimum annum, inſuper & infirmitates probare oportere idem profitetur *dict. deciſ.* 131. *num.* 1. fortè enim incurrit hoc mendum irrepſit, & pro ætate ſenili ingraueſcens fuit adſcriptum.

6 Illud autem prętereundem non duxi, quod in propoſito ſingulariter notat prędictus Au tor tam *in dict. deciſ.* 131. quàm *in* 315. ſcilicet, prædictam ſexaginta annorum ætatè non ſatis probari per teſtes de aſpectu deponentes, niſi ex eo conſtare affirmauerint coadiutum ſeptuaginta annorum videri, ſiquidem ex doctrina Bartoli *in l. de ætate num.* 10. *ff. de minoribus*, teſtes deponētes de ætate ex aſpectu, & corporali inſpectione, debent taliter deponere, quòd ex eorum dictis poſſint detrahi decem anni, integra remanente ætate ad actum requiſita, de cuius probatione agitur.

D. Didac. de Narbona.

Nec magis aliud reticeam, quod circa coadiutoris ætatem recenſet Hieron. Gonçalez *dict. loco num.* 90. nempe illam habere debere, quæ ad id requiritur, vt promoueri valeat ad ordinem requiſitum pro tali beneficio, ad quod conceditur coadiutoria, ex Rota *deciſ.* 347. *num.* 3. *part.* 3. *diuerſor.* cuius autoritate, & argumento *cap. licèt Canon, & cap. commiſſa de electioni. in 6.* inſuper docet 7
8 talem coadiutorem non teneri tempore gratiæ actu eſſe ordinatum, ſed ſufficere quòd in legitima ætate ſit ad ordinem intra annum ſuſcipiendum, vt docuit Caputaquenſ. *deciſ.* 127. *num.* 1. vbi etiam dicit id procedere quamuis ſtatuto Eccleſiæ caueatur, quòd actu ſit ſacerdos tempore promotionis. Et conducunt pro ſuperiori opinione quæ in ſimili docet Moneta *de conſeruatoribus cap.* 5. *num.* 155. videlicet conſeruatorem debe- 9
re eſſe eius ætatis, quam requirit qualitas illa tribuens habilitatem ad conſeruatoris munus, vt ſi quis deputatur, vel deputari poteſt conſeruator, quia Abbas, quia Archidiaconus, aut obtinens perſonatum in Cathedrali, vel Collegiata debet eam ætatem habere, quæ ad Abbatiam, Archidiaconatum, vel perſonatum requiritur, vt ibidem latius ipſe proſequitur, & repetit tribus numeris ſequentibus. Nec minus facit pro hac ſententia quod idem ſcribit *tractatu de optione Canonic. cap.* 5. *quæſt.* 2. *n.* 26. nempe eius ætatis optantem eſſe debere, quæ ad beneficium optandum eſt neceſſaria, vt etiam ſupra notauimus *anno* 30. *quæſt.* 6. *num.* 2.

SVMMARIVM.

Clerici neque cum matre, aut ſororibus habitare debent. 1.

Senectus omnem libidinis ſuſpicionem excludit. 2.

Clerici mulieres ætate graues domi retinere poſſunt. 3.

Magis delinquitur, vbi ſuſpicioni non eſt locus. ibid.

Clerici ſenes non prohibentur cum puellis habitare. 4.

Mulier ſexagenaria cum clerico iuuene, & ſeptuagenarius clericus cum puella rectè, & abſque ſuſpitione habitare poſſunt. 5.

Ætas ſexagenaria in fœminis, & ſeptuagenaria in viris omni libidines ſuſpicione caret. ibid.

Si clericus ſenex amplectatur, vel oſculetur fœminam, inhoneſtius ideò præſumi non debet. 6.

QVÆSTIO VI.

Quæ ætas ſuſpicione careat, vt ſine periculo poſsint clerici cum fœminis habitare?

1 INhibet Nannatenſe Concilium *cap.* 3. quod refertur à Burcardo *lib.* 2. *Decretorū c.* 126. & habetur *in c.* 1. *de cohabitatione clericorum*, vt nullus ſacerdos eas perſonas fœminarum, ſicut & in canone inſertum continetur, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, in demo ſua habeat, *Neque illas*, inquit, *quas Canones concedunt matrem, amitam, ſororem, c. ſed ſi fortè.* 21. *cap. volumus.* 24. *cap. legitur.* 29. *cap. cum omnibus.* 27. 81. *diſtinct. cap. interdixit.* 16. 32. *diſtinct. cap. à nobis* 9. *de cohabitat. clericor. l. cum.* 19. *C. de Epiſcop. & Clericor.* quamplurimaque Conciliorum, & Sanctorum PP. loca, quorum meminit doctiſſimus Garſias de Loaiſa *in collectione Conciliorum Hiſpaniæ in notis ad Concilium Toletanum* 4. *cap.* 42. & latiùs *in eiſdem ad Concilium.* 12. *cap.* 5. Dionyſ. Paulus de Sacerdotum excellentijs *part.* 1. *num.* 169. & facit *l.* 37. & 38. *tit.* 6. *part.* 1. *l.* 3. *tit.* 19. *lib.* 8. *nonæ recollectio. legum Caſtellæ*, quia inſtigante Diabolo, & in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut etiam in pediſequas earum, vt à Cimone factum refert Lęlius
2 Viſciola *horar. ſubſeſſiuar. lib.* 3. *cap.* 10. Sed quia ſenectus qualemqualem libidinis ſuſpicionem, & periculum aufert, *cap. cum in iuuentute, de præſumptio. cap. fraternitatis.* 34. *diſtinct.* tradit Lucas de Pena *in l. Decurio.* 41. *num.* 1. *C. de Decurionib. lib.* 10. & ex Menochio *de præſumption. lib.* 6. *præſumpt.* 47. *num.* 27. Thomas Acti. *tractat. de infirmitate legali part.* 1. *cap.* 19. *num.* 16. & alijs plurimis adſtruximus *anno* 70. illa quæſtione, cuius ætatis coniux eſſe debeat, vt alter ingredi religionem poſſit eo in ſeculo manente.

3 Inde eſt, clericos, ſiue conſanguineas, ſiue extraneas mulieres, quæ graueſcentis, & iam prouectæ ætatis ſint, domi retinere poſſe: ſic notat Abbas *in dict. cap.* 1. *num.* 2. Imola *num.* 4. vbi hoc ſolum in conſanguineis probat Henric. Bohic *ibidem etiam n.* 4. Craueta *conſil.* 321. *num.* 3. Stephan. Aufrerius *in additionibus ad Capellam Toloſanam deciſ.* 448. innuit Nabarrus *comment.* 4. *de regular. num.* 65. Quamuis contrarium cum Capella Toloſana in regularibus defendat, tradit Sebaſtianus Medicis *in concordia Canonum Decreti diſtinct.* 32. *art.* 5. aſſerens licitum eſſe clerico tenere in domo ſua vxorem, quam prius habuit ante ſuſceptionem ordinis, dummodo ſit vetula, de qua ſuſpicio oriri non poſſit. Notat Carolus de Graſſis *de effectib. cleric. effectu.* 26. *num.* 8. Benedict. Ægid. *de priuileg. honeſtatis art.* 11. *num.* 3. *verſic. Si tamen ſenilis ætas*, vbi id tenet cōtra Bermond. *de public. concub. verbo tenent concluſ.* 6. qui ideò etiam decrepitam clerico non permittit, quia magis frequenter delinquitur, vbi à ſuſpicione delictum poteſt eſſe tutum. Tuetur ſuperiorem ſententiam Menoch. *de præſumption. lib.* 5. *præſumptio.* 18. *num.* 2. *ad finem*, ſentit Vgolinus *de officio & poteſtate Epiſcopi* 1. *part. capit.* 13. §. 27. *num.* 2. *ad calcem*, & probari expreſſe mihi videtur ex Concilio Carthaginenſi 4. *in cap. ad reatum penultim.* 81. *diſtinct.* vbi adoleſcentiores tantùm viduas à clericorum familiaritatibus & conſortio ſubmouet. Quod 4
& in clericis reſpectu puellarum pari modo procedere, ex Abbate infert Antonius Natta *conſil.* 559. *num.* 5. nam ſi fuerint ſenectutę affecti, poterunt mulieres extraneas, quātumuis iuuenes, domi retinere, quia in eis ſuſpicio incontinentiæ ceſſat, argumento *textus in cap. cum ſis* 4. *eap. ad Apoſtolicam.* 13. *de conuerſione coniugator.* cum ſimilibus.

Ætatem verò, quam ſiue vir, ſiue fœmina 5
ad effectum, de quo quærimus, habere debet, vt ſenex dicatur, nemo eſt qui aſſignet. Sed quia tota huius inueſtigationis difficultas poſita eſt in libidinis ſuſpicione, probabiliter exiſtimo ſexaginta annorum ætatem in fœminis requiri, vt cum clericis iuuenibus ſecurè cohabitare poſſint, quemadmodum & ſeptuagenarios Sacerdotes eſſe volumus, vt conſortio, & familiaritate florentium mulierum vti valeant, ſiquidem huiuſmodi ætatis ſenectutem procul ab omni incontinentię ſuſpicione exiſtere, loco ſupra allegato naturali ratione demonſtrauimus. Et quoad fœminas attinet, maximè condncere videntur Dionyſij Carthuſiani verba *ſuper illud Pauli* 1. *ad Timoth.* 5. *Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum, talis namque*, inquit, *caret ſigno ſuſpitionis, eo quòd in tanta ætate extintus non ſit feruor libidinis, idcirco ſecure nutritur à miniſtris Eccleſiæ*: quod etiam confirmat Cardinal. Turrecremata *in cap. iuuenculas.* 20. *quæſt.* 1. Ergo Eccleſię miniſtri non alias fœminas domi ſecure nutrire & retinere poterunt, niſi ſexa-
genarias, ſunt enim huius ętatis extra om- 6
nem libidinis ſuſpicionem, adeo quidem, vt licèt à clericis amplecti & oſculari videantur, nihil mali ſuſpicari poſſe teſte-

teſtetur Guilielm. Benedictus *in repetit. cap. Rainuntius, verſic. Duas habens filias num.* 208. *de teſtament.* itaque interpretandum eſſe ſubiungit generale dictum Gloſſæ *in cap. abſit.* 11. *quæſt.* 3. videlicet, quòd ſi Clericus amplectitur mulierem, credendum eſt, quòd cauſa benedicendi hoc faciat, & non cauſa libidinis: cui conſentit eo relato Carolus de Graſſis *de effect. lib. clericatus effectu.* 32. *num.* 4. & contrarium erit temeraria præſumptio, argumento eorum quæ eleganter ſcribit Bonifacius Vitalinis *de maleficijs lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. vbi inquit temerariam eſſe præſumptionem malum ſtatim ex eo ſolùm ſuſpicari, quòd ſenem videamus iuuenem fœminam amplectentem.

SVMMARIVM.

Nouerca iuuenis non tenetur cum priuignis habitare, nec ob id legatum amittet ſub conditione eiuſmodi habitationis relictum. 1.

Conditio habitandi cum iuuenibus mulieri adſcripta, quaſi turpis reijcitur, etiamſi iuuenes ſint honeſtæ & probatæ vitæ. 2.

Honeſtatis cauſa filius à patre, vel filia à matre poteſt ſeparari. Ibid.

Conditio habitandi cum priuignis ſexagenariæ mulieri adſcripta debet adimpleri. 3.

Ad conſecutionem legati puella debet, ſi tali conditione fuerit relictum, cum hærede ſeptuagenario habitare. 4.

QVÆSTIO VII.

Vt teneatur nouerca, cui à marito vſuſfructus, vel quid aliud tali conditione relictum eſt, cum priuignis iuuenibus habitare?

1 Singulariter vtique, & verè ab aliquibus obſeruatur nouercam iuuenem, cui à marito vel vſuſfructus bonorum, vel cuiuslibet alterius rei legatum ea conditione relictum eſt, vt ſimul, & in eadem domo cum priuignis moraretur, ob timorem, & periculum violandæ pudicitiæ (quod probabiliter timeri poteſt, argumento *l. Diuus.* 5. *ff. ad legem Pompeiam de parricidijs*) non teneri conditioni parere, ſed poſſe etiam ſeorſum habitādo legatum, vel vſumfructum

2 petere, quaſi purè teſtamento relictum, ſiquidem huiuſmodi cōditio veluti turpitudinem continens à legatis reijcitur, vt inquit Bald. *in l.* 1. *num.* 19. *C. de legatis*, & refert Surdus *de alimentis tit.* 4. *quæſt.* 15. *num.* 32. quapropter ſuperiorem ſententiam tenent Bartol. *in l. Gaio.* 13. §. *Imperator num.* 2. vbi id etiā notat additionator, *ff. de aliment. & cibar. legatis*, Boherius *deciſ.* 194. *num.* 6. & alij relati à Borgnino Caualcano *tractatu de tutore & curatore num.* 305. & *tractat. de vſufruct. mulieri relicto c.* 9. *n.* 138. Benedict. Ægid. *de priuileg. honeſtatis art.* 14. *n.* 4. vbi id ampliat etiamſi hæres, vel priuignus honeſta perſona ſit, & probatæ opinionis: idque probare videtur autoritate Conſulti *in l. ſi diſceptetur* 5. *vbi pupillus educari debeat*, & argumento eorum, quæ tradit Petrus Surdus *tractatu de alimentis tit.* 4. *quæſt.* 15. *num.* 31. vbi aſſerit, quòd ſi legatarius ſit iuuenis, & nō poſſit honeſtè habitare ſine periculo impudicitię, poterit extra domum conſequi alimenta, quamuis eo tantùm caſu fuerint relicta, quo cum hæredibus communem habitationem agat. Nec mirum, cùm ob eandem cauſam filius à patre ſuo, vel filia à matre poſſit iuſtè diſcedere, ſi aut ille pulchram nouercam, aut iſta iuuenem vitricum habuerit, vt tradunt Imola & Caſtrenſ. *in l. ſi cùm dotem, §. tranſgrediamur, ff. ſoluto matrimonio*, Caualcan. *dict. tractatu de tutore num.* 304. Surdus *vbi proximè num.* 32.

Quod pudicitiæ, & incontinentiæ periculū cùm naturali ratione in ſexagenarijs mulieribus deficiat, ex quo in tam prouecta, & ſenili ætate conſtitutæ ſeminis profluuio orbantur, ac conſequenter omnibus concupiſcentiæ vſtionibus, & illecebris carent, quæ vt *anno* 70. dicam ea quæſtione *cuius ætatis cōiux eſſe debeat, vt alter ingredi religionem poſſit eo in ſæculo manente*, ab ipſo ſemine exoriuntur. Vnde eſt ſexaginta annorum fœminas citra omnem turpitudinem, & inhoneſtatis ſuſpicionem ſimul, & in eadem domo cum clericis habitare poſſe, quantumuis illi iuuenes ſint, veluti ſuprà *proxima quæſtione* oſtēdimus: ergo eadem ratione dicendum erit huius ætatis nouercas, quibus cum onere cōmorandi eodem habitaculo cum priuignis vſusfructus, aut quid aliud relictū eſt, teneri ſub legati amiſſione ab illis non diſcedere. Nam ex qua cauſa in huiuſmodi fœminis incontinentia non timetur, ex eamet nec in priuignis, quantumuis procacibus & laſciuiētis ætatis, metueri debet. Nemo enim adeò iuuenis, aut petulantis naturæ eſt, qui annoſæ, & ſenio atritæ mulieris conſpectu, vel aſſidua confabulatione turpi illius deſiderio exardeſcat. 3

4 Et è contrario cùm vix puella, & exiguæ ætatis fœmina reperiri poſſit, quæ licèt

deformis, & peruerſæ faciei exiſtat, ſeptuagenarij hominis amplexus concupiſcat, non ſolùm quia eo tempore iam ſordeſcunt,& inelegantes fiunt homines, quapropter & parum optabiles, verùm quia, vt illius ætatis proprium eſt ob rationem ſuperiùs aſſignatam, in ipſis ſenibus libidinis flamma extinguitur, vt eodem *anno* 70. diximus,& etiam in fœminis quoad eos pertinet, adeò vt illis exoſi ſenes videãtur, maximè ſeptuagenarij, quorum nimia ſenectus eſt,& inhabilitas ad copulam. Ideò certum exiſtimo iuuenem fœminam cum huiuſmodi ætatis hominibus ſecurè habitare poſſe, ſiue illa nouerca, ſiue legataria ſit, cui onus habitãdi cum priuignis, aut hæredibus ratione vſusfructus, vel alimentorum iniunctum eſt.

SVMMARIVM.

CRiminoſi niſi robuſti, & abſque corporali vitio ſint, ad triremes damnari nequeunt. 1.

Sexagenarij non debent ad triremes mitti. 2.

Quoad arma & militiam ſexagenarij ſenes dicuntur. 3.

Triremium miſeriæ infinitæ ſunt. ibid.

In argenti viui fodinas, vulgò Minas del azogue, *qui relegari poſſunt, vel non?* 4.

QVÆSTIO VIII.

De ſenectute, quæ ab infligenda triremium, vel metalli pœna excuſat?

1 QVemadmodum enim non omne lignum, inquit Iodoc. Danhauder. *in praxi rerum criminalium cap.* 151. *num.* 13. ad ædificandum, aut ad ædificationem eſt aptum, ita non omne genus hominum deploratorum, ſiue maleficorum aptum, aut idoneum eſt ad condemnandum ad ergaſtula, aut vincula nautica. Vnde prudentia opus eſſe ait, ne iudex præter delectum ad talem relegationem condemnet, ſed tantùm robuſtos, ac fortiſſimos quoſque, & triremium laboribus aptos, & idoneos: nullo modo autem infirmos, debiles, mutilos, mancos, decrepitos, inſanos, aut ſimiles, quique ob ætatem, aut corporis infirmitatem, atque vitium aliquod, nauticis laboribus vſui eſſe ac ſufficere non poſſint. Quibus verbis apertè ſentire videtur improbè iudices facturos, qui ſenes maximè decrepitos triremibus mancipant.

2 Et licèt quantæ ætatis, vel ſenectutis homines triremium pœnam ſint euaſuri, non explicet; tamen Aloiſius Riccius *part.* 3. *deciſ.* 233. *num.* 6. Ioannes Nouar. *in praxi quæſt.* 18. *ſectione* 1. *num.* 4. quos ita allegat & ſequitur nouiſſimè Antonin. Diana *reſolutio. moralium* 2. *part. tractat. de ieiunio reſolut.* 20. *verſic. Itaque ad finem*, ſexagenarios ſaltim eſſe debere conſtituunt.

Meritoque, nam vt autor eſt Ioannes de 3
Platea *in l. cùm in, num.* 1. *verſic. Vltimò nota, C. de his qui non impletis ſtipendijs lib.* 10. quoad arma & militiam ideò ſexagenarij ſenes dicuntur, quia hac ætate iam vires non ſuppetunt: ergo eadem ratione etiam quoad triremium pœnam, qui in prædicta ætate exiſtunt, ſenes diiudicari debent. Præſertim cùm tam infinitæ, atque intolerabiles ſint triremium miſeriæ, & calamitates, vt ſatis ſuperque indicat vetus illud Prouerbium, *Qui vitæ triremicæ deſiderio tenetur, eius voto Deus aſpiret*, quòd etiam fortiſſimorum adoleſcentium vires ſuperent, vt optimè expendit Danhauder. *vbi ſuprà n.* 45.

Quo loco illud tantùm ſubijciam, quod ſu 4
pra *anno* 14. vbi de his egi, qui poſſunt ad triremes damnati, ſcripſi. Nempe diſpoſitum hac pœna, etiam in pœna metalli diſpoſitum cenſeri, ex quo hæc in illius locum ſucceſſit, vt teſtatur multis adductis Farinacius *tom.* 1. *praxis criminal. quæſt.* 19. *num.* 14: ac per conſequens eadem ætate quem hodie ad argenti viui fodinas damnari poſſe, vel ab ipſius pœna excuſari, qua & damnari,& excuſari à pœna triremium poteſt: pro quo facit *l. in metallum.* 22. quæ de hac infirma ætate debet interpretari, *ff. de pœnis*, illis verbis: *In metallum damnati ſi valetudine, aut ætatis infirmitate inutiles operi faciendo deprehenduntur, ex reſcripto Diui Pij à Præſide dimitti poterunt*: ex qua ita notat Petrus Gregor. *ſyntagmat. iuris lib.* 3. *c.* 10. *n.* 17.

SVMMARIVM.

SAnctorum imagines poſt annum ſexageſimum ætatis miracula efficere, aliqui perperam exiſtimarunt. 1.

Miraculorum operatio ab abſoluta Dei voluntate ſolummodò pendet. 2.

Tempus licèt ſit modus inducendi virtutem naturalem, ſupernaturalem tamen inducere nequit. 3.

Miraculi definitio traditur. ibid.

Deus eo animo & fine per imagines miracula edit, vt nos ad illarum reuerentiam alliciat. 4.

QVÆST.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm probabile ſit, Imagines certa ætate miracula efficere?

1 INualuit olim circa imperitos, & literarum expertes ſuperſtitioſa, & prorſus deteſtãda obſeruatio, quæ & ad hæc vſque tempora penetrauit, colendi ſcilicet imagines ſenio ac vetuſtate confectas, & quæ ætatis ſexageſimum annum egiſſent, opinabãtur enim imagines ſexagenarias miracula efficere, quaſi illa ætate, & non anteà virtutem præternaturam operandi conſequãtur: & vt propriùs dicam, vſucapiant, vel præſcribant: huius obſeruationis teſtes adducam Guilielmũ Pariſium *tractatu de legibus folio* 23. 30. & 40. & Margallum *in expoſitione tituli de celebratione miſſarum in cap. quidam laicorum, in principio.*

2 Adeò enim hoc merum figmentum, & puerorum nænias continet, vt vix peculiari impugnatione indigeat. Cui ergo aut ſaltim Fidei igniculo illuſtrato ſuperſtitioſa hæc credulitas, ſeu temporis vana obſeruatio non apparebit: maximè teſtãtibus tot Scripturæ, Sanctorum, & Scribẽtium locis, effectionem miraculorum à libera tãtùm & abſoluta Dei voluntate pendere? vt Pſal. 71. *Qui facit mirabilia ſolus*, & Pſal. 85. *Faciens mirabilia tu es Deus ſolus.* & Pſal. 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus*: vnde inquit Diuus Antonin. *in ſumma* 3. *p. tit.* 22. *§.* 1. *verſ. De poteſtate faciendi miracula, Ipſa poteſtate faciendi miracula Apoſtoli, aut alij Sancti vti nõ poſſunt ad placitum: ſed cùm Deo placet*, & probatur Venerabilis Bedæ ſententia *in c. quærendum de pœnitent. diſtinct.* 2. ſub illis verbis: *Recedit autem ad tempus* (de Spiritu Sancto loquitur) *ne ſemper infirmos curandi, mortuos reſuſcitandi, dæmones eijciendi, vel etiam prophetãdi habeant facultatem: manet ſemper, vt poſſint habere virtutes, & vt mirabiliter ipſi viuant. Venit ad tempus, vt etiam alijs per miraculorum ſigna, quales ſunt intus effulgeant.* Igitur cùm à diuino arbitrio, & Spiritus Sancti ſingulari exiſtentia, effectio miraculorum proficiſcatur, neutiquam probari poteſt, ſimilem miraculorum editionem temporis diuturnitate carioſis, aut ſenio attritis Sanctorũ imaginibus acquiri: alioquin cogeretur quaſi præciſa vi Dei voluntas ipſa imaginum ſenectute ad operationem miraculorum. Nam ſi illorũ operatio ratione ætatis ei deberetur, conſtringendus neceſſariò erat Deus, citra cuius voluntatem ſigna etiam ab Apoſtolis effici nõ poſſunt ad eorum editionem: quod etſi verum exiſteret, falſum profiteri oporteret, quod ex Sacra Pagina, & Patrum teſtimonijs ſuprà vti indubitatum ſubiecimus, nempe effectionem miraculorum à libera tãtùm Dei voluntate emanare, cui & ſubſcribere videtur Clemens Romanus *Apoſtolicarum cõſtitut. lib.* 8. *c.* 1. Anton. de Roſell. *tractat. de Concilijs, §* 21. *n.* 2. Robertus Bellarmin. *tomo* 1. *controuerſ. lib.* 1. *cap.* 9. *in fine.*

Deinde eneruatur, quia tempus licèt ſit modus inducendę virtutis naturalis, veluti in cane & apro, quibus potentia generandi poſt annum à natura indulgetur, & ſimilibus: attamen non eſt modus inducendæ virtutis ſupernaturalis, cùm hæc dumtaxat à Deo abſque medio aliquo naturali proueniat: vnde D. Thom. 3. *lib. contra Gentiles in* 2. 2. miraculum definit, quod diuina operatione ſine operatione ſecundorum agentium fit. 3

Nec quidquam proderit, ſi obijciatur, potuiſſe Deum illius ætatis imaginibus, tanquã aptioribus inſtrumentis ad miracula vti, vtputa quia ratione ſenij illas homines maiori veneratione proſequũtur. Nam hoc fortè locum ſortiretur, ſi Deus ad miraculorum commendationem illarum imaginum ope, vel auxilio indigeret, quod cùm ſecus accidat, & per imagines hoc animo & fine ferè ſemper Deus miracula edat, vt ad earum adorationẽ & cultum nos alliciat, ex ſententia P. Vazquez *de adoratione lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 179. neutiquã credendum eſt, his potiùs quàm alterius ætatis imaginibus Deum ad ſignorum operationem viurum, cùm omnium par cura & ratio illi ſit. 4

SVMMARIVM.

EX Bulla Pij V. tantùm ſexagenarij in eodem monaſterio vltra biennium poſſunt commorari. 1.

Poſt ſexageſimum annum quicumque ad iter faciendum inhabilis cenſetur. 2.

QVÆSTIO X.

Vt Religioſi Minores poſsint in vno conuentu vltra biennium manere?

PIus Quintus *in Bulla* 67. quæ incipit, *Ille Guardianus* ſtrictiſſimè præcipit, ne Minores Conuentuales in eodem Monaſterio vltra biennium commorentur, niſi adeò ſint ſenes, vt ſaltim annum agant ſexa-

ſexageſimum. Ita refert Cerola *in praxi Epiſcopali verbo Mendicantes, §.2. folio 36. part.2.* huius enim ætatis homines iam inter ſeniores connumerantur, vt nuper probaui-
2 mus, & faciendis itineribus ita ſunt inhabiles, vt non ſine maximo vitæ diſcrimine de vno ad aliud Monaſterium tranſire poſſint. Ideò ex veriori opinione ſuperiùs admiſimus poſt dictam ætatem neminem teneri pro abſolutione à reſeruatis obtinenda Romanum Pontificem adire, aut ſacram vrbem petere, quia eximio itineris labore frangatur opus eſt, qui ſexageſimum annum pertingunt.

SVMMARIVM.

Libertus ſexagenarius liberatur ab operarum præſtatione. 1.
Liberta quinquagenaria ad operas patrono præſtandas cogi non debet. 2.
Quadrageſimus nonus annus minor climatericus dicitur. 3.
Quinquagenaria non eſt apta ad ſeruiendum, & victum quærendum. 4.
Senex poſt quinquageſimum annum non excluditur à beneficio authentic. præterea, C. vnde vir & vxor, ibid.
Mulier quinquagenaria pediſequa eſſe non poteſt. 5.
Spicis legendis operam dantes, quas vulgò Eſpigaderas *nuncupamus, cuius ætatis eſſe debeant?* 6.
Spicæ, quæ collectis iam meſſibus remanent, pauperum ſunt. ibid.
Liberti à quibus operibus ob ſenectutem liberentur? 7.
Pædagogus vulgò Ayo, *etiam ſenex eſſe poteſt. ibid.*
Cuſtos fœminarum, qui apud noſtros Guardadamas, *ſenex eſſe debet.* 8.

QVÆSTIO XI.

De ætate qua libertus ab operarum promiſsione & ſeruitio liberatur?

1 Libertum ſexagenariũ ad eaſdem operas, quas promiſit, deditque iuuenili & robuſta ætate, compelli non debere, idcirco putat eruditiſſimus Franciſcus Connan. *commentar. iuris ciuil. lib.2. cap.8. paulò poſt principium.* Quia ea ætas quietem à laboribus, & functionibus corporis afferre debet, quod veriſſimum eſt, & probatur innumeris exemplis, & teſtimonijs, de quibus vbertim hoc eodem *anno* 60. egimus, agemuſque & magis in ſpecie, ex *l. in metallum. 22. ff. de pœnis,* vbi obligatus ſeruire, & operas præſtare commiſſi delicti ratione, liberatur ſenectutis ratione, vt ex *dict. l.* ſimiliter obſeruat Baeça *de inope debitore cap.7. num.4. & 7.* Etſi nõ me lateat, quòd de certa Æthiopum gente narrat Poſtellus *in Coſmographia*, videlicet multos ibi eſſe centum & octoginta annos natos, qui etiam operas ditioribus locare conſueuerant: ſed hoc quaſi monſtruoſum, & à communi natura extraneum planè deſpicio.

Cui ſexagenariæ marium ætati cùm quinquagenaria fœminarum reſpondeat, & tanta ſenectute affecta hoc tempore mulier, ac illo vir credatur, vti ſæpiùs prædiximus, inde eſt rectè ſubijcere Paulum *in l. liberta. 35. de operis libertorum*, libertam maiorem quinquaginta annis operas præſtare patrono non cogendam, refert Velaſcus *de priuileg. miſerabil. perſon. quæſt. 18. num. 17.* Quod rationem habere naturalem ſcribit Ioannes Garſia *de nobilitate gloſ. 48. §. 1. num. 2.* eſt enim 3
quinquageſimus annus primus in ordine poſt quadrageſimum nonum climatericum minorem, vitæ humanæ acerrimum inſidiatorem, quo incipit humanum corpus ſenectutis, & graueſcentis ætatis incommodo plus ſolito fatigari, eapropter conuenientiſſimum fuit hoc anno omnia munera perſonalia, omnem corporis exercitationem quaſi defectis viribus, & labefactato corpore ſaltim in fœminis conticeſcere: quocirca hæſitari de hoc minimè poſſe conijcitur, quidquid voluerit Burat. *deciſ. 129. num. 33.* relatus per Ioannem Aloiſ. Riccium *collectan. deciſion. 1862. in fine.*

Et conuincitur expreſſius ex eo quod ex 4
Rolando & Riminaldo iuniori tradit Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. cap. 120. n. 14.* videlicet quinquagenariam non poſſe dici aptam adquærendum victum, & ſeruiendum, argumento *text. in cap. conſideranda. 17. 86. diſtinct.* Cùm dicatur ſenex, quæ peruenit ad huiuſmodi ætatem, quare eam non eſſe excludendam à beneficio *authent. præterea, C. vnde vir & vxor,* ea ratione concludit, quia magis indiget ſeruiri, quàm alijs ſeruire: cui conſentit Anton. de Amatis *deciſione Marchiæ. 72. num. 22.* & eapropter cum 5
Barbac. *conſ. 74. verſic. Nec obſtat ſi opponatur lib.4.* contra illos inuehitur, qui tenent mulierem ita ſenem poſſe eſſe pediſequam, præcipuè in his partibus, in quibus dantur floreni decem prò quolibet anno, qui vix ſufficiunt pro tertia parte veſtium, & neceſſario-

rum:

rum: ſequitur Ioan. Aloiſ. Riccius *vbi proximè*.

6 Vnde cùm *l.5.tit.11.lib.7.nouæ recollectionis* apud noſtros caueatur, eas ſolùm fœminas poſt meſſem factam ſpicis legendis operam dare poſſe, quæ ita ſunt ſenes, vt aliter victum quærere nequeant, quinquagenarias hac prohibitione non eſſe comprehenſas inde conſtat, quòd, vt prædiximus, ea ætate exiſtunt, qua verè ſenes & pauperes habentur ex traditis â Gratiano *vbi ſuprà*: ſpicæ enim de iure diuino, ſecatis ſegetibus indigentium ſunt, vti ex Leuitico docet Dominicus Taſſonus *obſeruation. iuriſdiction. verſic. 3. obſeruation. 4. num 75*: & fœliciùs elegantiùſque Dominus, ac Dominus meus Don Didacus de Caſtejon & Fonſeca Supremi Caſtellæ Senatus, omnium voto digniſſimus Præſes, *tractatu de Primatu Eccleſiæ Toletanæ contra Bracbarenſem in præfationis calce*.

7 Quod in illis operis intelligendum eſſe optimè ſubnectit Franciſcus Connan. *dict. cap. 8* quæ corporis viribus perficiuntur, ſenectutique non conueniunt, *l. nec audiendus. 17 ff. de operis libert. l. in metall. 22. ff. de pœnis*. At verò ſi quæ ſunt animi ſolicitudinis, induſtriæ, aut etiam corporis, ſed quas ea ætas ferrè poſſit, nihil cauſæ eſſe video, vt loquar cum Connano, cur ſexagenarius libertus, vel quinquagenaria liberta detrectet obſequium, veluti cum puerorum moribus con-
8 formandis libertus, aut puellarum pudicitiæ cuſtos liberta adhibetur â patrono, operas enim omnes ætati conformes libertus præſtare tenetur, *l. eius. 16. in fine, ff. de operis libert.*

SVMMARIVM.

EPiſcopus poteſt abſoluere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, quoties adeſt iuſta cauſa, quâ nequeat excommunicatus Pontificem adire. 1.

Impubes Clerici percuſſor non tenetur pro abſolutione obtinenda Romam petere, ſed poteſt ab Epiſcopo abſolui, etiam poſt pubertatem. 2.

Qui ob legitimam cauſam ab Epiſcopo eſt abſoluendus à reſeruatis, debet priùs cautionem præſtare de comparendo ceſſante impedimento. 3.

Senectus excuſat à labore itineris. ibid.

Senes excuſantur ab obligatione accedendi ad Pontificem pro abſolutione obtinenda. 4.

Cuius ætatis ſenectus eſſe debeat, vt ab obligatione adeundi Pontificem liberet. 5.

QVÆSTIO XII.

Vt quis non teneatur pro abſolutione obtinenda Apoſtolico ſe conſpectui repræſentare?

EPiſcopum poſſe â quocumque 1
excõmunicationis vinculo quomodolibet, etiam in Bullæ cenæ Domini Papæ reſeruato abſoluere, quoties excommunicatus iuſtas habet excuſationes, quibus ab itinere rationabiliter excuſetur, ita quòd ſine periculo Apoſtolico ſe nequeat conſpectui præſentare, Pontificali reſcripto continetur *in cap. de cætero 11. & in cap. quod de his. 26. cap. ea noſcitur. 13. cap. quamuis. 58. de ſententia excommunicat.* Necnon & Regia ſanctione fulcitur in *l.4 tit.9. part. 1.* quamuis hoc ſpeciale in excommunicato propter violentam manuum iniectionem in Clericum putet Abbas *in dict. cap. pueris num. 3.* ſiquidem contraria opinio potior & benignior eſt, cùm propter generalitatem *dict. capit. quod de his, & dict. cap. ea noſcitur. 13.* tum quia in omnibus caſibus eadem ratio idem ius ſuadet: quare illam vti veriorem probant Syluester *verbo abſolutio. 4. num. 7.* Nauar. *in manuali cap. 27. num. 90.* P. Henriquez *lib. 6. de pœnitentia cap. 16. num. 1.* Gregorius Sairus *in theſauro caſuum conſcientiæ lib. 3. cap 28. à num. 9. cum ſequentibus*, Stephan. de Aula *tractatu de cenſuris 2. part. cap. 7. diſputat. 1. dubio 6. concluſ. 3.* Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ hominis capit. 35. num 30.* Bonacina *diſputat. 2. quæſt. 4. puncto 5. num. 3.* antea Zambranus *de caſibus in articulis mortis capit. 4. dubio 4. num. 14.* Sancius *in præcepta Decalogi tom. 1. lib. 2. c. 13. num. 9.* Barboſa plurimos referens *in collectanea ad cap. ſi quis ſuadente num. 98. 17. quæſt. 4.* Velaſcus *de priuilegijs miſerab. q. 18. num. 58.* & alij quamplures, quorum ipſi meminerunt. Qui omnes inter reliquas ex- 2
cuſationis cauſas, quibus excommunicatione innodatus ab obligatione Pontificem adeundi iuris conſtitutione eximitur ætatis fragilitatem, aut impuberum, aut ſeniorum recenſent, habetur enim in iure ratio ætatis quoad iter faciẽdum, *l. continuus. 137. §. cùm ita ſtipulatus ſum, de verbor. obligat.* & quidem de pueris nõdum quartumdecimum annum pertingentibus expreſſa ſunt Alexandri III. verba *in cap. 1.* de ſentent. excommunicationis: *Reſpondemus* inquit, *quòd ſi clerici intra puberes annos ſe ad inuicem, aut*

vnus alterum percuſſerit, non ſunt ad Apoſtolicum Sedem mittendi, quia eos ætas excuſat. Cuius ſimile ex alio Antiſtite legitur *in cap. quamuis.* 58. & præcipuè *in cap. pueris.* 60. *eodem titulo: Pueris,* eius ſunt verba, *qui in Canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, ſiue ante, ſiue poſt pubertatem poſtulent ſe abſolui, poteſt Diœceſanus Epiſcopus abſolutionis beneficium impertiri, cùm propter defectum ætatis, in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor ſit manſuetudine temperandus*: & conducit *d. l. Partitæ*, vbi ſuo ordine cauſas enumerans, quarum impedimẽto clerici manifeſtus percuſſor retrahitur, quominus Romanum Pontificem adire teneatur, *La nona es,* proſequitur, *ſi aquel que ferió es home que está en poder ageno, aſſi como fijo ſin edad:* vnde cùm eodem themate retento quidam vates Conſultus breui quodam epigrammate caſus omnes ab hac Pontificali acceſſione releuantes perſtringere voluiſſet, ſic exorditur.

Regula, mors, ſexus, hoſtis, puer, officialis.

3 Ita ſentiunt Rebuffus *in l. pueri.* 204. *verſic.* 4. *de verborum ſignificat.* Cardoſus *in praxi aduocatorum liter. M. num.* 17. Franciſcus Marcus 2. *part. deciſ.* 823. vbi inquit impuberem clericum percutientem non teneri accedere ad Romanum Pontificem, quia eũ poteſt Epiſcopus abſoluere, etiam poſtquam peruenerit ad pubertatem, vel ad 15. vel 16. annum, ſi adhuc talis ſit, quòd ſine periculo ad Sedem Apoſtolicam propter imbecillitatem corporis, aut defectum diſcretionis ire nequeat, dum tamen præſtet iuramentum de ſe præſentando Pontifici impedimento ſublato, *dict. cap. final. de ſententia excommunicationis* ſecundum D. Antoninum *in ſumma 3 part. tit.* 24. *cap.* 1. § 3. qui idem etiam in pubere obſeruandum admonet, ſcilicet vt excuſetur adire Romanum Pontificem, ſi iura ignorauerit.

4 Senibus verò idem priuilegium indulgeri ipſi præcitati Authores *dictis in locis* referuntur, & ſuadetur *ex dict. cap. quod de his.* 26. ſimilibus verbis: *Aut infirmitate, vel ſenectute tanta grauaretur, quòd ad Eccleſiam Romanam laborem ſubire non valeat veniendi,* & *ex dict. cap. ea noſcitur.* 13. *dict. capit. quamuis.* 58. ibi: *Puerili, vel ſenili ætate,* nec non & ex ſæpiùs repetita *lege Hiſpanica illo verſic. La ſexta es ſi es muy viejo.* Quod præter citatos comprobant Carolus de Graſſis *de effectibus clericatus effectu 9. à num.* 160. Sairus *de cenſuris lib. 3. capit. 27. num.* 35. Garcia *de nobilitate in gloſ. 48. num. 5. circa finem,* Riccius *collectanea.* 1623. Belletus & alij relati à Barboſa *vbi ſuprà num.* 93. inferrique poteſt ex eo quod de his, qui ita delibati ſunt, quòd laborem veniẽdi ad Sedem Apoſtolicam nequeunt ſuſtinere, reſpondit Alexander III. *in cap. mulieres 6. de ſententia excommunicationis,* & extat in hanc rem alter illius Epigrammatis verſus.

Delicioſus, inops, æger, ſeneſque ſodalis.

Cõſentitque expreſſe Albericus *in l. Senium num. 5. C. qui teſtamenta facere poſſunt,* vbi hoc procedere adijcit, etiam ſi nullum aliud periculum foret, niſi quòd magna mora interceſſura eſſet, Lucas de Penna *in l. 41. n. 1. C. de Decurionibus lib.* 10. idemque pluribus relatis nouiter probat Rodericus Acunha *in c. 1. num. 285. diſtinct.* vbi ex Carolo de Graſſis *de effectibus clericatus effectu 9. n.* 160. etiam procedere ſcribit in illis ſenibus, qui viridem ſenectutem, vireſque integras habent.

Sed quot annorum ſenex quoad huiuſmodi excuſationem intelligatur? inſtituti noſtri erit inueſtigare. Quidam enim iudicio Epiſcopi relinquendum affirmant, vt ipſe perſonæ qualitate inſpecta arbitretur, an tale iter periculosè aggredi poſſet, vel non, eius ſententiæ fuit Barboſa *dicto loco.* Alij verò maiorem ſeptuagenario hoc beneficio vti debere eo exiſtimarunt, quia hæc ſola ætas excuſationem parit munerum perſonalium, *l. fin. C. qui ætate lib.* 10. quare & ab itinere excuſari debere ſcribunt, cùm recta ratione perſonale munus dici queat. In quam ſententiam inclinare videtur Stephanus Gratianus *diſceptationum forẽſium tom. 5. cap. 805. num.* 20. & anteà Tiraquellus *de iure primogeniorum in præfatione num.* 211. vbi & illam rationem adfert, quia ſenes excuſantur à longis itineribus. Verumtamen hęc Interpretum traditio minimè defendi poteſt, cùm eximius itineris labor, quo frangatur opus eſt qui tam immenſum iter aggreditur, meritò in cauſa eſſe debeat: vt ſexagenario tantundem hoc priuilegium impartiatur: nam licèt in huiuſmodi ætate nonnullis robur, & optima membrorum expeditio contingat, hæc adeò laſſitudini, & infirmitati exiſtit obnoxia, vt vix ſine labore & periculo, nedum viam perfici, verùm neque proficiſci valeant: inde ſecundum Innocentium, Sylueſtrum & alios optime reſoluit Sairus *dicto lib. 3. cap. 28. num.* 25. ſexaginta annos habentem ſenem reputari, vt pro abſolutione obtinenda Romanum Pontificem adire nullatenus conſtringatur, ſed illam poſſit à ſuo Epiſcopo rationabiliter impetrare.

5

SVM-

SVMMARIVM.

Adoptio in ſolatium eorum, qui liberos non habebant, fuit inducta. 1.

Liberos habens, non niſi cauſa cognita aliquando poteſt adoptare. ibid.

Sexagenarij, aut ſterilitatis vitio laborantes ſolummodo adoptandi habent poteſtatem. 2.

Semen qua ætate deficiat, vel ſaltim ſterile fiat: 3.

Concipiendi facultas in fœminis quinquageſimo anno finitur. 4.

Adoptio non niſi à ſexagenario, vel quinquagenario perfici poteſt. 5.

Adoptans quantum adoptatum præcedere debeat. 6. *& ſequentib.*

Pro monſtro haberetur, ſi filius maior patre eſſet ibid.

Adoptio naturam imitatur. ibid.

Fœmina Principis reſcripto adoptans plena pubertate adoptatum præcedere debet. 8.

Adoptans aliquem loco nepotis, vel pro nepotis, cuius ætatis eſſe debeat? 9.

Plures ſimul adoptans quanto tempore omnes præcedere debeat? 10.

Vno concubitu plures generari, & concipi poſſunt. ibid.

Animalia vnico congreſſu multiplicem conceptum effingunt ibid.

Diſtinctio hac in re adhibetur. 11.

QVÆSTIO XIII.

Ut poſsit quis filios adoptionis, vel adrogationis beneficio quærere?

1 ADoptionis commentum veteres induxiſſe in ſolatium eorum, qui nullum, aut ſterile matrimonium experti liberos non habebant, vel ex eo ſolùm conſtat, quòd difficulter cõceditur liberos habentibus alios adoptare, *l. neque ei.* 17. *§. cæterorum, verſ. Præterea, ff. eodem*, licèt cauſa cognita permitti aliquando ſoleat, *l. qui in adoptionem.* 23. *verſic. Sed filiæ meæ, l. ſi is qui nepotem.* 44. *ff. eodem*, & optimè ſcripſit Cortaſius *in præfatione ad titulum, ff. de adoptionibus num.* 4. cui veluti morem gerens Antonius Faber *in rationali ad legem primam eiuſdem tit.* adoptionem ex eo dictam putat, quaſi valdè optet liberos qui adoptat, quod neque ita dennium à ratione exiſtit, vt idem ſenſiſſe non videatur apud noſtros *l.* 7. *tit.* 7. *part.* 4. ibi: *E tal parenteſco como eſte es dicho ſegun las leyes alegança derecha de profijamiento que fazen los omes entre ſi con grande deſeo que han de dexar en ſu lugar quien herede ſus bienes*, ſicque huiuſmodi genus tranſitus in alienam familiam actum legitimum eſſe definit idem Corraſius *num.* 7. quo certa perſona in filium eligitur ad ſolatium eorum, qui liberos non habent, inuentum. Hinc Seneca *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 15. adoptionem fortunæ remedium appellat. Probat Vincentius Turturetus *in parallelis ethicis & iuridicis diſſertatione* 31. *ad finem.* Vnde fit illos tan- 2
tùm hoc adoptionis ſolatio vti poſſe, non quidem qui liberos naturales non habent, ſed qui eos habendi probabili ſpe omnino deſtituuntur, quales ſunt frigidi, vel ætatis prouectæ, cùm hi dumtaxat ab optata ſobolis naturali creatione meritò deſperare & diffidere poſſint. Vtrumque edixit Vlpianus *in l. ſi pater.* 15. *§. in adrogationibus, ff. de adoption. in adrogationibus*, inquit, *cognitio vertitur, num forte minor ſexaginta annis ſit qui adrogat, quia magis liberorum procreationi ſtudere debeat, niſi fortè morbus, aut valetudo in cauſa ſit, aut alia iuſta cauſa adrogandi*: ex quo Gellius *lib.* 5. profert adrogationem non fieri temerè, nec inexploratè. Nam & ætatem eius, qui adrogare velit, conſideramus, an liberis potiùs gignendis idonea ſit. Quod ex Vlpiano tranſcripſiſſe videtur *in l. nec ei.* 17. *§. eorum, verſic. Tertio. ff. eodem.* vbi poſtquam duo in adrogatione neceſſariò excutienda propoſuerat: *Tertiò* ſubiungit, *cuius idem ætatis ſit, vt æſtimetur, an melius ſit de liberis procreandis cogitare eum, quàm ex alia familia quemquam redigere in poteſtatem ſuam*: & præcipitur à iuris noſtri conditoribus in *l.* 4. *tit.* 16. *part.* 4. illis verbis: *Empero el Rey ante que otorgue poder de profijar à tal moço como eſte, deue catar todas eſtas coſas, que ome es aquel que le quiere profijar, ſi es rico, ò ſi es pobre, ò ſi es ſu pariente, ò no, è ſi ha fijos que hereden lo ſuyo, ò ſi han tantos dias que los puedan aunauer, &c.*
Quæ poſſibilitas, vel aptitudo generandi, 3
cùm fere ſemper illis deficiat, ex antiqua legum præſumptione, de qua alibi, qui adeò ſunt in ſenium præcipites, vt ſexageſimi anni metas tranſilierint, ideò ſexagenarios tãtùm adoptare poſſe, commune Iuriſconſultorum prolatum extat, cùm poſt huiuſmodi ætatem homines natura ipſa veluti ſeminis expertes, aut tandem ſi quod habent, ſterile, non prolificum, non genitale, inhabiles ad generationem reddantur. Ita Ariſtoteles *lib.* 1. *de generat. animalium cap.* 18. & ad ſtipulatur his verbis Illitio ille Terentianus: *Ego nouus*

nouus maritus anno demum quinto & ſexageſimo fiam, atque anum decrepitam ducam, id ne eſtis autores mihi ſubſcribit Albert.Magnus *de animalibus lib.5.tract.2.c.1. & lib. 10.tractat.2.cap.1.* ea vtique ratione, quam Galenus profert *lib.2.de ſanitate tuenda cap. 2.* quia *Labor, cibus*, illius ſunt verba, *potus, ſomnus omni ætati communia: Venus verò ætate florentium eſt: qui autem hanc vel præcedunt ætatem, vel ſequuntur, aut planè ſemen non effundunt, aut certè infæcundum, aut vilè fœcundum emittunt.* Vnde lege Papia & Popea (vt legendum monet Tiraquel. *in l.6. connubiali gloſ. 1. part.6. num. 19.* non Pompeia) cautum erat, ne ſexagenarij vxorem ducerent, quaſi inepta & ſuperflua illorum conſortia reputaret, ex quibus vix, aut non citra miraculum proles ſperari potuiſſet. Cui tamen legi poſtmodum Claudius Cęſar abrogauit, vt autor eſt Sueton. *in eius vita*, & deinde à Iuſtiniano noſtro connubij iuratam maribus & fœminis fuerunt conceſſa, etiamſi decrepitæ ætatis exiſterent, *l. ſancimus. 27. C. de nuptijs*, docet Anton. Gibert. *tractatu de matrimonio titulo de his qui nuptias contrahere poſſunt*, Tiraquel. *vbi proximè*, Ioannes de Pareja *in ottio quadrimeſtri 2. part. num. 25.* Cui rei plura deſiderantibus, quaſi pro priori loco ſuppeditauimus, cùm de ætate, qua generandi virtus abſumitur, diſquiſitio inciderit.

4 Illud ſolùm adnotaſſe ſufficiat, quòd cùm vis generatiua in fœminis quinquageſimo anno pari modo finiatur, vt tam Philoſophorum, quàm Medicorum vulgare placitum eſſe alibi fuſiùs probauimus, & docet P. Thomas Sanchez *dict. lib.7. de matrimonio diſputat. 32. num. 16.* & alij à nobis relati, ante prædictam ætatem minimè adoptare, ſiue adrogare poterunt: quinimò quinquagenariæ eſſe debent, vt illis liberorum adoptio permittatur.

5 Quæ quidem ætas ſexageſimi anni in maſculis, & quinquageſimi in fœminis adeſſe neceſſariò debet, vt adoptio ſubſiſtat, niſi fortè, veluti ex Vlpiano monuimus, morbus, aut valetudo, quorum alterum nondũ ſexagenarijs viris, nec quinquagenarijs mulieribus obſiſtit, quominus prolis ſuſceptioni ſtudeant, in cauſa ſit, aut alia iuſta cauſa adoptandi, vtpura ſi coniunctam ſibi perſonam velint adoptare, cum affectionis illa cauſa, qua ferè ſemper naturali vinculo adſtrictos proſequimur, *l. Neſenius. 34. ff. de negotijs geſtis, l. ſi fortè, ff. de caſtren. peculio*, tanti apud ius noſtrum habeatur, vt omnem omnino ſuſpicionem excludat, *l. non ſolum. 67. §. de vno dubitari, ff. de ritu nuptiar. l. cum in adoptiuis. 10. §. ſi verò pater naturalis, C. de adoption.*

Quod ita ſubintelligendum erit, dummodò qui adoptare, vel adrogare deſiderat, ipſo adrogando ſit prouectior, *dict. l. ſi pater. 15. in fine*, adoptio enim naturam imitatur, & pro monſtro eſſet, vt maior inueniretur filius quàm pater, *§. minorem inſtitut. hoc titulo de adoption.* Hinc Cicero *in oratio. pro domo ſua*, hac ratione probat Clodium à Fonteio adoptari nequaquam potuiſſe: & Suetonius *in Tiberio cap. 2.* quaſi contra leges factum ſcribit, quod P. Claudius plebeio homini, atque etiam natu minori in adoptionem ſe dedit: quare non tantum cùm quis adoptat, inquit Conſultus, ſed etiam cùm adrogat, maior eſſe debet eo, quem ſibi per adrogationem, vel per adoptionem filium facit; & vtique plenæ pubertatis, ideſt decem & octo annis eum præcedere debet, *l. adrogato. 40. §. non tantum, ff. de adoptionib. §. minorem inſtitut. eodem titulo l. 2.* ibi: *Que ſea maior que aquel à quien quiere profijar de diez y ocho años, tit. 16. part. 4.* Probat Faber *in dict. §. minorem num. 2.* Angel. *num. 2.* Portius *num. 1.* Hotom. *in verb. Ideſt decem & octo*, Minſinger. *lib. 2.* Vveſembech. *num. 3.* Borcolten. & Vulteius *num. 10.* Thadæus Piſon *num. 2. & lib. 1. Pandectar. titulo 7.* Claud. Canciuncla, Stephan. Bodęus, Octauian. Libellus, & cæteri Inſtitutionum Gloſſographi, *ibidem*, Briſonius *lib 8. formular. folio mihi* 826. Bonacina *tractat. de matrimon. quæſt. 3. punct. 5. §. 3. propoſit. 1.* Cuius certiſſima ratio inde prouenit, quod adoptio imitatur naturam, *dict. §. minorum*: ſicque adoptionem definit Caius *in ſuis inſtitution. titulo de adoptio. in principio*, adoptio inquit, naturæ ſimilitudo eſt, vt aliquis filium habere poſſit, quem non generauit, illamque imaginem appellat Papinianus *in l. filio. 23. de liberis & poſthumis, l. 2. tit. 16. part. 4. l. 2. tit. 22. lib. 4. fori.* Ergo quemadmodum naturali generationis ordine attento impoſſibile eſſet, filium procreari, quin ſimul pater non modo eo maior exiſteret, verum & illa eum ætate anteiret, qua ipſius generationi iam ſuffeciſſet: ita & in adoptione, quæ ciuilis generatio dicitur, haud quaquã poſſibile eſt filium, quem hoc beneficio creare, ni illum legitima ætate præceſſerit, ideſt, ea qua proculdubio eſſet futurus, ſi illum naturali modo ſuſcipere contigiſſet.

Nec ex hoc licet inferre, ſufficiens, imò neceſſarium videri, vt rectiùs, & propriùs naturam æmuletur adoptio, patrem adoptiuum filium pubertate tantum, ideſt anno decimo quarto præcedere, cùm hæc ætas non ſolum à natu- 7

naturalibus, & medicæ artis profeſſoribus, verùm & à noſtris idonea generationi credatur, ac proinde huiuſce ætatis matrimonium contrahere poſſe, cùm Iureconſulto *in l. minorem 4. ff. de ritu nuptiarum*, & Imperatore *in principio inſtitut. de nuptijs*, communiter Interpretes proferunt: quibus alibi & nos ſubſcripſimus. Nam quamuis reuera decimoquarto anno Philoſophi, & leges præſumpſerint adeſſe pubertatem ad poſſibilitatem generandi, attamen cùm non ſemper faciat natura, vt tam teneræ ætatis homines genitale profluuium habeant, cùm alij tardiùs, alij citiùs pubeſcant, ex quo pubertatem non certa, & præſcripta ætate, ſed corporis habitu, generandique poteſtate Canonici iuris conditores æſtimant, *cap. puberes 3. de deſponſat. impuber.* & Conſultorum nonnullos ſic exiſtimaſſe referr Iuſtin. *in principio inſtitut. quibus modis tutela finitur*, Vlpianus *in fragmentis titulo 11.* Quod vti impudicum meritò ſuſtulit idem Imperator, & tandem conſtituit, vt maſculi anno decimoquarto ſint puberes, & fœminæ anno duodecimo viripotentes, *l. final. C. quando tutor vel curator*, non tamen inde ſequitur quemlibet hac ætate generare poſſe: ergo cùm in adoptione de ciuili & certa generatione agatur, ſecus atque in matrimonio, vbi tantum prolis ſpes vertitur, illa ætate adoptet quis operæpretium eſt, qua ſecundum naturam certum eſſet, eundem quem abrogauit filium generare potuiſſe: at qui cùm indubitatum appareat, poſt plenam pubertatem omnes homines idoneos generationi exiſtere, plena igitur pubertate maior eſſe debet, qui adoptat eo qui adoptatur: ita docet Corraſius *dict. l. adrogato, ff. de adoptio.* Anton. Faber *in Iuriſprudent. Papinian. tit. 10. principio 4. illatio. 2.* vbi & aliam antiquorum, ſed improbabilem rationem refert, quam etiam repetit *in rationali ad dict. l. 40.* illamque optimè refutant Aldroband. & Thadæus Piſo *in dict. §. minorem num. 3.* vbi aliam referunt, & ſimul noſtram probât. Suffragatur etiam idem Piſon *lib. 1. Pandect. tit. 7. ad calcem*, Æginar. Baro *in commentar. ad priorem particulam tituli inſtitut. de adoptionibus litera C:* Benedict. Pinel. *ſelectar. iuris lib. 2. cap. 4. num. 15.* & anteà excogitauit Connanus *commentar. lib. 2. cap. 15.*

8 Qua itidem ratione & in muliere Principis reſcripto adoptante (vt fieri oportet *l. mulierem, C. de adoptio, §. fœminæ inſtitut. eodem*) hæc plenæ pubertatis præcedentia deſideratur: vnde fœmina cùm eius ætatis ſit, cui adoptio vel adrogatio permittitur, adoptiuum filium præcedat, anno ſaltim decimoquarto neceſſum eſt, cùm huiuſmodi ætas, qua frequentiùs mulieres generare incipiunt, in fœminis ſit plena pubertas, argumento *l. Mella. 14. ff. de aliment. legatis*, ſentit Aldrobandinus, & Corraſius *vbi proximè*, illud tandem in vtriuſque perſona commune extat, vt exactè, mathematiceque completa plenè pubertatis ætas, tam in viris, quàm in fœminis adoptantibus eſſe debeat, vt ex Piſone deprehendimus *dict. loco n. 3.* quamuis ſic Aldrobandinum docuiſſe *ibidem n. 6.* referat, cuius etiam toto illius §. commentariolo perſpecto, haud numerum, haud ſententiam offendi.

Vtrùm autem quæ de plenæ pubertatis præcedentia diximus, locum habeat, ſi nepotem quis, vel pronepotem adoptet: an verò in horum, ſiue adoptione, ſiue adrogatione, ea requiratur ætas in adoptante, itemque in adoptato, qua per naturam, & ille auus, ſeu proauus, & is nepos, ſeu pronepos eſſe poſſet? nec vulgaris, aut expedita quæſtio eſt: hanc ſolus excogitauit Franciſc. Balduin. *in dict. §. minorem num. 3.* eamque ſic digerendam putat, vt ſufficiat adoptantem quem loco nepotis, vel pro nepotis adoptat, plena tantùm pubertate præcedere, quod vel ipſius Iuſtiniani verbis *in dict. §. minorem*, nec improbè deduci poteſt, *Debet itaque is* (inquit) *qui ſibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, id eſt decem & octo annis præcedere*, abſolutè enim de filio loquitur, cuius nominis tanta vis, adeoque lata ſignificatio eſt, vt nepotes etiam, & pro nepotes complectatur, *l. filij appellat. 84. l. liberorum 220. l. iuſta 201. ff. de verborum ſignificatione, l. Senatuſconſulto 59. de ritu nuptiarum, l. vxorem. 41. §. concubinæ, ff. de legat. 3.* Deinde, quia etſi nepotem, vel pro nepotem adoptare deſiderans illius ætatis eſſe neceſſariò deberet, qua ſecundùm naturæ leges eoſdem nepotes, aut pronepotes ſuſcepiſſe poſſibile fuiſſet, vix aut ſaltim rariſſimè tot annorum homo inueniretur, qui aliquem poſſet nepotis, vel quod certius eſt, pro nepotis loco adoptare: quod tamen fieri cômodè poſſe Pomponius demonſtrat *in l. adoptiones 43. ff. de adoption.* & Iuſtinianus profitetur *in §. licet autem inſtit. de adopt. Licet autem*, eius ſunt verba, *& in locum nepotis, vel pronepotis, vel in loco neptis, vel proneptis, & deinceps adoptare, &c.* Quomodo ergo nô ſolum tâquam nepotem, vel pronepotem, ſed & deinceps, ſi ita libuerit, quaſi abnepotem adoptandi quis facultatem haberet, aut tandem quid conceſſa prodeſſet, ſi in illud tempus collata eorum adoptio cerneretur, quo viuere quiſquam impoſſibile eſt?

Cæ-

10 Cæterùm,vt huic noſtræ diſquiſitioni terminum modumque ſtatuamus,illud dubium examini ſubijciamus oportet,quod *in dict.l. adrogato* 40.*verb.60.plenæ,ff.de adoption.* excitauit Accurſius:Numquid ſi plures aliquis adoptauerit,vt iuſta ex cauſa permittitur *dict.l.ſi pater.*15.§.*in adrogationibus,ff. de adoption.* tot pubertatibus eos præcedat operæpretium ſit,quot filios adoptione conſequitur? an vero vna dumtaxat octodecim annorum ſpatio omnes anteire ſufficiens creditur?Ob id enim,qui filios plures adoptat, eos pluribus pubertatibus antecedat neceſſum videri poterit,inquit Accurſius, quia ſi pluribus locis opus nouum fiat, vnica tantùm nunriatio non ſufficit, ſed plures ſunt neceſſariæ,*l.de pupillo* 5.§.*ſi in pluribus,ff. de noui operis nuntiation.*Non aliter atque in promiſſionibus, legatis, vel alijs obligationibus,quæ dationem per ſingulos annos,vel menſes,aut aliquod ſingulare tempus continent, vna tantùm præſcriptio ab exordio talis obligationis incipiens ſatis non eſt, vt præſtationis immunitas acquiratur, ſed plurimæ aut vſucapiones,aut præſcriptiones ab initio cuiuſcumque anni vel menſis,vel alterius ſingularis temporis computatæ requiruntur, *l. cùm notiſſimi* 7.§.*in his etiam*, vbi communiter omnes, *C.de præſcript.triginta vel* 40.*annor.* latè proſequitur Mendez de Caſtro *de annonis ciuilibus in rubrica num.* 39. *& deinceps.* Verumtamen contrariam partem amplectitur Gloſſa, & ſufficere ſi omnes filios pater adoptans vna pubertate antecedat ex eo ſolùm veriſſimum putat, quòd adoptio altera natura eſt, *dict.* §. *minorem cum ſimilibus*, atqui ſecundum naturam, qui dumtaxat plenæ pubertatis eſt, plures liberos vnico tantùm concubitu,vno eodemque tempore gignere &procreare poteſt,non aliter atque canes,ſues, & cætera animalia vno tantumdem maris & fœminæ congreſſu multiplicem fœtum concipiunt, vt ex Petro Garſia *diſputat.*72.*cap.*1.Fernelio *lib.*7.*de partu naturali cap.*12.ex D.Paulo *ad Romanos cap.*9. & alijs optimè probat Alphonſus de Carrança *diſputat.de vera humani partus deſignatione cap.*18.*num.*24.*& deinceps.* Vnde traditum eſſe ſcribit Paulus *in l. antiqui* 3.*ff. ſi pars hæreditat.petat.*quatuor pariter puellas à matre familias natas eſſe, & quinquies quaternos enixam Peloponeſi, & multas Ægypti vno vtero ſeptenos, cui Iulianus conſentit *in l. ſi pater.*37.*ff. de ſolutio.* vbi fuiſſe mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto teſtatur,quæ quinque ſimul peperit, & tunc habebat incolumes: & huiuſce rei plura apud noſtros Conſultos ſuccurrunt exempla *in l. ſed etſi.*28.§.*fin.de iudic. l. ter enixa.*137.*de verborum ſignificat.l.*1.§.*quare,ff.de ventre in poſſe.mittendo.l.*1.§.*final. ff. ſi pars hæredit.petat. l. inteſtato* 3.§.*eſt autem.ff.de ſuis,& legit.hæredib.l. ſi fuerit* 10.§.*fin. ff.de rebus dubijs,l.idem erit.*16.*de ſtatu homin.l.qui filiabus.*17.§.1.*de legat.*1. *l.vtrùm* 7.*de rebus dubijs, l. Aretuſa.*15.*de ſtatu homin.*& iſthæc comprobantur à Iuſtiniano *in l.cùm inter.*14.*C.de fideicommiſ.libert.* Ergo ſimiliter & quamplures adoptare poterit,qui vnica tantùm eos pubertate antecellit.

Enimverò cùm hæc Gloſſæ traditio eo ſolo caſu ſibi locum vendicare poſſit,quo eiuſdem temporis,& coætaneos filios quis adrogare,ſiue adoptare contendit,ideò congruentiùs nos facturos exiſtimamus, ſi diuiſionis illo iudicio,quo hanc rem explicat Odophredus *in dict.l.adrogato num.*2.quæſtionem definierimus,aut ſcilicet paris conditionis filij adoptantur,vel non.Priori caſu ſat erit ſi illos pater vna tantundem pubertate antecedat,quia & tot filios potuiſſe veritate naturæ eadem ætate, & vna conceptione ſuſcipere poſſibile eſt. Contraria verò ratione ſecundo caſu oportet vt pluribus eos pubertatibus præcedat, cùm ſecundùm naturam haud quaquam contingere poſſit, vt diuerſæ ætates filios habeat,qui ea conſtituitur, quæ neceſſariò ad probabiliter gignendum deſideratur. 11

ANNVS

ANNVS SEXAGESIMVS PRIMVS.

SVMMARIVM.

TEſtes ſenes poſſunt ad perpetuam rei memoriam nondum lite conteſtata recipi. 1.

Senes cuius ætatis in propoſito dicantur? 2.

Vbi iudicis arbitrio relinquitur quis ſenex dicatur, in ſeptuagenario, qui proculdubio eſt ſenex, arbitrium locum non habet. ibidem.

Qui poſt ſexageſimum annum vnum vel alterum exceſſerunt, ante litis conteſtationem poſſunt examinari. 3.

Sexageſimustertius annus eſt Climatericus, in quo plurimi intereunt. 4.

Apud noſtros ætas ſexaginta annorum in teſtibus ſufficit, vt poſſint ante litis conteſtationem recipi. 5.

Quinquagenariæ fœminæ dictum recipi valet ante litem conteſtatam. 6.

QVÆSTIO I.

Vt teſtis ſenex nondum lite conteſtata ad perpetuam rei memoriā poſsit recipi?

1 CErtiſſima iuris regula exiſtit teſtes ſenes, & valetudinarios ante litis conteſtationem poſſe recipi ad perpetuam, vt aiunt, rei memoriam, ne probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur, vt inquit S.P. *in cap. quoniam frequenter.* 5. §. 1. *vt lite non conteſtata*, & innumeris congeſtis probat Proſper. Farinac. *tom.* 3. *praxi criminal. quæſt.* 76. 3. *part. num.* 82. Menoch. *de præſumption. lib.* 6. *præſumpt.* 46. *num.* 5. Ioannes Garſia *de nobilitate gloſ.* 48. *num.* 15. & 20. vbi in cauſis nobilitatis id probat etiam de iure noſtro Otalora eodem *tractatu* 5. *part. principal. c.* 1. *n.* 1. Moneta *de diſtribut.* 2. *part. quæſt.* 7. *num.* 6. Emanuel Barboſa *in remiſſio. ad leg. Luſitaniæ lib.* 3. *tit.* 55. *numer.* 1.

Qui vtique ſenes in propoſito ſint dicendi? inſtituti noſtri eſt perquirere: quinqua- 2
ginta annorum eos eſſe iuxta Cameræ Imperialis definitionem voluit Andreas Gail *lib.* 1. *obſeruat.* 92. *num.* 7. & ſexaginta Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 59. *num.* 6. alijque multi, quibus neutra ſententia probatur, id totū ex arbitrio iudicantis pendere malunt, quaſi nulla ſit à iure ætas determinata, qua liceat teſtes ante conteſtationem litis interrogare: cuius opinionis pluribus ſectatoribus relatis, illam complectitur Farinac. *vbi proximè num.* 83. vbi & *num.* 84. eam reſtringit in ſeptuagenario, qui cùm proculdubio ſit ſenex, arbitrio in eo minimè eſt locus, vt etiam fatetur Emanuel Barboſa *loco relato num.* 4.

Mihi tamen ea ſententia ſemper potior vi- 3
ſa eſt, quæ ſexagenariorum ætati hoc indulget, ſed verior, duos aut ſaltim vnum, & ſexageſimum annum exceſſiſſe debere, qui præmaturo hoc examini ſit admittēdus. Et prouocor in hanc exiſtimationem hoc fundamētō. Nam ſenex nulla alia ratione, vt omnes cum Farinacio obteſtantur, poteſt ante litis conteſtationem examinari, niſi quia adeò morti proximus eſt, vt quotidie mori timeatur. At hoc magis in eo locum habet, qui vltra ſexageſimum, vnum, aut duos annos ex-
pleuit, cùm eo tempore à ſexageſimotertio, 4
quem vocant Climatericum & fatalem, parum diſtet, in quo plurimi intereunt, Aulus Gellius affirmat *lib.* 15. *noct. Attic. c.* 7. his verbis: *Obſeruatum in multa hominum memoria, experiūque eſt in ſenioribus pleriſque omnibus ſexageſimumtertiū vitæ annū cū periculo, & clade aliqua venire, aut corporis, morbique grauioris, aut animi ægritudinis propterea*

qui rerũ verborumque iſtiuſmodi ſtudio tenentur, eum ætatis annum appellant Climatericum, cui conſentiunt ex noſtris Petr. Gil Kenius *in l. final. num.* 10. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ſic ſcribens: *Multos enim inter eam ætatem*, ſcilicet centum annorum, *mori animaduertimus, quippe quòd annum Climatericum, quem ſexageſimumtertium profitentur, aut non attingant, aut cum periculo, & difficultate ſuperent*, Ioannes Garſia *de nobilitate gloſ.* 48. §. 1. *num.* 4. Dominicus Taſſon *obſeruatio iuriſdictionali, verſic.* 12. *obſeruat.* 1. *num.* 136. *in fine*, Petr. Bungus *de myſterijs numeror. vbi de num.* 7. Lelius Viſciola *horar. ſubſeſſiuar. lib.* 15. *cap.* 7. & ex Medicis Andreas Laurent. 2. *tom. lib.* 2. *de criſibus c.* 9. Alexand. Maſſar. *in praxi medica lib.* 5. *c.* 14. *circa finem*, Federic. Bonauent. *de octomeſtri partu lib.* 6. *cap.* 5. *& ſequentibus*, vbi huius rei veram rationem aſſignat, illorum reijciens, qui totum hoc occultiſſimæ ſeptenarij numeri virtuti tribuunt. Igitur qui prædicta ætate exiſtunt, ob imminens mortis periculum rectè poterunt ante litis conteſtationem in examen vocari.

Cuius ſententiæ Mathiam Colerum extitiſſe *in dict. cap. quoniam frequenter num.* 3. ipſius verba haud malè demonſtrant: *Appellamus ſenes hoc loco*, inquit, *qui vergunt ad annum ſeptuageſimum, neque tamen integros annos ſeptuaginta compleuerunt*, ex ſententia Panormitani, quem ad id allegat in *dict. cap. num.* 18. *verſic. Ego puto.*

Quamuis diffiteri non auſim apud noſtros, 5
maximè in cauſis nobilitatis, ſexaginta annorum ætatem in teſte ſufficere, vt poſſit ad perpetuam rei memoriam examinari, cùm ita praxis & cõſuetudo admiſerit, quæ etiam hanc ætatem fatalem habuit, vt & Mimermus cenſuit teſte Petro Bungo *de myſterijs Numerorum num.* 60. *pauló ante finem.* Vnde in mandatis, quæ dantur ſcribis, hoc eſt receptoribus prædictis in cauſis, vt tales ad perpetuam probationes conficiant, additur, ne teſtes recipiant, qui ſexageſimum annum non attingant, veluti affirmat Ioan. Garſia *dict. gloſ.* 48. *num.* 12. quamuis eam praxim difficilem immeritò appellet, & præfatum ſexaginta annorum numerum in ſeptuaginta eſſe immutandum velit, ex recentiori lectione *l.* 35. *tit.* 16. *part.* 3. quæ cùm ad diuerſam quæſtionem pertineat, minimè erit ad eiuſmodi, de qua agimus, protrahenda.

Cui reſpondet, & conſequentiſſimum eſt, 6
fœminas quinquageſimo anno iam perfecto in eundem finem licere ad teſtificandum admittere, quia vt multoties prædiximus, hæc ſenectus in fœminis aſſimilatur ſexagenariorum ſenectuti, quam ad hoc ſufficientem ex dictis præſcripſimus.

ANNVS SEXAGESIMVS QVINTVS.

SVMMARIVM.

Ætas, vel prouecta, vel tenera conceptionem impedit. 1.

Communis docet ſexageſimum annum generandi finem in hominibus facere. 2.

Minor annis ſexaginta adoptare nequit. 3.

Lex Iulia & Papia ſexagenarium matrimonium celebrare prohibuit. 4.

Licet legis Iuliæ deciſio fuerit ſublata, ipſius tamen ratio adhuc viget. 5.

Non ſemper lege correcta, ipſius ratio etiam corrigitur, & aboletur. ibid.

Sexageſimumquintum annũ generationis terminum eſſe in maſculis, vt verius defenditur. 6. & 12.

Cùm agitur de ætate, vel morbo, qui generationi obſiſtit, Medicis ſtandum eſt. ibidem.

Septuageſimum annum potentiam generatiuam abſumere, qui velint? 7.

Vir

Vir trigeſimoſeptimo anno, & mulier vigeſimoſecundo inæquali ætate ſunt ad contrahendum. ibid.

Ea ætate vir & fœmina iungi debent, quæ ſimul ad terminum generationis perueniant. 8.

Referuntur nonnulli, qui poſt longam ætatem filios ſuſceperunt. 9.

Nullam ætatem aſſignari poſſe, qua generandi potentia finiatur, malè exiſtimat nouiſſimè Carrança. 10. *& ſeqq.*

Bruta irrationalia vſque ad vltimum vitæ terminum vim generatricem retinent. 12.

L. ſi pater. 15. *§. in adrogationibus. ff. de adoption. latè explicatur.* 13. *& ſeqq.*

Senectus frigida eſt, & ſicca. 14.

Senibus exitioſum eſt veneri operam dare. 15.

Ea quæ non facilè fiunt, includunt in ſe potentiam fiendi. 16.

In ſpadone ſpes eſt, vt aliquando generet. ibidem.

L. ſi quis poſthumos 9. in princip. ff. de liber. & poſthum. explicatur. 17.

Ariſtoteli *lux adhibetur.* 19.

Octuagenarij non habent ſpem generandi, & ideo caſtè natis comparantur. 20.

QVÆSTIO I.

Vſquequo generandi virtus in maſculis perduret?

1 COmmune, ac peruulgatum Philoſophorum placitum exiſtit, ætatem vel prouectam, vel teneram ad conceptum, & generationis actum ineptam eſſe. Ita ex Ariſtotele *lib. 1. de generatione animalium cap.* 18. ex Auicenna *in 3. can. in fen.* 21. *c.* 8. Galeno *lib. 2. de tuenda ſanitate* deprehenditur, & poſt eos optimè probat Philippus Maſſarius *in practic. medic. lib. 4. cap. 6.* quod ſane minimè noſtros latuit Iuriſconſultos, expreſſe enim Vlpianus *in l. ſed eſt quæſitum 6. verſic. Spadonem,* & Paulus *in l. ſi quis poſthumos 9. in princip. ff. de liberis & poſthum.* fatentur, ætatem generandi poteſtatē abducere. Vnde Gloſſa *in cap. 1. verſic. In fraudem titulo per quos fiat inueſtitura in vſibus feudorum,* quam *ibidem* communiter Scribentes ſequuntur, ſimili ætate conſtitutos comparat caſtè viuentibus, & conducit apud noſtros *l. 4. tit. 16. part. 4.* ibi: *E ſi ha tantos dias que los pueda tener,* de filijs loquitur, & *l. 2. tit. 20. part. 2.* illis verbis: *El otro, que no podrian hazer linage,* quâ ratione inter ſenes matrimonium minimè incundum cenſet, cuius rei rationem illis verbis deſignat Ariſtotel. *dict. lib. 1. de generatione animalium cap.* 18. quia ſemen nec in prima ætate, nec in ſenectute, neque in morbis eſt, carent hoc ægri propter imbecillitatem; ſenes, quia non ſatis eorum natura poteſt concoquere: pueri propter incrementum, abſumitur enim totum alimentum in corporis deſiderium, prius quàm aliquid excrementi remaneat: docent ex noſtris Fulgoſius *conſil. 212. num. 1.* Petra *de fideicommiſ. quæſt. 11. num. 36.* Maſcardus *de probation. concluſ. 788. num. 43.* Surdus *deciſ. 83. num. 9.* De puerorum in aptitudine ad generationem alibi ſatis ſuperque diſcuſſimus, nunc operis noſtri ratio efflagitat, vt de procreationis impoſſibilitate ob maiorem, & ſenilem ætatem diſcutiamus. Nam licèt inter omnes conſtet ſenectute potentiam generatiuam finiri propter debilitatem: attamen qui ſint, vel cuius ætatis iſti ſenes ita debiles, vt minimè generationi ſufficiant? adhuc in controuerſia eſt.

Ferè omnes, tam Medicinæ, quàm Iuridicæ noſtræ Philoſophiæ profeſſores affirmant, quoad gignendi imbecillitatem ſenes illos intelligi, quibus plenè ſexageſimus annus obtigerit. Ita Ariſtotel. *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 6.* Quod apud Plautum *in Mercatore* Eutychus, his verbis probat. 2

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcinimus
Seu maritum, ſiue hercle adeò cœlibem ſcortarier
Cum eo nos his lege agemus.

Tenent Alberic. de Roſate *in l. ſi maior in fine, C. de legitim. hæredib. & in l. ſenium colum. 1. verſic. Senes multi, C. qui teſtamentum facere poſſunt, & in l. infanti, verſic. Quandoque ad ſexaginta, C. de iure deliberãdi,* Ioan. de Platea *in l. 2. C. de his qui non impl. ſtipend. colum. 1. in fine, verſic. Similiter quoad prolem lib. 10.* Fulgoſ. *conſil. 212.* Corneus *conſil. 249. volumine 3.* Tiraquel. *de legibus connubial. lib. 6. num. 12.* Sylua nuptial. *lib. 2. num. 16.* Corraſius *in l. ſi pater familias, §. vltimo ff. de adoption.* Iacob. Menoch. *de arbitrarijs iudic. lib. 2. centur. 1. caſu 89. numero 53. cum ſequentibus, & tractatu de præſumption. lib. 5. præſumptione 24. num. 4. & deinceps,* Paul. Pariſius *conſil. 29. volum. 2.* Stephan. Forcatul. *in cupidit. Iuriſperito cap. 15. num. 5.* Surdus *d. deciſ. 83. n. 9.* Petrus Gregor. *lib. 9. ſyntagmat. c. 6. n. 3. & ſeqq.* Farinac. *de falſitat. q. 150. n. 152.* Ludouic.

douic. Mercatus *de ſterilit., & prægnantium affectionibus lib. 3. c. 2. verſic. Coniugum præter hæc*, Maſcard. *de probat. concl.* 788. *num.* 45. *& concluſ.* 1147. *n.* 7. Phœbus *deciſ.* 51. *n.* 25. P. Thom. Sancius *de matrimonio lib.* 7. *diſputat.* 32. *n.* 16. *& n.* 17. *verſic. Sed profectò*, Alexand. Trentacinq. *lib.* 1. *reſolut. variar. tit. de verbor. ſignificat. reſolut.* 4. *à n.* 2. noſter Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c.* 10. *n.* 32. Acacius Anton. Ripol. *reſolut. iuris cap.* 8. *num.* 272. & nouiſſimè Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad cap.* 3. *num.* 7. *de frigid. & maleficiat.*

3 Quorum ſententiæ ſuffragari videtur Cõſultus *in l. ſi pater familias.* 15. §. *in adrogationib. ff. de adoptionib.* vbi in adrogationibus ideò inter cætera cognitio vertitur, nè fortè minor ſexaginta annis ſit qui adrogat: ſiquidem nondum ſexagenarij magis liberorum procreationi ſtudere debent, quàm adoptionis ſubſidio ſimulatam prolem exquirere: luculenter enim hac ratione apparet ſexageſimum annum prorſus generationi obſiſtere, alioqui adrogatio nedũ quinquagenarijs, verùm & ſexageſimum annum agentibus denegari debebat, ſi ſexagenarius vti & inferioris ætatis homo, naturali aptitudine generationi operam dare potuiſſet. Quod cùm ibidem diffiteatur Conſultus, ea ratione id feciſſe æſtimandum eſt, quàm frequenter Gloſſographi *eodem loco* proferunt, videlicet, quia ætas ſexaginta annorum eſt terminus generationis in maſculo, vt ex his, quæ in propoſito congeſſimus cùm de ætate ad adoptãdum ſcripſimus, liquere poterit.

4 Deinde hæc opinio fulcitur ex illo capite legis Iuliæ & Papiæ, quo ſexagenariorũ nuptiæ prohibebantur, *l. ſancimus.* 27. *C. de nuptijs, cuius meminit* Seneca *in libris Moralis Philoſophiæ, Quid eſt*, inquit, *quare apud Poetas fallaciſſimus Iupiter deſierit liberos tollere, vtrùm ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetrauit ius trium liberorum*, refert Lactantius *lib.* 1. *de falſa religione c.* 16. Ad quam legis Iuliæ & Papiæ prohibitionem alluſiſſe videtur Dionyſius ille Tyrannus apud Plutarchum *in Solone*, vbi cùm ipſe iam vetulus rogaretur à patre, vt quandam ex ciuibus in matrimonium acciperet, reſpondit, ciuiles quidem leges abrogari à Tyranno, naturę autem leges cogi nullo modo poſſe, ſi pręter ętatem vxori ſe iungeret, non alia ratione, vt ſcribit Pariſius *d. conſil.* 29. *n.* 72. Barnab. Briſon. *de iure cõnubior. fol. mihi.* 32. Tiraquel. *d. l.* 6. *gloſſ.* 1. *p.* 6. *n.* 19. doctiſſimus Ioannes de Pareja *in otio quadrimeſtri* 2. *p. n.* 25. quàm ſenectutis imbecillitate, quę illo temporis curriculo aut ſiſtere facit genitale profluuium, aut ita ſterile & non prolificum reddit, vt minimè generationi deſeruiat: vnde cùm matrimonium in id potiſſimùm contrahatur, vt ſubſequatur proles, *l.* 1. *ff. ſoluto matrimon. l.* 2. *in princip. C. de indicta viduitat. tollend.* illis tantùm permitteretur operępretium erat, quibus procreandi vis nondum interciderat.

5 Quę legis Iulię ratio nequaquam ex *d. l. ſancimus.* 27. *C. de nupt.* correcta, ſiue obliterata cenſenda eſt: nam licèt ipſius deciſione abrogata, penitùſque ſublata fuerit prohibitio ſexagenarijs circa matrimonium indicta, eo nimirum, quia matrimonium ex Eccleſię diſpoſitione, vt Sacramentum eſt, non propter ſpem liberorum, ſed propter ſeipſum cõtrahitur: quapropter ętas, licèt decrepita, tãtò talique Sacramento impedimento eſſe non debet, vt *in dict. l.* 27. optimè ratiocinatur Baldus: attamen illius prohibitionis ratio, quæ naturalis eſt, inconcuſſa & illibata, etiam poſt Iuſtiniani decretum permanere debet, cùm eodem Iuſtiniano ſuaſore, quæ naturalia ſunt, immutabilitatem contineant, §. *ſed naturalia, inſtit. de iure naturali gent. & ciuili*, vixque aliquo iure ciuili ſubuerti poſſint, argumẽt. *l. iura ſanguinis* 8. *ff. de regulis iuris.* Nec nouum eſt correcta lege quo ad deciſionem, quoad eius rationem minimè correctam videri, imò ex ratione legis correctæ ſæpèſæpiùs ſolemus argumentum deſumere, vt habetur per Gloſſam & Bartolum *in l.* 1. *in princip. ff. de coniungendis cum emãcipatis liberis* eadem Gloſſa *in l.* 1. *in princip. ff. de legit. tutor.* docet Pariſius *d. conſil.* 29. *n.* 74. ergo adhuc parum refragante abrogatione *dict. l.* Iuliæ & Papiæ certiſſimum remanet, nõ tantùm naturali ratione, verum & ciuili diſpoſitione ſexagenarios ob ætatis cretionem iamiam generatricem vim amiſiſſe, ampliuſque procreationi deſeruire non poſſe.

6 Sed alij, quibus hæc paſſim ab omnibus probata ſententia diſplicet, prouectioris ętatis homines eſſe deſiderant, vt ſenectutis ratione generationi finem feciſſe dicatur, vtputa ſexageſimi & quinti anni. In quam opinionem inclinaſſe videntur fere omnes Philoſophi & Medici, quibus plurimum deferendum eſſe, cum quærimus an ætas, vel infirmitas impediat generationem, voluit Socinus *conſil.* 65. *num.* 1. *volum.* 3. Purpuratus *conſil.* 302. *num.* 11. & 13. Paleotus *de nothis & ſpurijs capit.* 24. *in fine*, Surdus *dicta deciſione* 83. *numero* 12. Et in primis Ariſtoteles huius ſententiæ præcipuus aſſertor exiſtit

exiſtit *lib. 5. de hiſtor. animal. capit.* 14. ſub illis verbis: *Homo mas ad annũ vſque ſeptuageſimum, videlicet termino vltimo poteſt generare: fœmina vſque ad quinquageſimum, verũ id rarò; paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata eſt, ſed magna ex parte maribus quintus & ſexageſimus annus finis progenerandi eſt, fœminis quintus & quadrageſimus.* Et conſentit Micio ille Terentianus Adelphis Demeæ ſuadenti, vt vxorem duceret.

Satis, ait, *ſanus es.*

Ego nouus maritus anno demum quinto & ſexageſimo fiam?

Quibus elegãter ſubſcribit Philippus Maſſarius *d. lib. 4. practicæ medicæ c. 6.* cuius verba quaſi ad noſtram quæſtionem maximè pertinentia hîc trãſcribere nõ grauabor: *Sed quod ad rem noſtram*, inquit, *illud eſt certum, generationis terminũ ad finẽ definitũ fuiſſe viris quidem ad ſummum annum ſeptuageſimum fœminis verò quinquageſimum: verũ id rarò; paucis enim contingit, ſed magna ex parte maribus ſexageſimus quintus finis generandi eſt, & fœminis quadrageſimus.*

7 Ex quibus etiam autoritatibus non deſunt qui quaſi veridius arbitrentur, ſolam ſeptuagenariam ætatem generandi potentiam abſumere, quaſi illo tempore homines ſeminis expertes reddantur, vel ſi quod habent, ita ſterile, & non prolificum ſit; vt rarò generationi ſufficiat. Huius ſententiæ inter alios vtique eximios viros è noſtris fuit doctiſſimus Franciſc. Connanus *commentar. iuris ciuilis lib. 8. cap. 4.* vbi ex Ariſtotel. *lib. 7. ſuæ politicæ*, ait, quòd cùm vis illa procreatrix viro quidem vſque ad ſeptuageſimum; mulieri autem ad quinquageſimũ vſque annum, neque vltra producatur; coniugij initiũ
8 ab ea vtrique ætate ſumatur, quæ vtriuſque generationi finem pariter afferat: Nam ſi ita diſcrepabunt inter ſe, vt cùm alter ſit adhuc ad ſuſcipiendam prolem idoneus, alter non ſit, domeſticorum ea res odiorum, diſcordiarumque cauſas ſuppeditabit; ideirco concludit puellas circiter duodeuigeſimum annum iubet nubere; viros autem ſeptimo & trigeſimo, aut paulò maturiùs: ſic enim fiet, vt quinquagenaria ſit mulier, cùm vir ſeptuageſimum fere attigerit, qui finis ipſis eſt procreandorum liberorum conſtitutus. Sed certè hęc opinio ipſius Ariſtotelis & Maſſarij ſupra relatis teſtimonijs, vel ſubintelligitur, vel reſpuitur. Nam licèt dubio procul ſit, generationis terminum ad finem maribus vſque ad ſeptuageſimum annum conſtitutum eſſe, hoc ideò fit, quia aliquando, licèt rariſſimè, ſeptuagenarius prolem ſuſcipere poteſt, cùm ita robuſtioris naturæ ſenex inueniri queat, cuius ſeptuageſimus annus adeò vireſcat, vt facilè cum quadrageſimo alterius communis temperaturæ hominis comparari valeat. Sic placet Farinacio. *de falſitate q. 150. n. 252.* teſtetur hoc Maſiniſſa Rex, quem 9
vel ante omnes homines robore ſenectæ admirabilem fuiſſe literarum monumentis proditum eſſe Briſonius ſcribit *dict. lib. de iure connubior. fol. mihi 33.* qui quemadmodum Plinius refert *lib. 7. naturalis hiſtoriæ capit. 14.* cui Valerius Maximus, Florus, & Solinus conſentiunt, poſt octoginta ſex annos filium generauit, qui Methymnus appellatus fuit: quod in ſene iſto, omnium fortiſſimo mirum videri nõ debet, cùm adeò fuiſſet corporis robore & fortitudine præditus, ſi Ciceroni credimus *lib. de ſenectute*, vt vel nonaginta annos natus, nullo vnquam imbri, nullo frigore, vt capite operto eſſet adduci potuerit, & pedibus iter ingreſſus, in equum omnino non aſcenderit: cui enim talia auſcultanti ſtupori eſſe poterit, hac virtute ſuffultum ſenem, ſexto & octuageſimo anno generaſſe? Cùm eadem ætate quemlibet, licèt de raro idem poſſe, ex Socino *conſ. 65. lib. 3.* probet Marc. Anton. Genuenſ. *practicabilium quæſt. 695. numer. 2.* Sed cùm hoc vel non contingat, vel ſi fortè accidat, miraculo potius, quàm naturæ tribuendum videatur, hinc eſt, Philoſophum à communiter accidentibus terminum generationis quintum & ſexageſimum annum definiſſe, cùm hac ætate ferè ſemper homines gignendi facultatem amittant. Quod in conſideratione eſſe debet quaſi frequentius & viſitatius, ſiquidem in hac materia, vt inquit Farinac. *vbi proxime n. 252.* non attenditur quod poteſt eſſe, ſed quod veriſimiliter eſſe poteſt, argum. *l. nam ad ea. ff. de legibus.*

Aliter hanc quæſtionem nouiter digerit 10
Alphonſ. de Carranza *diſput. de vera humani partus deſignatione, cap. 5. ſection. 2. num. 65.* innuit enim nullam certam ætatem, nec a natura, nec à lege viris prolificandi terminum accerſere. Non quidem ſexageſima, vt communis fert opinio, quia vt ex Philoſopho retulimus *lib. 7. de hiſtoria animal. cap. 6.* mares etiam ad ſeptuageſimum poſſunt generare. Nec octoginta annorum ętas, nam ea adhuc homines genitratricem vim retinere, Maſiniſſæ, Catonis, & aliorum monemur exemplo, quos Plinius recenſet *d. lib. 7. c. 14.* Valer. Maxim. *lib. 8. cap. 14.* Lucius Florus *capit. 50.* Plutarchus *in vita Catonis*, Barnab. Briſonius *vbi nuper relatus*, Rhaſis *ad Almanz. lib. 9. cap. 29.* & ex noſtris Auguſt. Barboſa *dict. collectan. ad c. 2. de frigid. & malefic. num. 7.* Nec magis nonageſimum annum iu-

ineptitudinis, vel impotentiæ cauſam dici poſſe ex his coniectatur, quorum Federicus Bonauentura *de octomeſtri partu lib. 7. capit. 32.* numerat, iam nonagenarios liberos ſuſcepiſſe, & potuiſſet etiam illorum, quos refert Lælius Viſciola *lib. 8. horarum ſubſeſſiuar. cap. 2. in fine, & lib. 10. cap. 15.* Nec quidem centenarium annum impotentes nos reddere exemplis ſimiliter probatur, quos referunt Sabanarola *tract. 6. cap. 21. rubr. 23.* Ioann. ScheneKius *tom. 2. lib. 4. obſeruat.* 14. & Barboſa *d. loco*; ex quibus quaſi planum euincit, vix certam ætatẽ deſignari poſſe, qua ſit perpetuum hominibus potentiam generandi ſiſtere.

11 Verùm hac ſententia, etſi tanti viri, minimè ſubſiſtere poteſt. Non vtique, quia teſtimonia ab ipſo allata eiuſmodi ſint, vt fide careant, illa enim puto, vt aiunt, vatem dixiſſe; ſed quia vt egregiè obſeruauit Surdus *dict. deciſione 83. numer. 9.* quamuis aliquando ſeniores habeant filios: tamen cùm id non ſit ſecundùm regulam, & naturalem curſum hominum, non debet attendi, nec ideò à naturali, & communi definitione recedi. Cæterùm quia res iſta ad Philoſophos, potiùs & Medicos, quàm ad iuris noſtri profeſſores ſpectare videtur, eorum aliquis pro hac opinione adhibitis fundamentis ſatisfaciat operæ pretium erit. Sit ergo elegantiſſimus Philippus Maſarius *loco ſuprà allegato*, qui quaſi præuidens futurum aliquando qui ipſius opinionem hiſce exemplis concaſſare, ſic reſpondit: *Quòd ſi quis obijciat, nonnullos viros ante & poſt huiuſmodi ætatis terminum generaſſe, vt ſunt hiſtoriæ apud Sauanarolam de puella nouem annorum, apud Gregoriũ de puero nouem annorum, qui ſuam nutricem grauidam reddidit: & apud D. Hieronymum, qui etiam vix annum decimum agens nutricem cõpreſſerit, & impregnauerit: & apud Valleſiũ de Tarantaſ. de vetula, quæ poſt annos 70. filios tres peperit, 67. dum vltimũ gigneret, & Plin. Valer. Maxim. & alios, de quibuſdam viris, qui poſt annum 80. filios generarunt: ſi quis ita obijciat, is ſciat hæc tanquam mirabilia atque plane prodigioſis ſimilia, ſcriptis mandata, de quibus vt raris non liceat aliquã certam rationem colligere: & naturæ inſtitutam peruertere.* Cuius ſimile quaſi iiſdem verbis ſcribit Tiraquel. *in d. l. 6. connubial. gloſ. 1. p. 6. nu. 22.* Quare cùm leges ea quæ frequenter accidunt, non verò quæ rarò, ſpectent, *dict. l. nam ad ea* dicendum eſt, illam ætatem iuris præſumptione generationis terminum credendam eſſe, qua ſecundum cõmunes naturę regulas generandi virtus abſumitur.

12 Sed quæ ſit iſta in tanta opinionum diuerſitate, nec exigui laboris erit definire. Verumtamen cùm huiuſmodi inueſtigationis reſolutiò ex Philoſophorum penu, non verò ex iuris noſtri principijs ſit eruenda, vt ſuperiùs oſtendimus, affirmare non dubitabo, quintum & ſexageſimum annum regulariter, & ſecundùm communem naturæ ordinem, maſculis generandi terminum eſſe: cùm in hanc ſententiam inclinare videatur, duce Ariſtotele *dict. lib. 5. de hiſtor. anim. cap. 14.* ferè omnis Medicorum ſchola, cui hac in re ſtandum eſſe noſtri vulgò teſtantur, vti ex Socino, Purpurato, & Paleoto tenet Surdus *dict. deciſ. 83. num. 12.* in quo hominum natura ab aſinorum, vt in cæteris maximè diſtat. Quibus membra, quæ continuandę ſpeciei ſunt excogitata, ita valida exiſtunt, vt vſque ad ſummum prope vitæ diem procreare exiſtimentur. Ita Plinius *lib. 8. naturalis hiſtoriæ capit. 42.* & cum eo incertus Autor, *qui de laudibus aſini ſcripſit fol. mihi 26.*

13 Verùm enimverò prædictæ reſolutioni obſtat Conſulti locus in *dict. l. ſi pater 15. §. in adrogationibus, ff. de adoptio.* ex qua primæ opinionis aſſertores eliciunt ius ciuile ſexageſimo anno generationis finem præfigere. Igitur, quamuis ſecundùm Philoſophorum autoritates verum exiſtat quintum & ſexageſimum ætatis annum homines ſteriles, & impotentes reddere: attamen legum ſectatores ab earum diſpoſitione diſcedere non valemus.

Quam difficultatem vt effugeret Alphonſus de Carrança *dict. cap. 5. num. 66.* inquit, ibi tantùm prohiberi arrogationem in ſexagenario, quaſi ille ſenio, & ætate impeditus liberorum procreationi ſtudere non poſſit. Quod diuerſum eſſe ait à vera & naturali generatione, de qua nec ibi mentio fit. Quinimò dum textus ille ait ſexagenarium poſſe arrogare coniunctam ſibi perſonam, ſupponere videtur in eo facultatem generandi, quã do quidem adoptio naturam ſemper imitatur, *§. minorem, inſtit. de adoptio.*

Sed parcat conſultiſſimi viri autoritas, hæc interpretatio, mea ſententia non difficultatem ſubuertit, ſed imò difficultati ſubuenit. Quid enim aliud eſt affirmare ſexagenarium ratione maioris ætatis impediri à generatione, ac illorum opinioni ſubſcribere, qui aſſerunt ſexageſimo anno in maſculis potentiam generatiuam finiri? Eſt ne aliud impedimentum reſpectu generationis, quàm ipſamet impotentia generandi? Neutiquam, cùm omnis ille procreationis actum exercere poſſit, qui nullo naturalis ineptitudinis, frigiditatis, aut maleficij vinculo remoue-

tur:

tur: ergo vir, cui ſexagenaria ętas impedimento eſt quominus liberorum procreationi ſtudere poſſit, aliqua impotentia laboret opus eſt, quæ neceſſariò ab ipſa determinata ætate proueniat, alioquin non impediretur à generatione ipſo annorum numero.

14 Nec quicquam proderit, ſi prædicti viri interpretationem ſubintelligamus loqui nō quidem de impedimento reſpectu impotentiæ, ſed de impedimento habito reſpectu ad debilem, & infirmam perſonam ſexagenarij, quaſi eo Conſultus dixerit ſexageſimum annum agentem adrogare poſſe, non quidem quia iam illâ ætate naturaliter liberos ſperare non poteſt, ſed quia tot annorum homo ita infirmus, & malæ habitudinis exiſtat, vt quamuis in eo adhuc generandi virtus perſeueret, nilominus non conueniat illum matrimoniali operi incumbere. Nam cùm ſenectus frigida ſit, & ſicca, vt refert Ariſtot. *lib. de longitudine & breuitate vitæ, & lib. 5. de generatione animal. cap. 4.* Hippocrat. *aphoriſm. lib. 1. capit. 14.* necnon & exanguis, teſte Galeno *lib. cui titulus eſt, corporis temperaturam ſequi animi mores*, & probat Tiraquel. *in l. 6. connubial. gloſ. 1. numer. 7.* exi-

15 tiofum prorſus, & mortiferum huius ætatis ſeni fuiſſet liberis operam dare, quod optimè indicaſſe videtur Euripides *in Andromache* illo verſu.

Verùm ſenecta iubet valere Cypridem,
Et ipſa rurſum infenſa ſenibus eſt Venus.

Quare non iniuria probro datum eſt Ciceroni, quod ſexagenarius Publiam virginem vxorem duxiſſet, quod excuſare volens Tiro illius libertus, vt autor eſt Plutarchus *in eius vita*, idcirco id factum fuiſſe tradidit, vt æs alienum, quo maximè obruebatur, diſſoluere poſſet: erat enim Publia opulentiſsima.

Siquidem hoc quamuis ita ſeſe habeat, prædictę verò legis deciſioni minimè adaptari poteſt. Nam ibi de adoptione, ſiue adrogatione agitur, quæ cùm in ſolatium, & ſubſidium eorum introducta ſit, qui liberos non habent, his tantùm permittendam leges ſanxerunt, quibus naturaliter illos ſuſcipiendi facultas deperierat, vti manifeſtè conſtabit eam perlegenti, quæ ad illam ætatem ſcripſimus: *Vt poſsit quis filios adoptionis, vel adrogationis beneficio quærere*: ergo cùm ſexagenarijs Conſultus adrogandi ſubſidium indulgeat, in illis neceſſariò ſupponit finitam & extinctam generandi potentiam, ac per conſequens ſexageſimo anno naturaliter maribus id contingere.

Minuſque ipſius ſolutioni fauere videtur illa coniectura, qua ex *dict. l.* verbis deprimere nititur ſexagenarium generationis eſſe capacem, illudque ex eo deduci, inquit prædictus autor, quia ex quo ſexagenario textus permittit coniunctam ſibi perſonam adrogare, ſupponit in eo facultatē generandi, quandoquidem adoptio naturam ſemper imitatur, *§. minorem, inſtit. de adoption.* Nam hæc coniectatio quantum à vero diſtet, eiuſdem legis verba demonſtrant, vbi poſtquam in adrogationibus inueſtigandum præcipit, vt ſexaginta annorum ſit qui adrogat, illud reſtringit, niſi fortè morbus, aut valetudo in cauſa ſit, aut alia iuſta cauſa adrogandi, veluti ſi coniunctam ſibi perſonam velit adoptare: ergo cùm coiunctæ perſonæ adoptio ſexageſimo anno minori fauore coniunctionis permittatur, minus rectè ex hoc infert acutiſſimus alioqui vir hanc permiſſionem in ſexagenario ſupponere generandi potentiam, quandoque illam tantùm in nondum ſexagenario fateri videatur, cui ratione ſanguinis & affectionis coniunctæ ſibi perſonæ adrogationē concedit, quamuis ſexaginta annorum ætatem ad adoptionem neceſſariam non adimpleuerit, accōſequēter & legis præſumptione, de qua poſtmodum dicemus, naturales poſſit liberos ſuſcipere.

Neque aliquantulùm refragatur, adoptionem naturæ quandam ſimilitudinem, & imaginem eſſe, *dict. §. minorem, inſtit. de adoptionibus*, ac conſequenter ſi naturali procreationis ordine ad generandum inhabilis filium ſuſcipere non poteſt, ita & qui ſenectutis cauſa generatricē facultatem amiſit, qualis erat ſexagenarius antiqua legum præſumptione, de qua poſtea, aliquem in vicem filij adoptare nequibit, cùm adoptio non in alijs perſonis locum habeat, quàm in quibus etiam natura locum habere poteſt, vt ex Iaboleno exſcriptum eſt in *l. adoptio 16. ff. de adoptionibus*. Quia nec inſubtiliter reſpondetur, verū exiſtere, adoptionem naturæ æmulatricem eſſe, ac ſimiliter his tantùm permitti, quibus naturali modo quos filios adoptare cupiunt ſuſcipere poſſibile fuiſſet. Sed hoc minimè obſiſtit quominus ſexagenarius, vel qui iam ſenectutis imbecilitate generare non poteſt, poſſit ſaltim adoptare, cùm dubio procul ſit octuagenarios, & nonagenarios aliquando generaſſe, vt ex locis ab eodem autore adductis planum fit, & probat Caualcanus *2. par. deciſion. 18. num. 6. ad finem*, quod licèt rarò cōtingat & difficulter, cùm fere ſemper quinto & ſexageſimo anno maſculi ſterileſcant; non tamen excluditur potentia generandi: nam ea quæ non facilè fiunt, includunt potentiam fiendi, licèt non leuiter & facilè, ſed cū difficultate, vt docet Gloſſa *verbo Non facilè*

lè in l.teſtium, & in l.iuriſiurandi, verb. Facilè, C.de teſtibus, Albericus *in dictionar. verbo facilè, & ex l.ſi quis poſthumos in princip.* ita reſoluit Paulus Pariſius *conſil. 29. num. 17. volum. 2.* Attamen quoad poteſtatem adoptandi pertinet, ſufficit id contingere poſſe, non aliter atque in ſpadone decretum extat in *l.2.§.illud vtriuſque, ff. de adoptionibus*, qui licèt obtemporale & accidentale vitium generationis ſit incapax, nihilominus adoptare poteſt, quia in eo ſpes eſt, vt aliquando generet, nimirum vitio, quo tenetur, ceſſante, vt Galenus fatetur *lib. 15. de vſu partium*, quem ſequuntur Corraſius in *d.l.2.§.illud*, Antonius Faber *in Iuriſprudentia Papinianea, tit. 10. principio 1. illat. 6. & princip. 3. illat. 3.*

17 Quemadmodum intelligendum cenſeo difficile aliàs Pauli reſponſum in *dict. l. ſi quis poſthumos 9. in princip. ff. de liberis & poſthumis*, vbi ſi quis poſthumos, quos per ætatem, aut valetudinem habere fortè non poteſt, hæredes inſtituit, ſuperius ait teſtamentum rumpi, quia licèt ex numero annorum veroſimiliter coniectari poſſit teſtatorem generationi eſſe inhabilem, quapropter inutile teſtamentum videri debebat, in quo quis ſolos poſthumos inſtituiſſet quos ipſe procreare non poterat, *l. ſed eſt quæſitum 6. verſic. Sed ſi caſtratus* cum ſimilibus, *de liberis & poſthumis*. Verumtamen cùm natura magis in homine (ideſt poſſibilitatem quaſi diceret generandi, etiam poſt illam ætatem, qua frequenter procreandi virtus terminatur) necnon & conſuetudo, ſeu coeundi potentia, vt optimè interpretatur Franciſcus Conanus *comment. iuris ciuilis lib. 10. cap. 3.* ſpectanda ſit potiùs quàm temporale vitium (non vtique quod tempore recedit, ſed quod ætas & ſenectus affert, perpetuumque eſt. Sic enim ex Raphaele Cumano ſubtiliter obſeruat ibidem Iaſon *numer. 1.* à quibus accepiſſe Conanus videtur *dict. loco*) aut valetudo, propter quam abducatur homo à generandi facultate, ſeu facilitate, ex Gloſſæ interpretatione *ibidem*, ad hoc quòd teſtamentum vires ſortiatur, in quo tales poſthumi fuerunt ſcripti hæredes; non id inſpicitur, an facilè teſtator propter ætatem liberos ſuſcipere poſsit; ſed quod omni ætate etiam ſupra ſexageſimum & quintum annum illum generare poſsibile eſt, *dict. l. ſed eſt quæſitum 6. in principio*, ſic intelligenda, *ff. eodem*, quemadmodum & in adoptione obſeruandum proximè monuimus, quidquid aliter nouiſsimè hanc legem interpretari conetur Iacobus Gallus *in apic. iuris, fol. mihi 126.* & ſuadetur hæc interpretatio ex dictione *fortè*, qua vtitur Conſult. in *dict. l.* cuius ea natura eſt, vt dubitationem inducat, nec omnes caſus excludit ex ſententia Gloſſæ *in capit. ex parte, verbo Fortè, de celebrat. Miſſarum, & in capit. ſi fortè, de electione in 6.* Barboſa *de clauſul. eadem dictione*, Vulpell. *ibidem*. Ergo fatetur ibi ſenectutem fortè generationi tantùm impedimento eſſe poſſe, non verò indubitanter, vt poſt hæc ſcripta Pariſium inueni ita hanc *legem* interpretantem *dict. conſ. 29. num. 18. vol. 2.*

Quibus omnibus cùm prædicta Alphonſi de Carrança interpretatio corruere videatur, 18
ſupereſt aliquam perquirere, ne à nobis ſuperiùs probata ſententia *dict. l.* ingenti diſsidio percuſſa concidat. Quare probabilius exiſtimo expreſsè ex *dict. l. ſi pater 15.* probari poteſt iam generatiuam ſexageſimo anno finiri: apparet enim Vlpianum hac parte legis Papiæ, ſiue Popeæ opinionem fuiſſe ſecutum, quæ illa ætate abſolui quamuis falſo definierat. Cuius errorem cùm Claudius Cæſar deprehendiſſet, quotidieque etiam ſexaginta annos natis, aut eo ampliùs generandi virtutem ineſſe compertum haberet, dictam legis Iuliç partem vti falſa ratione innitentem ſuſtulit, vt autor eſt Suetonius *in eius vita capit. 23.* illis verbis: *Capiti Papiæ Popeæ legis à Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarij generare non poſſent, edicto abrogauit.* Forteque hac ratione Papiam iſtam legem vaniſsimam appellauit Tertullian. *in Apologet.* tradit Alexand. ab Alexan. *lib. 4. dierum genial. cap. 22.* illic: *Hanc poſteà legem Claudius Cæſar abrogauit: nam ſexagenarios, & vltra liberos gignere, & prolis cauſa ad coniugium admitti decere arbitratus eſt.* Comprobant Briſonius *dict. lib. de iure connubior. fol. mihi 34.* Petr. Gregor. *ſyntagmatum lib. 9. capit. 6. num. 9.* cuius abrogationis euidens iuris noſtri extat teſtimonium in *l. ſancimus 27. C. de nuptijs.* Ergo cùm legis Papiæ ratio incertitudinis fuerit prætextu profligata, quæ ſimiliter in *d. l. 15.* ab Vlpiano profertur, correcta & nullius roboris cenſenda erit, cùm eadem falſitatis nota inuratur.

Nec his obſtat Ariſtotelis locus *dict. lib.* 19
7. hiſtor. animal. capit. 6. quo legis Iuliæ opinionem veram ac naturalem eſſe probari videtur, & quo eiuſdem aſſertores innituntur: quia præterquàm quòd hæc ſententia ex illa interpretari debet, quam ſupra *lib. 5. capit. 14.* tradiderat, ne ſibi contrarius inueniatur, nempe, magna ex parte maribus quintum & ſexageſimum annum finem generandi eſſe, reſponderi poteſt, Philoſophum *dict.*

loco

loco tantùm affirmare, plurimos viros ad ſexageſimum duntaxat generare, vtpute quia non ita eorum natura viridis & robuſta ac cæterorum omnium communiter exiſtit, qui ad quintum & ſexageſimum liberorum procreationi ſufficiunt. Vnde infert, quòd ſi ſexageſimum annum retenta generandi virtute exceſſerint, eadem facultate ad ſeptuageſimum vſque procedere, non quaſi omnes illam ætatem aptitudine ad generandum excedentes, in eadem vſque ad ſeptuaſigemum regulariter perſiſtant, paucis enim hoc contingit, ſicque veluti inſolitum quoſdam ſeptuagenarios procreaſſe *ibidem* ipſe memorat: ſed quia ferè omnes cùm ad ſeptuageſimum annum prouehuntur, ideſt anno ſexageſimoquinto, finem generandi faciunt. Vnde inferri videtur rectè ſcripſiſſe Paul. Pariſium *dict. conſil.* 29. *num.* 40. *volum.* 2. eos qui ad octuageſimum annum tendunt, non habere ſpem procreandi, nec generandi filios, imò caſtè natis æquiparari.

SVMMARIVM.

1 *Enem de ponte, eijcere quid eſſet?* 1.
Senator poſt quintum & ſexageſimum annum, non cogebatur ire ad Senatum. 2.
Septuagenarium ſolummodò ab hoc munere excuſari putat Plato. 3.
De iure nulla ætas, licèt ſeptuagenaria, à Senatu excuſationem adducit. 4.
Illi, quos Diputados de Conſejo *dicimus, an aliqua ætate poſſint ab onere liberari?* 5.

QVÆSTIO II.

Senator an poſt aliquod tempus inuitus cogi poſſit venire ad Senatum?

1 IN hanc rem Æneus Seneca *lib. vnico de breuitate vitæ c.* 20. ita ſcribit, *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat*, cui accedit Plinius *lib.* 4. *epiſtolar.* ſic inquiens: *Seceſſus mei, non deſidiæ nomen, ſed tranquillitatis accipiunt, vt ipſæ leges monent, quæ maiorem annis ſexaginta otio reddount.* vnde Varro *lib. de vita patrum* 2. dictum eſſe arbitratur, ſexagenarios de pōte deijcere oportere: quia cùm illa ætate ſenes à publicis negotijs liberi, atque expediri, & otioſi eſſent, nec ſuffragium ferebant, quòd per pontem (ex illius ſæculi more) ferebatur (quamuis aliter hoc interpretetur Ioan. Garſia *de nobilitat. gloſ.* 48. *num.* 5.) facit quod ſcribit Alexand. ab Alexand. *lib.* 4. *dierum genialium cap.* 3. *paulò ante finem*, nempe poſt ſexageſimum annum neminem publicis comitijs intereſſe teneri, quibus conſentire videtur Cornelius Nepos *in vita Pomponij Attici. Incidit Cæſarianum*, ſic loquitur, *ciuile bellum, cùm haberet annos circiter ſexaginta, vſus eſt ætatis vacatione, neque ſe quoquā mouit ab vrbe.* Sed Neporis iſte locus de vacatione potiùs militari, quàm Senatoria accipiendus eſt, cum quia de bello, tum etiam quia de eo agit, qui non ſexaginta, imò circiter ſexaginta annos expleuerat, qui quidem à militia vti quinquagenarius rectè excuſari poterat, à Senatu verò minimè, cùm nondum ſexagenarius exiſteret: quod non diſplicet Tiraquello *lib.* 1. Alex. ab Alexand. *cap.* 16. *& lib.* 4. *cap.* 11.

Denique Seneca pater controuerſiarum ſcriptor (vt non improbabiliter coniectatur Lipſius *electorum lib.* 1. *cap.* 1.) *ſui operis lib.* 1. *controuerſ. vltim.* non quidem à ſexageſimo, ſed à ſexageſimoquinto Senatorem non cogi in curiam venire putat, cuius ſententiam veriſſimam obteſtatur Alexand. ab Alexand. *dict. lib.* 4. *dierum genial. cap.* 11. eamquè probatiſſimus autor his verbis expreſſit, *Si qui tamen Senatores quintum & ſexageſimum annum ætatis exceſſiſſent, eos cogi inuitos, aut contumaces pignore, vel pecunia plecti non decebat.* Vnde Catonis miratur rectitudinem, qui licèt annis grauior eſſet, cùm in eo vigeret vis ingenij, cōſilijque, nulla re, nulloque negotio adduci potuit, vt in frequentem Senatum venire moraretur: quam vetuſtioris Senecæ opinionem amplectitur Petr. Gregorius *lib.* 47. *ſyntagmat. cap.* 25. *num.* 14. 2

A quibus omnibus diſſentit Plato *lib.* 6. *de legib.* vbi de magiſtratu Namophilaco loquens ait, non admitti ad Magiſtratum gerendum minorem annis quinquaginta, nec ſini in eo perſeuerare ſeptuaginta maiorem, vt ſi quis quinquagenarius Magiſtratū inierit, viginti annos eum adminiſtret: ſin ſexagenarius, decem dumtaxat. 3

Verùm neutra ſententia iuris noſtri teſtimonijs probatur, quinimò vtraque non ſolùm à Papiniano reijcitur afferente in honoribus nec annum ſeptuageſimum excuſare, *l. in honoribus* 8. *in principio*, cum ſimilibus, *de vacatione & excuſatione munerum*, ſed etiam ab Vlpiano refellitur *in l.* 2. *verſic. Cæterùm, ff. eodem,* dum quæ conſilio prudentis viri, vel patrimonio ſufficiētis in homines obiri poſſunt, niſi certis & receptis probabilibus cau- 4

ſis

ſis non remitti affirmat. Vnde cùm Senatoria dignitas ex illis ſit, quæ potiſſimùm conſilio expediuntur, vt ex ſe patet, meritò hac ratione nullam ætatem ab ea immunitatem afferre docent expreſsè Didacus Perez *in proœmio tit. 3. lib. 2. Ordinamenti litera Q.* & probatur Papiniani in hanc rem liquidiſſimo teſtimonio *in l. Iuriſperitos 30. ff. de excuſationibus tutorum*, illis verbis: *Iuriſperitos, qui tutelam gerere cœperint, in cõſilium Principum adſumptos Optimi Maximique Principes noſtri conſtituerunt excuſandos, quoniam circa latus eorum agerent, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet.* Ex quo ſatis maturè Senatores mitti ſolitos anno quintoſexageſimo Iuſto Lipſio videtur *in notis ad illud Senecæ de breuitate vitæ* in æuo maximè, quo omnia arbitra prudentia moderabantur. Nam etſi aliqua ſenectus expediret, vt à Curia, vel Senatu liberaret, ea debebat præſcribi, quæ homines ineptos, & conſilij expertes reddit, veluti octuagenaria, & deinceps, vt *eodem anno* diximus: non verò illa, qua maximè iudicio, & experientia calent. Quod appoſitè admodum apud noſtros indicat *l. 3. tit. 19. part. 2.* hoc periodo: *Pero lo que dize de ſuſo de los viejos que deuen ſer eſcuſados, no ſe entiẽde de aquellos que fueſſen tan ſabidores, que pudieſſen ayudar por ſucceſſo a los de la hueſte.*

5 Ex quibus deducitur rectè ſenſiſſe Auendañum *de exequendis mandatis 1. part. cap. 19. num. 24. verſic. Vti tamen*, dum reſoluit ſenes cuiuſcumque ætatis, dummodò maturo iudicio exiſtãt, non excuſari à muneribus conſulendi in reipublicæ cauſis, vtputa ab officijs *de Diputados del Concejo.* Nam præterquàm quòd iſti nullo dicuntur officio fungi, à cuius onere excuſationem prætendere poſſint, ſed votum cum alijs in conſilio habere, vt notat Baldus *in l. decernimus, C. de Sacroſanctis Eccleſijs num. 2.* ex quo reipublicæ conſulunt, & ab ipſius conſilijs exiſtunt, ætatis prætextu aliquam vacationem non habent. *l. ſi Decurio fortunam*, & ibi Platea, *C. de Decurionibus lib. 10.* obſeruat Martinus Laudenſis *in tractatu de fiſco quæſt. 17.* & D. Garſ. Maſtrillus *de Magiſtratibus lib. 1. cap. 30. num. 96. & ſequentibus.*

SVMMARIVM.

Vicarius Generalis Epiſcopi Ordinarij appellatione continetur. 1.

Ob nimiam contrahentium ætatis diſparitatem poteſt Ordinarius in denũtiationibus matrimonialibus diſpenſare. ibid.

Ridiculũ loci genus dicitur, ſponſus ſenex. 2.

Cum viro, qui ſexageſimumquintum annum egit, & cum fœmina, quæ ſupra quinquageſimumquintum expleuit, Epiſcopus in denuntiationibus diſpenſare poteſt. 3.

Decrepita ætas quando incipiat? ibid.

Nulla ſenectus ante præſcriptum tempus diſpenſationi cauſam præſtat. 4.

Epiſcopus rectè diſpenſat in denuntiationibus, ſiue ambo contrahentes ſint valdè ſenes, ſiue alter tantùm. 5.

Irriſio fit Sacramento, dum contrahentes irridentur. ibid.

QVÆSTIO III.

Quæ ſenectus in contrahente eſſe debeat, vt ex cauſa diſparis ætatis poſſit Ordinarius in denuntiationibus matrimonialibus diſpenſare?

SVmmis aſſenſionibus probant omnes, Ordinarium (Epiſcopum ſcilicet, aut ipſius Vicarium Generalem, quem etiam Ordinarij appellatione contineri multis docet nouiſſimè Auguſt. Barboſa *in collectan. ad Concil. ſeſſ. 24. de reformatione matrimon. cap. 1. num. 56.* & Antonin. Diana *reſolution. moral. part. 3. tractat. 4. de Sacramentis reſolut. 238.*) poſſe ob nimiam contrahentium ætatis diſparitatem permittere, vt matrimonium nullis præmiſſis denuntiationibus ab ipſis celebretur, veluti ſi valdè ſenex ducat iuuenculam, vel è contra valdè iuuenis decrepitam anum: ſic inquam omnes, è quibus retuliſſe ſufficiat poſt antiquiores, quos enumerat P. Thomas Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſputat. 9. num. 3.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 1. cap. 83. num. 25.* Franciſcus Molinus *de ritu nuptiar. lib. 2. different. 11. num. 50.* Aloiſi Riccius *in praxi rerum fori Eccleſiaſtici reſolut. 225.* Molfeſ. *in ſumma Theolog. Moral. tractatu 4. cap. 8. n. 29.* Segura Daualos *in directorio iudicum Eccleſ. 2. part. cap. 16. num. 6.* P. Baſil. *de matrimon. lib. 5. cap. 32. num. 2.* Ioan. Nouarius *ſingul. concluſ. concluſ. 77. num. 5.* Auguſtin. Barboſa *vbi proximè num. 71. & de poteſtate Epiſcopi allegat. 32. num. 46.* Gaſpar Hurtado *de matrimonio diſputat. 5. difficult. 20. num. 69. verſic. Quinta.* 1

Mouenturque ea ratione, ne factis denũtiationibus pudore, aut verecundia ſuffundantur contrahentes ob nimiam diſparitatem, vel ne ludibrio ſint audientibus inæquale 2

æquale eorum coniugium:eſt enim,vt obſeruat Neuizanus *in ſylua nuptiali lib.2.num.6.* ridiculum loci genus ſponſus ſenex: idcirco non iniuria deriſum fuiſſe Bulgarum, inquit Tiraquel.*in l.6.connubiali gloſ.1.num.5.* cum inciperet legere, *l.rem non nouam,C. de iudic.* propterea quod nocte præcedente viduam,verulamque deſponſaſſet,vt in ea *ipſa l.* retulit Accurſius,& conducit ex noſtris *l.2.tit.20.part.2.* ibi: *Otroſi deue ſer muy guardado,que non ſea el caſamiento muy deſigual,aſſi como caſando el moço con la vieja, ò el viejo con la muy moça, ca ſin la mala parecencia que ſeria,&c.* & meritò quidem, cùm ſit in canitie ridiculoſa Venus,teſte Gloſſa *in §.fin.inſtitut.de ſucceſſione ſublat.* & Neuizan. *vbi ſupra num.5.* ex qua vtique irriſione quædã reſultaret irreuerentia Sacramento, vtpote animaduertit Sanchez *dicto loco num.4.* quam tenetur Epiſcopus ſublatis denuntiationibus omnino deuitare.

3 Ergo ſi vir ſexageſimumquintum annum expleuerit,aut quintum & quinquageſimum fœmina,iuſtè cum illis Ordinarius diſpenſabit,vt nullis factis proclamationibus matrimonium ineant,cùm hac ætate iuuenis conſortium appetens, inæqualiter proculdubio contrahat,iuxta ea quæ ſuperiùs *hoc ipſo anno* ſcripſimus in quæſtione, *quæ ſenectus in ſponſo validam reddat donationem, aut dotis confeſſionem, etiam conſtante matrimonio, in fauorem iuuenis ſponſæ factam*: & quod non leuiùs vrget, in ea ſit ſenectutis parte, quà valdè ſenex meritò debeat cognominari, cùm tunc vel exiſtat in ipſo ſenio & decrepitate, ſecundum Fernelium *phyſiolog. lib.3. cap.10.* & Paul. Zachiam *Medicolegalium tom.1.tit.1.quæſt.10.num.18.* qui decrepitatem,quam poſtremam vitæ partem vocãt, in ſexageſimoquinto ætatis anno incipere ſtatuunt,vel ſecundùm noſtros,quibus ſeptuageſimum annum magis placet decrepitatis terminum eſſe, vt infrà *anno 70.* indicabimus, adeò ſummo hoc ſenio approximet, vt ferè decrepitus, & valdè ſenex non incongruè poſſit exiſtimari, ac per conſequens & iuſtæ ætatis,vt cum eo in denuntiationibus valeat diſpenſari,cùm valdè ſenibus hoc eſſe indulgendum ſuprà ſcripti teſtentur, præſertim Sanchez & Baſilius.

4 Ex quo infero minorem ſenectutem, ſiue in maſculo, ſiue in fœmina nullam iuſtam diſpenſationis cauſam præbere poſſe, cùm non quælibet ſenectus diſpar, aut ridiculum efficiat matrimonium,vt ſuprà *hoc anno* vbi proximè obſeruauimus,ſed illa ſolummodò, quæ grauis & effæta ſit,veluti quæ quinque & ſexaginta annorum eſſe incipit in maſculo, & quinque ſupra quinquaginta in fœmina, qua regulariter in ipſis vis generatiua quieſcit,& abſumitur,& qua non immeritò rideri poſſunt, ſi matrimonium contrahere videantur,vtpote illud appetentes, cuius primario fini,nempe generationi, minimè ſufficiunt.

Quod procedere intelligendum eſt, ſiue huius ætatis ſenex iuuenem vxorem ducat, aut vxor ſenex iuuenem maritum, ſiue vtrique contrahentes ſint ſenes, cùm omni caſu eadem militet irriſionis ratio, vt docet Baſilius *dict.num.2.* & ante eum nonnullis adductis probat Thomas Sanchez *dict. diſputat.9.num.4.* ex Paludano ſubiungens, fieri quandam irreuerentiam Sacramento dum ſenes contrahentes irridentur. 9

SVMMARIVM.

Donatio etiam conſtante matrimonio facta à ſene, qui iuuenem vxorem duxit, valet. 1.

Donatio à ſene iuueni ſponſæ facta non ſimplex, ſed remuneratoria dicitur. 2.

Senectus repletur doloribus, & multis morbis infeſtatur. ibid.

Donatio remuneratoria, etiam inter coniuges valet. 3.

Cuius ætatis ſenex eſſe debeat, vt puellam ducendo inæquale coniugium vocetur? 4.

Quinquaginta & quinque annorum eſſe qui putent? 5.

A bello ad matrimonium valere argumentum, quidam feſtiuè dixit. ibid.

Quintum & ſexageſimum eſſe, verius traditur. ibid.

Ante ſexageſimi anni lapſum nemo ſenex dicitur. ibid.

Ex inæquali coniugio iuuenis & ſenis quot mala oriantur. ibid.

An quælibet inæqualitas coniugum ſufficiat, vt facta inter ipſos donatio conſtante matrimonio ſubſiſtat? 7. & 12.

Iuuenculam ſeni eſſe tradendam, quomodo accipiatur? 8.

Ætas defecta, quæ ſit? 9.

Vir vxorem ætate præcedere debet. 10.

Quæ ſit ætas congrua ad contrahendum matrimonium? 11.

Confeſſio dotis receptæ conſtante matrimonio ab eo qui quintum & ſexageſimum annum exceſſit facta valet, etiamſi decimam partem bonorum ipſius excedat. 13.

Eo tantùm caſu, quo valet donatio inter coniuges, valet, & effectum ſortitur confeſſio de dote recepta. 14.

QVÆST.

QVÆSTIO IIII.

Quæ ſenectus in ſponſo validam reddat donationem, aut dotis confeſsionem, etiam conſtante matrimonio, in fauorem iuuenis ſponſæ factam?

VVlgarem illam iuris traditionē, quæ docet nullam irritamque eſſe donationem, quam vir in vxorem, vel è contra, vxor in virum captioſe confert, *l. 1. & per totum titulum, ff. & C. de donationibus inter*, eo potiſſimum caſu moderantur Interpretes, quo ſenex iuuenem duxit vxorem, eidemque etiam conſtante matrimonio quidquam donauit: ſic Tiraquellus *in l. 6. connubiali gloſ. 1. num. 27.* Antonius Gomez *in l. 50. Tauri num. 66. verſ. Quartus*, Azeuedus *in l. 2. tit. 2. num. 11. lib. 5. Recopilationis*, Villalobos *in ærario commun. opinion. litera D. num. 229.* antea Gregorius Lopez *in l. 2. verbo. La vieja, tit. 20. part. 2.* plures relati à Thoma Sanchez, quibus ipſe adhæret *lib. 6. de matrimonio diſputat. 7. num. 3.* Emanuel Barboſa *in remiſſionibus ad leges Luſitaniæ lib. 4. tit. 65. §. 3. num. 5.* Petrus Nicolaus Mozius *in Amphitheatro contract. tractat. de donatione, cap. de perſonis, inter quas cadere non poſſit donatio num. 34.* nouiſſimè noſter Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap. 31. num. 57. & 58.* etſi contrarium cum Craueta & Pinello voluerit Fachinæus *lib. 3. controuerſ. cap. 80.*

2 Qui omnes illam huius aſſertionis rationem ſubiungunt, quia hæc donatio non ſimplex, & propria, ſed remuneratoria eſt beneficij, quo proculdubio iuuenis vxor maritum afficit, ipſi quamuis ſeni, grandæuo, & inæquali nubendo: quoniam vt inquit Franciſcus Beccius *conſil. 79. num. 6.* & refert Perez de Lara *vbi proximè*, ex eo quòd ſenectus repleta eſt doloribus, & maximis infeſtatur morbis, vnde Eccleſiaſt. *cap. vltim.* tempus afflictionis vocatur, & Antiphanes ille Caryſtius Comicus prudentiſſimè dicebat.

Mala ad ſenectutem officinam ceu ſuam
Humana tandem congregantur omnia.

Puella, quæ ſeni iungitur, videtur ei munus facere, ad cuius retributionem & compenſationem ſaltim ex debito naturæ, quod antidorale dicimus vir obſtringitur, veluti expendit Thomas Sanchez *dicto lib. 6. diſputat. 9. num. 8. verſic. Et ideò dicendum*, ex Bartoli, Baldi, & aliorum placitis. Quapropter quidquid vir ſenex adoleſcenti vxori præſtiterit vel donauerit, eo animo datum & præſtitum intelligitur, vt ſatisfiat huic obligationi, & vxor remuneretur: ergo hæc donatio vti remuneratoria, quamuis inter virum & vxorem conſtante matrimonio facta, vires obtinebit, quia tantùm ſimplex donatio illis inhibetur, remuneratoria verò expreſſe permittitur, 3 *l. quod autem 7. §. ſi vir, ff. de donationibus inter*, multis confirmant Tiraquellus *de nobilitate cap. 18. num. 19. & in l. ſi vnquam, verbo donatione largitus num. 19. C. de reuocandis donationibus*, Antonius Gomez *l. 52. Tauri num. 66.* Menochius *de arbitrarijs lib. 2. caſu 132. num. 14.* Surdus *conſ. 164. & conſil. 196. num. 8.* Franciſcus Marcus *deciſ. 22. part. 2.* Oſaſcus *deciſ. 100.* Fachinæus *lib. 3. controuerſ. cap. 80.* Conciuis noſter Hieron. de Ceuallos *commun. contra commun. quæſt. 273. à num. 8.* P. Sanchez *dicto lib. diſputat. 6. num. 11.* P. Leſſius *de iuſtitia lib. 2. cap. 18. dubitat. 12. num. 89.* P. Rebellus *de obligationibus iuſtit. part. 2. lib. 1. quæſt. 8. num. 45. verſ. Primus, & lib. 6. quæſt. 13. num. 1.* Emanuel Barboſa *loco iam relato num. 5.* Benedictus Pinel. *ſelectarum iuris lib. 1. capit. 10. num. 52.* Mozius *vbi ſuprà.*

4 His ſuppoſitis, illa valdè vtilis & neceſſaria quæſtio diſputanda ſe offert, quænam ſcilicet, vel quot annorum viri ſenectus eſſe oporteat, vt in æquale ſit, pulchram & florentis ætatis vxorem ducere, eique etiam iam contracto coniugio inæqualitatis iacturam commodo donationis vtiliter reſarciri? Nā quamuis fatear, hoc plurimum ex arbitrio ius dicentis pendere, qui cognitis vtriuſque perſonis rem aptiùs expediet, certam nihilominus ætatem ad id neceſſariam præſcribere, rationum & authoritatum præſidio ſuffultus contendam.

5 Et quamuis ex ſententia Floriani *in l. inuiti num. 4. ff. de teſtibus*, quam referens amplectitur Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 238. num. 6.* tentari poterat, quinquaginta & quinque annorum eam eſſe debere, quia hoc tempore homines incipiunt coniugio eſſe inhabiles, quare tunc omnes ab illo retrahi, & excuſari poſſe admonet idem Florianus, vti à bello, Gloſſa *in l. 2. verbo ſenium, C. de his qui non impletis ſtipend. libro 10.* à quo ad matrimonium valere argumentum feſtiuè notat, nam & temporale bellum coniugium eſt: quod abſit, vt ſerio proferatur:

6 verius tamen arbitror à ſexageſimoquinto anno ad ſeptuageſimum hanc ætatem fore præfiniendam. Non ſolùm, quia ante ſexageſimi anni lapſum nemo ſenex dicitur, vti ex veriori opinione ſupra *eodem anno* reſoluimus, & probat Paul. Zachias *quæſt. Medico-*

legali

legal. lib. 1. tit. 1. *quæſt. 9. num.* 45. *&* 46. ſed etiam quia id maximè apud noſtros euidenter ſuadetur autoritate *l. 2. tit. 20. part. 2.* vbi inæquale coniugium ſenis & viri, & valdè iuuenis fœminæ, ideò caueri præcipitur, quia inde duo mala orirentur, odium, & carentia liberorum, quos tam diſpari ætate minimè ſuſciperent, vt hæc legis verba teſtantur: *Otroſi deue ſer muy guardado, que non ſea el caſamiento muy deſigual; aſſi como caſando el moço con la vieja, ò el viejo con la muy moça, ca ſin la mala aparecencia que hi ſeria, auerian dos males: el vno, que non aurian amor entre ſi: el otro, que non podrian fazer linage por la deſigualeza de tiempos*, quæ verba ex illis Euripidis *in Danaë* apud Stobæum *cap.* 49. traducta videntur.

Et nunc iuuenes, inquit, *adhortor omnes,*
Ne in ſenectute nuptias celebrantes,
Vix liberos procreent, nec enim voluptas eſt,
Sed res inimica mulieri ſenex vir.

Ergo inæquale matrimonium ratione ſenectutis illud propriè vocabitur, ex quo proles nequaquam ſperari valet? aliter enim minimè ſequeretur inconueniens ſterilitatis; quod ex impari hoc coniugio adfuturum *dict. l.* ſupponit: ſed naturaliter generandi impotentia in maſculis poſt annum quintum & ſexageſimum contingit, vt latiùs ſupra *hoc anno* in quæſtione, *vſquequo generandi virtus in maſculis perduret*, oſtendimus. Igitur non anteà contractum à ſene matrimonium cum puella inæquale dici poterit, nec ſi eo conſtante donatio à viro in vxorem conferatur, ſuſtinebitur. Quoniam tunc ſimplex, & non remuneratoria eſt, nec eſſe poteſt inæqualitatis, quæ inter coniuges nondum exiſtit, cùm eius nuptiæ qui adhuc intra quintũ & ſexageſimũ annũ ſaltim verſatur, etiã reſpectu nimis puellæ inæquales dici nequeant.

7 Et ſi obijcias, hoc rectè procedere, ſi eadẽ inæqualitas coniugum, quæ in *dict. l.* requiritur ad aptè matrimonium cõtrahendum, requireretur etiam ad validitatem prædictæ donationis, cujus noſter ſermo eſt: at longè diuerſa inæqualitas in vno, quàm in altero caſu exigitur. Nam vt vitari debeat coniugium quaſi inæquale, maxima inæqualitas contrahentium deſideratur, vt conſtat ex verbis eiuſdem legis, ibi: *Otroſi deue ſer muy guardado, que no ſea el caſamiento muy deſigual, anſi como caſando el moço con la vieja, ò el viejo con la muy moça*, expendenda enim ſunt illa verba, *muy deſigual*, quæ planè demonſtrant non quamlibet diſparitatem, ſed magnam eſſe oportere; eo caſu, cæterum vt donatio à vetulo marito iuueni vxori facta valeat, & ſortiatur vires, inæqualitas tantum

D. Didac. de Narbona.

deſideratur, nõ quidẽ maxima, ſed illa nẽpe quòd vir iam ſit ſenex, & vxor valdè iuuenis. 8

Reſpondetur eiuſmodi diſcrimen inæqualitatum omnino falſum & improbabile eſſe; quoniam vna eademque inæqualitas eſt, nẽpe maxima; quæ validam reddit donationem inter virum & vxorem, & quæ abſtinendum ſuadet à coniugio ſenis & puellæ, vel pueri, & prouectæ fœminæ. Et probatur, nam puella ordinariò, vt ſic dicam, ſeni, & non attrito nubens tantùm abeſt, vt inæqualiter nubat, quòd imò tunc ſolùm æqualiter eam nubere credendum eſt. Vnde prouerbialiter dictum obſeruat Eraſmus *adagior. Chiliad. 3. centur.* 5. *adagio.* 91. & Paul. Manucius *ſimili tractatu, pagina mihi* 895. *ſemper ſeni iuuenculam ſubijce*, ideſt matrimonialiter iunge, vt vterque ibidem explicat, & Ioan. Neuiz. *in ſylu. nuptial. lib. 1. nu. 6.* qui prouerbium intelligit de modica diſtantia ætatis, quia in eà benè vir debet eſſe ſenior muliere. Conſentit expreſſius Andr. Tiraquel. *in l. 6. connubial. gloſ.* 1. *numero* 36. vbi inter omnes conuenire inquit, mulierem iuniorem, & te-
neræ ætate virum quoque non ætate defectâ 9
eſſe debere, ideſt decrepita, hęc enim propriè appellatur ætas defecta, vt probatur *ex l. arboribus. 12. §. de illo, verſic. Non ſapè, ff. de vſufruct.* vbi notant omnes, & nos alibi fuſiùs notauimus: quaſi diceret Tiraquel. quãcumque hominis ſenectutem aptam eſſe cõiugio puellæ, dummodò non ſit defecta, vel decrepita, annorum ſcilicet ſeptuaginta, aut octuaginta, quam decrepitã eſſe ætatem in-
fra *anno* 80. probabimus: oportet enim virũ 10
ætate vxorem præcedere debere, nam iuſtam æqualitatem ætatis in vtroque fere omnes deteſtantur, præſertim Euripides *in Aeolò* apud Stobæum *ſermone 69.* qui in hanc ſententiam ita ſcribit.

Malum eſt, iuuenem vxorem adoleſcenti coniungere,
Diuturnior enim eſt marium vigor,
Fœmineum verò corpus citius pubertate deſtituitur.

Hinc Plato ille Politicorum, Philoſopho- 11
rumque facilè Princeps *lib. 6. de legibus in fine*, nuptiarum tempus præſcripſit, fœminæ à ſextodecimo anno in vigeſimum, maſculo à trigeſimo ad quintum & trigeſimum; quod etiam anteà præceperat Solon ea elegia, quã de decem hominum ætatibus conſcripſit, vbi quintum ſeptenarium, qui ex annis triginta & quinque componitur, nuptijs aſſignauit, vt autor eſt Philo Hebræus *lib. 2. de mundi opificio*, à quibus parum diſſentit Ariſtotel. *lib. 7. Politicor. cap.* 16. dum cõgruere inquit puellas circa ætatem 18. annorum nuptui trade-

re: maſculos verò circa ætatem annorum 36. aut paulò circa: *In hoc enim tempore*, verba ſunt Philoſophi, *& vigentibus corporibus coniungentur, ac procedente tempore ſimul aptè deſinent procreare poſſe, & filiorum ſucceſſio partim erit ab initio eis ætate vigentibus, ſi rectè procedet, ſtatim generatio, partim verò dum iam ætas vergit ad annum ſeptuageſimum*: ex cuius autoritate infert doctiſſimè Tiraquellus *loco iam relato num. 46.* æqualitatem in ætate coniugum non ita accipi debere, vt ſint eiuſdem per omnia ætatis, ſed vt pariter, atque eodem tempore deſinant poſſe generare. Quod ex Ariſtotele ita demum fieri autumat, ſi mas fœminam viginti annis, aut paulò plus minuſve præcedat.

12 Sed vt ad inſtitutum negotium redeamus, ex dictis palàm fit puellam tūc aptè, & æqualiter nubere, cùm prouectum virum, & ſeneſcentem aſſumit, ac per conſequens nō ſtatim ex eo quòd iuuenis fœmina ſeni viro coniungitur, inæquale matrimonium dici, niſi viri tāta ſit ſenectus, vt quintum & ſexageſimum annum excedat, cùm hæc ætas penè omnem generationis ſpem auferat, cuius potiſſimum cauſa ſolent matrimonia appeti, vti & ea ſublata omnino recuſari, *dict. l. 2. partitæ*: igitur vna eademque eſt ſenectus, quæ matrimonium inæquale reddit, ſiue ad non contrahendum, ſiue ad firmandam donationem, quam eo conſtante vir ſenex in vxorem iuuenem confert, vt iam diximus.

13 Vnde infertur eandem ætatem requiri vt valida, & efficax ſit confeſſio dotis receptæ à ſene viro in fauorē iuuenis vxoris, ſiue antea, ſiue poſt contractum matrimonium facta. Nā & hæc donatio remuneratoria inæqualitatis præſumitur, quia cùm æquum ſit, optimè ratiocinatur Thom. Sanchez *d. lib. diſp. 9. n. 8. verſ. Et ideò*, vt hanc diſparitatem vir remuneret, ac cōpenſet, præſumitur in dubio animo huic obligationi antidorali ſatisfaciendi confeſſionem fieri, cùm merita ſint nota: cui etiam adſtipulatur multis adductis conciuis noſter Perez de Lara *d. c. 31. n. 61.* vbi, cum Azeuedo *in l. 2. n. 11. tit. 22. lib. 5. Recopilat.* Ioan. Garſia *de donat. remuneratoria n. 21.* Ayora *de partit. 1. p. c. 7. n. 3.* Sanchez, Moline, & alijs hanc confeſſionem, vel donationem tenere affirmat, etiamſi decimam partem bonorum, intra quam aliàs noſtris legibus ſolum poteſt donari, excedat.

14 Et probatur eundem annorum numerum exigi ad valorē huiuſmodi confeſſionis, quoniam illis tantùm caſibus, in quibus valida eſt donatio inter coniuges, valet, firmaque exiſtit donatio conſurgens ex dotis cōfeſſione, ita Valaſc. *conſil. 5. n. 17. tom. 1.* Molina *tom. 2. de iuſt. & iur. tract. 2. diſputat. 439. §. Secundo ſi eadem*, quibus adhæret Thomas Sanchez *vbi proximè num. 7.* Ergo cùm ſolummodò agente viro quintum, & ſexageſimum annum valere donationem ab eo iuueni vxori factam oſtenderimus, eo ſolo tempore dotis confeſſionem ſubſiſtere, quæ donationem item importat, tenendum erit.

ANNVS SEPTVAGESIMVS.

SVMMARIVM.

Senectus ipſa morbus eſt. 1.
Omnes ſenes infirmi non ſunt. 2.
Definitio morbi refertur. 3.
Noſtri ſenectutis & morbi nomina pro diuerſis vſurpant. 4.
Septuageſimo anno propriè ſenem infirmum videri probatur. 5.
Senectus morbus naturalis eſt, qui maximè ſupernaturali aſſimilatur. 6.
Fœminæ ſexagenariæ infirmæ præſumuntur. 7.

QVÆSTIO I.

Vt infirmo ſenex æquiparetur?

A Quinquageſimo anno, quo ſenectutis initium eſſe ex Marco Tullio in Catone Hotoma. teſtatur *commentario de verb. iuris, verſ. Ætatis gradus*, cuiuſcūque ætatis homines poſſe infirmos appellari, vel ex eo ſolo conſtat, quod abſolutè ex Ariſtotele *lib. 5. de generat. animal.* Terentius protulit, ſenectutem ſcilicet per ſe ipſam morbum natalem eſſe. Vnde illud frequens apud Vir-

Virgilium *ſubeunt morbi triſtiſque ſenectus*, ſic etiam Cicero *in Oratore* de Q. Mutio loquens, *Senectutis morbus* ſcribit *non equidem incidens eſt, & tranſiens*, quibus concinit Ouidius 14. *Metamorphoſ.* inquiens.

Sed iam fœlicior ætas
Terga dedit tremuloque gradu venit ægra
ſenectus,

Necnon 5. *Faſtorum*, dum
Pontibus infirmos, refert, *præcipitaſſe ſenes*,
Nec Pamphilus Saxus diſſentit, cùm ait:
Huic igitur faueas ſenibus, nam qui fauet
ægris.

Quod ſimiliter elegantiſſimè pronuntiauit Paulus noſter *in l. ciuitatibus* 122. *in fine principij, ff. de legat.* 1. ita ſcribens: *Hoc amplius, quod in alimenta infirmæ ætatis, puta ſenioribus, vel pueris puellisque relictum fuerat*, conſentiunt Pontifices *in cap. magnæ* 7. *de voto, & in cap.* 1. *§. ſin autem Epiſcopus, de Clerico ægrotante lib. 6.* etiamque apud Hiſpanos id probat *l.* 41. *tit.* 18. *part.* 3. & tandem ita Interpretum nonnulli aſſerunt, vt præter alios, Ancharran. *conſil.* 279. *in fine*, Pariſ. *conſil.* 29. *num.* 68. *lib.* 2. Neuizan. *lib.* 2. *ſyluæ nuptial. num.* 4. latiſſimè Eraſmus *adagio. Chiliad.* 2. *centur.* 6. *adagio.* 37. Lazarus Phenutius *de momento tempor. cap.* 5. *num.* 11. Baeça *de inope debitore cap.* 7. *n.* 11. Hieron. Laurent. *deciſ. Auenionenſi.* 20. *num.* 7. Camillus Borrellus *in ſumma deciſio tit.* 56. *num.* 26. Ioannes Maria Nouarius *in praxi electionis fori quæſt.* 18. *num.* 2. noſter Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 31. *num.* 34. Moneta *de commutatio. vltim. voluntat. cap.* 5. *quæſt.* 11. *n.* 327. Giurba *in conſuet. Meſſan. cap.* 2. *gloſ.* 14. *n.* 2. *part.* 1. Velaſcus *de priuileg. miſerabil. perſonar. quæſt.* 18. *num.* 6.

Sed nihilominus omnes ſenes propriè infirmos non eſſe, nec ægrotantium numero comprehendi, communiter Scribentes proferunt, Ita ex Felino & Socino Seniore *in c. quoniam frequenter, vt lite non conteſtata*, Gomeſio *in regul. Cancellariæ de infirmis reſignantibus quæſt.* 7. vbi etiam Mandoſ. *quæſt.* 4. *num.* 5. Rebuff. *in praxi benefic. titulo de infirm. reſignantibus gloſ.* 2. *num.* 13. reſoluit Menochius *lib.* 2. *de arbitrar. caſu* 60. *num.* 9. *& de præſumption. lib.* 6. *præſumpt.* 46. *n.* 22. quem ſequitur Thomas Accius *tract. de infirmitat. legali part.* 1. *cap.* 19. *num.* 3. Anton. de Amatis *deciſion. Ferrarienſi.* 25. *num.* 18. Moneta *de diſtribut. part.* 2. *quæſt.* 7. *n.* 3. Stephan. Gratian. *deciſ.* 189. *num.* 4. vbi cum Menochio concludit iudicis arbitrio hoc terminandum eſſe, Azeuedus *in l.* 6. *numero* 10. *titulo* 5. *libro* 3. *nouæ recollectionis*.

Et probatur hæc ſententia ex morbi definitione, quam tradit Conſultus *in l.* 1. *§. ſed ſciendum, ff. de ædilitio edicto*, vbi morbum eſſe ait habitum cuiuſque corporis contra naturam, qui vſum eius ad id facit deteriorem, cuius cauſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit, cui conſonat Galen. *lib.* 1. *de ſanitate tuenda cap.* 5. Ergo cùm ſenectus non quid præternaturale, ſed naturaliſſimum ſit, vt vocat Galenus *lib de Maraſmo*, & refert Cœl. Rhodigin. *lib* 21. *lection. antiq. cap.* 4. quare illam naturalem morbum appellat Ariſtotel. *dict. lib.* 5. item & Cœlius Rhodig. *lectio. antiquar. lib.* 13. *cap.* 27. *in fine*, ſub nomine & definitione infirmitatis comprehendi non poteſt. 3

Deinde quia ſi ſenum & infirmorum vna eademque natura eſſet, Conſultis vel legumlatoribus ſatis foret vno, vel altero verbo promiſcuè vti, nec enim & infirmitatis & ſenectutis ſimul mentionem facere debebant. 4 Igitur cùm vtrumque ſimul ab ipſis paſſim ſcribatur, & quidem cum diſiunctiua inter ſenectutis & infirmitatis nomina, vt ex *cap.* 1. *§. ſin autem, de Clerico ægrotãte lib.* 6. & alijs iuribus obſeruauit notabiliter Decius *in l. ſenium* 3. *num.* 6. *C. qui teſtam. facere poſſunt*, & poſtmodum Menoch. *d. caſu* 60. *num.* 10. perſpicuum eſt ſenes infirmos dici non poſſe: quorum ſententiam comprobare videtur Iuriſconſult. reſpõſum *in l. cui dens.* 11. *ff. de ædilitio edicto*, vbi poſtquam illum, cui dens abeſt nõ eſſe morboſum dixerat, ita ſubijcit: *Alioquin nullus ſenex ſanus eſſet*: quibus verbis ſupponere videtur ſenectutẽ ex ſui natura morbum minimè continere ſecundum Medicorum ſententiam, quæ ita habet, vt teſtatur Petr. Garſia *in Auicen. fen.* 1. *lib.* 1. *doctrin.* 3. *cap.* 3. *diſputat.* 16. *cap.* 3. vbi etiam ait, nullam ætatem morbum eſſe, neque phyſicè, neque medicè. 5

Quam opinionem in illis tantùm ſenibus veriſimam arbitrarer, qui ſeptuageſimum annum minimè expleuerunt. Nam ſi illum exceſſerint, ita debilem morboſamque ætatem ſuſtinent, vt eos propè interitum, ac valdè morti propinquos eſſe, quotidie experiatur. 6 Quapropter huius ætatis homines iuris præſumptione infirmos æſtimandos eſſe docet elegánter Abbas *in cap. quoniam frequenter* 5. *num.* 18. *vt lite non conteſtata*, ita Apoſtilla *ad eundem in cap. fin. vt lite non conteſtata* vbi notat ſeptuagenarium dici ſenem infirmum, & vt talem excuſari, in quo non intrat arbitrium iudicis, ſed intrat ſolùm quando ſenex à 50. annis vſque ad ſeptua-

ginta infirmus dicatur, ita expreſſe Tuſchus *practicar. concluſ. litera R. concluſ.* 103. *num.* 4. Alciatus *tractatu de præſumptio. regula* 1. *præſumpt. vltim.* cuius ſententiam probabilem appellat Menoch. *dict. lib.* 6. *de præſump tio. præſumpt.* 46. *num.* 21. maximè in his quæ exercitium corporale requirunt, quibus aſſentiri videtur Thomas Accius *dict. tract. de infirmitat. cap.* 19. *num.* 6. Pariſius *de reſig- nat. lib.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 54. Ojeda *de incom patibil. benefic. part.* 1. *cap.* 17. *num.* 17. Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ.* 5. *part. cap.* 8..*num.* 13. vbi id optimè probat: indicare videtur D. Garſia Maſtrillus *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 95. *& ſequentibus*, & Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. cap.* 18. *num.* 55. nouiter Alphonſus Perez de Lara *in com pendio vitæ homin. cap.* 31. *num.* 69. & confirmatur Prophetico illo teſtimonio Pſalm. 89. *verſ.* 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor;* quamuis ſexageſimum annum ſufficere vt ingraueſcens, & infirma ætas dicatur, cenſuerit Rota apud Paul. Æmil. Verallum 1. *part. deciſ.* 315.

6 Nec in contrarium exiſtunt rationes, quibus oppoſita ſententia fulcitur, ex illis enim tantùm euincitur, ſenectutem proprium morbum non eſſe; nec ſub eius definitione complecti, vt explicat Amatis *vbi ſupra*; quod certiſſimum cum Alciato *vbi proximè* fatemur: nos verò morbum ſecundùm naturam eſſe ex Galen. *dict. lib.* 1. *de ſanitate tuenda cap.* 5. *& dict. lib. de maraſmo cap.* 2. defendimus, quem eruditè ſequitur Petr. Garſia *in Auicennam fen.* 1. *lib.* 1. *doctrin.* 3. *cap.* 3. *diſputat.* 16. *cap.* 2. vbi quamplurimis Philoſophorum, & Medicorum accerſitis ſubſidijs probat ſenectutem morbum eſſe naturalem, quamuis defendi poſſe affirmet ſupernaturalem eſſe: etenim certius eſt, ſimilem tantùm eſſe morbo ſupernaturali, ita vt probata tot annorũ ſenectute reſultet præſumptio quòd ſit æger ad hoc vt iura de infirmis loquentia, & in ſeptuagenarijs etiam locum habere debeant, vt docet Abbas *in cap. magnæ* 7. *de voto circa finem*, Neuizanus *dict. num.* 4. Tuſchus *practicar. concluſion. litera S. concl.* 103. *num.* 5. Lara *dict. cap.* 31. *num.* 70. Nam ſenectus & morbus fraternizant, vt cum Borrello loquar *in ſumma deciſion. tit.* 56. *num.* 26. vnde morbum metaphoricum illam appellat Nauarrus *conſil.* 3. *num.* 1. *de clericis ægrotantibus.*

7 Vtrùm autem prædicta reſolutio etiam in fœminis procedat; quarum debilior natura eſt? inueſtigare conuenit. Et quidem cùm vulgata ſit tam noſtrorum, quam Philoſophorum opinio, fœminas in ſeneſcendo viros ſaltim per decennium antecedere, vt pluries probauimus, præcipuè vbi diſputauimus quo anno ſenectus inciperet, neceſſariò affirmandum exiſtimo ſexageſimo anno ita infirmas reputari fœminas, ac ſeptuageſimo anno viros non rectæ valetudinis cenſeri diximus.

SVMMARIVM.

Cauſa prolixæ ſenectutis poteſt mortis cauſa donatio perfici. 1.

Satis probabiliter timeri poſſe de morte alicuius, poſtquam ad annum quinquageſimum peruenit, putat Innocentius II.

Teſtes ob mortis ſuſpicionem poſſunt ante litem conteſtatam recipi, ibi & ſeqq.

Septuagenarius metu mortis donare poteſt. 4.

Septuagenarius abſque dubio ſenex eſt, & ideò in eo non datur locus iudicis arbitrio. 5.

Septuagenarij morti proximi dicuntur. 6.

Senio confectus ſeptuagenarius eſt. 7.

Septuagenarij viuendi feſſi præſumuntur. 8.

Fœminæ poſt ſexageſimum annum quaſi ſenes mortis cauſa donare poſſunt. 9.

QVÆSTIO II.

Ad donandum ſenectutis cauſa?

INter cauſas, ex quibus mortis cauſa donationes licitè fieri poſſunt, ſenectutem enumerat Vlpianus *in l. aut* 5. *ff. de mortis cauſa donatio.* Non vtique qualemcumque; ſed illam, quæ ob prolixum & longiſſimum annorum curſum homines, etiam viuendi cupidiſſimos, propriæ vitæ & ætatis tædere conſtringit; vt vno verbo non ineleganter expreſſit Conſultus *in dict. l.* 5. cùm ætate feſſum donare poſſe pronuntiat. Quis autem iſte, aut quot annorum eſſe debeat? non ſatis inter noſtros liquet. Accurſius in expoſitione *dict. l.* tantæ ætatis, & ita in ſenium delapſum eſſe debere meritò exiſtimat; vt quotidie credat mori: ita Syluester *in ſumma verb. mors num* 4. Angel. *eodem verb. num.* 6. Sà *verbo mortis articulus, & ibidem* Andreas Victorellus *in notis*: ſed qua ætate hoc accidat? non explicat, quo circa

ad

ad Innocentij doctrinam recurrendum eſſe videbatur *in cap. quoniam frequenter* 5. *num.* 3. *vt lite non conteſtata*, quam amplectitur
2 Albericus *in l. ſenium num.* 5. *C. qui teſtament. facere poſſ.* vbi edocet, quòd ſecundum naturam inferiorum cauſarum ſatis probabiliter poteſt timeri de morte cuiuſcumque poſtquam peruenerit ad quinquageſimum annum. Vnde inquit, ſi huius ætatis teſtes eſſe conſtiterit, quibus ad probandam vel intentionem, vel exceptionem, quis vti cùm occaſio ſe obtulerit paratus eſt, propter ſuſpicionem & metum mortis ipſorum ante litem conteſtatam recipi poterunt, vt in Camera Imperiali ita obſeruatum teſtatur Andreas Gail *obſeruat. lib.* 1. *obſeruation.* 92. *num.* 7. ergo huius ſcilicet quinquagenariæ ſaltim ætatis eſſe debet, qui ſenectutis prætextu mortis cauſa donare autoritate *dict. l.* 5. deſiderat, cùm eo tempore rationabiliter poſſit vitæ dubius, & velut imminentis mortis certus exiſtere.

3 Sed hæc Innocentij & aliorum opinio, cùm gratis, & nullo iuris, aut naturalis rationis fundamento vallata proferatur, minimè defendi poteſt. Quia etſi veriſſimum ſit teſtes ſenectute confectos poſſe ob timorem mortis ante litem conteſtatam recipi, vt pluribus oſtendit Farinac. *tractatu de teſtibus quæſt.* 76. *num.* 83. tamen hoc regulariter in illis non procedit, qui ſenectutis vix limina ſalutarunt, vt quinquagenarij, qui ſecũdum multorum exiſtimationem in ea ętate non ſunt, vt ſenes dici queant, veluti ſuperius affatim demonſtrauimus.

4 Quapropter ſeptuagenarium eſſe debere rectius diiudico, qui ſuſpicione mortis, eo quòd iam ſenex ſit, donare inſtituit. Moueor que ad ita ſentiendum pluribus rationibus.

5 Primò, quia huius ætatis indiſtinctè ſenes ſunt, vnde quamuis arbitrio iudicis fuerit relictum quis quoad aliquem effectum ſenex dicatur, in hoc ſene arbitrium locum non habet, quia manifeſtè, & abſque aliqua tergiuerſatione ſenex eſt, vt ex Menochio *caſu* 59. *num.* 4. ſcribit Farinac. *vbi proximè num.* 84.

6 Secundò, quia tot annorum homines morti proximos eſſe, ideoque quotidie illam timere poſſe, tradit Thom. Accius *tractatu de infirmitate cap.* 19. *num.* 6. vnde huiuſmodi longæuos & annoſos Acheronticos ſenes appellauit Plautus, quaſi parum illos ab eo diſtare arbitraretur, vt Acherontis cymba ad Plutonis regna traducerentur, de quibus accipiendus eſt Viuius *deciſione* 243. *in fine, lib.* 2. cùm dicit valdè ſenes morti eſſe proximos.

Tertiò in eandem ſententiam adducor ex interpretatione Iacobi Menochij, qui *lib.* 2. *de arbitrar. caſu* 60. *num* 13. prædictam *l.* 5. accipiendam eſſe affirmat de ſenio confectis; quos ſeptuagenarios eſſe definijt Thomas Accius *dict. cap.* 19. *n.* 7. & in propoſito inſinuat Velaſcus *de priuileg. miſerabil. quæſt.* 18. *num.* 54. 7

Quartò, quia in ſeptuaginta annorum hominibus euenit quòd in *dict. l.* 5. requirit Conſultus, vt à ſenibus cauſa ſenectutis fieri donationes poſſint; nempe eos viuendi iam feſſos eſſe: nam cùm ita ſint ſenectute attriti, doloribus, & infirmitatibus adeò defatigatur, vt viuere illis potiùs moleſtia, quàm iucunditas ſit, ex quo prouenit, vt lęto vultu mortem reſpiciant. 8

Vnde (cùm æquè mulieres ſexageſimo anno afficiantur ſenectute, ac viri ſeptuageſimo, ex quo ipſæ propter ſexus & naturæ fragilitatem decennio ante viros ſeneſcunt, argumento eorum, quæ ſcripſimus *anno ſuperiori*, cùm diſputauimus, quæ ſenectus à ieiunio excuſaret, & quorum meminimus vbi de ſenectutis initio egimus, nec non illorumque, quæ adnorauimus *hoc eodem anno*, cùm de æquiparatione ſenum & infirmorum) conſequens erit definire poſt ſexageſimum annum fœminas rectè hac ſenectutis cauſa donare poſſe, non aliter ac viri ſeptuageſimo anno expleto. 9

SVMMARIVM.

Senex non poteſt ſuo creditori addici. 1.

Arbitrarium exiſtimat Baeça, *quis ætate ſenex hoc priuilegio frui debeat.* 2.

In ſeptuagenarijs non eſt locus arbitrio, cùm verè ſint ſenes. 3.

Qui non poteſt incarcerari, nec ſuo creditori poteſt committi. 4.

Seruire, & operas præſtare, idem importat. 5.

Septuagenarius ab operarum præſtatione liberatur. ibid.

Senectus non ſolùm impedit, vt debitor ſuo debitori tradatur, imò etſi poſtquam traditus eſt, ſenuerit, eum liberat. 6.

QVÆSTIO III.

Inops debitor qua ætate vt ſenex non debet ſuo creditori addici?

1 SVperiùs *anno 20. quæſt.* 5. ætatem deſcripſimus, qua minor debitor creditori addici iure prohibetur: nunc verò in ſene etiam illam deſignemus oportet, cùm ẽ..iſſimum ſit, non minùs ſenibus quàm adoleſcentibus eſſe indultum, vt pro debitis, quorum ſolutioni nõ ſufficiunt, minimè poſſint creditoris ſeruitio mancipari, veluti multis oſtendit Gaſpar Baeça diligentiſſimus ſcriptor *de inope debitore cap.* 7. *per totum*. Et qui-
2 dem ſi tanti viri in quæſtione à nobis propoſita veſtigijs inhærendum eſt, ipſe *num.* 16. probabilius exiſtimat rem hanc non tam ex ſenecta, hoc eſt ex annorum numero, quàm ex ſenio eſſe definiendam. Videmus, inquit, ſenes virium robore validos, & rurſus videmus ſexagenarium vix pedibus ſubſiſtentem, ideò res hæc arbitrio iudicis videtur committenda, vt ex ſtatu, natura & diſpoſitione debitoris illum vel liberes, vel ſubijcias creditoris ſeruitio.

3 Sed licèt hæc doctrina optima ſit, eam tamen in illis tantùm ſenibus veram exaudio, qui ſeptuageſimum annum nondum pertingunt, in ſeptuagenarijs enim ceſſat omne arbitrium, cùm citra dubium carioſi, attriti, & debiles ſenes ſint, iuxta Menochij ſentẽtiam *de arbitrarijs caſu* 59 .*num*.4.*verſic. Secunda*
4 *opinio*, quam alijs relatis ſequitur Farinac. *tractat de teſtibus quæſt*.76 .*num*.84. deinde vt ipſemet Baeça teſtatur *eiuſdem operis cap.* 3.*num*.2.& rurſus *dict. cap*.7 .*num*.3. ille autem, qui in carcerem duci non poteſt, non eſt addicendus creditori: at ſeptuagenatij hoc priuilegio potiuntur, vt pro ciuilibus nequeant in carcerari, veluti id latè probabimus *infra quæſt*.10. ergo nec creditoribus addici poterunt.

5 Rurſus idem oſtenditur, quia inops debitor ideò creditori adiudicatur, vt ſaltim operis & ſeruitio debitam pecuniam rependat: ſed huius ætatis ſenectus ab operarum præſtatione, & ſeruitio (quod idem eſt, *l. ſi quem ſeruum* 41 .*ff. de ſtatu liberis*) excuſationem præſtat, vt ſatis colligitur ex his quæ in hanc rem ſuprà *anno 60. quæſt*. 11. notauimus: ergo fortius & ab ipſa addictione liberationem operabitur.

6 Quare hanc ſententiam Antonium tenuiſſe *in cap. quoniam frequenter in princip. vt lite non conteſtata*, refert Baeça *dict. capit*.7. *num*. 9. qui etiam *num*. 16. eam minimè reſpuit, etſi ſecuriùs arbitretur hoc ex iudicis arbitrio omnino pendere, qui inſpecta natura & diſpoſitione debitoris fortè iudicabit, etiam quinquagenarium ob ipſius debilitatem & ægritudines creditori non debere addici, aut ſi iam fuerit addictus, liberari eum debere æquiſſimum arbitrabitur, cùm ſenectus nõ ſolùm addictionẽ impediat, ſed etiam ſuperueniens illam abſoluat, ex celebri doctrina eiuſdem Baeçæ *num*. 15. vbi inquit, quòd non ſolùm eximendus eſt à diſpoſitione *l. Regiæ*, quam ibi explicat, qui ſenex eſt tempore quo traditur creditori, verumetiam qui poſtquam traditus fuit, ad carioſam ſenectam peruenit, argumento *l. in metallum* 22. *ff. de pœnis*, quæ in hac ſpecie loquitur docet expreſſe Gloſſa *in l. liberta*. 35 .*ff. de operis libertor*. & Albericus *in rubrica eiuſdem tituli colum*. 2.

SVMMARIVM.

Senes ad teſtificandum cogi non poſſunt 1. *& quæ ſit ratio*. 3.

Senes cogi poſſunt ad teſtificandum, ſi pro ipſorum dictis notarius ad eorum habitationem mittatur. 2.

Vbi deficit probatio, vel ſub excommunicatione monitorij præcipitur manifeſtatio alicuius rei, etiam ſenes ad id tenentur. ibid.

Ætas refertur, quæ teſtem liberat ab obligatione eundi ad domum iudicis pro teſtimonio ferendo. 4.

In cauſa nobilitatis ad recipiendas depoſitiones ſenum ſcriba mittitur ad ipſorum domos ſumptibus partis. 5.

QVÆSTIO IIII.

Inuitus vt quis cogi non poſſit teſtimonium dicere?

SEnes ad teſtificandum cogi non poſſe Iuriſconſult. admonet *in l. inuiti. §. ff. de teſtibus*, decreuit Concilium Maticenſ. *in capit. ſi teſtes* 3. *§. item inuiti* 4. *quæſt*. 3. S. P. *in cap. ſi qui teſtium* 8. *de teſtibus*, & cauetur apud noſtros *l*. 35 .*tit*. 16. *part*. 3. probant vbique Gloſſa & Scribentes, Duaren. *titulo de teſtibus cap*. 2. Lucas de Pena *in l. Decurion*. 41 .*num*. 1. *C. de Decurion. lib*. 10. Marcellus Fortunatus 2. *part. de veritate & errore num*. 104. vbi de iure Canonico contrarium arbitratur; latiſſimè Proſper. Fari-

Farinac.plures referens *tractatu de teſtibus quæſt.*88. *cap.*2. *à num.*19. Donellus *commentar. iuris ciuilis lib.*24.*cap.*22. vbi explicat Oſualdus *litera H.* & ſentire videtur Cenedus *in collectaneis ad Decretales collectan.*133.*num.*1.*& in collectaneis ad Decretum in dict.cap. ſi teſtes*, Barboſa *num.*12. Ioan.Garſia *de nobilitate gloſ.*48.*n.*3.

2 Quod ita accipiendum eſt, vt compelli non poſſint pro teſtimonio dicendo forum, vel iudicis domum adire, non verò vt omninò à teſtificando excuſentur. Nam in ſuis habitationibus miſſo ad id notario, vel tabellione, à iudicibus teſtificari conſtringi tradit Petr.Foller.*in practic.crimin.verbo demum repetantur* 2.Florus Mauſon. *tit.*1.*de cauſis executiuis. limitat.*13.*num.*18. Tiraquel. *de iure primogen. in præfatione num.* 212. vbi & *num. ſequenti* prædictam concluſionem eo caſu limitat, quo alij reperiuntur teſtes, per quos fides haberi poſſit: cui accedit Garcia alios referens *dict.gloſ.*48.*numero* 5. ad finem. Si verò non adſint, tenebitur teſtimonium dicere, maximè ſi ad id excommunicatione alicuius monitorij conſtringatur, ſiquidem hoc caſu etiam teſtes priuilegiati, vt ſunt ſenes, tenentur crimen occultum, aut factum aliud detegere, adeundo iudicem, vt ſentit Diana *reſolut. moral. tractat.*5. *Miſcellan.reſolut.*63. & regulariter de iure Canonico vbi agitur de peccato, cogi poterũt, quamuis maioris ætatis fuerint, teſtimonium dicere, vt rectè notat Baptiſta de S.Blaſio *in rubrica Decreti num.*91. & Bertachinus *in repertor. verbo ſenes, verſic. Senex* 70.*ann.* Bertazol.*conſil.criminal.*136.*num.*3.Proſper. Farinac. *dict. tractat.*77.*num.*101. *& quæſt.*68.*num.*93. Proſper.Carauit.*in ritu* 155.*num.*2.Iulius Clarus *in practic. criminali, quæſt.*26.*num.*2. Peregrinus Fabius *in deciſio.nouiſ. Rom.*256.*num.*4.*lib.*1.*volum.*43. quos refert & ſequitur Camillus Borrellus *in ſumma deciſion. tit.*44.*num.*466. Stephan. Gratian. *diſceptat.forenſ. tom.* 5. *cap.*805.*num.*26. Emanuel Barboſa *in remiſſion.ad leg.Luſitaniæ lib.*3. *tit.*55.§.11. *num.*2.Caual.*reſolut.criminal. centur.*1.*caſu* 79.*num.*7.Garſia *de nobilitate dict.gloſ.*48.§.1.*num.*6. nouiſſimè literatiſſimus Perez de Lara *in compend. vitæ homin. cap.*31. *num.*31.Ioan.Aloiſi.Riccius *collectan. deciſio.*1862. licèt contrarium cenſuiſſe Rotam affirmet, quod etiam in criminalibus locum habere docet optimè Farinac. *d.quæſt.*77.*n.*101.& conducunt tradita à Hieron.Bucaro *mo de differentijs inter iudicia ciuilia & criminalia diff.*83.*à n.*1.& expreſſe probari videtur ex *dict.l.part.*finalibus verbis.

D.Didac.de Narbona.

Cuius priuilegij ratio non ea eſt, quàm primus excogitauit Odofredus *in d.l.inuiti, in principio, & num.*1.*verſic. Item fallit in ſentibus*, quem poſtmodum ſecutus eſt Beuſt. *in l.*15.*n.*12.*ff.de iure iurando*, ſcilicet propter reuerentiam, quia ſenectus veneranda eſt: ſed quam tradit elegantiſſimè Duarenus *in prioribus commentarijs ad titulum de iure iurando cap.*7.nempe propter neceſſitatem, ſiquidem ætatis diuturno morbo affecti ſenes in iudicium venire poſſe minimè præſumuntur: cui accedit Oſualdus *dict. lib.*24. *cap.*22.*litera H.*& Stephan.Gratian. *d. cap.* 805.*num.*26. 3

Vnde prouenit ſeptuaginta annorum ætatem in ſenibus neceſſariam requiri, vt hac immunitate teſtificandi in proprijs domibus fruantur, cùm ab ea quilibet valetudinarius, & morbo oppreſſus exiſtimetur, vt pluribus ſuo loco indicauimus. Quare hanc ætatem in propoſito definiunt Gloſ.*in dict.l. inuiti*, vbi etiam notat Odofred.*num.*1. Alberic.*n.*1.*verſic.Et qui dicantur ſenes*, Florian. *num.*4.Gloſ.*in dict.cap. ſi teſtes, dict.§.inuiti, verbo ſenes*, Bellamer.*in rubric.de teſtibus cogendis num.*2.Henric.Bohic *in cap.*1.*num.*1.*de teſtibus*, Azo *in ſumma rubrica de teſtibus n.*3.*verſic. Senes intellige*, Hoſtienſ. *in ſumma rubrica de teſtibus cogendis, §.qui teſtes cogendi, verſic. Intellige ſenes*, Abbas *in dict.cap. ſi qui teſtium num.*7. *verſic. Sed quia dicuntur ſenes*, vbi etiam Felinus *num.*7. Speculator *in titulo de teſte, §. de teſtium compulſione, in princip.* Alber.de Malet. *de teſtibus capit.*6. *num.* 1. Campegius *eodem tractatu regula* 156.*in princip.*Brunus *de indicijs tortur. p.*1.*quæſt.*16.*verſic Item ſenes*, Pract.Corradi *titulo de teſtibus num.*7. *verſic. Excuſantur tamen multi fol.*67.Maſcard.*de probat. lib.*1.*quæſt.*5.*num.*65.Igneus *in l.*3.§. *ignoſcitur num.* 13.*ff. ad Silanian.*Quibus relatis hanc ſententiam probat Farinac. *dict.quæſt.*78.*num.*60.Ioan.Garſia *de nobilitat. d. gloſ.*48.§.3.*num.*6. Stephan.Gratian. *diſceptat. forenſ. tom.*5. *cap.*805.*num.*26.*&* 27. Florian. Mauſonius *de cauſis executiuis lib.*1. *limitat.*17.*num.*18. Quamuis quinquageſimum & quintum, vel ſexageſimum ſat eſſe voluerint nonnulli à Garſia relati *à num.*3. & octoginta annorum ætatem neceſſariam duxerit Camillus Borrellus *vbi proximè n.*466. & iudicis arbitrio relinquendum eſſe quis hîc, & quæ ætate ſenex habeatur, ſenſerit Igneus *dict.loco num.*21.& ex Menochio affirmet Oſualdus *iam relato cap. litera H.* Sed vt rectè exiſtimat Garcia *vbi proximè*, hæc Menochij doctrina in illis dumtaxat ſenibus locum habebit, qui nondum ſeptuageſi-

geſimum annum egerunt. Nam in ſeptuagenarijs iudicis arbitrio opus non eſt, ex quo illa ætate vera ſenectus contingit, vt ſæpiùs repetitum extat, & confirmatur ſuperior reſolutio de iure noſtro patrio per *textum in l. 5. tit. 16. part. 5.* in poſterioribus editionibus, in quibus, vt teſtis eſt Ioan. Garſia *dict. num. 5. verſic. Alij verò in fine*, vbi antiquitus, *ſeſenta años*, hodie *ſetenta* legitur, neceſſarios eſſe ad prædictam teſtium immunitatem.

5 Vnde inferendum erit cum Ioanne Garſia *vbi proximè*, quòd licèt ex *l. 15. tit. 11. lib. 2. noſtræ recollectionis* teſtes in cauſa nobilitatis ad iudices perduci debeant, vt ibi teſtimonium dicant: hoc tamen in illis teſtibus fallit, qui adeo ſunt in ſenectutē prolapſi, vt ſeptuageſimum annum attigerint, qui à moleſtia itineris propter ſenectutem excuſantur: vnde praxis obtinuit, vt tali excuſatione in iudicio propoſita & admiſſa, ſcriba, quem vulgò *receptor* nuncupamus, ad eorum depoſitiones recipiendas ſumptibus rei in locum vniuſcuiuſque mittatur.

SVMMARIVM.

Septuagenarius torqueri non debet, ex communi ſententia. 1. & 5.
Octuagenarius ſolummodò hoc priuilegio potiri debere magis probatur. 2. & ſeq.
Senes octuagenarij inſtar puerorum ſunt. 4.
Septuagenarij an terreri, aut leui tortura affici poſſint? 6.
Senes timidi ſunt, & tonitrua & coruſcationes maximè exhorreſcunt. ibid.
Si periculum ſit in tortura, à quinquageſimo anno nullus torqueri valet. 6.
Sexagenarij mitiùs ſunt torquendi. 7.
Confeſſio à ſeptuagenario metu tormentorum elicita adeò eſt nulla, vt ex ea puniri minimè valeat. 8.

QVÆSTIO V.

Cuius ætatis ſenex quæſtioni, aut torturæ nequeat ſubijci?

1 Communis noſtrorum aſſenſus ſeptuagenariū hoc priuilegio dignum arbitratur, vt cum alijs profitentur Ioannes Andreas & Abbas *in capit. cum in contemplatione, de regulis iuris*, Aretin. *de malef. verbò, quòd fama publica præcedente num. 102. quæſt. 6. ad medium, verſic. Item decrepitus*, Bertazol. *conſil. criminal. 102. num. 4. lib. 1.* Ex quibus & alijs tradit latiſſimè Proſper. Farinac. *tom. 2. praxis criminal. quæſtione 41. numero 25. & 26.* Caldas Pereira *in l. ſi curatorem, verbo vel aduerſarij dolo num. 54.* Stephanus Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 2. cap. 328. num. 8. & 9.* & expreſſiùs *tom. 5. cap. 805. numero 36.* & poſt eum Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap. 31. num. 67.* Queuedo *de indicijs ad torturam part. 2. cap. 12. num. 11.* vbi inquit, ſenem ſeptuaginta annorum, aut ſexaginta, ſi ſit infirmæ ſalutis, non eſſe torquendum: etſi non defuerint qui abſolutè defenderint, ſexagenariam ætatem omnino excuſare à tortura, vt Villadiego *in Politica c. 3. num. 322. & 323.* Villagut. *in practic. criminal. lib. 7. cap. 4. concl. 4.*

Sed mihi non libet communi accedere, ſi ſummum ius ſpectandum eſt, cùm probabilius ſemper crediderim, octuagenarios ſolummodò ea ſenectute exiſtere, quam tanto priuilegio neceſſariam leges expoſtulant. Nec ſine ratione quidem, defectæ enim ætatis hominibus hac in re eſſe ignoſcendum, inquit Conſultus *in l. 3. §. ignoſcitur, ff. ad Senatuſconſultum Silanian.* ætate igitur defectos, decrepitos, & octuagenarios accipimus ſuprà *hoc eodem anno*: ergo illam pertingant ætatem neceſſarium erit, qui tanquam ſenes & defectæ ætatis à tormentorum moleſtia eximi præoptant. 2

Quam ſententiam tacitè indicaſſe videntur Guid. de Suza *tractat. de tormentis, verſ. Item ætati decrepitæ*, Thomas Grammat. *deciſ. 34. num. 5.* Ægid. Boſſius *in practic. criminal. titul. de tortura num. 19. & 20.* & quidem cum Proſpero Farinacio omnes ab ipſo relati *ſupra num. 24. & 25.* quibus accedit nouiſſimè Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. quæſt. 18. num. 68.* dum pro regula conſtituunt, ſolam decrepitam ætatem, quam octuageſimo anno incipere iam diximus, à tormentis & cruciatibus immunem eſſe. 3

Indeque hoc apertiùs conuincitur, nam eadem imbecillitatis ratione, qua pueri à tortura excuſantur, *l. 1. §. impubes, ff. ad Silanian.* liberantur etiam & ſenes, vt patet ex eodem §. ibi: *Ætas enim excuſationem meretur*, qua generalitate notat Gloſſa tam impuberes, quàm maiores fuiſſe comprehēſos. At verò ſenes non debilitantur inſtar puerorum, niſi prædicta octoginta annorum ætate, qua repueraſcere, & puerorum priuilegijs potiri obſeruauimus *hoc ipſo anno*, vbi reſtitutionis beneficium ideo illis competere ſcripſimus. Igitur vt communem hanc excuſatio- 4

ſationem cum pueris habeant, octuagenarij eſſe debebunt.

5 Sed cùm benè verum ſit, iam ferè omnes propter naturæ imbecillitatem adeò citiùs ſeneſcere, vt ſeptuageſimo anno ad extremam ſenectam perueniſſe videantur, maximè his temporibus, quibus ob defeſſas naturæ vires pauci ſeptuageſimum annum attingunt, vt cum Ioanne Frederico Lumnio *tractatu de vicinitate iudicij, & conſummationis ſæculi lib.2. cap.19. pag.228.* & alijs ſupra notauimus, licèt attenta ſtricta iuris diſpoſitione, propter rationes ſuprà propoſitas ſolos octuagenarios eiuſmodi priuilegio inſigniri certiùs crediderim: tamen cùm hoc eo Iuriſconſultorum tempore fuiſſet inductum, quo frequenter homines diutiùs viuebant; à communi, & praxi recepta opinione non eſſe diſcedendum conſtituo, quæ habet nullum ſeptuagenarium, ideoque nec ſexagenarium torqueri, etſi terreri, aut leui

6 tormento vexari poſſe pluribus contendat Farinac. *dict. quæſt.41. num.29.* Caualcan. *de brach. Regio part.3. num.126. verſic. Eſt tamen* Guazzinus *tom.2. lib.1. defenſ.30. cap.12. num.3.* & alij, quibus accedit Antonin. Diana *reſolut. moral. part.4. tract.6. de tortura in S. Officio reſolut.29. verſ. Nota etiã;* à quo cum Bertazolo *ſupra* diſſentit Stephanus Gratian. *dict. cap.805. num.37.* Torreblanca *lib.3. de Magia cap.18. num.18.* & Velaſcus multos referens *de priuilegijs miſerabil. perſonar. quæſt.18. num.71.* & quidem non ſine ratione, quamuis non exprimant, nam eiuſmodi ſenectutis valdè ſunt timidi, vnde inquit P. Sà *in Eccleſiaſt. cap.12. verſic.5.* quòd etiam validi timent in ſenecta: vbi & Titelmannus notat, adeò pauidos eſſe ſenes, vt leuiſſimo auditorumuſculo, mox ſurſum reſpiciant, quaſi quippiam eis immineat mali: territamenta verò, quæ de cœlo veniant, vt coruſcationes, ac tonitrua maiorem in modum exhorreſcere: debilitata præterea eorundem imaginatione fieri, vt crebrò putent, timeantve deſuper ingruentia mala, quæ nulla ſunt. Quibus conſentit *eodem loco* Lorinus. Ergo rationi congruum videtur, vt nec ferula ſeptuagenarij cædantur, ne timore perculſi aliquando falſis conſentiant, vera diffiteantur.

Nec tamen, quia ſolis ſeptuagenarijs, ſaltim hodie, hanc immunitatem indulgemus, reliquos ſenes indiſtinctè quæſtionem & torturam pati debere fatemur. Nam quicumque à quinquageſimo anno ad ſeptuageſimũ ita debiles, & attriti inueniantur, vt ſine mortis periculo quæſtionem ſubire, nequeant, torquendi non erunt, vt tenent expreſsè adducti à Farinacio, quibus ipſe ſubſcribit *num.27.* ſubiungens *num.28.* hoc caſu iudicem arbitrari debere, num quinquagenarius, aut ſexagenarius ita robuſtus, aut inualidus exiſtat, vt torqueri debeat, vel non, hancque eſſe veritatem, quam à bonis iudicibus ſemper praxi approbatam obſeruauit; cum Ioſeph. Ludouico, Baiardo, Menochio & alijs, quos ibi enumerat, quibus ſubſcribunt relati & ſecuti à Eymerico Rosbach. *in practic. criminal. tit.5. cap.21. num.12.* Sebaſtianus Guazzinus *vbi ſupra*, & Antonin. Diana *dicto loco.*

Itaque ſubaudiendi erunt idem Ioſephus Ludouicus *deciſ.13. num.58.* & Cardin. Tuſchus *practicar. concluſ. litera S. concluſ.102. num.7.* dum proferunt torqueri non poſſe ſenem decrepitum, qui excedit ſexaginta annos, niſi eſſet robuſtus, quia tunc torquetur ſecundum qualitatem, videlicet, leuiùs, maximè in criminibus exceptis, vt hæreſis, læſæ Maieſtatis, falſi, incantationis, maleficij, aſſaſſinij, & ſimoniæ ſecundùm aliquos: itemque alijs in caſibus, quorum meminit Farinacius *dict. quæſt.41. num.100.* qui & numeris ſequentibus adeò exactè, & dilucidè omnia huc ſpectantia more ſuo diſcutit, vt infructuoſum, imò & crimen eſſet ab eo rectè cõcinnata, ſine aliquo, aut melioris doctrinę, aut maioris vtilitatis fœnore in noſtra ſcripta transferre: quocirca illud tantùm colophonis loco addendum duximus, nempe ita verum eſſe præfatos ſenes tormentis non debere cruciari; quòd ſi fortè aculeo ſubijciantur, & præ dolore delictum, de quo fuerint accuſati, aut quid aliud cõfiteantur, ex tali cõfeſſione velut inualida nec teneri, aut puniri poterunt, vti ex Bertazol. & Marſilio notant Stephan. Gratian. *dict. cap.108. num.38.* & Torreblanca alios referens *vbi proximè n.14.* etiamſi eam ratificauerit, vt relati à Velaſco obſeruant *de priuilegijs miſerabil. q.18. num.67.* 7 8

SVMMARIVM.

Qui in iuuentute vouit, in ſenectute votum adimplere non tenetur, ſi viribus ad ipſius implementum neceſſarijs deſtituatur. 1.

Ampliatur ſuperior reſolutio etiam ad caſum vbi deſidia, & negligentia vouentis non fuit votum impletum. 2.

Ex præcedenti voto nemo tenetur ad religionem in ſenectute, licèt in ea ætate eum Monachi recipere velint. 3.

Septuageſimus annus ætatis liberationem affert ab obligatione voti perſonalis. ibid.

Qui

Qui annum ſeptuageſimum exceſſit, non tenetur iuramentum de re aliqua perſonali obſeruare. 4.
Votum & iuramentum æquiparantur. ibid.

QVÆSTIO VI.

An aliqua ſenectus vouentem, vel iurantem eximat ab obligatione ingrediendi religionem?

1 QVoad primam ergo huius quæſtionis partem affirmatiuè reſpōdet Anton. de Butrio *in cap. magnæ 7. num. 8. de voto*, Ludou. Lopez 1. *part. inſtructor. capit.* 44. *colum.* 1. *verſic. Sed de illo*, P. Suarius *de religion. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 14. *ad finem*, vbi referunt Victoriam ita ſentire doctiſſimus P. Thomas Sanchez *in ſumma lib.* 4. *c.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 30. qui omnes aſſerunt, eum qui adoleſcētiæ tempore vouit religionem, nunc autem eſt ita ſenex, vt viribus ad religionis onera ſubeunda deſtitutus ſit, eſſe à voti obligatione liberum, quia eſt notabilis mutatio rei reſpectu huius. Cui opinioni ſatis conuenire videtur quod ſcribit Sotus *lib.* 1. *de iuſtitia quæſt.* 7. *art.* 3. *colum.* 6. *verſic. At verò*, videlicet, vt ſi poſtquam votum Hieroſolymitanæ peregrinationis, aut etiam religionis fuit emiſſum, accidit morbus, aut debilitas, quæ impedimento ſit, iuris præſumptione ſolutum votum cenſeri. Quod in eo qui cùm ieiunare vouiſſet, ægrotauit, reſoluit Suarius *vbi proximè num.* 15. idque in propoſito de ſene loquens indicare videtur S. P. *in cap. magnæ* 7. *de voto*, ibi: *Verùm ætatis vitæ ſeneſcentis defectus, atque canities, quæ vix labores, & dolores ſuos tolerare poſſunt, in contrarium allegabatur, &c.*

2 Quod etiam verum eſſe cenſet Sancius *d. loco*, quamuis nulla iuſta cauſa, ſed deſidia, vel alia iniqua ratione aptiori ætate, vtputa iuuenilibus annis votum adimplere contempſerit. Quia vt inquit egregiè P. Suarius *d. c.* 19. *num.* 4. in hac materia culpa præcedens non relinquit obligationem faciendi recompenſationem, ſed tantùm pœnitentiam, & poſteà non excuſat culpa præcedens, ſed impotentia præſens.

3 Maior enim difficultas circa reſolutionem ſecundæ partis huius quæſtionis verſatur. Nam licèt inter Autores conueniat ſenectutem legitimum eſſe impedimentum, quo exiſtente nullus ex præcedenti voto tenetur ad ingreſſum religionis, etſi illa ætate eum monachi recipere velint, vt ſingulariter *dict. num.* 30. ad finem obſeruauit Sancius: attamen qua ætate ſenectus huiuſmodi excuſationem afferat, nemo eſt qui diſſerat: & quamuis hoc prudentis arbitrio relinquendum eſſe videatur, vt ipſe inſpectis circunſtantijs, tam vouentis, quàm religionis, in qua virtute promiſſionis neceſſariò ingredi tenebatur, iudicaret, an potens eſſet ad onera illius ſupportanda: nihilominus re in abſtracto, & vt in plurimum conſiderata, ſeptuageſimum annum exiſtimo vouentem liberum ab ingreſſu religionis efficere, ſiquidem ſenectus dumtaxat, quatenus eſt morbus, vt inquit Cicero *in Oratore*, & nos alibi dicemus, habet vim liberandi à prædicta obligatione, quod omnes ſuprâſcripti Doctores fatentur: ergo cùm ſeptuagenaria ætas illa ſit, quæ infirma appellatur, quia illius ætatis homines aſſiduâ infirmitate vexari incipiunt, aſſerente Alciato *tract. de præſumption. regula* 1. *præſumption. vltim. num.* 4. *verſ. Poteſt dicere*, quem ſequitur Menochius *eodem tractat. lib.* 6. *præſumpt.* 46. *num.* 8. & alij, quorum ſuo loco meminimus, probarique di lucidè videtur ex illo Pſalm. 89. *verſic.* 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus, octoginta anni & amplius eorum labor & dolor*, vbi ad rem noſtram aptiſſimè transſcribit Vatablus *Dies autem noſtrorum, quibus viuimus, anni ſunt ſeptuaginta, aut ad ſummum octoginta, iam præſtantiſſimum horum labor eſt, & moleſtia*, citra dubium huius quidem ætatis ſenectus neceſſaria erit, vt anteâ emiſſum religionis votum exequi non debeat.

Quod etiam fore obſeruandum & in iurante religionis ingreſſum, vel quid ſimile, cui grauis ſenectus impedimento eſſe poſſit, quominus effectum ſortiatur, ſuaderi mihi videtur non ſolùm ex eo, quod iuramentum voto æquiparatur, vt poſt Gloſſ. *in cap. quanto de iureiurando* reſoluit Hippolyt. Riminald, *in cap. quæ in Eccleſiar. num.* 160. *de conſtitutio.* ſed etiam argumento *capit.* 1. *de pace tenenda inter ſubditos, in vſibus feudor.* vbi iuramentum de pace tenenda & vindicanda, ſolummodò vſque ad prædictam ætatem ſeptuaginta annorum producitur: & confirmatur *titulo de pace conſtantiæ, cap. in cauſis, §. vaſſalli noſtri*, vbi idem cauetur. 4

SVMMARIVM.

OMnibus pauperibus eſſe eleemoſynam impartiendam, quomodo accipiatur? 1.

Vbi

Vbi omnibus pauperibus ſubuenire non poſſumus, ordinem dilectionis in erogandis eleemoſynis ſeruare debemus. ibid.

Priùs ſenibus quàm iunioribus debet eleemoſyna præſtari. 2.

Senes nullo artificio vti poſſunt. 3.

Septuagenarius in eleemoſynis debet præferri. 4.

Senior quis dicatur. 5.

Senibus decurionibus ſunt alimenta de publico ſubminiſtranda. ibid.

Fœminæ an quinquagenariæ, vel ſexagenariæ eſſe debeant, vt debeant alijs in eleemoſynis præferri. 6.

Sexagenariæ in primitiua Eccleſia alebantur ex ipſius redditibus. 7.

QVÆSTIO VII.

Senex cuius ætatis eſſe debeat, vt ipſi potiùs quàm iuueni eleemoſyna largiatur?

1 ILlud quod nonnulli affirmant,
ſcilicet eleemoſynam omnibus
pauperibus eſſe elargiendam
indifferenter, nulla perſonarum
habita diſtinctione, ex ſententia D. Chryſoſtomi
in c. quieſcamus 2. 42. *diſt.* eo pacto intelligendum
eſſe admonet Cenedus *in collectan.*
36. *ad Decretū n.* 2. ſi eleemoſyna ita copioſa
eſt, vt vniuerſis ſufficiat. Nam ſi tanta ſit
multitudo egentium, vt ſuperet eleemoſynæ
quantitatem; tunc ordo charitatis in diſtributione
erit ſeruandus: ita vt illos in eleemoſyna
conferenda præferamus, quos magis ex
charitate debemus diligere. Sic Ioa. Medina
C. de eleemoſyna, e de his quibus eſt danda eleemoſyna,
2 *& quo ordine fol.* 157. Hunrada *in l.*
4. *tit.* 20. *p.* 2. *gloſ.* 6. *n.* 1. & inter eos ſenes
iunioribus, vt inquit D. Ambroſius *in c. conſideranda.*
17. 86. *diſt. conſideranda eſt*, profert,
*etiam in largiendo ætas atque debilitas, &c.
vt ſenibus plus largiaris, qui ſibi labore iam
non queunt victum quærere*, & refertur *in l.*
7. *tit.* 23. *p.* 1. ibi: *La ſetena coſa es, que deue
parar mientes de que edad es el que pide la limoſna,
que ante deue dar à los viejos que lo nõ
pueden ganar, que à los mancebos*: idem obſeruat
Archidiaconus *in c. Domino Sancto.* 50.
diſt. & in c. tanta. 24. 86. *diſt.* Iacob. Beilet.
in c. ordinationem in authent. de monachis. Lucas
de Pena *in l. vlt. in fine, C. de tironib. lib.*
12. Cæpola *in 5. priuilegio antiquit.* Didac.
Perez *in l.* 4. *gloſ.* 2. *col.* 2. *in fin. lib.* 4. *Ordinam.*
Tiraquel. *de nobilitat. c.* 20. *n.* 154. *& de
primogen. in præfatione n.* 147. Mar. Giurba
in conſuetud. Meſſanenſ. *gloſ.* 14. *c.* 2. *num.* 5.
verſic. Quare eleemoſyna, quibus nouiſſimè
accedit Roderic. Acunha *in dict. cap. conſideranda
num.* 2. & Velaſcus *de priuileg. miſerabil.
quæſt.* 18. *num.* 52.

Et ratio eſt, quia licèt reſpectu facultatum 3
æqualis iuuenis & ſenis indigentia poſſit cõſiderari,
tamẽ ex eo maior ſemper, & vrgentior
paupertas ſenis reputatur, quia ob ętatis
ingraueſcentiam, & defectum nullo ipſius labore,
artificio, vel induſtria poteſt ſubleuari,
vt docet D. Ambroſ. *in d. cap. conſideranda*, &
Legislator noſter *in d. l.* 7. vnde meritò inquit
Acunha *in c.* 1. *n.* 4. 82. *diſt.* pauperem
ſenem, debilem, & infirmum extremè indigere,
ac per conſequens diuites ex præcepto
teneri per liberalem donationem ipſi neceſſaria
ſubminiſtrare.

Ergo hinc rectè deducitur, non omnem, & 4
quemcuinque ſenem in eleemoſynis iuueni
eſſe neceſſariò præponendum, ſed illum dumtaxat,
qui adeò annorum pondere infirmatur,
vt vix proprio quærendo victui labore,
aut miniſterio ſufficiat, veluti ſeptuagenariũ,
quem iuris cenſura debilem, & infirmum eſſe
citra controuerſiam teſtantur Abbas *in cap.
quoniam frequenter* 5. *n.* 18. *vt lite non conteſtata*,
Alciat. *tractat. de præſumption. regul.*
1. *præſumpt. vlt.* Menoch. *eodem tractat. lib.*
6. *præſumpt.* 46. *num.* 21. & alij, quorum ſuprà
propria inſpectione meminimus.

Pro qua ſententia induci poteſt quod in 5
diuerſa ſpecie ſcripſit Conſult. *in l. non aliter*
59. *ff. de legat.* 3. videlicet exiſtimari poſſe
iuuenem eũ, qui adoleſcẽtis exceſſit ętatem,
quoad incipiat inter ſeniores numerari, ideſt
inter ſeptuagenarios, ſi fides adhibenda eſt
Accurſio *ibidem*, qui ſeniores eo loco huius
ætatis homines interpretatur, ſed perperam,
vt alibi cum Paulo Zachia notauimus, *quæſtionum
Med. colegalium tom.* 1. *tit.* 1. *q.* 7. *n.*
23. Fauet tamen noſtræ opinioni prædictæ
legis definitio, dum eos omnes iuuenes habendos
eſſe docuit, qui ſeniores non ſunt, vt
etiam aduertit Zachias *dict. tit.* 1. *quæſt.* 9. *n.*
34. etiamſi ſenes fuerint, & quinquageſimum
annum exceſſerint, quem ſenectutis eſſe initium
iam planè oſtendimus: ergo ſimiliter in
noſtro caſu, licèt quis prouectæ fuerit ætatis,
non ideò ſenex reputari debebit ad hoc
vt in eleemoſyna iuuenibus præferatur, cùm
adhuc & ipſe quoad hũc effectum iuuenis ſit,
donec incipiat inter ſeniores reputari, qui in
propoſito ſeptuagenarij intelligũtur, vt propè
notauimus: de quibus ſubaudiendam eſſe
cenſeo doctrinã, quã ex Auend. *de exequẽdis
man-*

*mandat.lib.2.cap.*10.*n.*10. refert P.Thom. Sanchez *lib.*1. *conſil. cap.*6.*dubio* 8. *num.*6. videlicet,quòd ſenio cōfectis Decurionibus, & indigentibus ſunt illis alimenta,vt viuant, de publicis bonis danda, argumento *l. Decurionibus* 8.*ff. de Decurionib.* licèt *ibidem* aſſerat Auendaños numquam audiſſe hoc praxi receptum eſſe.

Hinc eſt fœminas,quibus citiùs quàm viris ſenectus naturaliter contingit,iam quinquagenarias iunioribus alijs eſſe in eleemoſyni; etiam præponendas,vtpote quæ minimè aptæ dici poſſunt ad quærendum victum, vt obſeruat Stephan.Gratian. *diſceptat. forenſ.cap.*120.*num.*14. etſi ſecurius crediderim ſexagenarias tantundem hoc priuilegio potiri debere,ex quo ſexaginta annorum ſenectus in fœminis regulariter ſenectuti ſeptuaginta annorum correſpondeat, quàm viris neceſſariam ad id præſcripſimus,nō enim vltra decennium mulieres præſeneſcunt,veluti ſæpiùs tam *hoc anno*, quàm duobus præcedentibus multorum teſtimonijs roborauimus.Vnde cùm viduæ pauperes ab Eccleſia in primæuo ſtatu ipſius eleemoſynæ cauſa alerentur,non minores ſexaginta annorum eligebantur, iuxta illud Pauli 1.*ad Timoth.*5. *Vidua eligatur, non minor ſexaginta annorum*,refertur *in cap.quomodo* 10.31.*quæſt.*1. tradunt Medina *de ſacror.homin.continentia lib.*4.*controuerſ.*6. *cap.*9.*pagina mibi* 323. Clemens Romanus *conſtitut.Apoſtolicar.lib.*3.*cap.*1.vbi etiam Franciſc.Turrian. notat, Simon Maiolus *de irregularit.lib.*1.*cap.*29. *num.*14.Ludouic.de la Cerda *in Tertullian. lib.*16.*cap.*9.*num.*145. & conducit elegans D.Hieronymi locus *epiſtol.ad Saluinam*, vbi de his ſexagenarijs viduis loquens,ſic ait:*Sed quia rudem Chriſti inſtituebat Eccleſiam*, Apoſtolus nempe, *& omni ordini prouidebat, præcipuè pauperibus,quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata, illas vult Eccleſiæ opibus ſuſtentari, quæ proprijs manibus non queunt laborare, quæ verè viduæ ſunt, quas & ætas probat & vita*,& *in epiſtol.ad Gerontiam* illud eiuſdem Apoſtoli:*Honora viduas, quæ verè viduæ ſunt*,ita explicat: *Quæ omni ſuorum auxilio deſtitutæ, quæ manibus ſuis laborare non poſſunt, quas paupertas debilitas,ætaſque conficit*,ideſt,vt eleganter ſubijcit Cerda *vbi ſuprà*,quæ verè ſunt miſeræ, & omni ope viduatæ:iſtæ ergo,quia vt plurimū ſexaginta annorum,alendæ Eccleſiæ ſumptibus, ſiue eleemoſynis, vt noſtra fert opinio.

SVMMARIVM.

*Valdè ſenibus priuilegium variationis fori concedi, ab omnibus traditur.*1.

*Senes inter miſerabiles perſonas enumerantur.*2.

*Hac de re nullam eſſe certam ætatem, ſed ex arbitrio ius dicentis omnino pendere, qui putent?*3.

*Septuagenarios priuilegium fori habere defenditur.*4.

*Qui cauſis ſuis ſupereſſe non valent, inter miſerabiles computantur.*5.

*Decrepitudo quando incipiat?*6.

*Fœmina, quæ ſexageſimum annum exceſſit, hoc priuilegio vtitur.*7.

*An in fœminis citra ſenilem ætatem ad fori electionem requiratur vita honeſtas?*8.

QVÆSTIO VIII.

Senex quis eſſe debeat quoad fori electionem?

AFfectæ ætatis homines, & in ſenectutem delapſos electionis fori priuilegio potiri notius eſt quàm vt debeat confirmari, maximè cùm ſummæ autoritatis Interpretes id aſſerant,inter quos nec inferiorem locum obtinent Matthæus de Afflictis *deciſ.Neapolitan.*257. *num.*1. Roland.à Valle *conſil.*76. *num.*44.*volum.*1.Cherub.*in compendio Bullæ conſtitut.*90. *Pij IV. ſcholio* 2.Petr. Rebuffus *ad Conſtitutiones Regias titulo de ſententijs proviſionalib.art.*3.*gloſ.fin.num.*11. *verſic.Decimò ſenes*,Iacob.Menoch.*de arbitrar.caſu* 66.*num.*26.Francus *deciſ.*68. Didac.Perez *lib.*3.*Ordinament.tit.*3.*l.*1.*verſ. Itē etiam ſenio confecti*, Franc.Viuius *deciſ.*65.*num.*4.Camil.Borrel.*in ſumma deciſ.tit.*56.*num.*24. tradit latè Ioannes Maria Nouarius *in praxi electionis & variationis fori quæſt.*18.*per totam*.Franciſcus Carraſco *tract.de caſibus curiæ,tractat.*1.*num.*58. Alphonſ.de Lara *in compendio vitæ homin.cap.*21.*num.*98.& Riccius *collectan.*1623.Carleual.*de iudicijs lib.*1.*tit.*3.*diſputat.*2.*num.*560.

2 Qui omnes proferunt ſenes ideò fori electione vti poſſe,quia intèr miſerabiles perſonas enumerantur, de quibus *in l.vnic. C. quando Imperator inter pupillum,& viduam:* ſic

ſic enim ſenem appellauit Horatius *in Arte Poetica.*

Multa ſenem, inquit, *circumueniunt incommoda,*
Vel quod quærit, & inuentis miſer abſtinet.

Et Iuuenal. *Satir.* 10.

Frangendus miſero gingiua panis inermi.

Quibus ſuccinit Cornel. Gallus, vbi ſenectuti alloquens;

Tunc ſola ait, *tibi ſubdis miſeranda ſenectus.*

Quod expreſsè etiam probant Innocent. Ioan. Andr. Anton. de Butrio *in c. ſignificantibus de officio delegat.* Azo *in ſumma c. quan. Imperator. &c.* Ancharran. *conſ.* 279. Pariſius *conſ.* 29. *n.* 68. *lib.* 2. Neuizan. *lib.* 2. *ſyluæ nuptial. n.* 4. Alex. Trentacinq. *variar. reſol. lib.* 2. *tit. de citationib. reſolut.* 2. *n.* 31. Emanuel Bathoſa *in remiſſionibus ad leg. Luſitaniæ lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 18. nouiſſimè Velaſcus *de priuileg. pauper. in præfat. n.* 9. Alphonſ. de Lara *vbi ſuprà c.* 31. *n.* 56. & Carleual. *d. loco*, anteà Francus *d. deciſ.* 608. vbi hanc limitat concluſionem in illo ſene, qui ſapiens & induſtrius agnoſcitur, quem ſequitur etiam Nouarius *vbi ſuprà num.* 4.

3 Qui quidem *diſp.* 19. *ſeqq.* poſt lõgam diſquiſitionẽ *n.* 5. reſoluit, ſenem quoad effectũ habendi electionem fori, nullam certam ætatem legibus eſſe præſcriptam, quare iudicis arbitrio relinquendum putat, quot annorum ſenes fori priuilegio potiri debeant. Vide Borrellum *loco vbi ſuprà.*

4 Attamen in hac difficultate exiſtimo ſeptuagenarios neceſſariò ſenes eſſe debere, vt fori variationem, ſeu electionem nanciſcantur, quod mihi ea ratione probatur, qua procul dubio Interpretes ducti, ſenibus huiuſmodi priuilegium competiturum decreuerunt, nempe quia ob ſenectutis moleſtiam, & labores, quibus aſſiduè vexantur, perpetuo morbo laborare creduntur, vti in expreſſo docet Rebuffus, Viuius, & Nouarius, omnes *vbi ſuprà.* Quæ præſumptio cùm in his tantùm locum habeat, qui ſeptuageſimum annum fuerunt egreſſi, vt fuſiùs propria diſputatione apparuit, & expreſsè ex Pariſio, Ojeda, & alijs docet Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 5. *cap.* 805. *n.* 11. iſtius ætatis dumtaxat ad huiuſmodi priuilegium eſſe admittendos ipſa ratio conuincit.

5 Deinde quia illi ad effectum, de quo quærimus, miſerabiles perſonæ dicuntur, qui proprias cauſas pertractare non valent, *text. in c.* 1. ibi: *Aut pro miſerabilibus perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, depoſtulando*: qua ratione pupilli miſerabiliũ nomine & priuilegijs fruuntur, vt placuit Ro- *D. Didac. de Narbona.* lando à Valle *d. conſ.* 76. *n.* 47. ergo cùm ſeptuagenarij, non ſolum ex cauſa imbecillitatis, imò & grauiſſimæ decrepitudinis, qua ferè ſemper illa ætate fatuari, & ineptire ſolent, minimè rerum ſuarum adminiſtrationi ſufficiant, hac ætate duntaxat fori priuilegio locus eſſe debet.

Et tandem hanc ætatem neceſſariam eſſe tacitè ſubindicaſſe videntur ſuprà ſcripti omnes, ex quo vnanimiter fatentur hoc priuilegium ſenibus tantùm decrepitis indulgeri: vnde cùm decrepitudo in ſenibus ſeptuageſimo anno incipiat, vt ex Genebrardi ſententia *Pſalm.* 89. *num.* 12. *fol.* 570. optimè docet Stephan. Gratian. *d. c.* 805. *n.* 43. illos præciſè noſtræ ſententię adhærere credendum eſt. 6

Vnde conſtat, idem de fœminis dici debere, quæ ſexageſimum annum excedunt, cùm ea ætate non minori ſenectute afficiantur quàm viri ſeptuagenarij, quamuis aſſerat Couarru. *practicar. quæſtion. cap.* 7. *n.* 2. *verſic. Cæterùm*, in Granatenſi Prætorio fuiſſe pronuntiatum honeſtam fœminam maiorem quinquagenaria hoc priuilegio potituram. 7

Nec obſtat quod idem Couarruuias *ibidẽ* exiſtimat, & refert Thomas Sanchez *lib.* 6. *conſil. moral. c.* 9. *dub.* 2. *n.* 6. ſcilicet non ſufficere ſolam ingraueſcentem ætatem, vt fœmina, vidua, & miſerabilis perſona ad effectũ, de quo agimus, intelligatur, ſed amplius requiri; quòd ſit honeſta, & à iuuentute vitam cœlibem caſtiſſimè duxerit, ſiquidem cùm ſola ſenectus abſque alijs adminiculis viris proficiat, vt hoc fori priuilegio potiãtur, iuxta ſuperiùs dicta, perperam & abſque ratione in fœminis aliud exigitur, in quibus miſerationis maior ratio cognoſcitur: ideò inquit Euripides *in Hercule furente*, mulieres quodammodò eſſe maſculis miſerabiliores, cui etiam ex noſtris conſentiunt Baldus *conſil.* 96. *factum tale eſt*, Carolus *lib.* 2. & Tiraquel. *in l.* 2. *connub. gloſ.* 1. *n.* 75. *in fine.* 8

SVMMARIVM.

Vtriuſque conſenſus deſideratur, vt vir vel vxor poſſit altero in ſæculo manente religionem ingredi, niſi adeò ſit ſenex qui remanet, vt nullo incontinentiæ periculo laboret. 1.

Adoleſcentes difficulter carnis ſufferunt titillationes. 2.

Senectus libidinem comprimit. ibid.

Miraculum eſt ſuadere puellam vt virgo maneat, & adoleſcentem, vt continentiam ſeruet. ibid.

Iuuenis caſtus martyr dicitur. ibid.

Ætas præſcribitur in coniuge, vt altero religio-

gionem ingrediente, poſſit in ſæculo permanere ſolo voto caſtitatis emiſſo. 3. & ſequentibus.

Septuageſimo anno maſculi, & ſexageſimo fœminæ ſemine abundant. 4.

Deficiente ſemine etiam libido deficit. ibid.

Opiniones P. Sanchez & Soti *reijciuntur. 4. & ſeqq.*

P. Baſilius *etiam reprobatur. 7.*

Fœmina ſexagenaria dicitur ſenex ad effectum huius quæſtionis. 8.

Sexagenaria ſeminis profluuio omnino caret. ibid.

Vir fœmina eſt calidior. 9.

Vir maioris vitæ & luxuriæ eſt quàm fœmina. ibid.

Qui ad ſenectutem virgines peruenerunt, ſecuri de virginitate eſſe poſſunt. 10.

Fœminæ, quæ inhoneſtè viuendo ad ſenectutem peruenerunt, licèt tunc honeſtæ appareant, honeſtarum mulierum priuilegio non potiuntur. ibid.

Ægritudo pariter ac ſenium ſterilitatem inducit. 11.

Diuturna infirmitate laborans in ſæculo poteſt ante prædictam ætatem remanere, altero coniuge in ſæculo manente. ibid.

Sexagenaria ſolo voto caſtitatis poteſt in ſæculo manere, ſi maritus ordines ſuſceperit. 12.

Vxor illius, qui Epiſcopus vel Cardinalis creatur, an ſi fuerit ſexagenaria, teneatur religionem ingredi? 13.

QVÆSTIO IX.

Cuius ætatis coniux eſſe debeat, vt continens præſumatur, & alter ingredi religionem, vel ad ſacros ordines aſſumi poſſit, ea in ſæculo manente?

1 CONſenſus quamuis liber & ſpontaneus coniugis in ſæculo manẽtis ſufficiens non eſt, vt alter licitè ac rectè religionem ingrediatur, ſed vtriuſque cõuerſio, & ingreſſus neceſſariò exigitur, niſi remanẽs in ſæculo adeò ſit ſenectute affectus, vt citra incontinentiæ ſuſpicionem ſolo caſtitatis voto emiſſo poſſit in ſæculo remanere. Hæc cõcluſio expreſsè deducitur ex *cap. cùm ſis* 4. *cap. vxoratus* 8. *cap. ad Apoſtolicam.* 13. *cap. ſignificauit.* 18. *de conuerſione coniugatorum,* & apud noſtros ex *l.* 38. *in fine, tit. 6. part.* 1. vbi notat Gloſſa, illamque comprobant D. Thom. *in 4. diſt. 37. q. 1. art. 2. in reſponſione ad* 2. vbi cõmuniter Theologi, Syluester *in ſumma verbo matrimonium* 8. *n.* 12. *verſic. Aut ſeptimo conſentit,* Henriquez *in ſumma lib.* 12. *c.* 5. *n.* 10. Godofred. *in ſumma tit. de conuerſione coniugator. num.* 9. Hoſtienſis *eadem ſumma num.* 10. Turrecremata *in c. ſunt qui dicunt n.* 7. 27. *q.* 2. Nauarrus *in manuali c.* 22. *n.* 52. Couarru. *in epithome de ſponſalib. 2. part. c. 6. §. 3. n.* 4. Emanuel Rodriguez *tom. 3. Quæſt. Regular. quæſt. 13. art.* 1. Petr. Gregor. *in partitio. iuris Canonici lib. 3. tit. 21. c. 15. n.* 2. Ioan. Azor *lib. 12. inſtitut. moral. c. 1. q. 6. verſic. Si quæras quid dicendum,* latiſſimè P. Thomas Sanchez *de matrimonio lib. 7. q. 52. n.* 2. Valerius Reginald. *in praxi fori pœnitential. lib. 31. n.* 40. Gratian. *diſceptat. forenſ. c. 102. num. 21. & 27.* Rebellus *de obligat. iuſtitiæ 2. p. lib. 3. de matrimonij impediment. q. 4. ſect. 2. n.* 18. Ioan. Gutierrez *de matrimon. c. 95. n.* 1. P. Baſilius Poncius *eodem tractat. lib. 9. c. 12. n.* 3. Auguſtin. Barboſ. *in collectan. lib. 3. Decret. tit. 32. c. 4. n.* 2. Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ homin. c. 31. n.* 41. Hurtado *de matrimon. diſputat. 11. difficultate 9. n.* 28. Villalobos *in ſumma tom. 1. tractat. 3. difficult. 14. n.* 2. & nouiſſimè plurimos referens Acacius Antonius Ripol. *reſolut. iuris cap. 8. n.* 260.

Cuius reſolutionis illa potiſſima ratio eſt, 2
quia ſi maritus de cõſenſu vxoris iuuenis, ac in ſæculo manentis, & è contra, poſſet ad religionem tranſire, proculdubio illius conuerſio vxori in ſæculo relictæ, perditionis, & incontinentiæ afferret periculum; cùm vix in adoleſcentia conſtitutus laſciuientis naturæ titillationes comprimere, & cõtra ætatis feruorem reſiſtere poſſet, vt in ſimili eleganter ratiocinatur Iuſtinianus *in authentico de non eligendo ſecundò nubentes c. 3. verſ. Optimum itaque collat.* 1. Vnde inquit appoſitè nimis D. Athanaſius miraculum eſſe inducere puellam vt virgo maneat, & adoleſcentem vt continẽtiam ſeruet: *An, quæſo, nõ ingens ſignum puellam inducere, vt virgo maneat, & adoleſcentiorem adhuc vt ſit continens?* quorum verborum meminit Ioan. Gabriel Biſciola *in epithome annal. Baronij anno Chriſti* 328. conducit egregiè *text. in c. in præſentia.* 19. *de ſponſalibus,* ibi: *Et pro iuuenili ætate, ſeu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes alijs matrimonio copulari.* Quocirca meritò notant Ioan. Neuizan. *in ſylua nuptial. tit. 1. n.* 124. Sebaſt. Medic. *in ſumma omnium virtutum titulo de fortitudine quæſt.* 6. & Dionyſ. Paul. *de vera quatuor Patriarch. ſedium erectione c. 5. n.* 41. iuuenem caſtũ eſſe martyrem abſque ſanguinis effuſione; tertiumque locum in martyrij genere obtinere caſtitatem

tem

tem in iuuentute. Hanc rationem ex Petro de Ancharrano, Panormitano, & Imola *in cap. tua nos el 2. de iureiurando, & in cap. ſunt quidam. 27. quæſt. 2.* tradit Ripol. *vbi ſuprà n. 266.* Ergo cùm ſenectute adueniente incontinentiæ ſuſpicio auferatur; ex quo illa ætas venereis delectationibus inepta agnoſcitur, vt obſcœnum illud Iuuenalis *ſatyra 10.* & Martialis *lib. 11. epigram. 82.* teſtatur; & rectiùs indicat Plato *de Republica lib. 1. circa initia,* vbi ſenectute libidines reſtringi ait, & pacem in ea ætate, & libertatem à rebus venereis eſſe: cui aſſentitur Cicero *de ſenectute,* illis verbis: *O præclarum munus ætatis, ſiquidem id aufert à nobis, quod eſt etiam in adoleſcentia vitioſiſſimum,* de voluptatibus venereis loquitur, cui conuenit illud D. Hieronymi: *Senectus nos ab impudentiſſimis dominis liberat voluptatibus: gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus,* & apparet dilucide ex *cap. fraternitatis. 34. diſtinct.* ibi: *Et ætas illius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ ſuſpicionem auferre dignoſcitur, &c.* vbi obſeruat Rodericus Acunha *num. 3.* & Auguſtin. Barboſa *num. 1.* Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. perſonar. quæſt. 18. numero 51.* Meritò inquam conſtitutum eſt, vt hac ſenili ætate exiſtente coniuge, qua incontinentiæ timor minimè suboriri poteſt, eo in ſæculo remanente, & voto caſtitatis obſtricto, alter poſſit ingredi, & licitè religionem profiteri.

3 Sed quot annorum hæc ſenectus intelligi debeat, vt ſiue vir, ſiue fœmina (de vtroque enim loquitur *tex. in dict. c. ad Apoſtolicam,* quamuis de viro immeritò neget Hurtado *vbi ſuprà num. 8.*) abſque incontinentiæ periculo poſſit in ſæculo commorari? inſtituti noſtri erit inueſtigare. In qua quæſtione triplicem inuenio ſententiam. Prima eſt doctiſſimi Patris Thomæ Sanchez *dict. lib. 7. de matrimonio diſputat. 32. num. 16.* vbi aſſerit quinquaginta annorum ætatem in fœminis, & ſexaginta in viris ſenectutis eſſe legitimum tempus, quo non eget religionis ingreſſu coniux, ſed poteſt in ſæculo manere caſtitatis voto obſtrictus, quoties ipſius cõſenſu alter religionis habitum ſuſcipit, cuius opinionis quaſi fortiſſimum fundamentum adducit *textum in dict. cap. cùm ſis* 4. illis verbis: *Si vxor ita ſenex eſt, & ſterilis, &c.* vbi ad hoc illam ætatem expoſcere videtur, quæ ſterilitatem affert: vnde cùm hæc in fœminis ſit quinquagenaria, & ſexagenaria in maſculis, vt ipſe *eodem loco & numero* ſcribit, rectè inferri videtur eadem etiam & hoc caſu ſufficere: cui ſubſcribunt Ioannes Gutierrez *dict. cap. 95. num. 2.* quorum opinionem nouiter approbare videtur Alphonſus de Lara *in compendio vitæ hominis cap. 31. num. 52.* dum aſſerit incontinentiam in ſexagenario non præſumi: tradit Bonacina *de matrimon. quæſt. 3. puncto 4. num. 12.* Filiuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 4. num. 133.* & nouiſſimè Auguſtin. Barboſa *vbi ſuprà num. 4.* Ripol. *dict. loco num. 272.* & Antonin. Diana *reſolut. moral. 4. part. tractat. 4. reſolut. 73. verſic. Tertia opinio.*

4 Veruntamen hæc Patris Thomæ Sanchez & cæterorum opinio nequaquam mihi probatur, cùm adhuc quinquagenaria mulier, & ſexagenarius vir in ea ſint ætate, vt carnis inſultibus periculosè ſubiaceant, vti inferiùs conſtabit, & ex eo probatur, quia hoc annorum numero, ſiue maſculus, ſiue fœmina, ſemen, quamuis non valdè prolificum, retinent, quo exiſtente libido accenditur, ac per conſequens niſi illud deficiat, iſte ſuberit; quod his verbis Ariſtoteles *lib. 4. de generatione animal.* affabrè expreſſit: *Quamobrem,* inquit, *mulieres, quæ incontinentes ad rem veneream ſunt, libidine ceſſant, cùm ſæpius generarint: ita enim ſeminale excrementum, quod libidinem accendebat, emiſſum facit, ne præterea concumbendi auiditas ſtimulet:* idque expreſsè indicaſſe videtur S.P. in *dict. cap. cùm ſis,* dum ad effectum, de quo noſtra inueſtigatio, non tantùm ſenem, verùm & ſterilem mulierem deſiderat, non vtique ita ſolummodò ſterilem, vt generare non poſſit, qualiter minùs rectè ſubintellexit Thom. Sancius *dict. loco,* ſed eo ſenſu ſterilem, vt prorſus ſemine careat. Nam cùm hæc ſterilitas in id tantùm deſideretur, vt coniux abſque incontinentiæ & libidinis ſuſpicione poſſit in ſæculo manere, neceſſariò ad ſemen referri debet, cùm ex Ariſtotelis ſententia, eius expertes tantùm ſint ab incontinentia ſecuri.

5 Secunda verò opinio eſt Soti, qui 4. *diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. colum. 13. verſ. Præterea, ad finem, & colum. 16. verſic. Poteſt & vnus ſolus,* & rurſus *in calce quæſtionis, verſic. Quod hic,* reſolutiuè profert ſexaginta annorum, ſiue fœminam, ſiue virum eius ætatis eſſe, vt ſine caſtitatis periculo, altero religionẽ ingreſſo, in ſæculo degere poſſit: quam Soti opinionem amplexi ſunt Corduba *in ſumma quæſt. 178. verſic. Empero ſi el matrimonio,* Ouandus *in 4. diſtinct. 27. quæſt. vnic.* Angles *in floribus 1. part. quæſt. 1. diſtinct. 27. artic. 3.* in dubio quod monet poſt 3. difficultatem, & alij quamplurimi, quos lato calamo enumerat P. Sanchez *dict. diſputat. 32. n. 15.* qui-

quibus acceſſit Rebellus *de obligatio. iuſtitiæ part. 2. lib. 3. de matrimon. impediment. quæſt. 4. ſectione 2. num. 18.* Aloiſius Bariola *in aphoriſmis litera M. verſic. Maritus*, ſexagenarius, Riccius *in praxi 2. part. deciſ. 131. & 135.* Bartol. à S. Fauſto *in theſauro religio. lib. 5. quæſt. 55.* & ante eos Azorius *tom. 1. lib. 18. cap. 14. quæſt. 11.*

6 Quæ opinio ſuſpecta nimis ex eo apparet, quòd nullo habito reſpectu ad ſexus diuerſitatem, & quòd fœminæ ociùs quàm viri accreſcunt, vt Ariſtoteles *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 3.* inquit, & probat Plinius *lib. 7. naturalis hiſtoriæ cap. 4.* larè Tiraquellus *in l. 6. connubiali num. 38.* eandem ſexaginta annorum ætatem tam viris, quàm fœminis neceſſariam præſcribit. Quare illam meritò pluribus rationibus reprehendit Thom. Sanchez *vbi proximè num. 15.* à quibus ex animo ſuperſedeo, ne exſcriptoris munus obeam.

7 Aliter enim tertio loco hanc quæſtionem definit P. Baſilius Pontius Legionenſis *dict. lib. 9. de matrimon. c. 12. num. 3. ad finem*, vbi ſentit, huiuſmodi ætatem caſu, de quo loquimur, omnino ex arbitrio pendere, ex circunſtantijſque perſonæ, valetudinis, roboris, & antè actæ vitæ conſiderandam, & decernendam eſſe: quam ſententiam priùs indicauerat Sanchez *vbi ſuprà num. 16.* & poſt eum nouiter defendit conciuis noſter Alphonſus de Lara *dict. cap. 31. num. 44.* nam licèt ad alios actus ſenilis ætas ſexaginta annorum ſubintelligatur, vt in priuilegio lacticinia comedendi, non ieiunandi, &c. quia leges illæ fundantur in præſumptione vt in plurimum: at tamen inquit in hoc caſu cùm ſit ſpecialis diſpoſitio hunc caſum reſpiciens, in vnoquoque iudicandum eſt ex proprijs circunſtantijs, & ideò concludit, non poteſt certa regula definiri.

Sed quidquid Baſilius contendat, eius reſolutio nequaquam ſuſtineri poteſt, cùm nihil hoc in caſu impedimento eſſe poſſit, quominùs requiſita ſenectus ad hoc vt coniux poſſit in ſæculo permanere cùm alter religionis habitum ſuſcipit, certo annorum numero deſignari queat. Quare ſumma ratione ab ea diſceſſit Thomas Sancius *vbi proximè*, nam ex quo illam ætatem ad huiuſmodi effectum Canones expoſtulent, qua incontinentia ſuperſedit, & libido conquieſcere videtur, certam aſſignari poſſe monſtratur, cùm naturali præſumptione id determinato & præſcripto temporis curriculo eueniat, vt poſtmodum apparebit, non aliter atque in ieiunio, & priuilegio edendi lacticinia, de quibus ipſe, ſimilis præſumptio efficit, vt ſenes illi exiſtimentur, qui ſexageſimum annum expleuerunt.

Quibus meritò exploſis, ſupereſt, vt quod hac de re animi noſtri iudicium ſit, in medium proferamus. Et tandem quoad fœminas pertinet, Soti, Cordubæ, & illis aſſentientium opinio mihi ſummoperè arridet, cùm ſexagenariæ fœminæ ſeminis profluuio omnino deſtituantur, vt optimè indicat Ludouicus Mercatus *lib. 1. de communibus mulierum affection. cap. 4.* ac per conſequens in ea ſint ætate, qua nulla libidinis, vel incontinentiæ ſuſpicio ineſt. Nam ipſo ſeminalis excrementi defectu, vt Ariſtotel. ait, concupiſcentiæ ardores tepeſcunt, quod cùm neceſſariò in illis fœminis Apoſtolus deſideraret, quæ vt Eccleſiæ deſeruirent, ad vidualem ſtatum ordinabantur, ne occaſione moleſtiæ carnis ad ſecundas nuptias delapſæ præſtitam caſtitatis fidem irritam facerent, non minores ſexaginta annis eligendas eſſe præcepit *1. ad Timoth. 5. verſic. 9.* Et refertur in *cap. quomodò virginibus. 31. quæſt. 1.* ea ratione, inquit eleganter Clemens Romanus *Apoſtolicarum conſtitut. lib. 3. cap. 1. Vt quodammodò propter ætatem ipſam pro rato & ſtabili habeamus carere eas ſuſpicione nubendi iterum.* Tales namque, quæ ſexagenariæ ſunt, ſcribit egregiè *eodem loco* Dionyſius Carthuſianus, *carent ſigno ſuſpicionis, eoquòd in tanta ætate extinctus ſit feruor libidinis.* Ergo huius ætatis debere eſſe fœminas, vt cùm ipſarum viri fuerunt ad religionem conuerſi, poſſint voto caſtitatis obſtrictæ in ſæculo remanere, dubitationem non patitur, quaſi nulla tunc incontinentiæ ſuſpicione laborent.

De viris enim diuerſimodè ſtatuendum eſt, nam cùm hi ſint mulieribus calidiores, vt pluribus docet Tiraquellus *in l. 9. connubial. num. 149.* ac neceſſariò maioris luxuriæ, & vitæ, cùm præcipuus vtriuſque functionis adminiſter ſit calor, teſte Thoma Sancio *vbi ſuprà num. 16.* non ita citiùs ac fœminæ ſeneſcant naturale eſt: quapropter hac in parte Soti opinione ſpreta conſtituo, ſeptuaginta annorum homines extra incontinentiæ ſuſpicionem poſitos eſſe, vt rectè in ſæculo valeant commorari, eorum vxoribus ad frugem melioris vitæ religiosè conuolantibus, ex quo hac decrepita ætate fere ſemper ſemen abſumitur, cùm ſemine ergo libidinis ardor perijt, vt ſuperiùs notaui: quam opinionem tenet Marc. Anton. Natta *conſilio 559. numero 5. volumine 3.* Sed omni prorſus ratione, & autoritate deſtitutam, illamque ſuſtinere videtur Thomas

Accius

Accius *tractatu de legali infirmitate part.1. cap.19.* vbi poſtquam *num.7.* dixerat ſeptuagenarios propriè ſenes vocari, rurſus *numer. 16.* inquit, ſenium incontinentiæ præſumptionem tollere, de quibus accipiendum eſt
10 quod Hieronymus ſcribit *in cap.6. Pauli ad Galatas*, cuius etiam meminit Bellarminus *controuerſ. lib.3. cap.10. verſic. Quartus eſt*, nempe eos, qui ad ſenectutem virgines peruenerũt, ſecuros eſſe poſſe de virginitate ipſa ſenili ætate, & ſimiliter iuxta ſuperiora ſubaudiendum erit quod ſingulariter notat Benedict. Ægid. *de priuileg. honeſtat. art.4. num.9. verſic. Secundus caſus eſt*, videlicet, quòd ſi fœmina inhoneſtè viuendo ad illam ſenectutis partem peruenerit, quæ venereis actibus idonea non reputetur, quamuis deinceps honeſtæ matronæ perſonam gerat, à priuilegio honeſtarum mulierum in perpetuum excluſa manebit. Nec enim honeſtarũ mulierum priuilegio digna apparet, quæ quandiu potuit, & quandiu libuit, vixit inhoneſtè quamque honeſtam, ſi honeſta dici poteſt, non tam voluntas fecit, quàm neceſſitas, vt ipſe optimè ratiocinatur.

11 Quæ omnia ſubintelligenda ſunt, niſi vir, aut fœmina aliquo languore, vel infirmitate premantur, ſiquidem cùm non minùs ægritudo, quàm ſenium ſeminis ſterilitatem inducat, vt ex Philoſopho *dict. cap.18.* apparet *cap. ſicut enim.13.* & ibi Gloſſa *verbo debilitati.32. quæſt.5.* & ſimiliter incontinentiæ ſuſpicionem auferat, vt probatur argumento *l. ſi paterfamilias.15. §. in adrogationibus, ff. de adoptio.* & ſentit Aymon *conſil.6. num.51.* Sebaſtian. Medicis *de fortuit. caſibus part.2. quæſt.2. num.27.* Thomas Accius *vbi proximè num.16.* vnde concupiſcentiam minuit in infirmo perinde ac in ſene, præter alios optimè tradit Menochius *de præſumptio. lib.6. præſumpt.47. num.27.* ex quo infirmitate laborans venereis rebus, quamuis ſit adoleſcens, ineptus creditur, *l. filium 6. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, l. ſi quis poſtumos 9. ff. de liberis & poſthumis*, accedente valetudine etiam non ſexagenaria fœmina, vel ſeptuagenarius vir, ſed minoris ætatis liberè, & abſque caſtitatis iactura vel periculo in ſæculo remanere poterit, altero religionem ingreſſo, vt in propoſito expreſsè ſentire videtur Rebellus *vbi ſupra num.7.* & poſt eum Acacius Ripol. *dict. cap.8. num. 273.* quibus nouiſſimè accedit Antonin. Diana *vbi ſuprà dict. reſolut.73. ad finem.*

Sed vtrùm autem idem dicendum ſit de vxoribus eorum, qui ad ſacros ordines ipſarum conſenſu promoueri deſiderant, vt ſcilicet ſi ſexagenariæ non ſint, teneantur præciſe religionem ingredi, nec poſſint ſolo caſtitatis voto emiſſo in ſæculo remanere? res eſt non ſatis obuia, & in qua quinque diuerſæ inueniuntur Scribentium ſententiæ, quas cum ſuis propugnatoribus refert Thomas Sanchez *de matrimonio lib.7. diſputat.39.* qui tamen illam cæteris probabiliorem exiſtimat, quæ habet vxorem promouendi ad ſacros ordines non cogi religionem profiteri, ſi ſenex ſit (ſenectute illa, cuius ſupra meminimus, intelligendum erit) ſed poſſe voto caſtitatis promiſſo in ſæculo vagari, ſecùs verò ſi iuuenis fuerit: nam tunc neceſſariò tenebitur regularem habitum aſſumere, vt expreſsè caueri contendit *in cap. Epiſcopus.77. diſtinct.* quam ſententiam hodie conſuetudine eſſe receptam teſtatur Baſil. *de matrimonio lib.7. cap.25. num.7.* licèt in puncto iuris verius crediderit, quacumque ætate, ſiue iuuenili, ſiue ſenili, eiuſmodi vxores poſſe ſolo voto continentiæ in ſæculo manere: niſi ad 13
Epiſcopatum earum viri aſſumerentur, quo caſu propter ordinis excellentiam tenentur religionem ingredi, *cap. ſanè de conuerſione coniugat.* quod etiam ad eorum vxores, qui Cardinales creantur, protrahendum putauit Maiolus *de irregularitat. cap.34. num.2.* ſed immeritò, vt docent Sanchez *vbi ſuprà diſputat.41. num.4.* & nouiſſimè Antonin. Diana *reſolution. moral. 4 part. tractat.4. reſolut.129. in fine*, vbi etiam ſuperiorem Baſilij opinionem ſtando in puncto iuris probabilem dicit, cum Hurtado *de matrimonio diſputat.11. difficult.9. nu.29.* Sed ego Sancij opinionem probabiliorem iudico, iuxta quã eſſe intelligendam deciſionem *cap. coniugatus 5. de conuerſione coniugatorum* admoneo.

SVMMARIVM.

NVllam ſenilem ætatem, licèt decrepitam, à carcerum moleſtia excuſare in criminalibus, vel ciuilibus aliqui putant. 1.

Septuagenarius an poſſit ob laudimij ſolutionem incarcerari? Ibid.

Vt certius defenditur ſeptuagenarios pro debitis ciuilibus incarcerari non poſſe. 2.

Senes mulieribus æquiparantur. 3.

Fœminæ ob debitum ciuile incarcerari non debent. ibid.

Senes pueris æquiparantur. 4.

Infirmi à carceribus liberantur. 5.

Vbi quis ratione alicuius priuilegij non poteſt incarcerari, an tali priuilegio poſſit renuntiare, maximè adhibito iuramento? 6.

Qui tempore contractus ſeptuagenarius erat, ratione illius poterit incarcerari. 7.

In criminalibus etiam octuagenarij poſſunt in carcerem mitti. 8.
Senectus pœnam minuit. 9.
Senes leui carcere ſunt detinendi. 10.
Cuſtos carceris excuſatur, ſi ob carcerum leuitatem ſenex aufugerit. ibid.

QVÆSTIO X.

Quo anno ſenectus reos à carceratione eximat?

1 MInorem ætatem à carcerum moleſtia liberare, iam iam ſuperiùs tradidimus. Vtrùm autem ſexagenaria, vel ſeptuagenaria ætas perinde illorum excuſationem atque iuuentus afferat? nunc rationibus diiudicemus. Et porrò hoc dubium vtriuſque partis accerſitis defenſionibus, in Pedemontano Senatu Cacherano teſte *deciſ.* 123. iam dudum fuit diſceptatum, tandemque in eam fuerunt Senatores adducti ſententiam, vt proferrent decrepitæ ætatis homines, ſexagenarios licèt, vel ſeptuagenarios, ob delictum, & æris alieni cauſa in vincula conijci poſſe, idque poſteà M. Anton. Natta de eo loquens, qui ſeptuageſimum annum egit, reſoluit *conſil.* 319. *num.* 2. & 3. eo nimirum, quia nullibi cautum reperitur ſeptuagenarium pro debito ciuili detineri non debere: ergo cùm regulariter omnes carcerari poſſint, niſi qui expresſè excipiuntur, vt ipſe probat, non videntur ſenes priuilegiati, argumento *l. ab ea parte, ff. de probatio. l. nec non, ff. ex quibus cauſis maiores.* Nec obſtare, inquit, quòd de tortura huius ætatis hominibus non inferenda communiter Scribentes in contrarium adducunt, ſiquidem id diuerſa ratione obtinere ſtatuit: quod etiam Cacherano placuit *vbi proximè*, Caroc. *de iura. deciſ. quæſt.* 5. *quæſt.* 13. *princip. num.* 7. Menoch. *conſil.* 916. *num.* 3. & 13. *in fine*, quibus ſubſcribit Maurus Burg. *tractatu de laudimio* 3. *part. inſpectione* 36. *num.* 36. vbi reſoluit ob ſolutionem laudimij ſeptuagenarium carcerari poſſe.

2 Contrariam tamen ſententiam meritò voluerunt Ancharran. *conſil.* 336. incipienti *præmitto num.* 2. Intrigliol. *conſil.* 18. *num.* 1. Prouincial. *in additionibus ad Bertachin. in verbo ſenex*, Carolus de Graſſis *tractatu de exception. in præludio num.* 177. & 178. Carpanus *ſuper ſtatut. Mediolan.* 1. *part. c.* 243. *num.* 6. Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. cap.* 328. *per totum*, præcipuè *à num.* 8. & 5. *part. cap.* 805. *à num.* 1. qui omnes vno ore fatentur ſeptuagenarios non poſſe in vinculis pro debito ciuili detineri, prout paſſim in carcerum viſitationibus experiri idem Gratianus teſtatur *n.* 14. Ioan. Aloiſ. Riccius 5. *part. collectan.* 1862. & *part.* 6. *collectan.* 2215. *verſic. Senex*, in ſexagenario hoc verum putat. Quibus nouiter aſſentitur Ioan. Dominic. Taſlonus *obſeruatio. iuriſdictional.* 2. *num.* 102. quamuis in octuagenario loquatur, amicus noſter Alphonſ. de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 31. *num.* 63. Quæ quidem opinio maximè iuri cõueniens, æquitatique conſentanea mihi videtur, nec enim ob aliam rationem carceratorum ætates iudici notas eſſe Imperatores voluiſſe *in l. de his* 5. *C. de cuſtodia reor.* exiſtimat Ioan. Baptiſta Cacialup. *dict. quæſt.* 5. *num.* 6. habet enim, vt ſi proſpiciat ſenio confectũ in carceribus exiſtere ciuitatis, pietate motus dimitti faciat, argumento *l. in metallum, ff. de pœnis l. iudices, C. de Epiſcop. audient.* quapropter hanc ſententiam ex ſequentibus amplectendam cenſeo.

Primùm, quia ſenes æquiparantur mulieribus, vt docet Iaſon *in l. ad perſonas egregias num.* 9. & 10. *ff. de iureiurando*, Cacheran. *vbi ſupra.* Igitur quemadmodum fœminæ æris alieni cauſa incarcerationem non patiuntur, *l.* 1. *C. de offic. diuerſ. iudic. authentic. ſed nouo, C. de cuſtodia reorum*, ita vt ab ea ſenes liberentur, conſectarium eſt, vt hac ſimilitudine ductus in cauſis fiſcalibus reſoluit Peregrin. *de iure fiſci lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 9. & Velaſcus alios referens *de priuilegijs miſerabil. quæſt.* 18. *num.* 62. Secundùm, nam puerorum & ſenum eadem natura & conditio eſt, vt ſæpiùs iactitatur, & idem Gratianus oſtendit, probaturque ex *textu in cap. quamuis.* 58. *de ſentent. excommunicat.* notat Perez de Lara *vbi ſupra num.* 63. Sed pueri, vt ſuo loco affatim commonſtrauimus, in carcerem detrudi non poſſunt: ergo nec ſeptuagenarij ſenes. Tertium, quia ſeptuagenarij, vt alio loco latè probauimus, infirmo ęquiparãtur: etenim cùm certum ſit infirmos carcerandos non eſſe, vt tradit Medicis *de caſibus fortuitis part.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 14. ſeptuagenarij etiam ratione æquiparationis hoc priuilegio potiri debent. 3 4

Quartò etiam oſtenditur, quia huius ætatis ſenes nobiles habentur, argumento *l. prouidendum, C. de poſtuland.* ibi: *Meritum nobiliſſimos fecit, aut vetuſtas*: vnde ſeptuagenarios gaudere priuilegijs conceſſis egregijs perſonis reſoluit Baeça *de inope debitor. cap.* 7. *num.* 9. ergo cùm nobiles pro debitis carcerari nequeant, *l. Medicos* 6. *C. de profeſſorib.* 5

rib. & *Medic. l.miles,ff.de re iudicat.l.79. Tauri,l.3.& 14.tit.3.lib.6.Recopilat.in 3. part.*vbi latè & eruditè id confirmat Chariſſimus Frater noſter D. Alphonſ. Narbona, *gloſ.1.num.*4. etiam ſeptuagenarij,qui nobiles ſunt, in carcerem duci non poterunt.

6 Quod adeo procedere nonnulli arbitrantur, vt huiuſmodi priuilegio ab ipſis minimè poſſit renunciari,ex generali illa doctrina Baldi *in l.1.num.*8.*verſic.Item tres ſunt caſus,C. qui bonis cedere poſſunt,*qua docemur, quòd in omnibus caſibus, in quibus non poteſt quis carcerari ob priuilegium dignitatis,ſexus, vel ætatis, neque poterit per eum tali priuilegio renuntiari,cui ſubſcripſerunt Gabriel Saraina *ad Matheſila.ſingular.*108.*n.* 3. Dueñas *regul.*312.*limitat.*2.*ad* Medic. *verſic.Et ideò ſuccedit num.*2. Aſin. *de executione*, §.2.*cap.*7.*num.*13. & Velaſcus *de priuilegijs miſerabil.perſon.quæſt.*18.*num.* 63. Sed iſtorum opinio ſuſpecta mihi videtur,maximè vbi iuramento talis renunriatio fulcitur, vt in expreſſo tenuerunt Ameſcua *de poteſtat.in ſeipſum lib.*2.*cap.*23.*num.*7. Garſia *de nobilit.gloſ.*6.*in princip.num.*19. Barboſ.*in l.alia,*§.*eleganter, num.*13.*ff. ſoluto matrimonio,*Couar.*in cap.quamuis par.* 2.*in princip.num.*2.Gutierrez *de iuramento confirmatorio cap.*13.*num.*46.& 52. quos refert & ſequitur Stephan.Gratian.*dict.cap.* 528.*num.*13.

Ex quo apparet veriſſimam eſſe illorum ſententiam,qui exiſtimant, ſeptuagenarium non gaudere hoc priuilegio,vt tanquam ſenex carcerari non poſſit, quoties tempore contractus,vel obligationis prædictam ætatem excelſerat: quia tacitè eiuſmodi immunitati renunciare videtur tali ætate contrahendo. Ita Ancharranus *quæſt.*8.*num.*9.*p.*2. Carpanus *ſuper ſtatut. Mediol. cap.*243.*n.* 8.*part.*1.quibus adſtipulatur Gratian. *dict. loco num.*20.vbi & id aliquibus probat: accedit Maurus Bungius *de laudemio part.*3. *inſpectione* 36.*nu.*37.contra Intrigriol. *conſil.*18.*colum.*1. & Craſſ. *tract. de exception. in præludio num.*177.

8 An verò in criminalibus ſenectutis hoc indultum ſimiliter reos à carceribus eximat, vel in ipſos detrudi non patiatur? nec in elegans diſceptatio eſt, in qua etſi iudicij mei ſententia ponderis aliquid habet, exiſtimatem etiam octuagenarios in delictis ſenectutis prætextu minimè excarcerádos,imó vinculis eos mancipari debere. Moueor itaque in hanc ſententiam primùm Baldi Peruſini autoritate *tractatu de carceribus cap.*1.*num.* 4.vbi abſolutè, & nulla admiſſa exceptione ſcribit quamcumque,& cuiuſcumque conditionis perſonam,poſſe pro delicto incarcerari.Deinde nam ſi ea ratione diximus ſenio confectos nō debere in vincula conijci, quia paruulis adæquantur,quorum illud ſingulare eſt, vt carcerari non poſſint, eadem ratione conuincitur, ſenes qualiſcumque facinoris reos in carcerem mitti debere, cùm & pupillos doli capaces ob crimina hac coertione afficiēdos ſuo loco definierimus:nec enim attritæ iam ætatis miſerationis ratio expoſtulat, vt infirmitatis intuitu eorum delicta impunitatem conſequantur,quibus ad delinquendum ipſorum prauis moribus corrupta natura vires ſuppeditauit.Hinc eſt, ſenectutem patrati ſceleris pœnam non auertere, ſed iuſtam cauſam cenſeri illam minuendi, vt pluribus congeſtis ſcribit Carrerius *in practic.criminal.*§.*circa* 3.*num.*94.Thomas Accius *tractat.de infirmit.legali cap.*19.*n.* 13.& nouiſſimè Alphonſ.de Lara *in compendio vitæ homin.cap.*31.*num.*74. vbi allegat Tiraquellum *de pœnis temperand. caſu* 8.*n.* 7.Quod etiam & circa eorum incarcerationem certiſſimum arbitrarer:æquum enim eſt, ſenes duro carcere ne contineantur. Ita in propoſito tradit Menoch. *de arbitrar. caſu* 305.*num.*8.Thomas Accius *vbi ſupra num.* 13. ſed mitiori, vt etiam in ciuilibus cauſis Pedemontano Senatui placuiſſe, teſtis eſt Cacheranus *dict.deciſ.*123. conſentit Polidor. Ripa *tractat.de nocturno tempore capit.* 74.*num.*18. vbi & hac ratione ſubijcit,carceris cuſtodem excuſari,ſi ob leuitatem carceris,qua detinebantur eiuſmodi ſenes,aufugerint,argumento *l.ſi vt certo* 5.§. *cuſtodiã, ff.de commodat.* Quare ſenes non eſſe in carceribus detinendos,ſed ſolùm areſtandos in domo Prætoris,tradunt poſt Gloſſam *in l. ſi vt certo,*§.*cuſtodiam,ff.commodat.* Marſil. *in praxi criminal.*§.*attingam num.*14. Foller. etiam *in praxi crimin.verbo vel carcerentur num.*6.Cacialup. *dict.quæſt.*5.*num.*6. Beccius *conſil.*10.*num.*8.& nouiſſimè Velaſcus *de priuilegijs miſerabil.perſon.quæſt.*18.*num.* 59.& 70.

SVMMARIVM.

Senes pueris aſſimilantur, & repueraſcere dicuntur. 1.

Senibus delinquentibus pœna eſt moderanda. 2.

Senex homicidium committens, an debeat ordinaria mortis pœna plecti? 3.

Senex miſerabilis perſona dicitur.ibid.

*Ætas præſcribitur, qua ſenes criminoſi mitius puniri debent.*4.

QVÆSTIO XI.

Quæ ſenectus excuſet delictum & pœnam minuat?

1 CVm in ſenibus eadem mẽtis fragilitas ac in minoribus conſideretur, vtpote qui bonam partem iudicij, conſilijque amiſerunt, iuxta illud Claudiani *de victoria Stiliconis.*

Si non mentis inops, fraudataque ſenibus ætas
Præberet veniam, numquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me ſoſpite ferret inultus.

Cumque in hoc iuuenibus, imò & paruulis ſenes omnino æquiparentur, ſitque ſenectus altera adoleſcentia, atque pueritia, vt tradit Philoſoph. *lib.* 17. *orbicularium quæſt. cap.* 3. cui ſubſcribit Accurſ. *in l. ſenectus, verbo ſola, C. de donatio.* vbi ſenes ſenſum puerilem habere affirmat, & concinit etiam Plautus *in Mercatore.*

Senex, inquit, *cum extemplo eſt, iam nec ſentit, nec ſapit,*
Aiunt ſolere eum repuerare ſcere.

Et Auſonius *in Chilonis ſententijs,*

Grata ſenectus homini parilis iuuentæ,

Et Cornel. Gall. *in lib. eleg.*

Atque tripes prorſus quadrupeſque, vt paruulus infans,
Et per ſordentem flebile ſerpit humum,

Et alij, quos infrâ *anno* 80. recenſebimus, vbi de ætate, vt poſſit ſenex in integrum reſtitui, concertationem inſtituerimus.

2 Cùm ergo ita in omnibus, & præcipuè in mentis fragilitate ſimiles ſint, dicendum videtur, quòd eodem modo, ſicut in minoribus ſupra *anno* 25. oſtendimus, ſic in ſenibus delinquentibus delictum excuſandum, & ipſius pœna mitiganda, & moderanda ſit. Quod ex ratione prædicta non obſcurè comprobat text. *in l. ſi quis in graui, §. ignoſcitur, ff. ad Senatuſconſult. Sillanian. & in l.* 2. *ff. de termino moto,* & in *l. ferè in omnibus,* & ibi Gloſſa, *ff. de regulis iuris, cap. tanta nequitia.* 86. *diſtinct. cap. tanta* 1. *quæſt.* 7. *& cap. tempora.* 26. *quæſt.* 7. & apud noſtros *l.* 8. *tit.* 31. *part.* 7. ibi: *Ca mas crudamente deuen eſcarmentar al ſieruo, que al libre, è al ome vil, que al fidalgo, è al mancebo, que al viejo, nin al moço*, vbi notat Gregorius *verbo viejo*: quam æquiparationem pulchrè etiam animaduertit Plato, qui in ſuis legibus ſanxit, ſenes & adoleſcentes eodem iure regulandos eſſe, & æquè leniter caſtigandos, cùm ex eadem ratione eorum delicta procedant: *Si quis,* inquit, *ſimile eorum, quæ aut ſacrilegi, proditores, legum corruptores committunt ob inſaniam, vel morbo, vel ſenio profus, vel in ætate puerili conſtitutus, ita vt ab iſtis nihilo differat, admiſerit, iudicibus declaratus, & ipſo, aut defenſore referente, quòd ſic affectus id commiſerit, damnum quod intulit ſimplex omnino reſtituat, cætera ſibi remittantur.* Et alibi melius *in lib. quæſtion. Peccata,* inquit, *& puerorum, & ſeniorum ex imbecillitate profecta quidem eſſe putabit, & illis tanquam peccantibus leges præſcribet, ſed mitiſſimas omnium, plurimaque venia & indulgentia dignas.* Ex quibus verbis colligitur clementiùs 3
cum ſenibus agendum eſſe, quàm cum alijs: quam ſententiam ob ſupra dictam rationem noſtri etiam Interpretes paſſim probant, vt conſtat ex his, quos latè congerit Tiraquel. *tractat. de pœnis temperan. cauſa* 8. *num.* 1. Iul. Clarus *lib.* 5. *recept. ſentent. §. fin. quæſt.* 60. *num.* 5. Sforc. Oddus *tractat. de reſtitut. in integr. quæſt.* 80. *art.* 10. *num.* 109. Ioan. Garſia *de nobilit. gloſ.* 6. *§.* 1. *num.* 25. Petr. Roizius *deciſ. Lituanica* 4. *n.* 144. vbi pariter ac pueros ſenes à delictis excuſari affirmat, quaſi hi nocendi conſilium non habere videantur, Carrerius *in praxi criminal. folio mihi.* 164. *num.* 13. Iacob. Menoch. *de arbitrar. iudic. lib.* 2. *centur.* 4. *caſu* 329. *num.* 20. Petrus Piaça *de delictis cap,* 32. *num.* 15. qui hoc in crimine homicidij à ſene perpetrato non procedere ſcribit. Nam propter grauitatem delicti pœna ordinaria mortis, & vltimi ſupplicij ipſi infligenda erit: quod etiam tenet, ſed alia meliori ratione Anton. Gomez *tom.* 3. *variarum cap.* 3. *num.* 68. quem ſequitur Molina *de iuſtitia & iure, tom.* 4. *tract.* 3. *diſputat.* 37. *num.* 1. quamuis Petrus Roizius *vbi ſupra num.* 146. ſuperiorem ſententiam etiam in delictis atrocioribus admittat, docet nouiſſimè Roderic. Acunha *in dict. cap. tanta* 24. *num.* 5. 86. *diſtinct.* & ante eum infinitos more ſuo referens Proſper. Farinac. *tom.* 3. *praxis criminal. quæſt.* 92. *n.* 23. vbi hanc ſententiam multis modis ampliat & reſtringit Philip. Matthæus *in l. fere.* 108. *num.* 29. *ff. de regulis iuris,* & Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. perſonar. quæſt.* 18. *num.* 12. vbi hac ratione *num. ſequent.* ſenes miſerabilium numero contineri affirmat.

Inde inferri videbatur octoginta annos 4
exceſſiſſe debere ſenes, vt hoc priuilegio excuſationis delicti, & minorationis pœnæ potiri mererentur, cùm hoc tempore æqualem iuuentuti ſenectutem omnes efficiant, quos poſtmodum *dict. anno* 80. referemus, ſed nihilo-

hilominus poſt quinquageſimum annum ex Grammatico, Deciano, & alijs hanc immunitatem concedit Dominic. Taſſon. *obſeruat. iuriſdictionali. 1. verſic. 12. num. 136.* & in ſeptuageſimo eſſe conſtitutos ſufficere ſenſit Farinacius *vbi ſupra num. 31.* Anton. *in c. quoniã frequenter in principio*, vt lite non conteſtata, vt recenſet Gaſpar Baeça *de inope debitore cap. 7. num. 6.* Quamuis ipſe *num. 16.* rectiùs exiſtimet hoc non tam ex numero annorum, quàm ex ipſo ſenio arbitro iudicio fore regulandum, & meritò, cùm aliquando qui pauciores annos habet, maiori ſenectute quàm plurium annorum homines afficiatur.

SVMMARIVM.

OB ſenectutem tutoris ſolet actor ipſius loco conſtitui. 1.

Septuagenarius tutor eſſe debet, vt actoris conſtitutioni ſit locus. 2.

Tutoris & Epiſcopi pene idem munus eſt. ibid.

Eccleſia gaudet priuilegio pupillorum. 3.

Epiſcopo coadiutor non niſi poſt ſeptuageſimũ ætatis annum debet aſſignari. ibid.

Senex qua ætate infirmo æquiparetur. 4.

Datio actoris non extinguit tutoris officium, ſed ipſius tantùm exercitium ſuſpendit. 5.

QVÆSTIO XII.

Vt propter tutoris ſenium poſsit actor rerum pupillarium conſtitui?

1 OBſeſſam, & iam in graueſcentem tutoris ætatem licere ipſius loco actorem ſubſtituere docet Conſultus in *l. decreto. 24. in principio, ff. de adminiſtrat. tutor.* his verbis: *Decreto Prætoris actor conſtitui periculo tutoris ſolet, quotienſque aut diffuſa negotia ſint, aut dignitas, vel ætas, aut valutudo tutoris id poſtulet*, idem ſentit Pomponius *in l. ſolet. 13. ff. de tutelis*: *Solet etiam curator dari aliquando*, inquit, *tutorem habenti propter aduerſam tutoris valetudinem, vel ſenium ætatis: qui magis adminiſtrator rerum, quàm curator eſſe intelligitur*, vbi paſſim Scriptores illud notant, etſi nemo numerum annorum definiat, quo tutor grauetur oporteat, vt eiuſmodi actoris conſtitutioni ſit locus. Quare in re adeò deſtituta ne adhuc ſub iudice litem relinquamus, dicendum erit, ſeptuageſimum annum terminum eſſe neceſſariæ ſenectutis ad prædictam actoris ſubrogationẽ. Quod inde ſuſpicor, quia 2 actoris & Epiſcopi munus pene eiuſdem naturæ agnoſcitur, cùm vterque adminiſtrationis ſit officiũ, & pariter tam circa res, quàm circa perſonas exerceatur. Hinc eſt, quòd Epiſcopus aliquando tutor dicitur. Ita Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 2. capit. 390. num. 20.* & Eccleſia, cuius adminiſtrationem habet, minor & pupilla, argumento eorum quæ tradit Gloſſa *in l. libertos, C. de excuſation. tutor. & in l. res publica, in fine*, & ibi Bartol. & alij, *C. ex quibus cauſis maiores, & in l. non eſt ignotum, C. de adminiſtrat. tutor. cap. 1. c. auditis, de reſtitut. in integr.* vbi 3 dicitur gaudere Eccleſiam omnibus diſpoſitis fauore pupillorum, quos etiã refert Euerard. *in loco à pupillo ad Eccleſiam*, Genuenſis *practicabil. Eccleſiaſt. quæſt. 253. num. 5.* Auguſtin. Barboſ. *in locis commun. loco. 40. num. 3.* vbi etiam notat ab Eccleſia ad minorem, & è contrà valere argumentum. Cæterùm Epiſcopo non aliter propter ſenium coadiutor datur, quàm ſi annum ſeptuageſimum ipſe exceſſerit, vt ex diſtinct. Pauli Æmilij 1. *part. deciſ. 129. 130. & 131.* & Hieronymo Gonçalez *in regul. 8. Cancellar. gloſ. 5. §. 9. num. 84.* Riccio, Barboſa & alijs ſupra *anno 60.* planè oſtendimus: ergo ſimiliter, cùm nõ propter ingraueſcentiam ætatis ſimpliciter, ſed propter ſenium, *d. l. ſolet*, ibi: *Propter aduerſam tutoris valetudinem, vel ſenium ætatis*, actor ſiue coadiutor (quod idem eſt, vt ex *dict. l. ſolet* in fine colligitur, & *ibidem* expreſſe obſeruat Bartol. *num. 3.*) tutori aſſignetur, ſeptuagenaria ſaltim ætate id fieri à Prætore debebit.

Et rectè quidem, nam in dictis legibus cauſa ærarij & valetudinis quoad prædictum 4 effectum æquiparantur: ſed non anteà ſenectus morbo aſſimilatur, quàm ſeptuagenaria exiſtat, veluti ſupra *hoc ipſo anno* ſatis probauimus: igitur hac, & nõ alia ętate tutori actor, ſiue coadiutor debebit deputari.

5 Pro quo & illud facit, quòd hæc ſenectus expreſsè à iure præſcribitur, vt à moleſtia, & onere tutelarum homines excuſentur *l. 3. ff. de mun. & honori, §. item maior inſt. de excuſat. tutor. l. 2. tit. 17. part. 6.* cum alijs à nobis adductis *hoc anno*, vbi diſputamus de annorum numero, quo homines ſenectutis obtentu à muneribus ciuilibus & perſonalibus excuſationem mereantur. Quare videtur eãdem ad hoc etiam congruam exiſtimari debere, vt coadiutore dato, tutor ab officij labore, & exercitio iuſtè ſubleuetur. Nam licèt ſuprà *dict. quæſt.* argumento *l. 2. verſic.*

Qui ad munera, de vacatione muner. & l. ſemper 5. §. *hoc circa, de iure immunitatis*, ex quibus ita obſeruat Gloſſa *in l. ſi vltra, C. de Decurion. lib.* 10. & nouiſſimè noſter Perez de Lara *lib. 2. de Capellan. cap. 9. num.* 59. tradidei imus, hanc ſeptuaginta annorum ætatem à principio, non verò poſt acceptam tutelam ſuperuenientem excuſationem afferre. Hoc tamen intelligitur, vt ætatis prætextu omnino quis ab ea liberetur: non verò vt ab exercitio tantùm coadiutore deputato eximatur, quoniam tunc ipſe tutor manet, & dumtaxat ſuo periculo decreto prætoris ei actor adiungitur, qui pro ſe tutelam adminiſtret, vt ex *dict. l. ſolet*, & *dict. l. decreto* ſatis euincitur.

SVMMARIVM.

A*B honoribus etiam mixtis nulla ſenilis ætas excuſationem affert.* 1. & 3.

Contrarium refertur. 2.

L. ab his. 10 *ff. de iure immunitatis, explicatur.* 3.

L. ſemper 5. §. *hoc circa, nouè intelligitur.* 4.

Ætas, vel numerus liberorum poſt accepta munera impletus, nihil ad excuſationem proficit. 5.

In Republica nemo poterat honores gerere, niſi qui Decurio fuiſſet. 6.

Qui in ætate, qua ſe poterat excuſare, conſtitutus, vltro munus accepit, poſteà ratione ætatis excuſari nequit. 7.

QVÆSTIO XIII.

Ab honoribus vtrùm ſeptuaginta annorum, vel alia quæuis ſenectus excuſationem pariat?

1 IN huius quæſtionis reſolutione perplexa vtique & laborioſa quodammodò inter ſe Conſulti diſſidere videntur: ſiquidem Papinianus *in l. in honoribus* 8. *in princip. ff. de vacatione & excuſatione munerum*, expreſsè ait in honoribus delatis maiorem annis ſeptuaginta non excuſari, ea nimirùm ratione, quam adducit Vlpianus *in l. 2. §. quem ita ſenio, ff. eodem*, ibi: *Corporis debilitas* (de ſenio loquitur) *eorum munerum excuſationem præſtat, quæ tantùm corpore implenda ſunt. Cæterùm, quæ conſilio prudentis viri, vel patrimonio ſufficientis in homines*, vel in honores, vt rectiùs ſubſtituit *ibidem* Accurſius; *obiri poſſunt, niſi certis, & receptis probabilibus cauſis non remittuntur*: & ſuadetur apud noſtros *l. 3. in fine, tit. 19. part. 2.* Qua igitur ratione hanc ſententiam communiter Scribentes ſequuntur, præcipuè Petrus Antibolus *tractatu de munerib. 3. part. num.* 11. Iacob. Cuiac. *in dict. l.* 8. & Ægidius Thomatus *ſimili tractatu de muneribus & collect. 3. part. num.* 11. *folio mihi* 305. *num.* 1. qui omnes etiam in honoribus mixtis partim perſonalibus, vel patrimonialibus, partim verò honorarijs, vt in iudicibus ſeu Magiſtratibus, ex ſententia Antiboli *vbi ſuprà num.* 4. ſimiliter procedere arbitrantur.

2 Cæterùm contrarium ex Paulo deduci videtur in *l. ab his.* 10. *ff. de iure immunitat.* ex quo affirmat defenſores reipublicæ ab honoribus & muneribus eodem tempore vacare: ergo aliquo certo & determinato progreſſu honorum excuſationem contingere, certo certius inſinuat, quem ſeptuaginta annorum eſſe, Caliſtratus interpretatur *in l. ſemper* 5. §. *hoc circa, ff. eodem*, his quidem, & perobſcuris verbis: *Hoc circa vacationes dicendum eſt, vt ſi ante quis ad munera municipalia vocatus ſit, quàm negotiari inciperet, vel antequàm in Collegium aſſumeretur, quod immunitatem pariat, vel antequàm ſeptuagenarius fieret, vel antequàm publicè profiteretur, vel antequàm liberos ſuſciperet, compellatur ad honorem gerendum.*

3 Sed nihilominus ſuperior Papiniani reſolutio, vti iuris principijs magis conueniens ratione ab Vlpiano aſsignata ſuſtinẽda erit. Nec quicquam prædictæ opinioni obſiſtunt argumenta, quæ aduerſam ſententiam vt probabiliorem adſtruere videbantur. Non quidem primum ex *dict. l. ab his.* 10. deſumptum: nam ex eo facilè diluetur, quod ea ſpecie, Conſultus non de illo temporis ſpatio loquitur, cuius prolixa ſeries in ſenectutis fauorem à muneribus ſolet excuſationem afferre, nempe de ſeptuaginta annorum curriculo, vt alibi dicemus: ſed imò illius temporis agit, quod vacationis loco de vno munere ad aliud legibus ipſis præſtitutum eſt, idque biennium eſſe docet Conſultus in *l. Paulus* 8. §. 1. *ff. de legationibus*, & probat Imperator *in l. 2. C. de munerib. & honoribus non continuand. lib.* 10. quoniam ca *dict. l.* ſenſus eſt, defenſores reipublicæ, ſiue qui publicis cauſis defendendis præponuntur, eodem tempore, & biennij interſtitio, quo à die finitæ defenſionis à quibuſcumque muneribus excuſantur, pariter & ab honoribus vacare debere: ita vt qui publicæ defenſionis munus expleuit,

pleuit, niſi duobus annis tranſactis, vt nec nouis muneribus, ſic nec honoribus poſſit onerari.

4 Plus enim vrget ſecunda difficultas, ſiue præcedentis confirmatio ex *dict. l. ſemper* 5. *§. hoc circa*, quam nullus adhuc excitauit, & quod magis eſt, cuius deciſionem ex Gloſſographis, quos viderim, nec vllus aliquali lucubratione exornauit. Veruntamen vt minus quæſtionis noſtræ prolatam definitionē lædat, verbum illud, *Honorem*, quo *dict. §.* tota difficultas innititur; ita interpretandum exiſtimo, vt non quidem adminiſtrationem Reipublicæ, cùm dignitatis gradus ſignificet, vt propriè exponit Conſultus *in l. honor.* 14. *in princip. ff. de muneribus & honor.* ſed ſimplicem quādam abſque dignitate adminiſtrationem. Quo ſenſu idem verbum â Papiniano fuiſſe vſurpatum apparet in *l. teſtamento*. 51. *§. cum ita, ff. de manumiſſ. teſtamento*, ibi: *Aut ab honore miniſtrandi, vel adminiſtrandæ rei negotio remouit*, vbi ſingulariter obſeruat Gloſſa eſſe honorem adminiſtrare, quam *lib.* 14. *reſponſorum Papiniani in dict. l.* ſequitur Cuiac. Quo ſic ſuppoſito, Conſulti mens in *dict. §.* ea eſt, vt ſi ante quis ad munera municipalia vocatus ſit, quàm negotiari inciperet, vel antequàm in Collegiū adſumeretur, quod immunitatem pariat, vel antequàm ſeptuagenarius fieret, vel antequā publicè profiteretur, vel antequàm liberos ſuſciperet, quæ omnia vacationem inducunt, nihilominus compelletur ad honorem gerēdum; ſiue, quod idem eſt, ad municipale munus, quod in adminiſtratione cōſiſtit, vt probatur ex *dict. l. honor.* 14. *§. munus, ff. de muneribus & honoribus*. Nam licèt ad illud tempus peruenerit, quo vel liberorum numero, vel ſeptuaginta annorum ætate, ſeu alia ſimili ratione, de quibus in *dict. §.* ab omni munere perſonali, ciuili & municipali liber exiſtit: attamen quia tunc temporis cùm ad munera fuit vocatus, nullam immunitatis cauſam obtinuerat, vt patet ex eodem textu, ibi: *Vt ſi anteà quis ad munera municipalia vocatus ſit, quàm negotiari inciperet, &c.* adhuc excuſatione ſuperueniente cœptam muneris adminiſtrationem abſoluere debet, quod ſi recuſauerit, iudicis officio compellēdus erit.

5 Quam ſententiam clariùs expreſſit Vlpian. *in l. 2. §. qui ad munera, ff. de vacatione munerum*: *Qui ad munera vocantur*, inquit, *viuorum ſe liberorum numerum habere tempore, quo propter eos excuſari deſiderant, probare debent: numerus enim liberorum poſteà impletus, ſuſceptis anteà muneribus non liberat, &c.* conducit *l. ſi quis poſteà* 7. *ff. de iudicijs*, *l. excuſantur* 2. *§. remittit, verſic. Oportet, de excuſat. tutor.* & quæ tradit Gloſſ. & Ioan. de Platea *in l. ſi vltrà, C. de Decurion. lib.* 10. Ergo ex ſuperiori reſponſo minimè inferri poterit, ſeptuagenarium ſenem ab honoribus immunem exiſtere: quia etſi id verborum cortice probari videatur, ipſorum tamen genuino ſenſu apertè reſpuitur. Quapropter inconcuſſum manet, nullam ætatem honorum excuſationem præſtare.

6 Sed hæc omnia, etſi non graui, acuta tamen difficultate eneruari videntur, quam primitùs excogitauit Accurſius *in dict. l. à Decurionatu* 5. *ff. de vacatione munerum*, ab ipſoque poſtmodum, quamuis ſuppreſſo nomine tranſcripſit Cuiacius *in dict. l. in honoribus* 8. *ff. eodem*: etenim videtur nedum ſeptuagenariam ætatem ab omnibus, & à quibuſcumque honoribus vacationem inducere, verùm quintum & quinquageſimum annum dumtaxat ſufficiens temporis ſpatium reputari, vt eo tranſacto inuitus nemo in aliquem honorem aſſumi poſſit. Quod vtique ſequenti argumento monſtratur. Nemo poteſt ad aliquos honores promoueri, niſi qui Decurionatus munere condecoratur, *l. honores* 7. *verſic. Is qui non ſit, ff. de Decurionib.* ſed â Decurionatu quis quinto & quinquageſimo anno immunis fit, *l. 2. §. vltim. l. non tantùm.* 11. *ff. eodem*, & probauimus *ſuprà anno* 55. ſuo proprio loco: ergo per conſequentiam eadem ætate à quocumque honore etiam liber fiet, cùm nullus abſque Decurionatu obtineri poſſit.

7 Cui obiectioni affabrè quidem reſpondent Gloſſa, & Cuiacius *vbi proximè*, verum eſſe, maiores ſeptuaginta annis, imò quinquaginta & quinque per conſequentiam excuſari ab omnibus honoribus, ſi ſe excuſauerint à Decurionatu, qui velut baſis & ſedimentum eſt omnium honorum: quemadmodum interpretandus erit idem Cuiac. *ad l. 2. de excuſatione*, ſibimet contrarius exiſtat, cùm abſolutè profert honorum vacationē 55. 60. vel 65. anno tribui. Sed ſi quis ad Decurionatum vocatus fuerit antea quàm quinquageſimum annum exceſſerit, in eoque etiam poſt prædictam ætatem libenter perſeuerauerit, vel ea iam exacta fuerit ſua ſponte Decurionatus ſuſceptus, vt in caſu *dict. l. 2. §. vltim. de Decurionib.* tunc enim vetum eſt nullam ætatem, licèt ſeptuagenariam, aliquem ab honoribus immunem efficere.

SVMMARIVM.

Septuaginta annorum ætas à muneribus ciuilibus excuſationem affert. 1.

A perſonalibus muneribus quintum & quin-

quinquageſimum annum excuſare aliqui docent. 2.

Alij tamen ſeptuagenariam ætatem huic excuſationi eſſe neceſſariam veridius arbitrantur. 3.

Perſonalia munera ſub ciuilibus continentur. 4.

Cura comparandi frumentum munus eſt perſonale, à quo ſeptuaginta anni excuſationem afferunt. ibid.

Tutela munus perſonale eſt. 5.

Septuagenarius à tutela vel cura liberatur. ibid.

Onus eundi ad bellum, & comitandi Regem ad illud euntem, perſonaliſſimum eſt. 6.

Imperator militum mediæ ætatis eſſe debet. ibidem.

Septuagenarij, nec ire ad bellum, nec Regem comitari tenentur. ibid.

L. 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *nouæ recollectio. elucidatur.* 7.

Qui per ſe militare nequit, ſubſtitutum proprijs expenſis, etiã ſi bonis non affluat, mittere tenetur. ibid.

Reijcitur ſententia eorum, qui putant, poſt quintum & quinquageſimum annum neminem poſſe ad bellum compelli. 8.

L. 3. *C. qui ætate, vel profeſſione ſe excuſant, lib.* 10. *explicatur.* 9. *& ſeqq.*

Ætas ſeptuaginta annorum ad excuſationem munerum ciuilium & perſonalium requiſita, completa eſſe debet. 11.

Ætas ad munerum excuſationem requiſita, numero liberorum minimè ſuppletur. 12.

Ætas poſt iniunctum munus impleta, nihil ad excuſationem proficit. ibid.

A muneribus patrimonialibus, nulla ætas excuſat. 13.

QVÆSTIO XIIII.

Quot annorum homines ſenectutis obtentu à muneribus ciuilibus & perſonalibus excuſationem mercantur?

SEptuaginta annorum ætatem à ciuilibus functionibus, ſiue muneribus excuſationẽ præbere, adeò exploratum eſt, vt manifeſtis Vlpiani verbis contineatur *in l.* 2. *in fine, ff. de Decurionibus*, quorum hæc ſeries: *Sed ſi ei rei conſenſerint, etſi maiores annis ſeptuaginta ſint, munera quidem ciuilia obire non coguntur: honores autem gerere debent*, repetit *in l. & qui originem* 3. *§. quamuis, ff. de muner. & honorib.* ita: *Quamuis maior annis ſeptuaginta & quinque liberorum incolumium pater ſit, ideoque à muneribus ciuilibus excuſetur, &c.* & rurſus *in l.* 2. *§. numerus, ff. de vacat. muner.* ibi: *Numerus liberorum, aut ſeptuaginta annorum ab honoribus, aut muneribus his cohærentibus excuſationem non præſtat, ſed à muneribus tantùm ciuilibus.* In quæ Conſulti verba penè omnes iurarunt Interpretes, præcipuè Iacob. Cuiac. *in l.* 3. *C. qui ætate ſe excuſant, lib.* 10. Ægidius Thomatus *de muneribus patrimonialibus, ſeu collectis, cap. de ſenibus fol. mihi* 303. Ioan. Petr. Moneta *de diſtribut. part.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 11. Cauedus 2. *part. deciſionum deciſ.* 84. *num.* 43.

Circa perſonalia verò munera ingens cõcertatio eſt, quænam ætas ab ipſorum functione excuſet: Multi enim arbitrantur quintum ſupra quinquageſimum annum legitimã à prædictis muneribus immunitatem afferre, vel ex eo ſolùm adducti, quod in *l. manifeſti.* 3. *C. qui ætate vel profeſ. ſe excuſ. lib.* 10. ſcribitur, nempe manifeſti iuris eſſe, maiores quinquaginta quinque annis, inuitos ad munera perſonalia vocari non poſſe. Quare hãc opinionem potiorem, & iuri magis congruẽtem proclamant *ibidem* Gloſſa Ioan. Bertachin. *in repertorio liter. M. verbo maior, verſic. Maior quinquaginta annorum*, vbi quinquageſimo anno maiorem affirmat ad onera perſonalia non teneri, veluti ad bellum ire, Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *caſu* 59. *num.* 5. Auendañus *de exequend. mandat.* 1. *part. cap.* 19. *num.* 24. *verſic. Tertius caſus eſt*, Azeued. *in l.* 1. *num.* 97. *tit.* 1. *lib.* 6. *nouæ recollectio.* qui ex Platea *in l. ſi vltra, C. de Decurionib. lib.* 10. quinquaginta annorum ætatem ſufficere exiſtimat ad excuſationem publicorum munerum, quos vulgò *de juſticia, ò de conſejo* nuncupamus, Thomas Accius *tract. de infirmitate cap.* 19. *num.* 21. Dominicus Taſſonus *ſuper pragmat. de ante facto, verſ.* 12. *obſeruat.* 1. *num.* 336. Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. dict. cap.* 328. *num.* 5. noſter Alphonſ. Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 31. *num.* 32. Garſia Toletan. *in lucerna rubricar. tit.* 49. *num.* 4. *lib.* 10. *Codicis*, Velaſcus *de priuileg. miſerabil. perſonar. quæſt.* 18. *num.* 18. licèt Vlpianum hanc immunitatem ad 75. annum extendiſſe in *l.* 3. *§. quamuis, ff. de muneribus & honoribus* obſeruet.

Sed non deſunt quibus magis probetur ſeptuagenariam dumtaxat ætatem horum perſonalium munerum legitimam excuſationem eſſe. Nec immeritò quidem, cùm apertis hac de re Iuriſconſultorum, & Cæſarum teſti-

teſtimonijs euincatur, maximè ex illo Vlpiani *in l. maiores. 3. ff. de iure immunitatis*, vbi ſequentia ſuperadduntur verba: *Maiores ſeptuaginta annis à tutelis, & muneribus perſonalibus vacant*, & conducit quod ab eodem ſcribitur in *l. 3. §. Cura, ff. de muneribus & honoribus*: ſed luculentiùs hoc manifeſtum redditur Imperatotum Dioclet. & Maxim. eleganti reſcripto *in l. ſi vltrà. 10. C. de Decurioni. lib. 10.* cuius hic tenor: *Si vltra ſeptuageſimum ætatis annum patrem tuum eſſe Præſes prouinciæ perſpexerit, eum perſonalium munerum vacatione perfrui probibebit.*

4 Suadeturque concludenti ratione. Nam perſonalia munera ſub ciuilibus cõtinentur, veluti ſpecies ſub genere, *l. munerum. 18. in principio, & §. hæc omnia, de muneribus & honoribus*. Ergo cùm ea, quæ ciuilia ſunt, ſeptuageſimum annum agentibus deferri non poſſint, & quæ perſonalia inueniuntur, eiuſdem ætatis hominibus aſſignari haud quaquam poterunt. Deinde munus frumentum comparandi perſonale dicitur in *l. 1. §. 1. de muneribus & honoribus*: at ab eo non niſi ſeptuaginta annorum ætas excuſationem affert, *l. 3. §. Cura, ff. eodem*, ibi: *Cura frumenti comparandi munus eſt* (vbi Gloſſa obſeruat perſonale eſſe) *& ab eo ætas ſeptuaginta annorum, vel numerus quinque liberorum incolumium excuſat.*

5 Rurſus, quia tutelæ vel curæ munus perſonale eſt, *dict. l. munerum in principio*, ibi: *Veluti tutela vel cura, dict. l. maiores 3. de iure immunitatis*, quibus conuenit diſpoſitio patriæ *l. 2. tit. 17. part. 6.* & tamen ab eo non niſi ſeptuaginta annorum ſenectus vacationem adducit, *dict. l. 3. §. item maior, inſtitut. de excuſat. tutor.* vbi notant omnes, præſertim Franciſcus Hotoman. *verſic. Maior ſeptuaginta*, Oinotom. *num. 2.* Vveſembech. *eodem num.* Balduin. *num. 21.* Minſinger. *num. 2. & 5.* tradit Gloſſ. 1. *in dict. l. ſi vltra*, Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 2. diſceptat. 327. num. 4.* Ioachim. Hoper. *de vera Iuriſprudentia lib. 10. cap. 8.* Petrus Gregor. *ſyntagmat. lib. 12. cap. 6. num. 9.* Moneta *de diſtribut. 2. part. quæſt. 7. num. 12.* Azeuedus *vbi ſuprà num. 96.* Anton. Pichard. *in princip. inſtitut. de excuſation. num. 14.* nouiſſimè Ioannes Biſcontes *in commentar. ad eundem titulum cap. 1. à num. 10.* Ludolph. Scrader. *in ſelectiſſimis iuris quæſtio. tit. 25. num. 17.* vbi & huius rei rationem aſſignat Velaſcus *dict. tractatu de priuileg. miſerabil. quæſt. 18. num. 18.* Igitur pari modo à quibuſcumque muneribus perſonalibus eadem ſeptuagenaria ætas ſolummodò immunis erit.

6 Et de iure noſtro hoc dilucidius commõſtratur. Nam cùm onus eundi ad bellum, aut Regem ad illud euntem comitandi *l. 7. tit. 19. part. 2.* perſonaliſſimum ſit, vt ex ſe patet, & probare videtur Bertachin. *vbi ſuprà*, ab eo tantùm ſeptuagenarij excuſationem merentur, *l. 3. tit. 19. part. 2.* ibi: *O mayor de ſeſenta*, quo verbo obſeruat Gregor. & adducit Florianum idem ſentientem in *l. inuiti la 1. ff. de teſtibus*, quibus accedit Cauedus alios referens *2. part. deciſ. 29. num. 3.* nam vt canit Poeta: *Turpe ſenex miles*, vnde Onoſander Strategicus *cap. 1. num. 8.* Imperatorem militum, neque iuniorem, neque item ſeniorem eligendum eſſe hortatur: *Nam ille fide minus idoneus, iſtius vires parum firmæ, neuter ſecuritatem præſtare poteſt: etenim adhuc adoleſcentior, temerario & feroci impetu rem deperdet: at iam defectæ ætatis ſenex naturali infirmitatis vitio derelinquet. Optima igitur temperatæ, ac intermediæ cuiuſdam rationis electio, quia & robur inerit ſeniori:* ideò Homericus ille Neſtor *Iliad. 4.*

In conſilijs præcipuus, bello inutilis.

docet in dictum locum Onoſandri Ioannes à ChoKier, conſentit Carolus Scribanius *in Politica cap. 26. num. 23.* & deſignat præfatam ſeptnaginta annorum ætatem nouiſſimè Rodericus Acunha *in cap. 1. num. 2. 85. diſtinct.* Itaque ſubaudienda erit *dict. l. 7. partitæ, verſic. Mas touieron por bien*, vbi loquens de his, qui Regem comitari tenentur, eos tãtùm ab eiuſmodi obligatione liberat, qui iuſta aliqua, & legibus comprehenſa excuſatione iuuantur, è quibus ſeptuagenariam ætatem eſſe dubitari non poteſt, *dict. l. 3. tit. 19. part. 2.* Nec contrarium probat *l. 1. tit. 1. lib. 6. nouæ recollection. leg. Hiſpaniæ*, quæ circa milites armatos, vulgo *Caualleros armados*, loquens, ſexageſimo anno eos immunes reddit ab onere eundi ad bellum, illis verbis: *Pero que el Cauallero que fuere de edad de ſeſenta años, no ſea tenudo de ir por ſu perſona à la guerra*, ſiquidem *prædicta lex* ſolùm diſponit equites armatos ea ætate excuſari à labore itineris, & moleſtia eũdi perſonaliter ad prælium, vt conſtat illic: *No ſea tenudo de ir por ſu perſona à la guerra*: non verò eos liberos & immunes efficit ab obligatione ſubſtituendi alios, qui ſuo loco dimicandi onus ſuſcipiant, & adimpleant, veluti ex ſequentibus his verbis colligitur: *Pero que todavia ſean tenudos de mantener cauallo y armas, y embiar à la guerra quien ſirua por ellos.* A qua quidem obligatione exui non niſi agentes ſeptuageſimum annum poſſunt, vt in *dict. l. 3. part.* continetur, quæ de omnimoda excuſatione eundi, & ſubſtitutum mittendi intelligenda eſt, vt placet etiam Aze- 7

uedo *in dict. l.* 1. *numero* 101. & Velaſco *vbi ſuprà num.* 20. licèt contrarium magis arrideat Cauedo 2. *part. deciſ.* 29. *num.* 4. vbi reſoluit, Ducem, ſeu nobilem ſeptuagenarium, aut minorem 18. annorum excuſari à perſonali ſeruitio belli, non verò ab onere ſubſtitutum mittendi, & quidem ſuis expenſis, licèt aliqua egeſtate laboret: nam vt inquit Bald. *conſil.* 407. *lib.* 5. cui accedit Cauedus *vbi ſuprà num.* 65. quando aliquis tenetur ſuo ſumptu militem dare, vel equum, difficultas præſtationis pertinet ad eum, ſi tamen poteſt, licèt cum difficultate, vt intelligendum puto, aliàs ad impoſſibile quis obligaretur. Itaque his temporibus obſeruatum experimur in expeditione belli Cataloniæ, & Luſitaniæ, quibus ob illarum perfidiam & inobedientiam miſerè vexamur: tanto enim malo vt celerrimè occurreretur, nullo habito delectu omnes legitimæ ætatis ad bellum vocantur, quoniam vt noſter Legislator inquit in *dict. l.* 3. *partitæ*: *Tal leuantamiento como eſte, por tan eſtraña coſa lo toueron los antiguos, que mandaron, que ninguno no ſe pudieſſe eſcuſar por honra de linage, ni por priuança que ouieſſe con el Rey, nin por priuilegio que touieſſe del Rey, ni por ſer de Orden, ſi non fueſſe ome encerrado en Clauſtro, ò los que fincaſſen para dezir las Horas, que todos vinieſſen ende para ayudar con ſus manos, ò con ſus compañas, ò con ſus aueres.* Et qui iuſta aliqua excuſatione à perſonali ſeruitio liberantur, ſubſtitutum præſtare coguntur, ſi tamen patrimonij vires ſufferant, nam pro modo facultatum, vel omnes, vel dimidiam, vel tertiam partem expenſarum ſubſtituti tantundem inferre compelluntur.

Sed vt ad inſtitutum reuertamur, hodie nouiſſima quadam diſpoſitione Philippi II. edita anno 1569. iuſtis de cauſis poſt quinquageſimumquintum annum completum nemo ad militiam vocari aut cogi poteſt, vt ex diſpoſitionis ſerie apparet, quam ſuperiùs *anno* 50. retulimus, quo loco de veteranis, & excuſatione à militia ſpecialiter egimus.

8 Ex quibus infertur minùs bene docuiſſe Gloſſam *in l.* 2. *C. de his qui non impletis ſtipendijs*, Bertachin. *loco ſupra relato*, Tiraquel. *in l.* 6. *connubial. gloſ.* 1. *num.* 8. Ripa *de peſte titulo de remedijs ad curandam peſtem num.* 222. Auendañ. *de legibus præt. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 24. *verſic.* 3. Menoch. *de arbitrar. caſu* 59. *num.* 5. Thomas Accius *de infirmitate legal.* 1. *part. cap.* 19. *num.* 1. & alios relatos à Roderico Acunha *vbi ſuprà*, neminem, qui ſupra quinquageſimum annum quintum expleuiſſet, compelli ad bellum poſſe, quia vt affatim dictum extat, ire ad bellum perſonale miniſterium & munus eſt, cuius ſeptuagenaria tantùm ætas vacationem inducit, vti & à longiſſimi & periculoſi itineris etiam autore Acunha *dicto loco numero* 2.

Igitur vt ad inſtitutum reuertamur, adeò enim ex hactenus enumeratis conuincitur ſeptuaginta annorum ætatem ad perſonalium munerum excuſationem neceſſariam eſſe, vt non dubitarem hoc ipſum aſſerere, & ita ſentientibus Iacobo Cuiac. *vbi proximè*, Thom. Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſputation.* 32. *num.* 17. Ioan. Petro Monetæ *dict. quæſt.* 7. *num.* 10. & 11. Azeuedo ſibi contrario *in rubric. num.* 10. *tit.* 14. *dict. lib.* 6. *Recopilat.* ex animo ſubſcribere, à quo nec pedem retrahit aduerſæ opinionis vnicum præſidium ex *dict. l.* 3. deſumptum, *C. qui ætate vel profeſ. ſe excuſant.* Nam licèt vulgata ſcriptura id ſuadeat, & quodammodò 9 indicare videatur, quinto, & quinquageſimo anno perſonalium munerum vacationem eſſe tributam, certius eſt, Imperatorum mentem & ſententiam eam non videri, quam verba demonſtrant: ſed librariorum incuria fuiſſe corrupta, veluti poſt Concium, vt aduertit Gloſſa marginalis, obſeruant *ibidem* ex vetuſtiſſimis exemplaribus doctiſſimus Iacobus Cuiacius, & Moneta *de diſtributio. d.* 2. *part. quæſt.* 7. *num.* 10. qui omnes loco illorum verborum *quinquaginta quinque*, legendum eſſe *ſeptuaginta* admonent, ita vt eius legis ſenſus ſit manifeſti iuris eſſe maiores ſeptuaginta annis ad munera perſonalia vocari non poſſe, quæ noſtra ſententia eſt.

Et quòd eiuſmodi ſcriptura, & iuri, & ipſiuſmet legis verbis conuenientiſſima ſit, patet, nam manifeſti iuris eſſe aiunt Cæſares, quod ab ipſis reſcribitur, quo loquendi modo neceſſariò ſupponunt idem anteà legibus fuiſſe cautum, ſed nullibi in iure expreſſum reperitur, quintum & quinquageſimum ætatis annum à muneribus perſonalibus immunitatem præſtare: ergo Imperatorum ſententia, quæ in *dicta l.* 3. manifeſti eſſe iuris pronuntiatur ad id, quod in propoſito inconcuſſum, patens, & manifeſtum inuenitur in iure, referenda erit ſcilicet ad ætatem ſeptuaginta annorum, quæ vt multis iuris locis ſuprà congeſtis continetur, ab omni munere perſonali vacationem inducit. Deinde præfatam lecturam genuinam eſſe comprobatur, quia ſequentibus legis verbis congruit, illis videlicet, *Cùm itaque ſeptuagenario maiorem te eſſe profitearis, &c.* ad quid enim de ſeptuagenario mentionem feciſſe, ſi vt initio eiuſdem legis proponitur, conſtantiſſimi 10

mi iuris erat, quinquaginta & quinque annis maiores ad dicta munera vocari non poſſe? Elegantius enim, & reſcripti argumento conuenientius foret, ſi illum prædicta requiſita ætate maiorem affirmaſſet, licèt precibus oblatis contineretur implorantem ſeptuagenario maiorem eſſe: ergo vt hæc omnia conuincunt, affirmandum erit inuerſam & mendoſam *dictæ legis* ſeriem videri, ideoque ſubſtitutam lectionem veram & tenendam eſſe.

11 Cæterùm, vt diſputationis noſtræ vela contrahamus, adijciendum erit ſeptuaginta annorum numerum, quo immunitatem à ſupradictis oneribus contingere adnotauimus, extremè completum & exactum eſſe oportere: nam vt optimè ratiocinatur Vlpianus *in dicta l. maiores. 3. de iure immunitat.* qui ingreſſus eſt ſeptuageſimum annum, nondum egreſſus, eo nimirùm hac vacatione non vtetur, quia non videtur maior ſeptuaginta annis, qui annum agit ſeptuageſimum. Vnde quaſi notiſſimam regulam initio eiuſdem legis præmittit maiores ſeptuaginta annis à tutelis & muneribus perſonalibus vacare, quod etiam affirmant Oinotom. *in dict. §. item maior num.* 2. Vveſembech. *eodem num. &* 5. Balduin. *num.* 21. &
12 expreſſius Thade Piſon *ibidem num.* 7. abſque eo quòd ad prædictam excuſationem proficiant 65. anni & tres liberi *l. 1. §. vltim. de vacatione muner*, quia vt aduertit Iacobus Cuiac. *in dict. l. 3. C. qui ætate ſe excuſant*; vtraque ſpecies excuſationis imperfecta eſt: nam licèt legibus caueatur, vt ſinguli anni per ſingulos liberos remittantur, id verò ad honores pertinet, vt inquit Conſultus *in l. 2. ff. de minoribus*, non verò ad munera, quibus nullus honor ineſt, quocirca opus erit ſeptuagenariam ætatem exceſſiſſe qui à præfatis muneribus ob ſenectutis infirmitates vacationem deſiderat, eo ſcilicet tempore quo munus defertur, nam ſi poſt id iniunctum ætatem expleuerit, ætatis prætextu fruſtrà immunitatem conſequi poſtulabit, quoniam ætas, vel alia excuſationis cauſa ſuperueniens à tutela, officio, vel alio munere iam delato non liberat, argumento *l. 2. verſic. Qui ad munera, de vacatione munerũ, & l. ſemper 5. §. hoc circa de iure immunitatis*, notat Gloſſa *in dict. l. ſi vltra, C. de Decurionibus lib.* 10. & poſt eam noſter Perez de Lara *lib. 2. de Capellanijs cap. 9. num.* 59. *in fine*, vbi & numeris antecedentibus multa ad huius doctrinæ comprobationem adducit, vti & qui iam ſeptuagenarius vltroneè huic muneri ſe ingeſſit, vt obſeruat Ricius *collectanea* 1623. *in fine*, qui ita deciſum teſtatur: quamuis benè verum ſit, quòd ſi ob graueſcentiam prædictæ ætatis, quam poſt ſuſceptum officium expleuit, iniuncto muneri ſatisfacere non poſsit, ei curator adiungetur, qui minoris, aut reipublicæ bona adminiſtret, *l. ſolent. 13. ff. de tutelis*, vt infra *anno* 70. latiùs oſtendam.

Et tandem coronidis loco ſciendum erit, hæc quæ de excuſatione à muneribus propter ætatem præfati ſumus, in ciuilibus tantùm & perſonalibus, veluti *En oficios de juſticia, y de Conſejo, y Cogedores de padrones*, & ſimilibus procedere, vt dictum extat, non
verò in patrimonialibus, ſiquidem ab iſtis 13
nulla ætatis excuſatio eſt, *l. ſunt munera.* 11. *de vacatione munerum, l. fin. §. ab huiuſmodi, de muneribus & honoribus, l. neque* 5. quæ id expreſsè probat, *C. de munerib. patrimonial. lib.* 10. *l.* 1. *C. de indic.* refert Ægidius Thom. *dict. tractat. de muneribus patrimonialib. cap. de ſenibus folio mihi.* 304. vbi etiam ſubijcit, idem eſſe in muneribus mixtis, *l. in honoribus* 8. *de vacatione muner. dict. l. fin. de muneribus & honoribus.*

ANNVS OCTVAGESIMVS.

SVMMARIVM.

Ætas decrepita quo tempore incipiat? 1.
Octuagenarij verè decrepiti ſunt. 2.
Vitæ extrema pars decrepita dicitur. 3.
Decrepitus vnde dicatur? 4.
Ætas decrepita mala appellatur. ibid.
Senes decrepiti bis pueri ſunt. 5.
Defecta ætas quæ ſit? 6.

QVÆSTIO I.

Senex in qua ætate decrepitus dicatur?

1 SCio enim non defuiſſe qui præcipitem (vt loquar cum Iacobo Cuiacio *in l. 2. ff. de excuſationibus*) & decrepitum ſenem illum præfinirent, cuius annorum numerus ſeptuageſimum exceſſit. Et ni malè recordor, huius ſententiæ extitere Guillerm. Rouill. *in deſcriptionibus iuſtitiæ & iniuſtitiæ lib. 2. cap. 13.* vbi decrepitum ſeptimam & vltimam hominis ætatem eſſe inquit, & probari poterat ex eo quod ex Philoſophis alibi diximus, nempe vitam hominis ſeptem dierum eſſe, ideſt ſeptem ætatum, Paul. Pariſ. *conſil. 29. num. 29. volum. 2.* Syluester *in ſumm. verbo ieiunium num. 18. prope finem,* Genebrard. *Pſalm. 89. num. 12.* Thomas Grammatic. *deciſ. 34. num. 4.* Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 5. cap. 805. numer. 43.* Hortenſ. Caualcan. *in practica & theorica de teſtibus 1. part. num. 15.* Proſper. Farinac. *tom. 2. praxis criminalis quæſt. 41. numero 25. & 26.* Et quod mirandum magis eſt, Abbas *in cap. quoniam frequenter vt lite non conteſtat. num. 18.* & ex Medicis Auicen. *prima primi doctrin. 3. cap. 3.* decrepitatem poſt ſexageſimum annum habere principium firmarunt: quibus conſentire videtur Cardan. *contradictio. Medic. lib. 2. contradict. 10. tract. 5.* & Fernel. *Phyſiolog. lib. 3. cap. 10.* quinque addit annos huic ſenectuti, decrepitatemque in ſexageſimoquinto anno incipere ſtatuit, quem terminum magis rationi conſonum appellat Paul. Zachias *Me-* 2
dicolegal. lib. 1. tit. 1. quæſt. 10. num. 17. Sed horum omnium illæſa autoritate, potiùs inſectandum eſſe arbitror quod in propoſito ſcripſere Ioan. Oinotom. *in §. minorem num. 4. de adoptionib.* Balzaranus *de feudis lib. 2. tit. 14. num. 2.* & Medicorum doctiſſimus Andreas Laurent. *tractatu de ſenectute cap. 2. pagina mihi. 126.* videlicet octuagenarios ſenes decrepitos eſſe.

Pro qua opinione fortiſſimum nobis præſtat fundamentum, quòd vitæ extrema pars decrepita dicitur, vti ex *cap. à paruulo, de conſecratione diſtinct. 4.* colligitur, & expreſſiùs ex Donato, & Feſto probat Theſaurus linguæ Latinæ *verbo decrepitus.* Itaque definijt Zachias *vbi proximè num. 11.* & confirmari poteſt Annæi Senecæ teſtimonio *epiſt. 12.* vbi ſemimortuum, & vt in prouerbio erat, ad oſtium admotum ſenem decrepitum vocat, vt *ibidem* Lypſius & Opſopœus explicant: ſed clariùs id oſtendit *epiſtol. 26.* in hæc verba: *Inter decrepitos me numera, & extrema tangentes*, de qua ſenectute decrepita accipiendum eſt quod alibi dixit, nempe ſenectutem, nihil aliud eſſe, quàm vitæ occaſum, nec non & quod Apoſtolus ſcripſit *ad Hebræos cap. 8.* qui antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt. Vnde inquit Eminentiſſimus Cardinalis Turrecremata *in ſumma Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 22. num. 3. verſ. Quarta,* quòd Eccleſiæ decrepita ætas erit in fine mundi, de qua ſub nomine ſenij *Pſalm. 70. Et vſque in ſenectam & ſenium Deus ne derelinquas me,* vbi obſeruat Gloſſa. Ergo cùm hominis mundus iſte paruulus, ſecundùm conſuetam viuendi rationem octuageſimo anno præceps, & prope interitum ſit, cùm regulariter pauci

ci nonageſimum annum agant, etſi fortè aliquibus diutiùs viuere contingat, quod ratò accidit, vt inferiùs *anno* 100. patebit, centeſimum non excedunt, conſectarium eſt eam ipſius decrepitam ſenectutem eſſe.

4 Quibus non leuiter auxiliatur decrepiti etymologia, quam ex Feſto refert idem Theſaurus, qui decrepitum ſenem dictum eſſe vult ab eo, quòd propter ſenectutem nec moueri ſe, nec crepitum vllum facere poteſt, quæ omnia octuagenario ſeni tantundem conuenire videntur; cùm in ea ſit, qua nihil præter dolores, infirmitates, & continuę mouendi impoſſibilitates inuenitur, teſte Regio Propheta *Pſalm. 89. verſic. 10. Dies annorum noſtrorum*, inquit, *in ipſis ſeptuaginta annis: ſi autem in potentatibus, octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor*. Et ideò hanc extremam ſenectutem, vtpote malis refertam, malam ætatem rectè appellat Adrian. Turneb. *aduerſar. lib. 17. cap. 21. in principio*, his verbis: *Malam ætatem veteres, vt a Grammaticis obſeruatum eſt, ſenectutem appellabant; quæ cùm grauis ſit, & oneroſa, nec minus tergo noſtro ponderoſa, quàm baculi dorſo graue pondus, proinde ſcripſit Plautus in Menæchmis. Sc.*

Vt ætas mala mers, mala eſt tergo.

Quapropter huius ætatis hominem, non verò ſeptuagenarium decrepitum eſſe, abdubitari non poterit.

5 Huic germanum eſt quod ex Horatio tradit Iacobus Simancas *lib. 7. de Republica cap. 7. num. 781.* nempè ſenes decrepitos bis pueros eſſe, & res omnes timidè trepidequè miniſtrare, cui & illud conuenit Ludouici Viues *lib. 2. de anima quemadmodum* ſcilicet, *in infantia non vtitur ratio ſuis organis, quia nondum ſunt apta: ſic nec in decrepita ſenecta; quia iam deſierunt eſſe apta; magno ſcilicet vſu detrita, & corrupta.* Vnde cùm hac octuagenaria ætate ferè ſemper ſenes repuereſcere videantur, & non anteà, veluti autoritate multorum *hoc eodem anno* conſtabit, vbi de reſtitutionis auxilio ſeni, velut minori concedendo tractabitur, manifeſtè colligitur, eadem etiam & decrepitos eſſe.

6 De qua ſenectute decrepita intelligendus erit Vlpianus *in l. arboribus. 12. §. de illis, ff. de vſufructu*, vbi defectæ ſenectutis hominem ſeruum appellat, cuius non aliter, atque infantis, ob ſenij imbecillitatem operæ nullæ ſunt, & *in l. 2. §. ignoſcitur, ff. ad Silanian.* Quam vtique ſenectutem meritò defectam cognominat, quaſi in ea homines ab omnibus neceſſarijs operationibus deficiant, & vix aliquas ſine alterius adminiculo exequi valeant, vt verbis continetur Andreæ Laurentij *vbi ſuprà*; quorum hæc ſeries: *Tandem poſtrema illa ſuperuenit ſenectus, quam decrepitam vocant, in qua, vt ait Propheta Regius, nihil niſi dolor & languor, ſingulæ corporis & animæ functiones debilitantur, hebeſcunt ſenſus, deperditur memoria, deficit iudicium, & tunc temporis in infantiam incidunt.* Et confirmatur ex Hugone *libro de clauſtro animæ. Audiat hoc*, inquit, *ſenum ſera conuerſio, quibus ex defectu ſenectutis aures obturantur, oculi turbantur: vt breuiter cuncta præſtringam, ipſi in ſe per ſe deficiunt.* Cuius rei illam elegantiſſimam rationem aſſignat Plato *in Axiocho 1. & 7 de legibus. Senes decrepiti*, inquit, *ſunt bis pueri, non nulli ratione, ac conſilio pueri. In ſenectutem præterea quidquid in natura eſt ruinoſum, ac interitui obnoxium confeſtim ſeſe effundit, & quidem ita, vt nullis remedijs illa imbecillitas auerti queat: quod ſi quis tardius veiut debitam vitam non reddiderit, natura tanquam fœneratrix, inſtans, ac vrgens, ab alio aſpectum, ab alio auditum, [illegible]nero vtrumque tanquam pignus exigit.*

SVMMARIVM.

OBliuio præteritorum aliquando in commiſſi flagitij pœnam infligitur. 1.

Senectus primum vulnus memoriæ incutit. 2.

In ſene tantùm vmbra & nomen hominis reſtat. ibid.

Senibus cœleſtes motus, & influxus deſunt. ibid.

Senes obliuioſi præſumuntur. 3.

Notarius, qui in ſenectute interrogatus inſtrumentum ſcripſiſſe negauit, excuſatur, licet poſtea mendacij conuincatur. 4.

Senes frequenter mendoſi habentur. ibid.

Octuagenarij citra dubium obliuioſi ſunt. 5.

Multitudo negotiorum obliuionem inducit. ibid.

Iudicem non præſumi recordari de prima ſententia, quando ſecundam tulit, de qua iudice ſene intelligitur? 6.

Senum vitium eſt præterita laudare, & præſentia vt deteriora accuſare. ibid.

Fœminæ ſeptuagenariæ obliuioſæ præſumuntur. 7.

Sententia eorum, qui exiſtimant, memoriam hominis centum annorum eſſe, reijcitur. 8.

Obliuionem alicuius rei præſumi elapſis viginti annis, qui docent? 9.

Iniuriantem non teneri ad famæ reſtitutionem poſt viginti annos putat Hurtado. *ibid.*

QVÆSTIO II.

Homines cuius ætatis obliuioſi, & immemores credantur?

OBliuio, & præteritorum ignorantia, licèt aliquando nonnullis in commiſſi flagitij pœnam infligatur, vt admonuit Gratianus *in c. illud. 15. quæſt. 1.* & retulit Thomas Accius *tractat. de infirmitat. legali cap. 12. num. 14.* frequentiùs tamen prouectiſſimæ ætatis imbecillitate hominibus accidit. Nam veluti ex Plinio ſcriptum reliquit Ant.n. Natta *conſil. 537. num. 12. in fine*, & latiùs ex Seneca *lib. 2. declamatio. in principio*, Ioan. Garſia *de nobilitat. gloſſ. 12. num. 71.* ſenectus primum vulnus memoriæ infert: ſic idem Seneca, aut qui illius tragœdiæ autor fuit *in Oedipo. 1.*

Prima langueſcit, inquit, *ſenum memoria,*
Memoria longo laſſa ſublabens ſitu

Et Cicero quoque *epiſtol. lib. ad Atticum, Senilius*, dicit *eſt memoriola vacillare*, & alibi Seneca: *Solebat*, inquit, *bonæ fidei eſſe memoria, & quæ ei conceſſeram, citò reſtituebat: nūc autem ætate caſſa, & longa deſidia, quæ iuueniles animos diſſoluit, quàm noua audio.* Nec diſſentit Salluſtius: *In ſene vmbra*, inquit, *nomenque hominis relictum eſt, vires corporis effætæ, ſenſus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtuſus: denique ſenio confectus parum animo valet.* Ex quo ſenem mortuo æquiparari vulgò circunfertur. Et Beroaldus ex Græcorū prouerbio hominem eſſe & non eſſe ſcribit; idque meritò, ſi Caietano fides adhibenda eſt, quem refert Lorinus *in Eccleſiaſt. cap. 11. verſic. 2.* aſſerenti cœleſtes motus ac influxus, non aliter ac mortuis, iam deeſſe ſenibus. Quod eo Meſſalæ Coruini comprobatur, cuius meminit Solinus *polyhiſtori. cap. 5.* & Petr. Crinit. *lib. 1. de honeſta diſciplin. cap. 12.* qui cùm prouectior factus eſſet, memoriæ ſenſum ſic amiſit, vt ſui quoque nominis non recordaretur, & huic ſimilem fuiſſe Orbilium Beneuentanum, ex eodem Crinito refert Iacob. Menochius
3 *de arbitrarijs lib. 2. caſu 26. n. 5.* vnde apud iuris noſtri profeſſores velut in prouerbio eſt ſenes obliuioſos eſſe, & immemores præſumi. Ita Alexander *conſ. 238. n. 6. & 7. lib. 6.* Andreas Barbac. *in rubric. de fide inſtrum. n. 21.* Iacob. Menochius *vbi ſuprà, & lib. 6. de præſumpt. præſumpt. 32. n. 1.* Cardin. Tuſchus *practic. concluſ. iuris lit. M. concl. 186. n. 4.* Scaccia, qui de muliere loquitur *tract. de commerc. §. 7. gloſ. 5. n. 114.* nouiſſimè Velazq. de Azeued. *in arte memoriæ lect. 4. §. 5. de la edad in princip.* Florius Mauſonius *lib. 1. de cauſis executiuis limitat. 13. n. 17.* Vbi 4
ſenectutem matrem obliuionis appellat, & ante eum Federic. Scotus *reſponſ. tom. 1. lib. 1. reſponſ. 24. num. 54. & 55.* Petr. Caualus *reſolut. criminal. centur. 1. caſu 24. à n. 4.* vbi hac de cauſa à mendacio notarium excuſat, qui in ſenectute interrogatus, an inſtrumentum feciſſet, negauit, & poſteà fuit mendacij conuictus, & meritò, cùm hac de cauſa frequenter ſenes mendoſi habeantur, *c. vnic. in fine de Sacra Vnctione*, ibi: *Sicut antiqui mentiuntur*, Hoſtienſ. & Ioan. Andr. *in c. cùm in iuuentute de præſumpt.* Ioan. Matienç. *in dialog. relator. 3. p. c. 58. n. 15.* Quod nimio illo corporis motui, qui per tot annos continuò ipſius membra concuſſit, tribuit Ariſtot. *lib. 7. Politicor.* ibi: *Immemores ſunt* (de ſenibus loquitur) *propter nimium motum corporibus eorum accidentem.*

Sed quot annorū huiuſmodi ſenes eſſe de- 5
beant, vt præteritæ res ab eorum memoria excidiſſe credantur? non ſatis conſtat inter Pragmaticos. Nam ſi Speculatoris ſententiæ hac in re ſtandum eſt, *tit. de probat. §. 1. num. 21. ad calcem*, nullo vitæ ſpatio id accidere affirmandum erit, ex quo tota vitæ periodo, quam centeſimi anni eſſe ait, memoriam in homine durare ſentiat: à quo diſſentire videtur Andr. de Iſernia *tit. de pace iuramento firmanda c. 1. n. 2.* & D. Rouitus *in Pragmat. 8. n. 35. de ordin. iudic.* Domin. Taſſonus *ſuper pragmatica de antefacto, verſic. 2. obſeruat. 2. n. 102.* qui ſeptuageſimo, aut ſaltim ſeptuageſimoquinto anno ſenes memoriæ infirmitate laborare teſtantur, quia ex illa ætate extra mentem ſunt, quare ad teſtimonium ferendū compelli nō poſſunt, vt ſuo loco monſtratur: ſed neutri opinioni acquieſcentes Iacob. Menochius *d. caſu 26.* & Ioſeph. Maſcardus *de probat. concluſ. 180. n. 48. volum. 2.* hoc totum iudicis arbitrio eſſe relinquendum malunt, quorum exiſtimationē tūc ſolùm veram probarem, quoties dubitaretur, an qui nondū octuageſimū annum egerat, immemor eſſet, nam poſt eiuſmodi ætatem hac in re arbitrio locum non eſſe, ideò iudico, quia octuagenarij ferè ſemper ſenſuum perturbatione laborant, quare eos nec audire, videre, aut guſtu delectari quotidie videmus, & ſi aliquid vidēt, audiunt, aut guſtant, parum eſſe: Adeò quidē, vt non viuentium, ſed morientium operationes credantur, ex quo non impropriè mortuo aſſimilatur, vt aliquibus probat Velaſcus *de priuilegijs pauperum q. 18. n. 7. & ſeqq.* maximè

mè in fauorabilibus. Nec mirum, quia vt ex Regio Propheta colligitur *Pſalm.* 89. quod annum octuageſimum antecedit, vitæ adſcribitur, quod verò ſubſequitur, labori & quodammodò morti, hæc ſunt illius verba: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potestatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Quocirca hanc ſententiam, vel ſola ratione duce, amplectendam eſſe cenſeo, quam etiam ex Medicis tenet Andreas Laurent. *tractatu de ſenectute cap.* 2. Quidquid aliud ſupra relati nullo, aut debili fundamento ſubnixi protulerint, niſi aliud ſuadeat aliquo caſu ab ea eſſe recedendum, vtputa multiplicitas negotiorum, quæ etiam minoris ætatis ſenem obliuioſum efficit. Vnde inquit Sigiſmund. Scaccia *tractatu de appellation. quæſt.* 6. *num.* 32. *verſic.*

6 *Confirmatur hæc opinio*, illam doctrinam, qua cauetur iudicem ordinarium propter multitudinem negotiorum non præſumi recordari de prima ſententia, quando tulit ſecundam, maximè veram eſſe in ordinario ſene, iuxta illud Senecæ: *Solebat mihi bonæ fidei eſſe memoria, nunc autem ætate caſſata, &c.* vnde Lorinus *in Eccleſiaſtic. cap.* 7. *verſ.* ... obliuionem ſenum naturalem morbum in cauſa eſſe inquit, vt ad mala quæ vident, attenti, quæ olim obierint immemores, quorum ſumunt experimentum pluris æſtiment. Ex quo illos querulos, ſuſpicioſos, accuſandi ſtudioſos, ac præteritarum narratores rerum, & laudatores appellant Ariſtotel. 2. *Rhetoric. cap.* 13. & Plutarch. *opuſcul. de ſua ipſius laude*, Canit Horat. *in arte Poetic.*

Difficilis (eſt ſenex) *querulus, laudator temporis acti,*
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum,
Et Cornel. Gallus,
Laudat præteritos, præſentes deſpicit annos.

7 Hocque de viris tantùm dictum ſit: nam quoad fœminarum perſonas ſpectat, citra dubium eſt eas citiùs ſeneſcere, ac per conſequens, & memoria carere. Quapropter eleganter ſcripſit Maſcardus *vbi ſuprà numero* 48. quòd cùm relinquatur iudicis arbitrio, quo tempore præſumatur obliuio, minus tempus tribuetur fœminis quàm viris, vt probat Menoch. *caſu iam relato.* Ergo dicendum erit, ſeptuageſimo anno fœminas memoriæ expertes præſumendas: nam quemadmodum mulieres vno decennio ante viros ſeneſcunt, vt ſæpiùs dictum eſt, præcipuè vbi de ſenectute, quæ à ieiunio excuſet, fuit diſputatum. Ita & eodem decennio anteà, ad ſenectutis illum gradum eas peruenire opus eſt, quo homines octuagenarij exiſtunt.

8 Vnde conijcitur parum tutam eſſe Gar. D. Didac. de Narbona. ſiæ exiſtimationem *tractatu de nobilitate, gloſ.* 12. *num.* 71. cui libenter ſubſcribit Toletanus noſter Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 31. *num.* 86. ſcilicet memoriam hominis præſumi centum annorum ſpatio durare, quæ Speculatoris ſententia fuit meritò à nobis ſuperiùs neglecta, & nunc refellitur, non tantùm ob rationes, quas in verioris ſententiæ fulcimentum adduximus. Sed etiam quia, vt ipſe Lara admittit ex Rota apud Farinacium *deciſ.* 584. *in nouiſſimis*, & Riccio *collectan.* 638. ſpatium centum annorum immemoriale tempus dicitur, eo videlicet, quia de his, quæ tot retrò annis præceſſerunt, nulla hominis memoria exiſtere poteſt: ergo centum annis eius memoria non conſiſtit, alioqui immemoriale tempus non diceretur centum annorum.

Hæc obiter ſuadent non ſatis probabile videri, quod vt tale ſuſpicatur doctiſſimus P. Gaſpar Hurtado *tractatu de iuſtitia & iure diſputat.* 12. *difficultat.* 16. *in fine*, præſumi nempe obliuionem alicuius rei elapſam ſaltim viginti annis. Vnde inquit, cùm infamator ad famæ reſtitutionem non teneatur, vbi infamia ab hominum memoria excidit, regulariter poſt viginti annos id accidiſſe prudenter iudicari poterit, quaſi hoc tempus immemoriale ſit. Quod quantum à ratione & communi Interpretum traditione diſtet, ex proximè dictis facile erit coniectari. Quare rectiùs idem *dict. loco* ſenſit, attentis varijs circunſtantijs totum hoc ex arbitrio prudentis omnino pendere.

SVMMARIVM.

Senibus, vtpote & minoribus beneficium competit reſtitutionis in integrum. 1.
Senes decrepiti bis pueri ſunt. 2.
Donatio à decrepito ſene facta, an ſit ſtatim nulla, vel tantùm ope reſtitutionis in integrum? 3.
Homines an poſſint viribus naturæ à ſenectute ad pueritiam reddire? 4.
Octuagenarijs beneficium competit reſtitutionis in integrum. 5.
Valdè ſenex octuagenarius dicitur. ibid.
Octuagenarij ſenſu carent. ibid.
Seni induſtrioſo denegatur reſtitutio. 6.
Senes non facilè dolis & artibus decipiuntur. ibid.
Reſtitutio ex clauſula generali ſeni ſeptuagenario conceditur. 7.
Fœminæ ſeptuagenariæ reſtitutionis in integrum beneficio gaudent. 8.

QVÆSTIO III.

Vt poſsit ſenex in integrum reſtitutionis auxilium promereri?

1 DEcrepitæ ætatis ſenibus, non aliter atque minoribus in integrum reſtitutionis beneficium competere, docuerunt eleganter Sforcius Oddus *tractat. de reſtitut. in integrum part.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 3. *num.* 12. Caldas Pereira *in l. ſi curatorem in definitione verbo minoribus num.* 66. *C. de in integrum reſtitution.* Rubeus *deciſ.* 16. Riccius *collectan.* 623. Oſualdus *lib.* 21. *Donelli c.* 7. *litera H.* nouiſſime Perez de Lara *in compendio vitæ homin. cap.* 31. *num.* 65.

Quod quidem ea ratione veriſſimum arbitratur Sforcius, quia in decrepitudine, & quod aiunt, vltima ſenectutis parte conſtituti homines repueraſcere incipiunt, aſſerente Plauto *in Mercatore.*

Bis pueri ſenes, inquit,
Senex cum extêplo eſt, iã nec ſentit, nec ſapit,
Aiunt ſolere eum repueraſcere.

Hincque bis pueros ſenes eſſe, prouerbialiter inquit Varro, cuius meminit Seneca: *Nõ*, inquit, *bis pueri ſumus, vt vulgò dicitur, ſed ſemper*: & Plato *lib.* 1. *de Republica. Non ſolùm igitur ſenex*, ait, *vt videtur, bis erit puer, ſed ipſe etiam temulentus*: & *Dialogo de Regno*, cùm ex contrario ſuperiorum ſphærarum motu omnia retrocedere dixiſſet, homines etiam quaſi retrogrado augeſcendi, imò decreſcendi modo ad peractas iam ætates remeare narrabat. Ex quo inquit, pubeſcentium corpora graueſcentia, ac ſingulis diebus, ac noctibus decreſcentia, in recens pueri naturam abeunt, & rurſus *in Anxiocho* 1. *& 7. de legibus*: *Senes*, inquit, *decrepiti, ſunt bis pueri*, *&* cecinit itidem Ariſtophanes *in Nubibus*.

Pueri inquies tibi videri facinus illud eſſe,
Reſpondeo ipſe contra, ſenes bis eſſe pueros;

Et Sophocles *in Peleo*,

Ego Peleum ſteaco ſatum, pueri inuicem
Senem puellam moderor; atque tempero,
Nam iterum puer quiſquis ſeneſcit redditur.

In cuius rei confirmationem plura congerit Eraſmus *Adagior. Chiliad.* 1. *centur.* 5. *adagio.* 36. comprobat pluribus alijs more ſuo Andreas Tiraquel. *de pœnis temper. cau.* 8. *à num.* 3. & nouiſſime Velazquez de Azeuedo *in arte memoriæ lect.* 4. §. 5. & Iodoc. Danauder. *parium, & ſimilium verbo ſenectus hyems*, & probat Cato *in vulgaribus eius carminibus*,

Nã quicũque ſenex, ſenſus puerilis in illo eſt.

Quapropter dixit Hippocrates: *Pueri ſunt ſenes, ſenes autem quidam pueri*, refert Ioannes Alphonſus à Ruizibus *in Medicina Medicorum inſipientium luminari* 2. *fol.* 65. quibus aſſentitur Gloſſa *in l. ſenectus, C. de donatio.* Archidiacon. *in cap. tanta.* 86. *diſtinct.* dum inquit, dici ſenes à ſenſus diminutione, quòd iam præ vetuſtate deſipiant: vnde æquiparantur pueris ſecundum Phyſicos, quia ſicut in pueris ſanguis nondum calidus eſt, ita in ſenibus iam eſt frigidus, hincque aſſerit Angelus *in l. ſenectus, C. de donation.* donationem à ſene decrepito non aliter atque à minore factam nullius eſſe momenti, licèt verius arbitrer valere, ſed reſtitutionis auxilio reſcindi, nec mirum, quia, vt inquit ex Horatio Iacobus Simancas *lib.* 7. *de Republica c.* 7. *num.* 781. ſenes decrepiti ſunt, & res omnes timidè gelidèque miniſtrant, cui conſentiens Ludouic. Viues *lib.* 2. *de anima: Quẽadmodũ*, inquit, *in infantia non vtitur ratio ſuis organis, quia nondũ ſunt apta, ſic nec in decrepita ſenecta, quia iam deſierunt eſſe apta, magno ſcilicet vſu detrita, & corrupta*: & conducunt tradita à Martino Delrio *lib.* 2. *diſquiſ tion. Magicar. q.* 23. vbi receſet anno 1531. 3
Tarenti fuiſſe centenarium ſenem capularem, qui pilis, cute, vnguibus, ſitu, atque ſqualore ætatis decidẽtibus, & in melioris ætatis omnia mutatis, de ſene iuuenis prodierit, & 50. poſt annis ſupervixerit: & quod ex Petro Maphæo *lib.* 11. *hiſtoria Indicæ* refert eloquẽtiſſimus P. Franc. de Mendoça *lib.* 4 *viridiarij Problemat.* 17. vbi diſputat, an viribus naturæ poſſit iuuẽta ſenibus redire, ſcilicet, cuidã Indo nobili annorũ quibus vixit tercentorũ & quadraginta ſpatio, iuuentæ florem ter exaruiſſe, & ter refloruiſſe, quem Societatis Ieſu Patres vidiſſe, & allocutos eſſe ipſe Mẽdoça teſtatur. Faciũt tradita nouiſſime à Torreblã ca *iuris ſpiritualis practicabilium lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 12. & quod refert Tarẽtaſius *lib.* 6. *Philonis c.* 12. ſcilicèt fuiſſe monialium Abbatiſſam, cui iam ſilicernio ſubito menſtruis fluoribus renouatis, dentes renati, comę denigratæ, rugæ, & ſulci cutis adęquati, mammæ pendulæ, atque pannoſæ ad inſtar virgunculæ ſororiarunt, ſic denique ſe vultu, facie, totoque corporis habitu iuuenculam exhibuiſſe, vt rei nouitate percuſſa præ verecundia ſe cunctorum oculis ſubtrahere niteretur. 4

Ex qua vtique veriſſima ratione infero octoginta annos natis dũtaxat ex edicto de minoribus reſtitutionem concedendam eſſe, nam cùm valde ſenibus impartiatur, vt inquit Caldas *vbi ſuprà*, hi enim valde ſunt ſenes, vt 2. *Regum* confirmatur *cap.* 19. vbi de 5

Ber-

Bercellai loquens ait: *Erat autem Bercellai Galaadites ſenex valdè, ideſt octogenarius,* probat Albericus *in dictionar. verbo ſenectus, & in l. ſenium num.* 4. *C. qui teſtament. facere poſſ.* Qui verò valde ſeneſcunt, & annum octuageſimum agunt, ſenſu, & intellectu deſtituuntur, teſtante diuino eloquio de eodem Bercellai his inferioribus verbis: *Quot ſunt dies annorum vitæ meæ, vt aſcendam cum Rege in Hieruſalem, octuagenarius ſum hodie, numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue & amarum? &c.* Quapropter in ea eſſe ætate dicuntur, vt pueris ob ſenſus, & rationis diminutionem meritò æquiparentur, quod Medicorum doctiſſimus Andreas Laurentius *tom.* 2. *tractat. de ſenectut. cap.* 2. eleganter obſeruauit: is enim poſtquam ſenilem ætatem in tres partes diuiſit, quarum primam à quinquageſimo viridem appellauit: ſecundam, quæ anno ætatis ſeptuageſimo effulgere incipit, frigidam & infirmam ab octuageſimo anno, tertiam hoc modo conſtituit: *Tandem poſtrema illa ſuperuenit ſenectus, quam decrepitam vocant, in qua, vt ait Propheta Regius, nihil niſi dolor & languor, ſingulæ corporis & animæ functiones debilitantur, hebeſcunt ſenſus, deperditur memoria, deficit iudicium, & tunc temporis in infantiam incidunt, de ijs debet illa parœmia Græca intelligi: Bis pueros eſſe ſenes:* quidquid aliter voluerit Ægidius Thomatus *tractatu de muneribus folio mihi.* 303. *num.* 1. ſeptuageſimo anno ita demum homines ad pueritiam deduci, vt nihil commune habeant cum homine, ſed cum infantia, ſiquidem hoc gratis, & nullius teſtimonio affirmat. Ergo dubitari non conuenit dictæ ætatis hominibus non aliter atque minoribus eſſe reſtitutionem indulgendam, cuius opinionis Socinum extitiſſe *in l.* 1. *ff. de verborum obligationi,* poſt hæc ſcripta reperi, quem ſequitur Gironda *tractat. de priuileg: num.* 391. Sforc. Oddus *de reſtitutione in integrum part.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 11. *&* 12. *verſic. Quantum verò,* Florian. Mauſonius *lib.* 1. *de cauſis executiu. limitat.* 13. *num.* 14. Niſi etiam ea ętate ita valde ſagax, & ſapiens exiſtat, vt non aliter ac cæteri cordati viri res ſuas adminiſtret, vt ita deciſum refert Franchis *deciſ.* 608. quem ſequitur Riccius *dict. collectan.* 1623. maximè cum de his ſenibus verum ſit quod refert Tiraquel. *in præfatione primogeniorum num.* 88. nempe ſeniores non facilè dolis & artibus decipi propter multam longamque rerum experientiam, quæ eos prudentiores, aſtutiores, callidiores, cautiores reddit: vnde prouerbium illud manaſſe inquit Matiençus *in dialog. relator.* 3. *part. cap.* 58. *num.* 12. *Senex vulpes nō prebenditur laqueo,* quam ſententiam etiam admittere videtur Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. perſon. quæſt.* 18. *num.* 14.

Dixi enim non aliter, atque minoribus, vt hactenus de eius reſtitutione in integrũ loquutum demonſtrarem, quæ ex edicto minoribus elargitur, non verò de illa, quæ ex clauſula generali nonnullis de cauſis maioribus pollicetur, hac enim vt ſenibus veluti infirmis ſubueniatur ex ſententia Socini *in dict. l.* 1. *num.* 5. *de verb.* & Mauricij *tractatu de in integrum reſtitut. cap.* 339. ſeptuaginta anni deſiderantur, ſiquidem hoc tempore ſenes morbo laborare creduntur, vt ſatis apparebit legenti quæ de hac re hoc eodem anno ſcripſimus: & confirmatur celebri doctrinæ Abbatis *in cap. fin. num.* 19. *vt lite non conteſtat.* aſſerentis in ſene nullam infirmitatem requiri, vt ægrotare dicatur, cùm ſola ſenectus ſit morbus, refert Tuſchus *practic. rerum concluſ. litera S. conc.* 103. *num.* 4.

Vtrùm autem in fœminis etiam ſuperior ſententia locum habeat, inueſtigandum ſuccedit. Et licèt neminem, qui de hac re fuerit locutus, inuenerim, exiſtimo ſeptuageſimo anno eis reſtitutionis beneficium eſſe indulgendum, quod octuageſimo viris conceditur: quia vt multoties repetitum extat, hac ætate fœminæ eodē ſenectutis gradu quo octuagenarij viri exiſtunt.

SVMMARIVM.

TEmpus non eſt modus tollendæ obligationis. 1. & 5.

Senex quantò morti proximior eſt, tantò magis de his ſolicitus eſſe debet, quæ ad ſalutem animæ ſpectant. ibid.

Octuagenarij nullis Eccleſiaſticis legibus tenentur. 2.

Octuagenarij ſenes veluti infantes, pueri ſunt. ibid.

Senes, qui octuageſimum annum egerunt, licitè poſſunt diebus probibitis carnibus vti. 3.

Neminem poſſe, etiam de licentia Pontificis, diebus probibitis carnes edere, perperam exiſtimauit Guidon Papæ. *ibid.*

Octuagenarij ſenes non ligantur præcepto annuæ confeſſionis & communionis. 4.

QVÆSTIO IIII.

An decrepiti ſenes Eccleſiaſticis legibus teneantur?

1 VIdetur enim, nullam ſenilem ætatem liberare à præceptis, quorum obligatione diu fuerant obſtricti fideles: cùm quia ætas, ſiue tempus, quantumcumque longiſſimum, non eſt modus tollendæ obligationis, *l. obligationum ferè* 44. §. *placet, ff. de actionibus & obligationibus*, tradit Donel. *commentar. lib.* 16. *cap.* 8. *in principio*, vbi etiam Oſuald. *litera A.* Gutierrez *in repetit. l.* 55. *num.* 190. *& ſequentibus de legat.* 1. Tum, quia omnes Eccleſiaſticæ leges ad ſalutem animæ diriguntur, vt ex ſe patet: at quantò ſenex morti vicinior eſt, tantò ſolicitior, atque timidior eſſe debet in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, *capit. tanta* 86. *diſtinct.* ergo nulla ratione tunc à præceptis Eccleſiaſticis ſenectus excuſationem afferre debet.

2 Verumtamen contrarium non ſolùm probabilius, ſed certius mihi videtur, ideoque tenendum profiteor, ſenectutem illam, vtpote octuagenariam, quæ ferè ſemper ita homines ſimplices, & rationis reddit expertes, vt nihil à pueris differre videantur, veluti *hoc eodem anno* pluribus oſtendimus, ab omnibus, & quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quàm diuinis legibus nos immunes reddere. Et ratio eſt, quoniam eiuſmodi ætatis ſenes infantes pueri ſunt. Ita Hippocrates, vt refert Alphonſus à Ruizibus *in Medicina Medicor. inſipient. luminar.* 2. *fol.* 65. Ludouic. Viues *lib.* 2. *de anima*, & alij à nobis relati *quæſtione proxima antecedenti*, quibus addenda ſunt quæ in eandem rem adducit Velaſcus *de priuilegijs miſerabil. perſonar. quæſt.* 18. *num.* 11. Ergo cùm pueri ante ſeptennium his legibus ſint ſoluti, veluti ſupra *anno* 7. comprobauimus, etiam octuagenarij liberi cenſendi erunt.

3 Adeò quidem, vt diebus prohibitis non aliter ac infantes eos carnibus vti poſſe doceat Concilium Toletanum 8. *canon.* 9. & eo relato Cardinal. Bellarmin. *controuerſiar. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 9. *&* 10. vbi inquit, ijs permiſſum eſſe, vt in Quadrageſima carnibus veſcantur, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, ideſt octuagenarijs, & iam ad decrepitam lapſis. Nam in hac ætate, vt ait D. Gregor. *ſuper Euangel. lib.* 1. *homil.* 1. *ſtatura curuatur, ceruix deprimitur, frequentibus ſuſpirijs pectus vrgetur, virtus deficit, &c.* quamuis hoc abſolutè neget Guidon Papæ *deciſione* 121. exiſtimans nullum ſenem, aut morbo debilitatum, etiam de licentia & permiſſu Papæ, citra culpam in Quadrageſima carnes comedere poſſe. Nam ipſius doctrina, vt falſiſſima, meritò ab omnibus reijcitur, vt teſtatur Roderic. Acunha *in cap. denique* 6. *num.* 4. 4. *diſtinct.*

Cuius ſimile eſt quod ſcripſere Hoſtienſ. *in ſumma*, §. *quando confitendum, in principio*, & poſt eum Stephan. Gaeta *in repetit. cap. ad limina*, §. 5. *num.* 207. Palac. Rubeus *in cap. omnis vtriuſque ſexus, verbo poſtquam ad annos diſcretionis, de pœnit. & remiſſion.* ſcilicet, ita ſenes, qui iam diſcretione carent, vt ſæpenumerò octuagenarij eſſe ſolent, nec præcepto annuæ confeſſionis, aut ſuſceptionis Euchariſtiæ in Paſchate teneri, eo nimirum, quod ſupra diximus, quia in eis eadem capacitatis deficientia ac in paruulis militat: igitur quemadmodum iſti à quocumque Eccleſiaſtico præcepto hac ratione reperiuntur immunes, ſic & illi eſſe debebunt. 4

Abſque eo quòd in oppoſitum expenſa contradicant. Nam etſi verum fateamur tempus non eſſe modum tollendi obligationem ſemel contractam, hìc non tantùm tempus, ſiue ætas, quantum perſonarum incapacitas, & puerilitas, ab ipſa ſenili & decrepita ætate proueniens, excuſationis cauſam exhibet, vt in *dict. cap. tanta*, vbi ſimplex ſenectus à delicto, & à pœna exarandi meſſem alienam die Dominico ante Miſſarum ſolemnia excuſat. Nec quidquam obſtat hortatio ipſi facta, in *dict. textu*, vt aliquando reſipiſcat, atque à tanta leuitate morum, & operum peruerſitate compeſcat, cùm quantò morti vicinior efficitur, tantò ſolicitior, & timidior eſſe debeat: quia ſalutare conſilium eſt quod ei proponitur, vt ſi fortè non omnino ſit fatuus, & conſilij expers, capiat, & eo vtatur. 5

SVMMARIVM.

Referuntur & reijciuntur ſimul Interpretes, qui docent ſeptuagenarium ob non petitum tutorem pupillo ipſius ſucceſſione minimè priuari. 1. *&* 3.

Petere tutorem non eſt munus perſonale. 2.

Octuagenarios non priuari ſucceſſione propter negligentiam petendi tutorem, vt verius admittitur. 4.

L. 2. §. *fin. ff. qui petant. tutores, explicatur.* 5.

QVÆST.

QVÆSTIO V.

Ne ſenex ob non petitum tutorem pupilli ſucceſsione priuetur?

1 SEptuagenarium eſſe debere putant multi, vt Curtius *conſil.66.* Ioan. Neuizanus *in ſylua nuptiali lib.2.num.53.verſic. Amplia tertiò*, vbi mendosè pro ſeptuagenario ſexagenarius legitur, vt conſtat ex ſequentibus verbis, ibi: *Et ſic quòd poſſet excuſari à tutela.* Hoc enim niſi in ſeptuagenario verificari nõ poteſt, cùm is ſolus tutelæ excuſationem obtineat, *§.item maior*, cum vulgaribus alibi notatis *inſtitut. de excuſat.tutor.* Stephan.Gratian.*diſceptat. forenſ.tom.5. cap.805.n.23.* Alphonſ. Perez de Lara *in compend.vitæ homin. c.31.n.66.* qui etiam in fœminis eandem ætatem conſtituunt.

Hiſque rationibus ſubniti pronuntiant, quòd hoc annorum numero immunitas tutelarum contingit: ergò & impunitas, ſi fortè non petantur qui gerant. Cæterùm, quia tam graui ætate immemores, & quaſi extra memoriam ſunt homines, quocirca huiuſce omiſſionis pœnam ſubire non merentur.

Atqui propoſitæ rationes parum vrgent. Nam etſi extra omnem cõtentionem ſit, ſeptuagenariam ætatem à tutelis excuſationem afferre: hoc ita eſt, quia munera ſunt perſonalia, quorum tanta ſenectus impotens agnoſcitur: petere verò tutorem, nec munus eſt, nec cum perſonalibus aliquid commune habet, cuius reſpectu eiuſdem ætatis excuſatione potiatur.

Nec magis id ſuaderi poterit ex memoriæ fragilitate, qua huius ætatis laborare fingitur, cùm tantùm à vero abſit, quòd octuagenarios ſolummodò immemores præſumi infra ſit nobis definiendum.

3 Quocirca Baldus, qui primus ſuperiorem ſententiam induxit in *l.matres 3.n.4.verſic. Si non potuit, C. ad Tertullian.* eam *ibidem* improbabilem putat, veriuſque arbitratur, ſecundùm ſtrictam iuris diſpoſitionem, etiam ſeptuagenarium, vel ſeptuagenariam nõ petentes tutores, impuberum ſucceſſione priuari, quem manifeſtè ſequuntur Anton. Gabriel *commun.concluſ.lib.6. titulo de tutelis concluſ.1.num.14.* Ioan. Gutierrez *tract.de tutel.& cur. 1.p.cap.16.n.65.* qui non tantùm ſeptuagenarios ratione ætatis excuſari negat, verũ & grauioris ſenectutis homines.

4 Nihilominus, cùm prorſus inhumanum ſit ſenes puniri, vbi fortè propter ipſorum inſipientiam nullam culpã contraxerunt, vtriuſque propoſitæ opinionis probabilitate incõcuſſa affirmare non verear, eos ſaltim hoc caſu excuſatione dignos videri, qui ad annum octuageſimum peruenerunt, non aliter ac fœminæ, quæ ſeptuageſimũ expleuerunt: & meritò, cùm hæc decrepita ſit ætas, qua homines obliuioſi, vt diximus, ideoque & delinquendi incapaces exiſtimantur, vtpote præſenſiſſe videtur cum alijs Petrus Royzius *de deciſione Lituanica 4.n.14.* & inſuper, quia tãta ſenectute affecti, minoribus viginti & quinque annorum in omnibus coæquantur, cùm tunc eos repueraſcere, ad initium, & primam ætatem reuolui ſcitiſſimum fuerit, & apertius *hoc eodem anno* conſtiterit: atqui pueri ante vigeſimumquintum annum ob non petitos tutores à pœna excuſantur, *l.2. C. ſi aduerſus delictum*: igitur & octuagenarij, qui quantum ad hanc rem pertinet, ſunt in pari cauſa, vt qui bonam partem conſilij, mentiſque amiſerunt.

Quod minimè infringitur ex ſententia *l.2. §.final.ff.qui petant.tutores*, quam mirum eſt prioris opinionis ſectatores pro ſe nõ adduxiſſe, cùm ipſorum exiſtimationẽ primo obtutu ſtabilire videatur his verbis: *Qui quomodocumque liberati ſunt per excuſationem à tutela, neceſſe nõ habent petere pupillis tutorem, vt ait Seueri & Antonini cõſtitutio.* Verùm, vt prædixi, nihil definitioni noſtræ repugnãt, cùm non afferant, illum qui cauſam habet, vel ætatem, qua excuſari poſſit à tutela, vtpote ſeptuageſimum annum, nequaquam teneri tutorem petere pupillo, cuius in ſucceſſione primum locum obtinet, ſed ſolummodò ab obligatione petendi tutorem eſſe immunem, qui cùm ad tutelæ munus vocaretur, ætate, numero liberorum, vel alia iuſta excuſatione fuit liberatus. Nam vt appoſitè nimis ſubiungit Anton.Faber *in Iuriſprudent. Papinian. tit.12. princip. 5. illat.9.* ad eos enim, qui legitimè ſunt excuſati, nil attinet, an pupillus tutorem habeat, necne, pertinetque ad curam eorum, qui deſiderabant dati tutorem hunc, qui excuſatus eſt, vt alium in ipſius locum petant.

SVMMARIVM.

AEtate confectus poteſt à quocũque ſimplici ſacerdote abſolui à caſibus reſeruatis, quaſi conſtitutus in articulo mortis.1.

Quinquagenarius quoad mortis periculum ſenex dicitur.ibid.

Octagenarij poſſunt, quaſi in mortis articulo conſtituti, à reſeruatis abſolui.2.

Mor-

Mortis articulus, & periculum mortis in quo differunt. 3.
Senectus morbus inſanabilis eſt. 4.
Is dicitur in extremis, qui ex illa infirmitate qua detinetur, deceſſurus eſt non poſt multa interualla temporis. 5.
Prima die infirmitatis perículoſæ poteſt quis abſolui à reſeruatis. 6.
Quotidiana febre laborantes, eſſe in mortis periculo quoad abſolutionem à reſeruatis putat Cataneus. ibid.

QVÆSTIO VI.

Vt ſenex poſsit à quocumque ſimplici Sacerdote abſolui à cenſuris, & caſibus reſeruatis tanquam conſtitutus in articulo mortis?

Poſſe ætate confectum à quocũque ſimplici Sacerdote abſolui à cenſuris, & quibuſcumque caſibus reſeruatis, vtpote in mortis articulo conſtitutum, docet ſingulariter Cataneus *in ſummula caſuum conſcientiæ verbo, Mors, verſic. final.* quod quidem ſi Alberico credimus in *l. ſenium n.* 5. *C. qui teſtament. facere poſſ.* de quinquagenario accipi debet. Nam vt ipſe inquit, is propriè ſenex quoad mortis periculum dicitur, conducunt tradita â Velaſco *de priuilegijs miſerabil. quæſt.* 28. *num.* 54.

2 Mihi tamen (eſto quòd Catanei opinio ſit ſequenda) probabilius videtur octuageſimo ætatis anno, & non anteà ſenes poſſe hoc priuilegio vti, quoniam tunc in manifeſto mortis periculo, veluti decrepiti inueniuntur, quare Galen. *de temperament. cap.* 2. *claſſe* 1. hoc ſenium dixit eſſe viam ad interitum, nam licèt 1. *de ſanitate tuend. cap.* 4. affirmaſſet, cuiuslibet ætatis curſu nos ad interitum tẽdere, vnde Felinus *in cap. Paſtoralis num.* 4. *de officio ordin.* inquit, quemlibet viuentem in mortis articulo eſſe: tamen ſubnectit eleganter Paul. Zachias *Medicolegal. lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 13. Quia decrepita ætas vitam concludit, ac terminat, viſum illi eſt, huic magis conuenire eam definitionem, quàm cuilibet alteri, quaſi ad ipſum interitum certiori, immò certiſſimo tramite hæc multò promptiùs, quàm cæteræ ætates omnes ducat, quapropter Felini doctrinam, largè eſſe intelligendam admonent Bartolus *in l.* 1. *num.* 39. *C. de Sacroſanctis Eccleſ.* Riminald. *conſil.* 537. *volum.* 5. *& conſil.* 775. *volum.* 7. Burſat. *conſil.* 40. *volum.* 1. & idem Riminald. *conſil.* 204. *volum.* 2. & his relatis Aloiſius Riccius *in praxi rerum quotidianarum reſolut.* 86. *num.* 6.

Et probatur hoc eleganter ex illo Pauli ad Hebræos 8. *Qui antiquatur & ſeneſcit, prope interitu eſt*, cui & illud Senecæ fauet *epiſt.* 26. *Inter decrepitos me numera, & extrema tangentes*, necnon & multa alia, quæ in huius veritatis confirmationem *initio præſentis anni* ſcripſimus.

Deinde conuincitur noſtra ſententia, quia non ſolùm octuagenarius eſt in mortis periculo, vt notauimus, ſed etiam in ipſo mortis articulo (licèt verum ſit quoad abſolutionem, de qua quærimus, non differre mortis articulum à periculo mortis, vt contra aliquos tenent Felinus *tract. de caſ. reſeruatione cap.* 8. *num.* 8. Coriolan. *eodem tractatu part.* 1. *ſectione* 2. *art.* 16. *num.* 2. & 8. *in fin.* Ioan. de la Cruz *in director. conſcient. part.* 2. *de Sacrament. Pœnitent. quæſt.* 5. *dubio* 10. *concluſ.* 2. & nouiſſimè Anton. Diana *reſolut. moral. part.* 3. *tractat.* 4. *de Sacramentis reſolut.* 71.) ſuadetur illud ſententia Alberic. *in l. filiæ meæ num.* 5. *verſic. Ex hoc quæro, ff. ſoluto matrimonio*, Ruger. Roland. *tractat. de commiſſarijs & commiſſio. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 8. *verſic. Sic à Medico*, Bald. *in dict. cap. quoniam frequenter num.* 3. *verſic. Secundò ponit exemplum, vt lite non conteſtata*, Turret. *conſil.* 15. *num.* 4. *verſic. Accedat Medicorum lib.* 1. vbi hanc opinionem communem vocat Practic. Papienſ. *in titulo forma Capitulor. quando teſtes, §. timeat qui & ſuſpicetur*, Burſat. *conſil.* 165. quam ex his tenet Aloiſ. Riccius *dict. loco num.* 5. Qui omnes vnanimiter docent in mortis articulo conſtitutum dici illum, de cuius corporea ſalute magis eſt quod deſperemus. At verò in decrepito hoc maximè inuenitur, in quo ſenectutis inſanabilis morbus omnem ſalutis, & vitæ ſpem aufert: vnde Seneca *epiſtola* 107. ſenectutem morbum inſanabilem appellat. 4
Neque enim, inquit Paul. Zachias *dict. tit.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 69. humanæ ſapientiæ datum eſt, vt corporis morbum hunc quibuſuis miniſtratis remedijs depellere aliquo modo poſſit. Hac de cauſa Hippocrates, qui omnium ætatum meminit, nullam decrepitæ mentionem fecit: quia nec ipſa ſanari, nec ſi quos alios morbos incurrit, ab illis aliquo modo poteſt liberari, vt idem Zachias *q.* 10. *n.* 8. obſeruat, vbi & tandem eius non recordatũ fuiſſe ſubijcit, quia pauci admodũ ſunt, qui non antequam decrepitam attingant, vita funguntur: ergo qui eam non ſine miraculo fuerunt ſortiti, in manifeſto erunt mortis peri-

periculo, vtpote extremum illud vitæ agentes, quod rarò ſolet hominibus permitti.

5 Hinc eſt, cùm decrepita ſenectute laborantes adeò morti accedant, vt certum ſit, eos prope diem morituros, quod alia ratione ſtabiliri poſſit illos in vltimo vitæ periculo extare, nam vt tradit Bald. *in capit.* 1. *ad finem, num.* 15. *verſic. Pone ſtatuto de pactis*, per text. *in l. alumnæ* 30. §. *fin. ff. de adimen. legat.* in extremis laborat qui ex ea infirmitate, in qua conſtituitur, deceſſurus eſt abſque multis interuallis: quam Baldi doctrinam ſingularem notat Cota *in ſuis memorabilib. verbo extremæ mortis tempore, & verbo mortis extremum tempus*, & alijs relatis. Aloiſius Riccius *dict. reſolut.* 86. *num.* 5. Ergo decrepitus, qui ſecundum ordinarium & communem naturæ curſum, iam ex ſenectutis fatali morbo interijſſe debebat, parum, aut nihil à morte diſtabit, ac per conſequens in ipſius articulo eſſe planè videbitur.

6 Nec obſtabit, ſi replices, quòd licèt certum ſit octuagenariam ſenectutem morbum inſanabilem eſſe: attamen nondum conſtat, an poſt annum, biennium, ſeptennium, vel longius tempus hominem ad interitum perducet, eſſeque abſurdum illum in mortis articulo laborantem cenſere, qui poteſt vltra decennium viuere, cùm centum annorum vita innumeris contigerit, vt infra *anno* 100. multorum exemplis conſtabit. Quia reſpondetur, hunc longiſſimum vitæ curſum etſi aliqui peregerint, extraordinarium, & præter hodiernam viuendi conſuetudinem eſſe, quare minimè erit ad conſequentiam trahendum. Nam vt ex Zachia proximè notauimus, frequenter homines ante ingreſſum decrepitæ ætatis deficiunt, ideò quibus illa frui diuinitus conceditur, quaſi extraordinariam vitam agentibus, manifeſtum ab ipſo decrepitudinis initio inſtat mortis periculum, etiamſi caſu per decennium vixerint, quod ſufficit, vt poſtquam octuagenarius quis extiterit, poſſit quocumque tempore, vt extremè periclitans à reſeruatis per ſimplicem Sacerdotem abſolui, argumento eius, quod in propoſito ſcripſit Sancius *in ſelectis diſputat.* 12. *num.* 5. quem ſequitur Diana *dict. tractat.* 4. *reſolutione* 57. videlicet abſolutionem à reſeruatis poſſe impendi à prima die infirmitatis periculoſæ: & tandem periculoſa infirmitas poteſt triennio, & quadriennio durare, vt ita eſſe experimur in quotidiana febre laborantibus, quos ad effectum abſolutionis, de quo agimus, in mortis eſſe periculo docet Cataneus *loco vbi ſupra.*

D. Didac. de Narbona.

SVMMARIVM.

TEſtis, qui de nocte aliquid vidiſſe teſtatur, non probat, niſi id Lunæ, vel alterius lucis ſplendore percepiſſe deponat. 1.

Octuagenarius parum videt. 2.

Fœminæ ſeptuagenariæ non probant, ſi abſque aliquo lumine nocturno tempore aliquid vidiſſe teſtentur. 3.

In his, quæ pendent à viſu, magis creditur iuueni quàm ſeni. 4.

QVÆSTIO VII.

Seni teſtificanti ſe aliquid vidiſſe nocturno tempore, qua ætate fides non adhibeatur?

TRitiſſimum eſt deponentem ſe nocturno tempore aliquid vidiſſe, aut cognouiſſe, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus nullam fidem facere, niſi id Lunæ, aut alterius luminis ſplendore deprehendiſſe inſuper conteſtetur, veluti poſt antiquiores docent Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *caſu* 279. *n.* 3. *verſ. Secundum exemplum*, Roland. à Valle *conſ.* 7. *num.* 29. *verſic. Sed quod tantum, vol.* 1. Maſcard. *de probat. concl.* 1114. *in princip. & concl.* 1391. *num.* 25. Bertazol. *conſil. criminal.* 316. *num.* 10. *verſic. Tertius teſtis, vol.* 2. & innumeri alij relati, & ſecuti à Polidoro Ripa *tractat. de nocturn. tempore cap.* 57. *n.* 1. *& ſequentib.* necnon & à Proſpero Farinacio *de teſtibus quæſt.* 62. *num.* 38. probat etiã Cardinal. Tuſchus *practicar. concluſ. iur. litera T. concluſ.* 186.

2 Sed hoc fortiùs procedit in ſene, maximè octuagenario, qui ob ætatis ingraueſcentiam parum aut nihil etiam diurno tẽpore videt, vt in propoſito adnotarunt duo Ripæ, alter *reſponſo* 77. incipienti, *quoniam monitorio, titulo de ſentent. excommunicat. num.* 16. & alter *dict. tractat. de nocturn. tempor. cap.* 57. *n.* 2. & meritò: qui enim lucente ſole ægrè conſpicit, & quæ ante oculos verſantur vix percipit, vnde ex Vatablo & Sà inquit Lorinus *in Eccleſiaſt. cap.* 11. *verſic.* 3. *Clarius ſerenũ quoque poſt pluuias cœlum ſeni nubilum videra*, quomodo omni alumine moto, & cœleſti, & accenſo nocturna facta videbit? quãdoque habens potentiam viſiuam perſpicuam, nocturno tempore in viſione deficit, vt *eodem loco num.* 31. exemplo eorum, quibus nigri ſunt oculi, affirmat Polidorus.

3 Quod & in minoris ætatis mulieribus itē locum ſortietur, ſiquidem, vt citiùs viris in ſenectam prolabuntur, vti ſæpiùs probauimus, ita & celeriùs hac de cauſa videndi facultatem amittunt. Ideoque ſeptuagenariæ haud quaquam credi debet aſſerenti caliginoſa nocte, nullo adſtante lumine aliquid vidiſſe, aut cognouiſſe aliquem, quia in ea non aliter atque in octuagenario viſus acumen, & perſpicacitas deficit, qua ſola ſi Medicorum iudicio tanta eſſet, vt de nocte, abſque ſplendore Lunæ, aut ignis ad videndum ſufficeret, vt ex multis profert Farinac. *ſuprà num.* 44.
4 illius dictum & teſtimonium ſuſtineri poſſet.

Et facit pro hac ſententia communis illa traditio, quæ habet magis credi iuueni, quàm ſeni in his quæ pendent à viſu, cuius meminit Speculator *titulo de teſte*, §. *nunc tractandum eſt, verſic. Hoc quoque notandum*, Felin. *in capit. quoties* 3. *notabili de teſtibus*, Tiraquel. *de primogen. in præfatione num.* 149. ... illam rationem adducit ex Ariſtotel. *lib.* 1. *de anima*, quoniam ſenium oculos hebetat: & confirmari poteſt ex Salluſtio, ibi: *In ſene vmbra, nomenque ſenis relictum eſt, vires corporis effœtæ, ſenſus oculorum, atque aurium hebetes*. Vnde Iuuenalis *Satyr.* 10. de ſene loquens:

Perdidit ille oculos, & luſcis inuidet ambos,

inquit: probat multis Lorinus *in Eccleſiaſt. capit.* 11. *verſic.* 2. & ſuadetur ex illo Plin. *lib.* 7. *cap.* 10. Non reputantur infantiæ anni, cùm ſcribit, qui ſenſu carent, non ſenectæ in pœnam viuacis. Hebeſcūt enim ſenſus, membra torpēt, præmoritur viſus, auditus, inceſſus: dentes etiam ac ciborum inſtrumenta deficiunt. Hinc dicitur Geneſis 27. ſenuiſſe Iſaac, & caligatos fuiſſe ipſius oculos præ ſenectute, ita vt videre non poſſent, & de Heli pene idem refertur 1. *Regum* 4. & 3. *Regum* 14. Quod cùm ita ſit in ſene octuagenario (de hoc etiam hanc doctrinam accipiendam admoneo) qui aliquid diurno tempore ſe vidiſſe teſtatur, quantò minus ipſi credendum erit, cùm noctis obſcuritate cognouiſſe deponit.

SVMMARIVM.

Diſtributiones quotidianæ ſenio confectis debentur, licèt choro non aſſiſtant. 1.

Reſidentia in choro munus perſonale eſt. 2.

Ægritudo excuſat à reſidentia in choro. 3.

Octuagenarios non teneri ad lucrandas diſtributiones choro aſſiſtere, vt certius defenditur. 4.

Fundamentum, quo oppoſita ſententia nitebatur, diluitur. 5.

QVÆSTIO VIII.

Vt propter ſenium Canonico, ſeu alio Beneficiario non reſidenti quotidianæ diſtributiones debeantur?

Diſtributiones quotidianas ſenio confectis deberi, licèt choro non interſint. Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatio iam dudum cenſuit, *vt ſeſſ.* 24. *Concilij Tridentini c.* 12. obſeruat Ioan. Gallemart. & *eodem loco* Cardinal. Bellarmin. & meritò, cùm hoc cōmune ſit Scribentiū placitū. Sic Ojeda *de incompatib. benefic. p.* 1. *c.* 17. *n.* 17. Menochius *de arbitrar. caſu* 60. *n.* 10. Moneta *de diſtributio. p.* 2. *q.* 7. *n.* 5. Auguſt. Barboſa *in prædict à locum Concilij literis* φφ, & *de officio & poteſtat. Epiſcop. allegat.* 53. *n.* 164. vbi multos refert; & *in collectan. ad c. vnic. n.* 18. *de Clericis nō reſident. lib.* 6. noſter Perez de Lara *in compend. vitæ homin. c.* 31. *n.* 33. 1

Et in propoſito ſenio confecti eſſe videri poterant, qui vltra ſeptuageſimum annum conſtituuntur, cùm hi tales cenſeantur ad excuſationem omnium munerum perſonalium, *l.* 3. *ff. de iure immunitatis*, *l.* 2. *in fine*, *ff. de Decurion.* cum ſimilibus *anno* 70. cumulatis: & dubitari non poteſt reſidentiam in choro ad lucrandas diſtributiones munus eſſe, & quidem perſonale, vt optimè aduertit Petr. Moneta *d. quæſt.* 7. *num.* 6. ex quo *num.* 13. probabiliter infert Clericos excuſari ſeptuageſimo anno ab obligatione intereſſendi choro, ac Diuinis Officijs, tanquam à perſonali munere, ſequitur Maceratēſis *variarum reſolut. lib.* 1. *reſolut.* 85. *num.* 12. & Velaſcus *de priuileg. miſerabil. quæſt.* 18. *n.* 87. 2

Pro quo etiam induci poteſt deciſio *text. in cap. vnic.* §. *qui verò, de cleric. non reſid. lib.* 6. vbi dicitur infirmitatem iuſtam excuſationem præſtare à reſidentia: vnde cùm iuris præſumptione prædictæ ætatis ſenes infirmi reputentur, veluti ſupra *anno* 70. affatim oſtendimus, à reſidentia in choro immunes haberi debebunt, & abſentes quotidianas erogationes percipere. 3

Sed vt vt hæc ſint, verius eſt nō niſi octuagenarios, qui anteà choro intereſſe cōſueuerant, ita à præſentia diuinorum haberi ſolutos, vt abſentes & domi diurnas, nocturnaſque ſingulorum dierum præſtationes lucrentur, vt poſt longam diſquiſitionem concludit Petr. Moneta *d. q.* 7. *n.* 16. & eo relato Stephan. Gratian. *diſceptat. forenſ. tom.* 5. *capit.* 805. *n.* 41. & Perez de Lara *loco vbi proximè n.* 34. & voluiſſe videtur Bertachinus *in repertorio verbo ſenectus, verſ.* 5. cùm inquit, ſenē 4

octua-

octoginta annorum, non teneri perſonaliter cōparere. Quod ſumma ratione nititur, quia eiuſmodi ætatis non tantùm iuris præſumptione, ſed etiam de iure infirmi ſunt, & debiles: vnde Propheta *Pſalm.* 89. *Dies annorum noſtrorum*, inquit, *in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus* (ideſt in potētioribus corpore & valetudine, veluti ex Titelmano, Genebrardo & alijs, exponunt Moneta & Gratianus) *octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.*

5 A quo non diſſentiunt pro ſeptuagenarijs ſuprà commemorata. Nam etſi probabile ſit à reſidētia in choro ſeptuagenariam ætatem excuſationem vti à munere perſonali afferre, hoc quoad aliorū fructuum & obuentionū perceptionem ſubaudiendum erit, non verò quoad diſtributiones quotidianas, quas cùm nemo in abſentia conſequatur, niſi qui aliqua ex illis tribus cauſis expreſſis *in d. c. vnic. §. qui verò*, excuſatur, ſcilicet, infirmitate, iuſta & rationabili corporis neceſſitate, & euidenti Eccleſiæ vtilitate. Inde eſt ſeptuagenarios, qui nulla iſtarum iuuantur, nec infirmitate quidem, cùm tantùm præſumptiuè, & nō propriè, & ex iure, vt octuagenarij infirmi dicātur, vt ſuo loco explicauimus, abſentes diſtributiones minimè acquirere, niſi forſitan adeò ſint ſenio confecti propter naturę fragilitatem, vt nō poſſint comparere, nec diuinis intereſſe: quia cùm tunc non minus infirmitate grauantur, ac octuagenarij, eodem ſolatio, & lucri beneficio potiri merentur, maximè cùm non tam ratione annorum & ſenectutis, quàm infirmæ valetudinis intuitu, hoc priuilegium indulgeri conſtet ex traditis à Moneta *d. q.* 7. *n.* 1. iuncto *n.* 16.

SVMMARIVM.

MOrti proximus ſenex quis dicatur? 1.
Clericatus eximia dignitas eſt. 2.
Octuagenarius ab ordinum ſuſceptione repellitur. 3.
Epiſcopatus ordo eſt. 4.
Licèt Epiſcopus nō poſſit propter ſenectutem deponi, in extrema tamen & decrepita creari non poteſt. 4. *ibid.*
Octuagenarius nec aſſurgere, nec moueri valet. 5.
Grandæuus quis ſit? 6.
Octuagenarijs nec minores ordines concedi poſſunt. 7.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm qui graui ſenio laborant, ab ordinum ſuſceptione arceantur?

D. Didac. de Narbona.

1 QVod excludi non debeat, etiamſi decrepiti ſint, probari videtur *ex textu in c. quicūque* 3. 77. *diſt.* vbi ad ordines, ſiue ſacrā militiā admittitur ætate grandæus, ideſt, qui ita ſenectute affectus exiſtit, vt morti appropinquet, *c. illud* 13. *q.* 2. ac per cōſequens & qui nonageſimum vitæ ſuæ annum agit, vt 1. *Regum cap.* 4. Heli vocatur, qui nonagenarius erat.

2 Pro qua etiā parte vrgere exiſtimo, quòd ordinibus initiari, eſt in ſummū honorē cooprari, nam clericatus eximia dignitas, & honor dicitur, *c. miramur, verſ. Si enim* 61. *diſt.* cōfirmat Dion. Paul. *de Clericorū & Sacerdotū excellentijs p.* 1. *per totā*, & præcipuè *n.* 15. & 22. Sed nulla ſenilis ætas impedimēto eſt quominus quis honores ſuſcipiat, & ipſis fungatur, vt ex Vlpiano *in l.* 2. *§. quem ita ſenio, ff. de vacatione muner. anno* 70. docuimus: ergo nec etiam obſtare debet, vt ad ſacerdotale faſtigium aliquis promoueatur.

3 Nihilominus tamē ſenem decrepitum, videlicet illum, qui octuageſimum annum exceſſit, vt ſuprà oſtendimus, ab ordinibus excludi meritò defendit Simon Maiolus *de irregularit. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 14. cuius ſententia ſequentibus ſtabiliri poteſt.

4 Primò, quia Epiſcopatus ordo eſt, veluti ex veriori opinione reſoluit Ægidius ConincK *de Sacramentis diſp.* 20. *dubio* 2. *n.* 9. At verò Epiſcopus, licèt ob ſuperueniētem ſenectutē ab officio non deijciatur, *c. petiſti* 7. *q.* 1. *c.* 1. *de renuntiat.* creari tamē non poteſt ſenio cōfectus, *c. Archidiaconū Florentinum in princ.* iuncta Gloſſa *verbo ſenio.* 85. *diſt.* igitur nec Clericus, aut Sacerdos eadem ſenectute ordinari valebit, maximè cùm Epiſcopalis ordo non ſit diſtinctus à ſacerdotio, vt idem ConincK *ſuperiori loco* affirmat.

5 Secundò, in hanc ſententiam inclinat, quòd quilibet ordo adiunctam habet perſonaliſſimam adminiſtrationem, vt ex ſe patet: ſed decrepitus ſenex, ſiue octuagenarius, in ea ætate eſt, qua nec aſſurgere *dict. cap. Archidiaconum*, nec moueri commodè poſſit: ergo ad illos nequaquam admitti debet.

6 Quibus ſic expreſſis, non obſtant quæ in contrariū adduximus. Non vtique quod primo loco de grandæuo ad ſacros ordines admiſſo ex *d. c. quicumque* protulimus: nam etſi grādæuus, ſenex dicatur, vt optimè aduerſus Gloſſam *in d. c. quicumque* admonet Maiolus *loco relato*, non tamen ſemper multorum annorum ſenem, & decrepitum ſignificat, quapropter dicendum eſt grandæuum, de quo in *d. c.* ſenem eſſe, ſed non decrepitum, ideoque rectè ad ſacros ordines admitti, quia is ſolùs

ſenex, aut grandæuus ab eorum ſuſceptione remouetur, qui decrepitudine laborat.

Nec magis vrget quod ſecundo fundamento cõtinetur, quia etſi verum ſit, clericale officium inter honores optima ratione connumerari, ac per conſequens nullã ſenilem ætatem honorum ſuſceptioni obſiſtere: attamen id procedit vbi ſenes, qui dictis honoribus ſunt præficiendi, ipſorum functioni ſufficiũt, vtpute quiritano iudicio pollent, quod præcipuè in illis requiritur: nos verò eos ſenes à clericali honore repellendos tantùm aſſerimus, qui ob nimiam ætatis ingraueſcentiam ordinum munus adimplere non poſſunt, vt ſunt decrepiti, & iam præcipites, vel vt vno verbo complectar, qui octuageſimum ætatis annum exceſſerunt.

His ergo hoc modo enucleatis ex ſuperioribus cõſequens eſt, imbelles, deliros, & achieroticos, vt aiunt, ſenes, qui fere ſemper octuagenarij ſunt, à conſecutione ordinum amoueri, etiam minorum. Nam cùm iſti eis non conferuntur, qui nondum vſum rationis fuerunt adepti, vt ſupra *anno 7.* ſuo proprio loco explicauimus: nec his dari debent, qui vitio ætatis ipſum amiſerunt, & iterum ad infantiam regreſſi, inter pueros connumerantur, veluti ex multis hoc eodem anno congeſtis apparere poteſt, & expreſſius ex *dict. l. arboribus. 12. §. de illo, ff. de vſufruct.*

ANNVS NONAGESIMVS.

SVMMARIVM.

Sacra Vnctio Sacramentum infirmorum & languidorum vocatur. 1.

Condemnatis ad mortem quare non ſit Sacra Vnctio miniſtranda? 2.

Beatæ Virgini non fuit præſtitum Vnctionis Sacramentum. 3.

Sacra Vnctio dicitur Sacramentum conſummatiuum Pœnitentiæ. 4.

Vnctio etiã ijs, qui naturaliter ex ſenectute decedũt, eſt miniſtranda. 5. *& quæ ſit ratio?* 6.

Duplex dicitur morbus, ſecundum naturam, & contra naturam. 7.

Etiã ijs, qui Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ſunt incapaces, debet Sacra Vnctio exhiberi. 8.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm nonagenarij, aut centenarij ſenes, qui naturaliter, & ſine infirmitate moriuntur debeant Sacra Vnctione liniri?

1 Ratio dubitãdi deſumitur primò ex *c. illud ſuperfluum 3. 95. diſt.* & ex Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 1. & 2.* vbi hæc ſacra Vnctio infirmorum, & languidorum appellatur: ergo ſenibus, qui nulla infirmitate grauãtur, minimè erit conferẽda: nec referr, quod ſint in extremis, & in exitu vitæ conſtituti, quia hoc Sacramẽtũ non eſt ſimpliciter morientium, & exeuntium, ſed morientium tantùm ægritudine aliqua, vt indicat Concilium *dict. ſeſſ. c. 3.* Vnde condemnatis ad mortem non adhibetur, quia licèt ſint in extremis, nõ ſunt infirmi, ſic Cerola *in praxi Epiſcopali p. 1. verbo Extrma Vnctio, verſ. Tertio*, Bellarm. *tractat. de Doctrin. Chriſt. c. de Extrema Vnctio.* Catechiſm. Roman. *c. de Sacramento Vnctionis, verſ. Nemini igitur*, Stephan. Gaeta *in repetit. c. ad limina, §. 7. n. 13. in fin. 30. q. 1.* Simon Maiol. *de irregul. lib. 3. c. 24. n. 15. verſ. Ipſis verò*, Candelab. aureum *tit. de Extrem. Vnct. n. 21.* Cenedus plures referens *1. p. collectan. 4. ad text. in c. quæſitum. 13. q. 2.* noſter Perez de Lara *in compend. vitæ homin. c. 16. n. 129.* Qua ratione nec B. Virgini fuiſſe præſtitum Vnctionis hoc Sacramentum, 3 tenent Paludan. *in 4. diſt. 23. q. 3. art. 2.* ſupplementum Gabrielis *q. 1. dub. 3.* Victor. *in ſumma n. 222.* Vazquez *2. tom. in 3. p. diſput. 119. c. 8.* Vega *en el Eſpejo de Curas 2. tom. c. 13. n. 15. ante finem*, quibus aſſentitur Sancius *in ſelectis diſput. 27. n. 20.* qui & alias vrgentiores rationes adducit quare B. Virgini nõ fuiſſet præſtitum, contra nonnullos, quos numero antecedenti, refert aliud ſentientes.

Se-

4 Secūdò hanc quæſtionem ancipitem reddit idem Concilium *cap.* 2. vbi Extrema Vnctio dicitur Sacramentum conſummatiuum Pœnitentiæ, & ita ex eo appellat Melchior Zambranus *in deciſione caſuum occurrent. in articulo mortis c.* 5. *dubio* 1. *n.* 3. & Sancius *d. diſputat. n.* 22. *verſ. Ad replicam reſpōde.* Vnde ijs videtur dari debere, quibus datur pœnitētia, vt iſta per illā conſummetur: ſed huius ætatis decrepitis ſenibus, qui frequenter præ ſenio deſipiunt, non miniſtratur Pœnitētiæ Sacramentum, vt ſupra *anno* 80. notauimus, ergo nec eis Extremæ Vnctionis erit præſtandum.

5 Tamen ſenibus, qui hac ætate magis ex naturæ defectu, quàm infirmitate aliqua moriuntur, eſſe Sacram Vnctionem concedendam indubitanter affirmant Stephanus Gaeta *ſupra*, vbi hoc ita intelligendum admonet, ſi appareat quòd petierint, Alphonſus Viualdus *d. loco n.* 22. *verſic. Secundo dandum eſt*, qui hanc opinionem communem dicit, Martinus Bonacina, *vt habetur in compendio verbo Extrema Vnctio*, Tabiena, *verſic. Vnctio*, §. 6. Valer. Reginaldi *in praxi fori pœnitential. lib.* 28. *num.* 69. Alphonſus de Madrigal *in inſtit. titulo de Parocho, cap. de Paroch. circa Sacramentum Extremæ Vnct. fol.* 282. Cardinal. Bellarminus *in dict. capit.* 1. *Concilij in additionibus num.* 2. Poſſeuinus *de officio Curati cap.* 8. *in apendice de Vnctione Extrema*, Auguſtin. Barboſa *in remiſſionibus ad dict. c.* 3. *Concilij*, & nouiſſime Sancius *d. diſputat.* 27. *num.* 19.

6 Cuius rei illam rationem ex Nauarro aſſignat Viualdus *ſuprà*, quia Extrema Vnctio finem vitæ præſumptū tantùm requirit, quod minimè verum eſt, alioqui etiam damnatis ad mortem, quorum vita probabiliter deſperatur, & quibus mors pluſquam præſumptiuè imminet, Vnctio eſſet conferenda, hoc enim nemo dicit, vt non procul oſtendimus.

Aliam reddit Bonacina *dict. loco* dum ſenibus qui ætate conficiuntur, abſque alia infirmitate, conferendum eſſe ait Sacramentum Extremæ Vnctionis, videlicet quia ſenectus ipſa morbus eſt, quę etſi certiſſima ſit, explicatione tamen indiget: nam ita ſimpliciter prolata implicationem habet cum terminis quæſtionis, quia illud diſquiritur, an ſenibus, qui non ex infirmitate aliqua, ſed tantum ex debilitate naturæ decedunt, ſit hoc Sacramentum exhibendum? nam ſi ſenectutem morbum eſſe fatemur, verum eſſe non apparet, ſenes abſque infirmitate decedere.

7 Quare pro huius rationis declaratione repetere oportebit quod ſupra *anno* 70. notauimus, nempe duplicem eſſe morbum, ſiue infirmitatem, vna quæ dicitur habitus corporis contra naturam, quam definijt Galenus *lib.* 1. *de ſanit. tuenda*, & Conſult. *in l.* 1. §. *ſed ſciendum, ff. de ædil. ædicto*, ad quam referuntur omnes lāguores & paſſiones à diſtemperie, & inordinatione humorum prouenientes: altera quæ habitus eſt corporis ſecūdum naturam, & hæc ipſa ſenectus dicitur, vt inquit Ariſtot. *lib.* 5. *de generatione animal.* & Cœlius Rhodigin. *lection. antiquar. lib.* 13. *cap.* 27. *in fine*, qui eam naturalem morbum appellant. Quo ſuppoſito, cùm quærimus, an ſit Vnctio concedenda ſenibus, dum eis magis ex ſenio, quàm ex infirmitate mors impendit, de infirmitate illa ſentimus, quæ habitus eſt contra naturam, non de ipſa naturali infirmitate ſenectutis: at verò cùm illis dandam Vnctionem ex communi ſententia definimus, hanc potius naturalem infirmitatem, quàm eam præternaturalem præ oculis habemus, ſiquidem Sancti Patres, & Concilium Tridentinum, cùm ex Chriſti inſtitutione Sacram Vnctionem infirmis eſſe adhibendam decreuerunt, abſolutè fuerunt locuti, & nulla facta diſtinctione inter eos, qui naturaliter, vel ſupernaturaliter infirmantur: ergo etiam naturaliter decumbentibus, & in exitu vitæ conſtitutis ſentiunt Vnctionem Extremam eſſe miniſtrandam, quia ita verè iſti quàm illi infirmi ſunt.

8 Ex quibus etiam eneruata manet prima dubitandi ratio, & ſecunda ex eo labefactabitur, quòd etiam omni ſenſu deſtitutis, qui nec Pœnitentiæ, nec Eucharistiæ Sacramentum recipere poſſunt, debet hæc Sacra Vnctio præſtari, vt pluribus docet Zambranus *dict. cap.* 5. *dubio* 7. *à num.* 5. & ex eo Antonin. Diana *tom.* 3. *tractat.* 4. *de Sacramentis reſolut.* 171. Ergo quamuis ſenes ob rationis defectum ſint pœnitentiæ incapaces, non ideò debent ab Vnctionis beneficio arceri, quādoque ex eo ipſis magis neceſſarium videtur, vt velut pœnitentiæ, quam iam diu receperunt conſummatiuum, deleat & abſtergat reliquias peccatorum.

ANNVS CENTESIMVS.

SVMMARIVM.

1 **S**Patium vitæ humanæ ſexaginta annorum eſſe aliqui voluerunt. 1.
Sexageſimus annus fatalis habebatur. ibid.
Gibboſi rarò pubertatem excedunt, & numquam ſexageſimum annum. 2.
Vera ſenectus ſexageſima anno incipit. 3.
Occidens aliàs moriturum, nullo reſtitutionis onere grauatur. ibid.
Vita noſtra centum annorum eſſe à legibus definitur. 4.
Sæculum quot annorum ſit? ibid.
Cornicem centum annis viuere credebatur. 5.
Abſens poſt centeſimum vitæ annum mortuus præſumitur. 6.
Cor an indies creſcat ſaltim vſque ad quinquageſimum annum? 7.
Centum & viginti annorum eſſe vltimum vitæ noſtræ terminum oſtenditur. 8.
Nullum determinatū tempus agnoſcitur, quod vltimus ſit terminus vitæ humanæ. 9.
Leges interpretantur quæ cēteſimum annum, vt vltimum vitæ noſtræ ſpatium præfigere videntur. 10. & 11.
Qui intra centeſimum vitæ annum exiſtit, adeò viuere præſumitur, vt probatione non indigeat. 11.
Explicantur teſtimonia Sacræ Scripturæ, quibus contraria opinio innititur. 12.
Ciuitas vel Eccleſia perſonam habere videntur. 14.
Legatum annuū, vel vſusfructus ciuitati, etiā in perpetuum relictus, an ſolùm centum annis duret? ibid. & ſeq.
L. in ſingulos. 8. ff. de annuis legatis intelligitur. 16.
Ciuitates etiam quodammodo moriuntur. 17.
Vnicuique ciuitati poſt ſeptingentos annos ſuū interitum contingere dixit Plato. ibid.
Legatum Monaſterio relictum, an eo deſtructo duret, & Romanæ Eccleſiæ debeatur? 18.
Eccleſia Romana, mater eſt omnium Eccleſiarum. ibid.
In dubio legatum præſumitur relictum contemplatione Dei, & non Monaſterij, vel Eccleſiæ. 19.
Cùm legatum relinquitur Collegio templi, in dubio præſumitur relictum contemplatione perſonarum ipſius Collegij. ibid.
Votum caſtitatis cenſetur perpetuum, cùm ad centum annos fit. 20.
Dictio in perpetuum, an centum annos importet. ibid.
Emphyteuſis ciuitati conceſſa vltra centum annos an extendatur? 21.
Dictionis in perpetuum variæ ſignificationes adducuntur. 22.
In ſtatu innocētiæ quot annorum humana vita exiſteret? 23.

QVÆSTIO VNICA.

Vitæ humanæ quæ ſit meta longiſsima?

DE ſpatio vitæ longiſſimæ hominum diſputatio occurrit, ac per conſequens de re omnium Incertiſſima, & quam meritò dubiam, cæcamque cognominat D. Auguſtin. *in originali* tractans illud *Iob.* 4. *Quæ enim eſt vita noſtra?* Quid ergo mirum, ſi & in ea præfinienda, nec dubitauerint tantum nōnulli ex Interpretibus, ſed & cæcutire viſi fuerint quàmplurimi, horum enim præcipuum locum obtinent vetuſtiſſimi illi Scriptores, qui humanæ vitæ circulum non maiori ſexaginta annorum ſpatio terminabant, vt Autor eſt Domitius Calderinus *in* 16. *Epigram. Martial. lib.* 1. vbi eandem ſententiam ipſemet Poeta indicat his verbis. 1

Bis iam pene tibi Conſul trigeſimus inſtat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.

Et inſectari videtur Æmilius Macer *in l. cōputationi* 68. *alias hæreditatum, incipit, ff. ad legem*

legem falcid. dum de computatione in alimentis facienda agens, anni ſexageſimi conſiderationem non egreditur, eo nimirum ex opinione Goueani *ibidem*, quia ad hanc ætatem ſolent fere homines peruenire, ideoque eam fatalem vocat Mimermus, quem tamen à Solone redargutum ſcribit Laertius, vt refert Bungus *de myſterijs numeror. num.* 60. id etiam inſinuat Burſat. *conſil.* 151. *n.* 29. *lib.* 2. vbi inquit hominum vitam hodie breuem eſſe, nec ordinariè excedere annos 60. vel 70. refert Proſper. Farinaci. 2. *tom. praxis criminal. quæſt.* 27. *num.* 116. & nonnullis relatis Vincent. Caroc. *tractat. de locato part.* 2. *q.* 7. *num.* 5. *verſic. Et conſiderandum eſt.* Quibus ſuccinit locus Frederici Luminij *tractatu de vicinitate iudicij, & commutationis ſæculi lib.* 2. *cap.* 19. *pag. mihi* 228. *Quotum enim quemquam inuenies*, inquit, *qui non in virili ætate, aut etiam citiùs longè ante annos ſenectutis inopinato mortis acceſſu neſcius præoccupetur? Quot putas infantiũ Miriades diſcedere quotidie, qui diutiùs in vtero quàm in mundo vixerunt Quot rurſum quibus naſcendi difficultas lucem negat vitam adimit, gratiam non communicat. Sint plures qui anguſtijs materni vteri, ac doloribus partus ſuperatis naufragium vitæ euadunt, lucemque participant: vix tamen centeſimus quiſque creditur ad ſpectatum iuuentutis florem pertingere, vel non ante decrepitam ſenectam commigrare.* Conſentit Cyprianus *cõtra Demetrianum*, ibi: *Sic in ortu adhuc ſuo ad finem natiuitas properat*: & quodammodò ſuadetur *ex l. poteſt quis* 57. *de hæredibus inſtituendis*, vbi teſtator vitam ſuam ſeptuaginta annorum futuram conìectatur, dum ſcribit, *Si intra annum ſeptuageſimum deceſſero, ille mihi hæres eſto*. Hinc Petrus Bungus *de myſterijs numeror. num.* 60. vitam ſpiritualem inquit ſeptuaginta annorum eſſe.

2 Verum enim verò, qui ita ſentiunt, planè deſipiuntur; tum quia ipſa experientia commonſtrante frequentiſſimè homines hunc vitæ terminum excedunt, veluti *ex d. l. poteſt* 57. optimè colligitur, vbi teſtator ſperabat vitam ſuam poſſe excedere annum ſeptuageſimum, alii qui conditionalis inſtitutio non eſſet, vt inquit textus, ſi intra ſeptuageſimum annum neceſſariò vita finienda eſſet. Et confirmatur ex ſententia eximij Medici Guillermi Ader *in enarrationibus de ægrotis & morbis in Euangelio enarrat.* 3. in qua Gibboſos ante pubertatem mori, & qui poſt pubertatem vitam protrahunt, raró poſt ſexageſimum annum durare: ergo ſexageſimi an-
3 ni vita in rectè valentibus longior eſt. Tum etiam, quia vt communis ratio noſtrorum, quàm Philoſophorum refert opinio, ſexageſimo anno hominibus vera ſenectus incipit, veluti ex Thoma Sancio, & alijs ab eo relatis *lib.* 7. *de matrimonio diſputat.* 32. *numero* 17. ſuo loco ſcripſimus: quocirca ea ætate longiſſima viuendi meta conſtitui non debet, quia ſiquidem, vt alibi diximus, & admonet Seneca *epiſt.* 72. ſenectus per aliquot annos durat; non verò vnicè incipit & finitur. Ita ſentire videtur nouiſſimè Antonin. Diana *reſolut. moral. part.* 5. *tractat.* 4. *reſolut.* 53. vbi inquit abſurdum eſſe occidentem ſexagenarium non teneri ad reſtitutionem: nam fieri poteſt, vt adhuc ſit validus, & putetur diu victurus, quòd minimè dici poſſet, ſi ſexagenarius extremum vitæ ageret, quoniã vt ipſe ex Nauarro *ibidem* refert, ex occiſione illius, qui alias naturali, vel iuſta morte erat moriturus, nulla reſtitutionis obligatio naſcitur. Nec quicquã illis opitulatur Æmilij autoritas *in dict. l. computationi*, nam vt non malè conſiderat Anneus Robertus *rerum iudicatar. lib.* 1. *cap.* 2. *ad finem*, in ea lege de viceſima hæreditatum in fauorem fiſci ab Auguſto conſtituta agitur, vt ex inſcriptione patet, in qua quidem deducenda ſexageſimi tantùm anni ratio habetur: idque fortè ſenectutis fauore, quæ vt prope oſtendimus ſecundum aliquos, illo anno incipit, ad quam ſubleuandam magnis ſemper facultatibus indigent homines.

Cæteris autem caſibus lex vitæ humanæ 4
terminum centum annis æſtimat. *l. an vſuſfructus.* 56. *de vſufructu*, *l. proponebatur.* 76. *verſic. Nam & legionem, de iudicijs*, *l. ſi vſuſfructus* 8. *de vſufructu legato*, *l. vltim.* §. 1. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* *Nouella* Iuſtiniani 9. *vt Eccleſia Romana centum annis gaudeat præſcriptione*: ita firmat Plató *lib. de Republica*, ibi: *Spatio annorum centum, quaſi hæc vitæ humanæ ſit meta*, & Varro *lib.* 5. *de lingua Latina*: *Sæculum*, inquit, *ſpatium centum annorum eſt dictum à ſene, quod longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putarent*: vnde & ludos ſæculares dictos fuiſſe notat Mantua *in gloſſario cap.* 19. *num.* 3. *claſſis primæ*, *vbi & num.* 1. præmittit, quòd cùm latis legibus Athenis Solon voluiſſet, eas à ciuibus toto vitæ ſuæ ſpatio cuſtodiri coegit Senatum & populum iureiurando promittere, ſe illas centum annorum curriculo ſeruaturos, quia longiſſimum hoc vitæ hominis tempus eſt. Quod Ægyptij Sacerdotes Hieroglyphico figurabãt, cùm cornicem vita functam depingerent, quia centum annos eam viuere credebant, vt refert Vlyſſes Aldroband. *de Auibus lib.* 12. *cap.* 9. vbi de ipſius cornicis Hieroglyphicis, in quo etiam noſtri conſen-

tiunt, præſertim gloſ. *in l. 2. §. ſi dubitetur, ff. quemadmodum teſtamenta aperiantur*, Guillerm. Rouil. *in deſcriptio. iuſtitiæ lib. 2. c. 13.* Iacob. Cuiac. *lib. 15. obſeruat. c. 22.* Donel. *lib. 10. commentar. c. 17.* & *ibidem* Oſuald. *litera B.* Marcus Mantua *d. loco*, Proſper. Farinac. *in fragment. 2. p. liter. M. n. 312.* Ioannes Oroſcius *in l. 6. §. ſi initium verbo tabularum n. 50. ff. de edendo*, Paulus Durandus *de condit. & mod. impoſſibili p. 2. c. 2. n. 20.* vbi ea ratione conditionem illam, ſi vltra cẽteſimum annum vixeris, impoſſibilem reputat, multi relati à Petro Gil Kenio *in d. l. fin. C. de Sacroſanct. Eccleſ. n. 8.* Ioan. Corraſius *Miſcellan. lib. 5. c. 18.* Anneus Robertus *vbi ſupra*, Petrus Faber *ſemeſtr. ... o. 1. c. 8.* Forcatolus *in Cupidin. iuriſperito, c. 21. n. 5. & ... necromantia dialog. 25. n. 4.* Maſtril. *deciſ. 55. n. 29.* Polidor. Ripa *tractatu de actis in articulo mortis cap. 18. per totum*, Franciſc. Monald. *conſil. 43. n. 9.* Hieron. Portoles *in ſcholiis ad Molinum, §. præſumpt. n. 5.* Sigiſmund. Scaccia *de ... ular. lib. 2. cap. 8. difficult. 8. n. 241.* Anton. Bellon. *conſil. 2. n. 67.* Modeſtin. Piſtor *illuſtr. quæſtion. p. 2. q. 82. n. 3.* & *ibi* Iacob. Schultem, Mollerus *lib. 2. ſemeſtri c. 7. n. 22.* Iacob. Cancer. *variar. reſolut. p. 3. c. 1. n. 220.* Morla *in emporio p. 1. tit. 12. q. 8. num. 4.* Petr. Pons *ſelectarum legum litera V. verſ. Vita pag. mihi. 574.* Philip. Paſchal. *de viribus patriæ poteſt. p. 1. c. 6. n. 12.* Claud. Rangol. *in libros Regum lib. 1. c. 4. verſ. 18.* Ripol. *variar. reſolut. iuris cap. vlt. n. 7.* Balzaranus *de feudis lib. 2. tit. 14. n. 2.* Cardinal. Tuſchus *practicarum concluſ. litera L. concluſ. 86. n. 3.* Nicol. Loſeus *tract. de iure vniuerſ. p. 5. n. 9.* Ioan. Baptiſta Coccinus *deciſ. 345. n. 5.* P. Sanchez *lib. 4. ſummæ cap. 40. n. 49.* Ægid. Trullench *in expoſitione Bullæ Cruciatæ c. 3. dubio 15. n. 7.* Dominic. Taſſonus, *verſ. 12. obſeruatione iuriſdictiona li. 1. n. 136. fol. 498.* dum quinquageſimum annum mediam hominis ætatẽ appellat; nouiſſime Franciſc. Amaya *obſeruat. lib. 2. cap. 11. n. 19.* noſter Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c. 31. n. 86. & ſeqq.* vbi plures congerit; quocirca Eſaias *cap. 65.* relatus à Diuo Gregor. *in c. Paulus. 28. q. 7.* cum hominem adoleſcentiæ illecebris ad finem vitæ deditum graphice deſcribere voluiſſet, puerum centum annorum eum vocat: & conducit quod de Themiſtocle tradidit Cœlius Rhodigin. *lection. antiquar. lib. 3. c. ...* ſcilicet, tranſmiſſis vitæ annis centum ac ſeptem lineas, iam fieri propiores, ſentiẽtem indoluiſſe, tunc ſibi demigrandum ſapere, cũ præcipuè eſſet exorſus. Quibus addendus erit non inferioris autoritatis vir D. Ioannes de Quiñones Regius Conſiliarius *tractat. de temporibus, terminis, & numeris legalibus, num. 100.* quem iam iam prælo mandare ſatagit.

6 Et conducit pro hac opinione ſententia illorum, qui enixe defendunt mortuum enim præſumi, qui iam natus eſt centum retro annis, vt videre eſt per Capel. Toloſanam *deciſ. 313. n. 3. verſ. Probatur etiam*, Firmian. *in repertor. verbo mortuus n. 18. & 58.* Gabriel *tit. de præſumptionibus concluſ. 16. n. 4. lib. 1.* Couarru. *variar. lib. 2. c. 7. n. 6.* Farinacius *loco vbi ſupra n. 311.* & Gil Ken. *d. loco*, Cardin. Tuſchus *practicarum concluſionum litera M. concluſ. 400. n. 25.* adeò quidem, vt ipſius mors probari ab eo non debeat, qui eã allegat, veluti ſupra ſcripti omnes fatentur.

Cuius longæ ſenectutis Ægyptij, & Alexãdrini naturalem cauſam cordis eſſe diminutionem crediderunt, cor enim augeri per ſingulos annos, ac binas drachmas ponderis ad quinquageſimum annum accedere, ab eo detrahi tantundem, & ideò nõ viuere hominem vltra centeſimum annum defectu cordis exiſtimabant, quod ex noſtris recenſet Ioannes Corraſius *d. lib. 5. Miſcellan. c. 28.* licèt diuerſam cordis menſuram ſequatur Petr. Gregor. *de Republica lib. 21. cap. 5. n. 3.* Galeotus Marius *tractatu de homine interiori lib. 2. c. de corde pagina mihi 70.* Claud. Rangolius *in libros Regum lib. 1. cap. 4. verſ. 15. pag. 591.* Dalnerius *de iure hominis tom. 1. lib. 1. p. 11.* Ioan. Lang. *lib. 1. epiſtol. medicinal. epiſt. 79. pag. 477.* Claud. Deodatus *lib. 1. Panthei Higiaſtici c. 6. pag. 54.* Riolanus *de temperamentis ad Fernelium c. 10.* Andr. Laurentius *tom. 2. ſuorum operum tractat. de ſenectute cap. 1.*

7 Verum tamen huic opinioni, quam vno ore communem Interpretes noſtri appellãt, vt proclamat Cagnolus *in l. ſi emancipati n. 95. C. de collationibus*, Iaſon *in d. l. fin. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* & Tuſchus *vbi proximè*, pleraque longioris vitæ illuſtria exempla reſiſtunt, quorum meminerunt Plinius *lib. 7. naturalis hiſtoriæ c. 48.* Lucianus *integro libello de longæuis*, Phlegon. Trallian. *de mirabilibus & longæuis*, cuius opera Xilandri beneficio fuerunt in lucem edita, Valer. Maximus *lib. 8. c. de ſenectute memorabili, & lib. 7. c. 48.* vbi innumeros referunt, qui centum & vigeſimum annum vixerunt: vndeque Seneca; vbi de centeſimo anno loquitur, hãc ætatem ne homini quidem extremam eſſe conteſtatur: quod mirum videri non debet, quia vt diuina eloquia profitentur, humanæ vitæ terminus 120. annorum ſpatio præſcribitur, vt Geneſ. 6. cauetur his verbis: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius 120. annorum,*

quæ verba referuntur *c. prædixerat de pœnitent. diſt.* 1. Cũ igitur homini neget fore æternum, & pro termino conſtituat 120. annos, apparet hunc vitæ eſſe longiſſimum ſpatium; vltra quod viuere non poteſt, non verò cẽteſimum annum, vt noſtrorum fert vulgata opinio. Ita mecũ ſentit Ioſephus *lib. 1. antiquit. c.* 4. & 7. Lactant. *lib.* 2. *de origin. error. c.* 14. & hanc eſſe longiſſimæ vitæ præfinitionem ſatis indicat Moyſes *Deuteron.* 31. vbi ſic ait: *Centum viginti annorum ſunt hodie, non poſſum vltra ægredi & ingredi.* Et ſi prophana licet ſacris annectere, Seruius 4. *Æneid.* tribus, inquit, cõtinetur vita humana, natura, cui vltra centum & viginti annos conceſſum non eſt: fato, cui nonaginta, id eſt tres Saturni curſus: fortuna ſeu caſu, quod fit omni ætate: itaque ſenſiſſe Ciceronem *lib. de conſolatione* refert P. Ioan. de Mariana *in ſcholijs ad Pſal.* 89. *verſic.* 10. iuxta quam definitionem Iuſtinianus teſtatur *Nouela* 5. *de Monaſter. & Monachi*, Zozimum quemdam annum prope centeſimum & vigeſimum egiſſe.

8 Nec præualet naturalis illa ratio augmẽti & diminutionis cordis, qua ſuffulti nonnulli in prædictam ſententiam adducuntur, & anno centeſimo vitam hominum circumſcribunt, ſiquidem vt Andreas Laurent. *d. loco* obteſtatur, à quo parum diſſentit Santacruz *opuſcul. de cauſis intrinſecis pulſus pag.* 13. id fabuloſum & fictitium eſt, nam quamplures ſe vidiſſe ſenilium corporũ diſſectiones affirmat, in quibus cor eiuſdem magnitudinis ac iuuenum, vel minoris ponderis facto examine reuera comperijt. Rurſus, quia incertũ eſt cor hominis ad annum ætatis quinquageſimum duarum ſolummodo drachmarum pondus naniſci: nam vt ſcribit Dioſcorid. relatus à Corraſio *d. c.* 18. & Pierius Valerian. *Hieroglyph. lib.* 17. vbi de *Ibi* cor nuper nati paruuli, ſiue anniculi, idem pondus habet duarum drachmarum, bini verò quatuor, trimi ſex, ac demum vt verbis vtar Corraſij, pro curſu pari in annum quinquageſimum, à quo decrementa incipiunt, ad æquilibrum ſupputantur.

9 Sed nihilominus longè probabilius cẽſeo cum P. Franciſco de Mendoça *in viridario ſacræ & prophanæ eruditionis lib.* 4. *problem.* 17. *n.* 100. non dari aliquem certum annum, qui ſit maximum quod ſic humanæ vitæ, ſiquidem ille, qui ab vtriuſque opinionis ſectatoribus aſſignatur, nedũ ex ſuprà enarratis, verùm & ipſa experientia conſtat talem nõ eſſe, cum S. Romualdus 130. annum vixerit, & alij vt ipſe Mendoça, & Ioan. Buſeus *de ſtatibus hominũ de ſtatu ſenectutis c.* 7. affirmat, dictum terminum excellerint. Quorum nonnullos etiam receſent Thomas Maluenda *de paradiſo voluptatis cap.* 52. Claud. Deodatus *vbi proxime c.* 6. *pag.* 56. Martin del Rio *lib.* 2. *Magicar. diſquiſit. q.* 23. Valeſcus Farentaſius *lib.* 9. *Philonis c.* 12. Poſtellus *in Coſmographia*, Serarius *tom.* 2. *in Ioſue c.* 13. *q.* 3. *n.* 3. Franc. Floridus Sabinus *lib.* 2. *horarũ ſucceſſiuar. c.* 3. Ægid. Camartus *de rebus geſtis Eliæ Prophetæ c.* 3. *ſect.* 4. *pag. mihi.* 78. doctiſſimus D. Ioan. Solorçanus *lib.* 1. *de Indiarum Iure c.* 2. *n.* 10. & multi relati nouiſſimè ab Auguſtin. Barboſa *in collectan. ad l. vt inter diuinũ* 19. *n.* 16. *C. de Epiſc. & Clericis.*

Nec aliud Iuriſconſulti noſtri probant, cũ tot legibus longiſſimam hominis vitam centum annorum eſſe voluerunt, ſiquidem id non ita conſtanter aſſeuerant, quaſi nemo ſit, qui hunc vitæ terminum [illegible] diatur, conſtat enim ex dictis plurimos id feciſſe, ſed prop[illegible] vt rectè explicat P. Faber *d. lib.* 1. *ſemeſtr. c.* 8. quod (cùm ad ea potiùs accõmodari debeant iuris diſpoſitiones, quæ frequenter & facilè, non verò quæ rarò accidunt, *l.* 3. 4. & 5. *ff. de legibus*) vt plurim[illegible] cancellis, vt plerorumque hominum, qui cõſenuerint, vita concludatur. Vnde prouenit communis illa noſtrorum omnium aſſertio, videlicet vitam eius, qui intra centeſimũ annum exiſtit, præſumi ita vehementer, vt approbationis onere releuetur, qui eam velut intentionis ſuæ baſim & fundamẽtum propoſuit, licèt nõ defuerint qui vt certo certius cõtrariũ tenuerint: ita Gregor. Lopez *in l.* 14. *verbo, Abonda que prueue, tit.* 14. *p.* 3. Capel. Tholoſan. *q.* 313. *n.* 4. Gozadin. *conſil.* 68. *n.* 5. Herculanus *tract. de negatiua n.* 290. *verſ. Mors quoque præſumitur* Gabriel. *tit. de præſumptionibus lib.* 1. *concl.* 16. *n.* 3. Menochius *de adipiſcẽd. remed.* 4. *n.* 668. Quam opinionẽ magis communem appellat Tuſchus *d. loco litera V. concl.* 226. *n.* 6. & *n.* 14. Anton. Acacius Ripol. *variar. reſolut. c. vlt. à n.* 7. Pompeius Bataglinus *in additionibus ad Cynum pag.* 17. Perez de Lara *in compendio vitæ hominis c.* 31. *n.* 87. de quarum opinionũ conciliatione videndus erit Petrus Gil Ken. *in d. l. fin. n.* 15. 16. 17. *C. de Sacroſanct. Eccleſijs*, vbi nonnullis relatis Interpretum diſtinctionibus, totam rem cum Cagnolo *in dict. l. ſi emancipati n.* 91. & Menoch. *lib.* 6. *de præſumptionib. præſumpt.* 49. *num.* 28. arbitrio iudicis relinquit. 10 11

12 Minuſque loca Sacræ Paginæ contrariæ opinioni aliquid fauent, nam illa verba Geneſ. 6. non de vitę humanæ termino poſt diluuium, ſed de pœnitẽtiæ tempore, quod Deus ante diluuium hominibus conceſſit, accipiũtur, vt ſentiunt D. Hieron. Auguſt. Lyranus, & plerique alij, ex quibus teſte Mendoça *vbi ſuprà*

ſuprà, Hieronymus ait fuiſſe datos ad pœnitentiam 120. annos, ſed quoniam pœnitentiã agere neglexerunt, noluiſſe Deum expectare præſcriptum tempus, ſed viginti annorũ ſpatijs è ſumma deductis diluuium induxiſſe anno 100. Nec Moyſes loco adducto ait, vltra ſe viuere non poſſe, ſed oſtendit illam ætatem decrepiti ſenis adeo frigidam & elanguem, minimè aptam fuiſſe ad clauum illius populi moderãdum, utræquè ceruicis rempublicam ſuſtinendã, vt verba ſunt Mendoça *d.n.* 100.

13 Quibus ita conſtitutis planum euincitur, nullum eſſe determinatum humanæ vitæ longiſſimum terminum, ſiue in maſculis, ſiue in fœminis, ſed quia, vt crebra experientia inſtruimur, cum homines longius viuunt, centeſimum annum non excedunt, inde iura quæ à communiter accidentibus proficiſcuntur *d.l. nam ad ea*, cum ſimilibus, *ff. de legibus*, illum vitæ longiſsimum finem eſſe meritò protulerunt.

14 Quod nedum in hominibus, ſed & in his, qui perſonarum vicem ſubeunt, vt in ciuitatibus, municipijs, *l. mortuo* 22. vbi norãt omnes, *ff. de fideiuſſoribus*, & elegantiſsimè Iacob. Cuiacius *lib. 3. differentiar. Modeſtin. in l. 22. quibus modis vſusfructus amittatur*, vel Eccleſijs, quæ ciuitatibus æquiparantur, *l. vltim. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* locum habere prædicant, quapropter ſi vſusfructus municipibus, aut ciuitati legetur, placuit tuẽdos eſſe municipes, aut ciues in eo centum annis, quia is longiſſimus communitatum terminus creditur, cùm perſonarum vice fungantur *d. l. an vſusfructus, ff. de vſufructu, d. l. ſi vſusfructus* 8. *ff. de vſufruct. legato*. Quibus in locis paſſim hoc ab interpretibus obſeruatur, vbi & inſuper aliqui norant, idem eſſe ſtatuẽdum in annuo legato, vel redditu ciuitati, vel municipio relicto, ea vtique ratione, inquit vetuſtiſſimus Hugo relatus ab Accurſio *in d. l. ſi vſusfructus* 8. *de vſufructu legato*. quia legatum annuum eodemmodo ac vſusfructus finitur. *l. in ſingulos* 8. *ff. de annuis legatis*, ſequitur Bart. *ibidem*, vbi hanc ſententiam tenendam affirmant Lancelot. & Decius, eamque communem appellat Alex. *conſ. 60. lib.* 1. & ab ea non eſſe diſcedendum, etiamſi in perpetuũ dicat teſtator ſe ciuitati, aut Eccleſiæ legatum annuũ relinquere: probant idẽ Alex. *d. conſil.* Petr. de Ancharran. *in c. final. de teſtam. n.* 9. Feder. de Senis *conſil. 12. Fratres Prædicatores n.* 5. vbi ex hoc cõſuluit fratribus Mendicãtibus poſſe relinqui legatum in perpetuũ ab hæredibus præſtãdum; quia hoc inquit, non eſt perpetuum, ſed centum annis, vel minore tempore finitur, Cardil. Zabarel. *conſ. 66. in dubio præmiſſo paulò poſt princip.* Ioan. Annania *conſ. 39. præſuppoſito quod legatum n.* 2. vbi de communi, & ibi Bologn. *in addit. n.* 4. Carol. Ruin. *conſ. 143. viſo inſtrumento tranſactionis n. 11. vol.* 4. Petr. Peruſ. *tract. de Canon. partione in 7. punct.* Catelli. Cotta *memorabili. verbo perpetuum* Bartol. Cepol. *de ſerui. vrban. prædior. c. 4. in fin.* Ioan. Cephal. *conſ. 268. bona quæ remanſerũt n. 25. & 26. vol. 2.* Marc. Mantua *apophtegm.* 552. Couarru. *lib. variar. c. 9. n.* 10. Ioan. Diledus *de arte teſtand. tit. 6. cautel.* 57. Petrus de Rabena *ſingular. 612. relictum tali Eccleſiæ*, Bart. Bertazol. *conſ. 1. Sereniſſimus Dominus n. 72. & ſeqq. vol.* 1. Nicol. Loſeus *de iure vniuerſitatis d. p. 5. n.* 10. Octau. Vulpellus *tract. de præpoſit. & diction. dictione perpetuo n.* 1. plures relati à Viuio *com. opin. lib. 2. opinione* 446. quibus nouiſſimè accedit Naldus *in ſumma verbo vſusfructus n. 12. & verbo infinitas num.* 1. Molfeſius *in ſumm. tom. 2. tract. 13. cap. 5. n.* 56. qui omnes pro hac ſententia innumera fundamenta adducunt.

Contrariã tamen opinionẽ, videlicet quòd in perpetuũ duret, ſiue fuerit ſimpliciter annuum ciuitati relictum, ſiue adiectione verbi in perpetuum, aut alterius ſimilis, veriorẽ dicunt Albericus *in l. ſi vſusfructus municipibus de vſufructu legato*, vbi ſcribit vidiſſe hãc cõmuniter in praxi ſeruari, & *in d. l. an vſusfructus, ff. de vſufructu*, Raphael Cuman. *in d. l. ſi vſusfructus*, poſt Dinum & Raineriũ *ibidem* Philip. Corneus *conſ. 22. n. 19. vol.* 3. Socin. *in l. 3. §. fin. n. 6. & 7. ff. ad legem falcid. verſ. Ex his ergo*, Iaſon *in l. videamus, §. deferre, ff. de in litem iurando, & in l. 2. ff. ſoluto matrimon. n.* 5. Franc. Ripa *ibidem n.* 3. vbi etiam Ioan. Crotus *n.* 2. Gul. Pontan. *n.* 2. qui de communi teſtatur, Thom. Parpal. *n.* 7. Ioan. Mari. Verrat. *in libello ſuo diſputat. aduerſus Luteranos, tit. de annuis legatis*, Anton. Gomez *tom. 2. c. 15. n. 18. aliàs n.* 20. & ibi Emanuel Suarez *in additionib. lit. F. verbo ſed contrarium eſt tenendum*, vbi dicit, hãc eſſe proculdubio veriorem, & in Theſauro *receptar. ſentẽtiar. lit. A. verſ. Annuũ legatum n.* 181. & 182. quo loco inquit hãc eſſe veriorem, & hodie magis communẽ reperir in *lit. L. verbo legatum annuum n.* 40. Didac. Couarru. *d. lib. 3. c. 9. n.* 10. & ante eum Panormit. poſt Petrum, & Guilielm. quos refert *in d. cap. fin. de teſtam.* Andreas Barbac. *conſ. 720. Clemẽtiſſimum Dominum, per totum, vol.* 4. vbi cõſuluit in eodẽ caſu contra Alex. de Imol. *in d. conſ.* 60. Iaſon *in l. in annalibus, C. de legatis*, vbi plurimum dubitat de Bartoli ſententia Andreas Tiraquel. *de priuilegijs piæ cauſæ priuileg.* 90. Hippol. Riminald. *in cõſilio relato per Verratum vbi ſuprà*, & multò latiùs & diligẽtiùs 15

tiùs omnibus melius *conſil.* 219. *exorta fuit quæſtio, per totum, volum.* 2. *vbi numero* 13. dicit hanc eſſe magis communem, & quod pro ea iudicatum fuit, Guido Panzirol. *conſil.* 135. *Dominus Riualdinus per totum lib.* 1. affirmans quôd licèt olim ſecus fuerit, tamen hanc non ſolum eſſe veriorem, ſed etiam magis communem, vt patet ex adductis *num.* 11. *&* 12. *ad finem*, Angelus & Raphael Cuman. *in l. ſi hæres, §. vltim. ff. ad Trebellianum*, Simon de Pretis *de interpretatione vltimarum voluntatum lib.* 4. *interpretatione vltim. num.* 12. vbi appellat communem ſententiam modernorum, Petrus Riciard. *in relectione, §. non ſolum inſtit. de legatis num.* 30. Hugo Donellus *commentariorum iuris ciuilis lib.* 8. *cap.* 24. Franciſcus Viuius *lib.* 2. *communium opinionum opinione* 446. Iacobus Cuiacius *lib.* 3. *differentiarum Modeſtini in l. ſi vſusfructus.* 21. *quibus modis vſusfructus amittatur* Andras Kohl. *exercitatione legali* 6. *num.* 26. vbi & in vſu vniuerſitati relicto idem reſoluit, quia talis vſus fructùs non reddit inutilem proprietatem, Andreas Fachineus *lib.* 4. *controuerſiar. cap.* 100. *verſic.* 2. *eſt in eo poſitum, quod legatum annuum.* Alexand. Raudenſis *conſ.* 22. *à num.* 486. *volum.* 1. Ioannes Petrus Moneta *de commutatione vltimarum voluntatum capit.* 10. *num.* 31. vbi plures refert huius opinionis ſectatores, Mendez de Caſtro *de annonis ciuilibus num.* 51. *&* 52. Vbi relata priori ſententia concludit, contrarium longè verius & receptius eſſe, ſcilicet legatum annuum ciuitati, aut monaſterio relictum, in æternum durare, nec centum annis extingui. Cui opinioni nouiſſimè ſubſcribit Toletanus noſter Alphonſus Perez de Lara *in compendio vitæ hominis dict. cap.* 31. *num.* 89. Bonacina *de contractibus diſputat.* 17. *punct.* 8. §. 6. *num.* 2. Homobonus *in conſulta. caſuum conſcient. volumine* 2. *part.* 7. *reſponſo.* 27. Antonin. Diana *reſolution. moralium part.* 5. *tractat.* 14. *reſolut.* 84. vbi licèt vtramque opinionem probabilem dicat, & primam probabiliorem, ſecundam verò in praxi ſeruari teſtatur, quibus & ego libenter accedo; nec ob tantorum virorum autoritatem, qui illam amplectuntur dumtaxat, ſed etiam quia manifeſtis iuris diſpoſitionibus roboratur. *in l. annuam.* 6. *l. annua.* 20. *l. cum quidam.* 23. *l. cum erat.* 24. *ff. de annuis legatis*, quibus locis in ſingulos annos ciuitati relictum legatum perpetuò deberi ſcribitur.

16 Nec turbat hanc definitionem fundamentum *dict. l. in ſingulos* 8. *ff. de annuis legatis*, quo ſuam ſententiam munijt antiquus Hugo, ſiquidem ea abſolutè non probatur annuum legatum iiſdem modis extingui, quibus & vſusfructus, ſed tantùm in eo vſufructui ſimilem eſſe, quòd morte finiatur, idque minimè diffitemur, imò expreſſe affirmamus prædictum annum legatum ciuitati, aut reipublicæ relictum morte, aut fato (habent 17 enim ſuam mortem & fatum ciuitates, vt latè aduertit Petrus Faber *dict. lib.* 1. *ſemeſtri cap.* 19. & Iuſtus Lipſius *lib.* 1. *de conſtantia cap.* 16. *fol.* 26. *in fine*) ipſius ciuitatis finiri, quapropter ſi naturaliter interierit, vel fuerit euerſa (quod poſt ſeptingentos annos accidere putabat Plato & Cicero, vt teſtis eſt Iacobus Zebecorius *in obſeruatis politicis cap.* 8. his verbis, *Putat Plato, & poſt illum Cicero, magnis omnibus rebus publicis intra ſeptingentos annos fatalem aliquam, & ineuitabilem conuerſionem imminere, quorum opinionem pluribus conarer refellere, niſi præſens reipublicæ Venetæ ſtatus illam abundè falſitatis conuinceret*: à quibus ... nouiſſimè Ioannes ... Kier *in theſauro politicorum aphoriſmorum lib.* 6. *cap.* 1. vbi pluribus exemplis comprobat eiuſmodi mutationes circa 500. annum vt plurimum euenire) vel ſi fuerit aratrum paſſa, quæ ciuitatum ciuilis mors eſt aſſeuerante Petro Fabro *vbi ſuprà cap.* 8. & Iacobo Reuardo *coniectaneor. lib.* 2. *cap.* 7. annuum legatum etiam peribit, non aliter atque vſusfructus, *l. ſi vſusfructus* 21. *ff. quibus modis vſusfructus amittatur*, ſed non pari modo tranſcurſu centum annorum, quia in eo relicto ceſſat ratio, quæ reſtringit legatũ vſusfructus ad prædictum tempus, ſcilicet illa, quæ à Conſulto refertur *in dict. l. ſi vſusfructus municipibus*, ne nulla vtilitas ſit nudæ proprietatis ſemper abſcedente vſufructu, cum nulla proprietas hoc in caſu reddatur inutilis, vt affabrè quidem conſiderauit Anton. Gomez 2. *tom. cap.* 15. *num.* 18. *verſic. Tertio infertur*, Panzirolus *conſil.* 135. *num.* 10. *ad finem*, optime Andr. Kohl. *dicta exercitat.* 6. *num.* 26. *verſic. Sextus verò*, & poſt eum Andr. Fachinæus, Alex. Raudenſ. & Perez de Lara *vbi ſuprà.*

Dictiſque non repugnat doctrina Bald. *in* 18 *l. hæreditas.* 34. *in vltima quæſtione numero* 8. *ff. de hæredibus inſtituendis*, quam ſequitur Felinus *in cap. cùm dilecta de reſcript.* Alexand. *in l. hæreditatum num.* 7. *circa principium, ff. ad legem falcidiam*, Catelian. Cotta, *verbo perpetuum ad medium*, & Cardinalis Manric. *coniectur. vltimarum voluntatum lib.* 4. *tit.* 5. *artic.* 5. *num.* 5. ſcilicet, quòd annuum legatum factum monaſterio durat, licèt deſtruatur monaſterium, & pro eo capies

piet Eccleſia Romana, quæ Deum repræſentat vbique, quia vt ex ipſius Baldi & ſequacium verbis coniectatur, illa procedit, & debet intelligi iuxta contrariam opinionem, quam ipſi defendunt, & nos retnlimus, videlicet quòd tantum vſque ad centum annorum complementum, deſtructo monaſterio Eccleſię Romanæ legatum quæratur, aut poterit intelligi illum legatum non particulari intuitu ipſius monaſterij, ſed in honorem & contemplationem Dei principaliter fuit monaſterio adſcriptum, quo caſu cum Deus, cuius fauore factum legatum agnoſcitur, perire non poſſit, quia immortalis eſt, etiamſi ſolo æquetur monaſterium, cui ipſius nomine ſoluebatur, non deficiet legatum, ſed Romanæ [illegible] præſtabitur, quæ magis principaliter ipſum Deum repræſentat, & mater eſt omnium Eccleſiarum, *cap. 1. de immunitate Eccleſiarum lib. 6. Clement. vnic. de iureiurand. Clementina 5. Romana, de electione*, [illegible] Antonius Cardoſus *in praxi aduocatorum, verb. Eccleſia num.* [illegible] At verò ſi principaliter eſſet legatum monaſterij reſpectu factum, veluti cuiuſdam particularis perſonæ, tunc diruto monaſterio extingueretur, vt euerſa ciuitate vſusfructus finitur, *dict. l. ſi vſusfructus. 21. ff. quibus modis vſusfructus amittatur.* Nec intereſt quòd quicquid Eccleſiæ relinquitur, Deo vel ipſius contemplatione relictum exiſtimatur, vt probat idem Baldus *dicto loco, & ex authentic. de Eccleſiaſt. tutelis, §. ſi quis in nomine*, notat Alexand. *in dict. l. hæreditatum num. 7. ad legem falcidiam*, & Cardinalis Mantica *coniectur. vltimarum voluntatum lib. 4. tit. 5. artic. 5. num. 4.* Siquidem hoc verum eſt, vbi non conſtat cuius contemplatione fuerit relictum principaliter, Eccleſię, aut Dei, quo in dubio credendum eſt Dei potius intuitu, quàm monaſterij, vel Eccleſiæ fuiſſe elargitum, non aliter atque cum legatum relinquitur Collegio templi, in dubio cenſetur relictum contemplatione perſonarum ipſius Collegij, ex doctrina Bartol. *in l. pater filium, §. Tuſculanus, ff. de legat. 3.* & Mendez de Caſtro *titulo de annuis ciuilibus, l. 1. notabil. 1. numero 10.* vel ſi mauis, quoad effectum meriti poteſt intelligi, ex quo Deus ita acceptat hominum largitiones in Eccleſias collatas, ac ſi in ſeipſum immediatè conferrent, non verò quoad naturam legati, & vt perpetuum ſit.

20 Et demum ſuſceptæ opinionis vnicum, & validiſſimum noſtrum præſidium *ex dictis legibus 6. 20. 23. 24. de annuis legatis* deſumptum nequaquam eneruatur reſponſione aduerſariorum, cuius meminit Loſeus *dict. tract. de iure vniuerſitatis, vbi ſuprà numero 10.* videlicet quòd verbum perpetuũ, quo in *dictis legibus* Iuriſconſulti vtuntur, dum probant legatum annuum ciuitati, vel municipio relictum perpetuò deberi intelligendum de perpetuitate, quæ importat ſpatium centum annorum, non verò de perpetuitate ſine temporis præfinitione, vt vel ex eo probari videtur, quod ſcribunt Leſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 40. dubio 13. num. 105. caſu 2.* & Ægid. Trullench *in expoſitione Bullæ Cruciatæ capit. 3. dubio 15. num. 7.* ſcilicet votum caſtitatis cenſeri perpetuum ad effectum, vt à ſolo Pontifice poſſit commutari, cùm ad centum annos fit, ſiquidem dictio *in perpetuum* non videtur excludere omnes temporis præfinitiones, imò ex ſui natura centum annos non excedit, vt voluit Gloſ. *in l. 2. §. hoc interdictum verbo perpetuum, ff. ne quid in loco publico*, quam ſequitur Angelus ibi dicens, quòd in perpetuum intelliguntur centum anni, Bartol. *in dict. l. an vſusfructus, & in dict. l. annua, §. Titia, ff. de annuis legatis*, & Decius *conſil. 378. viſo motiuo in fin.* Ioan. [illegible]ctus *dict. cautela 57. tit. 6.* Octauian. Vulpel. *de præpoſit. & dictio dictione perpetuo*, & huc pertinet Baldi doctrina ſingularis *in dict. l. an vſusfructus*, cui ſubſcribit Alexand. *dict. conſil. 60. omiſſo multiloquio volum. 1.* quòd emphyteuſis ciuitati conceſſa, vel feudum, non durat vltra centum annos, atque ideò renouatio requiritur poſt illud tempus, quamuis de hoc ampiius deliberandum eſſe dicat eis relatis Bertazolus *conſil. 1. Sereniſſimus num. 73.* & tamen videmus, quòd emphyteuſis de ſui natura conceſſa cenſetur perpetuò, donec penſio annua ſoluatur, vt refert & ſequitur Alexnad. *dict. conſilio 60. numero 1.* nec mirum, nam vt ibidem idem Alexand. exiſtimat, verbum perpetuo non ita accipiendum eſt, vt numquam deficiar. 21

22 Quia reſpondetur, quòd licèt verbum *Perpetuo*, aliquando centum annorum ſpatium denotet, vt dictum eſt, illud autem peculiari ratione impropriè fit, non aliter ac cùm ad vitam hominis refertur, *l. 1. ff. pro ſocio*, textus optimus iuncta Gloſ. *in l. & in perpetuum, ff. de procuratoribus*, vbi dicitur, quòd procurator poteſt conſtitui in perpetuum, & Gloſ. exponit, idest dum viuit, per textum *in dict. l. 1.* notat Ruinus *dict. conſilio 143. num. 10. volum. 4.* & facit Gloſ. ſingularis *in cap. ſi gratioſe, de reſcriptis lib. 6.* vbi verbum perpetuò exponitur, ideſt donec vixerit is, cui facta eſt talis gratia, & Gloſ. *in capit. fin. verb.*

verb. perpetuus eodem titulo, *& lib.* Auguſtinus Barboſa *tractat. de dictionib. verbo perpetuo num.* 2. vel cum ad tempus 30. vel 40. annorum refertur, vt in *principio inſtit. de perpet. & temporal. actio.* tradit Tiraquellus *de retractu conuention.* §. 1. *gloſ.* 2. *num.* 11. Cardinal. Tuſchus *liter. D. concluſ.* 326. *num.* 6. Cened. *quæſt.* 78. *num.* 3. & Seraphin. *deciſ.* 136. *num.* 10. docet Auguſtinus Barboſa *vbi proximè num.* 4. vel ad alios iuris articulos, in quibus non ſignificat perpetuitatem, ſine temporis limite, ſed tempus multò breuius, vt videri poſſunt latè per Alexand. *conſil.* 86. *in cauſa datiorum num.* 2. *volum.* 1. *& in conſil.* 60. *eodem volum.* Barbac. *dict. conſil.* 20. *volum.* 4. *& in dict. capit. fin. de teſtament.* Tiraquellus *de vtroque retract. lib.* 1. §. 1. *gloſ.* 6. *numero* 9. Ioannes Dilectus *de arte teſt. titulo* 6. *cautel.* 57. Vlpian. de Zannis *in rubric. inſtitut. de iuſtitia & iure*, Anton. Rub. *conſil.* 3. *num.* 6. nam dictio perpetuum, ſecundum propriam & ſtrictam ſignificationem dicit infinitatem, textus egregius *in l. pure*, §. *fin. ff. de doli exceptione*, vbi dicitur, Non ſicut actio de dolo certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda eſt, nam hæc perpetuò competit, text. *in dict. princip. inſtitut. de perpet. & temporal. actio.* quo ſcribitur actiones perpetuò ſolere antiquitus competere, donec ſacræ conſtitutiones dederunt certos fines. Probat Albericus *in diction. verbo perpetuo*, Baldus *conſil.* 275. *colum.* 2. *volum.* 1. *& titulo de pace conſtan. colum.* 2. *verſic. Nos Romanorum*, vbi verba quòd pax ſit perpetua, explicat, ideſt ſine præfinitione temporis, & donec in rerum natura fuerint ciuitates, Butrius *conſil.* 48. vbi exponit perpetuum, ideſt ſine fine: refert & multis confirmat Hippolyt. Riminald. *dict. conſil.* 219. *numero* 26. cum pluribus ſequentibus, *volum.* 2. Guido Pancirol. *dict. conſil.* 135. *num.* 12. Et quòd verbum perpetuum denotet infinitatem, teſtantur Philippus Decius *conſil.* 472. *num.* 22. *& conſil.* 516. *num.* 15. Socinus Senior *conſil.* 84. *num.* 5. *&* 6. *lib.* 3. Pariſius *conſil.* 20. *num.* 1. Iacobus Menochius multis confirmans *conſil.* 275. *præſuppoſito in facto numero* 34. *cum pluribus ſequentibus*, *volum.* 3. & Auguſtinus Barboſa *vbi ſupra numero* 11. Qua ſignificatione neceſſariò dictio *perpetuum* in dictis ll. accipienda eſt, quia vt ex eis iuncto textu in *dict. l. ſi vſusfructus municipibus*, *ff. de vſufructu legato*, colligitur, aliud eſt dicere quòd legatum durat perpetuò, vel quòd durat centum annis: nam quærit Conſultus *in dict. l. ſi vſusfructus*, legato vſufructu muncipibus, quouſque ciues in eo ſint tuendi? nam ſi perpetuo tuerentur, nulla eſſet proprietatis nudæ vtilitas, ſemper abſcedente vſufructu, atque ideò reſtringit legatum ad centum annos: vnde conſtat: quòd perpetuò tueri ciues denotat, quòd in infinitum ſit locus legato: ea verò in ſpecie reſtringitur ad annos centum, quia non erat dictum quòd præſtaretur annuum, vel ſingulis annis: ergo conſtat manifeſtè, quòd ſi legatum annuæ pecuniæ ciuitati relictum in perpetuum præſtandum eſt, non autem ad tempus, vt *d. ll.* ſuadent, intelligi debere in ipſis verbum perpetuum ſine temporis præfinitione, & vltra centum annos, vt hæc iura ad hoc conſiderat Socin. *in d. l.* 3. §. *fin. ad legem falcidiam*, quem in idem refert & ſequitur Hippolytus Riminald. *dict. conſil.* 219. *n.* 21. *vol.* 2. vbi alio modo pōderat *text. in d. l. annuam*, poſt Guid. Pontan. *in d. l.* 2. *ff. ſoluto matrimonio.*

Quibus ita cōſtitutis, vt diſquiſitioni operi que finem ipſo voluptatis Paradiſo fœliciter adijciamus, notare non deſinam, adhuc in incerto eſſe quantum incorrupta perſiſtente natura, eſus ille vitæ noſtram ætatem protraheret, ſiquidem Bellarmin. *lib. de gratia primi hominis cap.* 19. nonniſi quinquaginta, aut centum annorum futuram arbitratur, & Abulenſis *in Geneſim c.* 13. *quæſt.* 166. illam ad duo vel tria millia extendit: cui accedit Maluenda *tractatu de Paradiſo voluptatis cap.* 72. ſed ab omnibus diſſentiens Pererius *lib.* 3. *in Geneſim quæſt.* 3. coniectatur eſum vſusfructus ligni vitæ daturum fuiſſe homini minimum ad octo vel decem mille annorum.

FINIS.

[illegible] præſtabi[illegible] [illegible]gatur [illegible]

[illegible]aliter in [illegible] eſt

[illegible] Eccleſia [illegible]

INDICVLVS LOCORVM OMNIGENI IVRIS, QVIBVS NOVA LVX, AVT LVCIS SALTIM, aliqua ſcintilla adhibetur.

EX DIGESTO VETERI.

De Adoptionibus.

L.ſi paterfamilias, 15.§. in adrogationibus, an.50.q.2.n.11.& ſeqq.p.600.

L.in adoptionibus in fine, an.1.q.17.n.14. & 15.pag.48.

De officio Conſulis.

L.vnic.verſic. Sed ſi euenerit, an.43.q.1.n. 4.pag.589.

De poſtulando.

L.1.in principio, an.17.q.2.n.7.p.317.

§.Pueritia, an.8.q.1.n.10.p.136.

De reſtitutione in integrum.

L.2.an.14.q.26.n.5.p.247.

De adminiſtratione tutorum.

L.1.§.ſufficit, an.7.q.24.n.3.p.102.

De iudicijs.

L. cum Prætor, 12.§.non autem, an.25.q. 31.n.25.p.458.

De receptis arbitris.

L.cum lege 41.an.25.q.31.n.20.p.457. & q.33.n.8.p.462.

De vſufructu.

L.arboribus, 12.§.Vſufructuarius, an.25.q. 9.n.6.p.395.

Si pars hæreditatis petatur.

L.antiqui, 3.an.1.q.3.n.21.p.13.

De reiuindicatione.

L.quod ſi, 32.an.5.q.3.n.7.p.56.

Familiæ erciſcundæ.

L.ex parte 39.§.Seruo, an.1.quæſt.14.num. 6.pag.43.

De rebus creditis.

L.non omnis, §.Pupillus, an.25.q.18.n.17. pag.422.

De iure iurando.

L.ſi duo patroni, 13. §.Si quis iurauerit, an. 1.q.5.n.3.p.15.

L.qui iuraſſe, 26.in principio, an.10.q.11. n.2.& 12.p.135.& 137.

L.vlt.an.25.quæſt.18.n.9.& 12. pag.419. & 420.

L.non eſt poſtea, §.Si minor, an.25.quæſt.26. n.5.p.479.

L.iuſiurandum, 17.§.Pupillus, ibidem num. 7.pag.478.

De in litem iurando.

L. videamus, 4. in principio, an. 10. q.11.n. 9.p.176.& an.14.q.1.n.2.& 9.in fine.

De inſtitoria actione.

L.ſi quis mancipijs, 17.§. Si impubes, anno 25.q.49.n.8.p.504.

Ad Senatuſconſultum Macedonianum.

L.3.§.Inde Iulianus, an.25.quæſt.10. num. 4.peg.396.

De peculio.

L.3.an.1.q.2.n.32.p.8.

L.quam Tuberonis, 7.§.Pupillam, an.7.q. 33.n.6.p.113.

Actionibus empti.

L.ſi ſterilis, 21.an.45.q.1.n.10.p.592.

Ædilitio edicto.

L.euidens, 11.an.1.quæſt.13.n.12. & ſeqq. pag.41.

L.quæritur, 14.§.Mulierem, an.11.quæſt.2. num.5.pag.193.

De euictionibus.

L.minor.39.§.Pater ſciens, an.1. quæſt.8. num.7.pag.32.

De ſponſalibus.

L.in ſponſalibus, 14.an.7.q.2.n.3. pag.65. & quæſt.19. num.4.pag.95.& quæſt.32. num.6.pag.116.

De ritu nuptiarum.

L.ſi nepotem, 3.anno 30. quæſt.10. num.3. pag.574.

De iure dotium.

L.Titia, 62.an.25.q.14.n.5.p.409.

Ex Digeſto Infortiato.

De ſoluto matrimonio.

L.ſi quis,56.an.10.q.9.n.1.p.163.

De teſtamentaria tutela.

L.quæro,32.§.Lucius,anno 25.quæſt.28.n.13.pag.437.

De confirmando tutore.

L.ſi filio,6.an.14.q.32.n.5.p.256.

De tutoribus & curatoribus datis ab his.

L.ei qui,17.an.14.q.27.num.3.p.248.

Qui petant tutores.

L.2.§.fin.an.80.q.5.n.5.p.683.

De autoritate tutorum.

L.obligari,9.§.Pupillus,an.25.q.18.num.17.pag.422.

De administratione tutorum.

L.non tantum,17.an.10.quæſt.1.num.8.pag.141.

De eo qui pro tutore.

L.2.an.25.q.18.n.7.p.437.

De rebus eorum qui ſub tutela ſunt.

L. ... n.4.num.5.pag.383.

De liberis & poſthumis.

L.quod dicitur,12.an.1.quæſt.6.num.25.pag.23.

L.ſi quis poſthumus,9.in principio, an.61.q.1.n.17.p.644.

De vulgari & pupillari ſubſtitutione.

L.qui habebat,47.an.14.quæſt.49.num.2.pag.287.

De acquirenda hæreditate.

L.eam quidam,30.§.Sed cum hæredem,an.1.q.3.n.11.p.13.

Ad Senatuſconſultum Silanianum.

L.excipiuntur,an.14.quæſt.45.num.7.pag.279.

De legatis 2.

L.cum pater,77.§.Pater filiæ,an.1.quæſt.2.n.27.p.8.

De legatis 3.

L.legatis,63.§.final, l.ſeruis.81.in fine,an.7.q.2.n.29.p.8.

L.vxorem,41.§.Teſtamento,an.8.quæſt.1.num.6.pag.125.

L.ſeruis legatis, verſic. Sicuti viris, an.8.q.1.n.11.pag.126.

L.cum filiofamilias,50.§.Sic autem, an.25.q.76.n.4.p.547.

L.non aliter,63.an.50.quæſt.1.num.9.pag.597.

De annuis legatis.

L.in ſingulos,8.an.100.quæſt.vnic.num.16.pag.690.

De rebus dubijs.

L.final.an.1.q.14.n.6.p.43.

De conditionibus & demonſtrationibus.

L.publicis,36.§.1.an.8.quæſt.1.num.10.pag.126.

L.ſi quis,54.anno 14.quæſt.1.num.3.pagina 198.

L.pater Seuerinum,101.§.Conditionem, an.14.q.3.n.5.p.256.

L.ſed ſi,6.§.final.an.25.quæſt.72.num.6.pag.543.

Quando dies legati cedat.

L.dies,21.an.14.quæſt.1.num.2.& 9.pag.197.

De bonorum poſſeſſione contra tabulas.

L.1.§.final.an.10.q.9.n.10.p.161.

De operis libertorum.

L.iuris iurando,7.§.Dabitur,an.18.quæſt.6.num.4.pag.331.

Vnde cognati.

L.cognati,§.Si quis proximior, an.1.q.2.n.12.pag.6.

Ex Digeſto nouo.

De donationibus.

L.filius ... verſic. Pari autem ratione, anno 14.q.50. ... p.291.

De manumiſſionibus.

L.cauſam,20.anno 20.queſt.7.num. ... pag.349.

De manumiſſis vindicta.

L.pupillus,24.§.Quare fuerit,poſt l.manumiſsio,23.Eiuſdem tituli immediatè ſcripta,an.7.q.26.n.5.& 6.p.106.

De manumiſſis teſtamento.

L.Ariſto.16.anno 1.quæſt.14.numero 6.pag.46.

De acquirenda poſſeſſione.

L.poſſeſſionem,29.anno 25.quæſt.6.num.9.pag.388.

Pro emptore.

L.2.§.Si à pupillo,anno 25.quæſt.18.num.8.pag.437.

De re iudicata.

L.quidam,57.an.25.q.31.n.5.& 19.pag.455.& 457.

Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.

L.apud Iulianum,3.anno 25.queſt.52.num.6.pag.510.

L.hæc,5.§.Ait Prætor, anno 14.quæſt.32.num.9.pag.257.

§.Non defendi,q.43.n.11.p.274.

De liberis exhibendis.

L.3.§.In hoc interdicto, an.10.quæſt.2.n.5.pag.144.

§.final.an.14.q.3.n.6.p.204.

Doli

Doli mali & metus exceptione.
L. apud Celſum 4. §. Si minor mihi infantem, an. 5. q. 3. n. 14. p. 57.
§. Si quis non tutor 2. an. 25. q. 18. num. 7. pag. 437.
De actionibus, & obligationibus.
L. 1. §. final, an. 7. q. 1. n. 30. p. 62.
L. obligari 43. an. 7. q. 17. num. 16. p. 92. & an. 14. q. 7. n. 8. & 13. p. 214. & 215.
De verborum obligationibus.
L. 1. & l. mulier, an. 7. q. 1. n. 29. p. 62.
L. puberes 101. an. 14. q. 7. n. 3. p. 213.
L. is cui 6. ibi n. 11. p. 414.
De ſolutionibus.
L. ſi pupilli 66. an. 25. q. 18. n. 8. p. 419.
De acceptilationibus.
L. pupillum 2. an. 25. q. 18. n. 6. p. 409.
Rem pupilli.
L. ſeruum, an. 7. q. 1. n. 30. & ſeqq. p. 62.
De furtis.
L. impuberem 32. an. 10. q. 3. n. 8. p. 143.
De ſepulchro violato.
L. Prætor ait 3. §. ſi ſeruus final, an. 14. q. 47. n. 4. p. 285.
Ad l. Iuliam de adulterijs.
L. ſi maritus 25. §. l. Iulia, an. 25. q. 41. n. 6. pag. 482.
Ad l. Iuliam de vi publica.
L. 3. circa principium, an. 14. q. 24. num. 5. pag. 24[illegible]
De quæſtionibus.
L. de minore 10. an. 14. q. 43. n. 7. p. 279.
De pœnis.
L. ſi quis aliquid 38. §. Qui abortionis, an. 1. q. 2. n. 33. p. 9.
De iure fiſci.
L. deferre 18. §. Item eos, & ſequenti, an. 7. q. 29. n. 3. p. 113.
L. cùm quidam 26. an. 7. q. 34. n. 14. p. 120.
L. in fraudem 43. an. 7. q. 34. n. 14. p. 120.
De decurionibus.
L. non tantum 11. an. 50. q. 3. n. 2. & 3. pag. 602. & an. 60. q. 1. n. 5. p. 615.
De iure immunitatis.
L. ab his 10. an. 70. q. 13. n. 3. p. 670.
L. ſemper, §. Hoc circa, ibid. n. 4.
De pollicitationibus.
L. 2. an. 7. q. 17. n. 15. p. 92.
L. ſi quis 2. §. voto autem, an. 14. q. 7. nu. 14. p. 215.
De varijs, & extraordinarijs cognitionibus.
L. 1. §. ad nutritia quoque, an. 3. q. 1. nu. 16. p. 62.
L. cognitionum 5. an. 10. q. 9. n. 19. & 20. p. 164.
De verborum ſignificatione.
L. latæ culpæ 223. §. 1. an. 14. q. 43. num. 9. p. 274.

Ex Codice.

De in integrum reſtitut. minorum.
L. ſi curatorem habens 3. an. 25. q. 5. nu. 6. p. 387.
Si ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur.
L. 1. an. 25. q. 23. n. 15. p. 438.
Aduerſus vſucapionem.
L. vnica, an. 25. q. 23. n. 14. p. 436.
De iudicijs.
L. properandum 11. §. final. an. 25. q. 23. n. 16. p. 438.
De patribus qui filios ſuos diſtraxerunt.
L. 2. an. 1. q. 8. n. 14. p. 34.
De adminiſtratione tutorum.
L. ſi tutor [illegible]otis, an. 14. q. 30. n. 15. p. 253.
De legitima tutela.
[illegible]to, an. [illegible] n. 10. p. 447.
L. finalis, an. 25. [illegible] [illegible]catur, non debet[illegible]
De prædijs minorum.
[illegible] num.
L. non ſolum 4. an. 14. q. 50. n. 16. p. 292.
De teſtamento militis.
L. vltima, an. 25. q. 64. n. 6. p. 527.
Qui admitti ad bonorum poſſeſſionem.
L. 3. an. 7. q. 1. n. 36. p. 62. [illegible]
De liberis præteritis.
L. maximum vitium 4. ann. 10. q. 4. num. 6. p. 150.
De poſthumis hæredibus inſtituendis.
L. quod certatũ 3. an. 1. q. 6. num. 16. p. 22. & num. 22. p. 23.
De iure deliberandi.
L. cùm in antiquioribus, an. 7. q. 23. num. 6. & 7. p. 102.
L. ſi infanti 18. ann. 14. quæſt. 5. numer. 9. p. 230.
De repudianda hæreditate.
L. vltima, an. 25. q. 23. n. 17. p. 438.
De his quibus vt indignis.
L. ſi ea 3. an. 25. q. 44. n. 3. p. 494.
De legitimis hæredibus.
L. ſi quis maior 12. an. 25. q. 1. n. 12. p. 592.
De bonis, quæ liberis.
L. cùm non ſolum 8. §. vbi autem puerilis, an. 8. q. 1. n. 6. p. 125.
De fideicommiſſarijs libertatibus.
L. cùm inter 14. an. 1. q. 14. n. 8. p. 43. & an. 10. q. 16. n. 8. p. 188.
De acquirenda poſſeſſione.
L. donatarum 3. an. 7. q. 27. n. 5. & ſeqq. pag. 108. & ann. 10. quæſt. 15. num. 2. & 3. pagin. 181.
De contrahenda ſtipulatione.
L. neque 7. an. 14. q. 7. n. 15. p. 215.
De donationibus.
L. ſi quis emancipatum 20. an. 7. q. 27. n. 17. p. 110.
L. ſi quis in emancipatum, an. 7. q. 34. n. 5. p. 119. & an. 10. q. 15. n. 6. p. 181.

Ad

Ad l. Corneliam de ſicarijs.
L. ſi quis 8. an. 1. q. 10. n. 6. p. 38.

Ex libris feudorum.

De pace tenenda inter ſubditos.
Cap. 1. an. 25. q. 19. n. 1. & ſeqq. p. 429.
Quo tempore miles inueſtituram petere debeat.
Cap. 1. an. 14. q. 2. num. 3. p. 250.

Ex Decreto.

Sexta diſtinctione.
Cap. Non eſt peccatum, ann. 5. q. 1. num. 1. pag. 55.
Trigeſimaſecunda diſtinctione.
Cap. Lectores 8. an. 15. q. 2. n. 7. p. 309.
Septuageſimaſeptima diſtinctione.
Cap. Quicumque 30. an. 7. q. 17. n. 11. p. 91. & an. 15. q. 1. n. 8. p. 310.
Octuageſimaſexta diſtinctione.
Cap. In ſingulis 19. verſ. Diues, & pauper, an. 25. q. 71. n. 5. p. 542.
Prima, quæſt. 4.
Cap. Eccleſia, §. Item ... an. 10. q. 10. n. 30. p. 171.
Cap. Iam itaque, an. 1. q. 4. n. 14. p. 16.
Secunda, quæſt. 5.
Cap. Honeſtum, cap. Pueri 2. an. 10. q. 11. n. 11. p. 177.
Duodecima, quæſt. 1.
Cap. Oportet, an. 30. q. 8. n. 3. p. 572.
Decimaquarta, quæſt. 1.
Cap. Mulier, an. 10. q. 10. n. 35. p. 172.
Decimaſexta, quæſt. 1.
Cap. Adijcimus 19. an. 30. q. 8. n. 5. p. 572.
Vigeſima, quæſt. 1.
Cap. Addidiſtis, & cap. Infans, an. 24. q. 17. n. 3. p. 233.
Cap. Quicumque, n. 4. p. 233.
Cap. 1. an. 14. q. 17. n. 5. pag. 233.
Vigeſima, quæſt. 2.
Cap. Puella 2. ann. 16. q. 1. n. 2. & ſequent. p. 311.
Vigeſimaſecunda, q. 5.
Cap. Pueri, an. 14. q. 18. num. 11. & ſequent. p. 237.
Vigeſimaquarta, q. 3.
Cap. Si habes, an. 1. q. 4. n. 14. p. 16.
Secunda diſtinct. de pœnitentia.
Cap. Si enim 40. verſ. Nos autem, an. 10. q. 3. n. 11. p. 148.

Tertia diſtinct. de pœnitentia.
Cap. Adhuc 32. verſ. In multis, ann. 10. q. 3. n. 11. p. 148.
De conſecratione, diſtinct. quarta.
Cap. Placuit 11. & ann. 14. q. 44. num. 15. p. 277.
Cap. Quæris, an. 1. q. 4. n. 14. p. 16.
Cap. A paruulo, an. 1. q. 9. n. 10. p. 36.
Cap. Cum pro paruulis, an. 7. q. 26. num. 8. & 10. pag. 106.

Ex Decretalibus.

De conſtitutionibus.
Cap. 1. an. 10. q. 10. n. 37. p. 173.
De ætate, & qualitate.
Cap. Indecorum 3. an. 22. q. 3. n. 6. p. 368.
De ſponſalibus.
Cap. Iuuenis 2. an. 7. q. 19. n. 5. p. 95.
De deſponſatione impuberum.
Cap. de illis el ſegundo, & cap. Atteſtationes, an. 14. q. 14. n. 4. p. 268.
De delictis puerorum.
Cap. 1. an. 1. q. 15. num. 28. p. 46. & an. 10. q. 8. num. 10. p. 158.
De pœnitentijs, & remiſsionibus.
Cap. Omnis vtriuſque, anno 10. quæſt. 1. n. 8. pag. 189.

Ex libro 6. Decretalium.

De procuratoribus.
Cap. Qui generaliter, §. fin. an. 17. q. 4. nu. 5. p. 321.
De iudicijs.
Cap. final, an. 7. q. 7. num. 10. p. 74.
De regularibus.
Cap. Vnico in principio, ann. 7. quæſt. 16. num. 9. pag. 88.

Ex libris Partitarum, Fori, & nouæ Recopilationis.

L. 2. tit. 1. part. 7. an. 25. q. 41. n. 14. p. 484.
L. 3. titul. 15. part. 2. ann. 14. quæſt. 34. num. 6. p. 260.
L. 6. titul. 17. p. 7. an. 18. q. 4. nu. 9. p. 329.
L. 1. titul. 21. p. 4. an. 20. q. 7. nu. 9. p. 349.
L. 4. titul. 23. part. 4. an. 1. q. 6. n. 64. p. 28.
L. 13. tit. 7. lib. 8. Recopilat. ann. 25. q. 17. num. 6. pag. 416.
L. 1. titul. 3. fori legum, ann. 25. quæſt. 28. num. 8. pag. 448.

INDEX RERVM SELECTARVM,

QVÆ

Quadruplici numero indicantur, quorum prior, annum; ſecundus quæſtionem; tertius, locum; & denique quartus paginam oſtendit, vtpote initialis litera vnicuique adiuncta ſatis explicat.

ABBATISA triginta annorum eſſe debet, anno 25.q.57.n.6.pag.520. Pro diuerſitate temporum diuerſæ ſunt aſſignatæ illius ætates, an.40.q.2.num.1.pag.582. Hodie ex noua Concilij Tridentini diſpoſitione ipſa, aut quæuis alia monialium præfecta nõ niſi quadraginta annorum eligi debet, vel triginta ſaltim, ſi in monaſterio, aut extra illud quadragenaria nulla idonea reperiatur, ibi numero 2. Ipſius ætas [illegible]que Epiſcopi, nec Nuncij diſpenſ[illegible]one ſuppleri poteſt, ibi num. [illegible]g.583. An eius ætas debe[illegible] complera, ibi num.5. Si minor elegitur, talis electio nullius eſt momenti, ibi num.6.

ABBATIA, COMMENDA, VEL PRIORATVS CONVENTVALIS decimumquartum annum agentibus dari poteſt, an.14. quæſt. 54.num.6.pag.298. Reprobatur ſententia exiſtimãtium quòd nullam de iure exigat ætatem, an.25.quæſt.57.num.1.pag. 519. Ætatem quinque & viginti annorum deſiderat, ibi num.2. Quæ incepta ſufficit, ibi n.4. Quoad ætatem attinet, eiuſdem ſunt rationis regularis, & ſæcularis, ibi n. 5. Cur ad illã fœmina tardius quàm maſculus eligatur? an.40.q.2.n.4.p.583.

ABIECTVS poſt ſeptennium non expoſitus, ſed pro derelicto habitus dicitur, anno 7. quæſt.32.num.9.p.117.

ABORTVM faciẽs homicidij pœna tenetur, an.1.q.2.n.35.p.9.

ABSENS poſt centeſimum vitæ annum mortuus præſumitur, an.100.quæſt.1.num.6. pag.692.

ABSOLVERE poteſt Epiſcopus à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, quoties adeſt iuſta cauſa, qua excõmunicatus nequeat Pontificem adire, an.60.q.12.n.1.p.631.

ABSOLVENDVS ob legitimam cauſam ab Epiſcopo à reſeruatis debet prius cautionẽ præſtare de comparendo ceſſante impedimento, an.60.q.12.n.3.p.632.

ABSOLVTIO [illegible]tineatur, non debet ſenex Pontificem adire, an.60.q.[illegible] num 4.pag.632.

ACCEPTATIO de iure noſtro non eſt de eſſentia obligationis, an.10.quæſt.15.num. 15.pag.183.

ACCVSATIO an vigeſimo anno, maioribus permi[illegible] an.25.quæſt.42. num.9. & [illegible].pag.487.

ACCVSATOR poſt decimumquartum annũ, ſecundum aliquos, ad accuſandum admittitur, an.25. quæſt.41. num. 1. pag.481. aut poſt vigeſimum iuxta alios, ibi num. 2. vel elapſo ſecundo & vigeſimo, vt falsò exiſtimat Baldus Nouellus, ibi, num.17. pag.484. Ex veriori ſententia quintum & vigeſimum annum habere debet, ibi num. 5.p.482. etiam de iure patrio, ibi n.12.

ACCVSARI hi omnes poſſunt qui crimen aliquod admiſerunt, an.10. quæſt.6.num. 1.pag.153. Poteſt ſi deliquerit minor viginti & quinque annis, ibi num.2. An poſſit impubes ante quàm decimum annum cum dimidio exceſſerit? ibi n.3. Et quid de fœminis? num.4.& 5.pag.154. Minimè poteſt impubes, licèt maior anno decimo cum dimidio, ibi num.7. Non poteſt doli capax ante præſcriptam ætatem, ibi an.10.q.6.n.6.p.154.

ACOLYTATVS decimumquartum annum ſecũdum aliquorum opinionem requirit: ſed probabilius eſt quòd duodecimo poteſt conferri, an.12.quæſt.1. num.1.2.3. & 5.pag.190.& 191.

ACTIO in bonis creditoris eſt, an.7. quæſt. 34.num.15.pag.121. Non niſi certis ex cauſis in iure expreſsis euaneſcit, an.25. quæſt.49.num.9.pag.504.

ACTORES aliquando maximè ad procuratorem conſtituendum infantibus dantur, an.14.q.32.n.12.p.258. Solent ob ſenectutem

ctutem tutoris ipſius loco ſubſtitui,a..70. quæſt.12.n.1.pag.669. Vt illorum conſtitutioni ſit locus, ſeptuagenarius tutor eſſe debet,ibi num.2.
Actus factus ante ætatem vbi certa requiritur,nullius eſt roboris,an.25.quæſt.47. num.14.pag.500.
Adam fuit in ætate triginta annorum creatus,an.30.q.1.n.2.pag.564.
Adire an ſit administrare? an.14.q.15.n. 8.pag.239.
Aditio eiſdem regulis conſtat ac repudiatio,an.14.q.16.n.3.p.231.
Administrare propria & vxoris minori bona hodie nouiori iure poteſt vxorem ante decimumoctauum annum ducens, etiam à curatoribus rationes exigens,an.18.q. 4.n.7.p.329. Res ... poteſt vigeſimo ...anno, an.20.q.1.n.4.p.334. Non poteſt aliena minor,cui ex Principis reſcripto propria bona committuntur,an. 25.q.28.n.8.pag.447.
Administratio rerum ſuarum à nemine, quamuis vxorato ante vigeſimumquintum annum haberi permittitur,...q.4.n. 1.p.327.& an.25.q.3.n.1.p.381. Committitur Regibus ab anno vigeſimo,nō verò Reginis,niſi priùs nupſerint,ibi n.5.p. 328. Conceditur eis, qui veniam ætatis conſequuntur,vel apud noſtros ante decimumoctauum annum vxorem ducunt,quā uis minores ſint,an.25.q.30.n.2.p.381. Cui non eſt,nec poteſtas alienādi in ludo, an.25.q.17.n.2.p.416. Non conceditur minori curatore carenti,an.25.q.17.n.7. p.416 Proximiori agnato,cui tanquā minori fuit bonorum abſentis denegata, & remotiori cōceſſa,an ſit poſt legitimā ætatē concedenda? an.25.q.28.n.21.p.449.
Administrator qui propriè rei idoneus non eſt, nec alienæ eſſe poterit, an.25. q. 28.n.1.p.44. Bonorū Reipublicæ, cuius ætatis eſſe debeat?ibi n.22.p.449. Publicarum rerum & Syndicus,eiuſdem ſunt muneris,ibi n.23. Reipublicæ nemo ante vigeſimumquintum annum habilis cenſetur, an.25.q.31.n.10.p.456. Rationem reddere tenetur, an.25.q.82.n.1.pag.552. Datur puero Archiepiſcopo, vel Patriarchę creato,an.30.q.5.n.6.pag.569.
Adoleſcens cur maximè ſperet? an.7.q. 12.n.6.p.84. Operas præſtat,& quidē optimas,an.14.q.22.n.2.p.241. Poteſt tutorem interpellare ad reddēdas rationes, an.18.q.4.n.3.p.328. Creditori addici ſolebat,an.20.q.5.n.9.pag.343. Vigeſimo ætatis anno barbam deponebat, an.21.q. 1.n.19.p.357. Maximè audax experitur, an.25.q.29.n.9.p.452. Siue curatorem habeat,ſiue non,an poſſit iuramentum deferre? an.25.q.39.n.3.& ſeqq. pag.477. Poſt decimum ſeptimum annū poteſt iuxta nonnullos, ſine curatore nouum opus nuntiare,an.25.q.42.n.7.pag.486. Nullum aut fragile iudicium habet, an. 25. q. 43.num.1.pag.493.
Adoleſcentia furoris ſuſpicione notatur,an.25.q.29.n.8.p.452. A nonnullis prudens ætas appellatur, an.30.q.2.n.2. p.565. Vtrū ab impubertate incipiat,an. 50.q.1.n.1.p.595. Cum pubertate ab aliquibus cōfunditur, à quibus decimoquarto anno inchoatur & quinto vigeſimo abſoluitur,ibi n.2.& 3.p.596. A vigeſimoquinto anno incipit,& vſque ad quinquageſimum in viris & quadrageſimū in fœminis perducitur, ibi n.4.& ſeqq. A multis ad trigeſimum annum deſignatur, ibi n.7.p. 597. Aliquando pro qualibet minori vel maiori ætate vſurpatur,ibi n.11. Quā ætatem complectatur,ex cōſuetudine magis, quàm ex iure eſt interpretandum,ibidem. Eadem,ac iuuentutis ætas, ibi n.12. pag. 598. Ætas florida appellatur,ibi n.13.
Adoptare non niſi cauſa cognita aliquando poteſt liberos habens, an.60. q.13.n. 1.p.633. Poſſunt ſolummodo ſexagenarij, vel ſterilitatis vitio laborantes, ibi n.29. Nequit minor annis ſexaginta,an.65.q.1. num.3.pag.640.
Adoptari poteſt infans,an.1.q.17.n.1.p. 47 & recens natus,ibi num.3.
Adoptans quantum adoptatum præcedere debeat?an.60.q.13.n.6.& ſeqq.p.634. Fœmina Principis reſcripto plena pubertate adoptatum præcedere debet, ibi n.8. Aliquem loco nepotis, cuius ætatis eſſe debeat,ibi n.9. Plures ſimul quanto tempore omnes præcedere debeat,ibi n.10.
Adoptio eſt ciuilis filiorū natiuitas, an.1. q.11.n.4.p.39. Quare apud Præſidē intimari deberet,ibi n.3. Conſenſum ſiue non contradictionem infantis expoſcit,ibi n. 5.p.42. Naturalē generationem imitatur, an.7.q.15.n.4.p.86. Quare pupillis etiā cū tutoris autoritate interdicatur, an.25. q.24.n.3.p.440. In ſolatium eorū,qui liberos non habebāt,fuit inducta,an.60.q. 13.n.1.pag.633. Non niſi à ſexagenario, vel quinquagenario perfici poteſt, ibi n. 5.pag.634. Naturam imitatur, ibi num.6. & ſequent.
Adrogari apud Romanos pubes ſolū poterat,& quando hoc fuit immutatum, an. 7.q.35.n.2.& 3.p.121. Nūc poteſt maior ſeptennio,ibi num.5.

ADROGATIO olim curiatis comitijs fiebat, an.7.quæſt.35.num.1.pag.125. Conſenſum verbis, & non ſignis, manifeſtum deſiderat, ibi num.6.pag.1[illegible]. Quare propinquorum conſenſum exigat? ibi n.8.

ADVERBIVM *vnde* dependentiam à ſuperioribus indicat, an.25.quæſt.1[illegible].num.5. pag.396. *Aliàs* pro *alio caſu* ſolet accipi, an.60.q.1.n.6.p.615.

ADVLTERIJ in cauſa minor, vt accuſator poteſt in iudicio comparere, an.25.quæſt. 34.num.14.pag.465.

ADVLTVS & puer dumtaxat ſecundum aliquos Angelum cuſtodiæ deputatum habent, an.1.quæſt.5.num.2.pag.18. Pro derelicto impune haberi poteſt, & an hoc caſu ali debeat à derelinquēte, an.7.quęſt. 22.num.10.pag.117. In ægritudine baptizatus ab ordinibus arcetur, an.14.q.4. num.3.pag.205. Ob non ſolutum Canonem cadit à iure ſuo, & quare, a num.14. quæſt.30.num.3.pag.251. Si minor ſit, & in commiſſum incidat, verum ſolū habeat regreſſum contra curatorem, vel etiam reſtitutionem, ibi num.14.pag.253. Deponēs tempore pupillaris ætatis ſe [illegible] fabricare adulterinam mon[illegible]am, nullam fidem facit, & [illegible] ratio? an.14.q.44.n. [illegible].pag.278. Si minor exiſtat, ab accuſando repellitur, niſi vbi ſuam vel ſuorum iniuriam proſequitur, an.25.quæſt.41.num. 7.& ſequent.pag.483.

ADVOCARE poſt decimumſeptimum annū, vt pro alio, an & pro ſe quis poſſit? an.17. q.2.n.4.7.& 10.p.317.& 318.

ADVOCATIO à nemine exerceri poteſt ante decimumſeptimum ætatis annum completum, an.17.quæſt.2.num.1.pag.316. Et quæ ſit ratio, contra Antonium Fabrum? num.3.& 8. A poſtulatione differt, ibi n.4. & ſequent.

ADVOCATVS minor etiam ſi poſt decimumſeptimum annum in propria cauſa allegationem omittat, reſtituitur, an.17. quæſt. 2.num.11.pag.318.

ÆDILES magiſtratus curules appellabātur, an.47.quæſt.1.num.4.pag.594. Plurium rerum curam habebant, & præcipuè venalium, ne aut maiori pretio, aut deteriori menſura venderentur, ibi, num.1. Id omne antiquitus expedierant, quod hodie apud noſtros illis qui vernacula lingua, *Fieles executores* dicuntur, incumbit, ibi num.2. Quam ætatem habere deberent? ibi n.3.

Ægritudo pariter ac ſenium ſterilitatem inducit, an.70.q.9 n.11.p.665. Excuſat à reſidētia in choro, an.80.q.8.n.3.p.686.

ÆQVITAS eſt, quæ non ſtrictam verborum ſignificationem, ſed Legiſlatoris mentem inſequitur, an.25.q.43.n.18.p.492. Quæ minorum pœnā temperat, non ſolùm mente, ſed verbis etiam legis continetur, ibi n.19. An detur ſcripta? ibi num.20. definitur, ibi num.21. Semper in ratione vera & naturali fundatur, ibi num.25.

ÆRIS FVSORES an certam habeāt ætatem, an.25.q.81.n.4.p.552.

ÆTAS præſcripta hominis ſacrificandi vnicuique genti ſua, & ab alijs diuerſa extiterat, an.1.q.10.n.11.p.38. Eadem in nominato requiritur quæ in nominante deſideratur, an.1.q.15.n.15.p.45.& an.14. q.52.[illegible]5.& 7.p.295. Illa quis erit admittendus ad Capellaniam, qua poſsit ad ipſius patronatum admitti, [illegible]6. Ad feudum determinata requiritur à Forcatulo, at in illum accipiente minimè, an.1.q.18. num.1.& 2.p.49. In homine poſt primum ſeptennium incipit, an.7.q.2.n.4.p.66. Eadem requiritur ſecūdum aliquos in recipiente [illegible] Sacramentum, quæ in recipiente Euchariſtiam deſideratur, an. 7.q.8.n.2.p.78 Apud alios verò indeterminata ad illud ſuſcipiendum requiritur, ibi n.5. Per ſingulos illius gradus Deum agnoſcere debemus, an.7.q.11.num.6.p. 82. Eadem requiritur, vt quis Deo per votum, & Diabolo per mortale obligetur, an.7.q.17.n.4.& 8.p.90.& 91. Ad ſcientias percipiendas, vt maior capacitas, maior exigitur, an.7.q.18.n.9.p.93. Singulis artificijs determinata requiritur, nec vna omnibus ſufficit, ibi n.10.& 11.p.94. Diuerſa diuerſis ſtudijs ab antiquis deſignabatur, ibi n.12. Quæ ad ſponſalia requiritur, vſu rationis ſecundum multos ſuppletur, an.7.q.19.n.9.p.96. Quot modis eius primordium accipiatur, an.7.q.32.n.7 p. 117. Ad religionis ingreſſum quæ requiratur, an.8.q.2.n.2.p.127. Quælibet veneficijs obnoxia videtur, an.8.q.7.n.1.p. 137. Quanta in extremè indigente eſſe debeat, vt licèt cum proprio vitę periculo ei ſubuenire proximus ex lege charitatis teneatur, an.10.q.3.n.13.p.149. Quę ad accuſationem requiritur, dolo vel malitia non ſuppletur, an.10.q.6.n.6.p.154. Vbi eam ſupplet malitia, ipſius temporalis cōpletio nō deſideratur, an.14.q.9.n.12.p. 221. Eſt fundamentū iuris Canonici & Ciuilis, ibi n.3.p.219. Nō ſuppletur malitia ad retrahendum pręſcripta, an.14.q.17. n.12.p.234. Eadem ad appellandum requiritur, quę ad aſſiſtendum in iudicio eſt neceſſaria, an.14.q.23.n.1.p.242. Ciuiū ex libris cenſualibus probatur, anno 14.

q.37.n.7.p.264. Requiſita è Concilio ad ſimplex beneficium,inchoata deſideratur ſaltim tempore inſtitutionis,an.14.q.54.n.7.p.298.In beneficijs ſolum à Pontifice,& non ab Epiſcopo poteſt diſpēſari, ibi n.8.Inermi & armatæ militię cõmunis erat,an.18.q.2.n.1.p.323.Quanta illius eſſe debeat. qui ex vnaquaque familia ad bellum deducitur, quod vulgò *Quintar*, dicitur,ibi n.8.pag.326.Delegati completa eſſe debet,an.20.quæſt.2.num.9.p.336.Vbi eius attingentia requiritur,ſufficit,ſi vltimus annus ſit inceptus,ibi num.10. pag.337. Completa eſſe debet, ſi in reſcripto illa verba ponantur: *T[illegible] annorum octodecim*, vel *cum [illegible]alem ætatem peruen[illegible]* [illegible] Ad delegatum præſcripta vtroque iure requiritur, ibi num.12.Triginta annorum perfecta dicitur, in qua homo,vel probus, vel improbus cognoſcitur,anno 20.quæſt.3.num.6.pagina 338.Senatoria antiqua fuit per Conſtantinum reducta,ibi [illegible] pag.339.Conſiliarij apud noſtros viginti & ſex annorum eſt,ibi num.19.Firma dicitur viginti annorum, an.20.quæſt.6.num.3.p.344. Florida à nonnullis in decimoſexto anno conſtituitur,an.21.quæſt.1.num.11.pag.657. Requiſita verbis numeri ſingularis inchoata ſufficit,an.22.quæſt.3.num.7.p.369.Quę ad Diaconatũ requiritur,quando inchoata dicatur? an.23.quæſt.1.num.5.pag.372.Quot annorum tempus dicatur, an 25.quæſt.1.num.2. 5.& 10. pag.373.& 374.Quinque & viginti annorum æquè in fœminis, ac in viris ſpectatur, quoad reſtitutionis beneficium, & liberationem à curatoris poteſtate,ibi num.7. Legitima non eſt illius,qui veniam impetrauit,ibi num.15.p.376. Legitima variè in iure accipitur,ibi num.17. Legitima,vt quælibet alia,poteſt ſtatuto minui, vel augeri,ibi,num.18.pag. 377. Quare plenitudinis Chriſti,in qua omnes ſumus reſurrecturi,perfecta dicatur,ibi num.22. Quę maior appelletur,ibi num.23.Maior minori oppoſita, ſiue legis, ſiue hominis diſpoſitione viginti & quinque annorum eſt interpretanda,ibi n.24. Robuſta quæ ſit,ibi num.25.Conſtans quæ nominetur, ibi num.26.Plena,integra,Iuſta,firma,impleta,& virilis,quæ dicantur? ibi num.27. Quæ ſit iuuentutis, ibi num.29. p.379. Minor ab ipſa exiſtentia ab aliquibus cõputatur,an.25.quæſt.2.num.2. pag. 380. Eadem ad augmentum,& permutationem dotis requiritur, quæ ad ipſius conſtitutionem deſideratur,an. 25.quæſt.14.num.

15.pag.410.Eadem requiritur ad conſtituti obligationem, quæ ad fideiuſſionis deſideratur, an.25.quæſt.15.num.18.p.414. Quæ deſideretur de iure noſtro ad amittendum in ludo,an.25.quęſt.17.n.4. pag.416. Ad pacem ſine curatore ineundam quæ deſideretur,an.25. quæſt.19.n.15.& ſeq.pag.430. Ad actum neceſſaria, præſumitur probato actu,an.25. q.20.n.[illegible] pag.432. Exploranda eſt feudum concedentis,an.25.quæſt.22.num.1. p.434. Quòd nulla ad diſcendum ſit ſera,quomodò accipiatur,an.25.quæſt.26.num.4. p.443.Quomodò definiatur,an.25.q.29.n.6.pag.451.Vbi deficit litterris ſuppletur, an.25.quæſt.32.n.9.pag.460. Ad comparendum in iudicio neceſſaria numero liberorum nõ ſuppletur,an.25.quæſt.34. num.10.pag.465. Eadem ad negandum requiritur, quæ ad confitendum deſideratur,an.25.quęſt.37.num.10.pag.474.Vt pręcipua cauſa inter alias ponitur,propter quam debeat à iuris rigore diſcedi, anno 25.quæſt.43.num.24.pag 492. Apparitoris,Celeris, Lictoris,ſiue Alguaceli, & Omnij viginti & quinque annorum eſſe debet: ſed de iure noſtro octodecim ſufficit,an.25.quæſt.46.num.2.& 3.pag.497. Eadem in nominante requiritur, [illegible] in nominato deſideratur,an.25.quæſt.48.n.5.pag.502. Quæ ad actum requiritur,ad ipſius etiam ratihabitionem eſt neceſſaria, an.25.quæſt.50.num.1.pag.505. Eadem expoſcitur in Vicarijs, in Cõmendatarijs perpetuis,& temporalibus,in coadiutoribus,adiutoribus Parochorum,quos vulgò *Tenientes* dicimus,an.25.quæſt.56.num.6.pag.517.Non à tempore cõceptionis, ſed natiuitatis eſt computanda, an.25.q.64.num.2.pag.526. Vt malitia,ita probitate morum,honeſtate,& prudẽtia ſuppletur,an.25. quæſt.66.num.17. p.533. Nec iuuenilis,nec ſenilis à patrimonialibus muneribus excuſationem affert, anno 25.quæſt.67.num.7.pag.535. Per accuſatiuum requiſita completa eſſe debet,an.30.quæſt.10. num.13. pag.577. in Genitiuo requiſita cum verbo ſubiunctiui & cũ præpoſitione *PER* perfecta ſit oportet, ibi num.15.In plurali requiſita completa eſſe debet,an 40.quæſt.1. num.2.p.581. Eadem eſt Doctoris exercitus, & Legati, an.50.quæſt.5.num.6.pag.605.Deſcribitur,qua quis vacationem à militia conſequitur, an.50. quæſt.8 num.5. pag.608. Quæ aptior ſit ſcribendi, libroſque conficiendi, an.52. quæſt.1. num.1. pag.609. Nulla ab honoribus excuſat, an.55.q.1. num.

num. 1. pag. 612. Nulla à muneribus mixtis excuſationem adducit, ibi num. 10. pag. 614. Teſtes de ea deponentes, per aſpectum debēt ita deponere, vt ex eorum dictis poſſint decem anni detrahi manente requiſita ætate: aliter enim non probāt, an. 60. quęſt. 5. num. 6. p. 625. Prouecta, vel tenera conceptionem impedit, anno 65. quæſt. 1. num. 1. pag. 639. Quæ teſtem liberet ab obligatione eundi ad domum iudicis pro teſtimonio ferendo, anno 70. quæſt. 4. num. 4. pag. 655. Quæ in coniuge ſit neceſſaria, vt altero Religionem ingrediente poſſit in ſæculo permanere ſolo voto caſtitatis emiſſo, an. 70. quæſt. 9. num. 3. & ſequent. pag. 663. Præſcribitur, qua ſenes criminoſi mitius puniri debeant, an. 70. quæſt. 11. num. 4. pag. 668. Poſt adepta munera impleta, nihil ad excuſationem proficit, an. 70. quæſt. 13. num. 5. p. 671. & quæſt. 14. num. 12. Qui in ea conſtitutus, qua ſe poterat excuſare, vltro munus accepit, poſtea ratione ætatis excuſari nequit, ibi num. 7. Ad munerum excuſationem requiſita, numero liberorum minimè ſuppletur, an. 70. quæſt. 14. num. [illegible] pag. 675. Nulla à muneribus patrimonialibus excuſat, ibi num. [illegible] pag. 675.

Ætas INFANTIAE prima dicitur, an. 7. q. 1. n. 1. & 10. pag. 59. & 60. Eſt ſufficiens, vt in ea omnes, quantumuis rudes, in fide inſtrui debeant, an. 7. quæſt. 18. num. 8. p. 93. Apta exiſtit ad habitum regularem ſuſcipiendum, anno 7. quæſt. 21. num. 3. pag. 98.

Ætas quinque annorum ſufficit, vt operæ ſint in æſtimatione, an. 5. q. 3. n. 8. p. 57.

Ætas ſeptem annorum ad primam tonſuram requiritur, an. 7. quæſt. 9. num. 2. pag. 77. Regulariter deſideratur, vt tam in baptiſmo, quàm in matrimonio, quis patrini munere fungi poſſit, an. 7. quæſt. 15. num. 11. pag. 87.

Ætas minor ſuſpecta eſt furoris, anno 25. q. 29. num. 4. pag. 451. Qui in ea deliquerit, licèt poſteà adoleuerit, non eſt ordinariè puniendus, an. 25. q. 43. n. 32. p. 494.

Ætas tutelæ, quæ perfecta dicatur, an. 25. q. 28. num. 3. pag. 446. completa eſſe debet, ibi num. 5.

Ætas quatuordecim annorum, pro conſequēdis dimidijs portionibus Cathedralis Eccleſiæ, ſufficiens eſt, an. 14. quæſt. 56. num. 3. pag. 301. De iure communi, ad Canonicatum Cathedralis Eccleſię, ſaltim exponitur, ibi num. 6. Diſcretionis dicitur, an. 7. quæſt. 7. num. 6. pag. 74. An exigatur, vt etiam infidelis ad comitandum Chriſti corpus teneatur, cùm ad infirmos defertur, vide Chriſti corpus.

Ætas iuuenilis maximè ad delinquendum irritat, an. 25. q. 45. n. 27. p. 493.

Ætas pupillaris non excuſat in totum ab operarum præſtatione, an. 5. quęſt. 3. num. 10. pag. 57. In maſculis finitur decimoquarto anno, & duodecimo in fœminis, an. 7. quæſt. 3. num. 1. pag. 63. Quando incipiat, ibi num. 2. & 3. Quoad tori electionem, ab ipſo natiuitatis inſtanti computatur, an. 25. q. 52. n. 1. p. 508.

ÆTAS *pubertati proxima*, quæ ſit, ſiue in maſculis, ſiue in fœminis, an. 10. quæſt. 6. num. 4. pag. 154.

ÆTAS *pubertatis*, vide *pubertas*.

Ætas octodecim annorum ex noſtris legibus ad militiam deſideratur, an. 18. quæſt. [illegible] num. 7. pag. 325.

ÆTAS *florida* à nonnullis in decimoſexto anno conſtituitur, anno 21. quæſt. 1. n. 11. pag. 957.

Ætas viginti annorum, ideò firmata dicitur, quia ætas iuuenilis tunc firmari incipit, an. 20. quæſt. 1. num. 5. pag. 334. In delegato deſideratur, an. 20. quęſt. 2. num. 1. pag. 335. Florida appellatur, anno 21. quæſt. 1. num. 14. pag. 357. Firma dicitur, an. 20. q. 3. num. 6. pag. 344.

ÆTAS *robuſta* quæ ſit, an. 25. quæſt. 1. num. 25. pag. 377.

Ætas viginti & quinque annorum, vt operæ ſint in æſtimatione, non deſideratur, ſed quinque annorum ſufficit, an. 5. quæſt. 3. num. 8. pag. 57. Terminus dicitur iuuenilis facultatis, an. 25. quæſt. 1. num. 15. pag. 376. Requiritur in conſtituēte peculium, an. 25. quæſt. 24. num. 7. pag. 440. Legitima appellatur, an. 25. quæſt. 47. num. 6. p. 499. Ad multa deſideratur, quæ ſuis locis diſperſa inuenies.

ÆTAS *legitima* non eſt illius, qui veniam impetrauit, an. 25. quæſt. 1. num. 15. p. 376. Variè in iure accipitur, ibi n. 17. Vt quælibet alia poteſt ſtatuto minui, vel augeri, ibi num. 18. pag. 372.

Ætas triginta annorum ab aliquibus legitima adſcribitur, an. 25. quæſt. 1. num. 16. pag. 376. Sed reprobatur, ibidem. Matura dicitur, an. 30. quæſt. 5. num. 3. p. 569. An pro Generalibus, & Prouincialibus Regularium ſufficiat? an. 50. quæſt. 4. n. 1. pag. 603. Viri, perfecta dicitur, an. 25. q. 1. num. 21. pag. 378.

Ætas quadraginta annorum eſt prudentiſſima, an. 20. q. 3. n. 12. p. 339.

ÆTAS *conſtans* quæ nominetur, an. 25. q. 1. num. 26. pag. 377.

Ætas ſexagenaria in fœminis omni libidinis ſuſpicione caret, an.60.q.6. num.5. pag.626.

Ætas ſeptuagenaria in viris omni libidinis ſuſpicione caret, an.60.q.6.n.5.p.626. A muneribus ciuilibus excuſationem affert, an.70.q.14.n.11.p.675.

ÆTAS *naturalis* quæ dicatur? an.30. quæſt. 1.num.1.pag.564. Ea propriè dicitur, quæ capax eſt vſus rationis, ibi n.3. Perfecta quinque & viginti annorum deſignatur à Petro Gregorio, ibi n.4.

ÆTAS *maior* quæ appelletur, an.25. quæſt. 1.num.23.pag.377. Minor, maiori oppoſita, ſiue legis, ſiue hominis diſpoſitione, viginti & quinque annorum [illegible] interpretanda, ibi n.24.

ÆTAS *perfecta* quæ ſit, an.25.quæſt.1.num. 2.pag.377.

ÆTAS *matura* quæ dicatur, an.25.quæſt.1. num.19.pag.377.

ÆTAS *ſtatus* quando incipiat, & finiatur? an. 25.quæſt.1. num. [illegible] Andr. Laurent. perperam quadrageſimo anno eam conſtituit, ibi num.11.pag.375. Alio nomine legitima dicitur, ibi num.15.pagina 376.

ÆTAS *ſenilis* ad matrimonium contrahendum inepta videtur, an.60. quæſt.4. num. 2.p.621. Ab honoribus, etiam mixtis, excuſationem non affert, an.70.quæſt.13. num.1.& 3.pag.670.

ÆTAS *grandis* quæ ſit, an.50.quæſt.3.num. 8.pag.603.

ÆTAS *ingraueſcens*, & ſenio confecta ſexaginta annorum eſt, an.60. quæſt.5. num. 3.pag.624. In infirmo, quinto & quinquageſimo anno verificatur, etiam quoad effectum coadiutorem dandi, ibi numero 4. pag.625.

ÆTAS *defecta* quæ ſit? an.80. quæſt.1. num. 6.pag.677.

ÆTAS *decrepita* quando incipiat? an.61.q. 3.n.3.pag.647.& an.80. quæſt.1.n.1.p. 676. Mala appellatur, ibi n.4.p.687.

ÆTAS *Plena, Integra, Iuſta, Firma, & Virilis*, quæ dicatur? an.25.quæſt.1. num.7.p. 377.

AFFINITAS non contrahitur, ſi maſculus nondum pubes, aut fœmina nondum viripotens coierint, licèt cum perſona generationi apta, an.14.q.5.num.4. pag.208. An vt contrahatur, vtriuſque ſeminis concurſus requiratur? ibd.

AGNATI infantis, ſi tutor deficiat, citari debent, vbi curatore opus eſt, an.25.q.35. num.3.pag.468.

AGNI vocantur ouium fœtus, etiam non lactentes, an.1.quæſt.2.num.3.pag.8. Fere ad quatuor menſes à mamma diſiunguntur, ibi num.31.

D. ALPHONSVS DE NARBONA Autoris frater defenditur ab iniuſta impugnatione Carranzæ, an.1.quæſt.2. num.21. pag.7. à Carbuali impugnatione tutatur, an.25. quæſt.45.num.10.pag.496.

ALPHONSVS à CARRANZA reprobatur, an. 1.quæſt.3.num.7.pag.12.

ALPHONSVS PEREZ à LARA reprehenditur, dum putat Medicos eſſe conſulendos, vbi quinto, vel ſexto menſe partus vitalis editur, vt illum, vel naturalem, vel illegitimum ad ſucceſſionem declarent, an. 1.quæſt.6.num.33.pag.24.

ALOISI RICIJ opinio reijcitur, an.22.q. 2.num.1.pag.367.

ALGVAZELVS viginti & quinque annorum eſſe debet, an.25. quæſt.46. num.2. pag. 497. De iure noſtro, octodecim annorum ſit oportet, ibi num.3.

ALIENARE non videtur, qui veterem alienationem renouat, an.25.quæſt.22. num.2. pag.434.

ALIENATIO à minore facta, ipſo iure eſt nulla, an.25.quæſt.5.num.4.pag.386. In ſua ſtricta ſignificatione importat dominij abdicationem ex parte alienantis & tranſlationē in perſonam illius, cui fit alienatio, ibi num.10.p.388. Minoribus eſt interdicta, an.25.q.21.n.3.p.433.

ALIMENTA tenetur pater indiſtinctè, nullo habito diſcrimine ætatis, filijs præſtare, an.14.quæſt.31.num.1.pag.253. vide FILIVS. Decrepito ſeni, qui poſt mortem teſtatoris vxorem duxit, relicta, etiam vxori præſtari debent, an.60. quæſt.4. n.11. pag.623.

AMICITIA, quare forma viri, & iuuenili facie depingatur? an.14. quæſt.43. num.2. & 10.pag.273.& 274. Cur rara, aut nulla inter fœminas reperiatur, ibi n.12.

AMICVS nemini ante decimumquartū annum agnoſcitur, an.14.quæſt.43. num.1. pag.273. Qui fuit patris, petendi tutorem pupillo, aut illum ſuſpectum accuſandi facultatem nanciſcitur, & quare? ibi num.2. Non niſi iudicio eligitur, ibi num.4. Alter ipſe dicitur, & inter ſuos computatur, ibi num.6.pag.273. Pro illius vita conſeruāda licet propriam periculo exponere, ibidem. Eius voluntas propria dicitur, ibidē. Amicorum omnia ſunt communia, etiam vxores, ibidem num.6. Qualiter in iure de finiatur? ibi num.7.pag.274. Capax eſt illius filiusfamilias pubes, ibi num.8. Cur parentibus aſſimiletur? ibidem. Non vnus, ſed

ſed plures Scy[illegible]s erãt,nã cum apud ipſos is felix haberet[illegible], qui amicis affluebat, à pubertate quil[illegible]et multos ſibi quærere tenebatur,ibi num.[illegible].pag.274. Tantum puberis in iure reperit[illegible],ibi n.5.p.273.

D.Ambrosius fuit Iuriſperitus, an.25.q. 66.num.13.pag.533.

Amor contractus eſt nominatus? an.14.q. 34.num.3.pag.273.

Ancillae meretricum quadragenariæ eſſe debent,an.40.q.4.n.1.p.585.

Andreas Tiraqvellvs laudatur,an. 25.quæſt.16.num.9.pag.415.

Angelvs Cvstodiae matris, an filium cuſtodiat in vtero exiſtentem? an.1.q.5. num.7.pag.17. Circa tempus,quo nobis deputatur,variæ ſunt opiniones,ibi num. 5.à natiuitate,ſecundum aliquos,vnus bonus,& alter malus nobiſcum eſt,ibi num. 6. Matris tunc ſolum filij curam habet, cùm ipſius defenſio ad bonum matris conducit,ibi num.16.pag.18. Cuſtodia illius ab ipſa animatione ad corporis & animæ ſeparationem, perſeuerat, ibi n.25. Poſt mortem,licèt non cuſtodiat,deducit tamẽ animam ſibi commiſſam,vel ad cœlum,vel ad expiationis locum,ibi num.24.pag.19. Ante conceptionem hominis [illegible]ignatur, vt ipſorum generationem procuret,ſecundum Tertullianum, ibi num.12. pag.18. Secundum multos in ipſa animatione deputatur,ibi num.13.Secundum alios à tẽpore dumtaxat baptiſmi hominibus inſiſtit,ibi num.19.pag.18. Ex aliorum ſententia ſolummodo pueris,& adultis deputatur,ibi num.20.Quadrageſimo die maſculis,& octuageſimo fœminis adſcribitur, non verò iam natis ſolummodo,vt aliquibus placuit,ibi n.17.& 18.

Anima & corpus homo vocatur, an.1.q.2. num.10.p.7.Maſculo quadrageſimo die, fœminæ verò nonageſimo infunditur, ſecundum communem opinionem,ibi num. 37.pag.9.eſt pars hominis,an.1.quæſt.4. num.10.pag.15.Statim ac corpori infunditur Dæmon adiungitur, qui ei nocere poſſit,an.1.q.5.n.15.pag.18.

Animal quid ſit? an.1.quæſt.2.num.13.p. 7. Irrationale aliquando iure punitur, an. 10.quæſt.10.num.2.pag.166. Eius delictum vbi antiquitus iudicaretur,ibi num. 4.Vnico congreſſu multiplicem conceptum effingit, an. 60. quæſt.13. num. 10. pag.636.

Animatio duplex reperitur in fœtu, an.1. quæſt.2.num.10.pag.6.Quo tempore contingat certò affirmari nequit, ibi num.3. pag.9. Tam maſculo quàm fœminæ, à quibuſdam indiſtinctè,quadrageſimo die conſtit[illegible]itur:ſed malè,ibi num.41.pag.10. In illa contrahitur peccatum originale,ex communi ſententia,an.1.quæſt.4.num.3. pag.15.In maſculis contingit quadrageſimo die, in fœminis octuageſimo, an.1.q. 4.num.4.pag.15.In ea ſecundum multos Angelus Cuſtodiæ nobis deputatur, an.1. quæſt.5.num.13.pag.18.Ab ea homo viator,& capax peccati,ſaltim originalis, exiſtit,ibi num.14.

Anniversarivm, Præſtimonium, Capellania prophana,& feudum, eiuſdem ſunt naturæ,an.1.q.15.n.1.p.44.

Annvs diſcretionis quatuordecimus eſt,an. 7.quæſt.7. num.6. pag.74. Probationis neceſſat[illegible] profeſſionem præcedere debet, an.14.quæſt.[illegible] pag.239. Probationis debet à maſculo poſt dec[illegible] tum annum,& à fœmina poſt duodecimum [illegible] inchoari,ibidem. Vigeſimus ſagacitatem denotat,an.20. quæſt.1. num.7. pag.334. Cœptus habetur in honoribus pro completo,an.20.quæſt.3.num.3.pag.637. [illegible] ordin[illegible],inceptus ſufficit,an.22. quæſt.1.num.6.& ſequent.pag.364.Quadrageſimusnonus climatericus minor appellatur,an.50.quæſt.2.num.3.pag.599. & an.60.quæſt.11.num.3.pag.630. Septuageſimus excuſationem affert à muneribus ciuilibus & perſonalibus,ibi num.14. pag.601.Sexageſimustertius climaterius eſt,in quo plurimi intereunt,an.61.quæſt. 1.num.4.pag.637.

Antonivs Faber reijcitur,an.25.quæſt. 18.num.11.pag.420.& an.25.quæſt.24. num.4.pag.440.& an.25.quæſt.29. num. 3.pag.451.

Apparitores olim iuuenes fuere,an.25. quæſt.46.num.1.pag.497.Viginti & quinque annorum eſſe debent, ibi num.2.vel octodecim de iure noſtro,ibi num.3.

Appellari an poſſit à ſententia de exequendo,vel contra illam detur reſtitutio? an.25.q.54.n.15.pag.513.

Appellatio quando tollatur ob criminis enormitatem,an.10.q.10. num.7. p.167. Illam ætatem requirit,quæ ad aſſiſtendum in iudicio neceſſaria iudicatur, an.14.q. 23.num.1.pag.242.An ſit actus extraiudicialis,vel poſtiudicialis, ibi num.7.pag. 243.Intimanda an ſit pupillo, vel puberi curatorem habenti,an.14.quæſt.23.num. 5.pag.242.

Apocha minoris in iudicium producta, & ab eo recognita num poſſit exequi? an.25. quæſt.54.num.6.pag.511. Contra minorem producta,& ab eo ſine curatore recognita,

nita, an habeat executionem paratam? an. 25.q.83.n.10.p.555.

ARBITRATOR quinque & viginti annorum eſſe debet, an.25.q.33.n.9.p.462. Legitimæ ætatis tempore nominationis eſſe debet, ibi num.10.

ARBITRVM ſaltim decem & octo annorum eſſe debere, qui doceant? an.25.quæſt.33. num.1.pag.461. Neminem ante vigeſimũ annum eſſe poſſe multi tenent, ibi num.3. Tutius eſt viginti & quinque annorum cũ eſſe oportere, ibi num.4.& 5. Rectè valideque iudicare poſt decimumoctauum ætatis annum, vel poſt decimumquartum (ſi in illum partes conſentiant) probatur, ibi n. 7.pag.462. Tempore nominationis requiſitam ætatem habere debet, ibi n.10.

ARCHIDIACONATVS quam ætatem requirat? an.25.quæſt.62.num.4.pag.524. In curatum & non curatum diſtinguitur, anno 25.quæſt.61.num.1.pag.523. Si habeat annexam curam animarum, â nemine ante maiorem quinti & vigeſimi anni ætatem obtineri poteſt, ibi num.2. Qui ſine cura exiſtit, poteſt à minore poſt vigeſimumſecundum ætatis annum exactum poſſideri, ibi n.4.p.524.

ARCHIDIACONI oculi ſunt Epiſcopi, anno 25.quæſt.61.num.3.p.523. Vicarij ſunt natiui, an.25.q.62.n.4.p.524.

ARCHIEPISCOPVS RHEMENSIS fuit creatus puer nondum ſeptennis, an.30.quæſt. 5.num.6.pag.569. Si puer ſit, datur ipſi adminiſtrator, ibidem.

ARCHIPRESBYTER neceſſariò presbyteratus ordinem habere debet, an.25.q.60.n. 2.pag.522. Vicarius eſt natiuus, an.25.q. 62.n.4.p.524.

ARCHIPRESBYTERATVS & dignitatem, & curam habet animarum, an.25.quæſt.60. num.1.pag.522. Ætatem quinque & viginti annorum requirit, ibidem. Hodie ſimplex beneficium habetur, ibi n.3. pag. 523.& q.62.n.4.p.524.

ARGENTARIJ an certam requirant ætatem? an.25.q.81.n.4.p.552.

ARGENTI viui in fodinas, vulgò *Minas del azogue*, cuius ætatis damnari debeant? an. 60.q.8.n.4.p.628.

ARRHAE intra decimam partem bonorum promitti debent, an.25.quæſt.11.n.14. pag 401. Immoderatæ ſi donentur, quoad exceſſum tantum infringuntur, ibidem.

ARS ſiue induſtria vniuſcuiuſque ante annũ decimumoctauum, vix ſufficit ad propriã ſuſtentationem, an.14.quæſt.8.num.16. pag.201.

ARTIFICES non niſi certæ ætatis poterant in Collegium aſſumi, an.25.quæſt.81.n. 1.pag.551.

ASSISTENTIA non datur in pueris ante ſeptennium elapſum, an.8.quæſt.5.num.8. pag.136.

ASSOCIATIO debetur corpori Chriſti cùm ad infirmos defertur, an.14.quæſt.25.n. 1.pag.244. Chriſto debita, ſimilis eſt aſſociationi, quæ terrenis Regibus præſtari oportet, ibi num.4. Etiam in puberem cadit, ibi n.5. vide *Chriſti corpus*.

ATHENIENSES filijs ſuis decimo die nomina imponebant, an.1.quæſt.9.num.4.pag. 36. Eorum iudicium de infante refertur, an.10.quæſt.10.num.16.pag.168. Ad publica conſilia tantum recipiebant ſenes quinquagenarios, an.20.quæſt.3.num.8. pag.338.

ATHLETA qui ab infantia ad annum quintum & trigeſimum abſque victoria in ſtadio decertabat, artem deſerebat, an.35.q. 1.n.1.p.580.

